UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Summæ Theologicæ Scholasticae Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè tractatur

**Herincx, Wilhelm**

**Antverpiae, 1663**

urn:nbn:de:hbz:466:1-72941

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 441a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# SUMMÆ THEOLOGICÆ SCHOLASTICÆ ET MORALIS

IN QVATUOR PARTES DISTRIBUTÆ

## PARS TERTIA,


*In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione ceterisq; annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & distincte disputatur.*

Collegii Societatis Jesu Paderbornæ Ao 1688.


AUCTORE

R. A. P. F. GVILIELMO HERINCX Ordinis FF. Minorum in Academia Lovaniensi S. Theologiæ Lectore Iubilato, ac Inferioris Germaniæ Provinciali Ministro.


*Ad Illustrissimum, ac Reverendissimum Dominum* D. EUGENIUM ALBERTUM D'ALLAMONT *Episcopum Ruramundensem.*





ANTVERPIÆ,
APUD PETRUM BELLERUM.
M. DC. LXIII.



VI
D 71

# ILLUSTRISSIMO
# AC
# REVERENDISSIMO DOMINO,
# D. EVGENIO
# ALBERTO
# D'ALLAMONT
# EPISCOPO
# RURÆMUNDENSI,

INSIGNIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS LEODIENSIS

## CANONICO,

## BARONI DE BUSII,

TOPARCHÆ IN ALLAMONT ET MALANDRII,

DOMINO TEMPORALI IN SART, BLAIGNII &c.

ILLSUTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE

Opus Obedientiæ, Summam dico Theologicam (cui Pars præsens deerat, diversis impedimentis retardata) divinâ favente clementiâ consummavi, conatus claritati sociare

brevitatem. Etenim præter animi oblectationem, quæ maximè brevitatem comitatur; etiam memoriæ amicum est, quod breve: & omnino facilius illabitur, quod minutius, ac velut guttatim excipitur. Bonum publicum pro scopo habui. Utinam intentum assecutus sim! Verumtamen voluisse sat erit Deo, affectum pensanti.

Cui porrò sudores hos post Deum consecrarem, non anxiè deliberandum mihi fuit. Tibi, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, consecrandos putavi, Tibi deberi. Non enim (ut rationes ex singularis benevolentiæ erga Seraphicam nostram Religionem affectu, familiæ velut hereditario, petitas prætermittam) decuit ea, quæ Fidem, ceteraque Virtutes Theologicas, quæ Justitiam, ceteraque Virtutes Morales spectant, alteri consecrari, quàm ei, qui secutus monitum Apostoli in Timotheo ceteros Episcopos instruentis *Epist.* 1. *cap.* 4. adeò gnaviter satagit seipsum Fidelibus præbere vivum exemplum bonorum operum, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ceterisque Hierarchas decentibus ornamentis, quæ in eadem Epistola Apostolus luculentè expressit. Hæc etenim meditaris,

ditaris, in his ès totus; adeò ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Qualiter enim attẽdas Tibi & Doctrinæ Orthodoxæ tuendæ ac promovendæ, Heterodoxis convertendis, vitiis è populo Tibi commisso eradicandis, cernunt cuncti, laudant boni. Atque ita instar boni Pastoris à grege lupum arces, simulque eumdem pabulo salutaris doctrinæ ac monitorum (quæ ipse etiam parvulis ac pauperculis instar Catechistæ instillare non postponis) saginas. Pro Justitia non minùs agonizantem oculis conspeximus, dum vultum potentium non veritus, pro jurisdictione Ecclesiastica, veluti pro pupilla oculi, non sine solemni victoria decertasti. Unde quasi victorem è prælio redeuntem Ecclesia tua nuperrimè non absque triumpho gratulabunda excepit. In egenos liberalitas (liberè dico) vires facultatum Episcopatûs egeni superare videtur, etiam Te ipso circa divinam hac in re providentiam præ admiratione suspenso.

Nolo singularum virtutum tuarum, modestiæ, humilitatis, & reliquarum, quas ita Tibi proprias fecisti, ac si singulæ forent à Te studiosè adamatæ, præconiis immorari. Humilitas mihi perspecta ea refugit. Una

eaque verissima laus tua est, ex æquo laudari non posse: altera, non velle. At vel ideo quia vitare studes, sequentur præconia: neque beata illa æternitas magis deerit virtuti tuæ, quàm nunc dignitas. Quæ etsi magna, dubium tamen, utrum Te magis ornet, an Tu illam.

Latus nunc supereſſet campus divagandi in recensendis antiquissimi ac illustris per tot sæcula Stemmatis tui meritis. Verùm longo recusas sanguine censeri, pictosque ostendere vultus Majorum tuorum, tot sæculis apud Belgas summè illustrium: sive progenitores paternos D'ALLAMONT, sive maternos DE MERODE, sive agnatos & affines primariæ per Burgundiam, Belgium, Lotharingiam nobilitatis, recensere quis cupiat. Taceo proinde tot invictissimos Heroës ALLAMONTIOS, Proavum, Avum, Patrem, Patruos, variis expeditionibus ac dignitatibus clarissimos, ac pro Rege & Patria pugiles invictissimos: quos fama numquam intermoritura loquetur. Sed & illustria eorumdem encomia non tacuit ipse magnus noster Monarcha Philippus in diplomate, quo Theodorum D'ALLAMONT ex certa scientia, ac potestatis suprema

premæ plenitudine creavit Comitem de Brandeville. Quis tandem ita in fide erga Regem & Patriam, in fortitudine bellica eluxit, ut JOANNES D'ALLAMONT, Germanus tuus, Montis-Medii in Ducatu Luxenburgensi pro Rege Gubernator? Is nimirum (mundo publica refero, etiam Typis per Hispaniam & Belgium nota) verus Hostium terror, semper ipse impavidus: ut nulli veterum Romanorum cedere debeat. Obsidenti locum potentissimo Galliarum Regi, validissimâ stipato militum manu JOANNES restitit, Te præsente & assistente. Restitit autem sic, ut cunctis, sed & ipsis hostibus, ac Regi prædicto admirationi fuerit ac æstimationi. Restitit, inquam, ad sanguinem, & mortem usque, vitam ibidem pro Rege suo ac Patria perdens, nec umquam glorioſiùs vincens, quàm dum hostiles impetus intrepidè acstrenuè frangere studens, globo lethaliter vulneratus, nec tamen suos animare desistens, vitam glorioso, nec minùs Christiano fine, etiam lætus concluſit.

Tibi itaque ILLUSTRISSIME PRÆSUL, lubens meritissimòque Partem hanc Theologicam inscribo, Teque Patronum Operi

& Au-

& Auctori adopto, & utrumque juris tui facio; & quidem intimo voto meo facio. Utrumque suscipe eo, quo offertur, affectu: & beneficium rependeris. Deus Illustrissimam Dominationem tuam Ecclesiæ ac nobis diu sospitet. Ita corde & animo vovet

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ

*Humillimus Servus*

F. GVILIELMUS HERINCX.

Lovanij die 30. Augusti
1663.

# MANDATUM
## SEU
# FACULTAS
## Commissarij Generalis.

FRater Iacobus de Riddere Ordinis Fratrum Minorum Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus, totius Ordinis Pater, ac super Provincias Germaniæ Superioris, Belgii, Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ, tam Regularis quam Strictioris Observantiæ in utroque foro cum plenitudine potestatis Commissarius Generalis.

Cùm in *Summa Theologicæ Scholasticæ & Moralis*, diu à me desiderata, meo instinctu & mandato conscripta, à R. A. P. Fratre Guilielmo Herincx almæ nostræ Provinciæ Germaniæ Inferioris FF. Minorum Regularis Observ. Custode, S. Theologiæ Lectore Iubilato &c. tam plurium Theologorum, quàm Censorum calculo laudabiliter approbata; ad totius Operis complementum videam adhuc avidè desiderari editionem *Partis Tertiæ*, cujus multiplices approbationes ac singulares commendationes conspexi: non tantum consentio, & licentiam concedo, sed etiam in meritum salutaris obedientiæ injungo præfato R. Patri, ut Tertiam illam Partem de Virtutibus in Genere & particulari, tam Cardinalibus quam Theologicis, quantociùs publici juris faciat ad majorem Dei gloriam, Seraphici nostri Ordinis, & totius Ecclesiæ utilitatem. Actum Coloniæ in Conventu nostro FF. Min. Recollect. die 28. mensis Iunij, Anno 1663. sub nostro Chyrographo, Officiique Sigillo.

Locus sigilli

F. JACOBUS DE RIDDERE
*Commissarius Generalis.*

---

# FACULTAS
## Vicarij Provincialis.

*VIsô multiplici fructu quem Ordini nostro* Seraphico *contulit Summa Theologica à* Reverendo Admodum Patre F. Guilielmo Herincx *conscripta & quo ad tres Partes jam publici juris facta, licentiam concedo & in meritum Sanctæ Obedientiæ eidem Patri mando ut, servatis servandis, Tertiam Partem hactenus desideratam prælo mandari curet, quatenus uberrimi fructus ex aliis partibus fæliciter exuberantes, hujus accessu augeantur. Datum Antverpiæ in Conventu nostro Fratrum Minorum die 20. Iulij 1663.*

F. Franciscus Gendt
*Vicarius Provincialis.*

# APPROBATIONES
## Theologorum Ordinis.

QVÆ de Virtutibus *in Communi*, *de Theologicis & Cardinalibus*, Theologicè & eminenter elaboravit Reverendus Adm. Pater GUILIELMUS HERINCX Ordinis Fratrum Minorum Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus, ac Provinciæ Germaniæ Inferioris Custos; ea communi Studiorum utilitati, & Theologicæ praxeos directioni, omninò prælo subjicienda esse, jure censuimus. Datum Lovanij in Conventu nostro Fratrum Minorum Reg. Observ. die prima Iunij Anni 1663.

F. PETRUS DE VRIESE *S.Theol.Lector.*
F. COSMAS MEERSMANS *S.Theol.Lector.*

TERTIA hæc pars *Summæ Theologicæ* Reverendi Adm. Patris Fratris GUILIELMI HERINCX Ordinis Fratrum Min.Reg.Observ. in Academia Lovaniensi Sacræ Theologiæ Lectoris Iubilati, nec non Provinciæ Germaniæ Inferioris Custodis, quæ est de Virtutibus in Communi & in particulari, Doctrinam continet (uti & aliæ Partes jam publici juris factæ) Fidei Orthodoxæ & bonis moribus consonam; brevi, facili ac dilucida methodo digestam; solidis fundamentis stabilitam; non novitate suspectam, sed antiquitate commendatam & singulari eruditione illustratam: ideoque non tantùm Ordini Seraphico, sed & cuivis Theologo utilissimam & prælo dignissimam. Ita censuimus Mechliniæ in Conventu nostro Fratrum Min. Reg. Obs. die 2. Iunij, An. 1663.

F. IOANNES VAN RIEMEN *S.Theol.Lector.*
F. GUILIELMVS VAN SICHEN *S.Theol.Lect.*

QVANTAM Theologis lucem & utilitatem attulerint *Opera Theologica* nimirum *Prima, Secunda, & Quarta Pars Theologiæ* Reverendi Patris GUILIELMI HERINCX S.Theol.Lectoris Iubilati, & Provinciæ nostræ Germaniæ Inferioris Custodis Custodum, norunt omnes qui ea legerunt & viderunt, nosque in Scholis nostris experti sumus & fructus eorum suavissimos probavimus omnium intelligentium palatis gratissimos: quia facili & brevi Methodo complectitur magna & multa: probat subtiliter & clarè; propugnat fortiter & suaviter: ubique *Scoti* & communem DD. sententiam adstruens sicq; paulatim tollatur error quorumdam existimantium sententias *Scoti* esse particulares & quasi paradoxas cum sint communissimæ & rationes ejus probatissimæ. Tertia modo pars à veritatis amatoribus diu desiderata & expetita tandem ab Auctore feliciter, dilucidè, planè, & succinctè peracta & completa est. Quare dignissimam judicamus ut lucem videat & juris communis fiat, in Ordinis ac totius Ecclesiæ utilitatem. Datum Venlonæ in Conventu nostro Fratrum Minorum Recollectorum, Anno Domini 1663. die 25. Aprilis.

F. IACOBUS CORDUANIER *S.Theol.Lector. Iub.*
F. IOANNES DECKERS *S.Theol. Lector.*

OMNIA

OMNIA quæ in libris de Virtutibus in Communi; de tribus Theologicis in speciali: de quatuor Virtutibus Cardinalibus, de Contractibus: de Religione & aliis Virtutibus Iustitiæ affinibus, à R.do Adm. P.F. GUILIELMO HERINCX S. Theologiæ Lectore Iubilato, ac Provinciæ Germaniæ Inferioris Custode Custodum ventilantur, ejusmodi sunt, ut reliquis ejusdem Auctoris Commentationibus consonent ingenio, eruditione, styli suavitate ac diludicâ brevitate. Quæ in primo libro, Sacræ Scripturæ sensum interpretando, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ definitiones proponendo adducit, rectæ rationi, sacrorum Conciliorum ac Sacræ Scripturæ sensui planè consona sunt, tanto viro, tantâ industriâ, tantoque ingenio digna. In secundo optimâ Methodo; breviter ac nervosè disseritur de quatuor Virtutibus Cardinalibus & cæteris. Quare utrumque publicâ luce dignissimum, tam scholæ Seraphicæ quam universæ Ecclesiæ Catholicæ utilissimum censemus; ut hinc cuivis Lectori pariter & Studioso haurire liceat scientiam salutis ad serviendum Deo in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus vitæ suæ. Datum Brux. in Cœventu nostro FF. Minorum Reg. Obs. die 23. Iunij Anno 1663.

F. HENRICUS VANDEN DYCK *S. Theol. Lector.*
F. ÆGIDIUS MORGATIUS *S. Theol. Lector.*

# APPROBATIO
## Censoris Ordinarij.

HANC tertiam Partem *Summæ Theologicæ* R.di A.dum P.F. GUILIELMI HERINCX Ord. FF. Minor. &c. Legisse, elegisse est; nam in ea nitent, & placent omnia; argumentum, seu materia, ordo seu methodus, ingenium, eruditio, Clarus cum brevitate stylus; paucis, est Ethica Christiana, cujus dignitas planè divina est, æquè ac necessitati compar utilitas: docet enim virtutes tam in genere, quàm in specie; & inprimis Fidem, Spem, Charitatem, deinde Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam, quibus nihil hominibus in hac vita utilius esse dicitur, *Sapient. 8.* ideoque meritò luci dabitur, ut videatur, legatur, eligatur. Datum Lovanij hâc 30. Maij Anni 1663.

ANTONIUS DAVE *S. Theologiæ Doctor & Professor Regius, nec non Librorum Censor Apostolicus, & Archiepisc. Mechlinien.*

# ALIA CENSURA.

TERTIA pars *Summæ Theologicæ* ab Admodum R.P. F. GUILIELMO HERINCX Ord. FF. Minorum &c. magno cum judicio, ingenio, ac claritate eruditissimè cõscripta, non solùm prælo, verùm etiam quorumvis Theologorum oculis dignissima est ob doctrinam, quam continet, solidam, perutilem, sublimem, exactam, quique à præjudiciis liber illam volet legere, non poterit non diligere. Mollæ 9. Iunij 1663.

JUDOCUS HOUBRAKEN *S. Theol. Lic. Eccles. Cath. Antuerp. Can. & Episc. Sylvæd Vicarius Gen.*

# PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Super impressione librorum Auctorum Ordinis S. Francisci Regularis & Strictioris Observantiæ.

PRivilegio Cæsareæ Ma^tis. cautum est: Ne quis per universum Imperium libros à Patribus Ordinis S. Francisci Regularis & Strictioris Observantiæ editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recusos, intrà Sacri Imperii, Regnorumque ac dominiorum hereditariorum Domus Austriacæ adducat, vendat, vel distrahat absque consensu & facultate eorumdem Patrum sub pœna Confiscationis Librorum & mulctâ viginti marcharum auri puri. Ita Sancitum & Decretum in Civitate Ratisponensi pridiè nonas Decemb. An. 1636. *Signatum.*

FERDINANDUS.

Infrà:

*Ad mandatum S. Cæs. Ma^tis. proprium*
IOANNES WALDERODE

A latere: P.H. A Stralendorff.

PLenarius præmissi Cæsarei Privilegii usus quoad Tertiam Partem *Summæ Theologicæ* concessus est Petro Bellero Typographo Antuerpiensi per Commissarium Generalem Nationis Germano-Belgicæ, ut latiùs patet in litteris patentibus Mechliniæ datis die 29. Augusti Anno 1663.

---

# PRIVILEGIUM

## Regis Hispaniarum.

PHILIPPI IV. Regis Hispaniarum &c. Privilegio cautum est, ne quis *Summam Theologicam, Scholasticam & Moralem Auctore* F. Guilielmo Herincx *Ordinis FF. Minorum S. Theologiæ Lectore Iubilato*, in toto vel in parte, conjunctim vel divisim imprimat, aut alibi impressam in hasce Ditiones importet, retineat vel divendat; præter Typographum Iuratum ab eodem Auctore diligendum; idque sub pœna confiscationis & amissionis librorum, & insuper aliâ gravi mulctâ; ut latiùs patet in litteris patentibus desuper Bruxellæ in supremo Consilio Brabantiæ expeditis die 15. Maij, Anno 1659. De more sigillatis & signatis

Loyens.

VIrtute præmissi Privilegii Regii dò Petro Bellero Typographo Antuerpiensi Facultatem imprimendi ac distrahendi *Tertiam Partem meæ Summæ Theologicæ* prioris Editionis. Datum Antuerpiæ die 29. Augusti 1663.

F. GUIL. HERINCX

# INDEX ET ORDO TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET PARAGRAPHORUM, QUÆ IN HAC TERTIA PARTE CONTINENTUR.

## DISPUTATIO I.


De Virtutibus & Vitiis in Communi. Pag. 1.

QUÆSTIO I. *Quid sit Virtus?* ibid.
QUÆST. II. *De Divisionibus Virtutis.* pag. 4.
QUÆST. III. *An dentur Virtutes per se infusæ, tum Theologicæ, tum Morales?* pag. 8.
QUÆST. IV. *De Virtutibus Evangelicis, Beatitudinibus, Donis, Fructibus, & Gratiis gratis datis.* pag. 12.
QUÆST. V. *De Subjecto Virtutum.* p. 14.
QUÆST. VI. *De Connexione Virtutum.* p. 16.
QUÆST. VII. *De Irregularitate & Cessatione Virtutum.* pag. 20.
QUÆST. VIII. *De Vitiis in Genere.* p. 23.


## DISPUTATIO II.


De Fidei Notione & Objecto. pag. 25.

QUÆST. I. *Quid sit Fides?* ibid.
QUÆST. II. *De Objecto Materiali Fidei.* pag. 26.
QUÆST. III. *De Objecto formali, ultimaque Resolutione Fidei.* pag. 27.
QUÆST. IV. *An vel qualiter ad Objectum formale Fidei spectet Revelatio?* p. 30.


## DISPUTATIO III.


De Veritate & Obscuritate Objecti Fidei? pag. 33.

QUÆST. I. *An Deus per se vel per alium possit Mentiri.* ibid.
QUÆST. II. *An Deus possit se Solo infundere Habitum vel Actum erroris?* pag. 35.
QUÆST. III. *An Deus uti possit verbis ambiguis & obscuris?* pag. 37.
QUÆST. IV. *An Objectum Fidei debeat esse Obscurum?* pag. 38.
QUÆST. V. *An dabilis sint Evidentia Revelationis, & an Repugnet Fidei?* pag. 42.
QUÆST. VI. *An & Quomodo Mysteria Fidei nostræ sint evidenter credibilia?* p. 45.


## DISPUTATIO IV.


De Scriptura Sacra & Traditionibus. pag. 47.

QUÆST. I. *De Scripturis seu libris Canonicis & Apocryphis.* ibid.
QUÆST. II. *De Scriptoribus sacris, modo ac Stylo scriptionis.* pag. 53.
QUÆST. III. *De Infallibilitate Scripturæ, Multiplicique Editione, præsertim Vulgatâ.* pag. 56.
QUÆST. IV. *De Sensibus & Interpretatione sacræ Scripturæ.* pag. 61.
QUÆST. V. *De Traditionibus.* pag. 63.

## DISPVTATIO V.

### De Ecclesia, Conciliis & Symbolis. pag.69.


QUÆST. I. *Quid sit Ecclesia, & ex quibus Constet?* ibid.
QUÆST. II. *De Indefectibilitate Ecclesiæ.* pag. 74.
QUÆST. III. *De Visibilitate Ecclesiæ.* pag. 77.
QUÆST. IV. *De Notis veræ Ecclesiæ.* pag. 79.
§. I. *Quantum sit Pondus quæstionis.* ibid.
§. II. *Quas Notas Ecclesiæ effingant Novatores.* pag.80.
§. III. *Prima Ecclesiæ Nota, quod sit* Vna. pag. 81.
§. IV. *Secunda Ecclesiæ Nota, quod sit* Sancta. pag.83.
§. V. *Tertia Ecclesiæ Nota, quod sit re & nomine* Catholica. pag.86.
§. VI. *Quarta Ecclesiæ Nota, quod sit* Apostolica. pag.88.
QUÆST. V. *An Iudicium Ecclesiæ sit Necessaria Fidei Regula?* pag.94.
QUÆST. VI. *Quid, Quotuplex Concilium, Quorum sit Indicere, Præsidere, Comparere?* pag.98.
QUÆST. VII. *De Vtilitate, Infallibilitate & Auctoritate Conciliorum.* pag.102.
— *Concilia Generalia approbata.* p.107.
— *Concilia Generalia reprobata.* p.108.
— *Concilia partim approbata, partim reprobata.* ibid.
QUÆST. VIII. *De Symbolis Ecclesiæ.* pag. 110.


## DISPVTATIO VI.

### De Summo Pontifice. pag.111.


QUÆST. I. *An S. Petrus fuerit Christi Vicarius & Supremum Caput Vniversalis Ecclesiæ?* ibid.
QUÆST. II. *An Pontifex Romanus sit Successor Petri, in Regimine Vniversalis Ecclesiæ?* pag.117.
QUÆST. III. *De Electione, Denuntiatione, ac Depositione Romani Pontificis.* p.124.
QUÆST. IV. *De Infallibilitate Pontificis in Definiendo.* pag.128.


## DISPVTATIO VII.

### De Habitu, & Interno Actu Fidei. pag.137.


QUÆST. I. *De Habitu Fidei.* ibid.
QUÆST. II. *An Actus Fidei Theologicæ sit Discursivus & liber?* pag.139.
QUÆST. III. *De Veritate & Certitudine Assensus Fidei.* pag.142.
QUÆST. IV. *An Fides actualis sit ad Salutem Necessaria?* pag.145.
QUÆST. V. *Quorum Fides sit Necessaria Necessitate Medii?* pag.147.
QUÆST. VI. *Quorum Fides seu Notitia explicita sit Necessaria ex Præcepto?* p.150.


## DISPVTATIO VIII.

### De Externo Actu seu Confessione Fidei. pag.156.


QUÆST. I. *An Confessio Externa sit Actus Fidei, & Quando Obliget?* ibid.
QUÆST. II. *De Præcepto Negativo Confessionis Fidei?* pag.160.
QUÆST. III. *Qualiter licitum sit Occultare seu dissimulare Fidem?* pag.163.


## DISPVTATIO IX.

### De Infidelitate. pag.167.


QUÆST. I. *Quotuplex, & Quam grave peccatum sit Infidelitas.* ibid.
QUÆST. II. *Quid requiratur ad formalem, & perfectam Infidelitatem, signanter Hæresim?* pag.169.
QUÆST. III. *An sit cum Infidelibus de Fide Disputandum?* pag.172.
QUÆST. IV. *An, vel Qualiter possint Infideles cogi ad Fidem Christianam suscipiendam?* pag.174.
QUÆST. V. *An Infideles sint cogendi, ut Errores & Vitia contra Naturam relinquant?* pag.177.
QUÆST. VI. *An Infidelibus competat Dominium in Fideles, Eove privari possint?* pag.179.
QUÆST. VII. *Quæ Communicatio cum Infidelibus sit licita Christianis?* p.180.


QUÆST.

QUÆST. VIII. *Qualiter sit Prohibita lectio librorum Hæreticorum?* pag. 182.
QUÆST. IX. *De Pœnis Infidelium signanter Hæreticorum.* pag. 186.

DISPVTATIO X.

De Virtute Spei Theologicæ, Vitiisque Oppositis. pag. 189.

QUÆST. I. *Quid Spes, Qualis Virtus, Quod Objectum?* ibid.
QUÆST. II. *De Spei à Fide & Charitate Distinctione, & Certitudine.* pag. 192.
QUÆST. III. *De Objecto, Præcepto, & Actibus Spei.* pag. 193.
QUÆST. IV. *De Timore.* pag. 195.
QUÆST. V. *De Desperatione.* pag. 198.
QUÆST. VI. *De Præsumptione.* pag. 200.

DISPVTATIO XI.

De Charitate, ejusque Præcepto & Ordine. pag. 201.

QUÆST. I. *An Charitas sit Virtus, veraque Amicitia cum Deo?* ibid.
QUÆST. II. *An vel Qualiter Charitas possit Augeri, Minui & Destrui?* pag. 203.
QUÆST. III. *An eadem, aut Æqualis sit Charitas Viæ & Patriæ?* pag. 206.
QUÆST. IV. *De Objecto Materiali & Formali Charitatis.* pag. 207.
QUÆST. V. *De Præcepto Charitatis Dei.* pag. 209.
QUÆST. VI. *De Præcepto Dilectionis Proximi, præsertim Inimici.* pag. 212.
QUÆST. VII. *De Ordine Charitatis Sui-ipsius, & Proximi.* pag. 217.
QUÆST. VIII. *De Ordine Charitatis inter Proximos servando.* pag. 219.

DISPVTATIO XII.

De Effectibus Charitatis, præsertim Eleemosyna & Correptione Fraterna. pag. 221.

QUÆST. I. *De Effectibus Charitatis, & Operibus Misericordiæ in Communi.* ibid.
QUÆST. II. *Quid Eleemosyna, cujus Utilitatis, Qui eam dare possint, & Quibus?* p. 224.
QUÆST. III. *An & Quando, seu Qualiter Obliget præceptum Eleemosynæ?* p. 226.
QUÆST. IV. *Quid Correptio Fraterna, An, Quos & circa Quod Objectum Obliget?* p. 232.
QUÆST. V. *Quæ sint Conditiones, & Quis Ordo Obligatoriæ Correptionis?* pag. 234.

DISPVTATIO XIII.

De Vitiis Oppositis Charitati. pag. 237.

QUÆST. I. *De Odio.* ibid.
QUÆST. II. *De Acedia.* pag. 239.
QUÆST. III. *De Invidia.* pag. 241.
QUÆST. IV. *De Discordia, Contentione & Schismate.* pag. 242.
QUÆST. V. *De Bello.* pag. 245.
§. I. *Quid, Quotuplex sit Bellum, & An licitum?* ibid.
§. II. *Quæ sint Conditiones Injusti & liciti Belli?* pag. 246.
§. III. *De Modo Observando in Gerendo Bello.* pag. 251.
QUÆST. VI. *De Duello.* pag. 253.



INDEX TRACTATUUM.

# TRACTATUS II.

## DE

# VIRTUTIBUS CARDINALIBUS,

## AC PRÆSERTIM

## DE

# IVSTITIA ET IVRE.

### DISPVTATIO I.


De Prudentia, & Vitiis Oppositis. pag.256.

QVÆST. I. *Quid sit Prudentia, Quod ejus Officium, Quæve Partes?* ibid.
QUÆST. II. *De Vitiis Prudentiæ Oppositis.* pag.259.


### DISPVTATIO II.


De Temperantia, ejusque Partibus & Vitiis Oppositis. p.261.

QUÆST. I. *Quid sit Temperantia, & quæ Vitia Opposita?* ibid.
QUÆST. II. *De Verecundia, Honestate, & Castitate.* pag.262.
QUÆST. III. *De Vitiis Oppositis Castitati.* pag.264.
QUÆST. IV. *De Abstinentia, Sobrietate, Vitiisq; Oppositis.* pag.268.
QUÆST. V. *De Iejunio Ecclesiastico.* p.272.
QUÆST. VI. *De Partibus Potentialibus Temperantiæ, vitiisq; Oppositis.* p.277.


### DISPVTATIO III.


De Fortitudine ejusq; Partibus, & Vitiis Oppositis. pag.281.

QUÆST. I. *Quid sit Fortitudo, Quod ejus Officium, Quæ Vitia Opposita?* ibid.
QUÆST. II. *Quæ sint Partes Fortitudinis, Quæve Vitia Opposita?* p.282.


### DISPVTATIO IV.


De Iustitia & Iure in Communi, ac Iuris Speciebus. p.284.

QUÆST. I. *Quid Iustitia & Ius?* ibid.
QUÆST. II. *De Divisionibus Iustitiæ & Iuris.* pag.285.
QUÆST. III. *De Variis Speciebus juris.* p.287.
§. I. *De Dominio.* ibid.
§. II. *De Vsufructu.* p.289.
§. III. *De Vsu, Habitatione, Servitutibus, Pignore & Hypotheca.* p.290.
§. IV. *An Vsus possit separari à Dominio in rebus etiam uno actu consumptibilibus?* pag.291.
§. V. *De Possessione.* pag.295.
QUÆST. IV. *Quibus generatim competat Dominium, & in Quæ?* pag.297.
QUÆST. V. *De Peculio Filiorum familias & Servorum.* pag.300.
QUÆST. VI. *An vel Quorum Religiosi habeant Dominium.* pag.303.
QUÆST. VII. *An Clerici Sæculares habeant Dominium; Præsertim Fructuum Beneficii?* pag.305.
QUÆST. VIII. *De Variis Modis Acquirendi Dominium.* pag.307.
QUÆST. IX. *De Vsucapione & Præscriptione.* pag.312.


### DISPVTATIO V.


De Injuria & Restitutione in Communi. pag.317.

QUÆST. I. *Quid Injustitia sive Injuria?* ibid.
QUÆST. II. *Quid Restitutio, Quam necessaria, & ex Quo Capite?* p.319.
QUÆST. III. *Ex qua Culpa oriatur Obligatio Re-*

tio Restituendi damnum? pag.320.

DISPVTATIO VI.

De Injuriis in Bonis Animi & Corporis, ac Restitutione necessaria. pag.324.

QUÆST. I. *De Injuriis in Bonis Animi, & Restitutione.* ibid.
QUÆST. II. *An licitum sit Occidere vel Mutilare Seipsum?* pag.325.
QUÆST. III. *An licitum sit Occidere Proximum Innocentem?* pag.328.
QUÆST. IV. *An & Qualiter liceat Occidere Malefactores, Tyrannum, vel Patri aut Marito deprehensos in adulterio?* pag. 330.
QUÆST. V. *An liceat Occidere Injustum Invasorem?* pag.331.
QUÆST. VI. *Quæ Restitutio Necessaria ratione Homicidii, vel Mutilationis?* p.335.
QUÆST. VII. *De Injuriis in Corpus Proximi, per Stuprum & Adulterium, ac necessaria Restitutione.* pag.338.

DISPVTATIO VII.

De Injuriis in Fama & Honore, ac Necessaria Restitutione. p. 341.

QUÆST. I. *De Iudicio Temerario.* ibid.
QUÆST. II. *Quid & Quale Peccatum sit Detractio.* pag.343.
QUÆST. III. *An, vel Quando liceat Imponere sibi Crimen Falsum?* p.347.
QUÆST. IV. *Quomodo liceat revelare Crimen Proximi ad malum proprium vel tertii evitandum?* pag.348.
QUÆST. V. *An Publicitas Criminis excuset à Peccato Detractionis?* p.350.
QUÆST. VI. *De Restitutione Famæ.* p.352.
QUÆST. VII. *De Restitutione Honoris.* p.354.

DISPVTATIO VIII.

De Injuriis in bonis Fortunæ ac Restitutione. pag.355.

QUÆST. I. *Quid Furtum, An & Quando sit Peccatum grave?* ibid.
QUÆST. II. *Quo modo debeat fieri Restitutio Ratione Furti?* pag.359.
QUÆST. III. *De Cooperantibus ad Furtum vel Damnum, ac Obligatione consequenter Restituendi?* pag.361.
§. I. *An pecceni Cooperantes, & Quot sint?* ibid.
§. II. *De Mandante.* ibid.
§. III. *De Consulente.* p.362.
§. IV. *De Consentiente.* p.364.
§. V. *De Palpone & Receptatore.* ibid.
§. VI. *De Participante.* p.365.
§. VII. *De Cooperantibus Negativè.* ibid.
§. VIII. *Quo Ordine teneantur Cooperantes Restituere?* p.367.
QUÆST. IV. *De Restitutione facienda ratione Rei Acceptæ.* pag.368.
QUÆST. V. *Quo Ordine & Modo sit facienda Restitutio?* pag.370.
QUÆST. VI. *Quo loco, Cujus onere, Quomodo, Quando facienda Restitutio?* p.374.
QUÆST. VII. *Quæ Causæ excusent à Restitutione?* p.376.

# TRACTATUS III.

## DE CONTRACTIBUS, IUDICIIS, ET OFFICIIS IUSTITIÆ DISTRIBUTIVÆ.

DISPVTATIO I.

De Contractibus in Communi. pag. 383.

QUÆST. I. *Quid sit Pactum, Quid Contractus, & Quotuplex?* ibid.
QUÆST. II. *An ad Contractum validum requiratur consensus verus, legitimè expressus, liber à Dolo & Metu?* pag.386.
QUÆST. III. *Quinam Contrahere possint, & in Integrum Restitui?* p.391.
QUÆST. IV. *Quibus Modis Contractus firmentur?* pag.396.

## DISPVTATIO II.

De Promissione, Donatione, & Ultimis Voluntatibus. p.399.

QUÆST. I. *Quid sit Promissio & Donatio, & Qualiter acceptanda.* ibid.
QUÆST. II. *Qualiter Promissio Obliget?* p. 403.
QUÆST. III. *Quinam, Quantum Donare, & quâ de Causa Donationem revocare possint?* pag.404.
QUÆST. IV. *De Testamentis sive Vltimis Voluntatibus.* pag.406.

## DISPVTATIO III.

De Mutuo, Usura & Cambiis. pag. 413.

QUÆST. I. *Quid Mutuum, Quid Vsura & qualiter Prohibita?* ibid.
QUÆST. II. *Quibus ex Titulis liceat Mutuanti accipere ultra sortem?* pag.419.
QUÆST. III. *An Montes Pietatis sint Immunes ab Vsura?* pag.421.
QUÆST. IV. *De Pœnis Vsurariorum & Cooperatoribus eorum.* pag.424.
QUÆST. V. *De Cambiis.* pag.426.

## DISPVTATIO IV.

De Emptione-venditione, Censibus & Societate. pag.430.

QUÆST. I. *Quid Emptio-venditio, & Quibus modis ineatur?* ibid.
QUÆST. II. *Quo Pretio res vendi possint?* pag. 432.
QUÆST. III. *An Vitium mercis à venditore, & valor ab Emptore sint aperienda?* p. 436.
QUÆST. IV. *De Monopoliis.* pag.439.
QUÆST. V. *De Periculo & Commodo rei venditæ, pactisque apponi solitis.* p.440.
QUÆST. VI. *De Censibus, seu Reditibus annuis.* pag.443.
QUÆST. VII. *De Contractu Societatis.* pag. 447.

## DISPVTATIO V.

De Locato-conducto, Emphyteusi & Reliquis Contractibus. pag.450.

QUÆST. I. *De Locatione-conductione.* ibid.
QUÆST. II. *De Emphyteusi & Feudo.* pag. 453.
QUÆST. III. *De Commodato, Deposito, Mandato.* pag.459.
QUÆST. IV. *De Assecuratione & Sponsione.* pag. 461.
QUÆST. V. *De Ludo.* pag.463.

## DISPVTATIO VI.

De Iudiciis publicis. pag.465.

QUÆST. I. *Quid Iudicium, Quæve ad ejus Iustitiam requirantur?* ibid.
QUÆST. II. *De Modis Procedendi in Iudiciis, Præsertim ex Officio.* pag.468.
QUÆST. III. *De Accusatore & Testibus.* p. 472.
QUÆT. IV. *De Reo & Advocato.* p.474.

## DISPVTATIO VII.

De Officiis Iustitiæ Distributivæ. pag.478.

QUÆST. I. *De Acceptione Personarum, signanter circa distributionem Officiorum sæcularium.* ibid.
QUÆST. II. *Quid Beneficium Ecclesiasticum, Protuplex, quibus Modis conferatur, & per Quos?* pag.480.
QUÆST. III. *Quibus conferenda sint Beneficia?* pag.483.
QUÆST. IV. *De Obligationibus Beneficiorum.* pag.488.
QUÆST. V. *Quibus Modis Beneficia amittantur?* pag.491.
QUÆST. VI. *De Oneribus Vectigalium, seu Tributorum.* pag.493.

TRACTA-

# TRACTATUS IV.

## DE

# RELIGIONE.

## DISPVTATIO I.

### De Virtute Religionis in Communi. pag.497.

QUÆST. I. *Quid & Quotuplex sit Virtus Religionis?* ibid.
QUÆST. II. *Quid & Quotuplex sit Devotio? Quæ ejus Causa, Effectus & Impedimenta?* pag.499.
QUÆST. III. *Quid & Quotuplex Oratio & qualiter necessaria ac præcepta?* ibid.
QUÆST. IV. *Quibus Competat Orare? pro Quibus, & Quæ?* pag.501.

## DISPVTATIO II.

### De Horis Canonicis.

QUÆST. I. *Quid & Quotuplex Horæ Canonicæ? Item qui & qualiter ad eas obligentur?* pag.503.
QUÆST. II. *Quâ Formâ Recitandæ sint Horæ Canonicæ?* pag.504.
QUÆST. III. *Quo Ordine, tempore & loco, Qua voce & habitu sint Horæ Canonicæ recitandæ?* pag.505.
QUÆST. IV. *De Studio & Devotione in Recitatione Horarum Requisitis.* p.507.
QUÆST. V. *De Causis à Recitatione Horarum Excusantibus.* pag.508.

## DISPVTATIO III.

### De Reverentia debita Festis & locis Sacris. Item de decimis Primitiis & Oblationibus p. 510.

QUÆST. I. *Quid dies Festi? A quo Instituti? Et quid in iis fieri Præcipiatur?* ibid.
QUÆST. II. *De Operibus, tum Servilibus, tum Liberalibus, in die Festo prohibitis.* pag. 511.
QUÆST. III. *De Causis ab Observatione Festorum excusantibus.* pag.513.
QUÆST. IV. *Quid locus Sacer, & quid in eo fieri prohibeatur?* pag.514.
QUÆST. V. *Quæ, & quibus locis competat Immunitas? Quæ Personæ eâ gaudeant, & quos habeat Effectus?* pag.515.
QUÆST. VI. *In quibus casibus locum habeat Immunitas Ecclesiastica, & in quibus non?* pag. 516.
QUÆST. VII. *De decimis, Primitiis & Oblationibus.* pag.517.

## DISPVTATIO IV.

### De Voto. pag.519.

QUÆST. I. *Quid & Quotuplex sit Votum?* ibid.
QUÆST. II. *De Materia Voti.* p.520.
QUÆST. III. *De Obligatione Voti.* p.521.
QUÆST. IV. *De Cessatione Voti per Irritationem.* pag.523.
QUÆST. V. *De Commutatione Voti.* p.525.
QUÆST. VI. *De Dispensatione Voti.* p.526.

## DISPVTATIO V.

### De Statu Religioso. pag.529.

QUÆST. I. *De Requisitis ad Statum Religiosum.* ibid.
QUÆST. II. *De Religionum Diversitate, Perfectione, & qui eas ingredi possint?* pag. 530.
QUÆST. III. *De Requisitis ad Valorem Professionis.* pag.531.
QUÆST. IV. *Quibus Modis Tridentinum consulat libertati Professionis?* pag.533.
QUÆST. V. *Quos Effectus habeat Novitiatus & Professio Religiosa?* pag.534.
QUÆST. VI. *Ad quid vi Voti Obedientiæ teneatur Professus & specialiter Franciscanus?* pag.535.

QUÆST.

QUÆST. VII. *Quid operetur in Religiosis, specialiter Franciscanis Votum Castitatis?* pag. 537.
QUÆST. VIII. *Quos Effectus habeat Votum paupertatis Religiosæ, signanter Franciscanæ?* pag. 538.
QUÆST. IX. *Quale Peccatum sit Proprietas? Quæ licentia ab ea excuset? Et quæ Proprietariorum Pœnæ.* pag. 540.
QUÆST. X. *De Religiosis ad aliam Religionem transeuntibus. Item de Ejectis, Fugitivis, & Apostatis.* p. 542.

## DISPVTATIO VI.

### De Iuramento & Adjuratione. pag. 544.

QUÆST. I. *Quid Iuramentum, Quotuplex & an licitum?* ibid.
QUÆST. II. *Quænam sint Iuramenti Comites & an ejus obligatio sit personalis?* pag. 545.
QUÆST. III. *Quando & Quomodo peccetur in Iuramento Promissorio?* p. 546.
QUÆST. IV. *Quænam sit Obligatio Iuramenti Promissorii?* p. 547.
QUÆST. V. *De Cessatione Iuramenti Perjurio ejusq; Pœnis.* pag. 548.
QUÆST. VI. *De Adjuratione.* pag. 549.

## DISPVTATIO VII.

### De Superstitione. pag. 551.

QUÆST. I. *De Superstitione in Genere & prima ejus Specie Idololatria.* ibid.
QUÆST. II. *De Divinatione ejusq; Speciebus.* pag. 552.
QUÆST. III. *De Vana Observantia.* p. 553.
QUÆST. IV. *Quid & Quotuplex Magia & quæ ejus Fundamenta?* pag. 554.
QUÆST. V. *An liceat tollere signa Magica eo fine ut Dæmon nocere desinat?* p. 555.

## DISPVTATIO VIII.

### De Irreligiositate. pag. 557.

QUÆST. I. *De Tentatione Dei.* ibid.
QUÆST. II. *De Sacrilegio.* pag. 558.
QUÆST. III. *De Blasphemia.* ibid.

## DISPVTATIO IX.

### De Simonia. pag. 560.

QUÆST. I. *Quid & Quotuplex Simonia.* ibid.
QUÆST. II. *Qualiter committitur Simonia Iuris Divini?* pag. 561.
QUÆST. III. *Qualiter committatur Simonia Iuris Humani?* pag. 563.
QUÆST. IV. *Quas Pœnas Iuris inducat Simonia?* pag. 564.
QUÆST. V. *An Simoniacè accepta debeant dimitti aut restitui, & Cui?* p. 565.

## DISPVTATIO X.

### De Reliquis Virtutibus Iustitiæ Annexis. pag. 567.

QUÆST. I. *De Pietate & Observantia.* ibid.
QUÆST. II. *De Obedientia & Inobedientia.* pag. 568.
QUÆST. III. *De Gratitudine & Vindicatione.* pag. 570.
QUÆST. IV. *De Veritate & Mendacio.* pag. 572.
QUÆST. V. *De Affabilitate & Liberalitate.* pag. 574.




PRÆFA-

# PRÆFATIO.

PErtractatis in Parte præcedenti ijs, quæ D. Thomas in Prima Secundæ explicat, Fine videlicet Ultimo, medijsq; eo conducentibus vel ab illo avertentibus (quæ sunt actus boni & mali, seu meritorij & demeritorij) eorumq; regulis & principijs: in hac Tertia Parte agendum erit de ijs, quæ D. Thomas Secunda Secundæ tractat, nimirum de Virtutibus & Vitijs singillatim, quæq; ob abundantiam materiæ specialem sibi Theologiæ partem meritò vendicant; præmittuntur commodissimè & juxta ordinatam methodum Disputationem de Virtutibus & vitijs in genere; quamquam de his D. Thomas in Prima Secundæ egerit. Estq; notitia hujus materiæ cuivis Theologo & curam animarum habenti utilissima: etsi quoque ad Ethicam seu Philosophiam moralem spectet notitia Virtutum & Vitiorum moralium, quatenus consonant aut dissonant præcisè rectæ rationi; & non quatenus respectum dicunt ad supernaturalem beatitudinem; prout neque ad illam spectat tractatio de Virtutibus infusis, sive Theologicis, de quibus hîc ex professo tractatur.

Hanc itaque Partem secabimus in qnatuor Tractatus. Et in primo quidem de Virtutibus in communi, & de tribus Theologicis in speciali: in secundo de quatuor Virtutibus Cardinalibus: in tertio de Contractibus, in quarto denique de Religione & aliis Virtutibus Justitiæ affinibus, quantâ fieri poterit claritate & brevitate, Deo opitulante, agemus.

## DISPUTATIO PRIMA.

### De Virtutibus & Vitijs in Communi.

### QUÆSTIO I.

#### Quid sit Virtus?

1. Variæ acceptiones Virtutis.

VIrtutis nomen variè sumitur. Primò pro quacumque perfectione, præsertim si in facultate aliquid faciendi consistat; ut *Psal.* 32. *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, cælorum scilicet. Simili sensu Philosophus 2. *Eth.* 6. *in princ.* describens Virtutem esse, *quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum*, virtutem visivam, & virtutem equi ad currendum, pro exemplis posuit.

Secundò sumitur pro effectu facultatis operativæ, præsertim excellentis, ut *Marci* 6. *Non poterat ibi virtutem ullam facere.* Aut pro fructu alicujus potentiæ seu facultatis generatim. *Joëlis* 2. *Lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederunt virtutem.*

Tertiò sumitur pro principio permanente potentiam proximè inclinante ad bene operandum. Prout virtutes intellectuales inclinant intellectum ad benè intelligendum

dum seu cognoscendum; morales ad bene moraliter operandum.

*Virtus moralis propriè Virtus.*

Quartò sumitur pro Virtute morali generatim dictâ: quæ sola est propriè Virtus, ceteræ autem tantùm analogicè: eò quòd non faciant hominem simpliciter bonum, sed solùm bene intelligentem: simpliciter autem bonum efficiunt, quæ dant bonum usum liberi arbitrii, unde homo simpliciter bonus dicitur; prout faciunt Virtutes morales. Est itaque Virtus moralis, principium permanens, sive habitus ex se inclinans potentiam seu voluntatem ad actionem moraliter honestam. Quo nomine consequenter intelligitur sola virtus voluntatis: quamquam adhuc quodam sensu eo gaudere possit prudentia & fides infusa, etsi alioquin Virtutes intellectuales: eò quòd nimirum necessariæ sint, proximèque dirigant voluntatem, ad hoc, ut ipsa bene moraliter operetur, sive naturaliter, sive supernaturaliter.

2. *Ejus descriptio apud Scholasticos vulgata examinatur.*

Solet autem Virtus moralis definiri à Theologis ex *Augustino l. 2. de lib. arbit. c. 18. & 19. & 1. Retract. c. 9.* Bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nemo malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Verùm nisi postrema particula omittatur, non continebitur Virtus moralis acquisita, sed sola infusa; quam solam videlicet Deus operatur in nobis sine nobis physicè coefficientibus. Neque ista particula in locis citatis *Augustini* legitur: qui proinde *c. 18. cit. in fine*, reliqua verba applicat etiam Virtutibus Cardinalibus, dicens: *Nam neque prudentiâ, neque fortitudine, neque temperantiâ malè quis utitur: in his enim omnibus, sicut in ipsa etiam, quam tu commemorasti, justitia, rectè ratio viget, sine qua virtutes esse non possunt: rectâ autem ratione malè uti nemo potest.* Aliàs autem eadem particula solet etiam applicari gratiis prævenientibus liberum arbitrium, quas Deus operatur in nobis sine nobis; supple, liberè cooperantibus.

3. *Ejusdem vulgata ex Philosopho definitio.*

Alia eaque vulgata definitio Virtutis moralis sumitur ex Philosopho 2. *Eth. 6.* quæ talis est: Habitus electivus in mediocritate consistens; quæ quidem mediocritas à recta ratione præfinita sit. Ubi per habitum electivum intelligitur habitus voluntatis; uti ipsa voluntas solet vocari potentia elective, etsi alioquin sit etiam apta intendere. Mediocritas ad rationem Virtutis requiritur ab omnibus Theologis. Unde est vulgatum istud: *Virtus consistit in medio.* Nimirum quia non potest declinare in excedens aut deficiens. Ad quod confirmandum adduci solet illud *Deuteron. 5. Custodite igitur & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis. Non declinabitis neque ad dexteram* (scilicet per excessum) *neque ad sinistram* (scilicet per defectum) *sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester.* Conformia habentur *Proverb. 4.* & *Isaiæ 30.* Debet porrò mediocritas hæc sive modus & limes certus præfiniri seu proponi per rectam sive prudentem rationem: *Sine quâ Virtutes esse non possunt*, ut ait *August. sup.* Ut proinde Seraphicus Pater Fr. Franciscus (teste *S. Bonaventurâ c. 5. Legendæ*) dixerit Prudentiam seu discretionem esse aurigam virtutum; sine qua nimirum virtutes sunt vitia.

*Virtus consistit in medio.*

*Præfiniendo per prudentiam.*

*Quæ dicitur Auriga Virtutum.*

Mediocritas autem sive medium virtutis, etsi semper proponi debeat per rationem rectam, aliud tamen appellari solet medium rei, aliud rationis. Illud est, quod ex natura rei ita taxatum est, ut in omnibus sit omnino idem: hoc verò, quod non ita determinatum est, sed variatur ex diversis conditionibus & circumstantiis personarum operantium, atque adeò taxatur per rationem juxta particularem cujusque operantis dispositionem. Ob quod taxatio tribuitur rationi, etsi ipsa debeat medium expendere ex circumstantiis, quæ in ipsa re sunt: non enim tale est, quia ratio dictat; sed potiùs ideo ratio dictat, quia est tale in re.

4. *Medium aliud rei, aliud rationis.*

5. *Medium rei habet justitia commutativa.*

Medium rei habet justitia commutativa, nempe reddere cuique præcisè quod suum est, sive statuere vel conservare æqualitatem rei ad rem: quod medium per se loquendo est idem in omnibus. Estque id non solùm verum de redditione debiti, sed eti m de permutatione rerum; quod est contra *Franciscum Felix c. 4. de Virtut. disp. 1. n. 6.* Quàmvis enim in medio commutationis sive potiùs in pretio rerum sit quædam latitudo, ob quam pretium justum & vulgare non consistit in indivisibili, sed ejus justitia taxatur omnibus consideratis per prudentem rationem (quod solum vult *Scotus 4. d. 15. q. 2. n. 15.*) hoc ipsum tamen medium statuitur per se loquendo ex comparatione rei ad rem independenter ab his vel illis personis operantibus, v. g. non considerando, an persona emens aut vendens sit dives, aut pauper, sed qualitatem mercis & pretii; quod proinde cum sua latitudine est idem respectu omnium. Medium rationis habet Temperantia & Fortitudo. Nam quantitas cibi & potus, quæ hoc tempore aut in hac persona est medium proportionatum, potest alio tempore vel in alia persona esse excedens vel deficiens. Similiter contingit in Fortitudine, quæ postulat aggressionem vel fugam periculorum, juxta quod recta ratio dictaverit, attentâ gravitate rationum, & perpensis viribus operantis; ideoque periculum idem aggredi in uno exigit, in alio vetat Fortitudo. Unde in definiendo hoc medio velut magis occulto & indeterminato quantùm ad cognitionem, facilè erratur: etsi suppositâ bonâ fide, & ignorantiâ veri medii, actio operantis sit formaliter bona. Quale autem medium ceteræ virtutes morales habeant ex earum speciali conditione & natura dijudicari debet.

*Etiam in permutatione rerum.*

*Medium rationis habet temperantia & fortitudo.*

*In quo præfiniendo facilius erratur.*

6.

Advertendum quoque, medium ratio-

nis

*Non consistit in indivisibili.*

non semper consistere in indivisibili: qui enim v.g. temperans est comedendo tot uncias panis, non statim fit intemperans, si paulò amplius, vel insensibilis, si paulò minùs comedat. Deinde extrema, inter quæ consistit Virtus moralis, ordinariè quidem sunt vitiosa, ut patet in materia Temperantiæ, Fortitudinis, Liberalitatis &c. non tamen semper, quin saltem excessus possit esse non malus, aut etiam laudabilis, v.g. in justitia: qui enim ex justitia debet v. g. centum, si excedat seu plus det, eatenus quidem non exercet actum justitiæ; tamen non necessariò peccat, quin immo potest bene agere, excedendo v. g. actum liberalitatis, aut misericordiæ. Quòd si quis uni tantum daret ultra debitum, ut impotentem se per hoc redderet ad solvendum alia debita, is non peccaret contra justitiam excedendo, sed potiùs deficiendo, scilicet respectu aliorum. Itaque etiamsi Virtus moralis dici potest habere medium inter duo extrema, quatenus tendit in aliquam determinatam materiam sub certa scilicet latitudine, ut saltem, si minus vel amplius fiat, non exerceatur actus talis virtutis: ac insuper pleræque habent medium consistens inter duo extrema vitiosa, quæ videlicet ex natura rei apparent indecentia.

*Est ordinarie, nō semper inter extrema vitiosa.*

7. *Virtutes Theologicæ qui consistant in medio.*

Quod attinet Virtutes Theologicas (quas *Aristoteles* non agnovit) etiam hæ aliqualiter consistunt in medio, ut docent passim Theologi cum *D. Thoma & Scoto* 3. *d.* 26. *n.* 24. Non quidem ex parte objecti secundùm se, cùm illud sit Deus, cui, quantum est ex se, non potest nimium credi, ob infinitam ejus veracitatem: quem similiter non possumus nimium concupiscere, ob infinitam ejus desiderabilitatem: quem denique non possumus nimium diligere ob infinitam ejus bonitatem & perfectionem; ita ut rectè *Bernardus in princip. Libri de diligendo Deo* dixerit: *Modus diligendi Deum est sine modo diligere.* Habent tamen aliquo modo medium ex parte actûs; sive, ut loquitur *D. Thomas*, per accidens: nam potest in illis excedi vel deficiendo. Excedi quidem, credendo aliquid Deo convenire quod non convenit, aut credendo nimis leviter: sperando, seu potiùs præsumendo beatitudinem consequi sine meritis, aut ex propriis viribus, vel sperando Deum comprehendere: diligendo perfectionem falsò existimatam Deo competere, aut sic solum Deum diligendo, ut odio habeatur creatura. Potest autem defici, dum non creditur, speratur, vel diligitur, quando est præceptum: item discredendo pertinaciter, desperando, Deum odio habendo.

8. *Completa ratio Virtutis exigit seu competit prudentiam.*

Circa rationem Virtutis docet insuper *Scotus* 1. *d.* 17. *q.* 3. *n.* 13. & 14. completam rationem Virtutis non consistere in solo habitu virtuoso, quatenus est quædam qualitas, sed insuper quatenus coexistit seu connotat prudentiam: quemadmodum ipse actus virtuosus seu bonus ultra substantiam actûs; prout est quædam qualitas, requirit ad bonitatem, quòd coexistat cum prudentia seu dictamine illius. Ita *Scotum* rectè intellexit *Vasquez disp.* 84. *c.* 1. etsi *Valentia, Malderus*, & plures alii eum aliter & malè intellexerint, quasi voluisset *Scotus* Virtutem non esse essentialiter habitum, sed tantùm relationem quamdam ad prudentiam, cujus ipse habitus sit fundamentum; quod à mente *Scoti* est planè alienum; ut inspicienti verborum cōtextum satìs patere potest. Ratio hujus doctrinæ est, quòd completa ratio Virtutis non possit inclinare in malum; eò quòd nemo malè Virtute utatur, juxta *Augustinum l.* 2. *de lib. arbit. c.* 18. & 19. & Doctores communiter: habitus autem virtuosus, quatenus est quædam qualitas, potest inclinare in malum, ut contra *D. Thomam* & plerosque alios docet *Scotus*, *Arriaga disp.* 33. *sect.* 1. *subsect.* 2. & valde inclinat *Vasquez sup. c.* 2. & probabile censent varii Recentiores. Quam doctrinam satìs insinuat ipse *Augustinus sup.* dum in verbis ibi prolatis totam impotentiam malè utendi Virtute refert in concursum rectæ rationis, dicens: *In his enim omnibus rectè ratio viget, sine qua Virtutes esse non possunt: rectâ autem ratione nemo malè uti potest.*

9. *Sine qua posse habitum virtuosum inclinare in malum, ostenditur.*

Habitum porrò Virtutis posse interdum inclinare in malum, probatur: quia etsi habitus virtuosus ordinariè & per se natus sit inclinare in actus virtuosos, sive elicitos juxta medium verum Virtutis & rectam rationem: idem tamen quoad entitatem potest per accidens inclinare, non solùm in actum non bonum; v. g. deficiente libertate, sed etiam in actum verè malum.

Quod patet primò: nam qui assuevit aliquibus operationibus bonis, v.g. orationi, meditationi, jejunio &c. Experitur in se magnam inclinationem ad illas, etiam postquam mutato rerum statu ei sunt prohibitæ: hæc autem inclinatio provenire debet à præcedenti habitu virtuoso; cùm ex inclinatione potentiæ, quam experimur, dari habitus colligamus.

Confirmatur exemplo habituum vitiosorum: qui enim diu assuevit furari propter luxuriam, eo fine cessante manet adhuc facilis & inclinatus ad furta. Qui assuevit ludere sine pecunia, manet ad lusum inclinatus etiam positâ pecuniâ & damno familiæ. Denique qui in sæculo assuevit studere ab vanam gloriam, eo fine in Religione mutato in alium honestum, adhuc erit indubiè ad studia propensior, quàm si nullum habitum studendi habuisset.

Itaque habitus sic inclinat ad objectum motivum seu formale, sub quo cœpit objectum materiale amari, ut ad hoc facilitet, etiam motivo cessante. Ac proinde habitus inclinans ad objectum sub motivo bono, potest ad idem inclinare, quando illo motivo

tivo cessante, actus est malus.

Patet II. Quia permanente eodem motivo honestatis potest aliquando idem actus de bono fieri malus, ut ostensum est *Parte 2. Tr. de Act. Human. disp. 3. q. 3.* ergo à pari, aut etiam à fortiori potest idem habitus in talem actum inclinare: dum enim invariatus manet actus, non debet variari habitus. Et quamquam ob variatum prudentiæ judicium variari deberet actus, non sequitur, quin adhuc possit operari idem habitus virtuosus, quatenus est talis physicæ entitatis, etsi non quà virtuosus, utpote eatenus includens aut connotans prudentiam. Itaque completa Virtus, quâ nemo malè utitur, importat inclinationem habitualem voluntatis in actum ut eliciendum aut elicibilem simul secundùm inclinationem alterius habitûs, scilicet prudentiæ.

10. *Differentia hùc spectãs inter Virtutem intellectualem & moralem.*

Nec obstat I. Quòd habitus Virtutis intellectualis non possit inclinare in falsum: nam Virtus intellectualis aut veritas non dependet à consortio alicujus, ob cujus carentiam possit deficere à ratione sua; sicut Virtus moralis, item bonitas actus dependet à consortio prudentiæ. Deinde dum propositionis veritas est contingens (prout contingenter competit bonitas actibus) potest juxta probabilissimã doctrinam mutari eadem propositio de vera in falsam; adeòque & idem habitus, etsi is non esset Virtus intellectualis, inclinare in verum & falsum. Immo & habitus scientificus quodammodo potest inclinare in falsum simul cum consortio habitûs erronei, ut dum ex una scientifica præmissa, & altera falsa infertur Conclusio falsa.

11. *An possit quis malè uti habitu Virtutis Theologicæ.*

Non obstat II. Quòd etiam præscindendo à prudentia, nemo malè uti possit habitu Virtutis infusæ; utpote supernaturali, & respiciente actus, qui sunt speciale beneficium Dei & ex ejus speciali gratia producti. Nam etiam actus Virtutis infusæ potest saltè extrinsecè esse malus, si v.g. actus fidei imperetur ex pravo fine. Prout etiam ex vana gloria potest quis velle sacramentaliter confiteri, quod sine dolore supernaturali fieri non potest. Sic namque patratio miraculorum, consecratio Eucharistiæ, sunt opera supernaturalia, quæ tamen ex pravo fine aut circumstantia vitiari possunt. Similiter potest Deus per gratiam instigare hominem, ut impleat præceptum auditionis missæ, etsi hic actum impletivum inficiat pravo fine. Supernaturalitas itaque actuum, & quòd dentur ex gratia Dei, solùm excludit malitiam ipsis convenientem ex objecto & per se, seu malitiam oppositam illis virtutibus. Neque idcirco Deo specialiter concurrenti imputandum esset peccatum: quia id, ad quod specialiter concurrit Deus, est actus supernaturalis secundùm suam entitatem; quâ ratione est bonus. Quòd autem extrinsecè vitietur, non intenditur à Deo, nec provenit ex specialibus Dei auxiliis, sed ex malitia humani arbitrii contra Dei voluntatem abutentis beneficio Dei, & ea quæ secundùm se bona sunt cõcurrentis in malum usum. In hoc tamen differũt Virtutes infusæ à naturalibus, quòd his independenter à directione prudentiæ, quis malè uti possit tamquam principio, sitque etiam malitia opposita iisdem virtutibus: secùs est de infusis.

12. *In doctrina Scoti non tollitur discrimen inter habitus Virtutum, Vitiorum & indifferentes.*

Non obstat denique, quòd in sententia *Scoti* tollendum videatur discrimen, quod tamen ipse *Scotus* statuit) inter habitus Virtutum, Vitiorum & indifferentes: nam adhuc subsistit discrimen inter illos, quòd habitus Virtutum per se nati sint inclinare in actus virtuosos, verumq; medium Virtutis, per accidens autem solùm & rarò in actus vitiosos in quos habitus vitiosi per se inclinant, utì habitus indifferentes in id quod secundùm se indifferens est. Si quis verò contenderet ad completam rationem virtutis non amplius requiri, quàm quòd per se nata sit inclinare in actus bonos, adeòque admittat completam rationem virtutis posse inclinare per accidens in malum (quod vidi in Thesibus publicis Lovanii defensum) is quoad inclinativitatem habitûs virtuosi in malum non dissideret à Sententia *Scoti*; sed refragaretur communiter ab aliis admissæ doctrinæ, quæ negat completam rationem virtutis posse inclinare in malum: quâ suppositâ demum procedit controversia inter *D. Thomam* & *Scotum*.

## QUÆSTIO II.

### *De Divisionibus Virtutis.*

13. *Virtus analogicè dividitur in intellectualem & moralem.*

PRIMÒ dividi analogicè solet Virtus in genere in intellectualem & moralem; sive in eam quæ spectat ad intellectum, & eam quæ ad voluntatem. Intellectualis autè subdividitur à Philosopho 6. *Ethic.* 3. in Sapientiam, quæ juxta Philosophum inclinat ad assensum conclusionum necessariarũ per primas & altissimas causas. Intellectum, id est, habitum principiorum, sive quo assentimur principiis, scilicet mediatis seu non omnino primis & per se notis: Scientiam, quâ assentimur Conclusionibus deductis ex hujusmodi principiis evidẽtibus & necessariis. Artem, quæ est recta ratio factibilium: & Prudentiam, quæ est recta ratio agibilium. Ubì agere actionem internam, facere verò externam, ex mente *Aristotelis* significat. De his, demptâ Prudentiâ (de quâ *Tract. seq.*) in Philosophia. Fidem infusam aut Theologiam Philosophus non addidit, quia ignoravit.

*Ista quintuplex juxta Philosophum.*

*Addenda fides divina & Theologia.*

14. *An etiam opinio & fides humana.*

Opinio & fides humana juxta communem doctrinam excluduntur, quia non sunt habitus determinatè dicentes verum, sed æquè facilè potest iis subesse falsitas; & consequenter non faciunt (prout facere debet Virtus intellectualis) hominem simpliciter

pliciter perfectè intelligentem: ut proinde certitudinem quamdam Virtus intellectualis requirat. Quod autem *Arriaga To. 3. d. 34. Sect. 1.* Opinionem recenseat inter Virtutes intellectuales, eò quòd in hac vita cœcutiamus etiam in obvijs, & pleraque certò discutere nequeamus, sic ut scientiæ nostræ fere sint doctæ opiniones, adeòque censeri possit opinio esse perfectio satis notabilis nostri intellectûs: hoc (inquam) revera arbitrarium foret; sed cùm nomen Virtutis intellectualis aliter fuerit passim usurpatum, videtur loquendum, ut multi.

*Quid de Synderesi.* De Synderesi, quæ inclinat ad assensum universalissimorũ principiorum moralium, & aliâ perfectione inclinante ad assensum primorum ac universalissimorum principiorum speculativorum (si sint habitus superadditi lumini rationis naturalis) dicendum foret, eas quoque esse statuendas inter Virtutes intellectuales; possentque comprehendi sub intellectu, seu habitu principiorum.

15. *Virtus moralis, alia strictè moralis, alia Theologica.* Secundò dividitur Virtus moralis in moralẽ strictè & Theologicam: quàmvis enim etiam ipsa Virtus Theologica sit bono sensu moralis, quatenus ad rectos mores seu bene agendum pertinet: plerumque tamen Virtus moralis adeò strictè sumitur, ut contra Theologicam tamquam membrum condividens distinguatur.

*Ipsa subdividitur in quatuor Virtutes Cardinales.* Virtus Moralis sic sumpta est, quæ principaliter versatur circa aliquod objectum creatum tamquam objectum formale & terminativum seu quod. Et subdividitur in quatuor Virtutes Cardinales, scilicet Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperantiam: quæ tamen divisio non est præcisa, eò quòd Prudentia non sit Virtus Moralis, seu pertinens ad voluntatem, quæ hîc est divisum. Nisi tamen paulò latiùs Virtus moralis capiatur, pro ea quæ versatur circa objectum creatum, & ad bonos mores inclinat, vel illos proximè dirigit. Deinde non est adæquata subdivisio, nisi sumatur membra cum annexis Virtutibus non Cardinalibus; sunt enim plurimæ tales, quæ sub nulla quatuor prædictarum directè tamquam sub suo genere continentur (qualiter sub illis continentur partes subjectivæ seu inferiora; v. g. sub Prudentia diversæ species Prudentiæ, sub Temperantia diversæ species Temperantiæ) quamvis omnes ceteræ ob affinitatem & similitudinem quamdam ad aliquam Virtutum Cardinalium revocẽtur: quæ ideo vocantur partes potentiales Virtutis Cardinalis proportionatæ; ut pleniùs in *Tract. de Virtut. Card.* declaratur.

*Sufficientia subdivisionis discutitur.*

*Et declaratur.* Hoc autem sensu sufficientia divisionis declaratur: nam præter Prudentiam omnis Virtus moralis vel est ad sẽ, & est Temperantia aut Fortitudo cum annexis: vel est ad alterum, & est Justitia cum annexis, quæ respiciunt, sive jus, sive aliquod debitum morale erga alterum: quamquam etiam sint ad ipsum operantem, ut is ordinatè, tamen respectu alterius, operetur.

Aliter potest cum *Scoto 3. d. 34. n. 7.* eadem divisio tamquam plena & adæquata explicari, accipiendo nomen Prudentia, ut significet habitum inclinantẽ ad cognoscendum quid rectè faciendum aut vitandum sit: per Justitiam intelligendo generatim habitum qui inclinat, ut quis bene se gerat erga alterum: cùm autem per reliquas inclinetur quis, ut bene se gerat erga seipsum, Temperantia quidem circa illa quæ sunt per se seu ratione sui appetibilia vel fugibilia: Fortitudo autem quoad bona non appetibilia per se primò, sed tantùm secundariò; consequens est divisionem esse adæquatam.

16. *Quid Virtus Theologica & quotuplex.* Virtus Theologica est, quæ immediatè & principaliter versatur circa Deum tamquã objectum quod & formale. Estque triplex, Fides scilicet, Spes & Charitas: hæ enim solæ habẽt Deum pro objecto primario, quod creditur, quod speratur, quod diligitur; similiter habent ipsum Deum, ejusve attributum pro objecto motivo seu formali quo. Si tamen lumen gloriæ sit quid habituale, ipsum indubiè est quoque Virtus maximè Theologica; adeòque numerus ternarius solùm respiceret Virtutes Theologicas hujus vitæ. Immo divisio ista respicit pro diviso Virtutem Theologicam supernaturalem; quæ nomine Virtutis Theologicæ simpliciter posito solet intelligi: alioquin spes & charitas naturales sunt Virtutes Theologicæ naturales; uti & fides naturalis de Deo, si dari possit, quæ sit certa. Aliàs Spem & Charitatem naturalem dirigit v. g. in Philosopho non Christiano scientia naturalis de Deo, quæ est pars Metaphysicæ. Religio & Virtutes ei affines respiciunt Deum tamquam objectum cui v. g. debetur cultus, reverentia &c. idque quia debetur infinitæ excellentiæ, sic ut hæc sit motivum quasi mediatum & indirectum, proximum autem sit ipsum debitum; Deus autem sit objectum cui, cultus denique aut similis actio sit objectum quod Religio immediatè respicit. Prout etiam pia affectio credulitatis immediatè respicit ipsam credulitatem, sive actum aliquem creatum, non autem Deum tamquam objectum: ideoque similiter non est Virtus Theologica.

17. *Virtus alia per se infusa, alia per se acquisita.* Tertiò dividitur Virtus in Naturalem & Supernaturalem: sive in per se acquisitam & per se infusam; quam aliqui Antiquiores appellant gratuitam. Virtus naturalis & per se acquisita dicitur, quæ ex natura sua potest physicè acquiri ab ipsa potentia per frequẽtationem actuum, ad quos vicissim eliciendos potentiam facilitat. Virtus supernaturalis & per se infusa est, quæ nequit per ipsam potentiam comparari, sed ex natura sua intrinseca postulat infundi. Alioquin ipsis Virtutibus naturalibus non repugnat, quò minùs à Deo infundi possent: potest enim Deus

per se ipsum infundere, quæ potentia poterat naturaliter comparare: si autem fieret illud, non desinerent Virtutes illæ esse naturales, sed essent, & dicerentur per accidens infusæ.

Virtus per se infusa seu supernaturalis à *D. Thoma* & aliis passim, rursum subdividitur in Moralem & Theologicam. Quod habet specialem difficultatem *quæst. seq.* examinandam, an scilicet dentur etiam, Virtutes morales per se infusæ.

18. *Differentia inter utrăque an desumenda ex parte objecti.*

Hîc solùm discutiendum restat, unde desumenda sit differentia virtutum supernaturalium à naturalibus. Non desunt enim Doctores (inter quos *Suarez*, *Curiel* & alii apud *Arriaga disp. 14. de Fide sect. 1.*) qui eam necessariò desumi volunt ab objecto præsertim formali, conformiter ad commune proloquium de specificatione habituum per actus, & his mediantibus per objecta.

*Sententia negativa præfertur, & variè probatur.*

Sed *Scotistæ*, & passim alii Doctores, quos sequitur *Arriaga sup.* dicens esse inter multos Recentiores communissimam, meritò docent circa idem objectum, tam motivum, quàm terminativum, versari posse Virtutem seu actum virtuosum naturalem & supernaturalem: adeò ut ex diversitate objectorum nequeat aliquis deprehendere specificam differentiam inter fidem naturalem & supernaturalem, vel charitatem naturalem & supernaturalem. Et planè non video, neque ab Adversariis allegatur, quidquam alicujus momenti, cur quod creditur, speratur, diligitur supernaturaliter, proponi nequeat per cognitionem naturalem cum eadem ratione formali, & consequenter potentia in illud sic propositum tendere: supernaturalia enim possunt esse objectum actûs naturalis, immo etiam mali; adeòque possunt naturaliter cognosci & diligi. Experientia quoque docet reflectentem se super actûs suos eorumque objecta, non deprehendere præfatam differentiam: ex qua sanè alioquin posset scire, num habeat fidem, spem aut charitatem supernaturalem.

Unde simplex Catholicus auctoritate Parochi inductus ad credendum articulis sibi propositis, quorum unus sit falsus & non revelatus, non sentit ullam differentiam ex parte modi aut motivi credendi, & tamen veris articulis credit fide supernaturali, falso fide naturali. Prout etiam si Deus concursum supernaturalem subtraheret, articulis fidei propositis crederet homo eodem planè modo fide naturali; eàque credidisset in statu puræ naturæ. Idem est de lapso in hæresim, qui actu naturali propter revelàtem Deum assentitur adhuc articulis, circa quos non errat, sine ulla, quæ notari possit, differentia ex parte objecti. Idem denique satis clarum est in actibus Virtutum moralium; quarum actus idem planè habent objectum, sive procedant à Virtutibus infusis (quas Adversarii admittunt) sive ab acquisitis.

Neque hinc sequitur actus & habitus supernaturales esse superfluos: nam deficiunt ad attingenda eadem objecta perfectiùs perfectione specificâ, item ad merendum. 19. *Occurritur objectionibus.*

Non sequitur etiam aliquid contrarium doctrinæ vulgatæ de specificatione habituum per actus, & utrorumque etiâ per objecta. Nam etsi, ubi actus non habent idem objectum, necessariò distinguantur: similiter etsi ex diversitate objectorum formalium sequeretur distinctio habituum; & eatenus admitti frequenter soleat ista doctrina: non sic tamen, ut aliunde peti nequeat distinctio actuum habentium, planè idem objectum, v. g. ex parte principiorum, seu ex parte altioris ordinis; qualem Philosophus Gentilis non agnovit, adeòque (si contrarium sentiret, seu plus vellet in vulgata doctrina) non curandus in præsenti.

20. *An Virtus naturalis differat à supernaturali, quod hæc objecta respiciat sub ratione supernaturalis, ista sub ratione naturalis.*

Non sequitur denique differentia ex parte objecti formalis ex eo, quòd Virtus naturalis respiciat objectum sub ratione naturalis, Virtus verò supernaturalis sub ratione supernaturalis. Nam falsum est quod assumitur: ratio enim naturalitatis aut supernaturalitatis non proponitur per actum fidei v. g. naturalem aut supernaturalem, sed se tenet ex parte actûs: quamquam in objecto reperiatur attingibilitas per actum naturalem, & attingibilitas per supernaturalem (nisi enim esset sic attingibile, de facto non posset attingi) quæ quidem attingibilitates possent dici diversæ rationes formales in objecto; sed hæc diversitas à nemine negatur, nec potest in dubium vocari, neque ad rem facit: cùm illa non consideretur à potentia, dum credit vel amat, sive naturaliter, sive supernaturaliter; neque est objectum motivum illius, aut ullatenus proponitur ipsi, neque deservire potest ad specificationem actuum vel habituum: cùm non possit cognosci, quòd actus fidei v. g. feratur in objectum hoc modo sub ratione naturali aut supernaturali, nisi priùs sciatur quòd actus ipse sit naturalis vel supernaturalis (quod totum mihi videtur evidens, inquit *Poncius disp. 26. n. 18.*) immo nil est aliud actum fidei v. g. tendere in objectum sub ratione naturali, quàm actum ipsum esse naturalem circa objectum cognoscibile per naturalem actum; idemque est de supernaturali.

21. *Vera inter utramque differentia assignatur.*

Itaque vera differentia inter Virtutes naturales & supernaturales desumitur in primis ex eo, quòd Virtutes supernaturales sint diversi ordinis, & ob sui sublimiorem conditionem non possint physicè comparari per actus, sicut Virtutes acquisitæ, sed exigant à solo Deo produci, adeò ut actus supernaturales ad illas dispositivi sint tantùm moralis vel meritoria dispositio ex beneplacito Dei, qui illas etiam sine ulla dispositione infundit parvulis in Baptismo.

Secundò differunt in eo, quòd efficiat actus

actus similiter supernaturales & sublimioris ordinis, qui condignè & commensuratè attingunt suum objectum; ideóque hi actus nequeunt elici viribus naturæ, sed præter concursum generalem causæ primæ requirunt necessariò aliquod principium in substantia supernaturale, quod est Virtus infusa; aut in defectu illius supernaturale Dei auxilium seu concursum, ut v.g. dum quis incipit credere, sperare &c. habitu necdum sibi infuso. Ex quo etiam patet, unde petenda sit differentia actuum supernaturalium à naturalibus, scilicet ex parte principiorum: actus enim supernaturales ratione suæ superioris naturæ, quâ condignè tendunt in Deum, exigunt principia supernaturalia in agendo.

*Actus naturalis à supernaturali differt ex parte principiorum.*

22. *Virtus infusa dat simpliciter posse.*

Tertiò differunt in eo, quòd Virtutes supernaturales non dent aliquam facilitatem potentiæ ad producendos actus, sicut Virtutes naturales. Et hinc communiter dicitur: quod illæ dent simpliciter posse; hæ autem facilè posse. Quod inde confirmatur: quia si v.g. puero aut alicui alteri infundantur virtutes in gradu intenso, is nullam inde sentiet facilitatem. Propter quod etiam ex virtutibus nobis vi Sacramentorũ simul cum gratia infusis, non experimur particularem facilitatem. Quare dum Concilia & Patres ad superandas tentationes & difficultates requirunt gratiam, loquuntur de gratia actuali, non autem de habituali, aut de aliqua Virtute per se infusa; utpote quæ ad difficultatem tentationis superandam non confert.

23. *Facilitas sæpè adjuncta nascitur ex Virtutibus naturalibus, qua exercitio actuum supernaturalium comparantur.*

Unde autem oriatur ea facilitas, quæ à nonnullis sentitur? etenim postquam habitus supernaturales amiserunt, v.g. à Catholico lapso in hæresim, circa articulos quibus non discredit; variant Doctores. Valde verosimile videtur, eam oriri ex Virtutibus naturalibus, quæ proportionatè generantur ex actibus supernaturalibus: cùm nil obstet quò minùs actus supernaturalis, non quidem quatenus supernaturalis, sed quatenus vitaliter tendit in tale objectum, relinquat post se habitum naturalem, quo tollatur difficultas, quam sentit potentia in tendentia circa tale objectum: cùm enim illam non tollat habitus supernaturalis, videtur tollenda per naturalem generatum ex actu supernaturali. Aliàs difficilè ostenditur, unde hæc facilitas remaneat, similis planè ei, quæ sentitur ex habitibus acquisitis. Præterea actus supernaturalis convenit cũ naturali in vitali tendentia circa objectum, adeòque non minùs potest relinquere habitũ, quàm actus naturalis. Nec obstat, quòd principium istius habitus foret supernaturale, nempe actus supernaturalis: nam hic non est supernaturalis in ratione principii effectivi. Deinde actus ille generat habitum naturalem quatenus involvit rationem communem cum actu naturali; adeò ut æquè causari posset per actus naturales.

Hinc colligitur Virtutes supernaturales concurrere physicè ad suos actus: cùm enim non dent facilitatem, debent coefficere actûs substantiam, supplendo nimirum defectum potentiæ ad actum supernaturalem. Unde etsi Virtutes acquisitæ non concurrerent physicè ad suos actus (de quibus in Philosophia) equidem deberent Virtutes infusæ sic concurrere. Ipsa nihilominus potentia per suam Virtutem naturalem simul cum habitu infuso immediatè coefficit actus supernaturales tamquam causa principalis, partialis quidem ex parte causæ, totalis autem ex parte effectûs. Nisi enim activè concurreret, haberet se merè passivè contra *Trid. sess. 6. c. 5.* Deinde actus supernaturales charitatis v.g. sunt liberi; hoc autem explicari nequit, nisi quia voluntas concurrat, cùm posset non concurrere. Ideóque juxta Theologos communiter libertas competit voluntati quatenus activa est. Ita communiter Doctores.

24. *Virtus infusa physicè efficit actus supernaturales.*

*Concurrente activè ipsâ potentiâ.*

Porrò quòd non tantùm habitus, sed etiam ipsa potentia naturalis sit causa principalis, patet: quia non tantùm habitus, sed etiam potentia concurrit propriâ virtute sibi permanenter competente: secùs quàm securis aliudve instrumentum, quod non habet vim agendi, nisi quam accipit à principali agente in actuali motione. Aliquo tamen sensu posset habitus appellari causa instrumentalis, quatenus est principium subordinatum voluntati, quæ pro libitu utitur habitu eumque applicat ad agendum. Quâ ratione, aut etiam quatenus in actu supernaturali considerabatur vitalitas similesque rationes communes, posset ipsa potentia censeri causa magis principalis. At spectando præcipuum in ipso actu, scilicet excellentiam ordinis, seu supernaturalitatem, principalior, utì particularior causa censetur ipsa Virtus infusa: quamquàm totum quod est in actu attingatur indivisibiliter ab utraque causa: sicut vitalitas, quæ adscribi posset potentiæ, etiam procedit à specie vel habitu.

25. *Quæ, utè & habitus est, causa principalis.*

*An principalior.*

Neque enim ipsa potentia aliter est improportionata actui supernaturali, quàm quòd non possit esse principium adæquatum, nisi aliud altioris ordinis accedat. Aliàs ipsa potentia concurrit per ipsissimam suam sibique identificatam virtutem naturalem, etsi partialem & incompletam (quæ proinde immeritò obedientialis à quibusdam appellatur, quasi ipsa non foret naturalis) sicut habitus per virtutem sibi identificatam, etsi similiter partialem. Ut enim actus sit supernaturalis, sufficit aliquod ejus principium esse in ratione agentis supernaturale: sicut ut actus sit vitalis, sufficit potentiam esse vitalem.

*Concurrit ipsa per Virtutem suã naturalem, sed incompletam.*

Nec obstat, quòd effectus sequatur debiliorem partem suæ causæ. Nam sensus axiomatis esse potest, partim quòd effectus semper sit minùs perfectus, quàm esset, si

26. *Effectus quã ratione sequatur vel non sequatur.*

*tur debiliorem partem suæ causæ.*

causa esset omni ex parte æquè perfecta, v. g. si etiam intellectus seu potentia esset supernaturalis: partim quòd effectus numquam excedat perfectionem causæ totalis, licet possit partialem causam excedere. Aliàs axioma intellectum hoc sensu, quòd effectus numquam sit perfectior, quàm debilior pars suæ causæ, est falsum: nam visio visualis est perfectior specie visibili, mulus asinâ &c. Sic etiam duo, quorum singuli tantùm possunt levare pondus ut octo, junctim levant pondus ut sexdecim. Fallit itaque axioma, quoties duæ causæ unam integrant, sic ut una augeat virtutem agendi alterius, adeòque constituant virtutem totalem agendi perfectiorem. Quod non fit in Syllogismis, in quibus proinde solùm ferè locum habet axioma hoc sensu intellectum: in iis enim præmissæ non augent mutuam certitudinem, nec constituunt integrum antecedens, quod sit certius singulis præmissis seorsim sumptis, quæ proinde invicem tantùm juvant ad formandam consequentiam, quæ prærequirit utramque præmissam.

## QUÆSTIO III.

### *An dentur Virtutes per se infusæ, tum Theologicæ, tum Morales?*

27. *Dari Virtutes per se infusas, certum est.*

DIco I. Dantur Virtutes aliquæ per se infusæ. Est communissima omnium Theologorum, & adeò certa doctrina, ut opposita non solùm temeraria, sed communiter etiam censeatur erronea aut hæretica.

*Quod tàquam probabilius determinat Concilium Viennense quoad parvulos.*

Probatur I. ex *Concilio Viennensi*, & refertur Clem. Un. *de Summa Trinit.* ubi controversiam, quæ fuerat inter Doctores, & ab Innocentio III. c. *Majores de Bapt.* refertur ac indecisa relinquitur, determinat his verbis: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem, quæ dicit tam parvulis, quàm adultis in baptismo conferri gratiam & virtutes, dictis Sanctorum, & modernorum Doctorum Theologis magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Ubi quidem Conclusio, etiam quoad parvulos, deciditur tamquam probabilior, & quoad adultos à fortiori supponitur. Immo quoad hos eadem supponebatur citra controversiam ab utraque parte dissidentium quoad parvulos Doctorum. Et ab exemplo adultorum, junctâ generali efficaciâ mortis Christi, infertur à Concilio, etiam parvulis consequenter gratiam & virtutes infundi in baptismo, utì adultis. Ratio etiam partis adversæ solùm militabat contra parvulos, utpote non consentientes. Ad quod pars altera respondebat, gratiam & virtutes illis citra consensum (qui in eis non requiritur, & cujus sunt incapaces) conferri in munere & quoad habitum, non tamen quoad usum, defectu libertatis aut virium animæ.

*Idem citra controversiam supponens de adultis.*

Quare etiam diu ante tempora Clementis V. noster *Alensis in Summa de Virtutibus Collat.* 17. *art.* 5. Hoc modo respondet, & ex pari efficacia baptismi sic ferè arguit: Virtutes conferuntur adultis vi baptismi, ergo & parvulis, in quibus est baptismus æquè efficax. Loquitur autem *Clemens V.* seu *Concilium Viennense*, uti de gratia per se infusa, ita & de Virtutibus per se infusis. Deinde loquitur ad mentem eorum Doctorum, quorum opinionem præponit; illi autem loquebantur apertè de Virtutibus per se infusis. Denique non conferri parvulis virtutes per accidens tantùm infusas, inde patet, quòd tales virtutes darent facilitatem ad exercendos actus, uti virtutes acquisitæ (à quibus in natura sua non differrent) nullam autem omninò facilitatem sentiunt parvuli baptizati magis quàm non baptizati eodem modo educati & instructi, dum adolescunt: immo fieri posset, ut ratione suæ indolis essent minùs faciles, quàm non baptizati.

*Agitur de Virtutibus infusis per se.*

28. *Quæ apertè comprobantur ex Tridentino.*

Probatur II. Clarè ex *Tridentino sess.* 6. *c.* 7. ubì docet in justificatione conferri gratiam & dona, id est, virtutes. Et ibidem docet simul cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa hominem accipere fidem, spem & charitatem. Igitur certum est dari aliquas Virtutes infusas, & quidem per se; ut ex mox dictis in prima probatione colligitur: cùm *Tridentinum* loquatur ad sensum *Clementinæ* & Doctorum differentium de hac materia, apud quos est sermo de Virtutibus per se infusis. Idem colligitur ex eo quòd *Tridentinum* doceat fidem, spem & charitatem, sive gratiam & dona infundi, etiam illis, qui ad hoc per actus fidei, spei & dilectionis se disposuerunt; nisi autem essent Virtutes per se infusæ, Concilium dicere debuisset eas per tales actus acquiri seu comparari. Jam verò actus isti solùm sunt moralis dispositio, sic ut fides, spes & charitas peccatori dispositò gratuitò cõferantur per infusionem à Deo, qui juxta *Tridentinum supra* solus est causa physica & per se illius infusionis seu justificationis. Hinc verò insuper colligitur *Tridentinum* non loqui de actuali fide, spe & charitate (de qua egerat *cap.* 6.) sed de habituali: de qua similiter Doctores Catholici loquebantur; & de qua in *Clementina* erat facta decisio, & ante illam facta mentio in cap. *Majores.* Ex quo etiam colligitur *Tridentinum* loqui de Virtutum habitibus. Quod insuper clarè patet ex eo quòd loquatur de Virtutibus, quæ per Baptismum communicantur etiam parvulis; his autem non infundi aliquos actus est adeò manifestum, ut oppositum credere sit omnino absurdum. Vide dicta *Tract. de Justificat. disp.* 4. *q.* 3.

Solc-

29. *Ex ratione sola congruentiæ allegari potest.*

Solet insuper Conclusio à diversis confirmari variis rationibus. Sed nulla potest sufficere; cùm hujus rei veritas ex sola revelatione pendeat, quæ nobis per doctrinam & traditionem Ecclesiæ constat. Indubiè autem Deus justissimas rationes habuit, ob quas illas infundere voluit. Congruentiam autem possumus assignare, quòd cùm hæ Virtutes non repugnent, cõgruentissimum videatur eas conferri hominibus, quatenus sicut sunt ordinati ad beatitudinem supernaturalem, sic habeant principia permanentia & supernaturalia, tamquam media ad illam obtinendum.

30. *Tres Theologicæ sunt indubiè per se infusæ.*

Dico II. Tres Virtutes Theologicæ, Fides, Spes & Charitas, sunt per se infusæ. Ita omnes Theologi. Has Virtutes expressit Apostolus 1. *ad Cor.* 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Earumdem actus exprimuntur *Eccli.* 2. *Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces vestra: qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia: qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Quòd autem hæ Virtutes sint per se infusæ, specialiter quoad Charitatem colligitur ex Apostolo *ad Rom.* 5. (*Charitas* (quæ commodè intelligitur habitualis) *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Quoad omnes verò certò constat ex *Tridentino suprà*, ubi hæ tres Virtutes specificantur. Deinde nemo, qui aliquas Virtutes per se infusas umquam admisit, de his tribus dubitavit: sed supposito, quòd aliquæ essent admittendæ, has esse tales unanimiter omnes semper admiserunt. Immo nusquam apud Antiquos reperitur fuisse inter Theologos de his controversia quoad adultos. Unde jam olim *Scotus* 3. *d.* 23. *n.* 14. dixit, *quòd oportet ponere fidem infusam propter auctoritatem Scripturæ & Sanctorum.* Et *d.* 34. *n.* 6. ait: *Fide tenemus tres Virtutes Theologicas esse necessarias, perficientes immediatè animam respectu objecti increati.* Ut proinde Nonnulli notent post sopitas *Pelagianorum* controversias numquam de his donis fuisse quæstionem; sed si hi negaverint istas Virtutes infusas, aut habitum gratiæ sanctificantis (prout putat & probat *Smising Tract.* 3. *d.* 2. *nu.* 285. & *seqq.*) etiam ipsos quoad hoc punctũ ab Ecclesia olim esse repressos: quamquam plures censeant nullam omnino etiam cum his desuper fuisse quæstionem, sed eos quoad hoc cum Catholicis convenisse.

*De quibus quoad adultos non reperitur apud Veteres Theologos controversia.*

31. *An pauciores à Deo infundi possint, sufficientes eliciendis omnibus actibus supernaturalibus.*

Notant verò Nonnulli Recentiores potuisse infundi pauciores habitus, sed magis generales, qui sufficissent eliciendis omnibus actibus supernaturalibus; v.g. ut unus actibus intellectûs, alter actibus supernaturalibus volũtatis sufficisset. Ratio est, quòd habitus supernaturales se habeant instar potentiæ, & non sint vestigium suorũ actuum; adeòque non est ratio, cur Deus non possit infundere tam generales in operando, quàm sint ipsæ potentiæ. Unde si ex Theologia non constaret, Spem distingui à Charitate, facilè diceretur solam charitatem sufficere, etiam pro eliciendis actibus spei. Immo fortasse ratione convinci non posset, unum habitum infusum non posse sufficere pro omnibus actibus supernaturalibus tam intellectûs, quàm voluntatis, sicut sufficit eadem anima; adeò ut habitus supernaturalis detur pro supernaturalitate actuum, quæ est ejusdem rationis in quibusvis actibus. Sic etiam unum principium vivens sufficit pro vitalitate omniũ actuum tam intellectûs quàm voluntatis. Unde etsi Deus habitus Theologicos jam magis restrinxerit secundùm distinctionem & restrictionem formalium objectorum: non repugnat tamen, quò minùs infundere potuerit universaliores non specificandos sive distinguendos per objecta formalia specie distincta.

32. *Dari Virtutes morales per se infusas, non constat.*

Dico III. Non dantur Virtutes morales per se infusæ. Ita *Scotus* 3. *d.* 36. *nu.* 28. *Durandus, Marsilius, Nominales* & *Scotistæ* unanimiter contra *D. Thomam q.* 63. *art.* 3. & 4. *D. Bonaventuram, Richardum* & Recentiores communiter extra scholam *Scoti*, existimantes, quòd præter Virtutes morales acquisitas per continuum exercitium dentur in homine justo etiam Virtutes morales altioris ordinis, & per se infusæ in justificatione, v.g. temperantia infusa, fortitudo infusa &c. Immo aliqui Thomistæ suam opinionem censent de fide, & oppositam erroneam. Sed meritò ab omni censura hanc liberant ceteri Adversarii passim; cùm (ut ait *Suarez To.* 1. *de gratia l.* 6. *c.* 9.) neque ex Scriptura, neque ex Concilijs quidquam certi de his virtutibus colligatur, sed omnia possint de Theologicis explicari.

Unde probatur Conclusio: quæ nullâ ratione, experientiâ vel auctoritate constat ejusmodi Virtutes infusas dari: ergo nõ sunt admittendæ. Quod enim ad rationem vel experientiam attinet, inde nequidem probari potest, quòd Virtutes Theologicæ sint per se infusæ: quòd verò ad Auctoritatem, inde nihil confici patebit ex mox dicendis.

33. *Explicantur generaliter Scriptura ab aliis allegari solita.*

Objiciuntur I. Varia loca Scripturæ *Ps.* 93. *Qui docet hominem scientiam. Sap.* 8. *Sobrietatem & prudentiam docet, & justitiam & virtutem*, id est, fortitudinem. Et infrà: *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse cõtinens, nisi Deus det. Ad Gal.* 3. *Qui tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis. Jac.* 1. *Qui indiget sapientiâ, postulet à Deo.* Verùm hæc aliave Scripturæ loca nihil omnino probant, ut passim fatentur etiam alii Auctores. Etiãsi enim Scriptura sapientiam, scientiam, virtutesque morales, earumque actus (de quibus potissimûm agit) adscriberet specialiter Deo, inde nõ sequeretur esse per se infusa à solo Deo; sed esse

dona Dei, quamquam in substantia naturalia, quæ speciali benevolentia ab eo dantur, non tantùm ratione concursûs generalis, sed etiam gratiarum actualium, sine quibus natura corrupta, etiam hominis justi, adeòque donis infusis prædíti, nequit vitare errores, præsertim practicos, & elicere stabiliter actus virtutum, præsertim difficiliores, tentationibusque resistere. Deinde possunt intelligi loca Scripturæ de actibus quatenus conducentibus ad vitam æternam; eatenus autem sunt specialiter dona Dei & requirunt gratiam, etsi non sint ipsi aut eorum habitus in substantia supernaturales. Hinc illud *Jac.*1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est &c.* intelligitur generaliter de donis etiam naturalibus. Idque magis, si considerentur quatenus conducunt ad vitam æternam; prout eatenus à Christianis petuntur, & à Deo donantur.

34. *Tanguntur singulæ in particulari.* Singulariter autem extra propositum adducitur *Psal.*93. ubi tantùm significatur Deum non posse carere perfectione repertâ ab eoque communicatâ creaturæ; cujusmodi est lumen naturale, seu vis intelligendi &c. *Sap.* 8. dicitur sapientiam, scilicet creatam, docere nos ostendendo decentiam Virtutum moralium. Quam quidem sapientiam subdit Sapiens se non posse continere, id est (ut Interpretes explicant, & favet contextus, & alii similes textus) compotem illius esse, nisi dante Deo, ad quem ideo confugit, etiam cùm jam justus esset, adeòq; virtutibus infusis ordinariis præditus; ut proinde Sapientia extraordinariè Salomoni à Deo cõcessa non ad habitus infusos communes justis, sed in singularem illuminationem, & scientiam etiã rerum naturaliũ per accidens infusam sit referenda. *Augustin.* tamen & Nonnulli ly *continens* explicãt strictiùs litteraliter de virtute cõtinentiæ, seu de castitate. Quæ ipsa nihilominus est donum Dei, etsi non sit in substantia supernaturalis. Deinde sapientia Christiana, quæ includit lumen ac directionem fidei, immo & charitatem Dei (ob quod *Sap.*1. dicitur: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*) est eatenus donum supernaturale, sed indistinctum à Virtutibus Theologicis. Simili sensu verum manet, quod *Jac.*1. monemur sapientiam hanc Christianam postulare à Deo. Denique ad *Gal.*3. per virtutes ad litteram intelliguntur miracula; prout etiam 1. *ad Cor.*12. inter gratias gratis datas recensetur *Operatio virtutum.*

35. Objicitur II. *Clementina Unica de Sum. Trin.* in qua refertur duplex opinio Theologiæ istius temporis, una asserens per baptismum quidem peccata remitti, sed gratiam parvulis non conferri: altera dicens etiam infundi gratiam informantem & virtutes quoad habitum; quæ posterior opinio attentâ generali efficaciâ mortis Christi eligitur à Pontifice cum *Concilio Viennensi.* Resp. *Clementinam* non esse ad propositum, ut plures Adversarii etiam fatentur; & manifestè patet: quia determinat tamquam probabilius, quòd virtutes infundantur parvulis (adultis enim illas infundi utraque opinio supposuisse videtur) non determinando, quæ vel quot infundantur: nec de hoc erat controversia, sed utrùm infunderentur aliquæ. Quare opinio nostra (quæ utique non erat negativa ibidem rejecta seu post posita: hæc enim nullam virtutem neque gratiam infundi cõtendebat; nec tam vigebat tempore Viennensis Concilii, quàm bene vigebat tempore Innocentii III.) deciditur ibidem simul cum opinione *D. Thomæ* tamquam probabilior, quatenus utraque asserebat aliquas virtutes infundi, quod in utraque opinione sufficientissimè verificatur.

*Non favere Clementinam, aperiè ostenditur.*

Nec refert, quòd Innocentius III. cap. *Majores, de Bapt.* ejusdem controversiæ, quã tamen non determinavit, mentione faciens, de virtutibus moralibus loqui videatur, dũ ait: *Illud verò, quod opponentes inducunt, fides aut charitatem, aliasq; virtutes, parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, à plerisq; non cõceditur absolutè.* Nam ibi nomine opponentium intelliguntur quidam Hæretici, qui (ut patet ex ipso cc *Majores* sub initium) inde arguebant, Baptismum parvulis non prodesse; adeòque tali loquendi formulâ omnem omnino habitum infusum in parvulis illos negasse declaratur. Punctũ autem controversiæ Scholasticæ ab Innocentio III. subjunctæ consistebat in hoc præcisè, an infunderentur virtutes aliquæ, præsertim gratia; an non: *Aliis* (ut ait Pontifex) *asserentibus, per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non infundi: Nonnullis dicentibus, dimitti peccatum, & virtutes infundi, quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad adultam ætatem.* Ubi non fit ulla mentio Virtutum moralium. Quas tamen infundi negabant à fortiori, qui putabant nullas penitus infundi parvulis. Itaque non ideo hi dissentiebant à Doctoribus partis affirmativæ, quòd non admitterent virtutes per se infusas præter Theologicas, sed quòd in parvulis nullam virtutem infusam agnosceret, eò quòd ipsi parvuli non consentirent. Qui nihilominus dissentiebant ab Hæreticis in hoc, quòd censerent culpam in Baptismo remitti parvulis per extrinsecam condonationem; quod nondum erat damnatum.

36. *Instantiæ ex cap. Majores desumptæ occurritur.*

Objicitur III. *Tridentinum sess.*6. c.7. ubi docet in justificatione infundi gratiam & dona, id est virtutes, tum Theologicas, tum morales. Resp. per dona commodissimè intelligi Virtutes Theologicas; idque satis insinuat ipsum *Tridentinum*, dum rationem hujusmodi gratiæ & donorum infrà specificans, dicit: *Hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem & charitatem.* Et cap. 10. expl-

37. *Non favet quoque Tridentinum.*

explicans in quo consistat augmentum justificationis, dixit illud peti ab Ecclesia, dum orat: *Da nobis fidei, spei & charitatis augmentum.*

38. Objicitur IV. Supposità jam ordinatione hominis in finem supernaturalem, debet ipse perfici non tantùm in ordine ad eumdem finem (quod fit per Virtutes Theologicas, quæ Deum sive finem immediatè respiciunt) verùm etiam in ordine ad media proportionata, ne alioquin perfectio nostra sit incompleta & insufficiens: atqui hoc deberet fieri per Virtutes morales infusas; ergo hæ dantur. Resp. quidquid sit de ceteris Neg. Subsumpt. nam ipsæ Virtutes Theologicæ, quæ objectivè sunt circa finem supernaturalem, formaliter sunt ipsissima media ad illum acquirendum, & quidem sufficientissima simul cum virtutibus acquisitis; quarum actus pariter conducunt ad finem supernaturalem, tum quatenus vitæ æternæ impedimenta, seu peccata removent, tum quatenus ipsi quoque meritorii esse possunt, si procedant ex motivo vel imperio Virtutis Theologicæ, præsertim charitatis, quæ juxta plures gravissimos Theologos sola facit actum meritorium, aut certè juxta omnes est potissima radix meriti. Ut proinde Apostolus 1. *ad Cor.* 13. dicat: *Charitas patiens est, benigna est &c. omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Eodemque sensu verè dixit *Gregorius l. 1. Moral. c. 12.* aliàs 28. *Ex charitate virtutes oriuntur*; quatenus scilicet operationes virtuosas partim imperat, partim ex suo motivo elicit.

*Qualiter Virtutes Theologicæ hominem perficiant satis, tum quoad finem supernaturalem, tum quoad media.*

39. Objicitur V. Ubi est diversa ratio honestatis, ibi est diversa virtus ad illam inclinans: sed in materia Virtutum moralium est diversa ratio honestatis, una si spectetur tamquam per se decens hominem ut rationalis est, & pars reipublicæ politicæ; altera si spectetur, quatenus decet hominem, ut est ordinatus ad finem supernaturalem, & concivis Sanctorum: ergo etiam sunt diversæ virtutes, una acquisita & altera infusa, quibus illæ honestates appetuntur.

*Frustra ad oppositum conclusionis probandum allegatur diversa ratio honestatis objectiva, etsi sub. esset.*

Resp. I. Neg. Cons. Nam etsi cetera vera forent, tantùm sequeretur, quòd circa diversas istas honestates versentur diversæ virtutes acquisitæ; cùm ipsæ honestates sint objectum creatum, & non supernaturale: aut certè sequeretur possibiles esse plures virtutes, unam infusam & alteram acquisitam, non autem de facto dari, cùm circa illam honestatem, circa quam dicitur versari virtus infusa, versari etiam possit actus naturalis.

*Quæ tamen verè non subest.*

Resp. II. Neg. Min. Sicut enim est eadem ratio objectiva honestatis in Virtutibus Theologicis acquisitis & infusis; sic etiam foret eadem in Virtutibus moralibus acquisitis & infusis, si infusæ darentur: quod etiam fatentur plures Adversarii, qui consequenter nobiscum docent, virtutes acquisitas & infusas non distingui penes objecta, adeòque hoc argumentum etiam solvere debent. Sanè ab experientia nemo potest dignoscere, utrùm eliciat actum castitatis acquisitæ, vel infusæ: nec aliter sibi proponit objectum, dum elicit actum castitatis acquisitæ, quàm dum infusæ, si detur, sed sicut in uno casu, sic & in altero tantùm sibi proponit objectum, & honestatem illius secundùm se. Accedit, quòd etiam virtutes acquisitæ earumque actus possint in homine justo conducere ad finem supernaturalem, præsertim in sententia *Vasquez*, qui hanc objectionem urget: ipse enim admittit opera virtutum etiam naturalia in homine justo esse secundùm se meritoria vitæ æternæ. Quare ista conducentia non pertinet ad specialem honestatem virtutis moralis, sed potiùs ad spem Theologicam, quâ appetitus media conducentia ad salutem. Verùm quidem, est, supposità ordinatione hominis ad finem supernaturalem, oriri in ipso obligationem tollendi impedimenta, & adhibendi media: sed hæc obligatio non pertinet ad Virtutes morales singulas, sed potiùs ad spem vel propriam charitatem. Neque etiam urget, quòd actus virtutum infusarum dicantur dirigi per fidem supernaturalem: nam præterquâ quòd ratio variarum virtutum ex fide non constet, potest ipsa fides dirigere etiam actus naturales: cùm etiam possint esse opera mala, quæ non cognoscuntur esse talia, nisi ex directione fidei.

40. *An Virtutes Morales per se infusæ sint possibiles.*

Objicitur VI. Virtutes morales per se infusæ sunt possibiles: ergo de facto dantur. Resp. in primis Antecedens negari à quibusdam Scotistis, signanter *Francisco Felix de Virtut. c. 3. diffic. 3. n. 14.* Nec oppositum satis ostendit *Oviedo* 1ª. 2ª. *Tract. 3. controv. 2. punc. 7. num. 91.* Estque planè difficile ostendere intrinsecam supernaturalitatem in iis saltem virtutibus esse possibilem, quæ respiciunt objectum tam materiale quàm formale merè creatum & naturale; prout respiciunt justitia, temperantia, fortitudo &c. Idque ob defectum objecti proportionati. Aliàs sanè dari similiter possent reliqua accidentia supernaturalia, v. g. albedo ejusque sensatio &c. Nec refert, quòd Deus actu supernaturali attingat objecta etiam merè naturalia: nam actus ille est supernaturalis ex parte objecti primarii & formalis (prout idcirco visio beatifica est supernaturalis, etsi secundariò attingens objecta creata & naturalia) ut omittam identificationem actûs illius increati cum ipsa deitate: actus verò & virtutes, de quibus quæstio, non habent simile objectum, cùm tamen supernaturalitas eorumdem illud requireret, quod consequenter ad condignam sui attingentiam sublimioris ordinis actum postularet. Magis apparet possibilitas actuum & habituum Religionis, obedientiæ erga Deum &c. quæ tendunt

in Deum

in Deum saltem tamquam objectum cui.

*Ex earum possibilitate non sequeretur ipsas de facto dari.*

Verùm dato, quòd possibiles forent hæ, aut etiam reliquæ Virtutes morales per se infusæ, & actus earum supernaturales; adhuc non deberent de facto plures statui virtutes per se infusæ, quàm tres Theologicæ: cùm possibilitas non inferat actum, possitque supernaturalitas actuum Religionis aliarumque Virtutum moralium sufficienter suppleri per ipsas Virtutes Theologicas juxta dicta *num.* 38. Ut taceam, quòd actus supernaturales Religionis & virtutum affinium elici juxta Nonnullos possint ab ipso habitu charitatis, qui juxta illos se habet instar potentiæ tam generalis, ut etiam se extendat ad eliciendos, actus supernaturales ceterarum Virtutum moralium, prout nuper vidi Lovanii in publicis Thesibus defendi.

## QUÆSTIO IV.

### *De Virtutibus Evangelicis, Beatitudinibus, Donis, Fructibus, & Gratis gratis datis.*

41. *Tres Virtutes Evangelicæ explicantur.*

Virtutes Evangelicæ ita dicuntur, quia earum actus in Evangelio à Christo commendantur & consuluntur: suntque Paupertas voluntaria, Obedientia religiosa, & Castitas perpetua. Has autem contineri sub ceteris Virtutibus moralibus, & solùm importare specialem gradum perfectionis earumdem virtutum ex regulis fidei in Evangelio revelatis desumptum, declaratur: nam lex Evangelica præter communem contemptum divitiarum, qui solùm avaritiam & prodigalitatem excludit, docet etiam licitas divitias intuitu melioris boni Christum sequi volentibus esse contemnendas. Idem est de licito usu venereorum, & propriæ voluntatis. Ex genere tamen suo pertinent ad Virtutes morales; Castitas quidem & Paupertas ad genus temperantiæ, Obedientia autem Evangelica inter obedientiæ communiter dictæ speciem manet: in quantum verò adjungitur votum, in tantum singulis accedit honestas virtutis Religionis. Habent namque eamdem intrinsecam honestatem cum dictis virtutibus; quamvis se extendant ad aliquod objectum materiale, & modum quemdam accidentalè illius, ad quæ non nisi ex directione & imperio Virtutis Theologicæ se extenderent. Regulariter autem consilia Evangelica assumuntur seu exercentur ex motivo supernaturali spei, & maximè charitatis; ut proinde maneant solùm materialiter actus temperantiæ, castitatis aut obedientiæ.

42. *Octo beatitudines explicantur.*

Beatitudines octo enumerat Christus *Matth* 5. Quæ breviter & clarè in summâ hoc modo contrahi possunt: Beati qui spretis mundi divitiis, honoribus, voluptatibus, atque commoditatibus mâsuetudinem, justitiam, misericordiam, cordis munditiam, pacemque cum Deo & hominibus sectantur, ac faciunt, tanto animi ardore, ut omnes persecutiones hac de causa toleratas æquanimiter ferant; cõsequenter enim ac jure hereditatis stabiliter possidebunt regnum cælorum, perfusi gaudio, pleni ac saturi omnibus bonis, liberi ab omnibus malis, facie ad faciem videntes Deum, tamquam filii ejus cum patre suo regnantes. Consistunt autem hæ beatitudines in actibus, scilicet non retractatis: per illos enim tendimus meritoriè ad futuram beatitudinem. Quamvis etiam in habitibus proportionatis, qui actus præsupponant, possint hæ beatitudines habitualiter sumptæ constitui: à quibus quoque magis connaturaliter & consuetè potest aliquis denominari pauper, mitis &c.

*An consistant in actibus, an in habitibus.*

43. *Non distinguuntur ab ordinariis virtutibus earumve actibus.*

Ceterùm quomodocumque ipsæ beatitudines explicentur, semper invenientur esse, sive actus Virtutum moralium ac Theologicarum, sive ipsimet virtutum habitus; ut Doctores communiter tradunt cum *Scoto*, & facilè patebit inspecienti singularum explicationes, quæ fusiùs videri possunt apud Commentatores Evangelii, qui non omnes inter se conveniunt, sicut nec Patres aut Scholastici. Vide *Scotum* 3. *d.* 34. *q.* 1. *n.* 18.

*Cur appellentur beatitudines.*

Hæ porrò beatitudines sic à Christo sunt appellatæ, quòd beatos faciant homines, non quidem re ipsâ, sed certâ spe, quatenus faciunt eos rectissimâ viâ ad beatitudinem tendere. Quare ratio singulis subjecta ad futuram beatitudinem potissimùm pertinet; quamvis etiam præmia singularum in hac vita inchoentur.

44. *An plures quam octo dari possint.*

Octo verò enumerantur, non quòd absolutè nõ sint, aut etiam in Scriptura (in qua sæpè beati vocantur, qui sufferunt tentationem, qui sperant in Domino &c.) non recẽseantur plures, sed quòd sint præcipuæ, ad quas facilè reduci possunt ceteræ; quemadmodum juxta *Ambrosium l.* 5. *in Lucam*, ipsæ octo reduci possunt ad quatuor, quas tãtùm commemorat Lucas: qui quidem videtur præcipuè attendisse, ut illas exprimeret, quæ majorem novitatem præ se ferunt, & tamquam à sensu hominũ absconditæ majorem apud illos admirationem generaret, nempe beatos esse pauperes, flentes, esurientes, & hominibus exosos ac invisos. Addit *Ambros. sup.* quòd Lucas *quatuor velut virtutes amplexus est Cardinales*, scilicet (ut idem declarat) in paupertate, temperantiam; in esurie (supple ex Matthæo, justitiæ) justitiam; in fletu, prudentiam, *cujus* (inquit *Ambrosius*) *est flere occidua, & quæ æterna sunt, quærere*; in odio & persecutione malorum, fortitudinem. At Matthæus *in illis octo* beatitudinibus *mysticum numerum*, scilicet octonarium, *reservavit. Pro octava enim multi inscribuntur Psalmi* (scilicet Psalmus 6. & 11. qui præferunt titulum. *Pro octava*) *& mandatum accipis octo illis partem dare, fortasse benedictionibus*, sive octo illis beatitudinibus, quæ ben-

*Cur Lucas expresserit solùm quatuor.*

*Explicantur quædam dictæ Ambrosii de beatitudinibus.*

benedictionem junctam habent, partem, inquam, vitæ exercendæ paupertati spiritus, partem mansuetudini, & sic de cæteris. Alludit autem *Ambrosius* ad illud *Eccles.* 11. *Da partem septem, nec non & octo*; tametsi id ad litteram intelligatur de eleëmosyna danda septem, immò adhuc pluribus pauperibus. Concludit tandem *Ambrosius*: *Sicut enim spei nostræ octava* (quæ est beata resurrectio seu beatitudo subsequens hebdomadam hujus vitæ, seu sex dies vitæ & sabbathum sepulturæ) *perfectio est*; cùm spei perfectio consistat in obtinenda tunc beatitudine sperata: *ita octava* sive octonaria complexio beatitudinum *summa virtutum est*; sive (ut Aliqui explicant) octava beatitudo inter virtutes summa est, mors videlicet & passio pro Christo ac justitia.

45. *Dona Spiritûs sancti qua.*

Dona in præsenti non accipiuntur generaliter, quo modo omne beneficium divinitus collatum, & præsertim gratiæ beneficia dicuntur dona, sed magis restrictè pro septem particularibus perfectionibus, quas Isaias commemorat *c.* 11. dicens: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectûs, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Quamvis autem Isaias loquatur de Christo: quia tamen justi & filij Dei eodem spiritu aguntur, & de Christi plenitudine accipiunt, censent Doctores eadem dona quibusdam aliis etiam communicari: & per ea passim intelligũt perfectiones quasdam habituales, quæ sunt principia aliquorum actuum eminentium. Circa singulorum verò donorum explicationem nimium variant Doctores, quorum opiniones longum foret recensere. Videri potest *D. Thomas q.* 68. & Commentatores ibidem, *Scotus 3. d. 34. q. un. n.* 20. *Poncius ibid. in Commentario*, & *d. sp.* 26. *Theologiæ n.* 50. *& seqq.* & fusè *Suarez Tom.* 1. *de Gratia l.* 2. *c.* 17. & pluribus seqq.

46. *An sint realiter à cæteris virtutibus distincti.*

Porrò *Suarez* & plures alij existimant hæc dona esse habitus supernaturales à cæteris virtutibus tum intellectualibus, tum Theologicis & moralibus etiam infusis distinctos; idque potissimùm ob auctoritatem *D. Thomæ*, quem tamen alterius fuisse mentis fusè conatur ostendere *Arriaga disp.* 38. *sect.* 1. & 2. existimans proinde *sect.* 3. dona non distingui à reliquis virtutibus, quod etiam docet *Scotus suprà*, Nominales & alii passim. Ratio est: quia non sunt multiplicandi habitus supernaturales sine sufficienti auctoritate vel ratione, qualis in præsenti nulla potest cum aliqua apparentia allegari. Confirmatur: quia rectè & facillimè dicitur, dona esse ipsosmet habitus virtutum proportionatos, quatenus connotant excellentes quosdam actus ductû sancti Spiritûs elicitos. Deinde quomodocumque singula dona explicentur, non poterit assignari aliquod honestum eorumdem objectum, quod ad aliquam virtutem non pertineat; ut singulorum explicationes inspicienti facilè patet.

*Verior sententia negativa probatur.*

47. *Objectio.*

Dices, Habitus vi tutum perficiunt hominem, ut sit facilè mobilis à se ipso secundùm ordinarium dictamen rationis: dona verò perficiunt, ut sit facilè mobilis à Spiritu sancto ad operandum quædam extraordinaria opera communibus morum regulis non subjecta; quale fuit opus Abrahæ volentis immolare Isaac *Gen.* 22. factum Sampsonis se & alios interficientis *Judic.* 16. factum Eleazari elephantem interficientis, etsi lapsu bestiæ certò interficiendi 1. *Machab.* 6. quem fortitudinis actum laudat *Ambrosius l.* 1. *Offic. c.* 40. Similia leguntur in vitis Sanctorum de S. Apollonia, quæ ex carnificum manibus elapsa in rogum insiliit, & S. Pelagia, quæ cum sociabus virginitatis servandæ causa se in flumen projecit. Accedit factum Salomonis, qui juxta *Hieronymum* adhuc quodennalis adinvenit consilium dividendi infantem, de quo contendebant mulieres, cujus infans esset 3. *Reg.* 3.

*Responsio.*

Resp. ipsas virtutes in quavis materia satis perficere hominem, ut sit mobilis, etiam à sancto Spiritu, interveniente speciali illustratione intellectûs aut motione seu determinatione affectûs per virtutem gratiæ actualis. Neque ex eo quòd opus sit heroicum aut extraordinariè perfectum sequitur illud non pertinere ad eamdem virtutem, quamdiu non mutatur ratio seu honestas objectiva, cùm alioquin cetera principia solùm faciant ad accidentalem perfectionem actûs, qui aliàs non fuisset tam perfectus aut heroicus; quod proinde multò minùs sufficeit ad substantialem diversitatem habituum.

48. *Opera heroica Abrahæ, Sampsonis, Salomonis &c. sine donis habitualibus à Virtutibus distinctis esse facta ostenditur.*

Quod itaque ad exempla allegata attinet, in primis voluntas immolandi Isaac erat in Abraham opus heroicum obedientiæ: suppositâ enim speciali illustratione Dei, quâ tamquam vitæ Dominus suum illi intimabat mandatum, fides dictabat esse obediendum, & voluntas idem imperabat ex virtute obedientiæ aut charitatis erga Deum, adjuta per gratiam actualem Spiritûs sancti, quæ etiam supposito virtutis habitu est necessaria ad opera heroica & difficilia. Similiter virtus fortitudinis cum Dei gratia inclinabat Sampsonem & Eleazarum, præsuppositâ illustratione divinâ, quâ cognoscebant sibi opus tale à Deo permitti. Quæ illustratio non est quid permanens, sed actualis cogitatio miraculosa, vel per specialem revelationem excitata in hominibus; qualis etiam dirigebat Hebræos in spoliando Ægyptios, quamvis petitio auri & argenti non spectaret ad habitum specialem neque esset donum. Eodem modo virtus charitatis

ritatis Apolloniæ, eademque virtus castitatis Pelagiæ cum sociabus ad præfata opera sufficere potérat, adjunctâ determinatione divinæ gratiæ actualis, quæ etiam sine habitu, accedente speciali concursu, sufficere potuisset. Denique Salomon partim ex ingenio naturali, partim ex sapientia ei per accidens præ ceteris etiam justis à Deo infusâ, accedente excitatione specierum, adinvenire poterat tam extraordinarium explorandæ veritatis medium absque dono habituali distincto à ceteris habitibus ordinariis sapientiæ vel scientiæ.

49. *Fructus Spiritûs sancti quinam, & unde sic dicti.*

Fructus, de quibus hîc agitur, sunt illi duodecim, quos enarrat Apostolus *ad Gal.* 5. dicens: *Fructus autem Spiritus sunt, Charitas, Gaudium, Pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Non tamen recensentur ibi in particulari omnes fructus Spiritûs gratiæ, ipsiusque sancti Spiritûs, qui est gratiæ largitor: sicut nec antea expressa fuerant omnia mala sive carnis opera; sed quotquot opera vel affectus sanctus Spiritus per suam gratiam in nobis non sine nobis operatur, fructus Spiritûs sunt.

*Pertinere ipsos ad ordinarias virtutes declaratur.*

Cæterùm fructus nominatos pertinere ad aliquas virtutes ordinarias videtur manifestum: nam pleræque virtutes exprimuntur propriis nominibus; adeoque significant habitus, vel potiùs connotant eorumdem operationes, quibus ratio fructus præsertim competit, sicut è contrà fructus carnis sunt ipsa mala opera. Quòd si autem in quorumdam fructuum explicatione Nonnulli inter se dissentiant, in hoc tamen conspirant, quòd id in quo fructus statuant, sit sive virtus aliqua specialis, ejusve operatio, sive diversarum virtutum ordinariarum complexio. Solummodo gaudium, quod ex amore Dei nascitur, atquè etiam pax sive tranquillitas mentis, quæ ex destructione vitiorum, & statu gratiæ ac amicitiæ divinæ oritur, non sunt in sententia *Scoti* & Aliorum operationes; sed quædam passiones, quæ consequuntur operationes; cum his tamen spectant secundariò & consequenter ad eamdem virtutem.

50. *Novem gratiæ gratis datæ ex Apostolo recensentur.*

De Gratiis gratis datis agit *Scotus sup. n.* 20. *& seqq.* Novem enumerat Apostolus 1. *ad Cor.* 12. *Alij quidem* (inquit) *per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in uno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.*

*Quî distinguantur contra gratias gratum facientes.*

Quæ vocantur gratiæ gratis datæ, ut condistinguantur contra gratias gratum facientes: hæ enim etsi quoque gratis donentur, tamen conceduntur pro se & principaliter ad utilitatem propriam, ut gratus fiat aut maneat Deo is cui donantur: quales sunt habitus Virtutum Theologicarum, & gratiæ quæ actuales dicuntur: at gratiæ gratis datæ concedi principaliter solent ad utilitatem proximorum, ut per illas ipsi instruantur, vel excitentur ad fidem & bonitatem, aut etiam corporaliter adjuventur. Quamvis simpliciter non repugnet gratiam gratis datam, v. g. gratiam miraculorum, dari alicui à Deo principaliter, ut ipsemet convertatur, vel conversus maneat ad Deum. Id tamen rarum est, & per accidens; regulariter autem & per se aliter fit. Ipsæque gratiæ gratis datæ ex natura sua non magis spectant ad bonum spirituale habentis illam (prout spectat gratia gratum faciens) quàm aliorum.

*Non sunt habitus ab ordinariis virtutibus distincti.*

Quovis autem modo explicentur hæ gratiæ, non sunt habitus virtutum ab ordinariis distincti: sed consistunt, sive in speciali excitatione specierum, aut illustratione, vel etiam revelatione divina: sive in habitu per accidens infuso: sive in fide infusa, junctâ speciali illustratione Dei: sive in extrinseca assistētia divinæ omnipotentiæ. Ut proinde septenario virtutum numero, trium scilicet Theologicarum & quatuor Cardinalium cum annexis, nullus habitus per se infusus superaddendus videatur. Quamvis alioquin huic doctrinæ nostræ (quæ loquitur de eo, quod ordinariè fit, & in omnibus justis locum habet) non repugnaret specialis infusio habitûs supernaturalis Nonnullis facta aut facienda.

## QUÆSTIO V.

### *De Subjecto Virtutum.*

51. *Quodnam subjectum Virtutum Theologicarum.*

DE Virtutum Theologicarum subjecto non est specialis difficultas. Constat enim apud omnes earum subjectum esse animam quatenus est rationalis. Et quidem fides proximè subjectatur in intellectu, sicut & ipse fidei assensus, qui est actus intellectus, juxta illud Apostoli *ad Hebr.* 11. *Fide intelligimus.* Spes autem & charitas, uti & illarum actus, sunt immediatè in voluntate juxta Doctores communiter. Quamvis enim hæ potentiæ non distinguantur ab anima realiter juxta *Scotum* & alios passim, in eaque proinde subjectentur omnes prædicti actus & habitus realiter loquendo: tamen non solent ulli Doctores sic loqui, ut actus vel habitus intellectûs subjectari dicant in voluntate, vel contrà, sed in anima prout subbit rationem intellectûs aut voluntatis respectivè.

*Moralium subjectum voluntas.*

De Virtutibus etiam Moralibus, quæ sunt ad alterum, v.g. justitiâ, Religione &c. satis conveniunt Doctores, eas in voluntate subjectari; sicut in ira subjectantur earumdem actus.

Sed

non nascitur ex solo appetitu sensitivo: nam etiam ipsa voluntas habet in se proprias passiones, utiliter per habitum superandas. Deinde independenter ab actibus appetitûs, voluntas indubiè habet difficultatem circa objecta fortitudinis v.g. mortem seu pericula illius. Probatur III. Quia etsi in objectis nulla foret specialis difficultas, ipsa tamen voluntatis indifferentia sufficere posset ad habitum: sine dubio enim per exercitium actuum compararet specialem inclinationem ac facilitatem circa talia objecta, adeò ut postea difficiliùs se ab illorum amore cohiberet. Quod etiam in objectis naturæ delectabilibus ostendit ipsa experientia: ad illa enim etsi homo sit ab initio inclinatus, per exercitium tamen vitiosum acquirit multò majorem inclinationem. Quinimmo si in voluntate non darentur habitus virtuosi fortitudinis & temperantiæ, dicendum potiùs foret, ipsam voluntatem munus harum virtutum subire, quatenus suppositis supponendis ex se est facilis & expedita ad actus bonos in istis materiis. Sicuti nonnulli ab Angelis non patientibus difficultatem in bono excludunt virtutes morales superadditas, dicentes ipsam potentiam voluntatis subire singularum officium, quatenus ad singularum actus est prompta & expedita. Denique, ut ad hominem arguamus contra adversæ partis Auctores, existimantes habitum virtutis etiam independenter à prudentia non posse inclinare in malum; item in justis dari temperantiam & fortitudinem per se infusam: manifestum est habitus appetitûs sensitivi, utpotè non inclinantes in ipsam honestatem, sed in actum physicè quasi spectatum, posse inclinare in actus vitiosos: cùm nihil obstare posset, nisi quòd virtus tantùm respiceret actus sub motivo honestatis. Similiter nullâ veri specie Virtutes supernaturales adscribuntur appetitui sensitivo, in quo tantùm sunt qualitates materiales, inclinantes similiter tantùm in actus materiales ejusdem potentiæ, non autem efficientes actus supernaturales & spirituales voluntatis.

53. *An habitus proportionati generentur in appetitu sensitivo;*

Nunc inquiritur, utrùm saltem aliqui habitus proportionati in appetitu sensitivo generentur. Ad quod *Scotus sup. n.* 13. & alii Doctores satis communiter respondent affirmativè: nam experimur per exercitium passiones ipsius appetitûs valdè componi; id autem non potest tribui habitibus voluntatis; voluntas enim immediatè non dirigit appetitum, immo in motibus primò primis appetitus illam prævenit; quæ proinde prævention non potest frænari per subsequens voluntatis exercitium; sed per prævium habitum ipsius appetitûs. Deinde sicut voluntas, sic & appetitus sensitivus per exercitium fit facilis & inclinatus in objectum virtuosum, licet voluntas sola illud appetat sub ratione honestatis. Denique appetitus sensitivus non obedit per omnia voluntati; ergo ut faciliùs obediat, necesse est ipsum habituari circa idem objectum, circa quod est habituata voluntas.

54. *An iidem sint appellandi virtutes.*

Utrùm verò tales habitus in appetitu sensitivo existentes appellandi sint virtutes, est controversia de nomine. Certè non sunt ita appellandi in omni rigore: cùm virtus propriè sit habitus electivus, adeoque pertineat ad potentiam electivam, id est, voluntatem. Deinde in nulla potentia est propriè virtus, in qua esse non potest proprius virtutis actus, hic autem in appetitu sensitivo esse non potest, cùm ille tantum versetur circa delectabile seu commodum, actus autem virtuosus versari debeat circa honestum ut sic. Alioquin quia tales habitus, dum inclinant in actus sensitivos, per sympathiam etiam inclinant voluntatem ad actus bonos & honestos, eidemque subserviunt ac velut subsidiarii sunt, possent largè appellari virtutes: maximè quia motus inordinati appetitûs sensitivi solent quoque largè peccata & moraliter mala appellari, & habituales inclinationes correspondentes, vitia.

55. *An vel cur potiùs in appetitu, quàm in locomotiva hujusmodi habitus generentur.*

Sed difficultate non caret, cur potiùs detur habitus in appetitu sensitivo, quàm in potentia loco motiva: cum ambæ potentiæ sint necessariæ & ad unum determinatæ. Deinde posito voluntatis imperio, appetitus obedit necessariò, si possit; vel necessariò non obedit, si non possit: ut autem obedire possit, non facit habitus, qui videlicet non dat, sed supponit posse, & tantùm addit facilitatem. Nihilominus responderi inprimis potest non deesse, qui etiam ponunt habitum in potentia locomotiva, in quantùm movetur motu arbitrario; eò quòd etsi despoticè obediat, & necessariò eliciat actum suum; tamen non nisi applicata à voluntate; & in quantùm applicata: tunc autem efficit quidem motum necessariò; tamen illum, quem efficit, præsente habitu efficit expeditiùs, ut patet in cytharædis &c. Deinde differentia inter utramque potentiam est, quòd locomotiva obediat despoticè; appetitus autem politicè, & sæpe resistat: adeoque habitus in eo plurimùm conducunt, ut obediat eâ occasione, quâ non obediret, si habitu careret; etsi equidem quando tunc obedit, necessariò id faciat. Itaque habitus præstant, ut appetitus minùs reluctetur, & obediat voluntati imperanti v.g. remissè, qui aliàs non obediret, nisi efficaciùs imperanti.

## QUÆSTIO VI.

### *De Connexione Virtutum.*

56. *Virtutes sunt connexæ.*

DICO I. Virtutes sunt necessariò connexæ cum prudentia proportionata. Dico *proportionata*: totalis enim prudentia

*xa cum proportionata prudentia.*

dentia habet plures partes non necessariò connexas, sive partiales habitus disparatos circa disparatas & varias diversarum virtutum materias. Conclusio patet ex dictis hac *disp. q. 1. n. 8.* ubi ostensum est completam rationem virtutis exigere conformitatem cum prudentia. Confirmatur: quia nulla virtus acquiritur fine actu bono, adeoque elicito ex dictamine rectæ rationis; ex hoc autem dictamine pariter gignitur habitus proportionatæ prudentiæ. Destructa verò prudentiâ posset quidem absolutè habitus virtuosus non destrui, si videlicet intellectu errante, voluntas non sequatur judicium erroneum, sed ab agendo abstineat: id tamen non est natum contingere, neque habitus remanens retinebit completam rationem virtutis, quæ non possit inclinare in actum vitiosum: immo non poterit exire in actum virtuosum, nisi deinde accedat dictamen prudentiæ.

57. *Ipsa verò non necessariò dependet à virtute morali.*

Dico II. Prudentia non necessariò dependet à virtute morali. Est *Scoti d. 36. n. 14.* & passim aliorum, contra *D. Thomam q. 58. a. 5.* & quosdam alios. Ratio est: quia potest intellectus rectè dictare aliquid agendum (unde generabitur habitus prudentiæ) quamvis voluntas dictamen intellectûs in agendo non sequatur; in qua proinde non oritur virtus moralis defectu virtuosæ operationis. Similiter aliquis virtute præditus potest servatâ prudentiâ virtutem moralem amittere; v.g. temperans, si retento dictamine rectæ rationis practicæ de objecto virtutis, incipiat contrà illud scienter malè operari, juxta illud Poëtæ:

*Video meliora proboque*
*Deteriora sequor.*

Talis enim expellet habitum virtutis moralis per actum contrarium, retentâ tamen prudentiâ; utpote cui per actum contrarium sive errorem non contravenit.

*Quo sensu errare dicantur, qui peccant.*

Nec obstat illud *Proverb. 14. Errant, qui operantur malum.* Nam loquitur Sapiens de errore morum, qui consistit in deflexione à via mandatorum & regula rectæ rationis.

58. *Qualiter malitia excæcet intellectum.*

Fatendum tamen est, ordinariè verum esse, quòd vulgò dicitur: *Malitia excæcat intellectum;* Et quod ait Philosophus 3. *Ethic.* 4. *Qualis quisque est, talis sibi finis videtur.* Et iterum: *Omnis pravus ignorat, quæ agere oportet, & à quibus est abstinendum.* Primùm, quia affectus avertit intellectum à consideratione recti: qui si, ut oportet, illud vivaciter perpenderet, affectus rarò peccaret. Secundò, quia frequenter inde ad falsa & imprudentia judicia affectui depravato consona intellectus deflectit. Tertiò, quia affectus applicat intellectum ad considerandà media fini malo accommodata; idque frequenter sine errore aut imprudentia: cùm sicuti ad bonum, sic etiam ad malum finem dentur & inveniantur media verè accommodata, prout divitiæ sunt vere accommodatæ ad luxum. Propriè autem imprudentia solùm habet locum in secundo modo allegato, & per eum prudentia proportionata verè destruitur; sed iste modus non necessariò aut semper intervenit.

59. *Virtutes moralis non sunt necessariò inter se connexæ.*

Dico III. Virtutes morales non sunt necessariò inter se connexæ, quin una per se loquendo possit sine altera acquiri vel conservari. Ita *D. Bonaventura, Scotus, Nominales 3. d. 36. Vasquez, Azorius* & alii, contra *Thomistas*, quos sequitur *Suarez, Valentia* & alii. Probatur: quia hæ virtutes sunt perfectiones realiter distinctæ, nec una est pars vel proprietas alterius; nec est ulla prorsus ratio necessariæ connexionis ex parte materiæ aut aliunde: ergo potest una haberi sine alia, non minùs, quàm una scientia sine altera. Deinde diversi non habent occasionem variarum virtutum, v.g liberalitatis, virginitatis, fidei conjugalis, bellicæ fortitudinis &c: qui tamen possunt frequenter se in materia & honestate aliarum virtutum, v.g orationis, abstinentiæ &c. exercere, adeoque virtutes illas etiam perfectè acquirere ac servare, etiamsi honestatem priorum virtutum nequidem considerent. Confirmatur: quia potest aliquis esse maximè justus, qui tamen sit deditus vitio morositatis, libidinis &c.

*Explicantur dicta quadam S. Gregorii.*

Nec obstat, quòd *Gregorius l. 22. Moral. c. 1.* dicat: *Si quis unâ virtute pollere creditur, tunc veraciter pollet, cùm vitiis ex alia parte non subjacet. Et l. 21. c. 3. Una virtus sine alia vel nulla est omnino, vel minima.* Nam Resp. cum *Scoto suprà* non esse virtutes principia merendi, quamdiu deest una virtus, quæ sub mortali requiritur, ita ut absentia talis virtutis sit mortale peccatum: quod certum est.

60. *An vel qualiter interdum ad unam virtutem requiratur per accidens consortium alterius.*

Adverte tamen, subinde per accidens conducere, aut quodammodo requiri ad conservationem alicujus virtutis consortium alterius; eò quòd subinde materia certæ alicujus virtutis necessariò simul exercendæ sese offerat: qualiter ad servandam continentiam in Martyribus requirebatur fortitudo, ne metu mortis continentiam perderent, & ad servandam justitiam quandoque requiritur liberalitas, quæ compescat impetum avaritiæ circa bona aliena &c. Et hoc modo *Scotus sup. num. 10.* exponit quasdam Auctoritates, quæ dicunt virtutes instar sororum esse connexas. Sed hoc non semper usuvenit, neque etiam obstat, quòd minùs dum talis occasio sese non offert ejusmodi quoque virtus sine altera acquiratur. Quemadmodum charitas Dei frequenter admittitur occurrente difficultate in materia virtutum moralium, si peccator justificatus non sit illis præditus; & tamen certissimum est charitatem posse recipi ab homine per contritionem, qui plerisque virtutibus moralibus careat. Adde, quòd in simili occurrentia materiæ diversarum

*sine alia vel nulla sit omnino, vel minima.* Nam Resp. cum *Scoto supra* non esse virtutes principia merendi, quàm diu deest una virtus, quæ sub mortali requiritur, ita ut absentia talis virtutis sit mortale peccatum: quod certùm est.

60. *An vel qualiter interdum ad unam Virtutem requiratur per accidès consortium alterius.*

Adverte tamen, subinde per accidens conducere, aut quodammodo requiri ad conservationem alicujus virtutis consortium alterius; eò quòd subinde materia certæ alicujus virtutis necessariò simul exercendæ sese offerat: qualiter ad servandam continentiam in Martyribus requirebatur fortitudo, ne metu mortis continentiam perderent, & ad servandam justitiam quandoque requiritur liberalitas, quæ compescat impetum avaritiæ circa bona aliena &c. Et hoc modo *Scotus sup. num.* 10. exponit quasdam Auctoritates, quæ dicunt virtutes instar sororum esse connexas. Sed hoc non semper usuvenit, neque etiam obstat, quò minùs dum talis occasio sese non offert ejusmodi quoque virtus sine altera acquiratur. Quemadmodum charitas Dei frequenter amittitur occurrente difficultate in materia virtutum moralium, si peccator justificatus non sit illis præditus; & tamen certissimum est charitatem posse recipi ab homine per contritionem, qui plerisque virtutibus moralibus careat. Adde, quòd in simili occurrentia materiæ diversarum virtutum, fortitudo v. g. sit quidem utilis ad servandam castitatem: tamen nec sufficiens, nec simpliciter necessaria. Non quidem sufficiens: quia tanta quanta sit, nihil juvabit sine speciali gratia Dei. Non absolutè necessaria: quia talis poterit cum gratia Dei superare pericula mortis, etsi numquam se exercuerit in materia fortitudinis. Deinde contra similia pericula potest castus animus se præmunire sæpe & ferventer proponendo amore castitatis ista contemnere: quæ quidem proposita essent actus eliciti virtutis castitatis. Et quidem ordinariè in similibus periculis animus castus contemnet mortem, non ex proprio motivo fortitudinis, sed potiùs castitatis vel charitatis.

61. *Possunt Virtutes morales esse sine Theologicis, etiam ab ea fide.*

Dico IV. Virtutes morales non sunt necessariò connexæ cum Theologicis, quin sine his possint existere. Ita *Scotus supra* & alii Doctores communiter. Probatur: quia nulla ostendi potest dependentia virtutis moralis acquisitæ à Theologicis: objectum enim virtutis moralis v. g. temperantiæ, justitiæ, potest absque virtutibus Theologicis earumque objecto proponi v. g. Hæreticis, immo & Gentilibus: Deus quoque potest dare gratiam, quatenus & quando esset necessaria ad moraliter bene operandum.

*Immo absque omni notitia Dei.*

Et hæc Conclusio non tantùm est vera de illis, qui saltem naturaliter cognoscunt Deum, sed etiam de illis, qui verum Deum nullatenus cognoscunt: nam cognitio Dei non est necessaria, ut proponatur honestum objectum virtutis moralis; sicut nec ut proponatur objectum oppositum inhonestum: v. g. dignum & rationabile esse hominem honorare parentes, reddere cuique debitum, succurrere innocenti oppresso &c.

62. *Explicatur dictum Apostoli:* Omne quod non est ex fide, peccatum est,

Nec obstat illud Apostoli *ad Rom.* 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Nam per fidem ibi intelligitur credulitas, seu dictamen conscientiæ juxta Patres & Expositores passim. Si autem cum *Augustino* intelligeretur fides Catholica, non esset locus exponendus negativè, quasi propriè peccatum sit, quidquid non procedit ex dictamine fidei Catholicæ, sed contrariè, quidquid scilicet est contra dictamen talis fidei.

*Item illud:* Sine fide impossibile est placere Deo.

Non obstat etiam illud *ad Hebr.* 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Intelligitur enim eo modo, quo placent justi & amici. Aut certè per *placere* intelligitur sic operari, ut quis apud Deum mereatur de condigno sive congruo vitam æternam, aut bona aliqua ad hanc conducentia.

63.

Non obstat III. *Augustinus*, qui variis locis, signanter *l. 4. contra Julianum c.* 3. videtur docere, quòd in infidelibus non dentur veræ virtutes, aut opera absolutè bona, eò quòd etsi sint bona ex officio seu objecto, non tamen ex fine seu defectu relationis in Deum, quem verâ fide non noverunt. Unde quamvis referrentur in honestatem ipsius virtutis moralis, non essent equidem opera absolutè bona: *Nam* (ut ait idem *Augustinus l. 19. de Civit. c.* 25.) *licet a quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm referuntur ad se ipsas, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ & superbæ sunt, ideoq; non virtutes, sed vitia judicandæ sunt.*

*Augustinus non sensit omnia opera infidelium esse peccata seu non virtuosa.*

Respondetur *Augustinum*, ut doctrina illius consonet veritati ac rationi, & ut argumenta ejusdem bene probent, nec censeatur docere quod in *Bajo* expresse est condemnatum, sanè intelligendum esse de virtute fructuosa & utili ad vitam æternam, adeoq; loqui de virtute in strictiori acceptione. Unde *Augustinus ibid. contra Julianum* ait: *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem nihil prosint homini virtutes, nullo modo possunt esse veræ virtutes.* Et in fine: *Sufficit, quòd apud Deum steriles sint, ac per hoc non bonæ.* Simili exaggeratione eodem cap. dicit: *Absit, ut in aliquo sit vera virtus, nisi fuerit justus.* Et circa finem capitis rursum requirit fidem per dilectionem operantem. Quare etiam nos non solùm ex officio, sed potissimùm ex fine virtutem metimur: dicimus tamen finem virtutis moralis secundùm se esse honestum Deoque placitum; etiam sine expressa relatione in Deum; quæ etsi requireretur, adhuc non esset necessaria fides infusa, ut verba *Augustini* sonare videntur, sed sufficeret cog-

nitio Dei naturalis. *Julianum* autem solum officium seu objectum ad virtutem exegisse ex eo colligi videtur, quod *Augustinus* ibidem toties ei opponat exempla ex officio bona, sed fine positivè malo vitiata: hoc enim aliàs foret extra propositum nullíusque roboris. Aut certè virtutes naturales viribus arbitrii exercitas contendebat non esse steriles, sed fructuosas in ordine ad æternam beatitudinem.

64. *Virtutes ad seipsas relatas quo sensu vocet superbas.*

Quòd igitur virtutes ad se ipsas relatas *Augustinus* vocet inflatas & superbas, non potest intelligi de illis secundùm se: quæ enim posset esse superbia in eo, quòd aliquis humiliter aut temperatè vivat, eò quòd putet id esse honestum & hominem decens? Solùm ergo hoc verum est occasionaliter, quatenus videlicet inde facilè potest operans, sublimiore fine non munitus, superbire ac vanè gloriari, prout plerumque Gentiles Philosophi fecerunt. Aut certè id verum est de illis, qui in virtutum moralium exercitio statuebant summum suum bonum ac felicitatem. Alioquin ipse *Augustinus lib. de Spiritu & Littera c. 27.* admittit in infidelibus aliqua bona opera ad salutem æternam non proficua: *Sine quibus* (inquit *cap. 28.*) *difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*; eaque *cap. 27.* fatetur talia, *quæ secundum regulam justitiæ non solùm vituperare non possumus, verùm etiam merito justèque laudamus.* Addit tamen pauca in illis inveniri, quin fine pravo vitientur, dicens: *Quamquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inveniantur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereatur.* Vix inquit reperiri in illis bona opera numeris omnibus completa, supponens reperiri aliquando, sed rarius, dum finis indebitus non præfigitur. Quo non præfixo, si infidelis malè ageret dando v. g. eleëmosynam, ei potiùs suadenda foret abstinentia à bono opere non præcepto, utpote non peccaturo, si omittat; peccaturo, si operetur.

*Alibi in infidelibus bona opera, sed rarò, dari fatetur.*

65. *Refertur doctrina requirens ad opus bonum coëxistentiam charitatis.*

Adverte olim fuisse quosdam Doctores, qui non solùm fidem, sed etiam charitatem requirebant ad opus bonum. Unde est ille articulus damnatus in *Michaele Bajo: Omne quod agit peccator aut servus peccati, peccatum est.* Quibus etiam videtur favere *Augustin. sup.* & aliis locis. Item Scriptura *Isaiæ 1.* ubi Deus videtur rejicere sacrificia & bona opera propter malitiam operantium. Et *Matth. 7.* dicitur: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Denique sicut gratia, sanctificans dignificat opera hominis justi, sic etiam peccatum videtur maculare omnia opera peccatoris.

*Quæ velut inimica fidei reprobatur.*

Sed hæc Doctrina est à tribus Pontificibus damnata. Immo expressè repugnat *Tridentino sess. 6. can. 7.* ubi definit, non omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, verè esse peccata. Et planè absurdum est, cogitare, quòd peccator per actus fidei, spei aut similes ad justificationem se disponens, peccet: cùm tamen actus illi sint optimi, & aliàs peccator non posset se ad remissionem peccatorum, nisi peccando & Deum offendendo, disponere.

66. *Fundamenta ejusdem dissolvuntur.*

*Augustinus* autem explicandus est de opere condignè meritorio; vel quòd peccator in peccato perseverans frequenter servit dominanti cupiditati. Quod verò attinet ad Scripturam, Isaias vel loquitur de tempore legis novæ, quo ceremoniæ antiquæ expirarant, vel significat ejusmodi opera impiorum, cùm tantùm valeant ex fide & pietate operantium, defectu illius Deo non placere, præsertim quia affectu manebant in peccatis obfirmati; vel denique loquitur de operibus fine aut pravâ circumstantiâ vitiatis à populo illo gravi iniquitate, & duri cordis, Christus autem loquitur de falsis & veris Prophetis, seu Doctoribus quà talibus, significans ex vera doctrina non oriri malos fructus, nec ex falsa bonos; licet falsi Doctores eam tegant simulatione sanctitatis, quæ tamen ex fructibus seu operibus facilè poterit deprehendi, cùm ita ferè soleat fieri, ut falsi Prophetæ non diu sub ovina pelle lateant, sed fructibus seu operibus sese prodant. Si autem per arborem malam & bonam intelligeretur mala & bona voluntas, non tantùm esset sermo de ipsa potentia volitiva, sed de actuali voluntate interiori, quæ si bona sit, profert fructus seu opera externa bona, si autem mala, profert mala. Quod denique ad rationem attinet, inde potiùs confirmatur id quod diximus: nam sicut gratia non dignificat opera justi indifferentia, aut venialiter mala; sic nec peccatum debet maculare omnia opera peccatoris.

67. *Possunt Virtutes Theologicæ esse sine moralibus.*

Dico V. Possunt è converso Virtutes Theologicæ existere sine moralibus. Patet: quia parvulis infunditur in baptismo Virtutes Theologicæ, qui tamen nullâ virtute morali acquisitâ sunt præditi. Similiter adultus vitiis plenus potest Virtutes Theologicas recuperare, adeòque justificari, qui tamen per actus contrarios vitia moralia nec destruxit nec virtutes acquisivit. Hinc que fit, tales, nisi fulciantur auxilio divino potentiori, rursum facilè in peccata mortalia labi, & charitatem amittere.

*Intellige, acquisitus.*

Conclusio intelligitur de virtutibus moralibus & naturalibus: si enim darentur aliquæ supernaturales & per se infusæ, ut communior aliorum tenet opinio, hæ juxta eosdem non recipiuntur aut conservantur sine charitate, cujus sunt individuæ consociæ ac fructus, ut ipsi loquuntur.

68. *Charitas juxta præsentem vitæ statum esse nequit sine fide & spe.*

Dico VI. Inter Virtutes Theologicas ea est connexio, ut charitas esse nequeat sine fide & spe: è contrà tamen possit spes esse sine charitate, & fides sine utraque. Conclusio est recepta apud omnes Doctores. Prima tamen conclusionis pars est intelligenda

ligenda juxta præsentem vitæ statum: nam charitas ex natura sua non pendet à fide, cùm sufficiat adesse aliam notitiam supernaturalem: ideoque fide evacuatâ poterit optimè charitas Dei clarè visi manere in patria. Itaque hæc pars conclusionis probatur: quia charitas non infunditur, nisi simul infundantur aut certè infusæ supponantur spes & fides, ut patet ex *Trid. sess. 6. c. 7.* Neque etiam potest amitti spes aut fides, nisi pariter amittatur, aut amissa supponatur charitas; cùm fides tollatur tantùm peccato mortali infidelitatis, spes peccato mortali desperationis, aut ad summum etiam indirectè per infidelitatem; hinc autem pariter adest causa destructiva charitatis, quæ amittitur quovis peccato mortali. Secunda pars patet in homine justo, qui labitur in peccatum mortale furti, fornicationis &c, is enim cùm necdum desperet, amissâ charitate retinet spem: quòd si insuper desperet, non fiat tamen infidelis, amissâ etiam spe retinet fidem, quæ quidem per infidelitatem, non tamen per quodlibet peccatum mortale amittitur, ut docet *Tridentinum sup.* addens *can.* 28. fidem sine charitate esse quidem veram fidem sed non vivam.

*Spes tamen sine charitate, & fides sine utraque potest existere.*

69. *Et manere vera virtutes, etsi informes seu non vivas.*

Utrùm verò fides & spes sine charitate, quæ dici solent informes, sint veræ virtutes, tantùm potest esse quæstio de nomine. In qua *D. Thomas q. 65. art. 4.* inhærens locutioni quorumdam Patrum docet non esse veras virtutes, eò quòd charitas earum forma & vita desit. Sed inhærendo communi definitioni Virtutis, & modo loquendi Scholasticorum rectiùs *Scotus d. 36. n. 21.* & plerique alii dicunt quidem esse veras virtutes, non tamen vivas, id est, meritorias, eò quòd charitas sit forma earum, sed tantùm extrinseca, tribuens illis vitam accidentalem seu vim merendi. Unde sicut corpus carens animâ, cui assimilatur fides informis *Jac. 2*, manet verum corpus, etsi non vivum: sic virtutes carentes vitâ charitatis manent veri nominis (prout ipsum hodie sumitur) virtutes, eædemque numero, dum sunt sine, & dum sunt cum charitate.

Quod si instituatur comparatio spei ad fidem, constat eam non posse comparari sine fide: nam vel uterque habitus non infunditur, nisi simul cum charitate, vel saltem spes seorsim non infunditur, nisi prævio actu fiduciæ seu spei; hic autem non elicitur, nisi prævio actu fidei, qui pronde pariter disponeret ad infusionem habitûs fidei. An autem destructâ per infidelitatem fide etiam destruatur spes, dicetur *quæst. seq.*

70. *An fides & spes infundantur ante Charitatem.*

Super est autem controversia scholastica, utrùm fides possit primò comparari sine spe & charitate, aut spes sine charitate. Affirmant satis multi Doctores, signanter *Conink de Fide d. 16. dub. 4.* ad primum actum fidei elicitum ab infideli infundi habitum fidei, & ad primum actum spei habitum spei, etsi necdum sit elicita sufficiens dispositio ad infusionem habitus charitatis. Idque apparet satis plausibile: cum enim habitus fidei & spei possint sine charitate remanere, & in actus exire, cur non possint sine ea infundi? Præsertim quia fieri potest, ut ad fidem conversus ob aliquem affectum erga peccatum diu perseveret in fide absque charitate, qui tamen non minùs habitu fidei pro quotidiano actuum exercitio indiget, quàm fidelis, qui charitatem semel habitam per peccatum amisit. Præterea connaturalius videtur, ut ad dispositionem actûs proportionati mox infundatur habitus. Unde etiam si actus v. g. fidei posset physicè producere habitum, produceret illum ante infusionem charitatis: adeoque videtur similiter Deus illum posito actu mox infundere.

*Sententia affirmans cum suis probationibus adducitur.*

Nihilominus opinio hæc nititur meris & incertis conjecturis: cum alioquin res ista pendeat à voluntate Dei, ex qua potuisset esse connexio in infusione, esto non foret in conservatione. Hanc porrò subesse docet *D. Bonaventura 3. d. 23. in Expos. Textus dub. 6.* & *4 d. 14. parte 1. art. 2. q. 3. Scotus d. 36. n. 30. Durandus, Occam, Richardus, Vega*, immo & *D. Thomas*, ut citat & sequitur *Arriaga disp. 16. de fide sect. 4.* Et favet *Tridentinum*, quod explicatis *sess. 6. c. 6.* dispositionibus actualibus fidei, timoris, spei &c, subdit *c. 7: hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur*, consistens utique in infusione gratiæ & donorum, fidei scilicet, spei & charitatis, ut Concilium se ipsum explicat; quod proinde supponere videtur, necdum esse infusa. Unde subdit: *Hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem & charitatem.* Per hoc autem quod subdit, *Nam fides nisi ad eam accedat spes & charitas, neque unit perfectè cum Christo &c*; non significat Concilium, de facto aliquando contingere, ut ad infusionem fidei non accedat spes & charitas, sed solùm indicat insufficientiam fidei, si sola esset; prout de facto frequenter sola remanet. Præterea in justificationis augmento, sive fiat per merita sive per Sacramenta, semper augentur simul fides, spes, & charitas: ergo etiam semper primò simul infunduntur. Insuper peccator per actus fidei & spei non auget ipsos habitus, dum manet in malo statu: ergo nec illos accipit sine charitate. Denique per actus moraliter honestos non comparantur virtutes morales per se infusæ (quas Ali admittunt) ante Charitatem: ergo nec comparantur ante illam habitus fidei & spei.

71. *Sententia Auctorum.*

Ad fundamenta oppositæ Sententiæ respondetur in primis fidem & spem posse dependere à charitate in fieri, & non in conservari: prout anima rationalis sic dependet

72. *Fundamenta alterius sententiæ dissolvuntur.*

det à corpore in fieri, & si connaturaliter extra corpus conservetur: prout etiam impetus, pendet ab impellente in fieri, & si non in conservari. Fides itaque (idem cum proportione est de spe) semel infusa manet connaturaliter, donec demeritoriè expellatur; prout expellitur non per quodcumque destruitur charitas, sed per peccatum mortale infidelitatis, juxta *Trident. sess. 6. c. 15.* Quocirca fides semel habita manet in peccatore fideli, eò quòd is expulsionem fidei non demereatur. Quamvis hoc supposito, consequenter possit pariter manere ad fidei exercitium causandum, quantumvis ob hoc præcisè non remaneret: prout ob simile exercitium non manent etiam juxta Alios virtutes morales per se infusæ in peccatore, qui proinde actus illarum exercet cum auxilio Dei actuali. Cùm quo similiter eliciuntur actus earumdem (quæ juxta Alios non infunduntur ante charitatem, quantumvis prævièe eliciantur actus illarum) ante primam justificationem: & cõsequenter cum eo elici possunt ipsi actus fidei hanc justificationem præcedentes; maximè cùm perfectam conversionem ad fidem ordinariè citò sequatur perfecta justificatio. Neque est connaturalius, ut ad primum v. g. actum fidei infundatur habitus: quemadmodum etiam juxta Alios non est connaturalius, ut ad supernaturales actus virtutum moralium infundantur peccatori habitus proportionati ante charitatem: nec ut ad actus fidei elicitos à peccatore mox sequatur augmentum habitûs infusi.

Ipse insuper actus fidei non est dispositio connaturalis, sed ex arbitrio Dei, qui annexuit ei vim disponendi ad habitum fidei, quatenus pariter disponit ad perfectam justificationem: ut omittam, quòd *Arriaga sup. n. 25.* contendat potiùs censendum esse connaturale, ut fides tamquam principium per se requisitum infundatur ante actus. Deniquesi actus v. g. fidei esset physicè productivus habitûs infusi, non mirum, quòd hic statim tunc produceretur: verùm consequenter tunc foret alia natura ipsius habitûs & actûs; cùm naturæ actûs, qui modò est, omnino repugnet, fidem Theologicam producere. Adde idem argumentum mutatis terminis militare contra virtutes morales infusas, quæ quãtumvis actus proportionati prævièe eliciantur, non infunduntur ante charitatem: item contra augmentum habitûs fidei, utpote qui non augetur per actus elicitos à peccatore fideli: & tamen si actus isti essent physicè productivi habituum proportionatorum, eos statim producerent vel augerent.

## QUÆSTIO VII.

### *De Inæqualitate & Cessatione Virtutum.*

DE Virtutum inæqualitate pauca sunt dicenda, tum quia quædam de ea traduntur in materia particularium virtutum, tum quia pro parte est res valde incerta, ac difficilis seu potiùs impossibilis judicatu. Constat saltem in generali, non omnes virtutes esse æquales, prout nec æqualia sunt omnia vitia & peccata opposita. Deinde in particulari constat inter omnes excellere charitatem, de qua Apostolus 1. *ad Cor. 12.* ait: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Et *c. 13. Major autem horum est charitas.* Et *ad Coloss. 3. Super omnia autem hac charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Unde *Augustinus l. 15. de Trinit. c. 18.* docet, ex donis Dei nullam esse donum majus charitate, vel æquale. Nimirum quia habet objectum perfectissimum, & in illud tendit modo perfectissimo. Charitas enim modo purissimo Deum merè propter se respicit, eique voluntatem nostram sine admixtione amoris proprii subdit; secùs quàm Spes. Præterea ipsa universalissimè voluntatem Deo, atque adeò ipsi honestati subjicit & conformat in omnibus, quæ Deo placent, & cõsequenter circa omnium virtutum objecta, utpote Deo placentia; idque etiamsi nullum inde præmium sive commodum operanti resultaret. Quod postremum non convenit Spei; quamvis ipsa alioquin voluntatem nostram quodammodo generaliter divinæ subjiciat, quatenus omnia virtutum opera ad finem Spei conducunt. Reliquæ autem virtutes morales in particulari solùm materia voluntatem nostram divinæ, ipsique honestati conformant. Unde secundùm Apostolum *ad Rom. 13.* Charitas impletionem totius legis continet. Ipsaque finis præcepti dicitur 1. *ad Timoth. 1.* Hinc denique soli charitati concessum est, ut filios ac heredes Dei constituat.

73. *Virtutes non omnes æquales.*

*Perfectissima est charitas.*

Charitati succedit spes, spei fides: has subsequuntur virtutes morales, primò justitia, deinde fortitudo, denique temperantia. Inter species autem justitiæ antecellit Religio, & virtus ei affinis (si non sit species) Pœnitentiæ, ac virtus inclinans ad pium credulitatis affectum, qui est prævius ad capessendam fidem. Vide *D. Thomam quæst. 66.*

*Quis ordo cæterarum.*

Quod attinet ad Virtutum cessationem, illæ semel comparatæ manent in hac vita, quousque physicè vel demeritoriè destruãtur per actus pravos. Nam virtutes quidem Theologicæ, sicut non comparantur physicè per actus, sic neque per contrarios physicè destruuntur, ut docent communiter *Scotistæ*, & alii Theologi passim. Ratio est: quia

74. *Virtutes Theologicæ destruuntur demeritoriè.*

modo se habet ad spem, quo infidelitas ad fidem ; hæc autem amittitur per peccatum mortale infidelitatis. Spem insuper velut indirectè tolli per actum infidelitatis, docent unanimiter Theologi, immo *Suarez disp. 1. de Spe sect. 8.* dicit hoc esse certum. Ratio est: quia fides est fundamentum spei, & radix totius statûs supernaturalis: & per infidelitatem statuit se homo voluntariè in statu incompossibili cum actu fidei adeoque spei eliciendo. Quamvis hæc probatio, aut aliqua alia hîc allegabilis non convincat. Fides denique juxta *Tridentinum suprà* amittitur peccato infidelitatis, ei directè opposito, non autem quocumque alio peccato mortali.

*An etiam peccato infidelitatis:*

*Quo solo destruitur fides.*

76. Virtus acquisita destruitur contrariis vitiorum alienibus,

Virtus acquisita tam multitudine actuum, sic & destruitur multis actibus repugnantibus, quibus generatur habitus vitiosus, ut à contrario sensu colligitur ex *Tridentino sess. 14. c. 8.* de bonis & satis-factoriis operibus dicente: *Vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.* Estque perinde, sive actus illi sint peccata mortalia, sive venialia: nam etiam per frequentes veniales intemperantias v. g. perdi potest temperantia acquisita: cùm enim actus non generent habitum in quantùm sunt formaliter mali, ratio repugnantiæ non est malitia gravis vel levis, sed tendentia actûs repugnans physicæ tendentiæ actûs virtutis, quæ etiam reperitur in actu venialiter malo. Idque satis constat in illis materiis, circa quas actus non solent habere majorem malitiam quàm venialem, v. g. in materia urbanitatis. Nihilominus etiam virtutem obligantem sub mortali posse perdi per multiplices actus oppositos, etsi malos tantum venialiter, saltem defectu deliberationis, satis ex ratione jam facta colligitur. Confirmatur: quia furtum v. g. grave & leve opponuntur eidem virtuti per defectum: ergo ipsa simpliciter destrui potest per alterutrum.

Etiam venialiter tantùm malis,

Etiamsi sit virtus obligans sub mortali.

77. Fundamentum Arriagæ everti-tur.

Dices cum *Arriaga* ( qui *To. 3. Tr. de Vitiis & Peccatis disp. 40. sect. 4* cum quibusdam aliis oppositum tenet) assuetus furtis levibus non facilitatur nec inclinatur ad gravia, nisi forsitan indirectè, qualiter generatim venialia disponunt ad mortale, & consequenter modica paulatim decidit ob similitudinem objectorum: idcoque diversus videtur habitus inclinans ad magnam & ad parvam materiam: etsi enim sit idem objectum formale, tamen est diversa difficultas. Resp. Neg. Ass. & quidquid in objectione allegatur. Immo ipse *Arriaga* ( cujus est hæc objectio ) fatetur assuetum furtis gravibus & deliberatis inclinari etiam ad levia & indeliberata per eumdem habitum: ergo idem habitus est, qui inclinat ad utraque ; & consequenter assuetus levibus etiam facilitatur ad gravia. Nec obstat quòd sæpè in gravibus quis sentiat difficultatem & remorsum: hoc enim non est defectu habitûs, sed quia per accidens in furtis gravibus quædam concurrunt retardantia, v. g. timor patibuli, inferni &c ; quæ si abessent, aut nescirentur, habituatus ad furandum parva, etiam facile furaretur magna: quod enim ad furandum trahit est utilitas: si igitur utilitas parva trahat, quantò magis per se loquendo magna?

78. In damnatis nulla manet Virtus Theologica,

Ad durationem virtutum post hanc vitam quod attinet, inprimis nulla Virtus Theologica manet, in damnatis, ut Doctores unanimiter docent: adeòque *Bannez 2. 2. q. 5. art. 2. dub. 1.* oppositum censeat esse temerarium. Ratio est: quia illæ spectant ad statum & ordinem gratiæ, à quo damnati penitus exciderunt ; uti & à fine supernaturali, ad quem virtutes istæ sunt via. Itaque in ipsis cessat finis, ob quem talia dona à Deo conferuntur ; sunt que iidem donis tam sublimibus omnino indigni, quibus proinde privari merentur, qui in æternum privantur ipsâ gloriâ. Confirmatur: quia juxta fidem carent charitate ; spem verò esto ante non destructam, per actus desperationis destruerent ; uti & fidem per actus contrarios piæ affectioni credulitatis.

79. Quæ fides dæmonum, memorata Iac. 2. & quæ in. 2 hanc & fidem peccatoris differentia.

Nec refert, quòd in dæmonibus sit fides, juxta illud *Iac. 2. Et dæmones credunt, & contremiscunt* ; credunt nimirum, quòd Deus unus est, ceteroque Symboli articulos, ut ex Evangelio aliisque Scripturis satis intelligi potest. Non refert, inquam, quia non credunt fide divinitus infusâ, sed ex subtilitate naturæ ; nec voluntariè, sed coactè. Convincuntur enim, tum evidenti rerum experientiâ, tum per vera miracula pro confirmandis fidei articulis facta ; quæ quidem à falsis miraculis optimè discernunt, esseque testimonia certissima veritatis cognoscunt. Quare apertum est discrimen inter fidem etiam infirmem hominum viventium & fidem dæmonum: cùm ista sit voluntaria, hæc coacta : ista supernaturalis, hæc naturalis, innixa discursui & evidentiæ rationum. Unde rectè dixit *August. 9. de Civit. c. 21.* dæmones cognoscere Christum *non lumine fidei, sed efficaciâ signorum.* Nec tamen idcò vacillat comparatio Apostoli, quæ in hoc consistit, quòd sicut dæmonibus ad salutem nil prodest omnis illa notitia, quam de mysteriis fidei habent, quia non adest bona voluntas: sic nec Christiano, quamdiu non studet bonis operibus, fides ad salutem prodesse possit. Quod attendens *Augustinus*, & tamen sciens nonnihil interesse, dixit *Serm. 31. de Verbis Apost. c. 9.* fidem malorum hominum esse *propè fidem dæmoniorum.*

80. In animabus purgatorii manet fides, spes & charitas

Nihilominus in animabus purgatorii manet juxta Doctores communiter non solùm charitas, sed etiam cæteræ Virtutes Theologicæ : nam credunt, item sperant beatitudinem, ipsis quidem certam, tamen adhuc absentem, immo arduam, & quoad tempus

tempus illam obtinendi etiam, interdum saltem, incertam: denique justæ sunt & ex fidei directione Deum diligunt. Neque etiam in iis evacuari decebat quod ex parte est, donec in iisdem succederet quod perfectum est; ut à contrario sensu colligitur ex Apostolo 1. *Cor.* 13.

81. *In beatis manet charitas, sine fide.*

In Beatis verò manet juxta omnes charitas; de qua Apostolus 1. *ad Cor.* 13. *Charitas numquam excidit.* Fides quoque juxta Doctores communiter non manet: quia ei succedit visio seu lumen gloriæ, cujus vicem hîc supplebat, & ad quod tamquam perfectionem sui ordinabatur. Unde ejus adventu evacuatur, juxta illud Apostoli supra: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Quod de fide etiam habituali intelligunt doctores communiter. Alioquin si de actibus tantùm esset sermo, non solum fides, sed etiam charitas evacuaretur, utpote cujus actus destruitur, succedente alio perfectiori & specie distincto.

Nec refert, quòd Beati in cælo aliqua credant, quæ scilicet ipsis revelantur extra Verbum. Nam hoc dato, non oporteret in illis habitum fidei relinqui pro paucis istis & secundariis actibus, cum non posset operari circa primarium objectum, Deum, qui ibi clarè videtur.

82. *Habitus Spei in iis qualiter maneat juxta nonnullos.*

De habitu Spei *Suarez disp.* 1. *de Spe sect.* 8. *Coninck disp.* 19. *dub.* 10 *nu.* 131. & nonnulli alii Recentiores censent eum remanere, non quidem sub nomine Spei & officio sperandi, sed ut ibi eliciat actus tentionis beatæ circa objectum hîc speratum, ibi possessum, qui correspondent actibus spei in via. Ut proinde habitus spei non sit restrictus ad sperandum bonum absens; sed sit unus generalis, potens ad eliciendos actus amoris concupiscentiæ Dei ut sic, abstrahendo ab objecti præsentia & absentia. Et quidem indubiè potuisset habitus tam generalis spei, utì charitatis, à Deo infundi, ut rectè notavit *Scotus* 3. *d.* 31. *n.* 6. & 8. *Sed* (inquit *n.* 8.) *supponimus nunc ex dictis Sanctorum distinctionem illorum habituum, scilicet Spei & Charitatis, ita quòd Spes non inclinat ad actum tendendi in bonum commodum absolutè, sed ad actum imperfectum ex absentia objecti..... Charitas autem sit principium & habitus tendendi in Deum, ut est bonum in se.* Quod etiam docet *D. Thomas* & plerique alii Scholastici. Et consonat Apostolus supra, soli charitati adscribens hanc prærogativam, quòd numquam excidat; adeoque supponens Spem, quòd ex parte sit, evacuandam. Id quod obviè intellectum sonat, non tantùm excidere quoad nomen & officium sperandi (ut Alii contendunt) sed simpliciter ipsam tolli & evacuari; prout ex modo illo loquendi colligitur fidem simpliciter tolli & destrui. Ut proinde Spes sit habitus restrictus ad sperandum bonum absens: præsens enim sperari non potest, juxta illud Apostoli *ad Rom.* 8. *Spes quæ videtur non est spes*, id est, nulla est spes rei jam præsentis & possessæ: *Nam* (uti subjungit) *quòd videt quis, quid sperat?* q. d. re quæ sperabatur obtentâ, nulla jam restat causa sperandi.

*A quibus dissentit Scotus, D. Thomas & plerique Doctores.*

Nec refert, quòd beati adhuc sperent beatitudinem corporum, eis absentem, quæ est objectum secundarium Spei. Nam hoc concesso (quod tamen Varii negant) pro isto actu secundario post judicium cessaturo, non est relinquendus habitus impotens operari circa primarium objectum. 83. *Occurritur objectioni.*

Nihilominus si habitus Spei esset generalis, adeoque in patria maneret, possent actus isti referri in illum habitum. In quem etiam tamquam causam efficientem refertur ab aliis Auctoribus beata tentio; & rectè, suppositâ hâc doctrinâ. Alioquin sicut habitui fidei succedit lumen, sic habitui Spei posset succedere novus habitus, qui eliciat tentionem, ut docet Poster *Felix de Incarn. c.* 12. *diffic.* 1. *in fine*, & videtur insinuare *Scotus sup. num.* 5. *in fine.* & *num.* 6. *in princip.* Eò quòd connaturalius actus iste perenniter continuandus refundatur in principium intrinsecum & permanens. Pendet hoc tamen à libertate Dei, cujus jugiter præsentis actualis & potentior concursus indubiè posset sufficere. Prout etiam sufficere posset pro eliciendis actibus fruitionis beatificæ. Quamvis de facto hi eliciantur ab habitu charitatis, utpote generali, & ibidem congruè remanente, idcirco, ut eodem dono simus hîc & in patria filii Dei. *A quo principio eliciatur beata tentio.*

Denique Virtutes morales seu acquisitæ manent post hanc vitam juxta Doctores communiter 3. *d.* 33. & 1. 2. *quæst* 67. qui tamen potissimùm loquuntur de beatis. De quibus ista quidem est ratio specialis, quòd congruum sit ut Deus hæc ornamenta, labore Sanctorum in hac vita comparata, & statui beatitudinis non repugnantia, conservet, ac fortasse virtutes, quæ hîc defuerunt, per accidens infundat. Hæc tamen ratio proportionatè militat etiam in animabus purgatorii quoad virtutes hîc acquisitas. Generalis quoque ratio est, etiam pro damnatis, quòd hæ virtutes non destruantur, nisi vel per destructionem subjecti (quod tamen semper post hanc vitam manet, scilicet anima rationalis) vel per suspensionem influxûs conservativi, quem non videtur congruum suspendere, sed potiùs congruit, ut naturales perfectiones hîc habitæ relinquantur in damnatis, quousque ipsi se illis privent per actus contrarios, & hic est tertius modus destruendi virtutes, qui quidem apparentissimè à damnatis paulatim adhibebitur; cùm sint futuri in malo obstinati, & in quævis peccata se ex rabie malitiæ præcipitaturi: quousque tamen id faciant (facient autem liberè) decet habitus virtutum manere: sicut etiam in eis manebunt scientiæ naturales. Nec obstat dictis, quod beati non patiantur difficultatem in bono, nam ex natura sua pati possent, quod 84. *Virtutes acquisitæ manent in beatis & animabus purgatorii.* *An vel quomodo etiam in damnatis.*

ctè, suppositâ hâc doctrinâ. Alioquin sicut habitui fidei succedit lumen, sic habitui Spei posset succedere novus habitus, qui eliciat tentionem, ut docet noster *Felix de Incarn. c. 12. diffic. 1. in fine*, & videtur insinuare *Scotus sup. num. 5. in fine*, & *num. 6. in princip.* Eò quòd connaturalius actus iste perenniter continuandus refundatur in principium intrinsecum & permanens. Pendet hoc tamen à libertate Dei, cujus jugiter præsentis actualis & potentior concursus indubiè posset sufficere. Pour etiâ sufficere posset pro eliciendis actibus fruitionis beatificæ. Quamvis de facto hi eliciantur ab habitu charitatis, utpote generali, & ibidem congruè remanente, ideirco, ut eodem dono simus hîc & in patria filij Dei.

84. *Virtutes acquisitæ manent in beatis & animabus purgatorii.* Denique Virtutes morales seu acquisitæ manent post hanc vitam juxta Doctores communiter 3. *d.* 33. & 1. 2. *quæst.* 67. qui tamen notissimùm loquuntur de Beatis. De quibus ista quidem est ratio specialis, quòd congruum sit ut Deus hæc ornamenta, labore Sanctorum in hac vita comparata, & statui beatitudinis non repugnantia, conservet, ac fortasse virtutes, quæ hîc defuerunt, per accidens infundat. Hæc tamen ratio proportionatè militat etiam in animabus purgatorii quoad virtutes hîc acquisitas. Generalis quoque ratio est, etiam pro damnatis, quòd hæ virtutes non destruantur, nisi vel per destructionem subjecti (quod tamen semper post hanc vitam manet, scilicet anima rationalis) vel per suspensionem influxûs conservativi, quem nõ videtur congruum suspendere, sed potiùs congruit, ut naturales perfectiones hîc habitæ relinquantur in damnatis, quousque ipsi se illis privent per actus contrarios: & hic est tertius modus destruendi virtutes, qui quidem apparentissimè à damnatis paulatim adhibebitur; cùm sint futuri in malo obstinati, & in quævis peccata se ex rabie malitiæ præcipitaturi; quousque tamen id faciant (facient autem liberè) decet habitu virtutum manere: sicut etiam in eis manebunt scientiæ naturales. Nec obstat dictis, quod Beati non patiantur difficultatem in bono, nam ex natura sua pati possent, quod sufficit ut habitus acquisiti pro ornamento animæ relinquantur. Non obstat etiam, quòd multarum virtutum moralium materia illis desit, v. g. temperantiæ &c. nam possunt elicere actum circa materiam præteritam, vel circa mediocritatem virtutis ut sic.

*An vel quomodo etiam in damnatis.*

## QUÆSTIO VIII.

### *De Vitiis in Genere.*

85. *Quid sit Vitium.* VITIUM est habitus electivus à mediocritate declinans: sive est habitus inclinans in actus contra præscriptum rectæ rationis. Unde vitium opponitur virtuti, saltem acquisitæ, idque gratiâ inferiorum, v. g. temperantiæ intemperantia, castitati luxuria &c. Virtus tamen in genere & vitium non repugnant: cùm gratiâ diversorum inferiorum, v. g. justitiæ & luxuriæ, sæpè insint eidem.

*Opponitur Virtuti gratiâ inferiorum.*

Inter vitium quoque & virtutem infusam non est physica oppositio seu contrarietas: quandoquidem vitium & virtus infusa possint se compati, etiam in gradu intenso. Hoc patet in eo, qui vitiis contra virtutes infusas acquisitis præditus, per ferventem dispositionem justificatur, accedente præsertim susceptione Sacramentorum. Hic enim accipit virtutes infusas in gradu excellenti, & tamen retinet vitia præterita; quæ proinde tantam illi adhuc postea difficultatem facessunt, actusque virtutum retardant. Ratio à priori est, quòd virtutes infusæ sint instar potentiæ, & tantùm dent simpliciter posse, non autem ullam inclinationem aut propensionem: sicut ergo potentia v. g. ad amãdum potest esse simul cum quolibet v. g. habitu odii, sic etiam cum eo consistere potest habitus infusus v. g. charitatis. Unde si peccator justificetur sine actu amoris amicitiæ per attritionem cum Sacramento, habitus præexistens odii nequidem imminetur.

86. *Inter Vitium & Virtutem infusam nõ est physica oppositio.*

Nihilominus ipsi vitiosi actus quadam ratione opponuntur actibus virtutum infusarum, v. g. odium Dei actui supernaturalis amoris: quia etsi unus sit supernaturalis, alter naturalis; ambo tamen tendunt in idem objectum sub ratione repugnante. Et hæc physica repugnantia est inter eosdem actus, etiamsi actus odii sit indeliberatus aut tantùm venialiter malus. Unde ex repugnantia actuum non sequitur repugnantia habituum: alioquin etiam per actus venialiter malos posset minui ac destrui habitus charitatis. Moraliter tamen & theologicè rem considerando censentur Vitia opposita etiam virtutibus infusis, v. g. habitus odii charitati, infidelitas, fidei: eò quod inclinent in actus repugnantes & modo oppositò tendentes in idem objectum.

87. *Qualiter invicem opponantur eorumdem actus.*

Causa efficiens vitiorum est ipsa voluntas, mediantibus actionibus pravis. Quare è converso *vitiosos habitus malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus* pœnitentes *tollunt* juxta *Trid. sess. 14. c. 8.* An autem divinitus posset habitus vitiosus infundi à solo Deo, est inter Theologos controversum. *Suarez* 1. 2. *Tract.* 4. *disp.* 4. *Sect.* 2. & plures Alii id negant ex eo, quod id videatur repugnare bonitati Dei, qui sic hominem velut impelleret ac induceret ad peccandum. Quemadmodùm ideirco nequit alicui consulere peccatum. Nihilominus *Vasquez*, *Tannerus Tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *num.* 13. *Arriaga*, *Tom.* 3. *disp.* 39. *sect.* 4. Et plures alii affirmant

88. *Quæ causa sit efficiens Vitiorum.*

*An infundi à solo Deo possint.*

*Sententia affirmans suadetur & rationibus contrariis occurritur.*

firmant : eò quòd Deus producendo se solo habitum vitiosum producat solum cò causam peccati minùs principalem ; eamque subjacentem arbitrio voluntatis : sicut creando voluntatem , creat propriam & principalem causam peccati. Unde etiam se solo habitum vitiosum conservat sine suæ bonitatis præjudicio. Item posset creare hominem, etiam secluso peccato originali, cum fomite concupiscentiæ , qui fortius excitat ad motus inordinatos , & ad peccandum inclinat quàm habitus. Immo etiam juxta *Suarez* (ut refert *Arriaga sup. n.16*) posset Deus se solo producere intèlissimam & vivacissimam cognitionem delectabilitatis objecti vetiti , quæ tamen allicit seu inclinat ad peccandum, idque magis, quàm habitus vitiosus. Itaque Deus per hoc solum daret occasionem peccati per accidens; similes autem occasiones dare potest, immo & concurrere ad materiale peccati, etsi præ habitu vitioso connexum cum peccato formali. Aliud est de consilio : quia suadere alteri peccatum, vel indicat in suadente peccati desiderium , vel est mendacium: utrumque autem Deo repugnat. Qui namque suadet , ostendit se optare , ut res fiat; optando autem id, malè agit: quòd si verò id non optet , jam mentitur. Neque hinc sequitur Deum similiter posse infundere qualitatem prædeterminantem ad peccandum. Nam hæc necessitaret ad peccatum ; quod proinde meritò adscriberetur Deo: immo ipse homo excusaretur.

89. *Specialis objectio.*

Dices , habitus vitiosus ex natura sua tantùm habet effectum malum, & ad eum ordinatur : ergo nequit causari à solo Deo, uti non posset ab eo creari voluntas, quæ tantum posset inclinare in malum. *Resp.* in primis habitum vitiosum posse habere effectum non malum , v. g. accedente invincibili ignorantiâ , quâ putaretur actus esse bonus; vel ablatâ prohibitione divinâ ab ipsis actibus , vel accedente indeliberatione, quæ saltem à formali peccato excusat. Deinde Deus effectum malùm non intendit , neque hic necessariò est habitui annexus, sed subordinatè ad liberum arbitrium ; potest autem ipse Deus præ oculis habere finem bonum , v.g. pugnam spiritualem, prout fomitem relinquit ad agonem, ipsumque etiam ab initio causare potuisset ; prout similiter habitum vitiosum se solo conservat, & cognitionem delectabilitatis objecti vetiti producere se solo posset. Præterea inclinationi habitûs vitiosi occurrere posset per similem productionem habitûs virtuosi, & virtutem gratiæ actualis, unde oriretur velut contrapondium æquè vel magis voluntatem inclinans in bonum. Voluntas verò solùm potens inclinare in malum , foret ens malum Manichæorum; quod implicat. Neque tantum voluntatem hujusmodi Deus non posset producere; sed nec conservare : cùm tamen conservet habitum vitiosum.

*Responsio.*

Alia objectio petitur ex hoc, quòd Deus nequeat se solo infundere errorem, cùm nequeat mentiri; adeòque nec habitum vitiosum. Varii negant consequentiam. Sed plures alii consequenter negant Antecedēs, Existimantes inde non sequi in Deo mendacium de quo *disp. 3. de Veritate objecti fidei quæst. 2.*

90. *Qui divisi possit virtus.*

Vitium cum proportione divisi potest in tot genera & species vitiorum, quot sunt genera & species virtutum; immo in longe plura : cùm enim eidem virtuti plura regulariter vitia adversentur, hinc sunt vitia sine comparatione plura quàm virtutes. Singulorum autem rationes in hac parte particulariter tractantur.

*Quod illius subjectum.*

Quod ad subjectum attinet, vitium habet idem subjectum juxta omnes quod virtus: cùm formarum oppositarum sit idem subjectum.

91. *An vitia sint connexa.*

Quod attinet ad viciorum connexionem, certum est , ea non esse connexa necessariò; prout nec sunt connexa ipsa peccata; ut supponitur *Jac. 2. Quod si non Mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis.* Immo varia vitia & peccata sunt inter se opposita, v.g. avaritia & prodigalitas: & quamvis opposita non essent, nihilominus non necessariò inter se connecti, sensus & experientia docet. Quod proinde admittūt etiam illi, qui virtutes inter se connecti asserunt; etsi non consequenter, cum de virtutibus idem ostendat ratio & experientia, quod de vitiis.

*De inæqualitate eorum remissivè.*

Inæqualitas porrò vitiorum patet: partim ex inæqualitate virtutum : partim ex inæqualitate peccatorum, de qua *Parte 2. Tract. 2. disp. 5. q. 8.*

92. *Manent in damnatis.*

Denique quòd spectat ad vitiorum durationem, constat ea post hanc vitam non remanere in beatis. At verò in damnatis remanent : cùm non sit ratio, cur ab eis gratiosè tollerentur: quin potius per actus malos jugiter aut frequentissimè eliciendos nova quoque vitia ab ipsis conquirentur. Nullatenus tamen fundatum est, quòd omnis generis vitia ab ipso Deo damnatis infunderentur.

*An habitus appetitus sensitivi vitiorum subsidiarii reproducentur in damnatorum resurrectione.*

Sed quoniam præter habitus vitiosos voluntatis , dantur habitus subservientes in parte sensitiva (uti suprà de virtutibus dictum est) & hi destruuntur cum destructione organi corporei ; hinc dubitari posset, an isti saltem habitus in damnatis reproducentur à Deo in resurrectione? Videtur enim, quòd ad nihil deservient, nisi ut inclinent damnatos , alioquin satis inclinatos , in actus vitiosos. Nihilominus responderi posset, deservituros esse instar pœnæ & cujusdam dedecoris seu tabis, exigentibus id actibus præcedentibus, à quibus fuerant in via geniti. Prout Deus in iis re-

iis reproducet fomitem concupiscentiæ, fortè etiam defectus corporales: cùm non congruat damnatos resurgere perfectiores, quàm hîc fuerint.

93. *Vitia non manent in animabus purgatorii.*

An vitia maneant in animabus purgatorii, dubitari posset. Sed credibilius omnino videtur, quòd non. Etsi enim gratia in iis necdum sit consummata quoad beatitudinis possessionem, est tamen consummata in ordine ad exercitium operationum honestarum, & negationem omnis pravæ operationis, ut proinde isti pravi habitus in iis numquam possint exire in actum. Deinde si animæ ibi essent cum corporibus, non haberent fomitem concupiscentiæ: adeòque nec habent vitia, nihilominus ab iis in patria tollenda; quæ proinde congruentiùs tolluntur antea, ne in acceptissimis Deo animabus quidquam remaneat, quod pœnæ generaliter à Deo vexatæ non deservit. Quare etiam non manebunt in iis errores, adeòque nec vitia.

Nec refert, quòd maneat in iis macula peccati venialis in via non deleti. Nam in primis illa tollitur per contritionem à singulis animabus primo instanti separationis à corpore eliciendam. Deinde illa manet tamquam pœna per se peccati, donec per retractationem tollatur.

Non refert etiam, quòd vitia sic possent ab animabus tolli per actus contrarios ibi eliciendos. Nam cùm non spectent per se ad pœnam, cumque facerent ad bonum difficiliores, cùm denique non possent statim & simul tolli per actus, uti potest tolli omnis reatus culpæ, congruentius est, ut tollantur à principio.

Quæ de cætero concernunt vitia, intelligi possunt, partim ex dictis de peccatis in communi in parte 2. Theologiæ, partim ex jam dictis de virtutibus in communi, partim denique ex ulterius dicendis de Virtutibus & Vitiis in particulari.

# DISPUTATIO SECUNDA.

## De Fidei Notione & Objecto.

### QUÆSTIO I.

### Quid sit Fides?

1. *Fides frequenter sumitur pro fidelitate seu veracitate.*

FIDEI nomen variè sumitur. Primò pro fidelitate seu veracitate in servandis promissis. *Ad Rom.* 3. *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* id est numquid faciet, ut Deus non staret promissis? A qua exceptione parum aut nihil differt illa, qua generatim sumitur pro veritate seu veracitate in dictis. Juxta quam dicitur 1. *ad Timoth.* 1. *Fidelis*, id est, verax, *sermo*. Et *Apoc.* 1. Christus dicitur *testis fidelis*, id est, verax. Consonatque Etymologia vocis Fides, quæ *ab eo dicitur appellata, quia fit quod dicitur*; ut post *Ciceronem* l. 1. *de Offic.* habet *Augustinus*, Ep. 19.

*Et per analogiam pro ipsa promissione ex fidelitate servandâ.*

Secundò ob analogiam quamdam ad fidelitatem, etiam ipsa promissio, quæ ex fidelitate est implenda, dicitur fides, 1. *ad Timoth.* 5. *Primam fidem irritam fecerunt*; id est (ut explicat *D. August. in Psal.* 75.) *voverunt, & non reddiderunt.*

*Interdum etiam pro existimatione quæ ex veracitate nascitur.*

Tertiò sumitur pro auctoritate seu existimatione, quam veracitas in dictis & promissis generat. Quo sensu dicitur quis esse apud alios probæ vel nullius fidei. Et *Eccli.* 27. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit.*

*Interdum pro conscientia.*

Quartò usurpatur pro conscientia, quæ est assensus quidam & credulitas, cuique conformatur veracitas. Quo sensu communiter accipitur illud *ad Rom.* 14: *Omne quod non est ex fide* (id est, quod est contra dictamen conscientiæ) *peccatum est.* Quo sensu illud etiam intellexit *Innocentius III. C. Fin. de Præscriptionibus*, declarans proinde non valere præscriptionem absque possessione bonæ fidei.

2. *An aliquando in Scriptura accipiatur pro fiducia.*

Quintò juxta *Roffensem, Vega, Valentia* & alios, interdum sumitur pro fiducia consequendi rem desideratam aut promissam. *Matth.* 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Et *Jac.* 1. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Alii tamen Doctores cum *Dominico Soto lib.* 2. *de Nat. & grat. c.* 6. Et *Estio* in dictum locum Jacobi, non infundatè contendunt, etiam in præfatis locis esse sermonem de ipso assensu credulitatis divinorum promissorum, cujus quidem effectus est ipsa fiducia; idque conformiter ad illud *Marci* 11: *Omnia quæcumque petitis, credite, quia accipietis.* Vide *Estium supra.* Eò autem magis excluditur abusiva Hæreticorum acceptio, usurpantium fidem Christianam & justificantem pro fide seu fiducia sua speciali. Quidquid autem de hoc sit, istud insanum eorum dogma de fiducia speciali est omnino infundatum, & à nobis ex professo refutatum *Tract. de Justif. disp.* 5. *quæst.* 1.

3. *In præsenti & usitatè sumitur pro assensu credulitatis.*

Itaque sextò, & ad sensum præsentis loci, fides sumitur pro credulitate seu assensu, quo intellectus assentitur dictis alterius ob illius auctoritatem; quæ si sit humana, erit fides humana; si divina, erit fides Theologica. Quo sensu non solùm sumitur in Scriptura *ad Hebr.* 11. & alibi; sed etiam frequentissimè apud Scriptores, tum profanos,

sanos, tum sacros. Sic (*Cicero l. 2. de Divinat. versus finem*: *Insanorum* (inquit) *visis non est fides adhibenda.* Et *Virgilius l. 4. Æneidos*: *Credo equidem, nec vana fides, Genus esse Deorum.* Et *Augustinus l. de Spiritu & Litt. c. 31. Aliter dicitur, non mihi habuit fidem, aliter autem, non mihi servavit fidem: nam illud est, non credidit quod dixi; istud, non fecit quod dixit &c.* Quare per quemdam tropum etiam objectum ipsum fidei sic sumptæ fides vocatur in *Symbolo Athanasii*: *Hæc est fides Catholica*, id est, hæc sunt mysteria fidei, & per illam credenda. Et *ad Gal 3. Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* id est, doctrinæ fidei. Vide plura apud *Valentia in princip. Tom. 3.*

*Vnde per tropum etiã tribuitur ipsi objecto.*

4. *Fides Theologica quid.*

Fides Theologica rectè definitur habitus vel actus (prout de fide habituali vel actuali fuerit sermo) supernaturalis intellectûs, quo firmiter, sed obscurè assentimur iis, quæ Deus seu Prima Veritas revelavit, sive testata est.

*Definitio Apostoli.*

Apostolus autem *ad Hebr. 11.* describit fidem taliter: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ubi juxta Theologos communiter continetur non solùm quoddam fidei encomium (quidquid dixerit *Erasmus ibid. in Comment.*) sed vera illius definitio, saltem per proprietatem aut effectum. Nam esse substantiam seu hypostasem sperandarum rerum, sive basin, cui spes & salus nostra innititur, est proprietas ipsius fidei; quæ consequenter debet esse certissima, veluti fulciens spem Christianam, quæ est certissima. Hoc porrò facit fides, quatenus ea quæ speramus, ex fide fiunt certa, & consequenter quatenus nos de iisdem certi & securi reddimur. *Chrysostomus* verò, quem reliqui Græci sequuntur, per hypostasim intelligit subsistentiam seu existentiam, hoc sensu, ut fides sit existentia speratarum rerum, nempe per metonomiam ab effectu; eò quòd etsi spe pendente non existant, fides tamen eas ipsas nobis quodammodo existentes & præsentes exhibeat, dum nos adeò de iis certificat, ac si jam re ipsâ essent præstitæ & obtentæ. Unde Paraphrasis Syriaca habet: *Est autem fides persuasio super iis, quæ sunt in spe, ac si essent ipsis* (supple, credentibus) *in actu sive effectu.* Uterque autem sensus eòdem ferè collimat.

*Quo sensu fides sit substantia sperandarum rerum.*

5. *Quo sensu sit argumentum non apparentium.*

Quod autem subditur, fidem esse *argumentum non apparentium*, intelligitur de argumento infallibili, prout etiam sola ratio certò concludens propriè argumentum dicitur: *Argumentum enim* (inquit *Philosophus in Rhetorica c. Argumentum*) *est, quod aliter habere non potest, atque ipsi dicimus.* Et consonat (*Cicero lib. 2. qq. Academic.* Unde *Aug. Tract. 79. in Joan.* loco *argumentum* legit *convictio.* Est itaque fides ostensio earum rerum, quæ non videntur à nobis; non quod aliunde etiam nobis ratione naturali non possit aliquod fidei mysterium esse evidenter notum, sed quòd fides sit firma adhæsio, seu faciat nos firmiter adhærere, etiam iis, quæ aliunde nobis non apparent: adeòque sumitur in sensu ampliativo. Non enim sentit Apostolus id omne quod creditur esse nõ apparens, sed fidem esse eam animi qualitatem, quâ propter divinam auctoritatem seu Dei verbum certissimè recipimus etiam ea quæ non apparent, quæque sensûs humanus credere refugit. Aliàs etiam ea, quæ apparent ex lumine rationis naturalis, ut testimoniũ habent divinum, credi possunt, v.g. quod Deus est, quod unus est &c. Quamvis in his credendis non ita eluceat virtus fidei, utpote quæ etiam citra divinum testimonium recipiuntur. Prout sunt & illa, quæ sensu, experientiâ & humanis testimoniis sunt abundè perspecta, v.g. Jesum esse crucifixum & mortuum, Dividem regnasse, Paulum Gentibus prædicasse, & similia.

Porrò notandum posteriorem hanc partem plura complecti quàm priorem: nam plura creduntur, quàm sperantur; cùm solâ bona eaque futura & absentia sperentur, credantur verò bona & mala, tam præterita & præsentia quàm futura. Unde fides non tantùm est Substantia sperandarum rerum, sed generaliter argumentum non apparentium.

## QUÆSTIO II.

### *De Objecto Materiali Fidei.*

6. *Quodnam generatim objectum materiale Fidei. Ad ipsum spectant sola actu revelata.*

DIco 1. Objectum materiale fidei generatim & adæquatè sumptum est omne id quod Deus nobis per se vel per alios revelavit. Patet: quia totum hoc & solum credimus fide divinâ. Unde mysteria, quæ Deus de facto non revelavit, adeòque non informantur testimonio primæ veritatis, non pertinent de facto ad fidei objectũ, etsi pertinere possint, si revelentur. Prout revelari potest quælibet veritas objectiva. Quare etiam ipsa fides est objectum fidei, scilicet specialis actûs, quo credo fidem dari: similiter divina veracitas, quatenus potest credi Deum esse veracem etsi ipsa aliunde sit ratio motiva. Propositio tamen illa, in qua involveretur negatio divini concursûs ad eliciendum actum fidei supernaturalis, non posset esse objectum materiale fidei supernaturalis: nam si v.g. Deus haberet efficax decretum (quale de facto non habet) numquam concurrendi ad talem actum supernaturalem, implicaret omnino credere supernaturaliter huic reflexæ propositioni à Deo revelabili: Deus efficaciter decrevit numquam concurrere ad actum fidei supernaturalem. Posset etiam absolutè dari propositio, quæ foret vera (etsi de facto non detur talis) & tamen à Deo non revelabilis, v.g. hæc: *Deus nil vult revelare*; &, *Deus hoc ipsum novit*; in casu scilicet simpliciter possibili, quo

*Etiam ipsa Fides & veracitas Dei.*

*Dari absolutè posset veritas non potens credi supernaturaliter.*

*Immo nec revelabilius, etsi de facto non detur.*

Deus

Deus decrevisset nil omninò revelare.

7. *Objectum Fidei complexum quid.*

Objectum fidei solet dividi in simplex, & complexum. Complexum dicitur ipsa propositio objectiva, cui assentimur, per judicium scilicet complexum, seu compositionem aut divisionem: v.g. *Deus est æternus.* Ipsum autem prædicatum, scilicet æternitas, est objectum simplex, sive mysterium quod creditur Deo convenire. Subjectum denique propositionis revelatæ & creditæ, scilicet Deus, est objectum simplex, de quo creditur quòd sit æternus.

*Quid simplex.*

*Subjectum Fidei quid.*

Quod Varii appellant subjectum, potiùs, quàm objectum fidei; etsi hoc ad quæstionem de nomine spectet.

8. *Deus est subjectum primarium primitate dignitatis,*

Dico II. Deus ut sic est subjectum primariò fidei Theologicæ. Et in primis quidem ipsum eatenus esse subjectum primarium primitate dignitatis, est indubitatum: cùm sit nobilissimum inter omnia, quæ per fidem Theologicam attinguntur. Esse verò etiam subjectum primarium attributionis docet *Scotus* cum suis, *D. Thomas* cum suis, & plerique alii Recentiores; ut videre est apud *Franciscum Castillo hic disp. 1. quæst. 3. num. 9.* Probatur tum quia juxta *D. Thomam 1. p. qu 1. art. 7. Scotum q. 3. Prologi q. 2. Later. num. 8.* idem est subjectum fidei, quod Theologiæ; hujus autem subjectum attributionis est Deus. Tum quia sicut in scientiis illud dicitur objectum scientiæ, quod in potissimis illius Conclusionibus habet rationem subjecti; sic in doctrina fidei ratio subjecti simpliciter tribuenda est ei, quòd in potissimis fidei articulis sortitur ratione subjecti; quales sunt, Deum esse, esse Unum, Trinum, Creatorem, Salvatorem, Incarnatum, Redemptorem, Finem nostrum, &c. in quibus omnibus Deus est subjectum. Tum quia tota doctrina fidei eò refertur, ut cognoscamus quis, qualis, quantus sit Deus in se, & quâ ratione eum colere, ac ad eo beatè fruendum tendere debeamus. Unde non malè cum aliquibus vocari posset subjectum intentionis seu specialiter intentum. Rectè item dixit *Augustinus lib. 4. de Civit. c. 20. Fidei primum maximumq; officium est, ut in verum credatur Deum.* Inde etiam fides ipsa divina seu Dei appellatur. Confirmatur: quia fides supplet hîc visionem patriæ: Visio autem pro objecto attributionis habet Deum.

*Et attributionis.*

9. *Esse præterea quidã negant.*

Sunt tamen nonnulli Recentiores, signanter *Arriaga d. 1. sect. 1. subsect. 2.* qui contendunt fidem non habere propriè subjectum attributionis, eò quòd hoc nomine significetur illud, ad cujus cognitionem sic ordinatur cognitio cæterorum ad eumdem habitum spectantium, ut ejusdem cognitio quasi inferatur ex notitia cæterorum. Nihilominus satis ex ceteris articulis revelatis ac fide divinâ creditis inferri potest notitia Deitatis revelantis: quidquid sit de veritate conditionis ab *Arriaga* requisitæ ad gaudendum nomine subjecti attributionis; quam (si opus foret) facilius est negare, quàm in quæstione de voce à communi modo loquendi Doctorum recedere. Et qvamvis contingenter sub habitum fidei cadant objecta revelata, præsertim contingentia, sic ut suppositâ veritate cõtradictorii, hoc ipsum revelari potuisset; solùm inde sequitur objectorum istorum fidei ad objectum primarium ordinem esse contingentem, eique connecti solùm mediante revelatione liberâ Dei.

*Inter objecta fidei an vel qualis ordo.*

De cetero etiam ex natura rei non est necessarius ordo inter alia objecta credibilia merè materialia: singula enim sic sunt revelata, ut independenter ab aliis potuissent revelari; iis exceptis, quæ velut essentialiter in ipsis includũtur; prout v.g. in revelata processione Spiritûs sancti à Patre & Filio includitur ipsa existentia Patris & Filii. Proprium itaque est objecto formali seu motivo, quòd necessariò supponatur præcognitum objecto materiali. Ideoque dixi signanter *inter objecta merè materialia*: sunt enim duo objecta materialia, quæ simul sunt formalia aut quasi formalia, nempe Deum esse veracem, & ipsum hoc vel illud quod credimus revelasse: quæ necessariò præcognosci debent ante objectum materiale vi illorum creditum; utpote quod credimus permoti ex hoc quòd sit revelatum à Deo, qui nec falli nec fallere potest: ab his autem moveri non possumus, nisi quatenus cognitis.

10. *An omnia æqualiter ad fidem pertineant,*

Petes, an omnia objecta fidei æqualiter ad eam pertineant? Resp. eatenus omnia æqualiter ad fidem pertinere, quatenus saltem implicitè æquè firmiter credenda sunt; atque adeò etiam explicitè, quando sciuntur esse à Deo revelata, aut sufficienter tamquam à Deo revelata nobis proponuntur; ita ut omnis dubitans, an res aliqua sit vera, quantumvis minima videatur, quam scit à Deo revelatam, aut apertè in Scripturis contineri, aut ab Ecclesia ut talem Fidelibus credendam proponi, verè sit hæreticus, non minùs quàm si de alia re maximi momenti dubitaret: quia implicitè negat Deum esse infinitè veracem. Alia tamen ratione quædam minùs principaliter ad fidem pertinent, quatenus non tenemur omnes articulos seu propositiones fidei æqualiter cognoscere, & consequenter nec æqualiter explicitè credere, ut infrà ostendemus.

## QUÆSTIO III.

### *De Objecto formali, ultimâq; Resolutione fidei.*

11. *Varia de objecto formali sen-*

NONNULLI referuntur existimasse, fidem ultimò resolvi in supremum Dei dominium, allegantes illud Apostoli 2. *Cor.* 10. *In*

*tentiæ refutantur.*

10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium (christi.* Sed hæc Opinio velut omni fundamento destituta communiter & meritò rejicitur; supremum enim dominium nil confert ad eliciendũ actum fidei per modum objecti seu motivi; etsi ipsum sit radix seu titulus, ex quo oritur, Deum nobis posse imperare actum fidei, utì alios actus præceptos. Apostolus autem solùm insinuat nos ob divinã auctoritatem oportere postponere rationes humanas, & adhærere mysteriis fidei, voluntate sese submittente, & intellectui imperante, ut motiva credibilitatis fidei attendat, & assensum præstet.

Quidam Alii (inter quos refertur *Aureolus* apud *Capreolum* 3.d.24.) fidem dixerunt resolvi ultimò in ipsam Deitatem. Nã divina veracitas, quæ resolvitur primò in infinitam Dei sapientiam & bonitatem, tandem in ipsam Deitatem (utì omne attributum divinum) resolvitur. Verùm hæc quoque Opinio communiter rejicitur: etsi enim veracitas resolvatur in Deitatem tãquam ultimam rationẽ essendi, resolutione velut metaphysicâ, & quoad notitiã scientificam, non tamen tamquam in formalem rationem credendi, quæ potiùs sistit in ipsa veracitate, fide non attendente, unde ipsa Deo competat. Quemadmodum formalissimè resolvitur visio objecti in hoc, quòd sit coloratum, tamquam in causam formalem extrinsecam: etsi ulterius quærenti, cur sit coloratum, respondeatur, quia componitur ex qualitatibus primis, ex quibus resultat similis color. Itaque aliud est Deitatem esse causam, cur Deus sit summè verax: aliud, ipsam esse rationem formalem cur credamus: hæc enim est ipsa veracitas, essetque, etsi ipsa non oriretur ex Deitate.

Aliqui dixerunt fidem resolvi ultimatè in auctoritatẽ Ecclesiæ. Quod an & qua ratione verum sit, explicatâ nostrâ doctrinâ videbitur. Aliqui denique existimasse referuntur, quòd ultima resolutio fidei stet penes ipsum fidei lumen infusum. Quod *num.*19. refutabitur.

12. *Communis & vera sententia pro objecto formali statuit primam Veritatem in revelando.*

Itaque communis & vera doctrina est fidem nostram pro objecto formali quo, sive motivo, in quod proinde ultimatè resolvitur, habere primam & infallibilem veracitatem Dei, seu veritatem in revelando; adeò ut si quæratur formalis ultimata ratio, cur Catholicus hoc vel illud credat, sit, quia prima Veritas id revelavit. Quam doctrinam tradit *Scotus* variis locis apud *Smising. proœm. q.2. num.*64. *Franciscum Castillo disp.*1. *q.3. num.*47.

*Probatur variè.*

Probatur I. Quia fides nostra nititur testimonio Dei; testimonii verò auctoritas resolvitur in veracitatem testis, quæ ipsa proinde est motivum. Assumptum manifestè patet ex Scripturis, asserentibus nos mysteria fidei credere tamquam dicta Dei, *Matth.*16: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus. Joan.*1. *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. 1. Joan.*5: *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas &c. qui non credit Filio, mendacem facit eum* (scilicet Deum) *quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Ad Galat.*1: *Neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi.* Et pluribus aliis locis.

Probatur II. Quia in omni fide assentimur propositioni ob auctoritatem scientis: ergo per fidem divinam assentimur propositioni ob auctoritatem seu veracitatem divinam.

Probatur III. Quia illud est objectum motivum fidei divinæ, à quo ipsa sumit suam infallibilitatem, per quam nimirum distinguitur à fide humana. Infallibilitatem autem sumit à Deo sub ratione primæ veritatis in dicendo.

13. *In quo prima Veritas consistat, declaratur.*

Accipitur autem prima veritas in dicendo seu veracitas Dei, ut sit idem, quod divina auctoritas; adeòque includit non solùm voluntatem non mentiendi, seu impotentiã ad fallendum activè, sed etiam impotẽtiam errandi, seu deceptionis passivæ. In quo distinguitur à veracitate humana, quæ consistit in hoc, quòd homo loquatur, prout putat, seu quod non mentiatur: etsi contingat ipsum defectu scientiæ falli seu errare. Ideòque non firmiter credimus homini loquenti, etiamsi firmiter esset nobis persuasâ ejus veracitas: eò quòd non constet ipsum inscienter falli. Itaque divina veracitas seu auctoritas fundans fidei nostræ summam infallibilitatem complectitur infinitam Dei sapientiam, quæ falli non potest, ejusdemque bonitatem, quæ fallere nequit. Atque ita interroganti, cur credam Deo, formalissimè & præcisè respondeo, quia Deus hoc mihi revelans nec potest falli, quia summè sapiens, nec fallere, quia summè bonus.

14. *An simpliciores ab ea moveantur.*

Dices I. Si fides Theologica innitatur divinæ veracitati tamquam motivo, multi simplices fideles non credent fide divinâ: plerique enim ex illis non credunt præcisè ob Dei revelantis auctoritatem, sed quia Pastor, Parentes, aut Ecclesia ei dicunt ita esse. Resp. in simplicioribus illis subinde solius fidei humanæ actus reperiri; qui proinde instruendi sunt, ut credant ob auctoritatem Dei. Plerumque tamen credũt fide divinâ, etsi enim multi non cogitent explicitè de divina revelatione, & auctoritate; in eam tamen confusè feruntur, dum v.g. credunt ob Ecclesiæ auctoritatem, eò quòd in ea apprehendant aliquid divini, aut quando credunt sibi aliquid à Pastore vel Parente dictum, non quomodocumque ut verum, sed ut verum divinum sive à Deo revelatum. Quòd autem sæpè non videantur cogitare de divina revelatione, dum credunt, fit propter consuetudinem & facilitatem in credendo; ita ut non reflectant se ad credendum moveri auctoritate divinâ.

Dices

15. Dices II. Sicut pro ratione aliquid credendi assignatur, quòd prima veritas id revelaverit; sic etiam assignari potest pro ratione, quòd Ecclesia istud declaret seu tradat: immo si quæratur à Catholico, cur credat seu sciat primam veritatem articulos fidei Christianæ revelasse, hic tandem recurret ad Ecclesiæ illos proponentis auctoritatem, in quam proinde stare videtur ultima fidei resolutio.

*Vno modo Ecclesia spectata testimonium est ratio cognitæ revelationis.*

Resp. Ecclesiam dupliciter posse considerari. Primò, quatenus infallibilè habet Spiritûs sancti assistentiam in iis, quæ Fidelibus credenda proponit. Et eatenus subsat auctoritati divinæ, eamque participat, mediante revelatione, quâ Deus revelavit hujusmodi infallibilem assistentiam, quæ ipsa nimirum est unus ex revelatis. Estq; apud Catholicos hanc infallibilitatem admittentes sufficientissima ratio cognitæ revelationis circa reliquos articulos, quòd nimirum Ecclesia, quæ infallibili directione sancti Spiritus gubernatur, eos tamquam revelatos proponat. Non est autem proprium motivum credendi, nisi auctoritas divina, cui Ecclesia sic cõsiderata subsat. Unde si quæratur, cur hoc ipsum de Ecclesiæ infallibilitate credamus, ad primam veritatem revelantem est recurrendum. Si ulterius quæratur, cur credamus, seu unde sciamus Deum id ipsum revelasse, non restat alia ratio à priori, sed ad motiva credibilitatis recurrendum est, ut mox patebit.

16. *Idem de ipsa secundo modo consideratæ amplius declaratur.*

Secundò potest considerari Ecclesia quatenus est quædam Congregatio hominum variis notis (de quibus infrà) præfulgens. Et eatenus ejus auctoritas, utpote non divina, sed humana, nequit esse propria ratio seu motivum, in quo veluti cardine fides nostra supernaturalis firmetur, seu in quod ipsa resolvatur: quæ proinde in ipsam revelantis Dei auctoritatem supremam resolvitur, sic ut præcisa ratio velut à priori, cur singulis articulis credamus, sit, quia prima veritas eos revelavit, neque alia prior seu ulterior ratio assignari possit. Ad Ecclesiæ tamen auctoritatem recurritur, veluti ad rationé quamdam à posteriori, & quoad nos, ostendétem seu proponentem & applicantem nobis revelationem Dei; quæ per Ecclesiam sic nobis innotescit, ut prudéter fidé Deo dignam adhibeamus, immo temerariè & stultè assẽsum præbere detrectemus: idq; sive Ecclesia revelationem proponat de suamet infallibilitate, sive de aliis rebus. Cùm enim singulis

*Quare ista propositio Ecclesia sit necessaria.*

non fiant novæ revelationes, hinc sicut revelatio per Christum & Apostolos facta innotuit & credibilis facta fuit Fidelibus prædicationem audientibus & signa palpantibus; sic hæc ipsa revelatio nobis innotescit per propositionẽ Ecclesiæ tot fulgidis notis insignitæ. Et sicut innotescere debuit primis fidelibus seu immediatè revelationem accipientibus, tum quòd esset à Deo, tum sensus clarus ejusdem, ut crederẽt sine fluctuatione, & ad id obligarentur: sic ad nos eadẽ revelatio propaganda erat similibus notis, quæ facerent evidentiã credibilatis, seu rem tam credibilem, ut sine imprudentia quis renuntiet omnibus argumentis oppositum suadẽtibus, ac firmissimâ Deoque dignâ fide se subjiciat primæ veritati revelanti. Unde *August. l. contra Epist. Fundam. c.* 5. rectissimè dixit: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et infrà: *Cui Libro* (Actuum Apostolorum) *necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniã utramque Scripturam similiter mihi Catholica cõmendat auctoritas.* Revelatio nempe primæ veritatis, in se quidem irrefragabilis, non per quemvis eam vendentem irrefragabiliter innotescit; sed per Ecclesiam, quæ tot fulgentibus notis insignita facit evidẽter credibile, quidquid tamquam revelatum proponit, sive de se ipsa, sive de aliqua alia re. Sicut Apostolis, res sua prædicatione & signis credibiles facientibus, pari firmitate erat credendum, sive de se, sive de alio quidpiam testificarentur: v.g. sive Paulus *1. ad Timoth. 2.* de se diceret: *In quo positus sum ego prædicator & Apostolus & Doctor Gentium*; & Joannes de se *cap. ult. Scimus, quia verum est testimonium ejus*, sive Christi v.g. mortem, divinitatem &c. uterque prædicaret.

17. *Defectus omnium Hæreticorum hac in parte.*

E contrà Hæreticis deficiũt signa hujusmodi credibilitatis, sive dum se Apostolos, Reformatores &c. prædicãt, sive dum alios suarum sectarum articulos proferunt. Unde in omnes quadrat dictum illud *Augustini* contra Manichæos *lib. de utilit. credẽdi c.* 14. *Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, quin nihil dignum auctoritate præferatis.* Adeò ut nequidẽ vera aliqua suis erroribus immixta prædicantibus, utpote signis authenticis credibilitatis carentibus, divina sit fides adhibenda, juxta *Augustinum supra*: nam Christum *fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur, esse credendum*; ut ibi præmittit.

18. *Qualiter in resolutione fidei vitetur circulus.*

Ex his patet, quomodo non committatur circulus in resolutione fidei: nam dum pro ratione credendi assignatur prima veritas revelans, datur ratio à priori velut immediata & prima, in quam etiam resolvitur ipsa Ecclesiæ infallibilitas quatenus fide credita. Dum autẽ recurritur ad auctoritatem & testimonium Ecclesiæ, assignatur ratio à posteriori, & quoad nos, cognitæ revelationis, quia videlicet mediante propositione Ecclesiæ tot notis præfulgidæ cognovimus per lumen fidei sermonem istum esse Dei, & ut talem recipiendum. Sicut pro ratione hujus propositionis, Homo est animal rationale, datur, quòd sit primò vera & habens immediatam terminorum connexionem. Si verò ratio quæratur, unde hoc ipsum sciatur, non aliud dici potest, quàm quòd mediante instructione Magistri per lumen naturale intellectûs id tandem perspexerit.

Itaque existentia revelationis sit credibilis per notas Ecclesiæ. quod quidem judicium evidentis credibilitatis est naturale. Eo tamen prævio, fides firmitèr fertur in rem creditam tamquam objectum materiale, & primam Veritatem revelantem tamquam objectum formale, adeoque etiam respicit ipsam veracitatem & revelationem Dei.

19. *Non posse pro ratione credendi statui lumen fidei, declaratur.*

Dices III. Ratio ultimata cur credamus, & quidem tantâ firmitate, videtur referenda in lumen fidei infusum, per quod Deus testetur credenti, rem ita se habere; utpote cui sine illo non crederemus. Ita referuntur quidam sentire. Resp. Neg. Ass. Nam habitus seu lumen fidei efficit quidem actum fidei divinæ, non tamen ad illum objectivè movet, adeoque se tenet potiùs ex parte potentiæ, quàm objecti. formale siquidem objectum alicujus assensus non mouet ad illum, nisi mediâ sui cognitione. Sic autem movet sola prima Veritas revelans seu divina auctoritas, etsi adjuvante instar causæ efficientis lumine fidei, id est, habitu ipso, vel actuali auxilio supplente defectum habitûs, ad credendum firmitate Deo dignâ, ea quæ per Ecclesiam seu signa certa credibilitatis proponuntur.

## QUÆSTIO IV.

### *An vel Qualiter ad Objectum formale Fidei spectet Revelatio?*

20. *Certum est revelationem quodammodo se tenere ex parte objecti formalis.*

EX Scripturis & communi consensu constat testimonium seu revelationem Dei concurrere ex parte objecti ad eliciendum fidei actum, utpote per quem credimus mysteria, quia prima Veritas illa revelavit. Unde quadam ratione tenet se ex parte objecti formalis motivi, quatenus objectivè cognita determinat intellectum ad præbendum assensum. Immò varii Recentiores post *Valentia, Suarez, Vasquez, Lorca, Pytigianum, Coninck disp. 9. dub. 4.* existimant etiam ipsam revelationem propriè esse partiale objectum formale motivum fidei. Et quidem plerique non distinguunt inter revelationem activam & passivam; quin potiùs de utraque loquuntur: etsi Nonnulli ita sentiant de sola revelatione activa, Nonnulli de sola passiva. Pro quorum terminorum intellectu.

*Cujus an sit propriè pars, disputatur.*

21. *Revelatio activa quid.*

Adverte revelationem seu locutionem divinam esse positionem signi factam à Deo eo fine, ut aliquam rem & consequenter conceptum suum de eadem re manifestet cui loquitur, juxta capacitatem audientis. diciturque hæc revelatio activa. Quæ cùm diversimodè fieri possit, multiplex distingui potest revelatio. Vel enim fit immediatè à Deo, vel mediantibus Angelis personam Dei repræsentantibus, ejusve nomine loquentibus, prout facta est Prophetis: vel fit mediatiùs per ipsos homines nomine Dei loquentes aliis hominibus, prout Prophetæ & Apostoli cæterique sancti Dei homines Spiritu sancto inspirante nobis locuti sunt. Variis item signis Deus uti potest ad manifestationem mysteriorum, scilicet verbis, qualiter locutus est nobis in filio, & per filium, scriptis prout loquitur nobis in Scripturis; infusione judicii certi de mysterio tamquam à Deo loquente procedentis, aliisque signis, prout multifariam, multisque modis olim Deus locutus est Patribus in Prophetis.

*Contingit variis modis.*

Potest etiam manifestatio fieri, sive Ecclesiæ, sive privatæ personæ: ista solet dici publica, quæ est consequenter regula communis fidei; hæc privata, quæ interdum particularibus Sanctis, v.g. Birgittæ, contigit. Denique revelatio alia est omnino expressa seu explicita; alia implicita, quæ scilicet in priori continetur; uti v. g. particularis, in universali.

*Alia est publica; alia privata.*

*Alia explicita, alia implicita.*

Revelationi activæ (quæ propriè dicta) respondet passiva, quæ est auditio seu perceptio revelationis activæ, seu rei tamquam revelatæ. Activa nectit Primam Veritatem seu divinam auctoritatem materiæ credibili, passiva verò applicat intellectui credentis materiam credibilem ut obstantem primæ Veritati revelanti: ideoque etiam applicat intellectui ipsam primam Veritatem & revelationem activam. His notatis.

*Revelatio passiva quid.*

22. *Revelatio est conditio applicativa motivi Fidei.*

Dico I. Revelatio divina non ingreditur motivum fidei, sed se habet tamquam conditio uniens seu applicans motivum articulo revelato, aut intellectui credentis. Ita *Smising Proœm. q. 2. n. 60. & seqq. Franciscus Castrillo d. 1. qu. n. 56. & seqq.* & plures alii. Estque in scholis nostris hic modus loquendi receptior. dico *modus loquendi*: de hoc enim potiùs quàm de re videri potest esse controversia.

Ratio Conclusionis est: tum quia testimonium vel dictio præcisè sumpta, seu ratione sui, nil habet, quod moveat ad assensum, vel fidem mereatur, sed totum habet ex ratione seu auctoritate dicentis: ob quod tanta est differentia inter dictum idem à psittaco, homine, angelo, Deo: ipsum ergo testimonium est mera conditio objectiva, sive applicatio objecti motivi ad materiam creditam & potentiam intellectivam, nec nisi quatenus informatur objecto motivo movet ad assensum, sic ut totum quod propriè & ratione sui movet, sit dicentis auctoritas. Tum quia illud est objectum motivum fidei, in quod ipsa adæquatè resolvitur in ratione infallibilis; sic autem resolvitur in ipsam Dei auctoritatem, vi cujus fit tam revelationem, quàm rem revelatam esse infallibilem. Tum quia ex nullo capite constat, amplius esse tribuendum revelationi, quàm quòd sit conditio applicativa motivi; applicatio autem non habet rationem motivi; prout cognitio bonitatis, quæ est ejusdem applicatio, non est motivum voluntatis:

tatis: & prout applicatio caloris ad calefactibile non ingreditur rationem calefactivi: prout denique formalis ratio motivi scientiæ non est motivum discursus, sed principia demonstrationis seu medium syllogisticum legitimè applicatum potentiæ per discursum tamquam conditionem. Confirmatur: si veracitas Dei sine revelatione posset informare materiam creditam & applicari nostro intellectui, æquè præberemus assensum. Unde si angelus mihi significaret, internam voluntatem Petri v. g. (quem novi veracem) de certa re mihi dicendâ, possem ei assentiri etiam ob auctoritatem Petri, quantumvis ipse nil de facto mihi dixerit seu testatus fuerit.

23. *Satisfit objectionibus.*

Nec refert, quòd soleat pro ratione aliquid credendi assignari etiam in sanctis Patribus, ipsâque Scripturâ 1. *Joan.* 5. & alibi, quòd Deus id testatus fuerit. Nam ibi pro ratione allegatur motivum applicatum: sicut rectè dicitur lignum comburi, quia ignis est ei approximatus, ubi tamen combustio non refertur in ipsam approximationem tamquam causam.

Non refert etiam, quòd revelatio determinet ad assensum fidei tamquam objectum cognitum. Non enim determinat per se & gratiâ sui, sed solùm gratiâ divinæ veracitatis, & quia seu quatenus ab ea informatur; sicut etiam ipsum objectum materiale determinat ad assensum tamquam objectum cognitum, sed quatenus informatum à veracitate divina, in qua tota movendi vis residet. Ob quod applicatio calefactivi distinguitur ab ipso calefactivo seu causâ efficiente caloris in hoc, quòd ipsa non sit ex se productiva caloris, sed tantum ratione ignis v. g. applicati.

Petes quomodo Ecclesiæ sit sufficienter provisum de remedio fidei, adeò necessariæ ad salutem, si dubium sit, quod sit verum illius motivum, ob quod est eliciendus? Resp. quia certum est fidelem credentem mysteriis fidei, eò quòd Deus ea revelaverit, sufficienter & ex vero motivo juxta omnes credere, prout hoc sub experientiam cadere potest: etsi disputetur, an revelatio ibi cõcurrat instar motivi, & quæ, activa an passiva &c. Sufficit enim, ut id quod movet, debitè attingatur, etsi dubium nobis sit, sub qua ratione moveat.

24. *Ad credendum privata revelatio non requiritur.*

Dico II. Privata revelatio non requiritur ad aliquid credendum fide divinâ: potest tamen privatim alicui hujusmodi revelatio fieri, & res per illam revelata positâ sufficienti propositione credi fide divinâ, eâdem, quâ creduntur cetera in Scripturis revelata.

Prima pars est contra Hæreticos Recentiores, qui ut pro libidine sua quasdam fidei veritates admittant, quasdam rejiciant, judicem controversiarum statuunt spiritum cuique in particulari res fidei revelantem.

Probatur quia neque ex natura rei, neque ex Scripturis aut Traditione quidquam de hoc constat; quin potiùs contrarium. Nam revelatio facta Prophetis, Apostolis vel Ecclesiæ, si ceteris per eosdem proponatur, obligat eos ad indubitanter credendum citra novam & privatam revelationem, quam rarissimo privilegio pauci Sancti sentiunt circa particulares quasdam materias. Unde *Matth.* & *Marci ult.* præcipitur Apostolis, ut annuntient fidem omni creaturæ rationali, eâ auctoritate, ut qui crediderint, salventur, qui verò non crediderint, peccent, & damnentur; nullâ requisitâ privatâ seu aliâ, quàm Apostolis factâ & per eos propositâ aliis communi revelatione. Ob quod fideles ad *Ephes.* 2. dicuntur *superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum*; quia nimirum fides nostra nititur revelatione iis factâ, & per eos Ecclesiæ. Quo circa nolentes iis vel Ecclesiæ, proponenti adhibere fidem, tamquam Hæretici reprobantur. Ipsa quoque Ecclesia in definitionibus suis non procedit ex privatis revelationibus, sed ex propositis, per Scripturam vel Apostolicam traditionem. Estque hic connaturalis modus semperque usitatus, ut primis Ecclesiæ fundatoribus à Deo institutis, per hos ulteriùs docerentur ceteri, sine quotidianis & privatis revelationibus. Sicut enim Deus primum hominem & animalia per se ipsum fecit, postea verò non nisi per animalia sui generis propagavit: ita quosdam homines per se ipsum fidem docuit, ceteros non nisi per homines.

25. *Absurda quæ sequũtur ex opposito Novatorum errore.*

Et planè ex oppositâ Novatorum hæresi sequitur, nõ posse certam aliquam & communem omnibus, atque adeò Catholicam fidem esse, cùm nulli posset constare, quid alteri esset occultè revelatũ; atque ita quot capita, tot essent de fide opiniones, prout quisque somniaret sibi aliquid esse revelatum, sicque oriretur confusionũ & errorum etiam invicem repugnantium chaos, Calvino v. g. prætexente spiritum sibi hoc revelare, Luthero prætexente contrarium. Convertendi quoque nullo indigerent Doctore. Nulli denique errores possent ex Scriptura aut aliundè convinci, errantibus ad suum privatum spiritum tamquam ultimatum erroris azylum confugientibus; atque ita fides non dirigeretur infallibili regulâ, sed vanis delirantium somniis. De quo rursum infrà.

26. 1 Ioan. 2. *non significatur Fideles Doctore externo non indigere.*

Nec refert, quod 1. *Joan.* 2. dicitur: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Nam Joannes non significat credentes non indigere Doctore externo, sed solùm monet, ut in doctrina per Apostolos, mediante unctione seu gratiâ Spiritûs sancti, acceptâ maneant, non attendentes novis Doctoribus, juxta id quod præmiserat: *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* Unà tamen indicat, se non scribere iis, ad quos epistolam dirigebat

gebat, tamquam rudibus & ignaris, sed jam antè satis in doctrina Apostolica instructis. Nam præmiserat: *Et vestis omnia. Non scripsi vobis, quasi ignorantibus veritatem.* Quæ tamen ab Apostolo dicuntur, non tam ad singulos fideles, è quibus poterant aliqui esse rudiores, sed ad Ecclesias eorum, ad quos scribit; q.d. habetis Episcopos & Presbyteros, quorum cura & studio vestræ Ecclesiæ satis instructæ sunt, & instruuntur in iis, quæ pertinet ad doctrinæ Christianæ veritatem.

27. *Privatim verò revelata credi possunt Fide eâdem, quâ revelata publicè.*

Secunda pars Conclusionis est *Catharini, Vega* & communis aliorum contra *Sotum, Canum*, & paucos alios. Probatur: quia nulla est ratio hîc distinguendi habitus, quorum uno credantur revelata privatim, altero revelata publicè seu toti Ecclesiæ; cùm sit idem objectum motivum, ejusdemque rationis revelatio, solùm accidentaliter distincta in hoc, quòd una applicetur mediante propositione Ecclesiæ, altera non: quod per accidens se habet ad rationem credendi, ad quam per se solùm spectat divinum testimonium, perinde an publicè an privatim propositum. Materia denique revelata etsi diversa sit, non infert diversitatem habitûs, cùm de facto idem habitus fidei Catholicæ plurima disparatissima credat. Confirmatur: quia *ad Hebr.* 11. laudatur fides Abrahæ, Saræ, Isaac, Jephte &c. etiam in revelationibus iis privatim factis citra publicam Ecclesiæ propositionem; vel absque eo quòd materia revelata concerneret immediatè communitatem seu commune bonum Ecclesiæ. Prout è contrà per fidem Catholicam credimus multa, quæ per se non spectant ad communem Ecclesiæ statum, v.g. quòd canis Tobiæ habuerit caudam &c.

28. *Quæ quoad rei speciem horum Catholica vocatur.*

Verum quidem est, fidem infusam dici Catholicam, id est, communem seu universalem, eò quòd credamus per illam ea, quæ nobis per Ecclesiam Catholicam proponuntur: non vetat tamen per ipsam eamdem, quæ Catholica dicitur, credi nonnulla privatim revelata. Quare etiam pertinaciter diffidens rei privatim revelatæ suppositâ sufficienti propositione, foret infidelis, & amitteret fidem infusam, utì per hæresim; à qua ad summum solo nomine differret, quia nempe nomen hæresis accommodatum videtur ad significandum errorem contumacem contrarium communi Ecclesiæ fidei. Hinc Zacharias non credens Angelo nuntianti conceptum Joannis Baptistæ *Lucæ* 1. peccavit, non præcisè contra prudentiam, sed contra fidem. Ideoque *Ambrosius l. 2. in Lucam* ait: *Meritò continuò resoluta est lingua ejus, quia quam vinxerat incredulitas, fides solvit.* Frequenter tamen hujusmodi revelationibus, veluti suspectis non adhibentes fidem, non sunt infideles, sive quia non satis discernunt, an sint veræ revelationes, sive quia non existimant accipiendas in sensu, quem primâ fronte præ se ferunt. Quòd verò hujusmodi revelationes non sint ceteris regula fidei, vel eos non obligent, fit defectu sufficientis propositionis. Possent nihilominus tam solidis fundamentis niti, ut etiam aliis possent reddi prudenter credibiles per fidem supernaturalem.

*Pertinaciter diffidēs sibi privatim revelatis, an amittat fidem & sit hæreticus.*

*Frequenter excusatur diffidens ab infidelitate.*

29. *Discretio quæ necessaria circa privatas revelationes.*

In iis porrò discernendis multâ opus est cautelâ. Et rarò (ut propriâ & aliorum experientiâ didici) fides adhibenda revelationibus mulierum, quæ frequentiùs patiuntur illusiones dæmonum & phantasiæ. Attendêdum quoque est ad alias personæ, cui revelatio facta prætenditur, qualitates. Item an revelationes sint conformes receptis inter Doctores aut in Ecclesia regulis seu doctrinis; an sit gravis causa, effectus bonus, nulla in serie revelationis unius vel plurium contrarietas &c. De cetero indubitatum est, Deum ordinariè dirigere nos, & velle nos dirigi per sollitos fidei communis & morum regulas: eamque viam esse tutissimam ac à periculo deceptionis immunem.

30. *An vel quâ sufficiat ad credendum revelatio implicita.*

Dico III. Revelatio ad credendum sufficiens non solùm est illa, quæ est omnino explicita; quam quidem sufficere per se patet: sed etiam sufficit revelatio facta in æquivalenti. v. g. revelato, quòd ad peccandum requiratur libertas, etiam revelatum est, neminem peccare ex necessitate. Damnato, quòd pro solis electis Christus sit mortuus, definitum censetur, quòd sit mortuus pro aliquo reprobo. Et generatim damnato uno contradictoriorum, censetur revelatum oppositum, sive contradicens in terminis, sive significans contradictorium. Unde factâ revelatione, quòd Christus non sit phantasma, sed verus homo, etiam revelatum est, quòd constet vero corpore & animâ. Ideoque sese opponentes sunt & habentur tamquam hæretici. Revelatio namque afficit rem ipsam seu significatum, perinde quibus vocibus vel terminis, quove idiomate expressum.

Hinc sequitur, in Revelatione propositionis universalis censeri revelatam particularem metaphysicè evidenter contentam in universali. Unde est de fide, fuisse in arca Noë oves, vaccas, columbas, canes, equos &c. Ratio est: quia significatum termini universalis coincidit cum particularibus, v. g. omnis generis animantia cum ovibus, columbis, canibus &c. Quare in revelatione hujus: omnis homo est creatus in ordine ad beatitudinem, continetur revelatio de hujus & illius hominis creati ordinatione ad vitam æternam.

DIS-

# DISPUTATIO TERTIA.

## De Veritate & Obscuritate Objecti Fidei.

### QUÆSTIO I.

### An Deus per se vel per alium possit mentiri.

1. Deus nequit mentiri de potentia ordinaria, juxta fidem.

DICO I. Deus nequit mentiri de potentia ordinaria. Est de fide contra *Priscillianistas*, qui teste, *Augustino hæresi* 70. & *Lib. contra Mendac. c.* 2. censuerunt, Deum posse mentiri, & aliquando per Prophetas esse mentitum. Probatur ex Scriptura, *Numer.* 23. *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit, & non faciet? Locutus est, & non implebit? Ad Rom.* 3: *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* 2. *ad Timoth.* 2: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum nõ potest.* Quod scilicet futurum esset, si mentiretur, cùm natura ejus sit veritas sive veracitas. *Ad Hebr.* 6. *Volẽs Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles* (pollicitationem scilicet seu locutionem suam, & jusjurandum) *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* 1. *Joan.* 2: *Omne mendacium ex veritate non est.* Denique *Lucæ* 21: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* q. d. potiùs transirent cælum & terra (quod tamen numquam fiet) quàm verba Christi falsificari. Adde, aliàs tolli omnem fidei nostræ firmitatem. Idem à fortiori patet ex dicendis *seq. conclus.*

2. Objiciuntur varia Scripturæ loca.

Objici possunt varia Scripturæ loca; in quibus Deus videtur dixisse falsa per suos Prophetas. Sic 3. *Reg.* 22. dixit Michæas ad Achab: *Nunc igitur ecce dedit dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt. Ezech.* 14: *Propheta cum erraverit, ego Dominus decepi prophetam illum. Hieremiæ* 20. *Seduxisti me Domine, & seductus sum, fortior me fuisti, & invaluisti.* Sic etiam prædixit *Jonæ* 3. subversionem Ninive, quæ non subsecuta est. *Isaiæ* 38. mortem Ezechiæ, qui tamen ab infirmitate convaluit. In aliis item locis videtur viri sancti instinctu Dei mentiri; ut Jacob *Gen.* 27. dicens ad Isaac: *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Unde queritur postea Isaac: *Venit germanus tuus fraudulenter*, verbis scilicet, & factis (puta vestibus & pelliculis) ad deceptionem compositis. Denique sunt plurima Scripturæ loca, quæ videntur inter se pugnantia, adeoque non possunt utraque esse vera.

*Quo sensu Deus dicitur immittere spiritum mendacii aut decipere seu seducere.*

Resp. Scripturam interdum per hebraismum dicere Deum aliquid facere, aut præcipere ut fiat, quod solum fieri permittit, datâ præsertim aliquâ occasione, unde ex alterius malitia illud novit futurum, etsi præter intentionem Dei; qui tamen simul novit & vult de malis permissis bene facere; prout ostensum est 1. *P. Tract.* 1. *Disp.* 7. *q.* 4. ubi declaratum fuit, Deum non velle peccatum, neque esse causam illius. Hoc igitur sensu dicitur immisisse spiritum mendacii in ore Prophetarum decipientium Achab, & decepisse Prophetam. Quantùm ad locum Hieremiæ spectat, is à nemine explicatur ad intentum objectionis: genuinus autem sensus illius est, quòd Hieremiam detrectantem munus Prophetæ Deus ad id induxerit, promittens eum fore columnam ferream, & tamen postea præter spem ei evenerint carceres, aliæque graves persecutiones.

3. *Comminationes & promissiones qui ordinarie intelligenda,*

Ad prædictionem Jonæ, dico solùm fuisse comminatoriam; prout communiter sunt illæ, quibus in Scriptura prædicuntur aliqua mala obventura: quæ proinde sunt intelligendæ sub conditione; puta nisi pœnitentia opportuna sequatur, aut precibus mala avertantur. Simili modo intelligi potest prædictio facta Ezechiæ regi, eum scilicet fu isse moriturum, spectato cursu causarum naturalium, nisi illum Deus per speciales preces vel causas permovendus impediat. Prout etiam promissiones, quibus Deus alicui præsertim communitati multa bona, felicitatemque in futurum promittit, sunt plerumque intelligendæ sub hac simili ve conditione: nisi peccatis suis oppositum populus mereatur. Vide dicta 1. *P. Tract.* 1. *disp.* 4. *q.* 1.

4. *Quoad excusationem à mendacio, non magis circa sanctos veteris quàm novi Testamenti Laborandum.*

Ad exempla Sanctorum dicitur, eos si mentiri fuerint, id non egisse ex divino instinctu. Neque oportet magis anxiè excusare Sanctos veteris Testamenti (inter quos varii gravissimè peccarunt) à levibus mendaciis, quàm Sanctos novi Testamenti, Cujus tempore gratia est abundantior; prout circa factum seu dictum Jacob Patriarchæ rectè notavit *Scotus* 3. *d.* 38. *q. un. n.* 13. Quia tamen *S. Augustinus*, & alii passim, Jacob à mendacio excusant, responderi potest, ibi (quod in Scriptura frequentissimum) intervenire tropicam seu figuratam locutionem; quæ non minus quàm propria locutio, est vera. Prout Christus *Matth.* 11. dixit Joannem Baptistam esse Eliam, & Apostolus *ad Roman.* 9. Gentes ad fidem reversas vocat semen Abrahæ, & non

*Penitiùs tamen examinatur mendacium aparẽs Jacob patriarcha.*

& non omnes qui ex Israel sunt dicit esse Israelitas, quia scilicet non erant secundùm spiritum, qui per Israelitas præfigurabantur. Jacob itaque erat primogenitus Esau, non ordine nascendi, sed Dei ordinatione, & titulo emptionis, in jus primogenituræ succedendo, atque personam primogeniti repræsentando. Per quod ulteriùs præfigurabatur rejectio Judæorum, & assumptio Gentium. Dicitur autem venisse fraudulenter, non quia propriè dicta fraudulentia intervenerit, sed propter exteriorem apparentiam, & vulgarem hominum in similibus judicandi modum. Quòd verò matre auctore pellibus hœdinis manus & nuda colli obtexit, non fecit ad hoc, ut patrem falleret (qui animus procul aberat à viro simplici & sine dolo) quamquam ita, ut patrem fallere videretur. Quare id egit ad dissimulandam suam personam, gratiâ mysterii, ex sensu & intentione matris, cui judicium suum submittebat.

Alia denique Scripturæ loca videntur quidem ignorantibus verum Scripturæ sensum opposita, verè tamen opposita non sunt. Ea verò cùm plurima sint, non possunt singulatim à nobis hîc concordari, sed concordata videri possunt apud Interpretes Scripturæ.

5. *Deum absolutè loquendo non posse mentiri, certum est, imò de fide.*

Dico II. Deus mentiri nequit, etiam de absoluta potentia. Conclusio est saltem fidei proxima; imò videtur de fide. Eamque velut indubitatam tradunt unanimiter Theologi contra pauciſſimos antiquiores Scholasticos, inter quos recenseri solent *Petrus Alliacensis* 1. *q.* 12. *à* 5. *dub.* 3. §. 55. *propos.* 4. & *Adamus Goddam* 3. *d.* 14. *q.* 5. *dub.* 2. Conclusio patet ex Scripturis *præc. conclus.* relatis, in quibus juxta communem & obvium intellectum non solùm significatur, Deum de facto non mentiri, sed etiam simpliciter esse impossibile, ut mentiatur, atque adeò veracitatem ei competere ex natura sua, uti immutabilitatem: secùs quam homini probo, qui alioquin ex gratia potest numquam mentiri. Quod apertiùs significant loca 2. *ad Timoth.* 2. *ad Hebr.* 2. *Lucæ* 21.

*Ex scripturis.*

*Quibus accedit consensus Patrum.*

Accedit consensus Patrum. *Dionysius de Divin. Nomin. c.* 8. ait: *A veritate cadere, à Deitate est cadere. Aug. l.* 1. *de Symbolo c.* 1. ait: *Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, & quod ait Apostolus, negare se ipsum nō potest. Quam multa non potest, & omnipotens est. Et ideo omnipotens, quia ista non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si iniquè agere, non esset omnipotens.* Et *Lib.* 22. *de Civit. c.* 25. *Si volunt invenire, quod omnipotens non potest, habent prorsus; ego dicam. Mentiri non potest. Anselmus lib.* 1. *Cur Deus homo c.* 12. *Non sequitur, si Deus vult mentiri, justum esse mentiri, sed potius Deum illum non esse: nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est Veritas.*

6. *Et multiplex ratio.*

Ratio Conclusionis est: tum quia alioquin nutaret firmitas fidei nostræ, dum ita maneret locus dubitandi de veritate dictorum Dei, etiam illorum, in quibus asseret se de facto non esse mentitum: unde enim constaret, eum non fuisse in hoc ipso usum absolutâ suâ potentiâ mentiendi? Tum quia summa veracitas sine potentia mentiendi est magna & pura perfectio, adeoque Deo competit. Tum quia cetera attributa sic Deo competunt, ut actus eis contrarios exercere non possit; ideoque quia summè bonus, nequit esse auctor mali, quia justus & misericors nequit injustè vel crudeliter agere; ergo quia prima veritas, nequit esse auctor mendacii. *Si enim fallit, veritas non est* ait *Augustinus l.* 83. *qq. q.* 14. Accedit, quòd juxta communem sententiam mendacium sit intrinsecè malum, sic ut ne quidem divinitus possit ab eo malitia auferri. Hoc tamen à variis, sivè negatur, sivè in dubium revocatur.

7. *Infallibilitas Dei in servandis promissis fide certa.*

Ex dictis patet, fide certum esse, quòd Deus nequeat fallere non servando promissa. Immo Scripturæ suprà relatæ apertè loquuntur de veritate in promissis, signanter illud 2. *ad Timoth.* 2. *fidelis est, negare seipsum non potest*; aliàs utique seipsum negaret, quod omnino impossibile. Ratio est: quia veritas in promissis, vel deficeret ex hoc, quod Deus non habuisset animum adimplendi, esset quo formale mendacium: vel quia animum hunc deinceps mutasset; quod repugnat ejus immutabilitati. Unde *Ambrosius* ad illud *Num.* 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur &c.* ait: *Veritas non recipit mendacium, nec Dei Virtus levitatis errorem.*

8. *Pariter certum est, Deum non posse mentiri per alium, & per seipsum.*

Dico III. Æquè certum est Deum non posse mentiri per alium, ac non posse eum mentiri per seipsum. Patet: quia mentiendo per alium velut ministrum & internuntium nomine Dei loquentem, verè Deus ipse mentiretur, moraliter loquendo; sicut qui per ministrum occidit, eleëmosynam dat &c. verè dicitur instar causæ principalis occidisse, eleëmosynam dedisse &c: adeò ut moraliter idem sit, dicere per se, & per alium. Confirmatur: quia sicut materialiter se habet, quòd quis loquatur voce, scripto vel nutu; ita similiter, quòd loquatur per se, vel mediatè per nūtium, qui instar Scripturæ est merum instrumentum, etsi animatum. Ob quod David *Ps.* 44. dicit: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Ob idem etiam in Scriptura, Dei ministro v. g. Angelo loquente, dicitur Deus loqui *Exod.* 3. & alibi. Accedit, quòd ferè omnia fidei mysteria locutus est nobis Deus per ministros, Angelos sive homines; adeoque vacillaret fides nostra, si Deus per alium loquens posset mentiri.

9. *An homo ad mentiē-*

Petes, an Deus possit de absoluta potentia præcipere alicui, vel cum incitare directè ad

*dum nomine proprio possit præcepto vel consilio Dei incitari.*

ctè ad hoc, ut mentiatur, non quidem nomine Dei (nam hoc satis ostensum est, repugnare) sed nomine proprio? Respondendum est juxta communem Sententiam. Negativè: eò quòd mendacium sit ita intrinsecè malum, ut nulla causa illud cohonestet; cùm honestum esse nequeat, veritatem (quæ ex se absolutè honesta est) impugnare, & quantùm in se est evertere: Deus autem nequit præcipere malum, aut ad illud directè incitare, uti nequit esse auctor peccati. Quâvis possit ex justa causa & intentione boni finis alicui nonnulla objicere, ex quibus is per suam malitiam vel imprudentiam accipiat occasionem mentiendi.

Neque obstat huic Doctrinæ sententia *Scotistarum* de dispensabilitate præceptorum secundæ tabulæ. Tum quia Plures excipiunt præceptum non mentiendi; de quo etiam *Scotus 3. d. 38. quæst. 1.* dubitativè loquitur. Tum quia juxta ipsos *Scotistas* etsi dispensabile foret eatenus, ut mendacium non foret peccatum Theologicum, cessante scilicet voluntate Dei prohibente, non tamen, ut nō foret moraliter & intrinsecè malum, & contrarium rectæ rationi; quod autem tale manet, non potest Deus velle vel præcipere.

10. Suppositō tamen (quod Nominales volunt, & consonāt nonnulli *Scotistæ*, neque est necesse à nobis sustineri; esto fortasse efficaciter non possit convinci) malitiam non esse mendacio adeò intrinsecam, quin divinitus sit separabilis, consequens foret, eâ per absolutam potentiam ablatâ, posse mendacium, utì alia per præcepta secundæ tabulæ vetita, præcipi, & ad illud hominem à Deo incitari. Qui tamen ob hoc non posset ipse per se vel per alium mentiri: eò quòd etiam inde pendenter à malitia, mendacium repugnet primæ veritati; utì repugnat summæ sapientiæ ipsam falli, etsi in hoc non esset malitia, & spiritualitati Dei repugnant actiones ab organo corporeo dependentes, etsi non malæ.

*An inde consequens foret Deum posse mentiri.*

11. Non obstat etiam, quòd obligetur, utique ex aliquo præcepto divino, ad mentiēdum, qui invincibiliter existimat se ad id obligari, ut salvet vitam proximi. Nam ibi mandatum divinum naturale per se & directè fertur in hoc, ne quis agat contra dictamen conscientiæ; non autem ut mentiatur: quamvis suppositâ erroneâ conscientiâ, per accidens & ex consequenti obligetur mentiri, quatenus non mentiri foret contra conscientiam. Neque de hoc potest esse quæstio. Estque idem de ceteris intrinsecè malis. Proceditque etiam de facto & potentia ordinaria: de qua tamen indubiè nequit à Deo præcipi mendacium juxta sensum præsentis dubii. Hoc itaque solum movetur, de potestate absoluta, an per illam, seclusâ ignorantiâ & per se, præcipi à Deo possit mendacium.

*An in casu invincibilis ignorantiæ mendacium possit à Deo præcipi.*

## QUÆSTIO II.

### *An Deus Possit se Solo Infundere Habitum vel Actum erroris?*

VARIÆ sunt de hac quæstione Doctorum opiniones. Nam *Suarez disp. 3. de fide sect. 5. Coninck disp. 10. dub. 2.* & plures Alii simpliciter asserunt, Deum non posse infundere habitum, & consequenter à fortiori nec actum erroris. Secundò *Smising Tract. 2. de Deo disp. 6. n. 283. 285. & 286.* & Alii idem censent de errore actuali, secùs de habituali. Tertiò *Poncius in Comment. Scoti ad 3 dist. 38. num. 29. & seqq. Arriaga Tract. de fide disp. 1. sect. 5. subsect. 2.* & plures Recentiores existimāt, neutrum repugnare Deo, suppositâ nimirum per solum Deum producibilitate actûs vitalis. Quod addo: nam si (quod *Vasquez* & plures alii censent: etsi minus probabiliter) implicet actum vitalem produci sine influxu ipsius potentiæ vitalis, implicabit idem de actu erroris. Pro resolutione.

12. *Opiniones variæ recensentur.*

DICO I. Potest Deus se solo infundere habitum erroneum. Probatur: tum quia illum potest in intellectu conservare se solo atque adeò concursu non tantùm universali, sed particulari: tū à simili ex dictis de Habitu vitioso *disp. 1. q. 8. n. 88.* tum à fortiori ex dicendis de actu erroneō: tum denique quia nulla in hoc apparet ratio repugnantiæ.

13. *Deus potest infundere habitum erroris in intellectu.*

Quare similiter se solo causare potest alia, à quibus oritur error intellectûs; qualia sunt indebita applicatio objecti sensibilis, indispositio organi, species sensibilis objecti absentis, & similia, ex quibus oritur imperfecta species intelligibilis falsaque intellectio. Quorum ulterior ratio est, quòd hæ causæ sint bonæ in genere entis, ordinatæ per se ad effectum positivum & bonū in genere entis, nullamque malitiam moralem annexam habentem: adeoque nulli repugnat perfectioni divinæ, eas ponere in esse, & ad earum effectus concurrere. Imperfectio autem physica, quæ illis sive effectui earum, in est, non obstat: cùm etiam cœcos, claudos, ceterosque effectus monstrosos possit Deus causare. Hoc itaque potest Deus quia omnipotens, etiam per hujusmodi effectus puniendo hominem, aut ob alias causas.

Nec obstat, quòd sic Deus inclinaret hominem in errorem: nam id non potiùs, immo minùs repugnat, quàm quòd ipsūmet errorem actualē possit in intellectu causare, ut infrà dicetur. Deinde etsi hoc non posset, adhuc non repugnaret infusio habitus erronei, qui solum est inclinatio habitualis in errorem, & quasi in actu primo, corrigenda per intellectum: sicut non repugnat productio ipsius intellectûs in certis circumstantiis æquè inclinantis aut determi-

14.

nati

nati ad errorem, utì neque repugnat causare propositionem talem speciem, ad quam sequitur error, quæ ad nunc magìs determinat; nec denique productio habitûs vitiosi, etsi inclinet ad actum vitiosum, non refundendum in Deum tamquam auctorem.

*Et à fortiori in lapide aut extra omne subjectum.*

Hinc à fortiori patet, posse Deum causare se solo habitum erroris extra omne subjectum, aut in subjecto incapaci erroris actualis, v.g. in lapide: tunc enim apertiùs cessant inconvenientia, quæ videri possent annexa productioni illius in intellectu.

15. *Immo probabiliter idem dicitur de actu erroris.*

Dico II. Valdè probabiliter potest etiã Deus absolutè loquendo se solo causare seu infundere actum erroris seu assensum falsum. Probatur: quia similiter in hoc non apparet sufficiens ratio repugnantiæ. Quod quidem manifestius est, si error sic infunderetur intellectui, ut hic se haberet modo velut mortuo, per eum formaliter nil intelligendo; prout existimat *Coninck* contingere, dũ actus vitalis infunditur à solo Deo: tunc enim intellectus non erraret, magis quàm lapis, si in eo poneretur error; neque aliquod inconveniens, quod deroget hac in re divinæ omnipotentiæ, allegari potest. Idem est à pari aut fortiori, si error actualis produceretur à Deo extra omne subjectum, vel in subjecto non intellectivo, v.g. lapide.

Generaliter verò non esse repugnãtiam, probatur ulteriùs: quia illa deberet fundari in malitia sive imperfectione ipsius erroris actualis: nunc autem in errore solùm est imperfectio seu malitia (ut sic dicam) physica; qualis est in febribus, dolore capitis, cœcitate &c. quæ utique Deo tamquam auctori non repugnat: nulla autem est in eo malitia moralis, ne quidem objectiva, qualis est in mendacio indeliberato aut ex invincibili ignorantia commisso: adeò ut hujusmodi errans nequidem materialiter mẽtiatur seu contra mentem eat.

Neque etiam ex eo, quod Deus ipse ob infinitam sapientiam errare non possit, sequitur ipsum non posse errorem causare in altero: sicuti ex eo quòd Deo vitam essentialem & perfectionem suam mori vel dolere non potest, non sequitur, ipsum non posse causare mortem, dolorem, aliasve infirmitates in nobis.

Confirmatur: quia potest Deus objicere lapidem vel lignum cum talibus accidentibus, ut determinetur intellectus ad judicandum quòd sit homo; item conservare speciem objecti absentis, undè judicabitur adhuc esse præsens: quid ni ergo possit per se causare ipsum errorem.

16. *Solvitur fundamentum Coninck.*

Dices I. Cum *Coninck sup. n.* 28. Deus, quia est summè bonus & sanctus, nequit causare peccatũ: ergo similiter quia est summè verus seu verax, nequit infundere errorem. R esp. Neg. Cons. Nam causando peccatum eo ipso malè & perversè ageret, contra rectam scilicet rationem & voluntatis suæ rectitudinem; at producendo in altero errorem, seu volendo ut alter erret, non errare, ipse Deus, uti causando alterius mortem, non moritur Deus. Unde potest Deus interdum velle ut alter erret, immo præcipere v.g. rustico, ut credat, actu utique falso & erroneo, Pastori etiam malè instruenti, dum rusticus nõ habet rationem dubitandi de dictis Pastoris: & tamen Deus nunquam potest velle, ut quis peccet. Non est igitur par ratio. Disparitas autẽ à priori est, quòd infinitæ bonitati repugnet velle aut facere omne malum, infinitæ autem veritati solùm repugnet, ut ipsa erret, aut alios mentiendo seu contrà quàm sentit loquendo decipiat.

17. Dices II. cum *Smising sup. n.* 283. implicat Deum aliquid falsi dicere; falsum autem diceret, si se solo produceret errorem in intellectu; quoniam dicere Dei nihil est aliud, quàm alteri notitiam insinuare: nec enim voces requirit seu aliud signum externum, aliàs non posset loqui Angelo vel animæ separatæ. Quàm igitur certũ est, divino testimonio deceptionẽ nullam subesse posse, tam certum est, Deum se solo actum erroris in intellectu producere nõ posse. Resp. Deum in casu quæstionis nil dicere seu loqui; ad quod nimirum requireretur manifestatio, quâ Deus manifestaret mentem suam esse hanc vel illam; quòd non facit producendo in altero errorem, per quod nempe non dicit neque significat Deus se idẽ judicare. Aliud esset de errore hujusmodi, qui v.g. haberet pro objecto hanc propositionem: Petrus moritur, & ita Deus sentit. Iste enim error esset locutio Dei: Deus autẽ nequit fallere aut decipere verbis aut aliis signis quæ censeantur esse revelatio seu locutio ipsius; cùm id sit mentiri. Non rectè proinde præclarus hic Auctor certitudinem parem esse putavit in impotentia divina non mentiendi, & errorem se solo producendi.

*Respondetur ad fundamentum Smising.*

18. Dices III. Si Angelo v.g. Deus infunderet errorem, ipseque Angelus illum hominibus propalaret, Deus ipse mediatè per Angelum diceret falsum. Resp. Neg. Seq. eò quòd infundendo errorem Deus non loquatur in actu velut exercitio, neque testetur id à se dici aut esse verum, neque quoad hoc faciat Angelum esse suum velut internũtium. Nec hinc sequitur, non posse nobis constare de infallibilitate revelationis Dei: nam ex hoc ipso, quòd constet de revelatione (de qua nobis circa mysteria fidei satis constat) constabit de infallibilitate illius seu rei revelatæ, ob infinitam seu summam Dei revelantis auctoritatem; cui derogat falsa aut incerta locutio, non autem assensus falsi in alio productio.

*Objectioni Tannері satisfit.*

QUÆST.

## QUÆSTIO III.

### *An Deus uti possit verbis ambiguis & obscuris?*

19. *Deus uti potest verbis obscuris, ambiguis, tropicis, aut quibus aliquid tacitè subintelligitur.*

DICO I. Deus potest in S. Scriptura aliisque revelationibus uti verbis obscuris, & oratione ambiguâ ac tropicâ, aut etiam eâ, cui aliqua tacitè subintelliguntur, dum tamen à parte rei, prout exteriùs cum suis circumstantiis exprimitur, verum aliquem sensum habeat; etsi prævideatur, aliquos inde sumpturos occasionem erroris seu falsi intellectûs. Patet manifestè ex tot hujusmodi locutionibus, quibus Scriptura Canonica scatet. Ratio est: quia homines sæpe ex rationabili causa licitè & prudenter ejusmodi orationibus utuntur: ergo idem meritò interdum facit Deus, cui justissimæ causæ suppetere possunt; præsertim cum reliquerit nobis infallibilem ejusmodi locutionum interpretem, Ecclesiam, quam qui audierit, in re alicujus momenti decipi non poterit.

20. *Quibus ex causis id à Deo fiat in sacra Scriptura.*

Causæ porrò sic loquendi, quas Deum movisse conjecturamus, sunt inter alias hæ. Prima, ne doctrina sacra, si tam facilis ac omnibus etiam rudioribus obvia sit, facilè vilescat apud imperitiores, vel rerum spiritualium gustum non habentes, qui facilè contemnunt ea, quæ ab omnibus facilè percipiuntur, quasi nihil reconditi in ijs lateat. Secunda, ut studium nostrum in reconditis Scripturæ sensibus investigandis ac eruendis excitaretur; quo sanè studio verè cælesti nullum honestius, aut homine Christiano dignius: cùm è contrà vulgus hominum occupationibus adeò terrenis & vanis, ne dicam plerumque malis, tempus vitæ transigat. Unde consequenter nascitur mira animi voluptas, quæ ab iis sentitur, qui animo bonâ præparatione imbuto huic studio incumbunt. Hinc ulteriùs fit, ut firmiùs inhæreant, quæ in Scriptura continentur, dum attentiùs sæpiusque lectitari solent, quorum sensus obscurior est. Ex quo etiam consequitur fomentum humilitatis ac elati animi depressio, dum ita intellectûs nostri imbecillitas deprehenditur, atque adeò ad divinam illustrationem per humilem orationem recurritur, more Sanctorum, præsertim S. Thomæ Aquinatis, qui orationi etiam jejunium frequenter addebat. Tertia, ut auctoritas Prælatorum & Doctorum esset amplior apud vulgus, dum hoc ita cogitur doctrinam à Deo revelatam addiscere, ac dubiorum resolutionem quærere. Quarta, ut infidelibus, in quorum manibus sæpe incidunt libri sacri, sacratiora fidei nostræ mysteria occultarentur, quæ non expedit sciri ab ipsis, ne irrideant. Quinta, ut nonnulla, quæ in Scripturis futura prædi-



cuntur; & non convenit ab hominibus ante eventum perfectè cognosci, eousque manerent occultiora, quæ postmodum apertè impleta cernentur.

21. *Restrictione purè mentali uti nequit.*

DICO II. Deus sicquit uti aliquâ locutione externâ, quæ prout exteriùs profertur, nequit habere verum sensum, quantumvis juncta verbis, quæ per mentalem restrictionem subintelliguntur, haberet sensum verum. Conclusio à variis negatur, qui censent restrictionem merè mentalem posse fieri citrà mendacium: quod tamen improbant *Malderus Opusc. de Restrict. mentali c.* 8. *Coninck*, *Arragon*, *Layman*, & Alii passim, & à nobis tractabitur in Materia de Virtutibus Justitiæ affinibus. Probatur Conclusio: quia talis locutio est simpliciter falsa & mendacium, talis enim oratio præcisè secundùm se sumpta prout exteriùs profertur, est absolutè falsa, nec potest habere verum sensum ratione intentionis dicentis, aut orationis merè internæ, quam loquens ei subintelligit: quia nisi hæc aliquo modò exteriùs exprimatur, non potest cum externa unam orationem componere, aut ejus significationem mutare, aut supplere defectum: & consequenter nec potest efficere, ut ejus significatio secundùm se falsa, accessione suâ fiat vera: ergo ipsa nullâ ratione potest habere significationem aut sensum verum. *Probatur*

Confirmatur: quia si hoc Deo esset possibile, possemus de singulis Scripturæ locis dubitare, an fortè Deus ibi non utatur tali restrictione; atque ita in Scriptura nihil esset certi. Nec sufficeret, si diceret Deus, se in tota Scriptura non uti tali restrictione mentali, aut se constituisse Ecclesiam infallibilem veri sui sensus interpretem: quia positâ semel eâ potestate in Deo, possemus dubitare, an non etiam his in verbis fuisset usus simili restrictione; & consequenter possemus de eorum sensu dubitare.

22.

Dices I. Mentiri est contra mentem ire, sive intendere aliquid significare quod scitur esse falsum; atqui Deus per talia verba exteriùs prolata non intendit significare id quod scit esse falsum, sed id quod scit esse verum. Resp. Neg. Min. quia verba exteriùs prolata in his circumstantiis absolutè sine ulla ambiguitate significant quod Deus scit esse falsum, nec ullo modo significant aliquod verum: atqui ipse simpliciter in illis circumstantiis intenderet illa proferre; ergo intenderet significare aliquod falsum. Nec refert, quod simul expressè intenderet non illud, sed aliquid aliud significare: quia hæc intentio solùm esset inefficax quædam velleitas; ideoque efficacem intentionem mentiendi non impediret.

*Objiciuntur varia loca Scripturæ.*

Dices II. Multæ hujusmodi locutiones reperiuntur in Evangelio, aliisque Scripturæ libris. Nam ipse Christus *Marci* 13. interro-

interrogatus à Discipulis de tempore consummationis mundi, & adventûs judicis, respondit: *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius.* Et tamen ipse illum optimè nôverat. Item *Joan.* 7. fratribus seu cognatis urgentibus: *Transi hinc, & vade in Judæam*, Hierosolymam scilicet, velut ad theatrum mundi, *ut & Discipuli tui* seu studiosi doctrinæ tuæ, qui ibi sunt, *videant opera tua, quæ facis &c. manifesta te-ipsum mundo*; respondit Christus: *Tempus meum nondum advenit &c. Vos ascendite ad diem festum, ego autem non ascendo ad diem festum istum.* Et tamen, *ut ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum.* Eâdem restrictione usus videtur Raphaël angelus *Tobiæ* 5. dum rogatus, *de qua domo, aut de qua tribu es tu*, respondit: *Azarias Ananiæ magni filius*; & antè respondens Tobiæ Juniori dixerat se esse *ex filiis Israel.*

23. *Quo sensu Christus verè dixerit se non scire diem judicij.*

Resp. Christum *Marci* 13. (ut alias expositiones omittam) loqui velut legatum ad nos missum: legatus autem verè dicit, se non scire, etiam ex mente petentium, qui cèsentur solùm rogare communicationem scientiæ, quam interrogatus communicare potest, qui non habet in commissione ut communicet, sed potiùs ut occultet. Quod ex circumstantijs satis poterat deprehendi; utì &, quòd Christum aliàs non lateret dies & hora judicii, qui omnia ad diem illum & horam prædixerat. Ideoque rursum *Act.* 1. de illo die interrogatus fuit, & interrogantium curiositatem repressit, dicens: *Non est vestrum* (subindicans satis, esse suum) *nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

*Item se non ascendere ad diem festum; ad quem tamen ascendit.*

Similiter *Joan.* 7. Christus verè dixit, etiam retento sensu à rogantibus proposito, se non ascendere, scilicet cum ipsis rogantibus, idque gloriæ suæ & ostentandi sese causâ, prout fratres ejus cupiebant: vel expeditiùs, quia non ascendit *ad diem festum istum*, hoc est, ad primum vel secundum diem festivitatis, sed sequentibus diebus, palam ostendens se *die festo mediante* seu ad medium perducto, puta quarto die, qui est medius septem dierum; vel adhuc facilius explicando *illij non*, ut idem sit, quod *nondum*; prout consonat tum vox Græca, tum quod præmiserat Christus: *Tempus meum nondum advenit*; tum quod pro causa subdit: *Quia meum tempus nondum impletum est.* Unde patet, Christum non fuisse usum restrictione purè mentali, sed verbis verum significantibus, præsertim in ijs circumstantiis.

24. *Quomodo Raphaël verè dixerit se esse ex filijs Israel, & Ananiæ filium.*

Angelus Raphaël sic loquebatur occultando suam personam, quia verè repræsentabat sive referebat aliquem è filijs Israel, scilicet Azariam filium magni Ananiæ, viri isto tempore noti, ut patet ex subjectis Tobiæ verbis: *De magno genere es tu.* Aut certè sicut comestio & ceteræ actiones Angelorum in corporibus assumptis, sic & verba eorum sunt accipienda, ut signa quorumdam mysteriorum. Atque ita dixit se esse ex filijs Israel, quatenus per affectum & auxilium adest veris Dei cultoribus. Et quia Azarias significat adjutorium, & Ananias nubem seu divinationem Domini, significat se divinæ providentiæ consilio missum in adjutorium Tobiæ; ut explicat *Estius in Notis ad dictum locum.*

Dices III. Deus sæpè utitur in Scriptura verbis in sensu obvio falsis, & in vero alio obscuris, ut nemo eum possit ullâ ratione assequi, vel conjicere eum subesse, vel rationem illam debere intelligi in alio sensu, quàm in eo qui obvius est: ergo etiam potest utì locutione externâ secundùm se falsâ, quæ cum alijs tamen permistim subintellectis junctâ, sit vera. Resp. Neg. Antec. quia Deus sic loquendo moraliter esset causa erroris ijs, quos vult se ipsos sibi totos fidere, daretque occasionem dubitandi de cujusvis Scripturæ sensu, an scilicet non debeat sumi in sensu aliquo, quem nullus potest assequi; sicque vacillaret tota fides nostra, non minùs quàm si Deus posset mentiri.

## QUÆSTIO IV.

### *An Objectum Fidei debeat esse Obscurum?*

25. *Credenda non debent constare ex ratione, immo captum rationis sæpe excedunt.*

SUppono in primis velut omnino indubitatum contra quosdam antiquiores Hæreticos in objecto fidei non requiri evidentiam, sive non oportere, ut mysteria fidei possint ex ratione ostendi. Quamvis enim varia revelata sint etiam lumine naturæ nota: plurima tamen in Scriptura & Traditione nobis credenda proponuntur, quorum veritas nullatenus ex ratione constat, immo quæ supra captum nostri intellectûs sunt. Ut proinde Apostolus 2. *ad Cor.* 10. dixerit: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Captivam hamque ducitur ingenium, quantumvis excellens & scientijs excultum, dum sepositâ humanâ ratiocinatione, simpliciter & humiliter suscipit ea quæ Christus docuit, nobisque per Ecclesiam credenda proposuit. Cujus quidem captivationis & obedientiæ exempla præfulserunt in Dionysio Areopagita, alijsque excellentis ingenii & doctrinæ Philosophis ad Christum adductis. Estque hæc fidei laus, ob divinam auctoritatem ac respectum assensum præbere firmissimum, etiamsi is, quæ non apparent, utcumque sensus noster carnalis reclamet. Propter quod Apostolus *ad Heb.* 11. fidem dixit esse *argumentum non apparentium.* Qualem fidem in varijs antiquis Patribus Præfulsisse, dein multis ibidem confirmat Apostolus.

Nec

26. *Quo modo Fides dicatur lumen.*

Nec refert, quòd in Scriptura & alibi fides dicatur esse lumen quoddam. A quo recèns baptizati dicebâtur illuminati; unde & Baptismus ipse apud Veteres Sacramentum illuminationis. Nam fides divina, præsertim Christiana, expellit ignorantiæ tenebras, quibus Gentiles & ex parte Judæi erant involuti. Unde lumen dicitur ob infallibilem intellectus nostri instructionem ac directionem in rebus præsertim à sensu remotissimis. Quamvis alioquin omnis notitia, etiam opinativa, lumen quoddam sit, at non semper evidenter ostendens objectum.

Non refert etiam, quod *Eccli.* 19. dicitur: *Qui citò credit, levis est corde.* Nam non nimis citò credimus, qui sufficientia credibilitatis signa habemus, ut potiùs essemus duri & tardi corde, non credentes testimoniis Dei, quæ *credibilia facta sunt nimis psal.* 92. quantumvis ea, circa quæ Dei testimonium versatur, sint nobis obscura.

27. *Inter scientiam & fidem non est repugnantia quoad habitus, aut quoad habitum unius & actum alterius.*

Suppono II. Satis quoque indubitatum esse, quòd res quæ creditur, possit simul esse quoad habitum evidenter scita; & quæ scitur, possit habitualiter esse credita: ut proinde inter habitus fidei & scientiæ, item inter habitum fidei & actum scientiæ, aut inter habitum scientiæ & actum fidei non sit repugnantia. Philosophus namque Gentilis, qui haberet scientiam evidentem de aliquo mysterio, v. g. de existentia Dei, conversus ad fidem non amitteret priorem scientiam, quamvis accipiat tunc fidem, quâ potest idem credere. Prout etiam Christiani nonnullos articulos creditos possunt dein evidenti ratione palpare, sine fidei præhabitæ præjudicio. Neque potest ex ullo capite ostendi apparens ratio repugnantiæ. Quinimmo habitus infusus fidei ne quidem ipsi habitui vel actui infidelitatis physicè repugnat, ut patet ex dictis *Disp.* 1. *q.* 7. *nu.* 74. Vide etiam *q.* 8. *n.* 86. *& seq.* quanto igitur minùs repugnat physicè habitui vel actui scientifico? Quod etiam extendendum est ad ipsum actum visionis Dei, qui nimirum non repugnat physicè fidei habituali; etsi hæc sit in patria evacuanda, ob imperfectionem illi statui non congruentem, in quo etiam careret actu proportionato.

*Quæstio itaque contingit de ipsis actibus circa idem objectum.*

Quæstio itaque movetur de actibus fidei & scientiæ, an repugnent; adeoque quæritur, an objectum fidei sic necessariò sit obscurum, ut credenti non sit aliunde actu evidens.

28. *Repugnant autem de potentia ordinaria actus fidei & visionis beatificæ.*

Dico I. Actus fidei de potentia ordinaria non potest simul stare cum visione beatifica, seu notitia intuitiva, quam habent Beati de eadem re. Ità omnes Theologi cum *D. Thoma*, *D. Bonaventura* & *Scoto*. Et consonat *Augustinus l.* 1. *Soliloq. c.* 7. Colligitur etiam apertè ex Apostolo 1. *ad Cor.* 13. ubi inter alia dicit: *cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

Dixi *de potentia ordinaria*: an enim sit repugnantia etiam quoad potentiam absolutam, dubium est. Nam affirmant *Thomistæ* & *Scotistæ* passim (quamvis *Scotus* de hoc nil expresse determinet) & plures alii, ac novissimè *Lugo d.* 2. *sect.* 2. *n.* 81. Negant passim alii. *Immo juxta multos etiam de potentia absoluta.*

29. *Sed non allegatur solida implicantia.*

Et sanè difficilè est solidum aliquod fundamentum absolutæ implicantiæ assignare. Quod enim Quidam ajunt eidem intellectui convenire non posse simul plures actus inter se non subordinatos, generaliter loquendo falsum est, etiam naturaliter loquendo. Et ut verum foret connaturaliter; cur id, quæso, repugnabit, Deo potentiam confortante? Quemadmodum de facto facit beatos tam varia intelligere & velle, etsi alioquin connaturaliter tota vis intellectiva foret exhaurienda per claram visionem Dei. Nec etiam satis ostenditur, quod Nonnulli assumunt, per unum actum impediri conditionem essentialiter requisitam ad objectum alterius, quatenus nempe est de essentiali ratione objecti fidei, quòd sit non visum privativè, ut loquuntur, id est, quod non sit visum per ullum actum, adeoque sit in intellectu carentia omnis visionis ejusdem objecti. Nam quâ facilitate id essentialiter esse requisitum assumitur, potest negari. Minùs apparens contradictio est, quam allegant Alii ex evidentia & inevidentia, quasi idem intellectus simul esset evidens & inevidens. Nam id ratione diversorum actuum non implicat: quippe quod nil aliud sit, quàm intellectum habere duos actus, per quorum unum, clarum scilicet, significaret evidenter rem, per alterum verò cognosceret non evidenter. Sicut in eodem subjecto sunt albedo & calor, quod quidem per albedinem constituitur album, & non per calorem. Unde absolutè loquendo erit intellectus evidens, non autem dici poterit simpliciter non evidens, sed cum addito, quantum est ex parte actûs inevidentis; qui etsi habeat non evidentiam, negativam tamen hæc solùm remotè subjectatur in intellectu, mediante actu inevidenti. Simili modo si intellectui proponantur duo media, quorum unum convincat, & alterum non, dicetur intellectus convictus simpliciter, & non convictus cum addito tantùm, quantum scilicet est ex parte alterius medij. Non rectè quoque refunditur implicantia in superfluitatem: hæc enim non fundat repugnantiam essentialem, & in ordine ad potentiam absolutam. *Solvitur prima implicantia.* *Solvitur Secunda.* *Solvitur Tertia.* *Solvitur Quarta.*

30. *Solvitur Quinta.*

Insuper non rectè repugnantia fundatur in hoc, quòd visio contineat eminenter omnem perfectionem actûs fidei, non possit autem forma produci in subjecto jam actuato per formam, quæ formaliter vel eminenter contineat alterius perfectionem,

nem; ob quod nequit calidum ut tuo agere in calidum ut quatuor. Nam visio pariter continet perfectionem notitiæ claræ abstractivæ, & tamen Angeli videntes Deum, cognoscunt simul eumdem abstractivè clarè in creaturis. Et Christus, qui videbat Matrem in verbo, eamdem percipiebat sensu, & intellectuali notitiâ per sensum generatâ. Quare illud de actuatione formæ, non habet locum in intentionalibus, esto haberet in alijs physicis formis. Et ut haberet etiam in intentionalibus locum de potentia ordinaria, saltem non de potentia absoluta.

31. *Solvitur denique implicantia allegata à Lugo.*

Denique non rectè *Lugo supra* essentialem repugnantiam fundat in defectu motivi sufficientis (quod utique essentialiter requiritur) quasi videlicet implicet intellectum moveri ad cognoscendam veritatem per medium fidei, ubi perfectè eamdem possidet per claram visionem: adeò ut motivum fidei non habeat vim movendi ad assensum, nisi stante indigentiâ intellectûs aliunde non possidentis objectum. Sicut implicat voluntatem desiderare seu sperare, quod perfectè possidet, aut ad illud obtinendum media adhibere. Contrà enim facit, quòd cum perfecta visione, adeoque possessione veritatis objecti, stet immediata ejusdem notitia abstractiva clara; immo cum visione creata in verbo, visio ejusdem extra verbum. quid ni ergo de absoluta potentia possit stare assensus immediatè elicitus ob auctoritatem Dei? Ex quo nil aliud sequeretur, quàm quòd eadem res esset ratione diversorum actuum intentionaliter præsens intellectui, partim secundùm speciem propriam, partim secundùm species alienas; potest autem idem objectum multipliciter uniri intellectui; uti multipliciter attingi & præsens sisti. Quare si similiter idem objectum posset à voluntate dupliciter possideri, posset uno modo possessû, adhuc desiderari alio modo possidendum. Et dùm viso Deo tenderet intellectus in ipsum per fidem, esto (quod *Lugo* supponit, & falsum est, certè non necessarium) mediantibus præmissis, quæreret intellectus ipsum novo titulo & modo simili præsentem sisti, scilicet secundùm species alienas & mediante revelatione.

32. *Actus fidei & notitiæ naturalis intuitivæ aut propriè scientificæ connaturaliter non consistunt in eodem.*

Dico II. Assensus fidei connaturaliter non consistit cum naturali notitia intuitiva aut propriè scientifica. Ita *Scotus d. 24. q. unic. D. Thomas q. 1. a. 5. Lorca* & plurimi alii, & quoad notitiam saltem intuitivam excludentem omnem formidinem etiam *Lugo d. 2. sect. 2. n. 74.* contrà plures alios præsertim Recentiores.

*Probatur ex Scriptura, etsi non efficaciter.*

Conclusio solet probari ex Scriptura *ad Hebr. 11.* ubi Fides describitur *argumentum non apparentium*. Et quamvis hoc Alii explicent fidei competere, partim quatenus objecta ex parte fidei seu per fidem ipsam non fiunt evidentia: partim quatenus fides non exigit rei visionem, quin potiùs ordinariè est circa ea quæ non videntur, quamvis etiam circa alia versari possit, ut hoc sit accumulativè, non exclusivè dictum: favet nihilominus intellectum, utì sonat, & maximè accedentibus dictis Patrum. Ex quibus.

Probatur Conclusio II. Nam *Augustinus Tract. 40. in Joan.* ait: *Quid est enim fides? nisi credere quod non vides.* Et *Tract. 68. Fides autem, quâ eorum, quæ Deum visuri sunt, quamdiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt, credit: nam si videt, non est fides.* Et *Tract. 79. Nescio, an credere dicendus sit quisque quod videt. Chrysostomus Hom. 22. in Epist. ad Hebr. Si fides,* inquit, *est argumentum eorum, quæ non videntur, quid est quòd vultis videre, ut excidatis à fide? Gregorius Hom. 26. in Evang. Fides,* inquit, *earum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt; quæ enim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. Bernardus lib. 5. de Considerat. c. 3.* Dicit, quòd *fides est voluntaria quædam certa præltibatio necdum propalatæ veritatis.* Similiter Patres supponentes non credi quòd videtur vel scitur, ad explicandum illud *Joan. 20., Quia vidisti me Thoma, credidisti,* dicunt ipsum aliud vidisse, aliud credidisse. Quæ Auctoritates expressiùs favent Conclusioni, quatenus loquitur de notitia intuitiva: conantur nihilominus Alii eas explicare. 33. *Et dicta Patrum.*

34. *Rationes diversæ allegantur, ut probetur intrinseca repugnantia, quæ non videtur subesse.*

Probari solet III. ratione à diversis diversâ, ut ostendant intrinsecam inter illos actus repugnantiam. Sed inefficaciter, vt facilè patebit cõsideranti quæ dicta sunt *n. 29. & seqq.* Quare mihi non apparet, esse incompatibilitatem intrinsecam ex natura vel essentia actuum; qualis est tantùm inter actus oppositio seu contradictio modo tendentes in idem objectum, v. g. inter assensum & dissensum, amorem & odium ejusdem objecti: non autem apparet esse inter notitiam claram, quâ scitur objectum per medium evidens, & notitiam obscuram, quâ idem noscitur per medium inevidens, quæ diversæ rationes seu media possunt sufficientissimè simul proponi eidem intellectui, adeoque posset intellectus, quantum est ex natura actuum, simul per illos tendere in objectum.

35. *Ratio Auctoris.*

Ratio igitur referenda videtur in ipsam conditionem nostri intellectûs, qui teste experientiâ, dum omnino evidenter palpat veritatem objecti, non solet attendere ad motiva, quæ eamdem obscurè probent; eò quòd nimirum sit plenè quietatus, seu sit perfectè ei satisfactum per notitiam evidentem, quâ tenet & quasi possidet veritatem objecti. Unde etiam si clarè quis rem videat, non solet attendere ad testimonium hominis de eadem, etsi aliàs propter illud solum judicaret illam ita se habere.

Respon-

*Responsio Coninck refellitur.*

Respondet *Coninck disp. 11. dub. 1.* disparitatem assignans inter fidem humanam & divinam, quòd humana nil perfectionis aut certitudinis novæ superaddat actui evidenti, prout tamen superaddit fides divina, utpote certior omni notitiâ evidenti. Verùm quidquid sit de majori fidei divinæ certitudine (quæ non ab omnibus absolutè admittitur, & postea à nobis tractabitur) experientia docet intellectum habitâ omnimodâ evidentiâ non attendere ad fundamenta obscura, veluti perfectè quietatum: quod etiam currit, etsi accedat motivum fidei divinæ. Auctoritates quoque de fide divina expressè agunt, dum eam insinuant cum evidenti notitia incompatibilem.

Nihilominus fatendum, contrariam sententiam non parum esse verosimilem: cum Auctoritates non omnino convincant: ratio quoque efficax, difficulter apparet, cur sicut motiva utriusque actûs possunt simul proponi, ita nequeant ipsi actus simul elici. Pro eadem sententia.

36. Dices I. Christus dixit Thomæ *Joan. 20: Quia vidisti me, Thoma, credidisti*; ergo fides potest esse de visis. Resp. I. Christum non dixisse, quod vidisti Thoma credidisti, quia nempe aliud vidit, aliud credidit; ut *Augustinus* & *Gregorius* loquuntur: vidit enim hominem & credidit Deum.

*Explicatur illud Joan. 20. Quia vidisti me Thoma, credidisti.*

Neque visio assignatur ut causa seu motivum assensûs fidei, sed potiùs ut causa evidentioris credibilitatis, & manuducens Thomam ad concipiendam fidem. Resp. II. ibi juxta litteralem sensum potissimùm agi de fide resurrectionis, q.d. quia sensibus curiosè me exploraſti, credidisti me resurrexisse à mortuis, & consequenter me esse Dominum Deum tuum, sive verum Deum & hominem.

*An resurrectio oculariter visa, credi posuerit.*

Sed difficultas tunc manet, quî potuerit credere, quod videbat. Ad quam dico, potuisse resurrectionem concurrente divinâ auctoritate credere: nam (ut omittam, quòd Thomas non viderit resurrectionem fieri, sed factam esse, judicijs ex sensatione desumptis, collegerit) etiamsi illam fieri oculis vidisset, inde non habuisset perfectam & physicam facti evidentiam; cùm visio ocularis tantùm feratur in externam speciem, cui posset subesse falsitas per sensuum illusionem. Quare visâ etiam resurrectione & Christi redivivi corpore existimare potuisset, se phantasma vel visum videre. Nam Petrus Angelum coram se cernens, & ab eo contrectatus, nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: & Domino super mare ambulante, dicebant Discipuli, Quia phantasma est: & Angeli in corporibus assumptis apparebant esse veri homines, quales tamen non erant. Fidei proinde debet manere locus, ut ex ejus lumine homo magis firmetur, quàm ex sensuum operatione. Et nihilominus adhuc Thomas aliud vidit, nempe speciem externam, aliud credidit, nempe tum Verbum, & redivivam humanitatem (quæ per se non videbatur) tum divinitatem.

Dices II. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est*, ut ait Apostolus *ad Hebr. 11.* hoc autem cadere potest sub notitiam evidentem, & consequenter Philosophus qui illam de facto haberet, non posset credere, nec, si foret infidelis, justificari. Responderi solet, naturaliter quidem sciri, quòd Deus sit tamquam auctor naturæ, non verò tamquam auctor gratiæ; qui autem ad justificationem tendunt, accedere debere ad Deum tamquam auctorem gratiæ, atque adeò id per fidem, ab ijs etiam qui Deum esse evidenter norunt, credi oportere. Sed contrà facit, quòd hoc appareat contra planum sensum verborum, ac etiam receptum Apostoli intellectum; cui conformiter in capite Symboli ponitur fides in unum Deum, ac existentiam illius, etiam tamquam auctoris naturæ. Et Apostolus suprà mox subjicit fidem in Deum remuneratorem; quod spectat ad eum tamquam auctorem gratiæ & bonorum supernaturalium. Respondetur itaque aliter, quòd hujusmodi Philosophus non necessariò semper sibi proponeret medium scientificum, quin immo posset intellectum ab eo divertere, atque adeò credere, quòd Deus sit, sicque ulteriùs ad justitiam accedere. Quòd si adeò vivaciter medium scientificum memoriæ infixisset, ut quoties de Deo cogitat, semper illud occurreret, consequenter determinaret primo loco ad actum scientificum, qui non est proximè liber, adeoque stante istâ hypothesi non posset iste Philosophus credere hunc articulum, nec justificari: quamvis hoc non sit natum fieri, neque consonum suavi providentiæ Dei.

37. *Qui Philosophus credere possit existentiam Dei scientificè cognitam, variè variè explicant.*

Verùm non est necesse nos ad has angustias redigi. Admitto enim simpliciter posse talem Philosophum simul scire & credere existentiam Dei; sed scientiâ à posteriori & ex creaturis desumptâ, quæ non est propriè & strictè dicta scientia, scilicet immediata aut per proprias & intrinsecas causas, de qua *Scotus* solùm loquitur, ut patet *d. 24. n. 13 & 17.* Consentitque noster *Franciscus Castillo disp. 4. qu. 2. nn. 28. & seqq.* Et meritò: nam hæc scientia non generat perfectam evidentiam de objecto, cujus propria natura & secundùm intrinseca sua considerata ex hoc nobis evidenter non patet, utpote quæ per proprias species non cognoscitur. Sicut ex viso fumo evidenter infertur existentia ignis, cujus tamen natura ex hoc in se non evidenter cognoscitur. Prout etiam ex evidenter cognita veracitate Dei, & ejusdem revelatione, infertur evidenter, quòd sit verum, esse v. g. Deum trinum; & tamen connexio

38. *Alia explicatio hujus difficultatis.*

Trinitatis cum Deo in se manet nobis inevidens. Immo credendo articulo revelato etiam ferimur per assensum in ipsam primam veritatem revelantem, & quidem, frequenter saltem, evidenter cognitam. Quare adhuc fides erit rerum non apparentium, quæ scilicet in se non solùm non videntur, sed etiam intrinsecè spectatæ manent inevidentes, quatenus in propriis terminis & per proprias species non cognoscuntur.

39. *An Philosophus Christianus certior sit præ gentili de existentia Dei.*

Ex quo etiam patet, quid dicendum ad instantiam desumptam ex majori certitudine de existentia Dei naturaliter cogniti, quam habet philosophus Christianus præ Gentili; utique ob adjunctum lumen & notitiam adeoque certitudinem fidei. Nam esto hoc totum verum sit, nil contra nos. Deinde alij dicerent, ex parte scientiæ actualis esse parem utriusque certitudinem; nisi quòd frequenter sint notitiæ Gentilium de Deo immixti errores, in Christiano per fidem sublati: esse tamen disparem certitudinem in actu primo, quatenus in Christiano præterea est fides de Deo, & accedere potest assensus Theologicus præmissis fidei innixus.

40. *An & qualiter articulos symboli sensibus perceptos crediderit Deipara & Apostoli.*

Dices III. ex nostra Doctrina sequitur, Deiparam non habuisse fidem de suo conceptu quatenus facto fine opera viri, utpote eatenus evidenti experientiâ noto; neque etiam de crucifixione, morte, ascensione Filii à se visis. Idemque est de Apostolis, qui ea viderunt. Et tamen hi articuli in Symbolo proponuntur tamquam ab omnibus credendi. Respondeti posset, locum fuisse fidei circa ista mysteria pro tempore, quo evidentia rei se non ingerebat intellectui ipsorum, hoc attendente solùm ad motivum fidei, sepositâ consideratione medii evidentis: aut certè ipsos aliud vidisse, aliud credidisse; credidisse, inquam, mysteria ista quà concernentia Deum hominem, qui conceptus, crucifixus &c. credebatur, non videbatur. Immo cùm experientia sensuum per se solùm tenderet in speciem externam, probabilissimè erat locus fidei firmiori etiam circa mysteria ista, quà humanitatem concernentia. Quòd si denique actualis istorum fides ob ingerentem se jugiter evidentiam in prædictis non potuisset constare, non fuisset utique ipsis aliter quàm in præparatione animi necessaria.

41. *Fides supernaturalis & opinio aut fides humana simul consistunt.*

Dico III. Fidei supernaturalis assensus rectè consistit cum assensu opinionis aut fidei humanæ in eodem intellectu. Ita pleriq; Doctores. Ratio est: quia nullum est fundamentum incompatibilitatis. Etsi enim (quod allegari posset) opinio & fides humana sit fallibilis, fides autem divina infallibilis; quid tamen vetat intellectum judicare per unum actum de veritate objecti quantum est ex parte talis medij seu motivi fallibiliter, & per alium actum quantum est ex parte alterius medij infallibiliter? Ubi adhuc erit locus formidini ad opinionem requisitæ: tum quia in ipsâ manebit formido, saltem radicalis, cùm actualis non sit ad eam necessaria: tum quia etiam actualis esse poterit, quo scilicet timeatur de veritate objecti quatenus substantis medio opinativo, sive de connexione utriusque. Ut omittam etiam fidei divinæ subinde adesse actualem dubitationem, saltem involuntariam. Confirmatur: quia de facto motiva humana proponuntur tamquam dispositiones manu ducentes ad fidem; mysteriaque creduntur non solùm ob auctoritatem divinam, sed etiam sæpe ob auctoritatem humanam Ecclesiæ, consensum sapientum &c., quæ causant credibilitatem & assensum fidei humanæ. Similiter ad roborandæ fidei mysteria sæpe junguntur motiva probabilia; adèoque possunt fundare actum cibi respondentem, non obstante consortio assensus fidei.

## QUÆSTIO V.

### *An dabilis sit Evidentia Revelationis, & an Repugnet fidei?*

42. *Quid evidentia revelationis seu in attestante. An Angelis concessa. Illatio quorumdam non planè evidens.*

EVidentia revelationis, quæ etiam appellari solet evidentia in attestante, consistit in hoc, quòd ei, cui fit revelatio, sit evidens, esse Deum qui loquitur, seu esse locutionem & testimonium Dei. Quæ juxta satis receptam Doctorum sententiam contigit Angelis, præsertim supremo, in statu viæ. Idque colligitur ex eo, quòd hi clarè noverant, non esse creaturam, quæ loquebatur: hanc enim evidenter novissent, & quidem longè evidentiùs, quàm nos possimus deprehendere, quis nobis loquatur: adeoque manifestù ijs erat, Deum esse, qui loquebatur. Nihilominus evidentia hæc non apparet omnino perfecta: simpliciter enim dubitare potuisset Angelus, num fortasse loqueretur creatura, divinitus occultata ipsi Angelo. Et quamvis ei evidens fuisset, Deum loqui vel creaturam divinitus occultatam, adhuc non fuisset ei evidens Deum loqui per se vel per illam creaturam; nisi simul fuisset ei evidens (quod non erat necesse) istam creaturam à Deo occultari in ordine ad faciendam revelationem. Alioquin potuisset occultari ad alios fines, & sic occultata loqui nomine Dei absque ejusdem commissione.

43. *Alii modi explicandi hanc evidentiam in Angelis.*

Manifestiùs apparuisset perfectissima in attestante evidentia, admissâ in Angelis specie abstractiva distinctè repræsentante divinam essentiam; quæ juxta *Doctorem Subtilem* 2. d. 3. q. 9. n. 7. est possibilis, & juxta varios *Scotistas* de facto fuit eisdem concessa. Præterea sine hac specie videri posset Deus clarè potuisse insinuare Angelis, ipsum esse qui loquebatur, infundendo eis per

per se assensum alicujus objecti. Sed sola infusio alicujus judicii non est locutio Dei; qui proinde juxta dicta q. 2. posset de absoluta potentia infundere errorem. Aliud esset de judicio tali, quo simul judicaret intellectus Deum habere simile judicium de eodem objecto. Hic enim assensus simul foret locutio Dei. Sed existimat *Poncius in Coment. ad dist. 23. n. 30.* non posse hujusmodi notitiam produci, quæ non sit intuitiva Dei; eò quòd omne judicium intellectuale præsupponat aliquod motivum, quod tali notitiæ deesset, utpote quæ nec fundaretur in discursu, neque esset de objecto ex terminis noto vel intuitivè cognito, neque innixa alteri revelationi &c. Quidquid autem de hoc sit, saltem fatetur idem *n. 31.* hujusmodi evidentiam fore, si propositis sufficientibus motivis credibilitatis eliceret quis assensum supernaturalem fidei? & Deus illuminaret intellectum ad videndum, quòd actus ille sit supernaturalis assensus fidei: eo ipso enim clarè constaret, procedere per se à Deo, eique non posse subesse falsum. Alium ibidem modum adjungit, si videlicet Deus per voces externas aut internas loquens, in confirmationem istius, quòd sit sua loquela, faceret miraculum physicè evidens.

44. *An jus concessa Adamo, Prophetis, Apostolis, Deiparæ.*

Similis aliquâ evidentia in attestante conceditur à Doctoribus passim Adamo, Prophetis & Apostolis ipsique Deiparæ. Quod tamen fundatur in mera congruentia, quia nimirum, suppositâ possibilitate, congruebat ampliorem certificationem de divina revelatione haberi ab illis, qui ceteris revelationem ipsam & articulos revelatos firmissimè credendos testificari debebant, & consequenter à Deipara præ ceteris privilegiatâ.

*Ballem constat, non fuisse ejs necessariam.*

Nihilominus certum est, hanc evidentiam non fuisse ijs necessariam: sicut enim nobis sufficit prævia certitudo moralis de divina revelatione, atque adeò evidentia credibilitatis mysteriorum fidei, ut ijs certissimam Deoque dignam fidem adhibeamus: quidni similiter sufficisset ipsis Prophetis & Apostolis, etiam tamquam testibus & Doctoribus communibus? Et planè de facto certissima est fides nostra, etiam independenter à hujusmodi evidentia, quæ fuisset Prophetis & Apostolis concessa: cùm an talis fuerit eis concessa, Ecclesiæ non constet; quæ tamen ob hoc non minorem fidei suæ firmitatem tenet. Immo difficulter inducer, ut credam communiter sive semper hujusmodi evidentiam perfectam in prædictis habuisse locum, utpote quæ non parum derogasset merito fidei eorumdem; cùm tamen maximi fuerit meriti, atque adeò in Scriptura laudetur fides Deiparæ, Noë, Abrahæ, Moysis, & aliorum Patriarcharum seu Prophetarum. Immo potius foret ejusmodi evidentia eis denegāda, quàm si propterea ratio veræ ac meritoriæ fidei (quæ in eis nostræ similis fuisse supponitur *ad Hebr. 11.*) ab illis exulasset.

45. *An evidentia revelationis generet evidentiam rei revelatæ in eo cui evidens est prima Veritas.*

An autem evidentia revelationis generet evidentiam ipsius rei revelatæ, quæstio est inter Scholasticos controversa. Existimo tamen non posse aliam esse quàm de nomine controversiâ. A qua proinde breviter me expediendo dico, errtum in primis esse, inde non oriri intrinsecam aliquam evidentiam in mysterio revelato, quasi v. g. Trinitas revelata sive connexio intrinseca illius cum Deitate in se fiat evidens. Quin potiùs ipsa manet inevidens, quantumvis evidens foret, Deum summè veracem id testari. Itaque solùm potest rei revelatæ inde accedere evidentia quædam extrinseca, fundata in his principijs extrinsecis, attamen evidentibus: Quidquid Deus revelat, est verum: Deus revelat se esse trinum in personis. Inde enim evidenter sequitur, hanc propositionem esse veram: Deus est trinus; adeoque existentia veritatis istius propositionis est evidens, non evidentiâ rei in se, sed extrinsecè participatâ à præfatis præmissis. Et immeritò id quispiâ negaret aut in dubium revocaret.

Nihilominus assensus præfatæ conclusionis quatenus elicitæ ex duabus suprà positis præmissis non est fidei Theologicæ: idque juxta plurimos ob suam evidentiam; vel potiùs ob hoc, quòd non habeat auctoritatem divinam pro motivo proprio, sed sit assensus naturalis innixus evidentiæ præmissarum tamquam motivo, sive connexioni evidenti medii syllogistici cum extremis in antecedente.

46. *Potest cum ea fides consistere, si non habeatur evidentia prima Veritatis.*

Nunc difficultas superest, an stante evidentiâ revelationis adhuc possit esse locus fidei Theologicæ, quâ quis credat mysterio evidenter revelato immediatè ob divinam auctoritatem. Et quidem facilè apparet posse ejusmodi assensum elici, etiam ab habitu fidei nostræ, supposito, quòd simul non adsit evidentia de ipsa summa Dei veracitate; ut rectè notarunt *Poncius in Comment. ad dist. 24. n. 33. Arriaga disp. 4. sect. 4. n. 40.* & alii. Quidquid contradicat *Lugo d. 2. sect. 1. n. 35.* Nam hujusmodi assensus foret liber, obscurus, elicitusque ob proprijssimum fidei nostræ motivum, scilicet auctoritatem Dei revelantis, aut (si mavis) revelationem primæ veritatis. Gratis autem & sine solido fundamento assumit *Lugo suprà n. 36.* quòd habitus fidei nostræ sit restrictus determinatè ad inevidentiam sive obscuritatem ipsius revelationis: cur enim potiùs, quàm ad inevidētiam ipsius primæ Veracitatis? Nam hæc, quæ proprijssimum fidei nostræ motivum, potest esse tale, etsi evidenter cognita, dum saltem inevidens est revelatio: quidni ergo è converso possit esse motivum, dum revelatio est evidens, sed ipsa veracitas Dei non est evidenter cognita?

Nam

Nam & hujus solius inevidentia sufficiet ad assensûs fidei obscuritatem. Sicut ob hoc assensus fidei humanæ est inevidens, etsi de locutione seu testimonio hominis evidenter constet. Quare tunc non est vera rei revelatæ evidentia, quam vocant, in attestante; utpote ad quam requiritur evidentia, tum Veracitatis, tum ipsius revelationis.

47. Majus itaque dubium est, an suppositâ evidentiâ revelationis & primæ Veritatis elici possit actus veræ fidei ob auctoritatem Dei sic revelantis. Negat *Lugo supra. Poncius sup.* 34. & plures alii. Sed rectiùs affirmat *Smising. proœm. q.3. n.91. Franciscus Castillo disp.4. q.3. n.21.* citans *Scotum, Alensem, D.Thomam, Vega, Valentia* & alios. Ratio est: quia indubiè ob auctoritatem Dei sic propositam potest elici assensus; illum autem verè esse fidei, probatur ex eo, quòd sit elicitus ob verissimum & proprijssimum motivum fidei, auctoritatem scilicet Dei loquentis. Quemadmodum etiam omnis assensus elicitus ob auctoritatem loquentis hominis est actus fidei humanæ. Adde, in nostra sententia revelationem esse meram cõditionem applicativam objecti motivi ad materiam creditam vel intellectum credentis; illud autem ipsa applicare potest, sive sit evidens, sive non. Declarabitur amplius nostra opinio ex solutione objectionum.

*Immo valdè probabiliter, etsi & hæc evidentia habeatur.*

48. *Objectio prima.* Dices I. Habitus fidei nostræ est essentialiter restrictus ad inevidentiam objecti formalis; sub hoc comprehendendo tum primam veritatem, tum revelationem: immo ad hoc præcisè confertur, ut prædictam inevidentiam suppleat: ergo assensus, de quo agitur, non potest ab eo procedere. *Resp.* I. Neg. Antec. Nam etsi ita restrictus habitus dari posset, non constat tamen sufficienter, habitum fidei nostræ esse talem: donec autem id satis apertè ostendatur, censendum potiùs est, ipsum se extendere ad totam latitudinem sui motivi, adeoque ad omnes actus elicitos ob auctoritatẽ Dei revelantis; præsertim cùm non sit vestigium suorum actuum, uti habitus acquisitus, sed infundatur à solo Deo, habeatque se instar potentiæ. *Resp.* I.

Falsum porro est, quod in objectione allegatur, quòd scilicet adæquatum officium fidei Theologicæ sit quòd suppleat inevidentiam objecti formalis. Habitus enim fidei principaliter datur, ut per eum intellectus elevetur ad credendum actu in substantia supernaturali, quem alioquin suis viribus elicere non potest, quantumcumque revelatio esset evidens. Deinde etiam datur, ut credamus firmitate commensuratâ: nam cùm evidentia revelationis non pariat evidentiam rei revelatæ, posset quis facilè dubitare, vel negare, aut saltem non omnino firmiter credere mysteria fidei, quæ luminiꝰnaturæ videntur contraria.

*Resp.* II. Dissimulando totum: nam posset esse actus veræ fidei, etsi non posset elici ab habitu ordinario fidei nostræ, sed ob alio habitu generaliori, vel absque eo, per concursum actualem supernaturalem Dei. *Resp.* 2.

49. *Objectio secunda.* Dices II. cum evidentia revelationis & primæ veritatis non consistit obscuritas assensus; quæ tamen est essentialiter requisita ad assensum fidei, utpote quæ est argumentum non apparentium. *Resp.* *Resp.* in primis. Neg. Assump. nam etsi revelatio foret evidens ex aliquibus principiis v. g. visu evidenti miraculi, posset notitia illius evidens esse prævia, uti potest in nobis præcedere notitia evidens ipsius veracitatis, & cognitio moraliter evidens notarum fidei atque adeò revelationis, deinde accedere assensus elicitus purè ob auctoritatem Dei revelantis, sic ut motiva evidentiæ revelationis non attingantur per ipsum fidei actum, uti per illum non attinguntur motiva evidentiæ veracitatis Dei, aut motiva ordinaria credibilitatis. Ille proinde actus maneret intrinsecè obscurus, nec per ipsum ut sic fieret objectum evidens. Secundò possent cum evidentia revelationis adesse alia motiva ordinaria credibilitatis, & judicium credibilitatis in his fundatum, dein posset elici fides, velut independenter & præscindendo à motivis evidentiæ ipsius revelationis. Denique etsi assensus eliceretur ob auctoritatem Dei quatenus applicatam per claram revelationem, idemque assensus inde haberet quamdam evidentiam, adhuc posset esse actus fidei, uti elici ob fidei motivum, omni autem fidei omnem evidentiam repugnare, gratis asseritur. Nam nihilominus esset argumentum non apparentium, quatenus non faceret clarè in se apparere rem creditam, quæ adhuc maneret in se seu intrinsecè inevidens. Esto autem concederetur, quòd talis actus ob aversum modum quo applicaretur objectum & afficeret ipsam potentiam, ac aliqualem sui evidentiam, distingueretur ab assensu ordinario fidei (ut censet *Smising sup.n.* 91.) adhuc posset elici ab eodem habitu, cùm hic possit in actus specie diversissimos v.g. assensum & dissensum circa diversissima objecta inclinare.

50. *Objectio tertia.* Dices III. Assensus, de quo est quæstio, esset necessarius: at actus fidei omnino necessariò est liber, ut tradit *Augustinus Tract.* 26. *in Joan.* dicens: *Multa potest homo facere non volens, credere autem non potest, nisi volens.* Et *Tridentinum sess. 6. c. 6.* docet hominem per fidem disponentem ad justitiâ liberè moveri in Deum. *Resp.* in primis satis colligi ex responsione ad præcedentem objectionem, quomodo assensus iste posset esse perfectè obscurus, adeoque libere elici. Deinde etsi foret necessarius, non esset contrà præfatas auctoritates, *Resp.*

doritates, quæ commodè explicantur de fide, qualem de lege ordinaria habemus, & quam ex auditu, adeòque ob revelationem inevidentem liberè concipimus, ut satis patet ex ipsis verbis *Tridentini suprà*. Quare actus fidei necessarius non esset dispositivus ad justitiam per modum meriti congrui. Libertas tamen exercitii potest etiam in actu evidenti reperiri, quatenus voluntas intellectum liberè applicat aut applicatum tenet in consideratione motivi notitiæ evidentis.

## QUÆSTIO VI.

### *An & Quomodo Mysteria Fidei nostræ sint evidenter credibilia?*

51. *Cùm obscuritate mysteriorum stat evidentia credibilitatis.*

QUAMVIS juxtà præmissa non sit necesse, ut mysteria fidei nostræ sint evidenter vera, sivè per ipsam fidem, sive per aliam notitiam evidentem, possunt tamen dari signa quædam seu notæ, ex quibus eadem mysteria fiant evidenter credibilia, sive ex quibus evidenter constet, meritò & prudenter posse & deberi à nobis adhiberi iis fidem tamquam divinitus revelatis; ut proinde signa ista generent moralem certitudinem & evidentiam de ipsa revelatione, quòd verè à Deo facta sit.

*Quæ in iisdem de facto reperiuntur.*

Certum porrò est mysteria fidei nostræ sic esse evidenter credibilia. Ratio est: quia cùm Deus velit nos fidissimè & indubitanter credere, quæ ipse nobis revelat, & æternâ salute privet & æternisque subjiciat pœnis ea negantes, omnino ad ejus providentiam spectat infallibilia signa dare, ex quibus certò cognoscamus, quæ sint ab ipso revelata, quæ non. Unde *Psal.* 92. dicitur: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; quia videlicet multis argumentis ô Deus demonstrasti legem nostrâ esse talem, quam veluti à te latam omnes firmâ fide amplectantur. Et *Joan.* 15. Christus ait: *Si non venissem, & non locutus eis*, Judæis, *fuissem* prædicando me esse Messiam & Filium Dei, & prædicationem multis modis confirmando, *peccatum non haberent*, scilicet incredulitatis. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Sicut igitur non est excusatio pro nolentibus credere mysteria fidei nostræ post propositionem eis factam per Ecclesiam, sic supponi debet in mysteriis propositis evidentiâ credibilitatis.

52. *Varia signa eam generant.*

Eadem evidentia manifestè patet ex notis veræ fidei. De quibus luculenter scripserunt *Thomas Bosius* 2. *Tomis de signis seu notis Ecclesiæ*. Noster *Michaël Medina* l. 2. *de recta in Deum fide*. *Lessius in Consultat. de fide Capessenda* & alii. Nos infrà, dum de Ecclesia agetur, varias ejusdem notas evidentes assignabimus, ex quibus ipsa manifestè secernatur ab Hæreticorum conventiculis. Hìc breviter subjiciemus signa veræ fidei Christianæ, potissimùm contra Gentiles, Mahometanos, & Judæos, quæ utì singula ad fidem Christianam persuadendam non parum momenti habent, sic plura aut omnia simùl sumpta robur longè maximum habere necesse est.

*Sanctitas & miracula Auctoris Fidei Christianæ.*

Primum signum sumitur à sanctitate, innocentiâ, etiam hostibus irreprehensibili Auctoris, mirabilibus portentis & miraculis ab ipso patratis, etiam in mortuorum resuscitatione, futurorum prædictione &c. mirabilique ejusdem, post mortem ob salutem hominum sponte toleratam, & sepulturam, ad vitam revocatione; quæ patent ex Historiis Evangelicis, quibus saltem, veluti recenti adhuc rerum gestarum memoriâ publicè, in ipsorumque hostium præsentia, mirabili consensione editis, fidem humanam Judæi aut alii denegare nequeunt; utì nec *Josepho Judæo*, qui l. 18. *Antiq. c.* 6. præclarum innocentiæ & sanctitati, miraculis & portentosæ resurrectioni Christi testimonium perhibet. Religio autem & fides meritò pro vera suscipitur, quæ talem habet auctorem.

53. *Puritas doctrinæ.*

Secundum desumitur ex puritate doctrinæ per Christum traditæ. In qua nimirum plurima sunt capita seu instituta, quæ etiam ratio naturalis dictat, nil autem rationi adversum, etsi quædam infirmi nostri ingenii captum excedentia, omnia invicem consona sine ulla mutatione per tot sæcula, & per universum orbem. Institutiones morum omnes ad sanctitatem & perfectionem ducentes, pietatem ingerentes, à mundanis, carnalibus, & vitiis elongantes, & divinum quid spirantes; adeò, ut tum fides, tum lex Christiana sit tota immaculata convertens animas.

*Sanctitas cultorum.*

Tertium hinc consequitur signum, nempe vitæ ac morum puritas & sanctitas (cui etiam ipsi Ecclesiæ hostes, tum Æthnici olim, tum Hæretici, testimonium perhibent) in Christianæ fidei ac legis cultoribus, quibus ipsa plurimis omni sæculo & ætate abundavit in sanctitate excellentibus; etiam iis, qui antea non gustatâ cælesti hac vitâ gravissimis peccatis dediti fuerunt. Immo quòd ullus sit vitio obnoxius, fit defectu hominis vitiosi, qui scilicet fidem & mandata fidei Christianæ non servet. Religio porrò, cujus instituta tam sancta & pura, cujus cultores tam sancti, & ad sanctitatem morumque innocentiam per ipsam incitantur ac diriguntur, non potest non placere Deo totius puritatis & innocentiæ auctori.

54. *Admirabilis propagatio.*

Quartum sumitur ab admirabili fidei Christianæ propagatione; factâ non armis, non potentiâ, non opibus, non promissis terrenis, sed per homines ignobiles & contemptibiles, qui resistentibus Imperatoribus, Regibus, populis velut universis, legem adeò propensioni naturæ corruptæ adversam, præcepta difficilia, rerum temporalium contemptum, divinitatem personæ cruci-

crucifixæ, sapientissimis etiam ac potentissimis, ac tandem toti mundo mirâ efficaciâ persuaserunt: quod planè impossibile erat, nisi Dei digitus esset iste, opusque illud (ut utar verbis *Augustini lib. 22. de Civit. c. 7.*) *virtutis fuisset divinæ, non persuasionis humanæ.*

55. *Avida susceptio & constans etiam per sapientissimos defensio.*

Quintum sumitur ex eo, quòd à plurimis sapientissimis juxta ac sanctissimis, omnique eruditione refertis personis, ubique terrarum, omni ætate fuerit doctrina fidei nostræ avidè suscepta, defensa & prædicata, quorum plurimi mirâ constantiâ & alacritate illam, etiam martyrium subeundo, confirmarunt, sæpè etiam inter ipsa tormenta miraculis claréscentes: quod & fecerunt innumeri alii juvenes & virgines, senes, Principes omni virtute præditi, mortem pro fide constantissimè subeuntes, quorum numerus facilè ad varios milliones ascendit, immo ad undecim ferè milliones (in quo tamen determinato numero non facienda vis) ascendere ex variis Auctoribus colligit *Granado* apud *Lugo disp. 5. sect. 6. n. 54.* Hoc autem vehementissimum indicium est veræ fidei, in qua eligenda ac taliter defensanda tot sapientissimos, sanctissimos, Dei timore & amore flagrantes, nullo respectu humano inductos, tanta pro eadem patientes, fuisse permissos errare, quibus maximè conveniebat Deum auxilio & præsidio adesse, non est verosimile.

*Constantia innumerorum Martyrum,*

*Prophetiæ.*

Sextum sumitur ex diversis Prophetiis Patriarcharum & Prophetarum de Christo, manifestè in ipso & per ipsum implectis. Quibus accedunt prædictiones ipsius Christi; utì & diversorum Sanctorum Prophetiæ spiritu futura, quæ manifestè evenerunt, prædicentium, ac occulta cordis cernentium. Vera igitur debet esse fides, quæ Prophetarum Oraculis (quæ utique non possunt esse nisi à Deo) ac futurorum prædictionibus, nec non internorum notitiâ (cùm utique scrutatrix cordium Deus sit) est contestata.

56. *Miracula.*

Septimum idque illustrissimum sumitur ex miraculis, quæ in fidei nostræ confirmationem fecit, tum Christus ipse, tum Apostoli, aliique subsequentes Apostolici viri in vita & post mortem; quibus Historia Evangelica, Actus Apostolorum, Scripta Patrum, omnisque ætatis Historicorum scatent; immo & nostro sæculo eadem fieri certò tenemus, quæ in eorumdem canonizatione accuratissimè, & stupendâ quasi diligentiâ & cautelâ examinantur. Hæc porrò sunt velut sigilla & testimonia Dei, quibus confirmat & cõtestatur veritatem Religionis, quæque proinde non deberet permittere seu potiùs ipse facere in falsitatis robur is, qui est summè verax, in deceptionem quodammodo homines cogendo.

57. *Incredibilitas aliarum religionum seu sectarum.*

Octavum sumitur ex carentia omnis credibilitatis, quæ est in aliis religionibus seu sectis, præsertim Gentilium, Turcarum & Judæorum. Quin immo positivè incredibiles fiunt ob impuritatem doctrinæ & sectatorum secundùm illas vivẽtium. Nam quod ad Gentiles spectat, manifestum est, multa eorum dogmata ac instituta etiam naturali rationi adversari, v. g. de pluralitate Deorum, cultu idolorum, usu quorumdam scelerum etiã nefandorum. Quò spectat eorumdem per leges etiam Sapientiosum approbatio; utì Lycurgus adulteria, Persarum Legislatores incestus, nuptias cum matre, filiabus, sororibus, Plato communionem uxorum, alii alia nefanda permiserunt. Consimilia constat habuisse locum in modernis Gentilibus apud Indos, Japones & similes ante susceptam Christi legem. Absurditates item manifestas in Alcorano Mahumetis (qui & ipse impurissimæ vitæ fuit) ac secta Mahumetanorum, item in Thalmud Judæorum, ac eorum circa divinas perfectiones deliriis Varii observarunt. Ut hîc non referam infanda dogmata Sectariorum recentiorum, ac sceleratam Auctorum vitam.

58. *Ratio denique divinæ providentiæ.*

Denique, ut alia credibilitatis indicia præteream, attendendo divinam providentiam, manifestum est Deum non permissurum, ut qui Deum & virtutem maximè quærunt, iidem maximè circa punctum religionis decipiantur, sintque ceteris omnibus (qui hîc saltem voluptatem sectantur & obtinent) miserabiliores, idque eis contingat, eò quòd religionem amplectantur tanto motivorum pondere firmatam & credibilem factam, ut ne umbra similis credibilitatis sit in aliqua secta totius mundi. Ut proinde confidenter & meritò dixerit *Richardus Victorinus l. 1. de Trin. c. 2. Sanè quæ revelata sunt nobis vàlitus, tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis confirmata sunt, ut genus videatur esse dementiæ, in his vel aliquantulum dubitare. Utinam attenderent Judæi, utinam animadverterent Pagani! cum quanta conscientiæ securitate, pro hac parte, ad divinum judicium poterimus accedere. Nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus? Domine, si error est, à te decepti sumus. Ista enim in nobis sunt tantis signis & prodigiis confirmata, & talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.*

*Notanda sententia aurea Richardi à S. Victore.*

59. *Evidentia credibilitatis relinquit inevidentiam rei creditæ.*

Ex quibus evidẽs manet, meritò ac prudenter agendo posse ac debere firmissimè mysteria nostræ fidei credi tãquam à Deo revelata, adeoque certò & evidenter ipsa esse credibilia, & consequenter ceterarum sectarum instituta non esse prudenter credibilia. Hæc tamen evidentia credibilitatis non generat evidentiam aliquam ipsius rei creditæ, neque etiam evidentiam physicam ipsius revelationis, cum qua non habent motiva credibilitatis ex se omnino evidentem ac necessariam connexionem, quæ intellectum omnino convincat, præsertim illorum, qui habent voluntatem non bene affectam. Unde etiam fit mysteria fidei no-

*Unde contingat illam à multis non prospici seu admitti.*

dei nostræ à multis aliàs ingeniosis non admitti, qui lumine fidei destituti privatoque affectu nimium suis sectis aut erroribus adhærentes, in luce velut cœcutiunt; cùm in rebus non omnino evidentibus agnoscendis intellectus multùm ab affectu dependeat. Multi etiam veritatem non vident, quia motiva seu signa credibilitatis fidei ignorant, aut ad considerandum eorum intellectum per piam voluntatem sufficienter applicare negligunt. Plurimi denique veritatem eis satis perspectam repudiant, sive dominandi libidine, sive causâ voluptatibus liberiùs indulgendi, sive ut ex secta nova nomen aliquod aucupentur, sive ex odio aliquorum Ecclesiæ Prælatorum, puta Pontificum aut Episcoporum.

60. *Credibilitatis motiva non eadem neque omnia in singulu conturrunt.*

Observandum verò, motiva credibilitatis prælegata, & similia, etsi Ecclesiæ omnia simul conveniant, indeque insignissimo evidētia credibilitatis exu gat: non omnia tamen semper simul proponi credentibus aliquod mysterium, qui nunc hanc, nunc illam, nunc istam, nunc plures, nunc pauciores sibi notas proponunt. Et quidem in fide semel firmatis adeò insita est hæc credibilatis evidentia, ut quasi sine reflexione ad speciales notas credant, dum ipsis sufficit nosse, quod S. Mater Ecclesia id tradat. Convertendis tamen ad fidem operosiùs proponuntur motiva credibilitatis. Qui tamen & ipsi ex una interdum nota convertuntur, v.g. ex visa mirabili constantia Martyrum, aut ex unico miraculo, aut alio quopiam motivo; accedente, & potissimas in conversione partes habente, illustratione & auxilio divinæ gratiæ, quâ cor aperiatur ad intendendum verbis prædicatoris, & voluntas obstinata emolliri incipiat: aliàs enim surdo canitur, quæcumque pondera rationum seu motivorum credibilitatis proferantur.

61. *Simplicioribus quando credere obligantur.*

In simplicioribus quoque Fidelibus locum habet credendi simplicitas, dum fidem habent Parocho aut concionatori aliquid proponenti tamquam revelatum à Deo & declaratum ab Ecclesia. Immo dum similibus fit hujusmodi propositio per eos, quorum id muneris est, v.g. Episcopos, Parochos, Prædicatores seu Magistros in Theologia, nec aliundè subest in iis causa rationabilis dubitandi, credere obligantur; adeò ut rusticus v.g. tali casu discredens, peccet. Et sanè vix umquam similibus mysteria fidei melius proponuntur, quàm per tales, adeoque si non tunc, vix umquam haberent obligationem credendi. Secùs esset, si essent indicia dubiæ fidei in Parocho v.g. utpote aliàs mentito, aut contradicente hactenus traditis ab aliis æquè vel magis doctis, aut docente aliqua bonis moribus vel rationi naturali adversa &c.

Aliàs seclusâ speciali ratione dubitandi nascitur ex prædictorum propositione in hujusmodi (quibus aliundè de notis Ecclesiæ in generali saltem constat) proportionata capacitati eorumdem evidentia credibilitatis: quæ facilius in iis locum obtinet, quibus difficiliùs occurrunt rationes dubitandi in contrarium. Adde simplicioribus salutem seriò quærentibus adesse solere specialiter illustrationem divinæ gratiæ, quâ fit eos plerumque firmiùs adhærere rebus revelatis, quàm doctos, adeò ut de credibilitate ac veritate illarum dubitare nequeant, immo aliquos dubitare posse mirentur.

*An eis aliquid falsi proponi queat ita, ut credere teneantur.*

Nihilominus absolutè loquendo ex nullo capite apparet repugnare, quò minùs cum articulis veris pari modo proponendi, indeque resultante obligatione credendi, à Pastore, Episcopo &c. immisceatur articulus aliquis falsus, etiam spectatâ divinâ providentiâ: cùm in hujusmodi non sit proponendi infallibilitas, sed ipsi, immo & Concilia numerosa Episcoporum errare possint, & aliquando erraverint: soli autem Concilio Generali sive Pontifici propria sit infallibilitas in rebus fidei proponendis. Inde autem non oritur grave inconveniens: nam fides articuli falsi, solùm erit naturalis, poteritque ex affectu seu voluntate credentis etiam esse Deo grata.

# DISPUTATIO QVARTA.

## *De Scriptura Sacra & Traditionibus.*

EXPLICATO Fidei objecto & objecti qualitate, de ipsius Fidei regulis agendum est. Et primò quidem de regulis veluti mortuis, quæ sunt Scriptura & Traditio: dein de vivis, Ecclesiâ videlicet, Conciliis & Pontifice.

### QUÆSTIO I.

### *De Scripturis seu Libris Canonicis & Apocryphis.*

1. *Quid sacra Scriptura. Variæ ejus appellationes.*

SCRIPTURA sacra est verbum Dei, ipso inspirante conscriptum ab ipsismet Hagiographis seu divino Spiritu afflatis Scriptoribus.

Variis porrò nominibus solet ipsa appellari.

lari. Nam in ipsa Scriptura sæpè appellatur nomine Scripturæ, interdum singulariter, interdum pluraliter expresso; & *ad Rom.* 1. vocantur *Scripturæ sanctæ* & 2. *ad Timoth.* 3. *Sacræ Litteræ:* tum ratione Auctoris, præsertim principalis: tum ratione materiæ & finis. Passim & vulgò appellatur Biblia.

*Cur dicatur Testamentum.* Interdum etiam dicitur Testamentum: quia in eo testata fit nobis mens Dei, pactaque & fœdera ejus cum hominibus, ac denique legatur eis æterna hereditas. Unde dividitur Scriptura in Paginam Veteris & novi Testamenti.

*Cur instrumentum.* Aliquando etiam apud veteres Patres vocatur instrumentum; partim quia instruit nos, partim quia Deus illâ tamquam instrumento utitur ad docendum nos, & mentem voluntatesque suas nobis indicandas, partim quia est authenticum scriptum continens fœdus Dei cum homine, prout etiam Scripturæ authenticæ quæ continent hominum conventiones & pacta, dicuntur instrumenta.

2. *Quid sit esse Canonicam vel authenticam.* Scriptura sacra præterea cognominari solet Canonica, à voce Canõ seu regula. Quod quidem eatenus verissimè dici potest, quatenus ipsa est Canon seu norma fidei nostræ, *cui benefacitis* (inquit Petrus *Epist.* 2. c. 1.) *attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso.* Estque Scriptura sacra hâc ratione Canonica, eo ipso, quòd sufficienter fuerit tamquam talis nobis per Ecclesiam proposita, seu eo ipso quòd authenticè de ea constet, quamvis Ecclesia nullum texuisset de libris sacris Cathalogum. Unde antequam hoc factum esset, uti etiam tempore Veteris legis ante editũ Canonem Judæorum, erant Scripturæ hoc sensu Canonicæ. Quare Scripturæ libri, ab Ecclesia declarati velut divini, vocantur authentici. De facto autem nulli sunt tales, præter illos, qui in indiculo seu Cathalogo ab Ecclesia confecto, qui Canon dicitur, sunt recepti; quique inde vulgò Canonici dicuntur. Distinguunturque contra libros Apocryphos, quos scilicet Ecclesia intra Canonem non admisit, seu non approbavit, sed vel positivè rejecit, vel circa quos negativè & suum judicium circa eos suspendendo se habuit. Et consonat etymologia Græcæ vocis, idem significatis, quod absconditum seu occultum, quia scilicet libris illis non adest publica auctoritas Ecclesiæ. Interdum tamen strictius sumptum reperitur hoc nomen, ut ij dumtaxat libri dicantur apocryphi, quibus aperti aliqui errores sunt immixti, ideoque in Ecclesia occulti manebant, sive in ea non legebantur: non autem illi, qui etsi in Canonem non essent admissi, tamen Ecclesiastici erant & in Ecclesiis legebantur: prout illud nomen accipit *Russinus in Symbolo.*

*Quæ Scriptura dicantur apocrypha.*

3. *Quando, à quo confectus Canon Hebræorum, quos libros contineat.* Canon Scripturarum divinarum est duplex, Hebræorum scilicet, & Christianorum, seu Ecclesiæ. Prior juxta communem opinionem confectus est post captivitatem Babylonicam ab Esdra & Concilio magno. Indubiè namque ejus conficiendi potestas erat penes Judæorum Pontificem adhibito Concilio seniorum & Sanedrim; cujus nimirum rei omnium gravissimæ judicium Pontifici & Sacerdotibus conveniebat; sicuti Pontificum & Sacerdotum erat dijudicare inter lepram & lepram, *Levit.* 13. utì etiam Pontificis erat omnem de Lege cõtroversiam, dubio aliquo exorto, dirimere, *Levit.* 17. Hunc Canonem recenset *Hieronymus in Prologo Galeato* (qui habetur ad calcem Bibliæ) dividitque in viginti duos libros juxta numerum litterarum Alphabeti Hebraici; etsi alii in re non dissentientes numerent viginti quatuor, librum Ruth à libro Judicum, & Threnos à Prophetia Jeremiæ separantes; alii numerent viginti septem, juxta numerum itidem litterarum Hebraicarum (quarum quinque sunt duplices, quatenus earum in fine dictionum diversa est figura) dividentes Jeremiam ut suprà; & Libros Samuel & Melachim (quos Regum vocamus) statuentes velut quatuor Libros Paralipomenon tamquam duos, sicut & Esdræ. Partitionem ejusdem Canonis in Legem, Prophetas & Hagiographa, vide in *Prologo Galeato.*

4. *Qui libri eò non contenti rejiciantur ab Hæreticis; & quàm infundatè.* In hoc autem Canone non habentur Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Libri Machabæorum. Quos proinde hoc titulo rejiciunt passim Hæretici recentiores. Ridiculè sanè, quasi circa confectionem Canonis sit minor potestas Ecclesiæ, quàm Synagogæ, cùm tamen Ecclesia juxta Apostolum 1. *ad Timoth.* 3. sit *columna & firmamentum veritatis*, contra quam portæ inferi numquam poterunt prævalere juxta Christi promissionẽ *Matt.* 16. Ut proinde meritò Ecclesia jam olim hanc potestatem usurpaverit; sine cujus auctoritate nec ipsis libris sacris esset firmitet deferendam, dicente *Augustino lib. contra Epist. Fundamenti cap.* 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Et *infrà* de Actuum Apostolorum Libro subdit: *Cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio: quoniam utramque Scripturam similiter mihi Catholica commendat auctoritas.*

5. *Notanda circa Canonem Judæorum & nullos libros eo non contentos.* Adde aliquos ex præfatis Libris, signanter Libros Machabæorum tempore cõfecti Canonis nondum fuisse conscriptos, sed diu post, ut impossibile fuerit eos in Canonem ab Esdra fuisse relatos. Quòd si fides tribueretur *Genebrardo* passim relato libri in Canone præfato Judæorum omissi forent postmodum eidem adscripti. Idque probatur variis Hebræorum testimoniis & traditionibus. Sanè *Josephus lib. de Machabæis in fine* dicit historiam illam in sacris Scripturis contineri. Ut proinde, si non fuerint hi libri in Canonem publicè admissi (prout plerique putant) certè non rejecti,

rejecti, sed magnæ etiam apud Judæos, etsi non apud omnes paris, auctoritatis extiterunt.

6. *Canon Christianorum quos libros contineat.*

Canon Christianorum continet omnes libros cõtentos in Editione vulgata Bibliæ, recognitâ jussu Sixti V. & Clemẽtis VIII. Quorum omnium indicem texuit *Concilium Tridentinum sess.* 4. postea subdens: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consuevêrunt, & in veteri vulgata Editione Latina habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit.* Eumdem Canonem jam ante cõfecerat *Florentinum in Instruct. Armenorum, Carthaginen III.* (cui interfuit & subscripsit *Augustinus*) *can.* 47. Idem probatus est à *Gelasio I* cum Concilio Romano septuagin. Episcoporum, & ante hos omnes traditus ab *Innocentio I. Epist* 3. *ad Exuperium.*

Immo adhuc antea à *Nycæna Synodo* esse confectum aliquem Canonem Sacrorum Librorum, aperte insinuat *Hieronymus Præfat. in Librum Judith*, de eodem dicens: *Sed quia hunc librum Synodus Nycæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse &c.* Ast hunc Canonem, utì & quosdam alios, excidisse tradit *Baronius ad Annum* 325. Ut proinde hinc statui nequeat certa regula fidei, cùm ignoretur qui præcisè Libri fuerint in isto Canone positi, & quibus verbis, an scilicet per modum decreti, vel adjecto anathemate, an per modum simplicis enumerationis, quæ non tolleret omne dubium; præsertim cum *Hieronymus supra* non obstante Canone Nycæno præmittat de libro Judith: *Cujus auctoritas ad roborandam illa, quæ in contentionem veniunt, minùs idonea judicatur.* Similia de illo habet *Præfat. in Proverbia.*

7. *Libros sacros Nonnulli partiuntur in Protocanonicos & Deuterocanonicos, paris hodie auctoritatis.*

In hoc porrò Ecclesiæ Canone continentur non solùm libri illi, de quorum divina auctoritate nũquam fuerat in Ecclesia Catholica dubitatio (qui à Nonnullis Protocanonici dicuntur) sed etiam varii, de quibus aliquando inter Nonnullos etiam Catholicos Scriptores seu Patres fuerat disceptatio seu opinionum differentia; qui propterea Deuterocanonici à Quibusdam vocãtur, & hodie habere debent æque infallibilem auctoritatem apud omnes, qui fidem Catholicam profiteri volunt. Quamvis etiam olim magna vel potior pars Ecclesiarum seu Patrum hos receperit pro legitimis Scripturis, sive eos ponẽdo in Canone, sive eos allegando ad confirmationem dogmatum fidei: atque etiam plerique ex iis, qui ipsos non admiserunt pro Canonicis, tamen ut ut les & salutares probarint. Quare iidem in Ecclesiis legi solebant *ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*; ut loquitur *Hieronymus Præfat. in Proverbia* de libris Judith, Tobiæ, Machabæorum, Sapientia & Ecclesiastico. Qui tamen & ipse non semper mansit circa hos libros in eadem sententia, ut ostendit *Lorca l. 1. de locis disp. 3. memb. 3. n.* 40.

Quin immo ipse *Augustinus l. 2. de doctr. Christ. c.* 8. etsi admitteret pro Canonicis omnes libros in *Tridentino* recensitos, tamen quia res de quibusdam Scripturis non erat apud omnes extra controversiam, nondum existente tam solemni universalis Ecclesiæ approbatione, præscribit Scripturarum indagatori, *ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt*; & inter has, *eas, quas plures graviores quæ accipiunt* Quæ differentia modò cessat, ut patet. Quare etiam modò non est curandum, an vel quid Nonnulli veteres Patres aut Scripturæ Interpretes de quibusdam libris sacris ante apertam Ecclesiæ definitionem censuerint; sicut nec curandum est in aliis materiis, ali quando in Ecclesia dubiis, & postea ab eadem definitis, examinatis penitus Ecclesiarum, præsertim Romanæ, traditionibus, & contrariis opinionibus paulatim antiquatis, Spiritu sancto sic suaviter regente Ecclesiam & docente omnem veritatem.

8. *Regula ab Augustino tradita circa præsentem materiam declaratur.*

*Non curandum, quid ante apertam Ecclesiæ declarationem Nonnulli senserunt.*

Attamen valdè mirum est, quòd etiam post definitionem Concilii Tridentini *Sixtus Senensis* vir alioquin doctus & Catholicus *lib. 1. & 8. Bibliorth. sacræ* rejecerit postrema capita libri Esther, incipiendo ab istis verbis *cap.* 10: *Dixit Mardochæus: A Deo facta sunt ista.* Cùm tamen *Tridentinum* volens dirimere omnes priores controversias ac dubia, loquatur de libris à se enumeratis, addendo, *cum omnibus partibus suis*; item, *prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt*, in qua ex c. 13. legitur Epistola feria 4. post Dom. 2. Quadragesimæ, & in Missa contra Paganos, & ex c. 14. recitatur Oratio Esther in Offertorio Dom. 22. post Pentecosten. Antiqui etiam Patres numerantes librum Esther inter Canonicos, de eo locuti sunt, prout tunc apud Ecclesiam exstãbat atque in usu erat, nempe juxta Editionem Septuaginta; tunc autem trãslatione *Hieronymi* necdum pervulgatâ, erant suis locis intertexta capita, quæ postea suis sedibus avulsit *Hieronymus*, & in fine libri posuit, eò quòd in Hebræo non haberentur. Quamvis etiam credibile sit olim in Hebræis Codicibus extitisse; è quibus utique se sua adferre testatur *Iosephus l. 10. Antiquit. c. 12.* qui tamen *lib. 11. c. 6.* nonnulla ad verbum refert ex Epistolis Assueri in præfatis posterioribus Capitulis contentis. Ut omittam, quod pari jure potuisset (quod tamen non fuit ausus, nec ullus Catholicorum auderet) *Sixtus Senensis* rejicere Canticum Trium Puerorum, Historiam Susannæ, Belis, & Draconis interfecti; quæ similiter in Hebræo non habentur.

9. *Sixtus Senensis post Tridẽtinum adhuc rejecit posteriora capita libri Esther.*

*Refutatur.*

Itaque omnes Catholici illas quoque Danielis indubitanter admittunt ob *Tridenti-*

10. *Non dubitandum de*

*quibusdam partibus Danielis.*

num. Eædemque leguntur nunc & antiquitus, maximè Canticum Puerorum, in Ecclesia; & vulgata ante *Hieronymum* Editio eas continebat, adeoque & Concilia & Patres antiquiores Danielem simpliciter recipientes loquebantur de eo, prout tunc erat in usu Ecclesiæ. Ipse quoque Theodotion has partes (quas ex ejus translatione Ecclesia recepit) ex Hebræo transtulit, ut proinde ante *Hieronymi* tempora eas Chaldaicè vel Hebraicè scriptas extitisse, credendum sit.

11. *Difficultas solvitur de tempore quo contigit historia Susannæ.*

Historia porro Susannæ (quæ, ut *cap.* 13. refertur Daniele adhuc adolescentiore contigit, sub initium captivitatis Babylonicæ) secundùm ordinem historiæ ponenda esset circa initium libri; ideoque in Codicibus Græcis caput 13. est initium Danielis. Postrema autem verba Capitis, *Et Rex Astiages appositus est ad Patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus*, sunt ibi initium capitis 14. Et planè non pertinent ad tempus Historiæ Susannæ, sed ad narrationem cap. 14. sequentem: cùm Babylon à Persis capta fuerit, Daniele jam sene.

*Difficultas alia solvitur ex duplici Danielis in lacum missione.*

Similiter optimè quadrat missio Danielis in lacum semel à Dario propter orationem ad Deum Israël fusam, & tunc (ut dicitur *c.* 6.) mansit unicâ nocte; secundò à Cyro ob interfectum Draconem, & tunc (ut habetur *c.* 14.) permansit in lacu sex diebus.

12. *Explicatur objectio desumpta ex paranomasia schini & prini.*

Denique vetus objectio contra auctoritatem Historiæ Susannæ desumitur ex allusione Græcorum nominum seu paranomasia schini & prini (quorum illud Latinè lentiscum, hoc ilicem, aut certè ilicis quoddam genus significat) ad Græcum χίζειν, hoc est, scindere, & πρίαι, hoc est, secare; nam hæc allusio fundatur in vocibus Græcis, cùm tamen constet Danielem & duos senes Chaldaicè vel Hebraicè esse locutos. Respondetur autem breviter, Interpretem Græcum vertisse, non ad verbum, sed ad sensum. Sicut Evangelistæ dicta Christi aut aliorum referentes diversis sæpè verbis usi sunt, etsi optimè in re consonantes. Prout etiam Historia Job, etsi rythmicè descripta, non vertitur in dubium, quamvis Job & amici non fuerint carmina locuti. Fides enim historiæ non exigit, ut quæ narrantur ab alio dicta, iisdem prorsus vocibus referantur, sed satis est, ut narretur res eadem vocibus idem significantibus. Itaque instantem vindictam, quam Senibus in mendacio deprehensis Daniel prædixit, sive cum allusione Hebraico aut Chaldaico idiomati congruâ, & nobis ignotâ, sive sine illa, Græcus Interpres narrat gratâ quâdam in Græco idiomate allusione, ad idem significandum tendente. Conatur præterea *Lorca sup. num.* 33. eruere è vocabulis Hebraicis, idem quod prinus & schinus Græcè significantibus, aliquam non planè dissimilem, sed ad idem significandum vergentem allusionem. Vide ipsum.

13. *Difficultas objici solita contra Librum Iudith.*

Contra auctoritatem Libri Judith facere videtur, quòd historia contigisse referatur *c.* 1. tempore Nabuchodonosor Regis Assyriorum, qui pugnavit contra Arphaxad regem Medorum; quod non consistit cum eo, quod *c.* 5. significatur Israëlitas nuper reversos esse è captivitate, cùm tunc Regnum Assyriorum fuerit dudum destructum. Respondet *Estius in Notis ad cap.* 1. *Iudith*, & Nonnulli alii, historiam contigisse solutâ captivitate Babylonicâ post tempora Darii, sub quo templum (cujus fit mentio *c.* 4.) instauratum fuit; ideoque nullam Regis Israël vel Juda fieri mentionem, sed tantùm summi Sacerdotis Eliacim seu Joakim, qui videtur filius Josue Sacerdotis magni (qui aliàs Jesus dicitur, filius Josedech) sub quo ædificatum est templum, ut colligitur ex 2. *Esdræ* 12. Nabuchodonozor autem videtur successisse Dario. Porrò regibus Persarum destructo Chaldæorum imperio apparet fuisse hoc nomen commune, uti regibus Ægyptiorum nomen Pharaonis. Dicitur verò rex Assyriorum, quia scilicet erat rex tum illorum, tum Persarum & Chaldæorum; uti etiâ Darius Persa vocatur *rex Assur* 1. *Esdræ* 6. Alii tamen passim cum *Melchiore Cano*, *Bellarmino*, *Sylvio*, historiam referendam censent ad captivitatem, quâ Manasses cum suis abductus fuerat, vigente adhuc Assyriorum monarchiâ. Quæ libet autem responsio non leves patitur difficultates. Vide Auctores citatos, signanter *Bellarminum l.* 1. *de Verbo Dei c.* 12.

Contra nonnullos quoque alios libros, notanter Tobiæ, & Machabæorum, objici possunt quædam difficultates: quæ ex professo tractantur ab Interpretibus eorumdem.

14. *Quid censendum de Præfatiuncula Threnorum.*

De Præfatiuncula Threnorum censent nonnulli esse Scripturam Canonicam, eò quòd sit retenta in Bibliis per Sixtum V. correctis, & quidem excusa eodem quo reliqua Scriptura charactere; cùm tamen in præfatione horum Bibliorum dicatur in iis nihil non esse canonicum, nullasque præfationes sacris libris esse additas, extra videlicet contextum ipsius sacræ Scripturæ. Quæ tamen argumenta non omnino convincunt. Et his non obstantibus contrarium existimât *Sixtus Senensis*, *A Lapide*, *Bellarminus supra c.* 20. & alii passim etiam *Tridentino* posteriores. Non habetur quoque hæc præfatio in Hebræo, uti nec in multis antiquis codicibus Latinis. Neque ejus meminerunt antiquiores Threnorum Commentatores. In hebdomada quoque sancta legitur initium Threnorum, at non præfatiuncula. Dubitatur insuper à Nonnullis, num Threni sint instar Prophetiæ descripti ante captivitatem; cujus tamen oppositum in præfatiuncula dicitur. Unde constat rem esse dubiam, adeoque ad judicium illius deferendam, cujus est ju-

est judicare de auctoritate & sensu Scripturarum.

15. *Quæ partes novi Testamenti olim à quibusdam in dubium vocata.*

De quibusdam libris aut librorum novi Testamenti partibus olim fuit apud Nonnullos dubitatio, scilicet de Epistola ad Hebræos, item de Epistola Jacobi, Judæ, Secundâ Petri, Secundâ & Tertiâ Joannis, Apocalypsi, Marci capite ultimo, Historiâ *Lucæ* 22. de Sudore Christi sanguineo, & Angeli confortantis apparitione, denique de Historia adulterii *Joan.* 8. Sed sine solido fundamento, ut latiùs deducit *Bellarminus l.* 1. *de Verbo Dei c.* 16. *& seqq. Serarius, Sylvius*, & alii. Neque modò est dubitandi locus post Ecclesiæ definitionem.

16. *Apocryphi, de quorum divina auctoritate dubium exstitit.*

Præter libros Canonicos sunt Varii Apocryphi, de quorum Nonnullis aliquando fuit dubitatum, an essent in numero sacrarum Scripturarum habendi; ut sunt liber tertius & quartus Esdræ, liber tertius & quartus Machabæorum, Oratio Manasse, Appendicula quædam Job, quæ in versione Septuaginta, etiam eâ, quam Romæ editam probavit Sixtus V. habetur ad finem libri, & agnoscitur à plerisque Patribus, Appendicula quædam Psalterii seu Psalmus 151. Constat nihilominus eas Scripturas non pertinere ad Canonem à *Tridentino* præscriptum, neque contineri in Bibliis per Sixtum V. correctis. Nisi quòd Oratio Manasse, ac tertius & quartus liber Esdræ ad calcem illorum diverso charactere sepositi sint, ne prorsus interirent, quippe qui à Nonnullis Patribus interdum citantur, & in aliquibus Bibliis tam M.S. quàm impressis reperiuntur.

17. *Qualem auctoritatem habeat liber tertius & quartus, sive Esdræ, sive Machabæorum.*

Neuter horum reperitur apud Hebræos; quartus nequidem apud Græcos, apud quos tertius ponitur ordine primus, illi autem qui sunt apud nos primus & secundus, sunt apud Græcos unum volumen dictum liber secundus Esdræ. In quarto etiam libro continentur *cap.* 4 & 5. Nonnulla, quæ sapiunt errorem, quòd nempe animæ Beatorum non sint visuræ Deum ante diem judicii. Et *cap.* 6. continentur quædam fabulosa de duobus piscibus, Henoch & Leviathan die quintâ à Deo creatis, quibus capiendis non sufficiebant maria. Et *cap.* 14. dicit nonnulla de senectute & ætate mundi, ex quibus, si vera forent, apertè sequeretur, jam pridem mundi finem advenisse. Sua nihilominus manet, tertio præsertim libro, etsi non Canonica, auctoritas. Uti etiam non carent gravi auctoritate historicâ tertius & quartus Machabæorum, & maximè tertius (qui spectando seriem rerum enarratarum esset primus, utpote describens ea quæ quinquaginta amplius annis ante acta Machabæorum contigerunt) qui veteribus Bibliis frequenter additus reperitur. Immo *Clemens can.* 84. aliàs 85. Apostolorum refert in Canonem tres Machabæorum libros. Sed Canon iste est apertè suppositicius, uti & Canon 65. aliàs 66. Unde quinquaginta priores tantùm velut authentici recipiuntur *dist.* 16. *c.* 3. Quibus quidem continentur sexaginta (vel ut alia Lectio habet) septuaginta sententiæ quas ab Apostolis esse præscriptas refert *Zephyrinum Papa Epist.* 1. sic ut uno Canone plures sententiæ comprehendantur. Nec refert quòd in *VI. Synodo can.* 2. probentur octoginta quinque Canones Apostolorum: nam id factum est in spuria VI. Synodo, vulgò Quini-sextâ seu Trullanâ, per Ecclesiam reprobatâ. Accedit quod *Can.* 84. citato non solùm omittatur Apocalypsis Joannis, sed è contrà inter sacros libros resenseantur duæ Epistolæ Clementis, ejusdemque Constitutiones Apostolicæ, quos tamen libros Ecclesia nunquam pro Canonicis recepit. Unde ob nonnullos Canones supposititios, Gelasius Papa in Cõcilio Romano Librum Canonum Apostolorum inter Apocryphos recensuit. Vide annotationes *Francisci Longi* in Canones Apostolorum.

*Notanda circa Canones Apostolorum.*

18. *De Oratione Manasse.*

Oratio Manasse, pia & humilis quidem est; nec tamen reperitur Græcè vel Hebraicè. Unde etsi constet Manassem in afflictione Deum orasse, ejusque orationem esse scriptam in libro sermonum Regum Israël, & Sermonibus Hosai, non constat tamen esse illam, quæ circumfertur. Unde hactenus inter scripta apocrypha est censenda.

19. *De quadam appendice libri Iob & Psalterii.*

Appendix Job magnæ est auctoritatis ob præmissa *num.* 16. & alia fundamenta; etsi non habeatur modò ab Ecclesia pro Scriptura Canonica. Quemadmodum neque approbavit Ecclesia tamquam Canonicum Psalmum 151. qui etiam nescio quid adulterinum redolet; etsi habeatur in Græcis Codicibus, & sit apud Græcos tamquam Scriptura Canonica. Quòd si Ecclesia, quæ hactenus judicium suum suspendit, re maturiùs examinatâ deprehenderet aliqua ex jam præmemoratis scriptis esse verè divinitus inspirata, posset consequenter aliquod ejusmodi apocryphum scriptum non positivè rejectum fieri Scriptura Canonica; uti posset articulus antea non definitus postea declarari tamquam de fide. Plures alias Scripturas apocryphas, & jam olim veluti spurias ab omnibus rejectas, immo hodie non extantes, recensetGelasius in Concilio Romano & referuntur *Can. Sancta Romana dist.* 15.

*An aliquod apocryphũ possit adhuc fieri Canonicum.*

20. *Nonnulla Scriptura sacra periérunt.*

Petes, an aliquæ Scripturæ sacræ perierint? Resp. Affirm. cum *Athanasio in fine Synopsis, Chrysostomo Homil.* 9. *in Matth.* & *Hom.* 7. *in* 1. *ad Corinth.* (quem imitantur *Theophylactus* & *Euthymius*) *Bellarmino l.* 4. *de Verbo Dei c.* 4. & recentioribus Doctoribus, contra *Salmeronem, To.* 1. *Prolegom.* 9. *c.* 4. Et satis colligitur ex libris in sacra Scriptura citatis, qui modò exciderunt; prout in libris Paralipomenon citatur liber Samuelis Videntis, libri Nathan Prophetæ,

*Quod ex variis in ipsa veteri le-*

*Ex memoratio declaratur.*

liber Gad Videntis, liber Ahiæ Silonitis, qui etiam fuit Propheta, liber vel Visio Addo Videntis de gestis Salomonis, item de gestis Roboam ejusque filii Abiæ, liber Semeiæ Prophetæ, liber Jehu filii Hanani, Sermones Hozai, Res gestæ Oziæ regis Juda descriptæ ab Isaia, de quibus in ejusdem Prophetia nihil habetur. Item in libris Regum fit mentio alterius Scripti Samuelis de lege regni, & trium millium parabolarum Salomonis, atque Canticorum quinque & mille. Et 2. *Machab.* 2. fit mentio descriptionum Jeremiæ. In libris quoque Regum & Paralipomenon sæpè relatio fit ad librum Regum Juda & Israël, diversis, sed affinibus verborum formulis, idem fortè volumen denotantibus.

*Quorum pleraque fuisse ab iis qua extant distincta, & habuisse divinam auctoritatem, videtur indubitatum.*

Non videtur autem dubium, quin Cantica & Parabolæ Salomonis, quæ intercederunt, fuerint ex inspiratione Spiritus sancti, utì quæ supersunt: quidquid sit de ejusdem naturalibus, ad fidem & morum ædificationem (qui est Scripturæ sacræ scopus) nihil conferentibus. Similiter dubitari non potest de aliis Prophetarum Scriptis, præsertim qui appellantur Prophetæ seu Videntes, immo quorum scripta interdum citantur sub nomine Visionis; ut Visio Addo Videntis, contra Jeroboam 2. *Paralip.* 9. quæ est alia ab ea, quæ refertur in libris Regum 3. *Reg.* 13. facta contra Jeroboam in primis annis regni à viro Dei, in reditu per Leonem occiso; cùm Addo multis annis supervixerit, immo diligentissimè Gesta Roboam & Abiæ scripserit. Quemadmodum etiam constat ex 1. *Paralip. ult.* in libris Samuelis, Nathan & Gad, alia fuisse contenta, quàm quæ habentur in libris Regum.

*Etsi de nonnullis dubitari posset.*

De aliquibus tamen ceterorum Prophetarum, ut Isaiæ &c. scriptis, non est ita manifestum, quòd sint distincta à libris Regum quos habemus, qui à diversis Prophetis successivè scripti sunt. Utì nec satis manifestum est ex Scriptura, an liber Bellorum Domini *Num.* 21. & liber Justorum *Josue* 10. & 2. *Regum* 1. fuerint divinæ auctoritatis. Prout etiam dubitant alii de libris dictum Regum Israël & Juda. Similiter dubitari posset de libro Jasonis Cyrenæi; cujus abbreviator fuit Scriptor libri secundi Machabæorum 2. *Machab.* 2. sufficere enim posset illum fuisse Scriptorem fidelem, abbreviatorem autem Scriptorem Hagiographum à Deo adjutum fuisse, ne quid falsum suæ Historiæ immisceret.

21. *An interciderit Epistola Pauli ad Laodicenses.*

Denique in novo Testamento *ad Colossenses* 4. fit mentio Epistolæ Laodicensium. Ideoque *Bellarminus supra* certum putat Epistolam Pauli ad Laodicenses intercidisse. Sed rectiùs negant ceteri, censentes Apostolum loqui de Epistola ipsorum Laodicensium ad Paulum: adeoque inde non constare, Apostolum ad Laodicenses aliquam Epistolam scripsisse. Vide *Estium ibi.* Idem nihilominus in 1. *ad Corinth.* 5. colligit Paulum aliam adhuc antea Corinthiis Epistolam scripsisse, & omnino certum putat Apostolos plures Epistolas scripsisse, quæ perierunt, antequam ad publicam Ecclesiæ notitiam pervenirent. Vide ipsum ibi.

*Quid censendum de Prophetia Enoch.*

In Canonica Judæ verò citatur Prophetia Enoch. Sed eam Nonnulli cum *Hieronymo* volunt desumptam ex libro Enoch patenter apocrypho; sicut etiam Apostolus Paulus interdum citat aliquam sententiam profanorum Poëtarum, quorum tamen librum integrum non probat. Verùm constat Apostolum non confirmare absolutè suam doctrinam ex hujusmodi Poëtarum dictis, sed ea (quæ tamen in speciali per hoc accipiunt infallibilem veritatem) solùm referre ad hominem, ut Æthnicos ex propriis Auctoribus confunderet. At Judas loquitur de vera Prophetia (sic enim vocat) Enoch, idque ad fideles, apud quos apocrypha nullius erant roboris. Unde alii censent ipsum loqui de vero scripto prophetico Enoch, quod tamen interciderit, aut certè postea fuerit adulteratum.

22. *Qui contigerit tot sacros libros periisse.*

Si verò quæratur, unde acciderit tot sacros libros periisse. Responderi potest id accidisse; partim ex incuria Judæorum in iis in sua puritate conservandis, partim ex quorumdam adulterantium eos vel destruentium malitiâ, præsertim impiorum regum (qualis ante pœnitentiam fuit Manasses) osorum legis Dei, & cultorum Baal ceterorumque idolorum, partim ex devastatione Urbis ac templi Jerosolymitani per Chaldæos, & postea per Antiochum Epiphanem, qui etiam mirè in libros sacros sæviit, ut patet 1. *Machab.* 1.

23. *Cur Deus id permiserit.*

Hos autem libros perire Deus permisit, sive quia deinceps erant minùs utiles aut necessarii, sive quia referebant alibi relata, sive quia reliqui sufficiebant doctrinæ fidei & morum, sive quia prævidebat multos eis abusuros ad errores vel malum finem. Sanè constat Deum permisisse, ut tot ante Christum sæculis perierint Tabulæ legis & Arca fœderis, ut multa Prophetarum & Apostolorum dicta numquam scripta fuerint. Immo plurima ipsius Christi gesta & dicta non sunt scripta; & quæ scripta sunt, dudum post formatam Ecclesiam, præsertim Evangelium S. Joannis: prout etiam Ecclesia multis annis in principio caruit litteris Apostolicis & Apocalypsi, atque etiamnum caret Actis postremis Pauli, & sine gravi præjudicio nonnullis quæ supersunt carere fortasse posset. Nimirum, quæ restant, sufficiebant doctrinæ fidei & morum, ac saluti fidelium. Nec est timendum, ne Ecclesiæ, quæ est fidelissima custos sacri depositi, culpâ quidquam pereat; esto non tanta fuerit fidelitas tempore Synagogæ.

Si ulte-

24. *Quid Esdras egerit solutâ captivitate quoad restitutionem sacrorum librorum.*

Si ulteriùs quæratur, an Esdras solutâ captivitate Babylonicâ omnes libros sacræ Scripturæ, qui captâ ac eversâ à Chaldæis urbe, temploque incenso perierant, restituerit? Resp. ita quidem sentire illustres Patres, *Basilium*, *Hieronymum*, & ante ipsos *Irenæum* ac *Tertullianum*. Et satis disertè idem asseritur 4. *Esdræ* 14. Qui tamen liber apocryphus est. Et aliundè hac de re nullus Hebræorum facit mentionem. Nirum quoque videtur, nullum sacrum Codicem fuisse servatum à tanto sacerdotum numero, neque etiam ab ipso Hieremia, cui summa dabatur libertas, etiam absconendi Tabernaculum, Arcam fœderis & Altare incensi. Et saltem in priori transmigratione factâ sub Joachim longè majori quietè, quâ abductus est Ezechiel, Daniel aliique primarii viri, facilè erat aliquem sacrum Codicem asportare in Babylonem, adeoque ita factum meritò præsumitur. Immo *Josephus l. 11. Antiquit. c. 1.* refert Cyrum permotum ad solvendam captivitatem, ostensâ sibi prophetiâ *Isaiæ c. 45.* in qua sermo nominatim erat de ipso Cyro. Ob quæ & similia censet *Baronius*, *Pererius*, *Serarius*, *Bellarminus l. 2. de Verbo Dei c. 1.* Esdram divinâ directione & inspiratione libros sacros in meliorem ordinem redegisse, à mendis expurgasse, characteres denique Hebraicos, ne cum Samaritanis convenirent, immutasse. Quòd si etiam libros sacros ex memoria restituisset, adhuc non sequitur restituisse omnes, qui aliquando extiterant, sed illos solos, quos Deus restitui voluit, vel qui immediatè antè, non autem qui antecedenter perierāt.

## QUÆSTIO II.

### *De Scriptoribus sacris, modo ac stylo Scriptionis.*

25. *Quinam libri sacri sive in principio, sive in progressu auctores suos indicent.*

Nunc de ipsis Hagiographis Scriptoribus librorum Canonicorum pauca dicenda sequuntur. Et in primis manifesti sunt Auctores multorum librorum, non tam ex titulo (qui non est pars libri) quàm ex principio eorumdem, prout ferè initium Prophetiarum prodit suos vulgatos Auctores; sicut & initia Proverbiorum atque Ecclesiastæ auctorem Salomonem. Idem faciunt initia Epistolarum Apostolicarum ferè omnium (idem est de Apocalypsi Joannis) etsi Paulus interdum addat secundariò alterius alicujus nomen, v.g. Sosthenis, in Prima ad Corinthios, Timothei, in Secunda ad Corinthios, in Epistola ad Philippenses, ad Colossenses, & ad Philemonem; item Silvani & Timothei in utraque ad Thessalonicenses. Interdum etiam apparet ex decursu libri; prout passim in Prophetia Danielis loquitur ipse de se in prima persona, *Ego Daniel*; item Angelus refertur loqui ad ipsum Danielem. Esdras quoque auctor libri primi Esdræ suo nomine appellatus à rege Chaldæorum, paulò post de se ipso loquitur in prima persona *cap. 7.* uti etiam facit *c. 8. & 9.* Idem facit Nehemias auctor secundi libri (qui idcirco apud Hebræos liber Nehemiæ dicitur) passim in toto libro; immo & in primis libri verbis se auctorem indicat. Similiter ex *c. 50. Eccli.* constat auctorem Ecclesiastici esse Jesum filium Sirach.

26. *Quorum auctores dignoscantur ex traditione.*

Ex Traditione certa Ecclesiæ, quam exhibent Concilia & Patres, constat Salomonem esse auctorem Cantici Canticorum; quatuor Evangelistas vulgatos esse auctores, sui respectivè Evangelii, quod eis adscribitur; Lucam esse scriptorem Actuum Apostolorum, quos & Evangelium Lucæ habere eumdem auctorem cōstat ex utriusque principio. Similis videtur traditio de tribus Epistolis Canonicis, quæ Joannis dicuntur; utì & de auctore Epistolæ ad Hebræos, quòd scilicet sit Paulus auctor, sub cujus etiam nomine recipitur à *Tridentino* & *Florentino*, & antiquitus à *Gelasio I. in Concilio Romano*, *Innocentio I. Epist. 3. Concilio Laodiceno* & *Carthaginensi III.* & reliquis ferè Patribus, præsertim Græcis, etsi olim à quibusdam Latinis videatur non fuisse admissa, aut in dubium vocata, sine solido tamen fundamento, tam quoad auctoritatem divinam, quàm quoad auctorem.

27. *An totius Psalterii David sit auctor, incertum.*

Liber Psalmorum titulo Auctoris caret, vulgò tamen, immo etiam à *Concilio Tridentino Sess. 4.* Psalterium Davidicum appellatur, & Psalmi omnes passim sub nomine Davidis citantur, etiam frequenter ab iis, qui Davidem aliquorum putant non esse auctorem, eò quòd videlicet vel omnium vel saltem plurium & præcipuorum sit auctor. Et quidem esse auctorem omnium omnino, etsi in titulo præferant aliorum nomen, v.g. Asaph, Filiorum Core aut Idithum &c. censent *Ambrosius*, *Augustinus* & alii graviſſimi Scriptores. Quorum sententia indubiè valde probabilis est, non tamen certa; ut proinde *Origines*, *Athanasius*, *Hieronymus*, & alii, tum veteres, tum recentiores, cōtrarium quoque probabiliter sentiant, etsi ad particulares Psalmos descendendo non per omnia invicem consentientes. Fundamentum est, quòd non tantùm liber Psalmorum titulo Auctoris careat etiam apud Hebræos, ac sine auctoris nomine citetur in novo Testamento, sed etiā quòd varii præferant nomen aliorum auctorum: sic enim varii prænotantur titulo, *Psalmus Asaph*: in quibus etiā notatur alius stylus, non adeò facilis & benignus præsertim in Hebræo. Immo Psalmi nomine Asaph insigniti undecim subsequuntur Psalmum 71. in cujus fine habetur: *Defecerunt laudes David filii Jesse*; præterquā quòd præcedentibus sit insertus unicus ejusdem tituli Psalmus, scilicet quadragesimus nonus.

*Multi probabiliter affirmant.*

*Alii negant.*

*Fundamentum.*

Nec

Nec dici potest, quòd David omnes quidem composuerit, sed cantandos ab Asaph, qui tempore David noscitur fuisse princeps cantorum: nam etsi hoc verum sit, ubi fit mentio filiorum Core vel Idithum, quorum tamquam cantorum fit interdum mentio in titulo, addito interdum nomine David aut Asaph tamquam auctorum, tamen id non habet locum in Psalmis simpliciter Asaph inscriptis (Idem apparet de Psalmo 87. inscripto Eman, & sequenti inscripto Ethan, & Psalmo 89. cujus est titulus: *Oratio Moysi hominis Dei*) maximè cùm 2. *Paralip.* 29. dicatur *præcepisse Ezechias & principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David & Asaph Vidientis* seu Prophetæ; quod planè indicat utrumque esse auctorem, non enim sic loqueretur Scriptura, si Asaph tantùm Psalmos concinnisset, aut carmine metrico reddidisset, neque idem nomen Prophetæ sortiretur.

28. His itaque Psalmis saltem exceptis, dici posset ceterorum auctorem esse Davidem, etiam illorum qui titulo carent; ut de Psalmo 2. (qui titulo caret) manifestè patet ex *Act.* 4. Idemque est de iis, quorum titulus est, *Ipsi David*, seu Davidi: nam varij ex his referuntur tamquam ipsius Davidis in novo Testamento; ut patet *Act.* 2. *Ad Rom.* 4. *Ad Hebr.* 4. Idipsum patet ex ipsomet titulo Psalmi 17. Nec mirum, quòd cum post Epigraphen Psalmi 71. *Defecerunt laudes David*; dein subsequentes nonnullos Psalmos Asaph inscriptos, rursum subjungatur Psalmi indubitati ipsius Davidis: hoc enim accidisse potuit ex eo, quòd post primam collectionem credibiliter ab Ezechia rege factam, aliquis alius, fortè Esdras, omissos Davidis Psalmos ceteris adjecerit.

29. *Auctor Pentateuchi Moyses.* De auctore Pentateuchi non potest etiâ dubitari, quin sit Moyses, demptâ saltem parte modicâ, eâ videlicet, in qua *Deuteron. ult.* mors ejusdem describitur; quam tamen *Josephus* & *Philo* volùt etiam ab ipso Moyse propheticè esse descriptam. Sic enim habet perpetua, tum Hebræorum (qui hos quinque libros appellabant legem Moysis) tum Ecclesiæ Christianæ traditio. Id ipsum quoque satis indicatur *Exodi* 24. & *Deuteron.* 31. Immo idem videtur clarè asseri *Joan.* 1. & 5.

30. *De auctoribus libri Josue, Judicum, Regum &c.* Liber Josue (exceptis iis, quæ de morte ejus referuntur, & nonnullis, quæ post mortem ejus contigerunt, suntque ab alio supleta) passim & valdè verosimiliter adscribitur ipsi Josue, Moysis successori, utì in principali regimine, ac spiritu sapientiæ & prophetico (*Deuteron. ult.* & *Eccli.* 46.) sic & in describendis actis sui temporis. Liber Judicum, Ruth & primus Regum usque ad initium capitis 25. adscribitur Samueli. Residuum verò & Liber secundus ab aliquibus Nathan & Gad, ab aliis Davidi ex incertis conjecturis adscribitur. Utì & incertum est, quis sit auctor tertii & quarti libri, & an unus sive Jeremias, sive Esdras, sive alius, vel plures Prophetæ diversis temporibus viventes. Similiter Librum Judith Joachim Pontifici, Librum Esther Mardochæo ex *cap.* 9. & 12. Varij tribuunt: Librum Job aliqui Moysi, alii ipsi Job cum *Gregorio Præfat. in Job c.* 2. alij 1. tribuunt, sic tamen ut Moyses è Syriaco illum transtulerit in Hebraicum, cum quorumdam Syriacorũ (quibus autographum scatebat) immixtione. Librorum Paralipomenon, quasi derelictorum, sive omissorum, in libris scilicet Regum, auctorem seu collectorem nonnulli conjectant esse Esdram: Libri primi Machabæorum, Joannem Hircanum, qui rebus interfuit, ac summus sacerdos, Princeps & Propheta fuit: Secundi Machabæorum, Judam Iassenum; ex meta tamen conjecturâ.

31. *Quis auctor libri Sapientiæ.* Liber Sapientiæ, veluti Græcè scriptus, à nonnullis Veteribus creditus fuit Philonem Judæum habere auctorem. Sed obstat, quòd is post Christum vixerit, liber autem hic, utpote veteris Testamenti, sit antea scriptus; in quo etiam propheticè describitur futura Christi interfectio, fitque acerba in Judæos interfectores invectio. Ipse quoque *Dionysius* Philoni coævus *l. de Divin. Nom. c.* 4. *§.* 12. hanc ex *Sap.* 8. sententiam: *Amator factus sum formæ illius* referens dicit, *in primis Scripturæ sanctæ institutionibus invenitur*. Ipse quoque Apostolus *ad Rom.* 11. subobscurè citat sententiam ex *Sap.* 9. Fuit quidem & alius Philo senior, sed de nullo legitur, præterquã de quodam Ethnico historico, apud *Josephum l.* 1. *contra Apionem*. Unde Varii Salomonem putant auctorem, præsertim quia *cap.* 9. auctor in prima persona loquens dicit ea quæ manifestè quadrant in Salomonem. Nec obstat Græca styli elegantia, cùm non sit verosimile Salomonẽ Græcè scripsisse: nam inde solùm conficitur, esse alium posteriorem Judæum Græcè peritum (incertum, quis fuerit) qui Sententias Salomonis collegit ac in istud volumen digessit Græco sermone, solâ ferè id omatis & styli factâ mutatione. Quod quoad pleraque saltem verissimum est.

32. *Qui se habuerit spiritus sanctus cum Scriptoribus sacris.* Petes, qualiter se habuerit Spiritus sanctus circa hujusmodi Scriptores eorumque scriptiones? Resp. potuisse se habere antecedenter & concomitanter. Antecedenter quidem, singula scribenda inspirãdo, Scriptore nil de suo addente, sed instar discipuli excipiente ex ore Magistri, quæ is dictat; idque vel per revelationem extaticam, sive imaginariam, sive intellectualem, vel per allocutionem seu visionem sensibilem, vel denique per inspirationem internam in vigilia, ipsis Scriptoribus ex lumine supernaturali perspectam tamquam divinam. Hic modus convenit Prophetis. Concomitanter verò, dum non se habet instar dictantis, sed dirigentis Scriptorem, & im-

& impedientis ne erret. Qui modus juxta plures videtur servatus in historiis rerum visu vel fide dignorum relatu cognitarum; v.g. in Evangeliis, Actis Apostolorum, libris Machabæorum & similibus. Et in hoc posteriore modo debet Scriptor laborare & ad verba extendere, ac si spiritu humano scriberet. Ideoque 2. *Machab.* 2. protestatur auctor operis suscepti difficultatem & laborem suum. Secùs est in priori modo, dum eâdem operâ Scriptor revelationem accipit, & ex dictamine Dei scripto mandat. Quamvis etiam dum ipsa dudum antecessit, possit Deus verba similiter suggerere, & laborem scribentis minuere. Prout contigit Jeremiæ, qui jussus revelationes dudum antea factas scribere *Jerem* 36. vocavit Baruch scribam; ipse autem Jeremias *ex ore suo loquebatur quasi legens ad me* (inquit Baruch) *omnes sermones istos: & ego scribebam in volumine atramento.* Denique potest consequenter accedere scriptis aut dictis hominis etiam impii ac divini spiritûs afflatu destituti auctoritas divina, per hoc quòd postea Spiritus sanctus testetur ea esse vera; uti de facto per Apostolum probavit illam Arati gentilis Poëtæ sententiam *Actor.* 17. *Ipsius enim & genus sumus.* Et istam Epimenidis *ad Tit.* 1. *Cretenses semper mendaces, mala bestiæ, ventres pigri.*

33. *Quis Stylus eorumdem in scribendo.*

Ad stylum quod attinet, is in historicis est ille, quem aliàs habebant. Immo etsi his etiam singula verba dictasset Spiritus sanctus, uti Prophetis, tamen in utrisque adhuc locum haberet styli inæqualitas, uti in ipsis Prophetis est manifestum. Isaias enim vir sanguinis regii habet stylum urbanum & cultum; Jeremias de viculo Anathot oriundus stylum rusticiorem, uti & Amos, qui erat de pastoribus Thecue; Ezechiel habet stylum medium seu temperatum. Similiter Paulus in Epistola ad Hebræos habet stylum concinniorem ac eloquentiorem, quàm in aliis Epistolis: cujus rationem discutit *Estius* in Tractatu præfixo Expositioni ejusdem Epistolæ. Deus itaque etiam in suggerendis verbis & sententiis se Scriptorum stylo, quem haberent si propriâ industriâ scriberent, accommodat. Estque in singulis elegantia, quæ fini Scripturæ à Deo intento aptissimè deserviret. Quantumvis Æthnicis simplicitas divini eloquii esset derisui. Quorum spiritu ducti recentiores Sectarii, illam sermonis simplicitatem contemnentes, novas cudere moliuntur versiones, Vulgatam de barbarismis taxantes, quasi sapientiores totâ antiquitate, & *Hieronymo*, qui similia intacta reliquit.

34. *Quo idiomate sit primitus conscriptum Vetus Testamentum.*

Tota porrò Scriptura primò scripta fuit Hebraico ferè vel Græco idiomate. Totum quidem vetus Testamentum conscriptum primò fuit Hebraicè, exceptis ferè Esdrâ & Daniele scriptis Chaldaicè; uti etiam scripti sunt Tobias & Judith, teste *Hieronymo in Præfat.* etsi hodie Chaldaicè non extent. Excepto item libro Job scripto Syriacè (nempe primus ejus scriptor sit Job, vel aliquis ex amicis ejus) & in Hebræum à Moyse translato: qui tamen suæ translationi nonnulla Arabica, Syriacaque immiscuit.

Excepto item libro 2. Machabæorum & Sapientiæ Græcè scriptis, ut ex phrasi eorumdem probat *Hieronymus.* Qui etiam in Prologo Galeato testatur se librum primum Machabæorum reperisse Hebraicum, seu potiùs Syriacum: tunc enim linguâ Syra utebantur Judæi. Neque etiam idem liber Græcam eloquentiam redolet. Ut proinde Hebraicè seu Syriacè scriptum esse, credendum sit. Idemque est de libro Ecclesiastici: quem similiter Hebraicum reperit *Hieronymus*, ut testatur *Præfat. in Proverbia.* Auctor tamen Prologi Ecclesiastici (qui est Jesus junior) ex Hebræo seu Syriaco in Græcum vertit ea, quæ avus illius Jesus filius Sirach Hebraicè scripserat: ut colligitur ex ipso Prologo; qui juxta *A Lapide* & alios non est divinæ auctoritatis. Chaldaicè quoque vel Hebraicè in Babylonia scriptum esse Baruch, dubitari non potest, etsi in originali idiomate modò non reperiatur.

Denique totum novum Testamentum juxta receptam omnium sententiam est scriptum Græcâ linguâ, tempore Apostolorum tum apud Judæos, tum apud Romanos mustùm vitatâ, & apud plurimas Nationes communi; dempto Evangelio Matthæi, quod linguâ Hebraicâ (qualis tunc erat in usu) scriptum esse habet communis Opinio, quam probat *Hieronymus lib. de Script. Ecclesiast.* Fortè etiam excepto Evangelio Marci, quod Romæ scriptum fuit, & quidem juxta plures (quamquam non sit certum) Latinè; prout etiam Latinè scriptam esse Epistolam ad Romanos, Quidam censent: etsi minùs probabiliter ob frequentes idiotismos Græcanicos, quibus scatet Epistola. Multorum etiam opinio est, Epistolam ad Hebræos Hebraico idiomate saltem mixto Syriaco à Paulo conscriptam esse ob conditionem populi ad quem scribebat, & singularem eloquentiam. Non est tamen id certum: nam & aliæ Epistolæ ad Judæos scriptæ, v. g. ad Timotheum, item Jacobi, Petri, Joannis non ideo Hebraicè scriptæ sunt. Stylus præterea eloquentiam Græcanicam redolet, Scripturæ veteris Testamenti citantur in ea ex versione Græca Septuaginta; non autem juxta Hebraicam veritatem, rariores quoque sunt in ea quàm in ceteris Epistolis Hebraismi. Eloquentia hujus Epistolæ singularis in compositorem, sive Clementem, sive potiùs Lucam, cui Paulus totam eamque abundantem materiam suppeditavit, ordinemque

35. *Quo Novum.*

nemque dicendorum præscripsit, refertur ab *Estio*, qui in Tractatu speciali, quem præmisit Expositioni hujus Epistolæ de auctoritate & auctore, & idiomate, quo scripta est fusè agens, hanc opinionem pluribus argumentis confirmat. Quæ nihilominus dissolvere conatur *Sylvius l. 1. Controversiar. q. 2. art. 3.*

## QUÆSTIO III.

### *De infallibilitate Scripturæ, multiplicique Editione, præsertim Vulgatâ.*

36. *Scriptura quoad omnes particulas infallibilis est.*

CERTISSIMUM est apud omnes Catholicos Scripturam quoad omnes suas partes seu articulos & propositiones esse infallibilem, atque adeò ipsam esse infallibilem regulam seu normam veritatis. Patet: quia (ut præclarè *Augustinus Epist. 8. ad Hieronymum*) *admisso in tantum veritatis fastigium aliquo mendacio*, seu errore, *nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non, utcumque videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eâdem perniciosissimâ regulâ ad mentientis auctoris consilium officiumq; referatur*: quæque consequenter non possit in dubium revocari. Ratio velut à priori sumitur ex summa infallibitate Dei, qui nec fallit nec fallere potest aliquid loquendo aut inspirando: *Omnis* autem *Scriptura divinitus inspirata est*, juxta Apostolum 2. *ad Timoth. 3. Non enim* (ut dicitur 2. *Petri 1.*) *volantate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Hinc *Ioan. 10.* ex Scriptura Christus arguens, adjunxit: *Et non potest solvi Scriptura*; id est, non potest mendax aut falsa inveniri.

37. *Nulla pari illius humano Spiritu scripta.*

Quare ab errore non potest excusari, quod dixit *Erasmus in Annot. ad cap. 2. & 27. Matth.* forsitan aliquos leves errores in Scriptura reperiri. Cui affinis est error aliquorum, qui putarunt quædam in Scriptura esse scripta humano spiritu seu prudentiâ, v. g. quod de penula scripsit Apostolus 2. *ad Timoth 4.* de hospitio parando in *Epistola ad Philemonem*; quod de de cane Tobiæ movente caudam habetur *Tobiæ 11.* & similibus, quæ levioris putabant momenti, quàm ut deceret ea dictari aut inspirari à Spiritu sancto. Sed his occurritur verbis *Chrysostomi Homil. 1. ad Pop. Antiochen. in princip.* dicentis: *Nec illas quidem, quæ tenues esse putantur, Scripturarum sententias prætermittamus: nam & ipsa de Spiritus gratia sunt.* Et juxta *Hieronymum in cap. 3. ad Ephes. Singuli sermones, syllabæ apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus*; adeò ut *Basilius Homil. 10. in Hexameron versus finem*, audeat & dicat: *Intoleranda prorsus & gravis blasphemia fuerit, vel verbum asserere in Scriptura reperiri otiosum.* Itaque nisi positum sine justa ratione; quidquid autem ex ea positum est, leve & minutum censeri non debet. Apostolus quidem penulam mitti cupit, id est, vestem quamdam imbribus & frigori depellendo aptam, cui erat assuetus, nolens cuipiam esse gravis, ut Varii interpretantur; vel vestem sacram, id est, casulam seu planetam, ut quidam conjectant: vel potiùs arcam librariam, ut alii explicant, aut etiam ipsum volumen sacrum, veteris scilicet instrumenti, docens suo exemplo, quantùm curæ debeat Episcopis quantumvis provectis esse studium sacræ Scripturæ. In Epistola ad Philemonem scribit Apostolus de parando sibi hospitio, non quòd magno apparatu opus esset, aut Paulus de eo magnopere foret sollicitus, sed ut sic Philemon intelligens Paulum brevi venturum, magis vereatur renuere, quæ Paulus in Epistola postulabat. De cane præcurrente & caudâ sâ blandiente fit mentio *Tobiæ 11.* quia ibi describitur ut nuncius venientis filii, quo tantopere pii parentes sunt recreati; simul etiam indicatur singularis narrationis usque ad minutiores circumstantias fidelitas, ac quanta fuerit cura Angeli Ductoris, & providentia maxima Dei, etiam circa minutissima. Scelera denique quæ in Scripturâ referuntur ad bonos fines, non approbantur; mala ab aliis dicta similiter recitantur materialiter, tamquam dicta ab aliis; non formaliter, tamquam dicta & sensa ipsius Scriptoris; prout v. g. *Psal. 13.* refert David: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.*

38. *Evangelista lapsum memoriæ non tribuit Augustinus: quidq; calumnietur Erasmus.*

Dices cum *Erasmo*: Evangelistas interdum memoriâ lapsos concedit *Augustinus lib. 3. de consensu Evangelist. c. 7.* nec videtur ullo modo posse negari, cum *Matth. 27.* loco Zachariæ constet citari Jeremiam. Resp. id injuriosè tribui *Augustino*, quippe qui expressè contrarium scripsit *lib. 2. de consensu Evangelist. c. 12: Omnem autem falsitatem abesse ab Evangelistis* (idemque de ceteris) *decet non solum eam, quæ mentiendo promitur, sed etiam eam, quæ obliviscendo.* Quo quid clariùs? Idem *Epist. 19.* ait: *Solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremq; deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid erraſſe firmissimè credam.* In loco autem objecto expressè dicit *Augustinus*, Evangelistæ ex voluntate & directione Spiritus sancti (cujus proinde fuisset error, si quis foret) occurrisse Jeremiam pro Zacharia, eò quòd omnes Prophetæ uno spiritu locuti sint, ut quod unius est, possit dici omnium; q. d. Evangelista: Quod dictum est per Spiritum, qui in

*An vel quare Matth. 27. loco Zachariæ citetur Hieremias.*

Jeremia

Jeremia locutus est. Verius tamen est (ut plures adhuc alias solutiones omittam) nomen Jeremiæ incuriâ vel temeritate Librariorum irrepsisse in textum; cùm non soleat Matthæus nomina Prophetarum exprimere; immo nomen Jeremiæ absit, tum à textu Syriaco, tum à varijs Codicibus Latinis manuscriptis, etiâ tempore *Augustini*, utì & hodie. Eò autem facilius potuit contingere deceptio, quòd olim esset usus Editionis Septuaginta, juxta quam apud Zachariam vix reperitur vestigium hujus testimonii. Vel certè dicendum, quòd verè citetur locus *Jeremiæ* 32. ubi ex divino præcepto emisse refertur agrum numerato pretio, etsi non habeatur de triginta argenteis. Quo facto gessit figuram quamdam hujus facti. Nam Jeremias per hoc significabat Judæos è captivitate redituros & habitaturos in agris Israël; simul præfigurans Judæos in fine mundi instar peregrinorum reversuros ad agrum Ecclesiæ, qui est pretium Sanguinis Christi.

39. *Textus Hebraici, si purus esset, summa foret auctoritas.*

Ad Auctoritatem textûs Hebraici & Græci quod attinet, maximæ & infallibilis sine dubio auctoritatis esse apud omnes deberet textus Hebraicus & Græcus, quo ad Scripturas idiomate Hebraico aut Græco scriptas respectivè, si constaret de earumdem puritate. At neque Hebræi neque Græci fontes omnino puri sunt. Immo videri fortè cuipiam posset, textum utrumque omnino esse depravatum, ut nullam fidem mereatur, neque valeat ad controversias dirimendas. Verumtamen in hoc nimiùm excederetur.

40. *Errores in eum quomodo irrepserint.*

Constat quidem in primis in textum Hebraicum oscitantiâ seu incuriâ Librariorum exscribentium irrepsisse etiam antiquitus varia menda, & postmodum incuriâ aut inscitiâ ipsorum Typographorum. Quod valde proclive fuit, ob diversorum characterum seu litterarum Hebraicarum figuram similem, unde una pro altera facilè sumitur ab obiter inspiciente ac exscribente, nec ad totius sententiæ sensum perfectè advertente, præsertim si in prototypo sint minus accuratè exaratæ. Unde proclivius erat, cùm puncta internoscendi causa necdum essent à Masorethis addita, qui dudum post *Hieronymi* tempora ea addiderunt. Præterea cum dissimili litterarum figura (cum qua adhuc consistit frequens lapsus exscribentium) facilè substituitur ob similitudinem pronuntiationis una littera hebraica pro altera, dum ex ore dictantis fit scriptio. His accedit depravatio malitiosa textûs in quibusdam Christum & Christianam Religionem concernentibus (in quibus proinde minùs fidendum Hebraico textui) facta à Judæis post *Hieronymi* tempora, è cujus & Septuaginta versione & fragmentis aliarum Versionum constat ipsos aliter legisse, quàm modò ex impiorum Masorethарum correctione (qui fortè ipsi, vel certè alii inter ipsos & *Hieronymum* medii fuerunt corruptores) legatur: ut in Vaticinio Jacob de Messia *Genes.* 49. & nonnullis aliis locis.

41. *Sua nihilominus ei manet auctoritas.*

De cetero nihilominus magna est textûs Hebraici auctoritas, sive ad textum Editionis Vulgatæ, sicubi Librariorum aut Typographorum defectu vitiatus sit, emendandum; prout se fecisse fatentur Correctores Bibliorum jussi Sixti V. ab eis recognitorum: sive ad dijudicandum, quæ ex varijs in Latina versione lectionibus sit syncerior: sive ad inquirendum quo sensu sumatur dictio in Latina Editione ambigua; si fortè in Hebræo non sit ambiguitas: sive ad melius percipiendam vim sententiarum & phrasium, quæ in originali idiomate interdum vivaciores sunt, minùs æquivocæ, magisque propriæ: sive ad diversos sensus litterales, quos unica Latina versio minus fœcunda assequi & exprimere nō poterat, ex originali idiomate eruendos. Idemque cum proportione est de auctoritate & utilitate textus græci. Qui tamen & ipse hoc tempore non est purus, ut varijs exemplis deducit *Bellarminus l. 2. de Verbo c. 7. Canus l. 2. de Locis cap. 13.*

*Idem est de textu Græco.*

42. *Et simpliciter sit potius adhærendum Editioni Vulgatæ.*

Quapropter simpliciter loquendo potius adhærendum est Editioni Vulgatæ, quàm Textui græco vel hebraico, si sit inter illos differentia, non solùm dum aperta vel publica sunt argumenta pro synceritate Textûs Latini, aut corruptione textûs græci vel hebraici; verùm etiam cùm utrimque omnia sunt paria, seu cùm nulla sunt in alterutram partem illapsi erroris argumenta; adeoque ceteris paribus textum græcum vel hebraicum potius esse corrigendum ex nostro, quàm contrà. Ratio est, quod Ecclesia, quæ est fidelissima Verbi divini custos, summam semper adhibuerit diligentiam in procuranda & conservanda hujus Editionis puritate, eamque solùm pro authentica haberi voluerit ac declaraverit, ipsa autem est columna & firmamentum veritatis. Fontibus quidem est plus deferendum quàm rivulis, si puri sint; secùs, si rivulo existente puro, fons sit turbatus, ut rectè *Canus sup. cap. 14.* Ut omittam, quòd originales libri, qui ab ipsis Scriptoribus primò conscripti sunt, non extent, sed copiæ copiarum, multoties variatis hebraicis characteribus; quibus faciliùs errores irrepere potuerunt, ac in ijsdem permanere, quàm in translatione facta per auctoritatem publicam Ecclesiæ & Spiritûs sancti assistentiam, cui jugiter diligentissima Ecclesiæ sollicitudo pro puritate servanda accessit, adeoque plus deferendum est, quàm diligentiæ Judæorum v. g. hominum impiorum.

43. *Hujus quæ liter, par-*

Editio porrò Vulgata Latina, quàm *Tridentinum sess. 4.* approbavit *Hieronymum* habet

*tim auctor, partim corrector, sit Hieronymus.*

habet auctorem vel emendatorem. Nam Vetus Testamentum ex Hebræo transtulit, exceptis Libris Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, Baruch cum Epistola Jeremiæ, quibusdam partibus Esther in Hebræo non repertis (quæ omnia habentur ab incognito Interprete ante *Hieronymum*) & quibusdam partibus Danielis, quæ habentur ex versione *Theodotionis*. Psalterium quoque ex Hebræo labore *Hieronymi* translatum, non admisit Ecclesia in Editionem Vulgatam: tum quia difficillimum fuisset tollere consuetudinem Ecclesiarum Latinarum, quæ jam in choro assueverant alteri translationi: tum quia sine immensis sumptibus & difficultatibus non potuissent exscribi libri novi pro toto Orbe Ecclesiæ Latinæ: tum ob alias rationes. Quare retinuit Psalterium Editionis antiquæ, quæ non est pura Septuaginta Interpretum, sed per *Lucianum* martyrem ex Hebræo est emendata, quam etiam deinde *Hieronymus* emendavit. Novum Testamentum sub initium Ecclesiæ per virum aliquem Apostolicum (quis determinatè fuerit, ignoratur) ex idiomate originali translatum idem *Hieronymus* emendavit. Editio autem hæc per *Hieronymum*, partim facta, partim correcta, quæ tunc nova appellabatur, cœpit post obitum illius magis & magis, relictâ priori Editione vulgatâ, usurpari, omniumque Doctorum ac Patrum tacito consensu, tandemque Ecclesiæ ordinatione acceptari. Alioquin ante *Hieronymi* editionem Vulgata Latina editio quoad Novum Testamentum, Psalterium, & eas partes Veteris Testamenti, quas *Hieronymus* nō vertit, erat eadem, quæ modò, sed non correcta; quoad reliquas partes Veteris Testamenti erat trāslatio facta ex Græca versione Septuaginta Interpretum. Et inter plures latinæ, quæ circumferebantur, communior & receptior erat ea, quæ Itala dicebatur, teste *Augustino l. 2. de Doctr. Christi c. 15.*

*Quæ ante Hieronymum fuerit Editio Vulgata.*

44. *De Auctoritate Vulgatæ Editionis.*

Auctoritatem apud Catholicos debet Vulgata Editio habere summam: nō solùm ob antiquitatem, & tot seculorum in Ecclesia usum, obque summam linguarum in *Hieronymo* peritiam, summæ reconditæque ejusdē doctrinæ, industriæ ac studio, fidelitati item, vitæque sanctitati adjunctam (cui quoque pro Ecclesia auctoritate ejusdem, seu Damasi Papæ, laboranti non defuit gratiā & adjutorio suo cælestis Ecclesiæ Curator) sed etiam ob auctoritatem ei accedentem ex declaratione *Tridentini sess. 4.* ubi statuit & declarat, *ut hæc ipsa Vetus & Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam reijcere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Ecclesia etenim Catholica firmamentum est & columna veritatis; contra cujus universalem consensum velle disputare, insolentissimæ insaniæ est. Ex ea quoque, veluti depositoriâ fidelissimâ verbi divini, habent fideles hoc vel illud esse verbum Dei, & authenticum esse, sive librum, sive sensum, adeoque etiam authenticam esse editionem sive translationem.

*Eam probavit Tridentinum sive Ecclesia.*

Et planè ridiculum est, Novatores hac in parte oblatrare auctoritati Ecclesiæ Romanæ, id est, Catholicæ; cùm ex hac sola acceperint ipsas Scripturas: cui proinde si credant in hoc, quòd legitimæ sint Scripturæ ab ea traditæ; æquè sive potiùs credere deberent, editionem ab ea probatam esse authenticam: maximè cum ipsi textus originales non extent, uti neque puræ sunt eorumdem copiæ, quas fontes vocant. Ea nimirum libertas Novatorum ut credant vel non credant, quod volunt. Indeque tanta in eis errorum, uti errantium varietas, sine ulla spe aut methodo concordiæ; dum hic unā v.g. Lutheranam, alius aliam editionem pro libitu probat, ceteris rejectis. Prout etiam simili libertate in ipsis libris Canonicis eorumque partibus admittendis sive rejiciendis, pariter quoque in Scripturarum sensu sive interpretatione utuntur. Quorum genium ad amussim ante tot sæcula delineavit *Tertullianus l. de Præscript. c. 17.* dicens: *Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas: & si quæ recipit, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: & si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantùm veritati obstrepit adulter sensus, quantùm & corruptor stylus.*

45. *Inconsequentia & genius Hæreticorum.*

Itaque sicut Ecclesiæ Catholicæ nos cum *Augustino* movet auctoritas infallibilis, ut Evangelio tamquàm Dei verbo credamus, & libros ab ea probatos pro Canonicis teneamus; sic etiam permovere debet, ut editionem ab ea probatam pariter probemus. Ipsaque experientia (quam nec Hæretici negare possunt) ostendit, omnino expedire paci ac tranquillitati publicæ, ut unica sit hujusmodi versio per Ecclesiam probata.

46. *Objectionibus Hæreticorum breviter satisfit.*

Quæ porrò contra Vulgatam à Novatoribus objiciuntur, à *Bellarmino*, *Tstelmanno*, *Cano* & alijs dissolvuntur. Illud obiter notandum, quòd menda quædam Bibliorum ex ipsis Catholicorum studiosis annotationibus hausta (quorum proinde correctionem Novatoribus non debemus) objicere non vereantur. Quod insuper non officiat puritati Vulgatæ Editionis, ipsam in quibusdam videri non consentire cum fontibus: tum quia quoad sensum (qui in fontibus potest esse multiplex) sæpe non est discrepantia, quæ prima fronte appareret? tum quia ipsi fontes non extant, in sua præsertim puritate.

47. *Quid sit editionem aliquam esse authenticam.*

Ad intelligendum porrò, quid sit Editionem hanc Vulgatam esse authēticam, sciendum est, non solum illud dici authenticum, quod est originale, sed etiam quod originali, ex quo

ex quo traductum est, bene respondet; adeoque generaliter omne illud dici authenticũ, quòd habet certam & indubitatam fidem. Unde Editio Vulgata dicitur authentica: tum quia syncera beneque respondens fonti & linguæ originariæ: tum quia nihil continet fidei aut bonis moribus repugnans: tum quia certam fidem facit in lectionibus, prædicationibus, disputationibus & expositionibus: tum quia generaliter nullam sententiam vel doctrinam falsam continet, ut *Lorca*, & *Luizius Turrianus* (quos citat & sequitur *Sylvius l. 1. controversiar. q. 2. a. 3.*) dixerunt, quidquid nonnulli secùs sentire videntur. Si namque hoc postremum non involveretur in declaratione *Tridentini*, posset aliquando rejici Editio Vulgata aliquo prætextu, scilicet falsitatis alicujus sententiæ, si talis reperiri posset: cùm non fuerit intentio *Tridentini* obligare fideles ad retinendum aliquas falsitates seu errores. Non fuit tamen mens Concilii declarare, quòd nulla contineantur leviora errata Librariorũ aut Typographorum; quæ utique non sunt errata ipsius Interpretis, nec partes, sed vulnera veræ Vulgatæ Editionis. Quamvis non sine solidis rationibus id in particulari debeat adstrui. Potuissent etiam nõnulla meliùs verti, ipso *Hieronymo* teste. Videri possunt, quæ in hãc rem notavit vir præclarus *Franciscus Lucas* in libello adjecto ad calcem Bibliorum editorum anno 1618. typis Plantinianis.

*Quod specialim de Vulgata declaratur.*

48. *De translatione Septuaginta, & circa eam notanda.*

Translatio principalis Librorum Veteris Testamenti hebraicè scriptorum in linguam Græcam auctores habet septuaginta duos Seniores (quos numero rotundo *Septuaginta* vocamus) in Ægyptum ad instantiam Ptolomæi Philadelphi (etsi aliqui id adscribãt ejus prædecessori Ptolomæo Lagi filio) ab Eleazaro Pontifice missos, ex singulis tribubus senos, hebraicè ac græcè peritissimos, qui Alexandriam cum sacris libris venientes, ibi in Pharo insula interpretationem spatio septuaginta dierum mirâ consonãtiâ & Spiritûs sancti instinctu perfecerunt; idque juxta receptam *Justini*, *Irenæi* & aliorum Patrum, ac variorum Hebræorum, nec non *Baronij*, *Serarij* & aliorum recentiorum sententiam (cui tamen ob testimonium Aristæi, qui gestis interfuit refragatur probabiliter *Hieronymus Præfat. in Pentateuchum*, *Titelmannus in Prologo Apologetico pro Editione Vulgata*, & *Bellarminus l. 2. de Verbo Dei c. 6.*) singuli separati in septuaginta duabus cellulis (quamvis *Epiphanius l. de mensuris & Ponderibus*, & *Justinianus Novella 146. cap. 1.* significent fuisse separatim binos & binos) convenientes quoad omnia in sententijs, verbis, & apicibus. Cujus proinde Versionis summa est auctoritas, accedente eo, quòd Apostoli & Evangelistæ in suis scriptis & prædicationibus eâ usi sint, ipsaque Ecclesia illam multis sæculis pro Vulgata & authentica habuerit, nec postea eam improbaverit, quodque eâ solâ Græca semper Ecclesia fuerit usa, eamdem quoque tot Veteres Patres suis Commentarijs illustrarint. Unde est maximæ hoc tempore auctoritatis post Editionem Vulgatam; quam Ecclesia suo judicio prætulit, eò quòd sit magis completa, & immediatè ex ipsis fontibus hebraicis Latino idiomati reddita; quodque ipsa Versio *Septuaginta*, sive græca, sive in latinum versa, fuerit plurimùm adulterata, etiam tempore veterum Patrum, ut ex *Hieronymo*, & alijs patet. Nam (ut alia prætercam) jam olim in versione *Septuaginta* veteris Testamenti irrepsit gravis error in computatione annorum primæ & secundæ ætatis mundi. Primò, quia secũdùm eam Mathusalem vixisset quatuordecim annis post diluvium; cùm tamen certum sit, eum non fuisse in arca, & proinde vel ante diluvium esse mortuum, vel eo suffocatum. Secundò, quia computatio annorum ante diluvium in textu Græco excedit computationem textûs Hebraici, ad annos quingento octoginta sex, post diluvium ad annos sexcẽtos quinquaginta.

49. *De translatione Aquilæ.*

Secunda versio ex Hebraico in Græcum idioma confecta est tempore Adriani Imperatoris ab Aquila Pontico, qui primùm Gentilis, dein Christianus, tum ab Ecclesia pulsus, quòd astrologiæ judiciariæ studiosus esset, ad Judæos se contulit, & hoc extremo tempore libros Legis transtulit.

*Symmachi.*

Tertia cẽnsetur, quam Severo, vel (ut habet Latina præfatio Romana ad Septuaginta) Lucio Vero regnante ex Hebræo in Græcum vertit *Symmachus*, qui genere Samaritanus, cùm apud suos principatum obtinere non posset, Judæis se adjunxit, & secundò circumcisus est, post adductum scilicet arte medicâ præputium semel resectum, ut monet *Epiphanius l. de mensuris & Ponderibus in med.* At *Hieronymus Præfat. in Esdram* & alibi, ex Christiano Ebionitam esse factum affirmat. Quod rectè potest consistere, si dicamus ex Judæo priùs factum esse Christianum.

*Et Theodotionis.*

Quarta versio ex Hebræo in Græcum est *Theodotionis* tempore Commodi Imperatoris; quæ tamen foret prior illâ Symmachi, si hæc sub Severo (qui Commodum secutus est) foret confecta. Is ex Marcionista proselytus Judæorum factus est; majori tamen fide, quàm ceteri ejus similes in interpretatione usus fuit, teste *Epiphanio*.

*Deque earum comparatione & auctoritate.*

Hæ versiones in materijs Christianæ fidei mysteria tangentibus nil aut modicum auctoritatis habent; in alijs non parũ habent utilitatis & ponderis, præsertim illa *Theodotionis*, quæ syncerior, & ex qua Ecclesia olim totum Danielem, nunc posteriora adhuc capita legit. Differunt autem inter se, quòd *Aquila* verbum è verbo, *Symmachus* sensum

sensum à sensu, *Theodotion* medio quodam modo incedens, ex utroque commixtim & mediè temperatum genus translationis expressérunt, ut colligitur ex *Hieronymo priore Præfat. in Job* & alibi.

50. *De quinta & sexta Editione.* *Item Tetraplis, Hexaplis & Octaplis Origenis.*

Præfatis versionibus accesserunt quinta & sexta Editio Auctoribus incertis, sed (ut creditur) fidelibus. Hinc ortum habent Tetrapla, Hexapla, & octapla *Origenis*. Nam is primò Editionem *Septuaginta* & tres sequentes in unum volumen congessit, positis in qualibet pagina quatuor columnis; quod Tetrapla idcirco appellavit. Additis postea cuilibet paginæ duabus columnis, in quibus textus Hebraicus erat positus, semel litteris hebraicis, semel græcis expressus, Hexapla vocavit. Additâ denique in volumine uno insuper quintâ & sextâ editione, ideoque singulis paginis constantibus octo columnis, Octapla nominavit. De quibus frequens apud Veteres mentio.

51. *De Versione Santis Pagnini.* *Et Francisci Vatabli.*

Inter recentiores ex Hebræo in Latinum versiones, una est *Santis pagnini* lucensis Dominicani, eaque satis utilis, præsertim ignorantibus linguam hebraicam. Quam emendare studuit *Benedictus Arias* Montanus; aliorum tamen judicio potius deterioravit. Eamdem correxit, verius corrupit *Robertus Stephanus* Hæreticus. Altera est *Francisco Vatablo* adscripta, ideoque Vulgò *Vatablo* dicitur, sed potius ex Hæreticorum lacunis prodijt, *Vatablo* ipsam tamquam adulterinum fœtum repudiante.

*De Chaldaica paraphrasi.*

Extat & in Biblijs Regijs *Chaldaica Paraphrasis* diversorum Auctorum vel Rabbinorum in libros veteris Testamenti, qui sunt in Hebræorum Canone, præterquam in libros Paralipomenon, Esdræ & Danielis. Magni ipsa fit apud Judæos, quibus ad hominem convincendis utilis est, tum etiam defendendæ puritati nostræ Editionis, & intelligentiæ quorumdam locorum obscuriorum; etsi fabulis Judaicis scateat, præsertim extra Pentateuchum.

52. *Item de Versione Syriaca.*

Denique *Syriaca versio* novi Testamenti, exceptâ Apocalypsi, Secundâ & Tertiâ Joannis, Secundâ Petri & Judæ Epistolis, incerto Auctore (etsi aliqui, ipsi præsertim Syri, Marcum Evangelistam auctorem putent: sed cùm nullus veterum Patrum, qui in Syria vel Ægypto floruerunt, & de Scripturis sacris aut Editionibus multa posteritati tradiderunt, istius meminerint, non potest ad id credendum induci *Bellarminus l. 2. c. 4.*) Nostram Editionem in multis illustrat, ac quorumdam obscuriorum locorum dilucidationi deservit. Et quoniam in titulis & sectionibus mentio apud illam fit jejuniorum, venerationis crucis, orationum pro defunctis, vigiliarum, memoriæ Sanctorum, & similium rerum, quas nostri Sectarii detestantur, ideo ipsa illos condemnat & ritus Ecclesiæ confirmat.

Solùm observa, Ecclesiam non prohibuisse usquam translationes Bibliorum in linguas vulgares, neque eorum, quæ fideliter à Catholicis Auctoribus translata sunt, usum; ut nonnulli Hæretici mentiuntur, apertè convincendi ex ipsa Regula 4. Indicis librorum prohibitorum, ubi post facultatem ordinarii (qui cum consilio parochi vel Confessarii delectum habeat personarum capacium, quibus lectio profit) etiam laicis conceditur eorumdem Bibliorum lectio.

53. *Non prohibuit Eccle. sia translationes in linguam vulgarem earumvè usum; sed hunc modificavit.*

Recte autem prohibetur hujusmodi lectio sine licentia: *Cùm* (ut Regula loquitur) *experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quàm utilitatis oriri.* Vulgares enim, plerumque illitterati aut rudes, si varia legerent linguâ vernaculâ, quæ in Cantico Canticorum habentur, quæve de peccatis aut speciem mali habentibus in veteri Testamento referuntur, & non semper eodem loco expressè reprobantur, quæ denique partim difficillima & obscurissima, partim in speciem pugnantia vel rationem excedentia apparent, facilè vel provocarentur ad malum, vel Scripturam aut sanctos Patriarchas contemnerent, aut Scripturam mentiri putarent, vel denique in falsos & erroneos sensus inciderent. *Quâ de causa.*

54. *Quis fuerit mos Hebræorum in hac materia.*

Unde nequidem tempore veteris Testamenti Scriptura linguâ vulgari passim à privatis lectitabatur aut publicè prælegebatur. Neque enim Esdras post solutionem captivitatis Babylonicæ, cùm lingua Hebraica desierat esse vulgaris, Scripturam sacram in Syriacam, quæ tunc erat vulgaris, transtulit, sed eam ex hebraico textu populo interpretatus est, ut patet 2. *Esdræ* 8. Rari quoque erant tunc Codices sacri, etiam ante captivitatem. Præterea *Origenes prologo in Cantica sub init.* Monet, ut ratione periculi homo adhuc subjacens carnis seu naturæ affectibus se penitus temperet à lectione Cantici Canticorum, subdens: *Ajunt enim observari etiam apud Hebræos, quòd nisi quis ad ætatem perfectam maturamque perveneriit libellum hunc nequidem in manibus tenere permittatur.* Addit etiam moris apud illos fuisse, ut pueris traderentur Scripturæ à Doctoribus, tamen *ad ultimum ista quatuor observari, id est, principium Geneseos, & Ezechielis principium & finem, & hunc Cantici Canticorum librum.* Etiam libros Regum non potuisse apud Hebræos legi ante trigesimum ætatis annum aliqui referunt, teste *Marchant Tom. 3. p. 2. Tr. 4. Tit. 6. §. 8.*

*Dictum Hieronymi perstringens Novatores.*

Unde & *Hieronymus Epist. ad Paulinum* (quæ est ad calcem Bibliorum recognitorum) *c. 6.* graviter conqueritur de temeritate vulgarium nimis licenter sacram Scripturam tractantium, inter alia dicens: *Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes*

*omnes vendicant ..... Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.* Quid igitur dicturum putamus, si Biblia etiam vulgari idiomate omnibus passim concedi, immo inculcari videret, utì fit apud Adversarios?

55. *Qui habeant aut concedant licentiam legendi Biblia linguâ vulgari.*

Non prohibetur tamen lectio Vulgatæ Latinæ Editionis; quam legere possunt, qui latinè norunt. Vulgari etiam linguâ possunt juxta *Sylvium l. 1. Controvers. qu. 2. a. 14.* Biblia legere Parochi, Concionatores, vel qui ad id muneris aptantur. Quod saltem hîc praxis habere videtur. Immo Nonnulli putant posse Biblia legere vernaculè, qui latinè. Oppositum tamen probabilius esse censet. *Sylvius supra.* Quoad Religiosos ordinatur in Regula 4. Indicis: *Regulares verò, non nisi facultate a prælatis suis habitâ, ea legere aut emere possint.*

Quod verò recentior Appendix seu Annotatio ad Regulam prædictam tradit, non esse penes Episcopos aut Prælatos Regulares hujusmodi facultatem, sed penes Inquisitores, non habet locum in Germania & Belgio; ubì Inquisitores non sunt, & Episcopi hujusmodi facultates concedunt. Immo juxta *Tannerum d. 1. q. 5. n. 88.* in Germania videtur ipso usu obtentum, ut lectio Bibliorum Germanicorum, dummodo Catholicorum, non censeatur illicita. Alibi quoque ob causas rationabiles Ordinarii istam prohibitionem, alioquin justissimam, & de se gravem non tam graviter urserunt, aut consuetudo seu usus aliquid de ejus rigore remisit. Nam (ut testatur *Marchant Tom. 2. Tribunalis Sacram. Tract. 2. Tit. 2. sect. 4. q. 3 dub. 6.* & ex eo *Bassæus V. Hæresis n. 16.*) sic in multis locis Belgii consuetudo invaluit, ut honestis quidem Laicis Biblia vernacula legere permittatur, dissimulatione potiùs piæ tolerantiæ, quàm facultate & licentiâ expressâ: quamvis (ut idem *Marchant* addit) teneantur Pastores invigilare, tam super qualitate Editionis Bibliorum, quàm super qualitate ipsorum legentium.

*Notanda pro Germania & Belgio.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Sensibus & Interpretatione Sacræ Scripturæ.*

56. *Sensus litteralis, alius proprius, alius Metaphoricus.*

SEnsus Scripturæ alius est Litteralis qui & historicus, alius mysticus, qui & spiritualis vocatur. Iste dicitur, quem verba ex intentione loquentis, scilicet Spiritûs sancti, immediatè significant, sive propriè, sive metaphoricè. Quod addo: nam etiam sensus metaphoricus est verè litteralis, sed impropriùs. Et hujusmodi metaphoricis locutionibus Scriptura scatet. Immo plures sententiæ intellectæ ad litteram propriam sine metaphora, es-

sent absurdæ. Unde sicut nullus est locus sine alterutra significatione, quam verba ex intentione Spiritûs sancti habent, sic necessariò omnis habet sensum aliquem litteralem. Estque idem sensus efficax ad probandum dogmata. Regulariter tamen, & nisi aliquid obstet, retinenda est propria verborum significatio, juxta receptam regulam *Augustini lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 15.*

*Alterutrũ habet omnis Scriptura.*

*Est & efficax ad probandum.*

*Proprius regulariter tenendus.*

57. *Quid sensus mysticus, & an efficax ad probandum.*

Sensus mysticus est, qui non significatur immediatè per verba, sed potiùs per res ipsas gestas aut gerendas. Qui sensus nos est efficax ad probandum, nisi aliunde ipsâ Scripturâ, aut Ecclesiæ declaratione, aut Patrum consensu constet esse verè intentum à Spiritu sancto. Prout in Evangelio Christus & Apostoli frequenter Scripturas vel Historias veteris Testamenti mystiçè explicant, v. g. de Jona in ventre ceti, de Jsaac & Ismael, de osse non comminuendo in Agno Paschali, de serpente æneo, de petra, unde educta est aqua de non alligando os bovi trituranti &c. Eodemque usi sunt ceteri Patres & posteriores Doctores.

Est autem juxta Theologos triplex, Allegoricus scilicet, qui respicit Christum & Ecclesiam militantem, adeoque res fidei: Anagogicus, qui respicit res alterius vitæ, nosque eò trahit seu sustollit, ut vox Græca significat: & Tropologicus, qui respicit mores, unde & sensus moralis dicitur. Quamvis sint etiam plurima Scripturæ loca, quæ ad litteram seu in sensu litterali agunt de Christo aut Ecclesia, de cælesti beatitudine, aut instruunt mores. Itaque sensus mysticus, si sit Allegoricus, credenda, si Tropologicus, agenda, si Anagogicus, speranda spectat. Inde sunt vulgati versus:

58. *Alius est Allegoricus, alius Anagogicus alius Tropologicus.*

*Littera gesta docet, quid credas Allegoria,*
*Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.*

Apud veteres tamen non semper sensus mysticos taliter inter se distinguunt, ut fusè ostendit noster *Saibouth in Opusculo de Scripturarum Sensibus* præfixo ejusdem Commentario in Jsaiam. Nam allegoriam aliquando extendunt ad omnem sensum mysticum, & tropologiam vocant, quam nos allegoriam, Theoriam verò, quam nos anagogiam; nos autem allegoriam, vocem de se generalem, restringimus ut suprà, defectu vocis propriæ. Hi quatuor sensus applicantur quatuor Doctoribus, Hieronymo litteralis, Ambrosio allegoricus, Gregorio tropologicus, Augustino anagogicus; in quibus singuli excelluisse videntur.

*Aliter interdum hæ voces reperiuntur usurpatæ apud Veteres.*

Præter hos sensus dari solet alius, qui dicitur accommodatitius. Quâ ratione manifestum est, Ecclesiam in divinis Officijs frequenter aliqua Scripturæ loca accommodare his vel illis Sanctis, v. g. illud *Eccli. 44.* dictum de Noè: *Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconcilia-*

59. *De sensu accommodatitio.*

tio ; item illud dictum ibidem de Abraham: *Non est inventus similis illi . . . . qui conservavit legem excelsi*, accommodat cuivis Confessori Pontifici. In quo etiam frequens & dulcis est *S. Bernardus*. Immo ipsa Scriptura quandoque alterius Scripturæ verbis utitur accommodando illa ad alium sensum ; sicut verba, quæ *Zachar.* 4. dicuntur de Jesu filio Josedech & Zorobabel, applicantur Enoch & Eliæ *Apoc.* 11: *Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra* &c. Verùm cùm Spiritus sanctus non intenderit significare id, ad quod locus Scripturæ accommodatur, fit, ut non sit propriè ipsius Scripturæ sensus.

60. *An & quomodo sensus mysticus valeat ad probandum.*

Mysticus sensus valet æquè ad probandum, dummodo constet Scripturam, de qua agitur, verè habere talem sensum, seu illum verè esse intentum à Spiritu sancto: cùm non magis mentiri is possit aliquid significando immediatè verbis, quàm mediantibus rebus. De sensu autem isto ex alijs Scripturis, novi præsertim Testamenti, Concilijs, Patrum consensu, constare potest. Interdum etiam vehementissima illius conjectura desumitur ex ipsa figuræ & rei postea exhibitæ proportione, ex qua frequenter sensus mysticos eruunt Doctores ac Interpretes Scripturæ. Quia tamen sensus litteralis est magis apertus & obvius, ac de mystico non facilè constat, an vel quis sit verè intentus à Spiritu sancto ; idcirco regulariter à solo sensu litterali firmiora ducuntur argumenta. Idque solum vult *Hieronymus l. 2. in Matth.*

61. *An idem Scripturæ locus interdum habeat plures sensus litterales.*

Petes, an idem Scripturæ locus possit habere plures sensus litterales ? Resp. Affirm. non quòd semper illos habeat, aut sine justa ratione asseri possit, quòd habeat, sed quòd interdum id contingat. Ita enim docet *D. Thomas* varijs locis, *Melchior Canus*, *Alphonsus à Castro*, *Bellarminus l. 3. cap. 3.* & alii passim. Idem indicant Patres, signanter *Augustinus l. 2. de Doctrina Christ. c. 27.* & *l. 12. Confess. c. 26.* & *l. 11. de civit. c. 19.* Ratio est : quia sic Deus facere potuit, assumendo verba, quæ diversa, verè tamen, ex mente ipsius Dei significent ; ad quod lingua Hebraica est maximè idonea, utpote in qua, una eademque vox scripta plures frequenter habet significationes: quòd autem de facto id fecerit, spectat ad profunditatem & fecunditatem divini eloquii, & commendationem infinitæ loquentis sapientiæ. Et sic illud *Isaiæ 53. Generationem ejus quis enarrabit*, aptissimè ad contextum & rei veritatem explicatur de æterna ( de qua multi Patres illud intelligunt ) ac simul de temporali ( de qua alii Patres illud explicant ) Christi in utero Matris generatione; ut explicat *Augustinus*, *Hieronymus*, *Cyrillus*, *apud A Lapide* in dictum locum idem sentientem. Similiter illud *Psal. 2. Ego hodie genui te*, diversos sensus litterales habet : ut videlicet sit sermo de generatione, tum divina, tum temporali seu incarnatione, sum etiam juxta Pluros conformiter ad ea quæ habentur *Act. 13.* & resuscitatione à mortuis, quæ est quædam nova nativitas seu regeneratio. Vide *A Lapide in c. 13. Actorum*, *Molina 1. p. q. 27. a. 1. d. 2.* & alios. Similiter illud *Gen. 1. in principio*, significat principium temporis, & simul principium divini operis, q. d. In principio quando cœpit mundus existere, ante omnia fecit Deus cælum & terram. Plura alia loca ex Hebraico textu, additâ differentiâ inter *Septuaginta* & *Hieronymi* versionem, Varij congerunt. Latum porrò adhuc discrimen erit inter dicta hujusmodi Dei, & ambigua dæmonum oracula: hæc enim dabantur ex intentione decipiendi per unum sensum falsum, artificiosè occultato altero sensu verò : at Deus non intendit decipere ingerendo aliquem sensum falsum, sed instruere per diversos sensus veros, quos cupit sciri ac studiosè indagari.

62. *An Scriptores sacri quemlibet sensum Scripturæ à se descriptæ cognoverint.*

Petes II. An Scriptores Hagiographi quemlibet sensum sacræ Scripturæ per eos descriptæ cognoverint, & intenderint? Ad quod respondetur, quòd cùm sensus verus ac legitimus sacræ Scripturæ pendeat à primario Auctore Spiritu sancto, fieri absolutè possit, ut Scriptor unum sensum, etiam falsum, intendente, Spiritus sanctus ipso inscio alium verum intendat. Quo modo Caiphas necessitatem mortis Christi prophetavit, *Joan. 11.* cogitans ipse sensum absonum & politicum, Spiritu sancto alium verum intendente. Similiter fieri posset, ut Scriptor esset instar meri amanuensis, non intelligens ea, quæ Spiritu sancto dictante scriberet, æqualis nihilominus futura auctoritatis. Credendum tamen omnino est, Spiritum sanctum simul inspirasse sensum eorum, quæ Scriptoribus Hagiographis scribenda dictavit, uti sanè facere potuit, & decuit, & Doctores supponunt. Idem exigebat ratio perfecta Scriptoris à Spiritu sancto impulsi, ut quæ scribat, intelligat. Neque enim aguntur à Spiritu sancto more arreptitiorum, qui non intelligunt, quæ malo spiritu movente linguam loquuntur, nec se cohibere possunt ( cujusmodi apud Gentiles erant vates deorum, & apud Montanistas prisca & Maximilla prophetissæ ) sed divinitus elevati, inspiratâque mysterii cognitione, libero voluntatis motu ea locuti sunt aut scripserunt. Unde etiam credibile est, eos fuisse conscios singulorum sensuum litteralium, si fortè plures eadem sententia haberet ; quamquam simpliciter sufficere potuisset unum bonum ab ijs accipi & intendi, ceteris eis occultatis. Verosimiliter tamen solùm confuse interdum in Scriptore fuit notitia illius quod significare intendebat. Pariter credibile est, sensus mysticos, præcipuis præsertim viris, puta Moysi, Isaiæ,

Isaiæ, Davidi &c. fuisse notos. Quamvis neque hoc sit necesse. Posito tamen, quòd sensus aliquis non fuerit Scribenti revelatus, debuit postea eidem vel alteri revelari, ut inde aliis innotesceret.

63. *Unde sensus litteralis sit colligendus.*

Si ulterius quæratur, unde sensus litteralis Scripturæ sit colligendus. Resp. Interdum unus locus Scripturæ obscurior explicatur per alium clariorem, in quo idem apertiùs dicitur, vel qui si videatur primâ fronte contrarius, indicat alterius obscurioris sensum esse alium, aut alterutri adhibendam aliquam limitationem vel distinctionem. Item ubi fidei articulus tangitur & locus est obscurior, ad Ecclesiæ traditionem seu declarationem, sive Concilia recurrendum est, in quibus verus ejusmodi Scripturarum sensus est declaratus. Insuper attendenda est Expositio Veterum; qui si inter se non conveniant, liberum est sequi sensum, qui ex plurib⁹ ab Ecclesia non rejectis cuique verosimilior videtur. Plurimùm etiam juvat Theologia Scholastica, ut sine erroris periculo in Scriptura sacra, uti & in Patrum scriptis, versemur; prout etiam difficultates potiores Scripturæ in Theologia discutiuntur. His accedit frequenter recursus ad textum Hebraicum & Græcum, aliasque Versiones. Juvant quoque ceteræ scientiæ naturales; sic tamen, ut ubi aliæ scientiæ, Philosophicæ v.g. Scripturæ adversari videntur, huic potiùs illæ sint adaptandæ, quàm contrà. Denique attendendus est maximè verborum & sententiarum antecedentium & cõsequentium congruentia & contextus, qui ad sensum genuinum eruendum ordinariè plurimùm utilis est. Etsi frequenter in Proverbiis & Ecclesiastico, ac nonnunquam in Prophetis ac Psalmis sint sententiæ à contextu independentes, vel subitaneus transitus ab una re ad aliam. In sensibus mysticis antecedentia & consequentia non sunt ita necessariò componenda: sed satis est, si sensus non sit contortus, aptèque quadret; eritque melior, quò magis in littera fundatus.

Pro meliori insuper intellectu Sacri textus solent Canones seu regulæ quædam generales assignari, quas frequenter præmittunt Interpretes suis Commentariis.

Posset denique hic agi de infallibili sacræ Scripturæ interprete, an & quis sit. Sed de hoc commodiùs infrà agetur.

## QUÆSTIO V.

### *De Traditionibus.*

64. *Varia acceptiones vocis Traditio.*

TRADITIO generatim sumitur pro doctrina ab uno alteri communicata: idque interdum, etsi doctrina ipsa sit perniciosa, legique Dei contraria; qualis erat traditio Pharizæorum redarguta à Christo *Matth.* 15. vel etsi sit inutilis, fidelibusque onerosa, qualis erat apud Nonnullos tempore *Augustini* de terra nudo pede per octavas non calcanda, de qua & similibus fert judicium *Epist.* 119. *c.* 19. Præterea nomen Traditionis tribuitur doctrinæ, tam scripto, quàm vivâ voce traditæ; prout *Act.* 6. lex per Moysen data exprimitur nomine traditionum. Et 2. *ad Thess.* 2. dicitur: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam.* Strictè tamen & ad sensum præsentis loci solet à Theologis sumi hoc nomen pro doctrina non scriptâ, sed vivâ voce traditâ, sive postmodum ab aliis scripta sit, sive non. Quod addo: nam ea quæ à Christo vel Apostolis Ecclesiæ fuerunt vivâ voce tradita, nec ab iisdem aut aliis Scriptoribus Hagiographis litteris mandata, sunt propriè traditiones, Verbumque Dei non scriptum, etsi postmodum ea litteris consignata sint à Patribus vel Conciliis. Quemadmodum consuetudines variorum locorum censentur jus non scriptum; etsi illæ ipsæ sint postea in aliquod scriptum redactæ.

*Ad sensum præsentis loci quid significet.*

65. *Alia est Divina,*

Traditio porrò hæc alia est Divina, quæ nimirum ab ore Christi profecta, & tamen sacræ Scripturæ inserta non est, neque ab Apostolis scripto consignata; qualis ex magna parte est doctrina de materiâ & forma Sacramentorum: alia Apostolica, quæ profecta est ab ipsis Apostolis, qui eâ Ecclesiæ, divino tamen instinctu, tradiderũt; prout ab iis traditi sunt varii ritus Sacramentorum, jejunium quadragesimæ, quatuor tempora, celebratio diei Dominicæ &c. Interdum tamen etiam hæ vocantur divinæ, quòd ex Dei inspiratione proveneriint; ut è contrà divinæ appellantur Apostolicæ, quòd per Apostolos sint Ecclesiæ cõmunicatæ. Utraq; etiam vocatur rectè Traditio Ecclesiæ; quia nimirum illa est traditionum præfatarum depositaria & custos, ac per eam ipsæ nobis innotescunt. Aliàs nonnumquam antiquæ consuetudines paulatim introductæ, Traditiones Ecclesiasticæ vocantur; quæ interdum sunt universales, interdum particulares, servatæ scilicet in locis quibusdam, & non in aliis. De quibus posterioribus regulam tradit *Augustinus Epist.* 118. *c.* 5. ut quisque se accommodet mori Ecclesiæ, in qua est. His præmissis

*Alia Apostolica,*

*Alia Ecclesiastica,*

*sive universalis, sive particularis.*

66. *Traditiones sunt necessariò admittendæ,*

Catholica veritas contra Novatores nostros indubitanter tradit, non solùm Verbum Dei scriptum, sed etiam nõ scriptum, sive Traditiones esse habendas pro regulâ fidei & religionis, ac pari veneratione recipiendas. Unde *Tridentina Synodus* (ut *iuxta Tridentinum & alia Concilia.* utar ejusdem verbis *sess.* 4.) *perspiciens veritatem fidei, & disciplinam morum, contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros, tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor; nec*

*non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo vel à Spiritu sancto dictatas, & continuâ successione in Ecclesiâ Catholicâ conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit & veneratur.* Definitioni Tridentini consonat *Synodus VII. act.7.* Et *Synodus VIII. act.10. can.1.*

67. *Probatur ex Scripturis.*

Probatur II. Eadem veritas ex ipsa Scriptura, quæ observationem Apostolicarum traditionum sedulò commendat. Nam Apostolus 2. *ad Thessal.2.* paucis memoriam refricans eorum, quæ Thessalonicensibus oretenus pleniùs dixerat de discessione seu apostasia & Antichristo eosdemque falsò persuasos de instanti die judicii admonens, quasi non satis acceptarum traditionum memores, dicit: *Non retinetis, quòd cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat, scitis* (ex oretenus dictis scilicet, ad quæ se refert) *ut reveletur in suo tempore.* Postea generaliter subdit: *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Ubi præclarè *Chrysostomus: Hinc* (inquit) *perspicuum est, Apostolos non omnia tradidisse per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque esse fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem fide dignam esse censemus.* TRADITIO EST, NIHIL QUÆRAS AMPLIÙS. Hæc ille. Quæ totidem ferè verbis repetit *Theophylactus ibidem.* Eumdem locum ad præsens institutum intelligunt passim alii Patres. Et 1. *ad Timoth.6. O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Et 2. *ad Timoth.1. Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti, in fide & dilectione in Christo Jesu: bonum depositum custodi.* Ubi Apostolus tam anxiè ingerit sollicitam custodiam depositi, id est, doctrinæ, præsertim quam ex ore Pauli Timotheus didicerat (non enim loquitur de volumine sacræ Scripturæ apud Timotheum depositò) & quam Paulus Timotheo crediderat, successoribus ulteriùs tradendam, prout depositum pecuniarium amico credi solet. De quo ibidem *cap.2.* ait: *Ea quæ audisti à me* (non dicit: quæ litteris consignata à me habes) *per multos testes, hæc commenda Fidelibus.* Hoc bono depositò carent Hæretici, non valentes ostendere doctrinam inde ab Apostolis per manus Successorum cõtinuatâ serie traditam. Denique 1. *ad Corinth.11. Laudo* (inquit Apostolus) *vos fratres; quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Ex quo loco (ut utar verbis *Theophylacti ibidem*) *perspicuum fit, quòd non pauca quæ litteris non mandaverunt, tradiderunt & ipse & reliqui Apostoli.*

68. *Ex Patribus.*

Probatur III. ex consensu Patrum apud *Bellarminum l.4. de Verbo Dei cap.7.* Pauca testimonia ultra præmissa nobis sufficiant. *Irenæus l.3. adversus Hæreses c.2: Cùm autem* (inquit) *ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, Hæreticos, adversantur Traditioni &c.* Et *c.3. Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in Ecclesiâ, adest perspicere omnibus, qui vera velint audire &c.* Et *c.4. Quæ sunt Ecclesiæ oportet cum summâ diligentia diligere & apprehendere veritatis Traditionem. Quid autem si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderùt iis, quibus committebant Ecclesias? Basilius l. de Spiritu sancto c.27. Dogmata, quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ scriptâ prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in mysterio, id est, in occulto, tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Nec his quisquam contradicit, quisquis saltè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica.* Quos pluribus prosequitur. Et *c.29. Arbitror Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus inhærere.* Quod deinde ex Apostolo probat. *Epiphanius Hæresi 61: Oportet autem & Traditione uti. Non enim omnia à divina Scriptura accipi possunt. Qua propter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione sancti Apostoli tradiderunt.* Quod deinde ex ipsa Scriptura probat. *Augustinus l.2. de Baptis. contra Donatistas c.7. Quam consuetudinem,* non rebaptizandi scilicet baptizatos ab hæreticis, *credo ex Apostolica Traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum; & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Et *l.4. c.24.* Quod *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Et *l.5. c.23. Sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Et *Epist.118. c.1.* Et *Serm. 14. de verbis Apostoli c.18.* & alibi.

69. *Ratio Theologica assignatur.*

Probatur IV. Ratione Theologicâ: quia non minùs credendum est verbo prolato, quàm scripto; cùm ipsum verbum non à consignatione litteris factâ, sed à divina veracitate suam auctoritatem habeat. Unde Apostolus 1. *ad Thessal.2.* ait: *Cùm accepisse tis à nobis verbum* (non scriptum, hactenus enim iis non scripserat, sed) *auditûs Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei.* Plurima porrò Christum & Apostolos solùm vivâ voce tradidisse, non tantùm ex præmissis manifestum est: sed etiam ex eo, quòd non fuerit propositum Apostolis aut Evangelistis omnia Christi dicta, vel credenda agendave scripto tradere, sed solùm hinc inde quædam scribere, prout occasionum occurrentia exigebat. Unde 1. *Cor.11.* occasione irreverentiæ quæ committebatur erga sacram synaxim, repetit doctrinam antea ore traditam dicens: *Ego enim accepi à Domino,*

*mino, quod & tradidi vobis &c.* Et *c.*15. alia Corinthiis ore tradita, ob quorumdam inconstantiam & defectum refricat (quod alioquin non fecisset) dicens: *Tradidi eam vobis, quod & accepi &c.* Quare nusquam (quod aliàs maximè opportunum fuisset) summarium omnium mysteriorum fidei veluti Catechismum scripserunt: etsi tandem nobis reliquerint symbolum vulgò Apostolorum dictum (quod tamen non est inter Scripturas Canonicas: & de quo nobis ex traditione constat) in quo pleraque saltem communiter ab omnibus credenda sunt expressa. Unde multis ante omnes Scripturas Evangelicas annis stetit Ecclesia & fides ac obligatio divina Christianorum. Immo *Irenæus l.3.c.*4. testatur suo adhuc tempore apud plerasque Gentes non fuisse Scripturam Evangeli, sed solam Traditionem Apostolorum vivâ voce factam. Ac dudum post tria Evangelia scripta, suum, rogantibus Asiæ Episcopis, Joannes scripsit, ac pleraque in aliis omissa supplevit, & ob exortas hæreses divinitatem Christi patentiùs ingeminavit, protestatus tamen *cap. ult.* neque se omnia litteris consignasse. Unde & Lucas *Act.* 1. signanter dixit se scripsisse, non quidem omnia, sed *de omnibus, quæ cœpit Jesus facere & docere.* Deinde subdit, quòd post resurrectionem suam fuerit Christus *per dies quadraginta apparens eis* (Apostolis) *& loquens de regno Dei*, sive de rebus Ecclesiæ institutionem concernentibus; è quibus pauca admodum sunt scripta, cùm tamen ea non pauca fuerint, sed multa, ad quæ nimirum Christus ante passionem suam respiciebat, dum diceret *Joan.16. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Immo *Marci* 4. dicitur, quòd *sine parabola non loquebatur eis*, turbis: *seorsim autem discipulis suis disserebat omnia.* Ipse denique Lucas Acta Apostolorum solùm perduxit usque ad biennium Romæ commorantis Pauli.

Cùm itaque par sit auctoritas verbi traditi & scripti, sit quoque verbum aliquod traditum, de eo denique sufficientissimè constet per Ecclesiam, per quam utique solùm nobis innotescit ipsum Verbum scriptum: quâ fronte Novatores universim Traditiones repellunt?

70. *Adferuntur efficaces instantiæ ad hominem contra Hæreticos.*

Probatur V. Efficacissimè variis & ad hominem instatiis. Nam cùm ipsis Hæreticis firma stet fides non credendi, nisi quod in sacris litteris expressum est; ubi in primis ille ipse fundamentalis articulus est satis expressus in Scriptura, nil scilicet esse credendum, nisi quod in Scriptura exprimitur? Cujus Scripturæ auctoritate convincitur libertinus quispiam negans omnem Scripturam divinam? Ex qua Scriptura convincitur *Marcionista* negans aliquas, *Ebionita* negans omnes Pauli Epistolas, veluti non divinas: item unus Hæreticus negans Evangelium Matthæi, alius negans illud Marci vel Lucæ, alius negans Evangelium Joannis, alius asserens varia ex Scripturis Apostolicis esse Apostolis falsò adscripta: alius asserens varia humano spiritu esse posita? Ex qua Scriptura ostenditur nullas Scripturas veteris Testamenti esse divinas (quod Novatores volunt) præter positas in Canone Hebræorum? Aut perfidos *Rabbinos, Lutheranos, Calvinistas*, aut similis farinæ homines meliùs assecutos esse mentem sancti Spiritûs, quàm *Hieronymum*; nec ullam in re errasse aut textum corrupisse? Ex qua Scriptura constat tantùm esse quatuor divina, eaque à Matthæo, Marco, Luca & Joanne conscripta Evangelia, ac quatuordecim Epistolas Pauli, alia autem quæ circumferuntur Evangelia, & Epistolam ad Laodicenses Paulo adscriptam esse fœtus adulterinos? præsertim cùm Epistola ad Laodicenses non solùm præferat, utì ceteræ, titulum Pauli; sed etiam pro hac aliquale sumi possit argumentum ex ejusdem *Epist. ad Coloss. c.* 4. ubi dicitur: *Et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.* Ex qua Scriptura conficitur, Apocalypsim esse Joannis Apostoli, Deoque inspirante conscriptam? Ex qua Scriptura constat hunc vel illum inter plures esse genuinum Scripturæ controversæ sensum; vel hanc potiùs Scripturam esse explicandam per aliam, quàm contrà? Ex qua Scriptura constat, observandam esse diem dominicam, festa Nativitatis, Ascensionis Domini &c. aut (quod veteranus Hæresiarcha *Helvidius* negavit) Deiparam esse semper Virginem? Plures alias hujusmodi quæstiones omitto, quas numquam ex ipsa sola Scriptura sine Traditione Hæretici sic dissolvêt, ut non tantùm negans Scripturas convincatur, sed etiam ut fidelis eis adhærens sine fluctuatione possit acquiescere, sine hæresi nequeat assensum detrectare. Quòd si ad satanicum spiritum privatum recurrant? jam saltem sola Scriptura non sufficiet, iste verò ementitus spiritus alibi refutatus est.

Catholicis autem ad omnes quæstiones fidei suæ, quæ in Scripturis non patenter exprimuntur, vel quæ ad ipsam Scripturarum auctoritatem pertinent, in promptu est responsio per verba *Chrysostomi Hom.*4. *in 2.ad Thessal. Traditio est, nihil quæras amplius.* Sine qua sanè tota moles & vis Scripturarum corruit, utpote de quibus non nisi per traditionem nobis constat; adeò ut tot Traditiones in hac una vastissima de veritate ipsius Scripturæ traditione contineantur, quot libros ipsa Scriptura, quot Capita quisque liber, quot sentêtias quodlibet Caput continet. Unde *Augustinum* in admissione utì Evangelii, sic & Actuum Apostolorum (idem est de quavis alia Scriptura) nil commovebat, nisi *Ecclesiæ Catholicæ auctoritas* seu traditio *l.cõtra Epist. Fundam.c.*5. Similiter *Origines* apud *Eusebium l.6.Histor.c.*18. dicebat se *ex Traditione didi-*

*cisse de quatuor Evangeliis, quia hæc sola absque ulla contradictione suscipi debent in omnibus, quæ sub cælo sunt, Ecclesiis Dei.* Denique (ut plures alios omittam) *hoc pro confirmando isto Canone* sacrorum Librorum *innotescat, quia à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda*; inquiebat *Concilium Carthaginense III. can.47.*

72. *Objectio I. ex Deuteronomio.* Objicitur illud *Deuteron.4. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ab eo.* ergo rejiciendæ sunt omnes Traditiones. *Resp.* Neg. Cons. quia verba illa dicuntur ad solos Judæos, & agunt de lege in Deuteronomio, seu Pentateucho contenta. Constat autem ei potuisse superaddi in primis legem novæ Christi, uti & Scripturas novi Testamenti: quid ni ergo similiter Traditiones Christi & Apostolorum superaddantur? Constat similiter fuisse superadditas postea plerasque Scripturas veteris Testamenti, additas quoque constitutiones factas per Davidem, & Festorum, de quibus in libris Judith, Esther, Machabæorum. Insuper non dicitur: *Non addetis ad verbum*, quod vobis scribo; sed, *quod vobis loquor*; ea autem quæ Christus & Apostoli ore docuerunt, sunt etiam verbū quod Deus loquitur. Juxta genuinum itaque sensum istius Scripturæ vetatur corruptio seu falsificatio legis Mosaicæ, & injungitur accurata illius observatio, ne fiat quod vetitum est, aut omittatur quod prohibitum est; secundùm id quod immediatè sequitur: *Custodite mandata Domini Dei vestri.* Cui simili sensu additur *Deuteron. 5. Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Specialiter autem illud *c. 12. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas*; vetatur, ne Judæi mutent substantialia cultûs divini, neque varient ceremonias in sacrificiis lege præscriptas, imitando ritus, superstitionesque Gentium, ut ex immediatè ibi præmissis est manifestum; ideoque signanter dicitur: *Hoc tantùm facito Domino.* Sanè ipsi Novatores non faciunt hoc Domino, quod Judæi vi legis: multò minùs hoc tantùm faciunt.

*Responsio.*

73. *Objectio II. ex Apostolo ad Gal. 1.* Objicitur II. Apostolus *ad Galat. 1.* dicit: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*, id est, maledictus & execrabilis sit. *Resp.* (ut prætereamquòd Apostolus non dicat, præterquam quod scripsimus, sed quod evangelizavimus scilicet ore) ly *Præter* ex mente Apostoli arguentis Galatas, quòd tam citò transferrentur in aliud Evangelium, seu contrariam veritati doctrinam, idem esse quod *contra*; prout usitatissimè hujusmodi propositio, tū Græcè, tum Latinè sumitur, & ab ipso Apostolo in simili materia *ad Rom. 16.* dicente: *Observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter*, id est contra (prout indubiè erant dissensiones & offendicula) *doctrinam, quam vos didicistis* (ab initio scilicet per prædicationem Petri & aliorum Evangelii ministrorum) *faciunt.* Alioquin quis dixerit, Angelum de cælo fore anathema, si novum mysterium hactenus occultum hominibus nomine Dei revelaret? Aut Joannem, eò quòd post hæc scripserit Evangelium & Apocalypsim? Aut denique ipsum Paulum, qui postmodum in hac ipsa Epistola, & aliis quædam diversa, sed non adversa docuit. Unde *non ait* (inquit *Augustinus Tract. 98. in Joannem*) *plus quàm accepistis sed, præter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipse præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quæ illorum fidei defuerunt. Theophylactus* ibidem dicit quidem damnari etiam, *si plusculum quidpiam adjecerint*; sed intellige (quod *Chrysostomus* expressè) quo quidvis, quantumvis minimum Evangelii labefactatur, etiamsi apertè ei contrarium non sit; quam nempe nequidem exiguum aliquid fidei repugnans adversariis credendum est; prout *Theophylactus* præmiserat.

*Responsio.*

74. *Object. III. ex Apostolo 2. ad Tim. 3.* Objicitur III. Apostolus *2. ad Timoth. 3.* dicit: *Omnis Scriptura ..... utilis est ad docendum* (scilicet res fidei) *ad arguendum* errores, ad *corripiendum* vitia & *ad erudiendum in justitia* & virtutibus; *ut perfectus sit homo Dei* seu Episcopus *ad omne opus bonum.* Resp. esse utilem, uti & verbum Dei non scriptum, sed sine hoc non sufficientem; utilem, inquam, ratione diversarum partium ad quatuor prædicta. Et quidem Apostolus specialiter agit ibi de Scriptura veteris Testamenti (quæ utique non est sufficiens) ad cujus lectionem hujusmodi Scripturæ encomio invitat Timotheum; de quo præmiserat: *Quia ab infantia sacras litteras nosti.* Tunc autem nōdum erat Scriptura novi Testamenti, immo quādo istam Epistolam Apostolus scripsit, pagina novi Testamenti nondum erat sacrorum librorum Canoni agglutinata, sed nec nisi ex parte solùm conscripta. Adde Scripturam dici posse sufficienter hominem instruere, atque adeò omnia sufficienter contineri in Scriptura, partim scilicet explicitè, partim implicitè, quatenus multa expressè continet, & quæ non continet, ostendit, unde sint petenda, puta ex Traditionibus, quas ipsa commendat.

*Responsio.*

75. *Objectio IV. ex Patribus.* Objicitur IV. Auctoritas Patrum, quorum loca proponit & dissolvit *Bellarminus l. 4 c. 11.* Verùm mens eorumdem Patrum ex aliis aut interdum iisdem locis est nimis aperta. Quod autem spectat ad loca quæ objiciuntur: partim Hæretici fraudulenter nonnulla in iis supprimunt vel addunt: partim nihil ipsa ad rem faciunt: partim Patres sectùm volunt, scripta esse ab Apostolis, quæ ipsi judicabant sufficere; supple, ut scriberentur & legerentur, quæve Christus legi voluit (quæ utique non sunt omnia credenda) prout *Augustinus l. 1. de consensu*

*Responsio.*

*consensu Evangelist. c. ult.* supplet: partim sufficienter contineri varia particularia dogmata, de quibus Patres tunc tractabant: partim sufficienter contineri mysteria fidei, quæ omnes scire debent; ut sunt ferè ea quæ continentur in Symbolo, & quædam Sacramenta magis necessaria, item decem præcepta; de quibus agit *Augustinus l. 2. de Doctrina Christ. c. 9.* & *l. 2. de peccat. merit. & remiss. c. ult.* partim non agunt de traditione universali: partim quid aliud ex contextu facilè colligendum insinuant.

*Observanda hic in Cypriano.*

Specialiter autem notandum, quòd, dum Hæretici objiciunt auctoritatem *Cypriani Epist. ad Pompejum*, ubi videtur in materia anabaptismi Hæreticorum rejicere traditionem, quam Stephanus Papa urgebat; ex hoc ipso (*Cypriani* de anabaptismo errore vim Traditionum agnoscere convincātur: cùm constet non obstantibus Scripturis à *Cypriano* allegatis, Ecclesiam Traditioni inhæsisse, & alium esse Scripturarum sensum declarasse. Ipse nihilominus *Cyprianus*, non tam Traditionum auctoritatem rejiciebat, quàm in præsenti verè non esse Apostolicam putabat; cùm alibi nimis apertè vim verarum Traditionum agnoscat. Nam *l. 1. Ep. 12.* aliàs 70. & *l. 2. Ep. 3.* aliàs 63. refert ac observari vult quædam ex Traditione accepta, ut quòd baptizatus ungatur, quòd calix in sacrificio debeat continere vinum aquâ mixtum.

76. *Objectio V. ex corruptela Traditionum.*

Objicitur V. Quòd propter oblivionem, ignorantiam & negligentiā humanam impossibile videatur traditiones, in sua præsertim puritate, conservare. Resp. id esse opus providentiæ Dei, summi Gubernatoris Ecclesiæ, quam statuit firmamentum & columnam immobilem veritatis. Itaque sicut doctrinam fidei per Traditionem cōservavit usque ad tempora legis scriptæ, & ex inde hanc ipsam legem scriptam cum additis Traditionibus usque ad tempus legis novæ, ac insuper Scripturam novi Testamenti usque modò conservavit, non obstantibus, quæ humanitus abesse non poterant, in tanto temporum spatio, adulterationibus divinitus impeditis: sic indubiè cōservare potuit, & servavit Traditiones, ex quibus ipsius Scripturæ puritas innotescere debet. Nam (ut verbis utar *Aug. l. 33. contra Faustum c. 6.*) *quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæmoniorum malitiâ atque fallaciâ subversus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta* (adde, vel ore ab ipsis tradita) *fideliter ad posteros trajicerent: cùm eorum Cathedras usque ad præsentes Episcopos certissimâ successione servaverint?* Præterea ad cōservationē Traditionum facit, partim quòd plures sint in quotidiano Ecclesiæ usu, v. g. ritus Sacramētorum &c: partim quòd nonnullas vetera monumenta, etsi muta, loquātur, v. g. antiquissimæ structuræ templorum & altarium, memoriæ martyrum, sacri fontes, imagines, cruces, & id genus alia: partim quòd in Patrum scriptis eædem reperiantur satis expressæ, qui occasione hæresum diligentiùs eas indagarunt, & posteris commendarunt, utì solent homines occasione litium diligentiùs custodire litteras, ceteraque instrumenta, quàm si in pace sine periculo litium degerent.

*Responsio.*

77. *Object. VI.*

Objicitur VI. Quòd nulla subesse ratio videatur, ob quam Apostoli non omnia conscripti essent. Confirmatur: quia Traditiones multis fuerunt occasio erroris: prout inde Papias teste *Eusebio* errorem Milenariorum hausit. Resp. non fuisse Apostolorum institutum Summam omnium credendorum vel agendorum scripto tradere, sed eos solùm pro exigentia occasionum nonnulla scripsisse, è quibus plura non erāt aliàs necessariò credenda, sed ideo nunc credi debent, quia scripta sunt: studio autem quædam non scripsisse, tum ob alias causas, tum ne ab Æthnicis deriderentur, aut à Vulgo vilipenderentur mysteria: *Quæ enim intueri fas non est non initiatis, quî conveniebat horum doctrinam publicitùs circumferri scripto?* inquit *Basilius l. de Spiritu sancto c. 27.* ubi quoque subdit: *Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.* Unde etiam Apostolus 2. *ad Timoth. 2.* de secretioribus mysteriis dixit: *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda Fidelibus*, non omnibus, sed, *qui idonei erunt & alios docere.* Et 1. *ad Cor. 3. Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.* Et Patres quoque ob hoc frequenter obscuriùs de quibusdam sacrosanctis mysteriis loquuntur. Estque eadem ratio, cur tam frequenter *Augustinus* tractans de Sacrificio vel Sacramento Eucharistico (quod noiebat patēre non initiatis fortè præsentibus) loquatur de re tamquam Fidelibus nota, cum aliqua circumlocutione, v. g. *Norunt Fideles, quid accipiant, Hom. 42. inter 50. c. 4.* Vide ipsum etiam *in Psal. 57. l. 10 de Civit. c. 6. Epist. 57.* & *Serm. 23. de diversis.* Quamvis etiam nonnulli Hæretici, veluti Catholicorum simiæ, quædam occulta suarum sectarum mysteria, seu veriùs scelera, abscondere nisi fuerint. Quod legitimis Traditionibus non magis obest, quàm obsit legitimis Scripturis, quòd Hæretici falsas interdum obtruserint, aut veras falsificaverint.

*Responsio. Cur Apostoli non omnia scripserint.*

78. *Scripturis qui abutantur Hæretici, olim etiam Traditionum osores.*

Præterea Traditionibus minùs possunt abuti Hæretici, qui aliàs Scripturis obscurioribus ad suos errores paliandos abuntur: nam omnes Hæretici de Scriptura divinitus inspirata sui colligūt erroris occasiones. Ut enim præclarè dixit *Vincentius Lyrinensis in Commonitorio c. 35. Utuntur planè*, Hæretici scilicet divinæ Scripturæ testimoniis, *& vehementer quidem. Nam videas*

*eos volare per singula quæque sanctæ legis volumina, per Moysi, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos: sive privatim, sive publicè: sive in sermonibus sive in libris: sive in conviviis, sive in plateis, nihil umquam pene de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur &c. Sed tanto magis cavendi & pertimescendi sunt, quanto occultius sub divinæ legis umbraculis latitant: sciunt enim fœtores suos nullis fere citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur, atque idcirco eos cælestis eloquii, velut quodam aromate aspergunt, ut ille qui humanum facilè despiceret errorem, divina non facilè contemnat oracula &c.* Unde tam veteres, quàm recentes Novatores ab Ecclesia rejecti Traditiones legitimas semper exhorruerunt & contemnere voluerunt (prout ostendit *Tannerus disp.* 1. *q.* 5. *dub.* 3. & alii) utpote ex quibus promptissimè & validissimè Novitates & hæreses omnes possunt confundi.

*Errorem millenariorum sumpsit Papias non ex verbo tradito, sed scripto.*

Ad Confirmationem Resp. *Papiam* hûc errorem sumpsisse ex Traditione scripta, scilicet ex Apocalypsi, sed malè intellecta: neque aliàs error oritur defectu Traditionis, sed defectu illam non rectè accipientis.

79.

*Object. VII.*

Objicitur VII. Quòd non possit satis constare nobis, quæ sint veræ Traditiones.

*Responsio.*

Resp. Satis constare posse de Traditione; & nisi de illa satis constet, non fieri nobis inde rem certam, uti neque certam facit locus Scripturæ, de cujus sensu foret fundata ambiguitas. Quando autem sequimur regulas subsequentes, nullum erit erroris periculum, sed citra dubitationem innotescere nobis poterit veritas Traditionis.

*Unde dignoscantur legitimæ Traditiones.*

*Regula prima.*

Primò, indubiè est divina Traditio de illo, quod cùm in Scriptura non sit satis expressum, Ecclesia tamen (quæ errare non potest) habet pro dogmate fidei, vel usu suo comprobavit, estque talo quod solus Deus possit constituere; v. g. legitimum esse baptismum parvulorum, illegitimum esse anabaptismum, aut iteratam Confirmationem vel ordinationem, dissolvi matrimonium ratum per professionem religiosam, esse potestatem dispensandi in votis & juramentis Ecclesiæ relictam &c.

*Regula secunda.*

Secundò, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum, rectissimè creditur*; ut ait *Augustinus l.* 4. *de Baptis. contra Donatist. c.* 24. Si enim inspiciendo acta Conciliorum, & scripta Veterum Patrum, aut decreta Pontificum, semperque ascendendo, altiorem jugiter originem sit invenire, in ipsos tandem Apostolos origo est referenda, si quidem res humanæ sit potestatis, v. g. celibatus Sacerdotum, Jejunium quadragesimale &c. aut in ipsum Christum, si sit potestatis divinæ, ut Baptismus parvulorum &c. Sic etiam ostenditur, Ordines sacerdotio inferiores pertinere ad Apostolicam sive divinam Traditionem, cùm singulorum semper inveniatur mentio apud anteriores, donec ad Apostolorum tempora perventum sit. Idem est de cultu imaginum, professione Monastica &c.

*Regula tertia.*

Tertiò, si quæ veritas in Scriptura non expressa tamquam dogma fidei constanter & concorditer seu sine contradictione à Patribus fuerit tradita, oppositumque tamquam hæresis refutatum, ab Apostolica provenit Traditione. Tale quid est perpetua Virginitas Deiparæ, esse quatuor Evangelia &c. Patres namque non cuderunt ex se nova fidei dogmata, sed ea, quæ Apostoli tradiderunt, própalant, & tamquam fideles depositarii custodiunt. Unde & in Conciliis generalibus contra succrescentes Novatorum hæreses ac profanas vocum & rerum novitates semper attenditur, quid traditum fuerit à Veteribus, qui fuerunt proximiores depositi Apostolici custodes.

*Regula quarta.*

Quartò, quod Patres & Doctores concorditer vel Concilia testantur ab Apostolis profluxisse, indubitatum est indicium, rem sic se habere, ac à nobis idem esse credendum. Sic imaginum cultum ab Apostolis esse traditum in *Synodo VII. act.* 6. Patres dixerunt. Sic Symbolum, quod vulgò Apostolorum dicitur, Ecclesiæ per Apostolos esse traditum, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Leo* & alii Patres testantur. Idem est, si in Ecclesiis, ubi adhuc illæsa est successio Episcoporum ab Apostolis, quidquam habeatur pro divina vel Apostolica traditione. Quia tamen successio dudum defecit in reliquis Ecclesiis Apostolicis, præterquam Romana, idcirco in iis nunc usum non habet hæc regula.

80.

*An Ecclesia possit mutare Traditiones.*

Petes, an sit penes Ecclesiam mutare Traditiones? Resp. indubiè ipsam non posse variare Traditiones divinas, sive mores, sive solam fidem concernentes. Sed neque Apostolicas, quà fidei doctrinam concernunt: quæ etiam recto sensu divinæ sunt, uti divinæ, seu immutabilis veritatis, non minùs, quàm quæ Christus ore proprio docendo tradidit. Traditiones autem Apostolicæ, quas Apostoli tamquam Ecclesiarum Præfecti auctoritate Apostolicâ instituerunt, quæque adeò se habent instar legum, v. g. de jejunio quadragesimali, & similibus, non sunt quidem sic mutabiles, quasi Ecclesia possit illas improbare tamquam malas aut non rectè positas: cùm fide certissimum sit, rectè & sanctè ejusmodi præcepta, etiam Spiritu sancto dirigente, esse tradita: possent tamen absolutè per Ecclesiam seu Pontifices (in quibus est quantùm ad hæc non minor potestas) mutari validè, uti leges Conciliorum seu Pontificum per posteriores Pontifices vel Concilia possunt causâ subsistente variari. Quemadmodum etiam præceptum Apostolicum in sacris

in sacris litteris expressum *Act.* 15. de abstinendo à sanguine & suffocato, cessante causâ desiit obligare. Non est tamen credendum, Deum fore permissurum, ut sanctissima instituta Apostolica, quorum materia & causa permanens est, per Ecclesiam abrogentur.

81. *Tradita & Scripta qualiter cũ accommoda proportione sint paris auctoritatis.*

Pro fine quæstionis & intellectu præmissorum, quòd scilicet paris sint venerationis & auctoritatis Tradita & Scripta, adverte, id esse cum proportione accommoda intelligendum. Nimirum, quia parem auctoritatem habent, quæ Christus docuit aut præcepit, sive scripta sint, sive non sint. Parem item habent auctoritatem, quæ Apostoli ad fidem spectantia docuerunt, sive scripto, sive vivâ voce sint tradita. Item ea, quæ potestate Apostolicâ, &, ut ita dicam, Ecclesiasticâ præceperunt, sive scripto, sive vivâ voce: Cùm non minùs debuerint Corinthii v. g. venerari & servare præcepta, quæ Apostolus in Epistolis ad eos directis proponit, quàm quæ ore proposuerat, de quibus 1. *ad Corinth.* 11. dixerat: *Et, sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Denique parem vim habent, quæ Ecclesia per leges scriptas sanxit, & quæ per consuetudinarias sive traditionem Ecclesiasticam. Quæ omnia satis clara sunt ex præmissis.

# DISPUTATIO QUINTA.

## *De Ecclesia; Conciliis & Symbolis.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid sit Ecclesia, & ex quibus Constet?*

1. *Ecclesiæ Etymologia & variæ acceptiones.*

ECCLESIA, Græcum nomen est, Latinè evocatio; sive quòd omnes ad se vocet, sive potiùs quòd quicumque in eam conveniũt, gratiâ divinâ vocati veniant. Unde Fideles frequenter ab Apostolo dicuntur *vocati*; *ad Rom.* 1. & 1. *ad Cor.* 1. Quamvis autem interdum in Scriptura nomen Ecclesiæ sumatur pro loco, in quo homines convocati convenire solent *Judith* 6. prout quoque phrasi Ecclesiasticâ Basilicæ seu publica Oratoria, Ecclesiæ appellantur. Ordinariè tamen in Scriptura sumitur pro ipso cœtu seu congregatione hominum evocatorum. Sic *Psal.* 149. dicitur: *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.* Et 2. *Paralip.* 7. est sermo de Ecclesia magna valde. Ubi etiam, utì ordinariè aliàs, & hoc loco semper, à Scriptoribus Ecclesiasticis ac Theologis sumitur in bonam partem, pro cœtu scilicet hominum evocatorum ad veram Dei fidem & cultum, veræque religionis societate divinitus evocato. Quamvis *Psal.* 25. idem nomen applicetur cœtui iniquorum, dum dicitur: *Odivi Ecclesiam malignantium.*

*Quæ sit propria hujus loci.*

2. *Alia antecedens, alia consequens adventum Christi.*

Ecclesia vera Dei, alia præcedit adventum seu legem Christi, alia sequitur. Ista complectebatur ante legem Moysi omnes in professione veræ fidei, & cultu unius Dei, ac in spe & tendẽtia ad eumdem finem convenientes; utì & sub lege Moysi generatim, tum contentos Synagogâ Judaicâ, tum eos qui extra illam inter Gẽtes Deum colebant, ex quibus fiebat una generalis Ecclesia Dei. Unde Synagoga, id est, congregatio Judæorum non erat Ecclesia Catholica seu universalis, sed particularis, distincta in signis & ceremoniis aliisque legibus ab Ecclesia Gentium. Ecclesia novi Testamenti, quæ Christi dicitur, est generali ratione similiter una cũ Ecclesia priori, sed eatenus diversa, quatenus habet aliam Sacramentorum communionem, novorum articulorum fidei professionem, sub diversæ rationis capite colligationem.

*Synagoga pars erat Ecclesiæ.*

*Ecclesia Christi quã sit una vel non una cũ veteri.*

Quæ quidem describitur in Catechismo *Canisii* esse *Omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite & Pastore in terris gubernatur.* Alii aliter describunt. Commoda & satis plena videtur hæc descriptio, *Ecclesia est cœtus hominum ejusdem fidei Christianæ professione, ac eorumdem Sacramentorum participatione sub regimine legitimorum pastorum ac præsertim unius in terris Christi Vicarii Romani Pontificis colligatus.* Dicitur que eadem Christi Ecclesia militans, in terra scilicet, sive cœtus fidelium viatorum; ac distinguitur contra Ecclesiam triumphantem, quæ constat agminibus Beatorum in cælis. Præter quas alia dicitur certans sub terris, scilicet in purgatorio, ubi pœnas sustinendo purgatur. Hæc eadem Ecclesia militans integratur, tum ex similibus particularibus Ecclesiis seu cœtibus in diversis locis ac diœcesibus (quæ etiam vocantur Ecclesia *ad Rom.* 16. 2. *Corinth.* 1. & alibi) tum ex subditis pariter & Pastoribus ac Prælatis, etsi specialiter interdum etiam accommodetur hoc nomen ipsis Ecclesiæ Prælatis *Matth.* 18. *Dic Ecclesiæ.*

3. *Quid sit Ecclesia Christi in terris militans.*

Circa secundam Quæstionis partem, certum in primis est Ecclesiam non constare solis & omnibus prædestinatis, quod voluerunt *Joannes Wiclef* & *Joannes Hus* damnati in Concilio Constantiensi; quibus consonat *Calvinus* apud *Bellarminum l.* 3. *de Ecclesia c.* 2. Neque solis in charitate perfectis, seu peccato carentibus, quod dixerunt *Pelagiani*

4. *Non soli prædestinati, perfecti aut justi in ea sunt, quia quid varii diversimodè erraverint.*

giani apud *Augustinum hæresi* 53. & quidam *Anabaptistæ:* neque solis justis, quod voluerunt *Donatistæ*; quibus consonant *Lutherani art.* 7. *Confessionis Augustanæ* Ecclesiam dicentes sanctorum seu justorum cōgregationem; etsi dum simul omnia opera hominis, etiam justi, asserunt esse mortalia, quamquam fide speciali præditis non imputata, reverā omnem hominem ab Ecclesia excludant.

5. *Sed etiam fideles reprobi, gravesq; & apertè peccatores.*

Constat igitur Ecclesia fidelibus, etiam reprobis, ac imperfectis, & gravibus peccatoribus, tum occultis, tum manifestis. Ita omnes Catholici. Et patet ex Parabolis Evangelicis. Nam *Matth.* 3. Ecclesia comparatur aræ habenti triticum, & paleas tandem comburendas igne inextinguibili; *Matth.* 13. Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium, bonorum & malorum, congreganti, è quibus mali postea sunt foras missi. Quâ parabolâ coacti sunt *Donatistæ* (teste *Augustino in Breviculo in Collat.* 3. *diei longè post initium*) qui Carthagine ad collationem inter 306. Episcopos Catholicos, & 279. seu potiùs pauciores (ut patet ex *Augustino sup. in Collat.* 1. *dies*) Episcopos Donatistas, habitam convenerant, admittere in Ecclesia esse bonos & malos, saltem occultos. Item *Matth.* 22. comparatur nuptiis, ad quas intraverant boni & mali, & carens veste nuptiali, id est, charitate, projicitur in tenebras exteriores. *Matth.* 25. comparatur decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ; & excluſæ à cœlestibus nuptiis. 2. *ad Timoth.* 2. magnæ domui, in qua omnis generis vasa, etiam quædam in contumeliam. Idem præfigurabat arca Noë, extra quam nulli salus, in qua erant tam munda, quàm immunda animalia; tam columba, quàm corvus. Etsi in eo sit inter Arcam & Ecclesiam dissimilitudo, quòd quotquot erant in arca sint salvati à diluvio; secus quàm de facto salventur omnes, qui sunt in Ecclesia.

*Probatur ex Parabolis Evangeliis.*

6. *Et aliis Scripturis.*

Accedit, quòd Apostolus 1. *ad Cor.* 5. velit tolli de medio fratrum seu corpore Ecclesiæ incestuosum, quem proinde expellit ab Ecclesia per excommunicationem, ut resipiscendo spiritus salvus fieret: erat ergo malus in Ecclesia, nec Paulus eum ejiciendo fecit è prædestinato reprobum, qui è contrà recepit eum postea correctum in gratiam. Præterea infideles & Hæretici de facto non sunt in Ecclesia; ut postea dicetur: ex illis tamen multi sunt prædestinati. E contrà verò omnes debitè baptizati fiunt unum corpus, & filii Christi 1. *ad Corinth.* 12. & *ad Galat.* 3. nec tamen omnes hi erant aut sunt justi aut prædestinati. Ulterius Christus *Matth.* 18. apertè supponit fore in Ecclesia sua correptione dignos, quos tunc demum vult haberi tamquam rejectos ac velut Ethnicos aut Publicanos, si Ecclesiam non audierint. Quin & ipse Christus in hujus rei signum admisit Judam in Collegium Apostolorum, qui etsi malus & reprobus, fuerat tamen aliquando juxta *Augustinum in Psal.* 3. filius Christi, postea instar Absolonis persecutus Patrem. Angelus quoque seu Episcopus Ecclesiæ Sardicensis nomen habebat quòd viveret, & tamen erat mortuus. In Ecclesia etiam Laodicensium erat Angelus seu Episcopus miser & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus. *Apocal.* 3. Denique Ecclesia ex solis justis & præsertim prædestinatis conflata non foret satis visibilis; qualem Scripturæ deprædicant Ecclesiam, prout postea ostendetur.

7. *Errores oppositi supponunt alios errores ex quibus oriuntur.*

Errores etiam præmissi supponunt alios errores, unde pullulant; videlicet solos prædestinatos habere potestatem in Ecclesia, ut *Wiclef* & *Hus* dicebant: Sacramenta à peccatoribus seu lapsis ministrata non valere, ut *Donatistæ* somniabant: posse hominem in hac vita perfectè vivere sine omni peccato, ut *Pelagiani* contra sacram Scripturam dicebant: solam fidem justificare, eam semel habitam non posse amitti, atque adeò esse in solis prædestinatis, ut nostri Novatores contendunt. Alioquin non est dubium, quin ex massa justorum, vel prædestinatorum posset quoque conflari unum aggregarum; quod si ita institui placuisset vocis significationem, dici potuisset Ecclesia: atque adeò eatenus censeri posset mixta hîc quæstio de nomine. Verùm modus iste loquendi est planè contrarius præsenti usui & institutioni, & supponit alios reales errores. Immo realis satis in hoc ipso quæstio est, an congregatio illa, quæ in sacris Scripturis & Patribus dicitur Ecclesia, & cui sunt promissæ seu datæ à Christo ejus fundatore tam singulares prærogativæ (de quibus postea) sit illa, quæ conflatur ex solis justis aut prædestinatis, aut alia, quam nos cùm ceteris Catholicis statuimus. Ut proinde non sit hæc quæstio tam leviter, veluti more nominalis, tractanda.

8. *Infideles prædestinati quo sensu sint Filii Dei, quo adeoque non.*

Objicitur I. Infideles actu, sed prædestinati, dicuntur Oves Christi *Joan.* 10. filii Dei *Joan.* 11. Immo Scriptura solos prædestinatos vocat oves, utique separandas ab hœdis in die judicii *Matth.* 25. At non prædestinati, etsi ad tempus justi, non sunt verè filii Dei aut discipuli Christi, etiam quando esse videbantur & ita vocabantur, ut expressè tradit *Augustinus lib. de Corrept. & grat. cap.* 9. allegans illud 1. *Joan.* 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Resp. Prædestinatos infideles esse & vocari Oves & filios Dei secundùm prædestinationem, non secundùm præsentem justitiam & fidem,

adeoque secundùm hanc, seu de facto non esse partes Ecclesiæ & Ovilis Christi, qui proinde ait *Ioan.* 10. *Et illas oportet me adducere &c.* Item dicitur *Ioan.* 11. Christus moriturus, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Unde *August. Tract.* 45. *in Ioan. Secundùm præscientiam & prædestinationem, quàm multæ oves foris*, id est, extra Ecclesiam; *quàm multi lupi intus*, seu in Ecclesia.

Secundùm præfatam verò distinctionem verum manet, tam illud *Rom.* 8. *Qui Spiritum Christi non habet* (quem non habet de facto infidelis prædestinatus) *non est ejus*; supple, vivum & fructuosum membrum, scilicet secundùm præsentem justitiam; quàm illud 2. *ad Timoth.* 2. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*, nempe secundùm electionem seu prædestinationem.

9. *Quo sensu nomen Ovium sit ei proprium, quo non.*

Falsum porrò est, in Scriptura solis electis tribui nomen ovium: nam aliquando generaliter hoc nomen sumitur etiam pro malis *Ioan.* 21. *Pasce oves meas. Psal.* 73. *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* Unde si pro solis electis aut sanctis hoc nomen sumatur, consequenter sunt in eodem ovili Christi non tantùm oves, sed & hœdi, in judicio ab invicem segregandi. Si autem generaliùs accipiatur, sunt quidem in Ecclesia solæ oves, sed tum sanæ, tum ægræ, tum pingues, tùm macilentæ, ut est apud *Ezechielem c.* 34.

*Iustus reprobus quo sensu non sit verè filius Dei juxta Augustinum.*

Quòd verò justos non prædestinatos *Augustinus* dicit non esse filios Dei; intellige, veritate permanentiæ seu finis, qui respectu filiationis est consecutio hereditatis; quamquam indubiè sint filii veritate essentiæ, quatenus scilicet verè justi sunt, & secundùm præsentem justitiam Deo tamquam filii accepti.

10. *Alius ejusdem loci exponitur.*

Simili sensu dixit *Augustinus in Psal.* 131. *circa med.* de non perseverantibus: *Non sunt ipsi Ecclesia*, quia scilicet non sunt illa pars Ecclesiæ, quæ cum Christo semper mansura est. Vide *Augustinum lib.* 7. *de Bapt. cap.* 51. & 52. In simili sensu verificari quoque posset illud ejusdem *Augustini lib.* 3. *de Doctr. Christ. c.* 32. dicentis: *Non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum.* Verumtamen quod ibi *Augustinus* agit est hoc. Reprehendit enim regulam secundam *Ticonii* de Ecclesia seu Domini corpore bipartito, quasi una sit electorum, alia reproborum contra priorem condistincta: eò quòd non sit verè corpus Christi continens solos reprobos: quia revera corpus Christi non est, quod simpliciter damnabitur, neque cum illo erit in æternum, scilicet secundùm potissima saltem membra; adeoque unum dumtaxat est corpus Christi seu Ecclesia, sed corpus permixtum, in quo non tantùm sunt boni & electi, sed etiam mali ac reprobi, qui cete-

ris sunt adhærentes sicut palcæ granis, membra morbida sanis, steriles palmites fructuosis; qui etsi aliquando resecentur, manet eadem vitis. Quare sicut statua eadem manens, paulatim additione vel detractione politur usque ad consummatam perfectionem: sic corpus Ecclesiæ idem manens (etsi diversitas quædam materialium partium interveniat) hîc formatur, additis aut interdum resectis quibusdam partibus, donec omnibus suis partibus sit perfectum, sicque secundùm partes perfectiores maneat in æternum.

11. *Quo sensu Ecclesia dicatur sancta, sine macula, tota pulchra.*

Objicitur II. Scriptura Ecclesiam vocat sanctam, sine macula, aut ruga, totam pulchram &c. ergo peccatores in ea non sunt. Resp. hæc epitheta in primis convenire Ecclesiæ militanti per Synecdochen, quatenus est talis in præcipuis suis membris, quæ sancta sunt & sine macula aut ruga gravis criminis. Item dicitur talis ratione capitis Christi, Sacramentorum & legum sanctissimarum: adeò ut quidquid per se ad ejus institutionem pertinet sanctum sit, per accidens autem sit, quòd in ea sint scelerati, eò quòd scilicet non vivant secundùm formam & institutiones Ecclesiæ. In ea denique sola reperitur vera sanctitas, non in aliis conventiculis. Aliqui insuper Patres cum *Hieronymo*, *Augustino l. contra Donatistas post Collat. c.* 7. & alibi sæpe, illud *ad Ephes.* 5. *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam*, referunt ad Ecclesiam triumphantem, seu ad tempus & statum Ecclesiæ tunc futurum. Illud autem *Cantic.* 4. *Tota pulchra es &c.* ad animam sanctam plures referunt. Alioquin in iisdem Canticis *c.* 1. dicitur: *Nigra sum, sed formosa.* quod *Augustinus l.* 3. *de Doctr. Christ. cap.* 32. dictum censet, *propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum & malorum.* Et *Cantic.* 2. dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quod* (inquit *Augustinus lib. de Unitat. Eccles. cap.* 14.) *de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit. . . . Unde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? Et easdem unde filias, nisi propter communionem Sacramentorum?*

12. *Exponitur locus Isaiæ 52.*

Objicitur III. *Isaia* 52. dicitur de Ecclesia Christi: *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus & immundus.* Et infrà: *Exite inde, pollutum nolite tangere.* Resp. Historicè seu litteraliter hæc verba respicere Judæos ex Captivitate Babylonica & à consortio Chaldæorum reversuros, ac prædici hujusmodi incircumcisos & immundos deinceps seu ad longum tempus non pertransituros aut vastaturos Jerusalem. Allegoricè autem significatur numquam delendam Ecclesiam (utì deleta funditus fuit terrena Jerusalem) sed

portas inferi non prævalituras adversus eam. Anagogicè autem id interpretatur *Augustinus in Breviculo Collat. 3. dies c. 9. & lib. post Collat. cap. 8.* de Ecclesia triumphante.

13. *Exponitur locus Apostoli 1. Cor. 10.*

Objicitur IV. illud Apostoli 1. *ad Cor.* 10. *Unus panis, unum corpus multi sumus*; panis autem non fit ex paleis, sed tritico. Respondet *Cyprianus l. 1. Ep. 6. alias* 76. ad Magnum similitudinem in hoc consistere, quòd sicut ex multis granis fit unus panis, ita ex multis hominibus una Ecclesia. Adde per unum panem ibi intelligi Eucharistiam, & per unum corpus, Christi corpus; esse autem fideles illum unum panem & unum corpus, quatenus & quotquot scilicet de illo uno dignè participant, adeoque effectum illius, qui est unitas seu unio charitatis, accipiunt.

14. *Quo sensu mali secundùm Patres non sint membra Christi.*

Objicitur V. Secundùm Patres mali non sunt membra Christi, sed potiùs diaboli. *Augustinus* quoque *l. 3. de Baptis. c. 18* & alibi docet solos sanctos esse illam Ecclesiam, quæ est fundata super petram, & cui datæ sunt claves regni cælorum. Resp. malos verè esse membra seu filios diaboli, tamen simul esse membra corporis Christi, etsi non connexa secundùm omnem juncturam, seu minùs perfecta, quia scilicet mortua sunt seu non viva, vitâ nimirum perfectâ charitatis: etsi alioquin vitam imperfectam fidei aut etiam spei habeant, credentes articulos revelatos, eosque ac Ecclesiæ unitatem & pacem contra perturbatores amore quodam fraternitatis defendentes, aut etiam bona æterna sperantes.

*Quo sensu Augustinus dixerit solos sanctos esse Ecclesiam, cui data claves.*

*Augustinus* autem in locis objectis non aliud vult, quàm gratias & privilegia Ecclesiæ concessa, propter solos Sanctos, id est, in utilitatem & commodum eorum, qui salutem consequuntur. Alioquin frequenter docet esse in Ecclesia etiam malos, ab iisque utiliter Sacramenta administrari, eosque ligare & solvere posse, iis denique bona præcipientibus esse obediendum. Plura vide apud *Bellarminum l. 3. de Eccles. militante c. 9. & 10.*

15. *Error Centuriatorum cum suo fundamento refertur & dissolvitur.*

Denique *Centuriatores Magdeburgenses Centur. 1. l. 1 c. 4. col. 171.* conantur ex Scriptura probare duas Ecclesias, unam bonorum, alteram malorum: eò quòd *Matth.* 5. justitia discipulorum distinguatur à justitia Scribarum & Pharisæorum & *Matth.* 6. justi distinguantur ab hypocritis, & *Matth.* 7. incedentes per viam angustam ab euntibus per viam latam. Resp. tamen Scripturam nusquam statuere duas tales Ecclesias, sed solùm significare diversas qualitates eorum qui sunt in una & eadem Ecclesia: sicut *Matth.* 13. distinguuntur boni & mali pisces, qui tamen omnes in eodem reti erant. Et sicut grana paleæque in uno acervo permixtæ constituunt, non duplicem, sed unum acervum utrisque constantem. Unde cùm *Donatistæ* calumniarentur Catholicos, quòd duas Ecclesias statuerent, unam bonorum, alteram malorum, hi responderunt (teste *Augustino in Breviculo Collat. 3.*) se id non somniasse, sed solùm se distinguere partes vel tempora Ecclesiæ.

16. *Infideles non sunt in Ecclesia.*

Nunc paucis ostendendum, quænam hominum genera sint extra Ecclesiam, seu ad eam tamquam partes illius non pertineant. Et in primis indubitatum est Infideles non baptizatos esse extra Ecclesiam. Patet à Apostolo, qui de iis 1. *ad Cor.* 5. dicit: *Quid enim mihi de iis quæ foris sunt* (scilicet ea, ut numquam Christo nomen dederint, neque Ecclesiam intraverint) *judicare?* Ideoque dicitur Baptismus janua Ecclesiæ; & *Florentinum in Instruct. Armenorum* dicit homines *fieri de corpore Ecclesiæ, cùm baptizantur*: quia videlicet tunc apponuntur ad populum Dei, propter quod *Act.* 2. de tribus circiter millibus baptizatis unâ die, dicitur quòd in die illa sint appositæ animæ illæ seu homines.

*Immo nec Catechumeni simpliciter loquendo; qui tamen sunt in ea secundùm quid.*

Unde consequenter juxta communem Doctorum sententiam contra nostrum *Alphonsum à Castro* Catechumeni non sunt propriè in Ecclesia, scilicet de facto, etsi sint in ea desiderio seu voto. Quod sufficit, ut salventur, dum susceptionem baptismi excludit necessitas. Et hâc ratione verum est, quod dixit *Concilium Lateranense* (& refertur c. *Firmiter, de summa Trinit.*) *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur*; scilicet si sit extra tam facto, quàm voto. In quo non est similitudo per omnia cum arca Noë. Est tamen Catechumenus in Ecclesia secundùm quid, quatenus unitur ejus capiti & membris per internum fidei & charitatis vinculum; etsi non per characterem baptismi, participationem Sacramentorum, & subjectionem ad caput visibile Ecclesiæ. Posset quoque generaliter loquendo spectare ad Ecclesiam Dei, quatenus ipsa generaliter est cœtus fidelium, adeoque continet etiam fideles non baptizatos. Quo non obstante Ecclesia Christi est universalis, quatenus secùs quàm vetus Synagoga adstringit fortissimè omnes, ut incorporentur Ecclesiæ Christi, adeò ut nullus, quin in ea sit saltem voto, salvari queat.

17. *Idem est de Hæreticis manifestis & Apostatis.*

Secundò Hæretici manifesti (idemque à fortiori est de Apostatis) indubiè secundùm quid pertinent ad Ecclesiam; quatenus ratione Characteris baptismalis subjiciuntur Ecclesiæ, ab eaque puniri possunt, quemadmodum miles transfuga potest ab Imperatore puniri, atque ut ad castra redeat, compelli. Simpliciter tamen loquendo juxta Doctores communissimè contra *Alphonsum à Castro* non sunt in Ecclesia: tollunt enim unitatem & unius fidei profes-

professionem, ac novas potiùs congregationes faciunt. *Quicumque* autem *unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia*, inquit *Augustinus l. de Unitat. Eccles. c.* 4. Quod sæpè ibidem repetit. Quare sicut transfugæ ad Castra hostilia non censentur membra exercitûs, sic neque Hæretici membra Ecclesiæ. Hinc in parabola de reti, quod præ multitudine piscium scindebatur, signantur Hæretici, qui Ecclesiam scindentes, foras prorumpunt. De quibus etiam intelligitur illud 1. *Joan.* 2. *Ex nobis prodierunt*, abscindendo se scilicet & foras erumpendo per apertam hæresim, *sed non erant ex nobis.* Quapropter dicuntur post conversionem ad Ecclesiam reverti. Dicuntur quidem *Matth.* 13. in eodem agro esse zizania permixta tritico; sed ipso Christo interprete per agrum intelligitur mundus, per zizania generaliter filii nequam; qui etiam in Ecclesia sunt permixti bonis. Et quamquam per filios nequam intelligerentur Hæretici, constat illos esse in eodem mundo permixtos bonis, etsi non sint in eadem Ecclesia. Deinde vera foret parabola, per zizania intelligendo generaliter impios, etsi per agrum Ecclesia intelligeretur per totum mundum dispersa, ideoque nomine mundi à Christo appellata, ut vult *Augustinus l. contra Donatist. post Collat. c.* 6. referens etiam *Cyprianum*; & ex illo 2. *ad Cor.* 5. *reconcilians sibi mundum*, deducens nomine mundi interdum intelligi Ecclesiam, cùm Deus in Christo sibi non reconciliet nisi Ecclesiam.

18. *Idem quoque est de Schismatico.* Tertiò idem est de merè Schismaticis juxta eosdem Doctores contra *Castro*: nam & hi tollunt unionem membrorum inter se & cum suo capite, quod repugnat unitati corporis, Sponsæ, ovilis Christi. Quare tam pro his, quàm pro hæreticis orat Ecclesia in die Parasceves: *Ut eos Deus ad Ecclesiam Catholicam revocare dignetur.* Idem de Schismaticis expressit Pelagius Papa *can. Pudenda* 24. *q.* 1. Et tam de his, quam de hæreticis tradunt Patres apud *Bellarminum sup. c.* 4. & 5. Nobis sufficiat illud *August. l. de Fide & Symbolo c.* 10: *Credimus & sanctam Ecclesiam, utique Catholicam; nam & Hæretici & Schismatici congregationes suas Ecclesias vocant. Sed hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; schismatici autem dissensionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum; nec Schismaticus, quoniam diligit* (nimirum Ecclesia) *proximum.* Unde Schismatici, etsi in fide non errarent (prout plerumque errant) propriè non sunt Catholici; cùm non sint partes Ecclesiæ Catholicæ, sed potiùs congregationem non Catholicam forment. Possent alioquin dici Catholici, hoc sensu, quòd fidem Ecclesiæ Catholicæ profiteantur.

19. *Item de Excommunicatis.* Denique justè excommunicati non sunt absolutè loquendo in Ecclesia juxta communissimam sententiam contra *Castro*: tum quia à *Concilio Arausicano* (& refertur c. *Canonica* 11. *q.* 3.) dicuntur *à gremio sanctæ Matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminati.* Utì etiam in *Pontificali Romano in Ordine Excommunicandi & Absolvendi* dicitur Excommunicato, dum absolvitur: *Reduco te in gremium S. Matris Ecclesiæ, & ad consortium & communionem totius Christianitatis, à quibus fueras per excommunicationis sententiam eliminatus.* Tum quia Christus *Matth.* 18. agens de excommunicato vult, ut habeatur *sicut Ethnicus & Publicanus*, adeoque ut abscissus ab Ecclesia & ejectus è numero fratrum, ut explicat *Chrysostomus* ibidem, *Augustin. Serm.* 16. *de Verbis Domini.* Et 1. *ad Corinth.* 5. Apostolus ait: *Tollatur de medio vestrum*, incestuosus scilicet per gladium excommunicationis. Quare eumdem Apostolus ibidem tradidit Satanæ, id est, excommunicavit, juxta Patres & *Augustinum*, qui refertur c. *Omnis Christianus* 11. *q.* 3. dicentem, quòd *omnis, qui excommunicatur, Satanæ traditur. Quo modo* scilicet *quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus.* Quamquam non tradatur hosti quasi damnandus, sed quasi corrigendus, adeòque per modum medicinæ. Tum quia excommunicatus segregatur à participatione Sacramentorum & suffragiorum ac societate fidelium; adeoque sicut ejectus in exilium, & jure civitatis privatus, non est civis, aut pars reipublicæ; sic neque excommunicatus. *communicatis justè.*

Manere nihilominùs potest excommunicatus in Ecclesia secundùm quid, tum ratione characteris baptismalis, tum ratione veræ fidei, ac subjectionis agnitæ ad legitimum caput, tum aliquando etiam ratione gratiæ & charitatis, si videlicet excommunicatus jam resipiscens, pœnitentiamque perfectam agens, necdum sit ab excommunicatione absolutus.

*Augustinus* autem *l. post Collat. c.* 20. dicens: *Neque à populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus*; intelligendus est (si tamen locus non sit corruptus, & legendum non sit; *Neque non separamus*, ut post *Lensæum*, non sine fundamento, inspiciendo contextum, suspicatur *Bellarminus l.* 3. *de Ecclesia c.* 6. etsi id non annotarint Correctores Lovanienses) de separatione perpetua sine spe salutis ac reditûs, q. d. Excommunicatos non separari tamquam perituros, sed ut postea humiliati firmiùs uniantur. *Exponitur locus Augustini.*

20. *An & qualiter Hæretici occulti censendi sint in Ecclesia, explicatur.* Restat solùm controversia, etsi ad vocem pertinens, de Hæreticis occultis, qui fidem exteriùs profitentur, & communione Sacramentorum veris fidelibus miscentur. Hi porrò indubiè sunt secundùm quèdam modum in Ecclesia, nempe secundùm exteriorem

teriorem & visibilem nexum: non sunt autem secundùm nexum interiorem, fidei videlicet. Quare non sunt perfectè in Ecclesia, sicut veri fideles; sed modo quodam imperfectiori ac velut analogicè sunt membra illius. Sicut membra arida necdum à corpore reliquo præcisa vulgò cẽsentur membra illius, cui adhuc externâ colligatione adhærent, retentâ quoque membri exteriori figurâ. Insuper hoc est peculiare occultis Hæreticis, quòd etiam valeant functiones externas alterius membri velut animati & fide internâ informati exercere, ipsaq; Ecclesia per ipsos eas exerceat, atq; adeò sic ei cõhæreant, ut possint & valeãt officia membri atque etiam capitis obire. In communi quoque loquendi modo maximè attenditur exterior unio seu visibile vinculum in assignandis membris Ecclesiæ; quæ utique corpus visibile est.

Unde sic loquuntur etiam Patres. *Gregorius* 13. *Moral.cap* 4. aliàs 5. de simulatis fidelibus dicit, quòd *sunt in ea*, Ecclesia, *multi, qui se fideles esse mentiuntur*. De iisdem quoque *Augustinus l. de Gestis cum Emerito sub init.* dicit, quòd sint *carne intus, foris spiritu*. Et *l. de Catechizandis rudibus c.* 17. de ficțis Christianis dicit: *Reprobi sunt, etsi ad tẽpus eos portat Ecclesia, sicut area quæ ad tempus ventilationis paleam sustinet*. Et *Tract.* 3. in illud 1. *Joan.* 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*, intelligit hunc locum de Hæreticis, qui cùm priùs, sive ficțè, sive veraciter fideles existerent, deinde apertè ex Ecclesia exeunt; & subdit: *Multi intus sunt, qui non exierunt, & tamen Antichristi* (id est, Hæretici aut Schismatici) *sunt*. Auctoritates autem in oppositum ferè possunt accipi de Hæreticis manifestis; ut proinde dicatur Ecclesia Fidelium, qui scilicet sunt tales, tum fide verâ, tum saltem ejusdem professione. Quo sensu etiam Nicolaus Papa *Can. Ecclesia d.* 1. Ecclesiam vocat Catholicorum collectionem. Jubet enim ne sine nutu Sedis Apostolicæ fiant Ecclesiæ, id est, ut ipse exponit, Catholicorum collectiones. Quod patet referri ad eos, qui fidem Catholicorum profitentur.

21. Fatendum tamen *Augustinum* nonnunquam favere alteri modo loquendi, dum de hujusmodi dicit, non tam quòd in Ecclesia sint, quàm quòd in ea esse videantur; ut *l.* 3. *de Bapt. c.* 19. & *q.* 11. *in Matth.* Immo jam præcisos esse, antequam visibiliter excommunicentur, tradit *l. de Unitat. Eccles. c.* 25. Ut proinde appareat arbitrarium hoc vel illo modo loqui; & constet, non esse dicendos simpliciter in Ecclesia, si ad talem locutionem etiam unio interior requireretur. Quod ad quæstionem de mera voce spectat & ab aliis negatur; qui ad *Augustinum* responderent, cum locis postremò allegatis sic loqui, eò quòd tales infideles sint membra arida, & radicaliter jam præcisa, ac vitaliter non juncta; quamquam adhuc sint partes secundùm externam unionem agglutinatæ.

*Arbitrarium est hoc vel oppositio modo loqui.*

## QUÆSTIO II.

### *De Indefectibilitate Ecclesiæ.*

22. SUPPONO primum Ecclesiæ hominum lapsorum, in terra per fidem & merita unius mediatoris militãtis, initium esse desumendum ab Adam & Heva pœnitentibus Deoque reconciliatis. Quamvis enim Patres (ut *Augustinus Serm.* 29. *in Psal.* 118. & *Præfat. in Psal.* 42. cui consonat *Gregorius Homil.* 19 *in Evang.*) interdum significẽt, quòd Ecclesia initium habeat ab ipso Abel. Id tamen intelligendum est, quatenus ipse est primus veluti fructus, seu primitiæ (ut loquitur *Augustinus Serm.* 29. *in Ps.* 118. *in fine*) primusque in gratia defunctus. Quamvis etiam *Gen.* 4. de Enos dicatur: *Iste cœpit invocare nomen Domini*; id tamen intelligitur hoc sensu, quòd iste fuerit auctor, ut frequentiùs, solemniùs, certisque ritibus ac temporibus congregationes sive cœtus fierent ad orandum, sacrificãdum, colendumque Deum; etsi constet Abel antea obtulisse sacrificium Deo acceptum, idemque existimandum sit de Adam & Seth.

*Ecclesia initium ab Adam & Heva.*

*Quo sensu ab Abel.*

*Vel ab Enos.*

23. Hoc suppositio constat in primis Ecclesiam Dei, ex quo primitus cœpit, non defecisse usque ad tempora Moysi. Nam omnino credendum est Adam per Seth, Enos, Henoch, Lamech patrem Noë & similes posteros Seth fuisse veros Dei cultores, atque adeò filios Dei usque ad Noë & tempus diluvii: etsi paulatim depravata esset terra per libidinem similiaque vitia; & juxta Varios conjecturis innixos, signanter *Torniellum ad annum mundi* 236. & *A Lapide in c.* 14. *Sapientiæ* (qui asserit esse expressam sententiam *Tertulliani l. de Idololatria*) etiam per idololatriam, præsertim quoad posteros Cain; quod tamen in Historia sacra non est expressum, & ab aliis negatur. Noë verò & Sem posteros suos (etsi plures defecerint) similiter fidem & cultum veri Dei docuerunt, ipsique usque ad tempora Abrahæ vixerunt, immo Sem eidem supervixit. Eo autem tempore erat & Melchisedech (si tamen sit alius à Sem, prout verior est opinio) cum suis, Loth cum suis Dei cultor. Utì etiam postea non defuerunt Job & similes extra filios Israël aut Synagogam Judæorum. Itaque in posteritate Abrahæ & aliis Ecclesia perseveravit usque ad tempus Moysi, ad cujus ferè nativitatem vixit Levi filius Israël. Ipsos quoque parentes Moysi fuisse fideles, & ex fide occultasse filium patet ex *Hebr.* 11. Similiter & alii Israëlitæ oppressi, ex fide clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur.

*Ex quo cœpit non defecit in primis usque ad Moysen.*

24. A tempore autem Moysi constat viguisse fidem & cultum Dei in populo Israël, saltem

*Et exinde perseverat.*

vit in Israelitu plurimis.

saltem quoad magnam partem. Quod enim obijci posset, defeciſſe omnes ad idololatriâ, dum in deſerto Aaron necdum Pontifex propoſuit adorandum vitulum *Exodi* 32. id planè falſum eſt: non enim defecerat ipſe Moyſes, & qui cum eo erat Joſue; immo & multi, ſignanter omnes Levitæ, qui Moyſi dicenti, *Si quis eſt Domini jungatur mihi*, ſeſe jungentes, idololatras occiderunt, laudati à Domino *Deuteron.* 33. *Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt.*

Etiam tempore adorationis vituli.

Et ſub Helia,

Ad tempus Heliæ, conquerentis ſe ſolùm eſſe relictum, quod attinet, nimis manifeſtè fulgebat Eccleſia tunc ſub regibus Juda Aſa & Joſaphat; ut ex Scriptura liquet. Sed nec ſub regibus Iſraël deerant ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ſua ante Baal, 3. *Reg.* 19. Idem eſt de aliis temporibus perſecutionis Synagogæ, præſertim ſub Antiocho, quando ſic eluxit fides & virtus Machabæorum & aliorum qui ſe illis junxerant.

Ac Antiocho.

25. Immo nec defecit tempore paſſionis Chriſti.

Tempore denique paſſionis Chriſti indubiè Synagoga Jeroſolymitana diſſolutioni proxima, ſeu Pontifices graviſſimè erraverunt; nec tamen propterea defecit Eccleſia: Nam (ut omittam cultores veri Dei non Judæos) multi per totum orbem diſperſi Judæi, nec actorum contra Chriſtum, neque doctrinæ Chriſtianæ conſcii, in vera fide perſeverabant: multi etiam in ipſa Judæa non fuerant conſcii necis Chriſti; multi quoque conſcii, ſed non conſentientes, ſignanter Joſeph ab Arimathia, Nicodemus & Centurio cum iis, qui timentes dixerũt: *Verè filius Dei erat iſte*, & iis tum viris, tum Mariâ Magdalenæ, Jacobi & Salome, ceteriſque mulieribus, de quibus *Lucæ* 23. dicitur: *Stabant autem omnes noti ejus à longe, & mulieres quæ ſecutæ eũ erant à Galilæa.* Idemque eſt de Joanne Evãgeliſta, Matre Chriſti, aliiſque Apoſtolis & Diſcipulis: adeò ut ne Petrus quidem, oretenus negans Chriſtum, adeoque contra fidei confeſſionem peccans, intus fidem per infidelitatem amiſerit: quia *nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat*, ut ait *Auguſtinus l. contra Mendacium c.* 6. Fidem inſuper, ſi tamſi amiſſa fuiſſet, mox pœnitens recuperaſſet, quam ſtabiliter dein etiam tempore paſſionis & mortis Chriſti ſervavit. Unde unicus cereus, qui triduo hebdomadæ ſanctæ in fine Officii Matutinarum manet accenſus, nõ ſignificat fidem iſto triduo ſtetiſſe in ſola B. Virgine (prout illam ſtetiſſe vult Auctor Tractatus *Bernardo* non digni *de Lament. Virginis Mariæ*, inter opera ejuſdem, contra ipſum *Bernardum Serm. 1. de Paſchate* aſſerentem tunc aliquos manſiſſe juſtos, adeoque fideles) ſed Chriſtum, qui omnibus Prophetis extinctis ſemper luxit, & triduo abſconſus, etiã manſit cum luce divinitatis. Vel certè juxta *Abulenſem q.* 14. *Prolog. in Matth.* ſignificat B Virginem, quòd in ea ſola manſerit (ut piè creditur) fides explicita reſurrectionis. Immo *Rupertus l.* 5. *de Divin. Offic. c.* 26 teſtatur ultimam candelam ſuo tempore etiam conſueviſſe extingui. Idemque *c.* 28. refert, illis tribus noctibus poſtea iterum ex lapide novum ignem accendi ſolitum eſſe: idque in ſignum, quòd luminibus Prophetarum ſucceſſivè per Judæos extinctis ac ſuppreſſis, cum generatione tenebrarum ſpiritualium in ſemetipſis, tandem occidendo Chriſtum, denſiſſimas ſibi tenebras pepererint, novo dein lumine in mentibus noſtris orto per lapidem Chriſtum à Judæis percuſſum.

An fides tunc manſerit in Apoſtolis, etiã Petro.

Quid ſignificet ultimus Cereus qui in Triduo hebdomadæ ſanctæ manet accenſus.

Tempore Ruperti extinguebatur, & cur.

Conſtat II. Eccleſiam novi Teſtamenti (quæ cœpit à prædicatione Chriſti, ac diſcipulorum aggregatione pedetẽtim crevit, poſt paſſionem ante aſcenſionem perfecta eſt, in feſto Pentecoſtes veluti promulgata, ac ſucceſſivè per omnes nationes ac totum mundum diffuſa eſt) non defeciſſe ex inde, neque defecturam uſque in finem ſæculi. Eſt de fide contra Novatores noſtros, qui etſi interdum nominetenus aſſerant Eccleſiam non poſſe deficere, alibi tamen inculcant Eccleſiam Catholicam viſibilem, quæ ſola eſt vera Chriſti Eccleſia, per multa ſæcula defeciſſe.

26. Eccleſiæ Chriſti initium & perfectio.

Indefectibilis eſt uſque ad finem mundi.

Probatur apertè ex Scriptura *Pſ.* 47. ubi de viſibili & uſque ad fines terræ ſe extendente civitate Dei noſtri prædicitur: *Deus fundavit eam in æternum.* Unde *Auguſtinus in Pſal.* 47. cùm ſibi objeciſſet: *Sed fortè iſta civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur.* Reſpondet: *Abſit. Deus fundavit eam in æternum. Si ergo Deus fundavit eam in æternum, quid times, ne cadat firmamentum? Pſal.* 88. *Ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cæli.* Et infrà: *Thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum. Iſaiæ* 61. *Et fœdus perpetuum feriam eis: & ſcient in Gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoſcent illos*, ſeu meritò cognoſcere poterunt & debebunt, *quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. Daniel* 2. Eccleſia ſeu regimẽ Chriſti præſignatur per lapidem, qui *abſciſſus eſt de monte ſine manibus, & factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* De quo ſubditur: *Suſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur &c. Oſeæ* 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum.*

27. Patet ex Scripturis tum veteris.

*Lucæ* 1. Dixit Angelus: *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*; idque cõformiter ad ea, quæ *Iſaias* prænuntiaverat *c.* 9. *Super ſolium David & ſuper regnum ejus ſedebit, at confirmet illud & corroboret in judicio & juſtitia, amodo & uſque in ſempiternum.*

28. Tum novi Teſtamenti.

*Matth.* 16. de Eccleſia ſupra fundamentum viſibile & per viſibilem vocationem ædificandâ dicit Chriſtus: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Unde *Auguſtinus l.* 1. *de Symbolo c.* 6. *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia*

*clesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincent eam.* Nimirum quia (ut ait inter alia *Leo Magnus Serm. 2. die Anniversar. suæ Assumptionis*) *tantâ divinitus solidatate munita est, ut eam nec hæretica umquàm corrumpere pravitas, nec pagana potuerint superare perfidia.*

Et *Math. ult.* Apostolos & Successores, quos Ecclesiæ rectores instituit, & ad prædicandum & baptizandum omnes Gentes mittit, confirmat dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Unde *Augustinus Conc. 2. in ps. 101.* inducit Ecclesiam sic loquentem: *Quam diu ero in hoc sæculo? Annuntia mihi propter eos qui dicunt: Fuit & jam non est?* (Isti erant *Donatistæ*, quorum vociferationes interrogando ac replicando præmiserat: *Illa Ecclesia quæ fuit omnium Gentium, jam non est? Periit? Hoc dicunt, qui in illa non sunt*) *Annunciavit; nec vacua fuit vox ista: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Et *ad Ephes. 4.* docet Apostolus mansura, ad jugē corporis Christi, usque ad finem sæculi, ædificationem, ministeria Pastorum & Doctorum.

25. *Item ex parabolis Evangelicis.* Præterea idem conficitur ex parabolis Evangelicis, de area continente paleas & triticum, quæ permundanda significatur in die judicii. *Matth. 3.* De agro continente triticum & zizania, quæ crescent usque ad messem, id est, consummationem sæculi, ut exponit ipse Christus *Matth. 13.* De sagena trahente bonos & malos pisces, quorum discriminatio fiet in consummatione sæculi, item *Matth. 13.* De ovili continente oves & hœdos ab invicem separandos in die judicii *Matth. 25.*

30. *Et Patrum testimoniis,* Accedunt Testimonia patrum. Ultra jam allegata & ab aliis collecta, sufficiat nobis illud *Chrysostomi Hom. 4. in Isaiam* Sanè *jactatur quidem navis* Ecclesiæ, *at non mergitur... A quam multis oppugnata est Ecclesia, nec unquam tamen victa.* Quod pluribus eleganter prosequitur, & rationem subdit: *Nam Ecclesia radices in cælo fixas habet, potiùs quàm in terra &c.*

*Denique ab Posteriori.* Denique idem confirmatur à posteriori ex tot persecutionibus & pressuris, quas hactenus ab Infidelibus, Hæreticis & impiis Ecclesia sustinuit, semper invicta. Unde *Augustinus Epist. 48. post med.* rectè dixit: *Ipsa est, quæ aliquando obscuratur, & tamquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum, ut sagittent in obscura luna rectos corde. Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet.*

31. Dices I. juxta *Hieronymum Dialog. contra Luciferianos, Orbis terrarum ingemuit, & se Arianum esse miratus est,* quando videlicet in Concilio Generali Ariminensi abolitum est nomen *Homousion* seu consubstantialitatis, & *Ursacius* ac *Valens* cum ceteris *Arianis* in communionem recepti sunt: ergo Ecclesia aliquando defecit. Resp. Neg. Cons. nam *Hieronymus* ita loquitur, non quòd tunc verè Orbis terrarum fuerit Arianus, sed quia plerique Episcopi Catholici ex orbe terrarum congregati Arimini, postquam fide Catholicâ stabilitâ & *Arianis* damnatis Concilium legitimum dudum fuerat absolutum & dissolutum minis & metu Imperatoris licentiam abeundi negantis adacti, & moræ tædio evicti, imprudenter passi sunt filentio sepeliri nomen consubstantialitatis, *parum curantes de vocabulo, dum sensus esset in tuto*, ut *Hieronymus* loquitur, deceptique obscuritate vocis Græcæ fraudulentam *Ursacii* & *Valentis* Confessionem (quam sensu recto Catholici accipiebant, uti perverso *Ariani*) admiserunt, atque eos in communionem receperunt. Unde ob impostaram *Arianorum*, triumphum postea canentium, ingemuit Orbis sive illa Episcoporū multitudo, idemque mirati sunt, quod (ut loquitur *Hieronymus*) *sine conscientia hæretici ferebantur.* Quare factum istud fuit Conciliabuli illegitimi ac reprobati, non autem Concilii legitimi Ariminensis; adeoque non magis obstat indefectibilitati Ecclesiæ (quæ isto tempore in Galliis & alibi maximè florebat) quàm error cujusvis alterius conciliabuli generalis. *Quo sensu Orbis se esse Arianum miratus est.*

32. Dices II. Tempore Antichristi videtur Ecclesia defectura, sic saltem ut non appareat. Nam *Lucæ 18.* dicitur: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Et *2. ad Thessal. 2. Nisi venerit discessio primùm* &c. id est, generalis apostasia à fide tempore Antichristi, qui ibi dicitur *homo peccati.* Cujus etiam tempore, ut prædicitur *Dan. 12. auferetur juge sacrificium,* Eucharisticum videlicet. Quare *Augustinus Ep. 80.* cùm allegasset illud *Matth. 24. Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo;* addit: *Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum sævientibus.*

*Tempore Antichristi perseverabit Ecclesia visibilis.* Respondeo: *Etiam tunc Ecclesia in suis firmissimis eminebit*, ut utar verbis *Augustini Ep. 48.* Nam, ut idem in particulari de sævissima Antichristi persecutione loquens *20. de Civit. cap. 8.* inter alia dicit, *Id potiùs est credendum, nec qui cadant de Ecclesia, nec qui accedant ad Ecclesiam illo tempore defuturos: sed profectò tam fortes erunt, & parentes pro baptizandis parvulis suis, & hi qui tunc primitus crediturí sunt, ut illum fortem vincant etiam non ligatum.* Quamvis non apparebit tunc in suo exteriori splendore, quem modò habet tempore pacis, & publici ac magnifici cultûs in Basilicis &c.

idque

idque in locis præsertim Anti-Christo ejusque assecl is vicinioribus. Quod solùm vult *Augustinus Epist.* 80. Alioquin sanè (ut loquitur *Chrysostomus Hom. 4. in Isaiam*) *facilius est extingui solem, quàm Ecclesiam obscurari*; sic scilicet ut non retineat claritatem, sitam in professione sincera fidei, servandisque Christi Sacramentis & institutis, etiam non obstante acerbissimâ persecutione, quæ utique locum non haberet, si vel non restarent persequendi, vel nullatenus apparerent.

33. *Quædam loca Scripturæ explicantur.*

Ad verba *Lucæ* 18. dico ijs solùm significari, quòd abundante tunc iniquitate, fides, præsertim eminens, erit non ita multorum. In *Epist. ad Thessal.* intelligitur, sive discessio à Romano imperio, sive discessio à fide & obedientia Romanæ Ecclesiæ, valde quidem generalis, non tamen omnino universalis, neque omnium & singulorum, quin scilicet multis locis & regionibus adhuc invenientur, qui in fide perseverent. In Daniele *c.* 12. dicitur auferendum, quantùm scilicet est ex parte Anti-Christi, adeoque omnino interdicendum usũ Sacrificii Eucharistici; quod tamen non habebit ubique effectum, quin plerisque in locis adhùc jugiter offerretur, sive publicè, sive saltem occultè, utì tempore gentilitatis, & hodie in locis Belgii, in quibus nostri Novatores rerum potiuntur. Nam hujus Sacrificii oblatione dixit Apostolus 1. *ad Cor.* 11. mortem Domini annuntiandam, donec veniat ad judicium.

## QUÆSTIO III.

### *De Visibilitate Ecclesiæ.*

34. *Vera Ecclesia est visibilis, & qua ratione.*

DICO: Vera Christi Ecclesia est ita visibilis, ut à prudenti rerum æstimatore ex signis indubitatis, dignosci queat omni tempore, quisnam visibilis cœtus sit vera Ecclesia. Nimirum quia etsi interior Ecclesiæ forma per se non cadat sub sensum, ipsa tamen se prodit secundùm faciem velut exteriorem & quædam lineamenta, ex quibus intellectus meritò judicat in tali materiali cœtu hominũ reperiri Ecclesiam Christi. Sicut homines & bestiæ dicuntur visibiles, etsi interior forma oculis non conspiciatur. Unde Ecclesia ipsa ideo visibilis dicitur, quia oculis notari potest illa hominum societas, de qua propter singulares ejus & perspicuas notas credere meritò & infallibiliter debemus, quòd sit Ecclesia Christi. Ut proinde aliud per se videamus, scilicet materialem hominum cœtum, & signa quædam illius, aliud credamus, scilicet ipsum esse Ecclesiam & sponsam Christi. Conclusio est de fide contra nostros Novatores, qui veram Christi Ecclesiam fingunt invisibilem, ne si externã & visibilem eamque indefectibilem admittant, consequenter cogantur ostendere proximos suos antecessores, quo nunc rediculè planè se excusare nituntur, dicentes, semper quidem aliquos veros Evangelicos suæq; sectæ fuisse, sed occultos latuisse, soli Deo cognitos.

35. *Visibilitas Ecclesiæ probatur ex Scripturis veteris Testamenti.*

Est autem Conclusio manifesta ex Scripturis, quæ dum agunt de vera Christi Ecclesia, jugiter inculcant eam esse manifestam & visibilem. *Matth.* 5. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Ad quem locum *Augustinus l.* 2, *contra Cresc on. c.* 36. *Extat* (inquit) *Ecclesia cunctis clara atque conspicua: quippe civitas, quæ abscondi non potest, super montem constituta.* Et *lib.* 13. *contra Faustum c.* 13. quærit: *quem montem, nisi eum qui secundùm prophetiam Danielis ex parvulo lapide crevit, & factus est mons magnus, ita ut impleret universam terram?* Et *Tract.* 2. *in Epist.* 1. *Joan, Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident, qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt? Isaiæ* 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Cap.* 33. *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ, oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri potest. Isaiæ* 60. & 61. quo postremo loco (quem allegavimus *n.* 27.) etiam fatetur Calvinus prædici Ecclesiam fore conspicuam cunctis Gentibus. *Ezech.* 37. *Michææ* 4.

36. *Item ex Novo Testamento.*

De Ecclesia quoque visibili agunt Scripturæ novi Testamenti & parabolæ allegatæ *n.* 29. quæ pariter ejus usque finem sæculi durationem stabiliunt. Soli etiam invisibili Ecclesiæ convenire possunt, quæ habentur *Matth.* 18. *die Ecclesiæ.* Et: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et *Actor.* 20: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Et 1. *Cor.* 15. ubi dicit Paulus de se ipso: *Persecutus sum Ecclesiam Dei.* Et 1. *Cor.* 1. & 2. *Cor.* 1. scribit *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.* Et 1. *Petri* 5: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone*, id est, Romæ *coelecta.* Et apertissimè 1. *ad Timoth.* 3. post varias, de ordinationibus præsertim Episcoporum & aliorum visibilium ministrorum Ecclesiæ, instructiones, subdit: *Hæc tibi scribo . . . . . ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Unde manifestè patet Ecclesiam Dei vivi esse visibilem, in qua (ut ex præcedentibus liquet) sunt Episcopi, Præsbyteri, Diaconi, per Timotheum aliosque Apostolorum successores visibiliter ordinati: & in qua qualiter conversandum sit, docebatur Timotheus; qui utique non instruebatur, quomodo cõversaretur in Ecclesia quam non videbat. Perinde ac visibilis est monstrarique potest domus aut familia principis alicujus, ad quam ministri certis officijs præficiendi vocantur.

Ut meritò dixerit *Augustinus Tract. 1. in Epist. 1. Joan. Numquid digito ostendimus Ecclesiam fratres mei? nonne aperta est? nonne manifesta? nonnè obtinuit omnes gentes?* &c. Alibi quoque frequenter idem inculcat. Quod & faciunt alii Patres.

37. *Assignatur ratio Theologica.*

Ratio desumitur ex ipsa velut natura Ecclesiæ, quæ nimirum est societas hominum, municēda utique externis & sensibilibus signis: non enim est societas, si socii invicē non sint conjuncti, & se invicem quà tales noscere nequeant, prout id nequeunt homines, nisi sint externa societatis symbola & vincula, dicente *Augustino l. 19. contra Faustum c. 11. In nullum nomen religionis, sive verum, sive falsum, cōagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligētur.* Accedit, quòd numquam defuerint, nec etiamnum desint exteriores, cæque infallibiles vestæ Ecclesiæ notæ, *quæst. seq.* allegandæ, ex quibus ipsa fiat visibilis. Confirmatur: quia omnes tenentur sub æterna maledictione se adjungere veræ Dei Ecclesiæ; debet igitur ipsa posse adiri, reperiri, cerni &c. Deinde potestas clavium, interpretatio Scripturæ seu dubiorum, aliæq; prærogativæ datæ sunt à Christo veræ Ecclesiæ ejusque ministris; omnis autem earum usus seu utilitas tolletur, si nec Ecclesia, nec ejus ministri sint visibiles.

38. *Arguitur diversimodè ad hominem contra Novatores.*

Specialiter verò ad hominem cōtra nostros Novatores sic argumentari licet. Si Ecclesia tot sæculis fuerit occulta & invisibilis; ergo vera Christi Ecclesia defecit; cùm hæc non occultata, sed necessariò visibilis sit, & manifesta juxta Scripturas, Patres, rationem. Deinde, quo teste Novatores asserūt tot sæculis latuisse veram Ecclesiam veræque fidei cultores, donec novi Pseudo-Apostoli nuper mundo apparuerunt? Cur ijs apparentibus, ne unus quidem narratur prodijsse, qui corpus istud novellæ doctrinæ antecedenter tenuerat, sed è cōtrà quotquot se illis adjunxerunt, aliam priùs fidem tenuerūt, utì & ipsi Pseudo-Apostoli tenuerant? Ut proinde ne occultus aliquis cœtus antea fuerit, qui novellam istam doctrinam profitebatur. Perierat ergo etiam occulta illa, atque adeò omnis Ecclesia Christi. Ulterius si tot sæculis latuit, indigna prorsus fuit nomine veræ Christi Ecclesiæ; quæ nimirum tot sæculis synceram Christi doctrinam non fuisset ausa profiteri, aut in lucem prodire; quin potiùs falsam, adversariorum judicio, id est, Papisticam doctrinā fuisset in cultu sanctarum imaginum, Eucharistiæ &c. professa, dum interim tota terra post bestiam abijt, ut *Lutherus* loquitur, hoc est, post Romanum Pontificem. Unde etiam ipsa invisibilis Ecclesia defecisset professione fallæ religionis.

Insuper vera Christi Ecclesia tot promissis præfulgens, per tot annorum centurias miserabilior fuisset ipsis Judaicæ sectæ ruinis, quæ semper quibusdam in locis suas synagogas atque exercitium suæ sectæ habuisse atque habere satis dignoscitur; omnibus item Hæreticorum sectis, quarum nulla fuit alicujus nominis, quæ non conventus suos, præfectos, professionem & exercitia habuerit, ut etiam passim id cognosci posset. Et credibile erit, Ecclesiam Dei tot sæculis ita latuisse, ut nullum in orbe sacellum quidem seu domum suæ congregationis habuerit, nullà humanà inductriā ab ullo Episcopo, Pastore, Inquisitore, aliove homine tam immenso tempore deprehendi ipsa potuerit? præsertim cùm singulæ novellæ sectæ, quæ sibi cum aliarum exclusione vendicant veram Ecclesiam, & crepant purum verbum Dei, mox fuerint tamquam satis visibiles deprehensæ, examinatæ, damnatæ? denique cùm ante Novatorum tempora nullus proferri possit, qui modum veræ justificationis (quæ per solam fidem specialem juxta ipsos fieri potest) agnoverit, & circa quam tota erravit ipsis fatentibus antiquitas, per consequens nullus verè fidelis aut justus, atque adeò neque Ecclesia in mundo extitit, ante nuntiatum hoc novum Evangelium.

39. Contra visibilitatem veræ Ecclesiæ Hæretici objiciunt I. illud 1. *Petri* 2. *Tamquam lapides vivi super ædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* Resp. Ecclesiam esse domum spiritualem, non secundùm substantiam & physicè, utì Deus vel Angelus; sed accidētaliter seu moraliter ob habitudinem quamdam ad spiritum, quia videlicet à Spiritu sancto est, in Deum ac salutem spiritualem tendit, in eaque Spiritus sanctus dominatur, interiorque junctura Ecclesiæ in fide & charitate spirituali consistit. Sicut ibidem operā virtutum per quamdam analogiam dicuntur *spirituales hostiæ.* Et 1. *ad Cor.* 10. homo spiritualis dicitur, & contra animalem distinguitur. Et *ad Gal.* 6. dicitur: *Vos qui spirituales estis.* Deinde Ecclesia dicitur domus spiritualis, tum ad distinctionem domūs materialis, quæ lapidibus mortuis constat: tum quia mysticè significatur per domum materialem, qualis erat tabernaculum Moysi & templum Salomonis. Prout spirituale vocatur, tam id quod mysticè seu allegoricè aliquid significat, ut manna, aqua de petra fluens, ipsaque petra 1. *Corint.* 10. quàm id quod mysticè significatur, prout Civitas magna Christi & Martyrum ejus interfectrix, dicitur spiritualiter Sodoma *Apoc.* 11. Inde autem nihil sequitur contra Ecclesiæ visibilitatem.

*Ecclesia quo sensu appelletur domus spiritualis.*

40. Objiciunt II. illud *Lucæ* 17. *Regnum Dei non venit cum observatione? neque dicēt, Ecce hic aut Ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Resp. regnum præsens Christi non venire cum observatione, qualem Pharizæi (quibus Christus loquitur) intelligebant, qui nempe expectabant Messiam potentē & pariter splendidum ac temporale

*Regnum Dei quo sensu non veniat juxta scripturam cū observatione.*

porale illius regnum; cum hac enim observatione non venit Christus, cujus regnum non erat de hoc mundo. Non etiam venit cum observatione, quasi ad ipsum dignoscendum accurata & attenta observatio fuerit necessaria (prout ea requiritur, ut res obscuriores, cum venerint, videatur) vel quasi hîc vel illic in angulo aliquo latens regnum sit quærendum. Venit nihilominus cum observatione hoc sensu, quòd non defuerint signa eaque manifestissima, quibus patenter annuntiabatur Christus ejusque regnum, tum per ipsum Christum, tum per Joannem digito demonstrantem Agnum Dei, tum per Apostolos & Apostolicos viros, ut ex Evangelio, ejusq; promulgatione & propagatione nimis manifestum est: ut proinde cœcitas Pharisæorum tacitè arguatur, quòd non agnoscerent seu crederent Regnum Dei, quod intra ipsos seu in medio ipsorum erat, & annuntiabatur. Immo nec ipsum diabolicum Novatorum regnum (quod ipsi esse Christi putant) sensibili observatione caruit aut etiamnum caret. Sunt autem varii Expositores, qui priora verba non infundatè referunt ad secundum adventum Christi, quòd non veniet cum observatione, hoc sensu, ut antequam veniat, observandis signis tempus illius prænosci possit, quia ex improviso cuique manifestissimè aderit, ut non sit hîc vel illic quærendum. Posteriora autem verba nonnulli intelligunt, non de Ecclesia, sed privato & spirituali regno Dei in qualibet anima sancta, in qua est regnum Dei, seu in qua Deus regnat per fidem & amorem, rerumque inferiorum contemptum. Et sic locus iste est impertinens.

41. Objiciunt III. Illud *Hilary l. contra Auxentium circa finem: Male vos parietum amor cœpit, male Ecclesiam Dei in tectis, Edificiisque veneramini, malè sub his latebris pacis nomen ingeritis: Montes mihi, & sylvæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores.* Igitur juxta *Hilarium* tunc Ecclesia latebat occulta. Resp. Neg. Cons. Agit enim tantùm de districtu Mediolanensi in quo Auxentius Episcopus Arianus Sacerdotes Catholicos supprimens, & qui à suis agnitus Arianus, atque ob dolosum agendi modum à simplicioribus tamquam Catholicus habitus, templa occupabat. Quamvis nec ibi (quod tamen parum referret) dicat penitus latuisse Ecclesiam Catholicam, Sacerdotibus Catholicis occultius ob persecutionem exercitia fidei Catholicæ peragẽtibus; prout modò fit in Hollandia, Anglia, & præsertim in Hibernia, quamvis ne quidem ibi Ecclesia Catholica sit invisibilis, Hæreticis antiqua templa & cathedras, destructis sacris altaribus, per meram violentiam occupantibus; quos æquè ac Auxentium tangit exprobratio Hilarii. Quæ de cetero contra visibilitatem Ecclesiæ objici solent, jam præoccupata & soluta sunt.

*Explicatur locus Hilarii.*

Pro fine nota Visibilitatem Ecclesiæ, etsi sit veræ Ecclesiæ proprietas, non tamen sic ei propriam, ut sit nota illius à Sectis Hæreticorum distincta; cùm & his commune sit, quòd sint visibiles. Quamvis veræ Ecclesiæ competat specialis quædam, atque ceteris longè supereminens visibilitas, quatenus ipsa suâ amplitudine ac per orbem universum diffusione, aliisque prærogativis *quæst. seq.* allegandis, sit Sectis Hæreticorum longè illustrior ac visibilior, sic ut omnibus eminea, quemadmodum mons magnus exiguis collibus, uti indicat *Augustinus l. 13. contra Faustum c. 13.*

42. *Visibilitas an seu quo sensu sit nota Ecclesiæ.*

## QUÆSTIO IV.

## *De Notis Veræ Ecclesiæ.*

### §. I.

### *Quantum sit pondus quæstionis.*

43. *Quanti ponderis sit hæc quæstio.*

NEgotium veræ Ecclesiæ atque adeò Religionis & fidei summâ discussione dignissimum, utpote ex quo pendet æternitas. Non enim nisi in vera Ecclesia & per veram fidem quis Deo placere potest: quantumvis aliunde bonis operibus abundare videatur. Una porrò Ecclesia, una fides, uti unica veritas. Strictum autè est credere quemlibet in sua fide posse salvari, si credat in Christum, & passam ab eo pro peccatis nostris mortem. Sic enim omnibus ferè falsis Sectis, olim & nunc per diabolum excitatis, atque ab Ecclesia damnatis & abscissis, v.g. *Pelagianis, Donatistis, Nestorianis, Eutychianis* &c. pateret salus; quæ tamen extra verâ fidem, extra Arcam Noë seu Ecclesiam non est, uti tota antiquitas incunctanter profitetur. Nam si statuamus aliquem caritate, aliisque virtutibus præditum, *sed Hæreticum, nullo utique dubium est propter hoc solum quod Hæreticus est, regnum Dei non possessurum*, inquit *Augustinus l. 4. contra Donatist. c. 18.* Idem *Epist. 152. Si quis* (inquit) *ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Alioquin sanè cur Apostolus *ad Titum 3.* tam sollicitè jubet hæreticum hominem vitari, tamquam subversum & condemnatum? Cur tot Concilia omni ævo contra succrescentes hæreses, Novatorumque Sectas convocata, ipsæque toties anathemate damnatæ? Cur tot martyrium potiùs, quàm hæresi vel unicæ subscribere maluerunt? Cur tanta inter Religiones & Hæreticorum Sectas dissensio, ut etiam *Lutherani Calvinistas* impietatis & blasphemiæ accusent, eosq; pro fratribus habere detrectent, similiter & *Calvinista Lutheranos*:

*Nequit quilibet in sua fide salvari.*

*Anabaptistæ* denique eos, qui sui non sunt, pro infidelibus habeant? Cur sicut qui offendit in uno mandato exponit se damnationi, nisi resipiscat, sic etiam non ille, qui in uno articulo incredulus, Ecclesiam contemnit & divinæ veritati adversatur? Denique persuasio ista facit hominem non curare, quam religionem vel sectam amplectatur; nulliqúe ipsa Scripturæ testimonio nititur, nullâ ratione, contradicente totâ antiquitate.

44. Cujus existimationem certissimam expressit *Fulgentius* (ut alios præteream) *l. de fide ad Petrum cap.* 38. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm omnes Paganos, sed etiam omnes Judæos, Hæreticos, atque Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Et *cap.* 39. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum sive Schismaticum in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleëmosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque Baptismus, neque eleëmosyna quamlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta profuerre poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.*

*Verba S. Fulgentii.*

## §. II.

## *Quas Notas Ecclesiæ effingant Novatores.*

45. HÆretici porro recentiores duas veræ Ecclesiæ Notas statuunt, sinceram nempe Verbi Dei prædicationem, & sincerum usum Sacramentorum. Sed omnino ridiculè: cùm notæ debeant esse tales, ut clarè in re appareant, & facilè discernatur, an & cui conveniant, quæ proinde ex ijs discerni valeat à ceteris. Porrò æquè vel magis obscurum est, pœnes quos sit v. g. sincera Verbi Dei prædicatio, ac pœnes quos sit Ecclesia. Et quævis Secta, etsi in Doctrinis & usu Sacramentorū alteri contraria, contendit pœnes se has notas reperiri. Quomodo igitur in tanta Sectarum varietate ex ijs notis dignosci poterit, quæ vera & sub interminatione maledictionis amplectenda sit Ecclesia? Ut taceam Congregationem illam non fore Ecclesiam, in qua hæc forent, ex hoc solo, quòd ipsa esset à corpore toto per schisma, etiam sine errore in fide, separata. Sed mirum non est tenebriones istos quærere latebras, ne nimis manifestè convincantur esse extorres ab Ecclesia vera, si notas claras & legitimas Ecclesiæ, quas Patres posuerunt, admitterent.

*Quas Ecclesiæ notas statuant Hæretici, & quàm in fundatè.*

Nec obstat, quòd nonnulli sub nomine *Chrysostomi* objiciant illud *Auctoris Oper. imperf. Hom.* 49. de suo tempore inculcatis: *Nunc nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas*; nimirum *quia* (ut præmittit) *in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis*, Homousianorum scilicet, *illas Ecclesias*, expulsis nimirum Arianis, *nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, . . . . nisi Scripturæ divinæ.* Non obstat inquam: nam Auctor operis non est *Chrysostomus*, sed vel *Arianus*, vel certè opus ipsum aliquin doctum est quoad hoc & similia ab *Arianis* corruptum. Ibidem enim Ecclesiam profitentem sanctissimam Trinitatem, sive professionem ejusdem (quam *Hom.* 19. appellaverat *triangulam impietatem*, *Hom.* 48. *hæresim Homousianorum*) tractat quasi *hæresim impiam, & Antichristi Exercitum.*

46. *Objectio quædam ex Auctore Operis imperfecti discutitur.*

Quare de Ariana hæresi rectè dixit *Athanasius Orat.* 2. *contra Arianos in init: Hæresis, quæ Ariana vocatur, dolosa & vafra, cum videret sorores suas, cæteras* (inquam) *hæreses ætate grandiores, publicè palamq́, prodiosas haberi, speciem suam dissimulat, & litterarum sacrarum vocibus, quasi honesto cultu induitur, ut pater ejus diabolus.*

47. *Genius Arianorum & aliorum Hæreticorum circa tractationem Scripturarum.*

Quod & ceteræ novellæ Sectæ faciunt, quæ dum cernunt se nimis apertè novitatis & falsitatis aliunde convinci, ad purum Verbum Dei, sed suo sensu interpretandum, provocant. *Memento enim* (inquit *Hilarius l.* 3. *ad Constant.*) *neminem Hæreticorum esse, qui se nunc non secundùm Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.* Unde eorum voces præformavit *Vincentius Lyrinensis cap.* 37. dicens: *Si quis interroget quempiam Hæreticorum sibi talia persuadentem, unde probas? unde doces, quòd Ecclesiæ Catholicæ universalem & antiquam fidem dimittere debeam? statim ille: Scriptum est enim. Et continuò mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat de Lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis; quibus novo & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur.* Inde enim omnes hæreses, quòd Scriptura bona non bene intelligatur, juxta *Augustinum Tractat.* 18. *in Joan. init.* Ideoque verendum cum *Hieronymo in c.* 1. *ad Galat. vers.* 11. *Ne interpretatione perversâ de Evangelio Christi, hominis fiat Evangelium, aut quod pejus est diaboli*; dum nimirum Hæretici *de purissimo Scripturarum fonte assumentes testimonia, non ita interpretantur, ut scripta sunt, sed simplicitatem sermonis Ecclesiastici id volùt significare, quod ipsi sentiunt*, ut ait *Epiphanius Epist. ad Joannem Hierosolym. Tantum enim* (ut utar verbis *Tertulliani de præscript. c.* 17.) *veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.*

48. *Provocatio eorum ad*

Unde cùm omnes Novatores ex aliis principijs apertissimè convincantur esse Novato-

*Scripturam an vel qualiter admittenda.*

Novatores, nos verò è contrà *in ea regula incedere, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit*, præscribit idem *Tertullianus sup. c. 37. non esse admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere*; ad quas utique non pertinet, nisi Ecclesia Catholica & Apostolica, quæ est columna veritatis, & depositoria ac interpres sincera Verbi Dei. Quantumvis alioquin etiam ex ipso Verbo Dei possint cõvinci hæretici, apud ipsos non esse Ecclesiam in Verbo Dei promissam, quæ scilicet se extendit ad omnia loca & tempora. Prout *Augustinus*, etsi alibi ex miraculis &c, probet Ecclesiam, interdum tamen velut de superabundanti ex solis Scripturis vult contendere & convincere *Donatistas*, quòd scilicet apud ipsos non sit Ecclesia, juxta Scripturas toto orbe diffusa: quidquid foret de mirabilibus, præsertim visionibus, verè illusionibus, somnijs aut fabulis *Donatistarum*, quos interdum *Mirabiliarios* vocat; quamquam nullum opus ederent, quod verè miraculosum foret, & virtutem creatam, etiam dæmonum, superaret.

*Quatuor illustriores Notæ Ecclesiæ.*

Aliæ itaque, eæque manifestæ veræ Ecclesiæ Notæ à Patribus & Catholicis assignantur. Quatuor illustriores continentur in Symbolo Constantinopolitano: *Credo Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Ad quas ferè ceteræ reduci possunt.

## §. III.

## *Prima Ecclesiæ Nota, quòd sit* Una.

49. UNitas Ecclesiæ designatur in Scripturis, quæ asserunt eam esse *unum corpus, Rom. 12. Unam columbam. Cantic. 6. Unum Ovile Joan. 10.* quæque assimilant eam regno & familiæ; quæ ut subsistant, exigunt suam unitatem. *Da enim unum* (inquit *Augustinus Serm. 26. de Verbis Domini*) *& populus est; tolle unum & turba est.* Hæc autem unitas consistit in ordinatissima Ecclesiæ toto orbe diffusæ dispositione, membrorumque connexione, ac quoad identitatem credendorum consensione, debitâque subjectione ac subordinatione, præsertim ad supremum caput visibile Ecclesiæ. Istam unitatem lacerant, qui diversa à ceteris pertinaciter credere, aut singularia extra communionem totius corporis conventicula facere præsumunt. Quod Apostolus sollicitè cupiens evitari. *1. ad Corinth. 1.* ait: *Obsecro vos fratres . . . . . ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.*

*Unitas Ecclesiæ consistit in unione membrorum universalis Ecclesia inter se & cum suo capite.*

50. Unde hanc unionem seu communionem cum Ecclesia per orbem diffusâ ejusq; Capite Romano Pontifice, etiam Veteres pro Nota Ecclesiæ statuerunt. Hinc *Augustinus Epist. 162. sub init.* scribit, quòd Cæcilianus Episcopus Catholicus posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum *Donatistarum*, cùm se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, per communicatorias litteras esse conjunctum. Inde etiam ostendit *Optatus l. 2. contra Parmenianum sub init.* Donatistas non pertinere ad veram Ecclesiam, quia non essent conjuncti cum Siricio Papa, qui tunc erat Ecclesiæ caput: *Cum quo* (inquit) *nobis totius orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.* Inde etiam est, quod *Hieronymus* in oriente positus *Epist. 57. ad Damasum* Papam fidenter scribat: *Ego nullũ Primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio: quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Anti-Christi est.* Et *Epist. altera ad eumdem Damasum: Ego interim clamito; Si quis Cathedræ Petri jungitur meus est.* Et *Irenæus l. 3. adversus hæreses c. 3. Ad hanc Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles. Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ sub init. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Et *Epist. 52.* communicare cum Pontifice, hoc est (ut explicat) *cum Catholica Ecclesia communicare.* Et *Satyrus* frater *S. Ambrosii* percunctabatur ab Episcopo, ad quem ex naufragio delatus erat: *Utrumnam cum Episcopis Catholicis hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret*; ut refert ipse *Ambrosius l. de obitu Satyri post med.* Hinc *Gratianus* Imperator teste *Theodoreto l. 5. Hist. cap. 2.* legem tulit, *quâ jubebat Ecclesias sanctas tradi his, qui Damasi communionem amplexarentur.* Et Episcopi ibi, qui à schismate ad unitatem Ecclesiæ redibant tempore *Gregorii* sponsionem hujuscemodi faciebant, teste ipso *Gregorio l. 10. Epist. 31. Spondeo me in unitate Ecclesiæ, ad quam Deo propitio sum reversus, & communione Romani Pontificis semper & sine dubio permanere.*

*munionem Antiquitas ad præsens institutum ursit.*

Hæc porrò communio cum corpore per orbem diffuso ejusque capite cernitur evidenter in Ecclesia Catholica. Manifestè autem deficit in omnibus sectis antiquorum ac recentiorum Novatorum, qui cum novitate doctrinæ unà jugum obedientiæ excusserunt, non agnoscendo caput corporis per orbem diffusi, à cujus consequenter trunco sese sacrilego schismate avulserunt.

*Quæ pariter competit soli Ecclesiæ Catholicæ.*

51. *Defectu hujus communionis Hæreses qui arescant.*

Unde etiam mira Dei providentia; quotquot sese ab unitate præfata diviserũt, continuò velut rami à radice, & palmites à vite præcisi aruerunt, ut videre est non solùm in infinitis hæresibus, quarum vix nomina restant, nec cognoscerentur, nisi ex Scriptis Catholicorum; sed etiam in Ecclesijs Asiaticis & Africanis, olim florentissimis doctrinâ & sanctitate, postquam fœdo schismate à Catholica unitate recesserunt. Quare (ut utar verbis *Optati lib. 2. contra Parmen.*) *intelligite vel sero*, Quotquot superestis Sectarii, *vos esse ramos fractos ab arbore, vos esse abscissos palmites à vite, vos esse rivum concisum à fonte.*

52. *Consensio Doctrinæ fidei in membris Ecclesiæ expenditur.*

In eadem Catholica unitate specialiter notanda est (quam & suo tempore notavit & ponderavit *Irenæus l. 1. c. 3.*) mira & perfectissima consensio omnium membrorum Ecclesiæ per totũ Orbem usque ad Africanos quoad omnes & singulos fidei articulos, admissâ solùm dissensione in quibusdam necdum satis per Ecclesiam declaratis, in quibus Scholastici, salvâ unitate fidei, & perfectâ communione, dissentiunt inter se, prout varii Episcopi Africani olim ante definitionem Ecclesiæ dissentiebant à ceteris circa anabaptismum Hæreticorum. Ea autem unitas palpatur, non solùm conferendo doctrinam Patrum cum modernis (quæ consensio spectat ad Ecclesiæ antiquitatem, & unitatem quasi successivam, seu doctrinæ præsentis cum doctrina Ecclesiæ veteris) sed etiam Catholicorum in universis totius mundi partibus, Hispania, Gallia, Germania, ipsa Turcia, Indijs, America, idem omnino sentientium, docentium ac scribentium. Quare merito dixit *Tertull. l. de Præscript. c. 28. Ecquid verisimile, ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? ..... Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non erratum, sed traditum est.* *Augustinum* quoque (ipso teste *l. contra Epist. Fundamenti c. 5.*) in Gremio Ecclesiæ Catholicæ inter cætera detinebat *Consensio populorum.* Vide, quæ scribit *Vincentius Lyrinensis in Commonitorio cap. 3. & 34.* Hæc itaque concordia est apertum signum Regni Dei, quod debet stare in æternũm; cùm è contrà discordia signum sit regni diaboli, quod tandem debet dissolvi; de quo *Matth. 12.* dicitur: *Omne regnum divisum contra se, desolabitur.*

53. *Dissensiones & dissectiones singularum Sectarum & Sectariorum.*

E contrà hæreses vix natæ mox in diversas fuere sectas dissectæ, quarum mutuæ dissensiones sufficiunt ad suam ipsorum doctrinam evertendam. Quod de antiquis & dudũ antiquatis hæresibus ostendunt *Irenæus l. 1. cap. 21. & seqq. Epiphanius Hæresi 8. in fine. Theodoretus l. 4. de Hæreticorum fabulis. Augustinus Hæresi 46.* qui specialiter de *Donatistarum* hæresi *lib. 1. de Bapt. c. 6.* tradit eam suo tempore in multa minutissima frusta cõcisam. Quomodo autem *Ariani* mox fuerint divisi, scribit *Rufinus l. 10. Histor. Eccles. c. 25.* de quibus etiam testatur *Hilarius Libro 3. ad Constantium* quòd singulis penè annis mutarent fidem. Idem notissimum est de *Calvinistis*, & præsertim *Lutheranis*, qui vixdum nati in *Anabaptistas, Confessionistas & Sacramentarios* sunt dissecti, & hi rursum in alias & alias sectas usque ad triginta quatuor; idque non longè post initium: nunc autem numerentur ferè centum diversæ sectæ ex uno *Luthero* prodeuntes; ut vix restent, qui corpus purum doctrinæ Lutheranicæ ab initio traditæ sectentur, ac *Lutheranis* aptè quadret illud *Irenæi l. 1. c. 5.* dictum de *Valentinianis*, quod cùm essent plurimi, vix duo aut tres convenire reperiebantur in dogmatibus suis.

54. *Contradictiones Lutheri & Calvini.*

Immo nec ipsi Hæresiarchæ secum conveniunt (quod tamen teste ipso *Luthero l. de Votis Monasticis*, est certissima falsæ doctrinæ nota) ut pate ex innumeris *Lutheri* contradictionibus, quas colligit *Cochlæus* in Libro, quem intitulavit *Lutherus Septiceps*; ubi in fine adjicit triginta sex unius *Luthers* varias de unico articulo, scilicet communione sub utraque specie, sententias. Similiter *Calvinus in cap. 1. Joan.* Scribit Christum esse verũ Deum ejusdem cum Patre essentiæ. At *Epist. 2. ad Polonos* asserit Christum secundùm naturam, etiam divinam, Patre minorem, & (ut loquitur *Refutat. 10. contra Gentilem*) Filium etiam secundùm divinitatem Patri subjectum, atque adeò nomen Dei per excellentiam ad solum Patrem pertinere, eumque solùm ac propriè cæli & terræ Creatorem esse; impropriam denique ac duram esse locutionem Symboli, Deum de Deo, Lumen de Lumine.

*Inconstantia doctrinæ unde in Hæreticis oriatur.*

Nec mirum, quòd postquam à recto veritatis tramite semel deviatum, eatum inconstanter per diversa invia: quòdque divulsi ab immobili veritatis columna, quæ est Ecclesia Catholica, nec habentes certam regulam aut dubiorum interpretem, sed proprium spiritum erraticum, instabiles circumferantur omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris, Magistri discipulis, & utrique sibi ipsis non consentientes.

55. *Qua differentia inter sectas ex Ecclesia & ex alijs sectis prodeuntes.*

Eaquoq; differẽtia cernitur inter sectas, quæ ab Ecclesia exeunt, & eas quæ ab alijs sectis nascuntur, quòd Ecclesia hæresibus successivè nascentibus & emorientibus, incommutata semper perseveret, hæreses ipsas damnans & à se projiciens, omnibus etiam sectis auctoritate, numerositate sectatorum, amplitudine & generalitate locorũ ac temporum incomparabiliter excedens. At sectæ ex alijs prodeuntes pari ordine & gradu cùm suis matribus procedunt, & infelices partus vix nati sæpe matres suas locis & numero superant, nec est cur ab eis damnari timeant potiùs, quàm ipsæ contrà eas damnent. *Mentior, si non etiam à regulis*

*regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit ..... Idem fecit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni* (idem *Zwinglio*, quod *Luthero*, idem *Arminio* quod *Calvino* &c.) *de arbitrio suo fidem ignovare. Denique penitus inspecta hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur;* ut præclare *Tertullianus l. de Præscript. c. 42.* Nihilominus *nihil interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent*; ut idem *c. 43.* præmiserat.

## §. IV.

## *Secunda Ecclesiæ nota, quòd sit Sancta.*

56. *In quo consistat Ecclesiæ sanctitas.*

Sanctitas Ecclesiæ consistit non solùm in sanctitate capitis, sed insuper in sanctitate & puritate doctrinæ, quæ nil falsum in materia fidei, nil iniquum in materia morum continet, & cultorum secundùm doctrinam & instituta Ecclesiæ Catholicæ viventium.

*Doctrina Ecclesiæ qui sancta.*

Ad doctrinam quod attinet, ea nullo nævo rationi adverso laborat, tota à peccatis & terrenis avertit, & ad sanctitatem ac studium perfectionis inducit, ut patet ex ijs, quæ docet & suadet circa castitatem, frænationem carnis, contemptum mundanorum, &c. item circa necessitatem pœnitentiæ, & satisfactionis, purgatorium &c. Quare tot milleni, præsertim religiosi, homines utriusque sexûs, atque inter hos Reges & Principes, eorumque filii ac filiæ, ex doctrina Ecclesiæ, adjuvante divinâ gratiâ, tam mirabilem in se mutationem senserunt, vitamque conformiter instituentes, sanctitate orbi notâ omni sæculo eluxerunt, quam etiam post mortem signis manifestis Deus attestatus est; ut historiæ fide dignissimæ, nec umquam in dubitationem vocatæ tradunt. Tales sunt Antonius, Hilarion, Basilius, Martinus, Ambrosius, Augustinus, Benedictus, Gregorius, Wilebrordus, Bonifacius, Norbertus, Bernardus, Dominicus, Franciscus (quos tres signanter Novatores fatentur esse sanctos) Antonius à Padua, Thomas Aquinas, Bonaventura, Bernardinus, Xaverius, & infiniti alii.

*Inde consequens sanctitas cultorum.*

57. *Argumentum inde desumptum.*

Unde argumentor: Nullus horum fuit *Lutheranus, Calvinista* &c, sed omnes Catholici, immo plerique Monachi seu religiosi. Vera proinde est religio & fides Catholica, quæ sancta docet, sanctitatem promovet, sanctos facit & habet. Falsa enim secta aut fides ad sanctitatem præsertim tam eximiam perducere non potest. Immo sine vera fide (quæ salutis fundamentum) impossibile est placere Deo. Religio quoque falsa, utpote à diabolo, inidonea fuisset ad efficiendos Dei amicos, ipsiusque Diaboli capitales inimicos. Non est præterea credibile, tam innocentes ac Deum quærentes viros adeò fuisse deceptos in negotio veræ fidei (quam, & cetera salutis media, uti ipsam salutem, in se & alijs tam solicitè exquisierunt) neque à Deo, qui assiduè petentibus dat spiritum bonum, fuisse illuminatos. Maximè, cùm, si vera sint quæ Novatores docent, non potuissent esse sancti, utpote ignorantes, atque adeò non adhibentes fidem specialem (quæ sola secundùm ipsos justificat) atque adhærentes meretrici Babylonicæ (sic vocant Ecclesiam Romanam) nec non existentes primaria instrumenta Antichristi, atque extra veram Ecclesiam, denique superstitiosi & idololatræ in cultu Eucharistiæ, Sanctorum, Imaginum si Novatoribus credimus. Quin potiùs inde consequens foret, eos esse impios & filios gehennæ.

58. *Impuritas qualis doctrinæ Novatorum.*

E contrà Novatoribus deest sanctitas doctrinæ incitantis ad studium virtutum & vitationem peccatorum, abundat autem doctrinæ fœda impuritas, quæ certa est falsitatis nota: cùm doceant jejunium esse traditionem humanam frustraneam, abstinentiam carnium superstitionem, vota Monastica impia & irrita, castitatem impossibilem, ideoque rei uxoriæ ab omnibus vacandum, veluti rei (ut *Lutherus l. de Vita conjugali* loquitur) tam necessariæ; quàm sit edere, bibere, dormire. Immo studium bonorum operum tollunt, dicentes omnia opera hominis lapsi esse peccata, etsi credentibus non imputentur, negantes omne omnino bonorum operum meritum, quasi sola fides æstimetur & coronetur, *cetera omnia liberrima neque præcepta amplius, neque prohibita* sint, ut loquitur *Lutherus in c. 2. ad Galat.* Unde à Christo *non avellit nos*, juxta eumdem *Ep. 238. ad Melanchthonem, peccatum, etiamsi millies millies uno die fornicemur, & occidamus.* Nimirum quia Christianus *etiam volens non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit credere*; prout effutit *l. de Captiv. Babylon. c. de Baptismo.* Ideoque *Epist. cit.* etiam ad peccandum adhortatur dicens: *Esto peccator, & pecca fortiter.* Et quidem articulum de fidei specialis sufficientia veluti præcipuum statuit in *Glossa super Edicto Cæsareo*, addens Diabolum per suos porcinos doctores eum semper blasphemare, quem proinde vult tamquam Evangelista inconcussum debere permittere Imperatores Romanum, Turcicum, Tartaricum, Persicum, Papam, Cardinales, totumque mundum: & debere insuper habere ignem infernalem super capita sua, & nullam gratiarum actionem. *Hic est* (subdit) *meus Doctoris Lutheri instinctus à Spiritu sancto, verumq; ac sanctum Evangelium.* Quare cõsequenter ad hoc Pseudo-Evan-

gelium Novatores pœnitentiam, satisfactionis necessitatem, purgatorium tollunt, nullum peccatum habenti fidem specialem imputari asserunt, omnes eâ præditos esse prædestinatos, idque singulos debere firmiter credere docent, utì & hominem carere libero arbitrio, nec posse vias suas bonas facere vel malas, sed omnia inevitabili necessitate fieri. Deumque ab æterno sine demeriti consideratione hominem efficaciter æternis exitijs & ignibus destinasse, immo mala seu peccata Deo impellente fieri, ut præfatum damnandi propositum sub titulo justitiæ exequi valeat, ut *Calvinus* blasphemat. Quid hoc porrò est aliud, quàm omnem Numinis divini timorem tollere, & maximam peccandi occasionem seu libertatē præbere: non minùs, quàm atheismus, quo laborantes, plerumque saltem timore divinæ vindictæ non carent, ob dubium de falsitate suæ existimationis; quo tamen Novatores eximunt suos per certissimam persuasionem præmissam, quam volunt necessariam, & quidem sub larva quadam religionis, ac honoris Christi mediatoris, libertatisque novæ Legis. Itaque (ut verbis *Tertulliani lib. de Præscript. cap.* 43. utar) *libera sunt illis omnia & soluta.*

59. *Defectus, sanctitatis consequens.*

Hinc *ubi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est*, ut idem *suprà*. Ideoque non cernitur in perversis istis ea morum mutatio, quâ ex sceleratis per assumptionem novæ sectæ fiant sancti & virtuosi; sed potiùs pejores; & qui à nobis recedunt, ideo id agunt, quia jam mali erant & impatientes Ecclesiasticæ disciplinæ, seu ut ibi liberiùs peccent & licentiùs vivant. Quòd si inter Catholicos (utì contingit) mali non desint, est, quia Doctrinæ & exhortationibus Ecclesiæ in moribus se non cōformant; quod quidem non religioni ejusve regulis, sed pravæ deviantium voluntati adscribendum esse constat. Inter Novatores autem nullus est vel fuit, de quo, nisi ex ipsorum solorum testimonio absque alio signo fidem faciente, constet, quòd sancti sint, aut per fidem eorum salutem sint adepti. Quæ igitur vesania est relictâ securissimâ salutis viâ quæ in Ecclesia patens est, illorum gremio se condere, quorum vestigijs inhærendo neminem constat ad sanctitatem aut salutem perveniſſe?

*Quid censendum de malis Catholicis.*

60. *Mores recentiorum Hæresiarcharum pessimi.*

Quòd si cui vitam, ne dicam cultorum, sed ipsorum prætensæ reformationis auctorum inspicere lubeat, cernet *Lutherum* apostatam contemptis votis Monialem professam è Monasterio abductam sibi copulasse, & toties repetitis sacrilegijs assiduè ei convixisse carnaliter, hominemq; in compotationibus assiduum, atque adeo libidini deditum fuisse, ut usum fœminæ magis necessarium assereret, quàm edere, bibere, dormire, *l. de Vita conjugali*; licitumque esse uti ancillâ, si uxor debitum recusaret, *Serm. de Matrimonio*; hominem denique reperiet superbum, maledicum, ipsi diabolo familiarem fuisse, atque adeò maximè infamem. Vitam *Calvini* pessimis facinoribus plenam descripserunt. *Hieronymus Bolsecus* ejus olim discipulus, *Julius Brigerus* & alii. Superbiam & maledicentiam ejus scripta satis clamant. Specialiter de Sodomia & stigmate *Calvini* differentem vide *Lessium in Appendice consultationis de Relig. c.* 3. Quis itaque prudens in animum inducat viros istos esse, per quos verum Evangelium, veluti tot sæculis sepultum, mundo nuper resplenduit? Illos ad hoc opus à Deo, contra stylum ordinarium missos esse? Magis autem, si doctrinæ impuritas, inconstantia, multiplices Antilogiæ utriusque Hæresiarchæ (quas ex *Calvino* ipsius verbis viginti quatuor collegit *Judocus Coccius*, ex *Luthero* similiter plurimas *Cochlæus*) considerentur. Accedunt Novatorum fraudes & doli mali: quibus non solùm falsò calumniantur Catholicos tamquam adoratores statuarum, lignorum, truncorum, saxorum, utì Ethnici adorant sua idola; item tamquam panicolas seu panis adoratores, tamquam fiduciam non ponentes in Christi meritis &c: sed etiam quos adhibent in alteratione Scripturarum & Patrum, quorum testimonia sive mutilando, sive addendo, sive aliter alterando detorquent; omissis etiam claris testimonijs, obscuriora quædam corradunt, ut suæ doctrinæ favere existimentur. Vide *Lessium in Consult. de Relig. Rat.* 7.

*Considerationis inde sumptæ.*

*Novatorum mali doli.*

61. *Efficacia doctrinæ Catholicæ in conversione Gentium.*

Ad sanctitatem Ecclesiæ reduci potest efficacia doctrinæ. Lex enim Domini non solùm immaculata, sed etiam convertens animas. Ea autem efficacia cernitur in conversione Gentium per Scripturam promissâ; quæ non solùm antiquis temporibus, sed etiam recentioribus jugiter contigit per solam Romanam Ecclesiam Catholicam ejusque filios, & præsertim Monachos, ut Benedictinos, Dominicanos, Franciscanos &c. prout ad oculum patet discurrenti per singula sæcula. Et superiori sæculo, primò & potissimùm per Franciscanos, dein per Dominicanos, ac denique per Religiosos Societatis conversus est novus orbis à Gentilitate ad Christianismum. Unde autem hæc tam mirabilis in animis Barbarorum mutatio, nisi à Spiritu sancto & verâ fide?

62. *Dicta duo Novatoribus; quorum hæc in parte gestus describitur.*

E contrà quæ Gentium conversio ad sectam Novatorum? Hi nimirum seminato bono semine more diaboli veniunt, ut superseminent errorum zizania in medio tritici. Iste Hæreticorum fuit semper, estque hodie genius, jam olim à *Tertulliano lib. de Præscript. cap.* 42. graphicè delineatus fuit, dum ait: *De verbi administratione quid dicam? Cum hoc sit negotium illis, non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? hanc magis gloriam captant,*

*captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operetur: quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent .... Ita fit, ut ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quàm extructiones jacentium ruinarum.* Quare rectè *Augustinus l. 13. contra Faustum c. 12.* applicat Hæreticis illud *Jerem. 17.* ubi ipse legit: *Perdix congregavit, quæ non peperit*, idemque in ijs locum habere pulchrè ostendit; cùm è contra Catholica sit columba fecunda, quæ non cessat ipsâ novos pullos parturire & parere.

63. *Gloria miraculorum illustris Ecclesiæ nota.*

Præterea ad sanctitatem reduci potest illustrissima Ecclesiæ nota, scilicet fulgor miraculorum, seu operum supra naturæ vires editorum, non solùm in testimonium sanctitatis cultorum fidei Catholicæ (quam ex consequenti & indirectè etiam ipsa demonstrant) sed etiam directè in fidei nostræ confirmationem. Hæc enim in ipso Evangelio promissa *Joan. 14. Marc ult.* sunt veluti sigilla summi Regis confirmantia veritatem eorum quibus adhibentur, quæque divina providentia non patitur fieri in testimonium falsitatis. In sola autem Ecclesia Catholica hæc sunt, usque hodie: de quibus ex consensu Patrum, gravissimorum omnis ævi Scriptorum, consensu totius Christianismi, etiam ante novas hæreses exortas, constat. Adsunt de ijsdem publica testimonia, prævia summâ inquisitione probata, quantam vix aliquis nisi penitiùs informatus adhiberi crederet, Romæ præsertim, dum tractatur Sanctorum Canonizatio. Soli Novatores oblatrant, omnem consequenter historiarum & publicam fidem denegantes. Neque ope dæmonum facta esse, sanctitas ipsa patrantium, qualitas operum, circumstantia temporis, publicitas loci, occasio quâ fiunt, effectus & stabilitas ac utilitas, strictum novorum (quæ frequenter contingunt) miraculorum examen evincunt. Deinde cur talem (si foret) illusionem non facit dæmon in tot alijs sectis falsis, ex quibus ei uberrimi proventus? Præterea dum fundamentum eis fidem denegandi quæritur, nullum allegari potest, nisi sophistica petitio principii, quòd scilicet sint contra Evangelium & confirment idololatriam. Simili prætextu etiam Judæi calumniabantur miracula Christi, quem putabant docere contra veram Moysi doctrinam, Pagani miracula Martyrum, *Ariani* & similes pestes miracula Catholicorum.

*Calumnijs occurritur Novatorum.*

64. *Irrito conatu miracula attentarunt.*

Adde ipsos Novatores probè scientes, quantùm efficaciæ id conferat ad probandam veritatem doctrinæ, ardenter inhiasse miraculorum patrationi, sed irrito conatu: Excepto, quòd *Cæsinus* (teste oculato *Bolseco c. 13. Vitæ*) volens excitare ad vitam eum, qui se ejus suasu simulaverat mortuum, contrario successu, ex vivo mortuum fecerit. Ut aptè in hujusmodi quadret illud *Tertulliani l. de Præscript. c. 30. Volo & virtutes eorum proferre, nisi quòd agnosco maximas virtutem eorum, quâ Apostolos in perversum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos*, etiam corporaliter *faciunt*.

Hinc ulcus eos premit, ut cùm ne simulata quidem miracula eis succedant, conentur evertere, sed frustra, firmissimum hunc Catholicæ Ecclesiæ murum. Hic enim murus aheneus adeò fidei nostræ ædificium solidat, ut sicut cernentes miracula Apostolorum de doctrinæ veritate prudenter fluctuare non poterant, sic neque fluctuare possint, qui sepositâ passione considerant ea quæ in Ecclesia Catholica fiunt.

65. *Idcirco ad oppugnandum se convertunt.*

Sedulò nihilominus invigilandum, prout Ecclesia invigilandum præscribit, ne fictis aut non satis fundatis miraculis verorum miraculorum gloria obscuretur apud infideles Novatores, instar porcorum inhiantes pomis putridis relictâ sanorum copiâ, dum relictis, quæ plurima sunt, indubitatis miraculis, nonnulla fortasse minùs probata vellicare studeant; cùm alioquin vel unicum fidei contra ipsos omni signo destitutos stabiliendæ sufficiat.

*Examinanda sunt rigorosè.*

*Genius Novatorum.*

*Unicum miraculum omnes convellit.*

Nec refert, quòd etiam Antichristus sit facturus miracula, immo ea statuantur signum Antichristi *2. ad Thessal. 2.* & *Apoc. 13.* Nam faciet quidem magna & mirabilia coram oculis hominum, sed non vera miracula, quæ superent dæmonis potestatem, quorum virtute faciet ignem de cælo descendere, imaginem bestiæ loqui (ut significatur *Apoc. 13.*) sicut dæmones olim fecerunt loqui idola per assistentiam suam ea sic movendo, & sicut locuti sunt per ventrem pythonissarum, & diabolus per serpentem. Unde *2. ad Thessal. 2.* dicitur: *Cujus est adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus*, sive quia mendaciter & non verè sed per illusionem fient, quæ scilicet superarent virtutem dæmonum; sive quia etsi vera erunt in ratione operis, falsa tamen in ratione miraculi. Quid hæc ad propositum nostrum? Anne propter adulterinos nummos spernendi legitimi? An quia nonnullæ sunt adulteratæ principum litteræ, etiam vera diplomata & sigilla sperni queunt?

66. *Solvitur objectio vulgò desumpta solitæ ex miraculis Antichristi.*

Non refert etiam, quòd legatur de Vespasiano idolorum cultore, eum cæco lumen, claudo gressum reddidisse. Nam facilè id solvitur ex *Tacito l. 4. Hist.* referente Medicos illius temporis respondisse, cæcum illum non laborasse cæcitate verâ, neque claudum claudicatione incurabili; ut proinde dæmonis virtutem opus istud non superaverit. Immo juxta *Tertullianum Apologet. cap. 22.* credibile est totum morbum fuisse à diabolo, qui oculo unius,

67. *An vel quâ Vespasianus cæcum illuminarit, & claudum rectificarit.*

& tibiæ

& tibiæ alterius insidens impediebat eorumdem membrorum usum, idque eo fine, ut videretur sanare, quando desinebat nocere.

Quam necessaria porrò fuerint Novatoribus, veluti vocatione ordinariâ destitutis, Miracula, quibus extraordinariam vocationem mundo testatam facerent, patebit ex dicendis §. VI.

68. *Lumen propheticum in sola Catholica reperitur.* Gloriæ miraculorum accedit lumen propheticum, quo futura & alieni cordis arcana multis Ecclesiæ Catholicæ filijs ac sanctis viris patefacta sunt; ut de Gregorio Thaumaturgo, Antonio, Benedicto, Malachia, Bernardo, Francisco, & alijs innumeris ex scriptis Patrum & Historijs est manifestum. Nil tale apud Hæreticos reperitur. Quin potiùs, dum prophetiæ spiritum vendicare sibi voluerunt, in mendacijs & falsitatibus deprehensi sunt. Vide *Cochlæum de actis Lutheri Anno* 1525. & 1533. ubi refert fallas prophetias Lutheri, Munceri & aliorum. Vide etiam *Tannerum disp.* 1. *q.* 2. *dub.* 4. *n.* 80. *& seqq.*

## §. V.

## *Tertia Ecclesiæ Nota, quòd sit re & nomine* Catholica.

69. *Vera Ecclesia quo sensu sit Catholica.* CAtholica dicitur Ecclesia in Symbolo Apostolorum & Constantinopolitano, id est, universalis, ut vocatur in *Concilio Lateranensi*, & refertur c. *Firmiter de Summa Trinit.* In hoc autem quòd universalis dicitur, etiam tacitè ipsa unitas, de qua jam à nobis actum est, involvitur; cùm universale sit unum versus multa. Ideoque *Augustinus Epist.* 50. *in princip.* de Sectarijs agens ait: *Quia se ab Ecclesia Catholica, hoc est, ab unitate omnium Gentium divisernnt.* Et *Pacianus Epist.* 1. *ad Sympronianum*, Catholicum vocat, quòd *ubique unum est.* Præterea & principaliter denotat istius unitatis generalitatem seu diffusionem; quæ potest spectari, quoad loca, gentes, & tempora. Et omnibus his modis Ecclesia nostra, eaque sola Catholica est. Diffusio Ecclesiæ quoad omnia tempora, si quidem sermo sit de temporibus præteritis ab ejus per Christum factâ institutione, coincidit cum ejus antiquitate; de qua postea. Si de temporibus futuris, coincidit cum ejusdem usque ad finem mundi stabilitate, de qua in superioribus actum est. Potissimùm autem in notione *Catholica* spectatur ejus diffusio ad omnes gentes & loca. Unde *Pacianus suprà* Catholicum vocat, quod *ubique unum est.* Et *Augustinus l. de Unitat. Eccles. cap.* 18. definit Catholicam, quæ est incipiens à Hierusalem, & per alias gentes crescens, donec omnes occupet, usque ad finem sæculi. Et *l.* 2. *contra Litt, Petiliani c.* 38. allegatis verbis Christi *Act.* 1. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*, subdit: *Ecce unde Catholica nominatur.* Et *Epist.* 170. *Ipsa est enim Ecclesia Catholica. Unde* καθολικὴ *Græcè appellatur, quòd per totum terrarum orbem diffunditur.* Et *Cyrillus Jerosolymitanus Catech.* 18. *post med. Catholica vocatur, quia per universum sit orbem terrarum diffusa, à finibus terræ usque ad extrema.* Et *Vincentius Lyrinensis in Commonitorio cap.* 3. universitatem locorum, temporum & personarum conjungem ait: *Id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim verè propriè, Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioq; declarat.*

70. *Inde Patres explodunt Hæreticorum conventicula.* Et ex hac nota in ipsis Scripturis decantatâ toties contra *Donatistas* arguit *Augustinus*, apud ipsos non esse Christi Ecclesiam, quæ per omnes Gentes juxta Scripturam debet diffundi, & implere universam terram. Ea porrò est Ecclesia nostra, quæ omnem terram, etiam novum orbem penetravit: cùm singulæ hæreses in certis locis ac regionibus natæ emoriantur ibique eo, quòd orbem pervagentur; ut de antiquis sectis est nimis manifestum. De Donatistis specialiter *Augustinus l.* 2. *contra Litt, Petiliani c.* 104. ait: *Certum signum hoc habet*, Ecclesia, *quòd abscondi non potest. Nota est ergo omnibus Gentibus. Pars autem Donati ignota est pluribus Gentibus; non est ergo ipsa.* Et *lib.* 3. *contra Cresconium c.* 67. *Ubique est illa, de qua exierunt, qui esse ubique minimè potuerunt &c. alii hoc loco, alii alias variarum præsumptionum vel potius amputationum proprias particulas ostendentes.* Et *lib.* 4. *cap.* 60. *Ostendunt . . . . sua communionis quasque regiones, ecce hic, ecce illic. Ubi enim cadunt, ibi remanent, & ubi separantur, ibi arescunt. Unde ipsa, de qua præciduntur, etiam in eas terras extenditur, ubi jacent illæ quæque in sua regione fragmenta: in illa verò singula, quàcumque ipsa distenditur, non sunt.* Et *Serm.* 131. *de temp. diversorum Hæreticorum Ecclesiæ ideo Catholica non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque provincias continentur: Hæc verò ab ortu solis usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.*

71. *Et similiter exploduntur Novatorum nostrorum Synagogæ.* Idem porrò est de nostris Novatoribus, quorum variæ sectæ dissectæ varias regiones infecerunt, nulla tamen Africam, Ægyptum, Asiam, Italiam, Hispaniam, Americam occupavit. A trunco Ecclesiæ, à vite radicitus sunt evulsi, ipsâ arbore & vîte in sua integritate manente. Non Ecclesia nostra schisma ab alia aliqua notabiliori congregatione fecit, sed postquam ex parvis initijs tempore Apostolorum incrementa suscepit, crevit semper, crescetque usque ad messem. Quovis sæculo, & in omni quasi orbis parte hæreses non defuerunt; sed velut particulæ & rami ab arbore abscissi aruerunt. Ubique quidem hæreses sunt

sunt aut fuerunt, sed diversæ, ubique Ecclesia est, sed una & eadem, ut notavit *Augustinus lib. de Pastor. c. 8.* Si autem Hæretici diversarū hæresum diffusione & multitudine gloriari velint, inaniter sanè gloriantur: cum illæ non faciant unum corpus, sed multitudinem, & si conglobarentur, monstrum horrendum ex multis falsitatibus invicem repugnantibus coalescens. *Unde apparet* (inquit *Aug. l. 4. contra Cresc. c. 61.*) *quæ sit arbor ramos suos per universam terram copiâ ubertatis extendens; & qui sunt rami fracti, non habentes vitam radicis, atque in suis quique latentes & crescentes locis.*

72. *Nomen Catholica olim & modò proprium soli veræ Ecclesiæ, ejusq; signum.*

Hinc etiam fit, quòd sola Ecclesia nostra semper obtinuerit, atque etiamnum obtineat in universo orbe titulum & nomen Catholicæ; usque adeò ut quamvis Lutherani; Calvinistæ, Gummaristæ, Arminiani & similes ex putridis Romanæ Ecclesiæ dentibus nuper nati, & mutuis vulneribus concidentes, splendorem hujus nominis affectent, si quis tamen historiam scribens, aut in circulis referens, Catholicos hæc vel illa perpetrasse memoraret, nemo alios quàm Romanæ Ecclesiæ aggregatos intelligeret. Unde *Augustinus lib. contra Epist. Fundam. c. 4.* ait: *Tenet postremò me in gremio Ecclesiæ ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola obtinuit, ut cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærent tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Nam (ut idem ait *lib. de vera Relig. c. 7.*) *velint nolint ve, ipsi quoque Hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocāt. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.* Et *Cyrillus Catech. 18. Non petas* (inquit) *ubi sit Dominicum seu dominus Domini: nam etiam Hæretici suas speluncas domum Domini nominari volunt: nec petas, ubi sit Ecclesia; sed, ubi Catholica Ecclesia. Hoc enim nomen proprium est hujus sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrum.*

73. *Occurritur objectioni.*

Sensus igitur & consensus adeò inveteratus orbis stat pro Ecclesia subjecta Sedi Petri, quòd ipsa uti nominatur, sic sit Catholica, atque adeò vera Christi Ecclesia. Dum autem nonnulli Novatores objiciūt, Ecclesiam sic non vocatam temporibus Apostolorum, ostendunt se imitatores *Novatianorum*, quorum nomine sic sibi objicit *Pacianus Epist. 1. ad Sympronianum: Sed sub Apostolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur.* Falsum autem est, quod objicitur: nam in ipso Symbolo Apostolorū habetur: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Deinde *Esto* (inquit *Pacianus*) *sic fuerit. Cùm post Apostolos hæreses extitissent, diversisq; nominibus colūbam Dei atque reginam lacerare per partes & scindere niterentur, cognomen sunum plebis Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem.* Et infrà: *Ego fortè ingressus populosam urbem hodiè, cum Marcionitas & ceteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent; quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?*

Sicut autem nomen hoc, quod totius orbis antiquissimo usu nobis adhæret, signum est veritatis, sic ceterarum sectarum nomina, quæ ab earum auctoribus eis adhærent, signa sunt novitatis & falsitatis. Adeò ut audeat & dicat *Hieronymus dialog. contra Luciferianos in fine. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christiani, non à Christo, sed ab alio quopiam nuncupari, puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses &c.* (adde, Lutheranos, Calvinistas, Zuinglianos, Mennonistas &c.) *Scito non esse Ecclesiam Christi, sed Anti-Christi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse inducant, quos Apostolus futuros esse prænuntiavit. Et Athanasius Orat. 2. contra Arianos in princ. A Christo Christiani & sumus & nuncupamur. Illi verò qui aliunde originem suæ fidei deducunt, merito auctorum suorum cognomenta præ se ferunt. Vincentius Lyrinensis c. 34. Quæ hæresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit?* Consimilia habent alii Patres.

74. *Nomina Sectariorum signa novitatis & falsitatis juxta Patres.*

Conantur quidem Hæretici Catholicis impingere alia nomina; prout *Ariani* eos vocabant Homousianos, vel Athanasianos, Pelagiani Traducianos &c; sed (inquit *Augustinus lib. 1. Operis imperf. contra Julian. cap. 75.*) *Athanasianos Ariani Catholicos vocant, non & alii Hæretici. Vos autem non solùm à Catholicis, sed etiam ab Hæreticis vobis similibus & vobis dissentientibus Pelagiani* (Gommaristæ, Calvinistæ, Lutherani &c.) *Vocamini, quemadmodum non tantum à Catholica, sed etiam ab hæreticis vocantur Ariani. Vos verò soli nos appellatis Traducianos, sicut illi Homousianos, sicut Donatistæ Macarianos, sicut Manichæi Pharisæos, & ceteri hæretici diversis nominibus.* Sicut denique (si Deo placet, studio subtrahēdi Ecclesiæ nostræ nomen inveteratum Catholicæ, per invidiam nos vocant *Calvinistæ* hodie Papistas seu Pontificios. Quod tamen non hominem aliquem nostræ congregationis auctorem vel Novatorem significat, estque non particulæ alicujus vel schismatis, sed universitatis indicium. Neque probrosum est nobis (quidquid frustra intenderint Hæretici) ut sicut ab ipso capite Christiani, ab universitate Ecclesiæ Catholici, sic ab universalis Ecclesiæ visibili capite & Christi Vicario dicamur Pontificii. Solent etiam invidiam nobis affricare ex nomine *Romana.* Verùm hoc nomine, prout coincidit cum Catholica, non significatur Ecclesia

75. *Conatus frustranei antiquorum ac recentiorum contra nominis Catholicæ prærogativam.*

*De nomine Papistica.*

*Et Romanæ Ecclesiæ.*

clesia particularis Romanâ Diœcesi, cui Pontifex tamquam spiritualis Episcopus præest, constricta; sed universa ubique locorum constituta ac diffusa Ecclesia, quæ Romanæ Urbis Episcopo tamquam universali Pastori & Patrum Patri paret, ac communionem cum eo habet; cujus quidem Ecclesiæ Romanæ sic acceptæ, Ecclesia particularis Romana est parva, etsi singulariter excellens, particula.

## §. VI.

## *Quarta Ecclesiæ Nota, quòd sit* Apostolica.

76. *Ecclesia vera est Apostolica. Primò Ratione Cathedræ Romanæ.*

Ecclesia Romano Pontifici obediens est vereque dicitur Apostolica. Primò ratione Cathedræ S. Petri seu Sedis Romanæ, quæ antonomasticè vocatur etiâ apud *Augustinum* & alios Veteres Apostolica, quia videlicet in Romana Ecclesia *semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus*, ut loquitur *Augustinus, Epist.* 162. Sicut & Pontifex Romanus jam olim vocabatur Domnus Apostolicus. Hujus porrò Sedis Apostolicæ fidem Ecclesia nostra servat, doctrinam prædicat, & ab ea ceteri Ecclesiæ ministri auctoritatem recipiunt. De Communione cum hac Sede, qualiter ad Ecclesiam sit necessaria, agendo de ejusdem Unitate dictum est.

77. *Secundò Ratione Successionis.*

Secundò Ecclesia dicitur Apostolica, quia à Christo inchoata, per Apostolos propagata & perfecta, eadem perpetuâ quâdam successione perseverat atque adeò usque ad finem sæculi juxta promissiones Christi perseverabit. Itaque hæc manifestissima veræ Ecclesiæ Nota. De qua *Hieronymus dialog. contra Luciferianos in fine* rectissimè dixit: *Brevem tibi apertamq; animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat.* Quare in hac infallibili veræ Ecclesiæ Nota continetur illa, quæ ab alijs statuitur antiquitas, certissima similiter Ecclesiæ, utique à Christi institutione permanentis, nota; quæ adeò apertè deficit Novatoribus, ut per decem eoque amplius sæcula delitescentem & toti mundo invisibilem cogantur asserere, hoc est, fingere. Quod refutavimus *quæst.* 3.

*Quæ est apertissima nota coincidens cum Antiquitate.*

78. *Qualis debeat esse successio, ut Ecclesia sit Apostolica.*

Porrò ut Ecclesia aliqua præsens sit Apostolica (utì præfertur) necessariò requiritur perpetua ministrorum in eadem successio, præsertim Episcoporum, quorum est, semperque fuit regere Ecclesiam Dei. Si enim catena successionis alicubi frangatur, impossibile est subsequenti tempore remanere legitimos Episcopos & Ministros. Unde enim subsequentes ordinationem & potestatem accipient? non ab homine alio: non à seipsis. Requiritur ergo, ut sicut in Christum tamquam originem & radicem referri debet, sic ab eo per jugem successionem fluat. Unde *Tertullianus lib. de Præscript. c.* 32: *Si quæ Ecclesiæ audeant interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur Apostolicæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem, & antecessorem: hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.*

79. *Successionem Ecclesiæ Romanæ principaliùs urserunt Patres.*

Quod argumentum etiam alii Patres velut evidentissimè omnes Novatores convincens adhibuerunt, successionem potissimùm probantes Ecclesiæ Romanæ, velut principalis & evidentissimæ. Id quòd nunc à fortiori nobis agendum, quando in ceteris Ecclesijs Apostolicis dudum deficiente successione constat eam illi sectam contra omnes impetus hostiles post tot annorum cēturias in Sede Apostolica perdurasse. Sic *Irenæus l.* 3. *c.* 3. ait: *Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo &c. præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam &c. Hâc ordinatione & successione ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hac ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata & tradita in veritate.* Quare omnes Episcopos Romanos à Petro usque ad Eleutherium tunc sedentem enumerat, utì & *Optatus l.* 2. *contra Parmenianum* recenset omnes usque ad Sincium Papam tunc sedentem, inde ostendens apud *Donatistas* successione istâ carentes non esse Ecclesiam: *Vos* (inquit) *vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Eodem fine *Augustinus Epist.* 165. omnes usque ad Athanasium tunc sedentē enumerat: & in *Psalmo contra Partem Donati* urget: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri, & in Ordine illo Patrum, quis, cui successit, videte.* Et *Lib. contra Epist. Fundam cap.* 4. *Tenet me*, in Ecclesia *ab ipsa Sede Petri, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* *Epiphanius Hæresi* 27. recensitis accuratè Romanis Pontificibus invicem succedentibus, subdit: *Et ne quis miretur, quod singula ita exactè recensemus: per hæc enim semper claritas ostenditur.*

Ex

80. *Ex hac quilibet Episcopus & Sacerdos ordinationem suam deducit ad Christum.*

Ex hac successione fit, ut quilibet Episcopus Romanæ Ecclesiæ suam ordinationem facillimè deducat ad Apostolos ipsumque Christum tamquam primum & summum Pontificem; immo & quilibet Sacerdos: singuli nempe ad suos ordinatores, & hi ad suos, & sic consequenter donec perveniatur ad ipsum Christum.

*Vis & potestatem jurisdictionis, Vocationem &c.*

Secundò fit, ut quælibet legitima potestas jurisdictionis, vocatioque ad prædicandum, absolvendum, novas Ecclesias fundandum &c, similiter ad fontem omnis potestatis Christum reducatur, qui Ecclesiæ ejusque visibili capiti potestatem perpetuò concessit, unde in Episcopos, hisque mediantibus in Parochos ordinaria, in aliquos etiam ab iisdem, aut ab ipso Pontifice delegata descendit. Quæ potestas sive ordinaria sive delegata spectat ad vocationem, quæ dicitur ordinaria, ministrorum Ecclesiæ, prout distinguitur contra extraordinariam, quæ v.g. à Christo alicui concederetur immediatè, & non per istam viam seu canalem ordinarium. Ipsi nimirum Christo data est potestas omnis, qui illam dedit Apostolis *Matth.* 28. & manet etiam his mortuis usque ad consummationem sæculi, quatenus scilicet ipsa manet cum subsequentibus rivulis ab ipso fonte per successionem & ordinariam vocationem derivatis, qui origine unum sunt. *Nam* (ut *Cyprianus l. de Unitat. Ecclesiæ paulo post init.*) *cum de fonte uno rivi pluvius defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copia largitate, unitas tamen servatur in origine.*

81. *Novatoribus desunt Ecclesiæ Apostolici census.*

*Edant* nunc Hæretici nostri *Origines Ecclesiarum suarum*, ut utar verbis *Tertulliani de Præscript. c.* 32. Nam (ut ait *cap.* 20.) *omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Exhibe ergo* (ut idem ait *l.* 1. *adversus Marcionem c.* 21.) Calvine, Luthere, &c. *aliquem ex tuis Apostolicis censûs, & obduxeris*, sive conviceris. Sed non est periculum: Nam *habet planè & illud*, (Evangelium Marcionis; adde Lutheri, Calvini, &c.) *Ecclesias, sed suas, tam posteras, quàm adulteras: quarum si censum requiras, faciliùs apostatarum invenias, quàm Apostolicum, Marcione scilicet* (Luthero, Calvino &c.) *conditore, vel aliquo de Marcionis* (Lutheri, Calvini &c.) *examine*, inquit idem *l.* 4. *adversus Marcionem cap.* 5.

*Et Episcoporum successio.*

*Evolvant* Novatores *ordinem Episcoporum suorum*, ut idem *de Præscript. c.* 32. Sanè luce clariùs apud eos deficit successio continuata Episcoporum: Immo in eorum Synagogis non sunt ulli ordinati Episcopi aut Sacerdotes, nisi fortè aliquis Episcopus aut Sacerdos transfuga; qui tamen apud illos non exercet actus ordinationis, utpote quam rejiciunt. In quo secundùm hominem loquendo stupidiores fuere antiquis hæreticis, qui conati sunt habere aliquos ordinatione Episcopos & Sacerdotes. Porrò non est Ecclesia vera sine Episcopis; & sine Episcopis dari non possunt sacerdotes, utpote per solos verè ordinatos Episcopos creandi.

*Immo Episcopi carent.*

Ut proinde ridiculum sit, quòd *Lutherus* jactitetur Episcopus Wirtenbergensis, *Zuinglius* Tigurinus, *Calvinus* Genevensis, *Oecolampadius* (ut ejus Epitaphio inscriptum) primus Basileensis Episcopus. Nam (ut optimè *Cyprianus l. de Unit. Eccles. paulò ante med.*) *Hi sunt, qui se ultrò apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt: qui se Præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt: qui nemine Episcopatum dante Episcopi sibi nomen assumunt &c.* Quare *Novatianus* (inquit *l.* 1. *Ep.* 6.) adde Lutherus, Calvinus &c. *in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelicâ & Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens, à se ipso ortus est.* Veri nimirum Episcopi ab aliis communionis Catholicæ Episcopis juxta perpetuam Ecclesiæ traditionem ordinandi sunt. Et per hos solos ordinandi sunt Presbyteri. Unde Iscyras ordinatus Presbyter à Colytho quodam, non vero, sed imaginario Episcopo, cum ceteris ab eodem ordinatis in veterem ordinem est redactus ab Osio & ceteris Episcopis in Concilio generali, ipseque Colythus in pristinum ordinem presbyterorum relegatus, teste *Athanasio Apolog.* 2. Nam *quomodo possibile erat Presbyterum constituere non habentem manuum impositionem ad eligendum?* inquit *Epiphanius adversus hæresim Arrianam*, quæ est apud ipsum Hæresis 75. Quare defectu verorum Sacerdotum apud Novatores non potest esse Ecclesia: Nam (ut *Hieronymus Dialog. contra Luciferianos versus finem*) *cum homine pariter interiit & secta, quia post se nullum clericum Diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotem.* Et *Cyprianus Epist. ad Florentinum in fine: Illi sunt* (inquit) *Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.*

82. *Hæresiarchis recentioribus nomen Episcopi, quam indebitè tribuatur.*

Præterea in Sectis Novatorum recentiorum apertè deficiunt legitimi Episcopi, eorumque successio, ex eo capite, quòd non acceperint Cathedras vacantes, sed sacrilegè invaserint ab aliis legitimè occupatas. Debet igitur, priusquam fieri possit legitima successio, sive per mortem, sive per legitimam depositionem, vacare locus: *quo occupato ..... quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foràs fiat necesse est*, inquit *Cyprianus l.* 4. *Epist.* 2. aliàs 52. Nam (ut idem interrogat *l.* 1. *Epist.* 6. aliàs 76.) *Pastor haberi quomodo potest, qui manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succidaneâ præsidente, nemini succedens, & à se ipso incipiens, alienus fit & profanus Dominicæ pacis, ac divinæ unitatis inimicus?* Et *Optatus lib.* 1. *contra Parmenian. Videndum* (inquit) *est, quis in radice cum toto orbe manserit, quis foràs exierit, quis Cathedram sederit alienam quæ antè*

83. *Ex quo ista super capite desint Novatoribus legitimi Episcopi & successio.*

*non fuerat, quis altare contra altare erexerit, quis ordinationem fecerit, salvo altero ordinato.*

84. *Eisdem deesse Vocationem ordinariam ostenditur.*

Deest insuper manifestè Novatoribus successio quoad legitimam potestatem jurisdictionis, & ea, quæ vocationem concernunt, necessariam utique ad prædicãdum; præsertim novam fidem, ei quæ dudum in possessione fuerat, contrariam; ad novas congregationes fundandum, veteribus possessoribus expulsis &c. Nam, velint, nolint, recurrere coguntur ad Ecclesiam Romanam, à qua sola utique poterant eorum parentes potestatem Ecclesiasticam accepisse: cùm si hodierni velint ascendere, in *Calvino*, *Luthero*, similibusque parentibus necessariò sistere debeant; tota autem potestas horum, quæcumque fingi posset, non nisi ad Ecclesiam Romanam, quæ sola erat, recurrendo defendi possit. Hinc autem convincuntur Novatores fateri, Ecclesiam Romanam tunc adhuc fuisse veram Christi Ecclesiam; utpote in qua sola est, seu cui soli concessa est à Christo auctoritas Ecclesiastici ministerii, id est, erigendi & formandi Ecclesias, mittendi operarios in vineam Christi &c. Deinde convincuntur vocatione caruisse: Nam Ecclesia Romana nusquam concessit *Calvino* vel *Luthero* tam exorbitantem potestatem, seu missionem ad erigendas Ecclesias, alias reformandas, destruendas, munia pastoralia, expulsis possessoribus, obeunda. Tota facultas, quæ *Luthero* v. g. umquam competit, fuit delegata, dependens, ad nutum revocabilis, & per Decreta ac Censuras Ecclesiæ revocata facultas, doctrinam Ecclesiæ, eum mittentis, prædicandi: ultra quam, habuit potestatem ordinis ad dicendam missam & ministrandam pœnitẽtiam; etsi ad hanc etiam requiratur jurisdictio, à *Luthero*, si eam aliquando habuit, ablata. Quod enim Ecclesia gratuitò dedit, auferre potuit, meritoque abstulit. In qua igitur potestate fecit *Lutherus* cum sui similibus ea quæ attentavit? Simili planè, quâ privatus quispiam delegatus ad audiendum aliquos testes, mox totam judiciorum potestatem invaderet, judices reclamantes tribunali pelleret prætextu perversi judicii, & ad scelus violentiæ palliandum adferret potestatem ab iis ipsis acceptam.

85. *Effugia eorum occluduntur.*

Illegitima igitur protoparentum istorum, & consequenter iis succedentium vocatio, & perversa usurpatio potestatis; nequidquam eos justificante, quod asserunt (sed falsissimum est) se prædicare veritatem: nam & hanc non vocati neque missi prædicantes, sacrilegi sunt potestatis non suæ usurpatores. Neque is qui prædicat, sed qui ad prædicãdum misit de qualitate prædicationis judex esse debet, ne quisque sit judex in propria causa, maximè cùm quivis alii Hæretici, invicem contrarii, venditaverint se præcones veritatis, suum judicium Ecclesiæ præferendo, qui non minùs damnati sunt.

Humanus quoque & infundatus timor subversionis Ecclesiæ per scandala & hæreses non excusat defectum debitæ vocationis: Deus enim sic fundavit Ecclesiam, ut etiam servato debito ordine (qui & tempore Apostolorum accuratè servatus) non sint portæ inferi prævaluturæ adversus eam. Nulla quoque alia causa vel incommodum potest excusare: *Oportuerat quidem etiam pati omnia pro eo, ne scinderetur Ecclesia Dei*; inquit *Dionysius Alexandrinus* apud *Eusebium lib. 6. Hist. c. 35.* Cui consonans *Augustinus l. 2. contra Epist. Parmeniani c. 11.* ait, *non esse quidquam gravius sacrilegio schismatis: quia præcidenda unitatis nulla est justa necessitas.*

86. *Deesse quoque Extraordinariam Vocationem declaratur.*

Vocatio extraordinaria, quæ scilicet per ipsum Deum seu Christum fit, nemine interjecto, nullo indicio convenit iisdem Hæresum antesignanis. Hæc enim deberet ab iis ostendi sigillo & patentibus summi Regis, puta miraculis; prout fecere Christus & Apostoli. Unde *si* (inquit Christus *Joan. 15.*) *opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et *cap. 5. Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Ejusmodi opera etiam fecerunt ceteri viri Apostolici, qui Evangelium alibi plantarunt; quod & in Novi Orbis Apostolis liquet; qui tamen vocatione ordinariâ prædiți fuerunt. Quantò igitur magis in istis Pseudo-Apostolis requisita fuerant, non existentem in orbe fidem annuntiantibus? Unde *Pacianus Epist. 3. contra Novatian.* ait: *Novatianus linguis locutus est? Prophetavit? suscitare mortuos potuit? horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret.*

*Confirmatur.*

Justè sanè peteretur & petitur à volentibus occupare magistratûs civilis officium, ut litteras Principis proferant, aliàs habendi læsæ Majestatis rei: an non igitur æquâ aut potiori ratione exigitur à prætendentibus tam extraordinariam Missionem & Commissionem in Ecclesia Christi, ut patentes sigillo Dei munitas proferant, ne invasi sacerdotii & violati ministerii, ac læsæ Majestatis Christi rei convincantur? Eò magis, quòd missio non foret solùm extraordinaria, qualis olim Prophetarum etiam non sacerdotum (qui nihilominus signa suæ missionis proferre debebant, ut eis populus tamquam Prophetis deferret) quæ erat velut collateralis & subsidiaria vocationis ordinariæ in veteri lege, in qua hæc competebat sacerdotibus descendentibus ab Aaron: verùm ipsa prætensa missio foret sic nova, ut esset quasi fundamentalis (qualem numquam Prophetæ prætenderunt) utpote eversiva prioris

priorís ministerii, & inversiva Ecclesiasticæ potestatis, destructâ præcedenti, ejusque possessoribus expulsis, adeoque constitutiva novi Ecclesiæ statûs, novique cœtûs, quem singuli Pseudo-Apostoli venditant tamquam Ecclesiam Dei vivi seu Christi. Unde velut è scaturigine rursum flueret vocatio ordinaria ministellorum, qui usque nunc iis succedunt.

87. *Miraculis probanda vocatio Extraordinaria judicio ipsius Lutheri.*

Audi judicium ipsius *Lutheri* contra novum sibi similem Apostolum, simili, hoc est, nullâ auctoritate, instar fungi emergentem, adeoque contra semetipsum loquentis: *Accersat* (inquit *Tomo 2. Oper. Germ. Ienæ editorum Fol. 455. & seq.*) *eum ad se senatus, etiâ præsente omni populo, si fieri potest, & quæratur ex eo, quis eum huc miserit atque vocaverit ad docendum? Quòd si tum dicat, se à Deo atque ipsius spiritu missum esse sicut Apostoli, probet hoc signis & miraculis editis, vel nolite pati, ut concionetur. Nam ubicumque Deus ordinariam viam mutare vult, ibi semper miracula facit.*

Extraordinaria dona, aut extraordinarii & heroici impetus, quæ alii adferunt, minimè ad prædicta sufficiunt, ut patet. Immo nequidem in terrena republica, etiam Genevensi, quis auderet prætextu extraordinariæ legum peritiæ, extraordinarii & heroici impetûs, expulsis è sede Judicibus invadere tribunalia. Hæc quoque extraordinaria æquè prætendunt singuli Sectarii, etsi invicem adversantes. Et quidem verè extraordinarii fuerunt eorum impetus ad Ecclesiam & regna turbanda; ut experientia, prô dolor! nimis docuit in Gallia, Belgio & Germania.

88. *Concluditur eos esse Sacrilegos invasores Ecclesiastici Ministerii.*

Quid igitur restat, quàm omnes hujusmodi Novatores esse instar Core, Dathan & Abiron, sacrilegos Ecclesiastici ministerii invasores, omni missione seu vocatione destitutos? Quibus proinde meritò ingeruntur hæc loca Scripturæ: *Quomodo prædicabunt*, Ecclesias fundabunt, priores evertent &c. *nisi mittantur? Rom.* 10. *Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Hebr.* 5. *Qui non intrat per ostium, sed aliunde, ille fur est & latro. Ioan.* 10. *Omnes quotquot venerunt, à seipsis scilicet, fures sunt & latrones.* Ibidem. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Hierem.* 23. *Ad quos* proinde (ut utar aureis verbis *Tertulliani l. de Præscript. c.* 37.) *meritò dicendum est: Qui estis? quando & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion*, Luthere, *jure sylvam meam cædis? quâ licentiâ Valentine*, Calvine, *fontes meos transvertis? quâ potestate Apelles*, Menno, &c. *limites meos commoves? mea est possessio. Quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum heres Apostolorum.* Consimilibus verbis in-

*Aurea Tertulliani verba.*

sectatur Marcionem *lib. 4. adverf. eumdem c. 23. Quisquis es ἐπεξχόμενε*, id est, superventitie, *prius ede, qui sis, à quo venias, quod tibi jus sit in nobis .... quàm olim apud nos agere cœpisti ..... Asinus de Æsopi puteo modò hic apparuit, & jam exclamat.*

Ex quibus præsertim priùs allegatis *Tertulliani* verbis rursum elicitur hoc efficax argumentum. Novatores Ecclesiam nostram proprio ipsorum testimonio antiquissimam & multorum sæculorum possessione firmatam, ejus sc. reformatores venditantes perturbant: ergo ante omnia causam adventûs sui claram reddere, errores Romanæ Ecclesiæ evidenter patefaciendo debuerant: alioquin enim ipsis, utpote in hac causa actoribus, in probatione deficientibus seu non satis clarè probantibus nostrorum dogmatum novitatem, falsitatem, blasphemias &c. absolvendus est reus, juxta regulam naturæ & juris. Et quidem cùm sibi delegerint Scripturam velut unicam suæ reformationis normam, id ipsum ex Scripturis consequenter foret eis probandum. Sed lubenter etiam libertatem concedimus probandi ex Veterum monumentis; ex quibus id esset factu facillimum, si verum. Utì nos inde ad oculum probamus dogmata nostra, & Novatorum dogmata, velut eis capitaliter adversa (quod ipsimet in variis fatentur vel inviti) convellimus. Hoc autem nondum præstare potuerunt ipsi, ne quidem circa unicum articulum. Ut proinde rectissimè *desinant quærere, quod invenire non potuerunt, non quia occultum est, sed quia non est*, inquit *Augustinus l. de Unitat. Ecclesiæ c.* 16. Nil igitur restat, nisi quòd tamquam perduelles & sacrilegi invasores sint condemnandi, & Ecclesia absolvenda, ac in pristina possessione relinquenda.

89. *Ex quibus aliud efficax argumentum elicitur.*

Præter successionem personarum est etiam ad Ecclesiam, quà Apostolicam, spectans perpetua successio doctrinæ, quæ consistit in continuata ejusdem doctrinæ prædicatione; & per prædicationem in auditores diffusione sive in eos, quòd doctrina Apostolorum de manu ad manũ sit tradita succedentibus Ecclesiæ Pastoribus, & per illos plebi, sine ulla interruptione aut innovatione. Quam etiam successionem & cõtinuam doctrinæ traditionẽ, utique necessariam ad indefectibilem Ecclesiæ stabilitatem, urget *Irenæus l. 3. c. 2. & 3.* Et *Augustinus Tract. 37. in Ioan. Nos* (inquit) *id est, Catholica fides veniens de doctrina Apostolorum, plantata in nobis, per seriem successionis accepta, sana ad posteros transmittenda.* De eadem contra Pelagianos agens *l. 2. contra Julian. c. 10. Quod invenerunt* (inquit) Patres ab ipso antea relati, *in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Et *Athanasius l. de Decretis Nicenæ Synodi versus finem* ait. *Ecce nos demonstramus, istiusmodi sententiam à Patribus ad*

90. *Successionẽ personarum accedit successio doctrinæ ad Ecclesiam Apostolicam pertinens.*

*Patres quasi per manus traditum esse. Vos autem novi Judæ & discipuli Caiphæ, quos verborum vestrorum patres ac majores demonstrabitis?*

91. *Quam in Romana re perviri ostenditur.*

In Ecclesia verò Romana eâque sola est perpetua ejusdem doctrinæ successio, juncta successioni personarum. Alioquin enim si successu temporum in tot (utì Adversarii clamant) fidei articulis, immo si vel in unico aliqua variatio contigit contra doctrinam ab Apostolis traditam: ostendat ullus Hæreticus, vel apparenter, quæ fidei doctrina, quo tempore, à quo Pontifice fuerit invecta, cujus contrarium antea in Ecclesia seu sub prædecessore credebatur, sic ut per consequens facies publica fidei fuerit umquam immutata? A qua consequenter Ecclesia in fidei radice permanente, in quove dogmate nostra discesserit? Quis Historicus ullam istius rei mentionem fecerit? Quis Orthodoxorum Scriptorum aut Pastorum eam impugnaverit? An omnes muti fuerunt, dum Roma novum Evangelium cudit?

*Vtì & eâ carere Novatores.*

E contrà manifestum est, Novatoribus, utì deest successio personarum, sic deesse successionem doctrinæ; cujus proinde novam introductionem ad oculum facillimè demonstramus, scilicet quo tempore, quo auctore, quæ hæreses à singulis fuerunt introductæ, à quo damnatæ. Quod etiam de antiquis hæresibus seu in fide novitatibus apertè monstramus; quæ adeò non fuerunt à Romanis Pontificibus introductæ, ut eas potiùs, quotquot ullo tempore fuerunt, ipse damnaverit, atque etiamnum novellas succrescentes hæreses damnet.

Adeò porrò apertè deest illis omnis perpetuæ successionis umbra, ut nequeant ostendere congregationem aliquam fuisse, in qua fides Lutherana, Calvinistica, Anabaptistica &c. vel per modicum tempus viguerit, antequam Antesignani istius eam orbi manifestaverint. Dum verò fautores suos sursum ascendendo quidam recensere nituntur, non alios, si de punctis fidei sit sermo, allegare cum apparentia possunt, quàm eos, qui singulis sæculis pro hæreticis fuerint habiti & reprobati, v. g. Begardos, Lollardos, Petrobusianos, Waldenses, fœdissimos Albigenses (qui verè Manichæi) & similia monstra. Quamvis omnes hi testes ad omnia parati stent æquè pro *Lutheranis*, ac pro *Calvinistis*, aliisque novis sectis dilectis.

92. *Cavillatio eorumdem manifestè convellitur.*

Solent quidem clamare Novatores, à tempore præsertim Gregorii Magni verè Anglorum Apostoli (quem tamquam pereuntis Theologiæ præsultorem describit *Melanchton Orat. de Corrig. studiis*) continuò magìs ac magìs invaluisse superstitiones & abominationes doctrinæ papisticæ; sed ne unicum articulum à Gregorio, aut aliquo ejus successore contrà quàm credebatur invectum allegare cum aliqua apparentia possunt. Exinde etiam usque ad inductas à Novatoribus sectas nusquam in mundo fuit congregatio servans corpus doctrinæ, sive Lutheranæ, sive Calvinianæ, sive Anabapisticæ, sive alterius coævæ sectæ. Evolve omnia exinde veterum Scriptorum, Conciliorumque monumenta. Reperies Ecclesiæ Capita quæ modò, scilicet Papas, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos: Clerum reliquum eumdem, Sacerdotes, Diaconos, Exorcistas & cetera Ministros, Clericos, Monachos, Sanctimoniales, Vota Cœlibatum: Missas, altaria, oblationes, Corpus & Sanguinem Christi, Ordinationes, Consecrationes, Chrismata, Unctiones: Disciplinam Ecclesiasticam in jejuniis Quadragesimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum, Cœremoniis Baptismi & aliorum Sacramentorum: Cultum Reliquiarum, Imaginum, Invocationem Sanctorum, festos dies, Lymbum, Purgatorium, Preces & Sacrificia pro defunctis &c. Ipsa monumenta muta, clamant cruces, calices, altaria, vestimenta sacra &c.

93. *Consectarium.*

Sequitur ergo manifestè Ecclesiam Romanam fuisse & mansisse Catholicam & veram Christi Ecclesiam. Alioquin sanè tot retro sæculis nusquam in orbe Ecclesia Christi verè extitisset. Sequitur II. nullam è sectis Novatorum esse indefectibilem & ab institutione durantem Christi Ecclesiam. Sequitur III. nullam ex iis adeò esse apostolicam, ut ne quidem ante initium superioris sæculi ulla fuerit. Ante *Lutherum* siquidem non fuerant Lutherani, neque ante *Calvinum* Calvinistæ &c.

*Novitas hodiernarum sectarum.*

Ipsos quoque auctores *constat neque adeò olim fuisse*, Caroli V. *principatu, & in Catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub Episcopatu* Leonis X. *benedicti ob inquietam semper eorum curiositatem qua fratres quoque vitiabant ..... in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt*; utì contra *Marcionem* & *Valentinum*, mutatis nominibus *Antonini* & *Eleutherii* in nomina *Caroli* & *Leonis* loquitur *Tertullianus de Præscript. c.* 30.

94. *Indecens sequens falsitas.*

Quàm igitur certò novæ nuperæ ac pridem non existentes sunt eorum doctrinæ & sectæ, tam certò sunt falsæ. Nam *ex ipso ordine* (inquit *Tertullianus supra c.* 31.) *manifestatur id esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum: Et* (ut ait *cap.* 35.) *posterior res nostra non est, immo omnibus prior est. Hoc erit testimonium veritatis ubique obtinentis principatum.* Quod & aliàs urget contra Hæreticos. Quos irridens *cap.* 29. ait: *Aliquos Marcionitas & Valentinianos* (adde Lutheranos, Calvinistas &c.) *liberanda veritas expectabat: interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur &c.* Quare *Hieronymus*

*Epist.*

*Epist. ad Pammachium & Oceanum*: *Quisquis* (inquit) *es assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apostoli voce laudata est: cur post quadringentos* (adde nunc alios octingentos) *annos docere nos mavis, quod antea nescivimus?*

95. *Successio quid superaddat doctrinæ identitati.* Ad successionem doctrinæ spectat quoque doctrinæ identitas, cui successio superaddit continuationem non interruptam. Unde si doctrina Apostolorum fuisset per multa sæcula sepulta, dein divinitus suscitaretur, foret quidem doctrinæ seu rerum quæ creduntur identitas, non tamen successio. Nihilominus etiam exacta identitate doctrinæ apertè revincuntur Hæretici. Nam nil omnino antiquitati contrarium tradimus, quin potiùs fidei nostræ articulos ex sanctis Patribus & Conciliis antiquioribus probamus, ut ex decursu totius Theologiæ patet. E contrà constat Novatores, in multis punctis tradere doctrinam contrariam doctrinæ, quæ semper in Ecclesia fuit, etiam illis temporibus, quibus fatentur Ecclesiam Romanam nondum fuisse in fide adulteram, adeoque adhuc veram Christi Ecclesiam, puta primis saltem quadringentis annis, immo docere puncta, quæ ab Ecclesia istorum temporum fuerunt velut hæreses reprobata. Nam preces & sacrificia pro defunctis execrantur cum hæresiarcha *Aërio*, cum quo etiam Episcopum à Presbytero potestate non distinguunt: statuta certis diebus jejunia rident, eaque libera esse volunt cum eodem *Aërio* & *Eustachio*: delectum & abstinentiam quorumdam ciborum inutilem cēsent cum *Jovimiano*: Nuptias Virginum Deo dicatarum defendunt & suadent, earumque continētiam non esse præ castis conjugiis majoris meriti censent cum eodem *Jovimiano*: Monachorum nomen & institutum rident ac detestantur cum *Donatistis*: Invocationem Sanctorum, cultum eorundem & sacratum reliquiarum detestantur, ac idololatriæ nos accusant sequentes *Julianum* Apostatam, *Eunomium* & *Vigilantium*: Unctionem sacri Chrismatis contemnunt cum *Novatianis*; cum quibus etiam potestatem remittendi peccata sacerdotibus negant: Filios fidelium nasci sanctos asserunt, suscitantes ex parte hæresim *Pelagianorum*: Nos aquâ Baptismi non mundari tradunt cum *Manichæis*: Liberum arbitrium tollunt cum eisdem; quibus eatenus *Calvinus* & alii Novatores longè nefandiores, quòd isti peccatum Deo malo, hi etiam Deo bono tamquam auctori & incentori tribuere non vereantur. Cui ne quid blasphemiarum desit, inauditam hactenus superaddit *Calvinus*, dum Christo in cruce pendenti pœnas damnatorum ac desperationem attribuit. Hæc (ut plura alia omittam) quid sunt, nisi colluvies fœdissima diversarum sectarum errorumque, qui dudum fuere damnati, antequam Novatores nostri nati forent? Vide *Bellarm. l. 4. de Eccles. milit. c. 9.*

*Ex hac tamen etiam convincuntur Hæretici.*

*Hæreses olim damnatæ resuscitant.*

Adjurò itaque te quisquis gloriari vis Christiano nomine, & fluctibus variarum dubitationum agitaris, vel à Castris Catholicæ unitatis exulas, ut sepositis affectibus, humiliquè ad Deum oratione effusâ identidem consideres & rumines signa veræ Ecclesiæ. Spondeo, fidenter clamabis, & dices cum *Augustino l. contra Epist. Fundamenti c. 4. Multa sunt, quæ in ejus* Ecclesiæ, *gremio me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atque Gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli..... usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ nomen &c.* 96. *Notæ Ecclesiæ ex Augustino recapitulantur.*

Hinc enim tanta pax, quies & consensio in animis omnium syncerorum Catholicorum; qui inde in sua divina credulitate firmissimè radicati, contra omnes Novitates jugiter pullulantes, sentiunt cum *Tertulliano l. de Præscript. c. 8. Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse ultra quod credere debeamus.* Et *cap. 11. Semel dixerim, nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit* Et cum *Paciano Epist. 3. contra Novatian. Ego huc usque securus, ipsâ Ecclesiæ serie, congregationis antiquæ pace contentus, nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsivi. Tu postquam à reliquo corpore segregatus es, & à matre divisus, ut rationem tui facti redderes, totos librorum recessus assiduus scrutator inquiris, occulta quæq; sollicitas, quid quid exinde securum est, inquietas.* Quod quàm aptè quadrat in Sectarios, semper & ubique inquirentes, disputantes, inquietos ac alios inquietantes! Et meritò quidem inquieti sunt, aut esse debent; cùm inter tot sectas dissectas, nulla reperiatur prærogativa competens uni, quæ non pari jure competat alteri. Singulæ enim pari, sed omnes verè nullo, jure clamant apud se cum aliarum exclusione inveniri purum verbum Dei: quo igitur fundamento prudenter eligat hic Lutheranam, alter Calvinisticam, tertius Mennonisticam, quartus Lutheranam mitigatam, alii alias sine fine sectas? Nullo sanè, nisi singuli judicio suo privato & erratico, quia sibi videtur. Quod quàm temerarium in tanto negotio! Alis perinde est, quam ferè sectam eligant: immo dum in singulis tam fragile fundamentum cernunt, & fidei Catholicæ fundamenta non satis indagant, existimantes & hanc esse quasi unam ex illis, tandem in nullitatem religionis dilabuntur, fiuntque Athei, honestiori nomine politici dicti. Quid igitur restat, quàm ut omnibus novitatibus

*Quantam hinc quietem sentiat syncerus Catholicus.*

*Inquietudo frequens Hæreticorum quàm fundata, & electio quàm temeraria.*

& sectis rejectis, quæ singulæ tot nominibus & notis malis, quo Catholica bonis, sunt illustres, toto corde & animo complectamur *Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam?*

97. *An sit de fide individuum cœtū sub obedientia Alexandri VII. Christi doctrinam profitētium esse veram Ecclesiam.*

Petes, an sit de fide cœtum hominum, sub obedientia Alexandri VII. hodie sedentis in Pontificatu fidem Christi profitencium, esse veram Christi Ecclesiam? Resp. Aff. Patet: nam unus ex articulis fidei contentis in Symbolo est, *Sancta Ecclesia Catholica*; quod non de Ecclesia in confuso, sed determinatâ in individuo pro tempore existente est accipiendum, adeoque à singulis credendum; de nulla autem id credi potest aut debet, quàm de præfato cœtu: de quo solo evidenter credibile est ex notis jam traditis, quòd sit Sancta Ecclesia Catholica. Similiter de fide est omni tempore, atque adeò etiam modò, determinatam quamdam congregationem visibilem dari, quæ sit vera Ecclesia, utpote indefectibilis; evidenter autem credibile est, eam non esse aliam, quàm præfatâ congregationem. Insuper de fide est veræ Ecclesiæ caput esse Romanum Pontificem; solius autem Congregationis præfatæ caput agnoscitur Romanus Pontifex. Denique de fide est, doctrinam, quam præfata congregatio profitetur, esse veram Christi doctrinam sine admixtione errorum, aut schismatis: ergo de fide est, ipsam esse veram Christi Ecclesiam. Quare omnes Patres Ecclesiam suo tempore existentem, notisque quibus moderna fulgentem, credebant esse veram Christi Ecclesiam, hæreticosque censuissent, quicumque id pertinaciter negassent. Idemque sensus est de tempore hodierno.

Quòd si quis urgeat, ubi id sit revelatum? Resp. in Scripturis, Symbolis & Traditione, ex quibus patet credendum esse, quòd instituta à Christo sit Ecclesia per orbem diffundenda, eademque ine indefectibilitate perseveret, & crescat usque ad messem, quæ ex hoc aliisque præmissis signis est dignoscibilis. Deinde id Christus & Apostoli revelarunt de Ecclesia individua, quæ tunc erat: hæc autem perpetua, eademque est cum nostra præsenti; prout eadem censetur respublica, etsi membra seu partes materiales pedetētim mutentur. Unde sicut ex hoc, quòd fidei erat Christum infantem v.g. esse Messiam, etiam idem erat fidei de Christo jam grandævo, utpote eâdem personâ moraliter, etsi secundùm aliquas partes physicè diversâ: sic pariformiter loquendum de Ecclesia. Denique id revelatum est in revelatione doctrinæ, quæ in hac Ecclesia seu congregatione citra aliquod schisma traditur.

## QUÆSTIO V.

### *An judicium Ecclesiæ sit Necessaria Fidei Regula?*

98. *Scripturam solam esse regulam fidei tradunt Novatores.*

NOVATORES nullam fidei regulam volunt admittere præter Scripturam, ad quam semper provocant, purum putum verbum Dei jugiter concrepantes.

*Qui manifestè refutantur.*

Verùm in antecedentibus manifestè ostensum est, etiam ex ipsa Scriptura, & aliis fundamentis, admittendas insuper esse Traditiones non scriptas tamquam regulam fidei. Quibus accedit, quòd ex Scriptura non possimus judicare de ipsamet Scriptura, quòd sit verè divina, quòd non adulterata &c. adeoque; sequeretur ipsam regulam, quæ præ omnibus debet esse certissima, nobis manere incertam. De legitimo quoque Scripturæ sensu (qui est verborum quasi forma seu anima) ex sola Scriptura judicari non potest. Et hinc tot inter ipsos Novatores dissidia de sensu verborum, etiam nostro judicio clarissimorum, qualia sunt: *Hoc est corpus meum*: circa quæ plurimæ invicem adversantes sunt *Lutheri, Calvini Oecolampadii*, & aliorum explicationes. Quid igitur sperandum de locis obscurioribus, quibus Scriptura scatet, adeò ut etiam diligenti indagatione præmissâ hæreant doctissimi & sanctissimi in multis? Quidquid somnient Hæretici Scripturam esse claram.

99. *Scripturæ obscuritas, & intelligendi difficultas declaratur.*

Qui sanè revincuntur ex 2. *Petri* 3. ubi dicitur in Epistolis Pauli *esse quadam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant &c.* ex manifesta experientia, & ipsorummet dissensionibus (quæ utique in rebus claris non deberent locum habere) & Patrum doctissimorum juxta ac sanctissimorum sensu. Ut meritò *Augustinus lib. de Utilit. credendi* c. 17. Hæreticum jactitātem: *Cùm legerem, per me ipse cognovi*; explodat dicens: *Itane est? Nulla imbutus poëticâ disciplinâ Terentianum Maurum sine Magistro attingere non auderes, &c. tu in eos libros ..... sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam.* Consimiliter hujusmodi præsumptiones retundit *Hieronymus Epist. ad Paulinum*, subdens ironicè: *Sola Scripturarum ars est quam sibi passim omnes vendicant &c.* Nimirum apud Novatores *omnes tument, omnes scientiam politentur. Antè sunt perfecti Cathecumeni, quàm edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere &c.* ut dixit *Tertullianus l. de Præscript. c. 41.* Unde cum *Hieronymo sup.* concludo: *Ego (ut de me loquar interim) nec sanctior sum hoc Eunucho* (qui Isaiam legens non intelligebat sine interpretatione Philippi Diaconi *Act. 8.*) *nec studiosior &c.* Et profiteor cum *Augustino Epist. 119. ad Ianuar. c. 22. In ipsis sanctis*

*Præsumptio Hæreticorum ab Augustino retunditur.*

*ctis Scripturis, multo nescio plura, quàm scio.*

100. *Scriptura sine judicio Ecclesiæ non est idonea terminandis controversiis.*

Itaque si alia præter Scripturam regula aut judex non statuatur, non est ulla via concordiæ aut terminationis litium circa ipsas Scripturas earumque sensum exurgentium. Singulæ enim partes etiam in punctis capitalibus invicem adversantes Scripturam suis erroribus applicant, ad eam provocant, eam pro se stare pertinaciter clamant. Scriptura muta litem numquam dirimet. Confirmatur: quia supremi & legitimi judicis partes sunt, primò ut sententiam veram seu infallibilem profitat. Secundò, ut ab ea nequeat provocari. Tertiò, ut non ducatur studio partium. Quartò, ut sic ferat sententiam, quòd possit utrique parti evidenter constare, cuinam causa adjudicetur: aliàs enim nulla poterit controversia terminari, utraque parte contendente sententiam pro se stare; sicque finis institutionis judicii everteretur. Postrema autem conditio deficit Scripturæ, si secludatur auctoritas & judicium Ecclesiæ: nam *Lutherus* v. g. clamat illam stare pro se, *Calvinus* pro se. Idemque est de ceteris diversis & adversis Novatoribus. Qui igitur poterit controversia per Scripturam solam sopiri? Unde convincuntur, nullum eos judicem, qui litem legitimè decidat velle admittere: instar litigantium de re temporali, qui nullum judicem præter ipsum Corpus Juris Ciuilis vellent admittere, hoc unum textum, alio alterũ textum pro se stare contendente. Unde etiam pessimè foret consultum regimini Ecclesiæ (quæ utique est respublica optimè ordinata) si nullus in ea judex præter sacrum Codicem esset: quem admodũ pessimè foret provisum reipublicæ terrenæ, si præter Codicem legum, etsi optimarum, non esset in ea judex, qui dubia & controversias circa eas occurrentes terminaret.

*Conditiones legitimi & supremi judicis.*

*Qua desit Scriptura.*

101. *Novatores coacti recurrunt ad Scripturam prout subsit privato judicio.*

Ob hæc Novatores variis argumentis Catholicorum pressi hoc effugium meditati sunt, ut Scripturæ supremum judicium sufficere arbitrentur, quatenus ipsa subsit judicio discretionis seu interpretationi cuslibet privati: nam juxta Apostolum 1. *ad Cor.* 2. *Spiritualis judicat omnia.*

*Quibus nõ favet Scriptura.*

Verùm Phrasi Apostoli non quilibet fidelis est spiritualis, sed plerique sunt animales. Nec agit de judicio & interpretatione omnium Scripturarum & dubiorum fidei; sed dicit spiritualem in hoc præcellere animalem, quòd hic de terrenis & corporalibus, ille etiam de spiritualibus & supernis judicium discretionis habeat, adeo ut prout quisque magis est spiritualis & perfectus, eò certiùs & melius de occurrentibus judicare possit. Nam *vir bonus* (teste *Philosopho* 3. *Eth.* 4.) *recte de omnibus judicat, & facile quid in re quaque veri sit, perspicit.* Hoc autem non respicit judicium potestatis competens Ecclesiæ; quæ etiam velut, maximè perfecta optimè sibi arrogare potest judicium discretivum inter verum & falsum. Nec vult Apostolus, spiritualem sic posse discernere contra judicium Ecclesiæ; quin potiùs contra illam judicando, ostenderet se minime spiritualem esse.

*Quæ potiùs privatos remittit ad Ecclesiam.*

Alioquin Scriptura nusquam remittit privatos in cõtroversiis ad proprium judicium, sed ad Ecclesiam, quam audire teneantur: in qua proinde posuit Deus *Pastores & Doctores &c, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*, juxta Apostolum *ad Ephes.* 4.

102. *Regula proprii judicii Seminarium Hæresium.*

Porrò regula proprii judicii est seminarium omnium errorum. Inde enim *Tertullianus, Origines* ceterique ingenio & eruditione præstantissimi in barathrum errorum lapsi sunt. Unde *Vincentius Lyrinensis in Commonitorio c.* 23. post multa de Excellentiis *Originis* præmissa, talem ac tantum virum lapsum esse refert *dum ingenio suo nimiùm indulget, sibique satis credit, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens quædam Scripturarum Capitula novo more interpretatur*, juxta proprium videlicet judicium: sic ut universim Scripturis *novo & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreseos barathrum infelix anima præciptetur*, ut habet *c.* 37.

Ratio est: quia judicium proprium in rebus præsertim adeò obscuris & à sensu remotis est maximè fallax & imbecillum. Indeque tanta hinc innitentium variatio, fluctuatio, dissensio. Inde tantæ Sectariorum, æquè ad Scripturas, sed suo more & judicio intellectas, provocantium, inter se contentiones & contradictiones, etiam in materiis capitalibus; cum tamen Scriptura sibimet non adversetur.

103. *Sic ad Scripturam provocantes finaliter judicio proprio innituntur.*

Immo hâc ratione ad Scripturam recurrere, verè nil aliud est, quàm judicio suo privato velut ultimo fundamento inniti, illudque velle sequi. Omnes enim etiam invicem contrarii gloriantur eodem Scripturæ titulo, hoc est, cortice & verbis: sed his inserunt & inspirant per judicium privatum singuli sensum (qui est anima verborum) non Spiritûs sancti, qui non est inconstans, sibique contrarius, sed suam. Nec ulla hæresis est, quæ non libenter tegat se pallio Scripturæ, dummodo intelligendæ proprio arbitrio. Sicque quotidie nata sunt oriri nova errorum monstra, pari jure excusanda provocatione ad Verbum Dei judicio errantium interpretandum. Quare etiam pessimè foret hâc ratione consultum Ecclesiæ; uti cuivis reipublicæ, in qua non esset judex, nisi Codex legum proprio cujusque arbitrio accipiendarum. Confirmatur: quia sicut provocantes ad Corpus Juris, sed suo sensu intelligendum, convincuntur nolle admitter alium judicem,

*Et alium judicem recusant.*

cem, quàm proprium judicium: sic & provocantes ad textum Scripturæ privato cujusque judicio explicandæ.

104. *Proscripti jam olim ab Augustino.*

Quare optimè dixit *Augustinus Epist. 222. ad Consentium*: *Omnes Hæretici, qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores &c.* Et *lib. 32. contra Faustum c. 19. Videtis ergo istos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet, id est, ut non auctoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat &c.* Et *l. 1. de Genesi ad litt. cap. 18. Ne corrumamus . . . . . non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturam esse, quæ nostra est, cùm potiùs eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Et *12. Confess. c. 25. Nec noverunt Moysis sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est.* Sicque de cordis sui sententiis faciunt velut idola, ut pulchrè idem *Augustinus in Psal. 80.*

*Idonea quàm sit hæc via terminandi Controversiu.*

Accedit, quòd nulla possit hâc ratione controversia in Ecclesia oborta terminari, quolibet persistente in suo judicio. Nec est, cur unus alterius judicio se subjiciat; de cujus infallibilitate & immunitate à passione non constat, immo de quo, an in corde ipsum subsit, non nisi ex alterius assertione (quæ fallax est) constat. Et planè stultissima temeritas est, quemlibet privato suo judicio plus deferre, quàm sanctæ & universalis Ecclesiæ, seu totius corporis judicio, utique magis privilegiato.

105. *Aliorum recursus ad Spiritus privati dictamen refutatur.*

Ob hæc plures Novatores recurrunt ad spiritum privatum, quasi singulis adsit internum Spiritûs sancti magisterium. Verùm spiritus iste privatus non est sanctus, sed diabolicus, aut à propria cujusque imaginatione indistinctus. Eumque in antecedentibus refutavimus. Nusquam etiam Scriptura ad eum docet recurrendum, sed ad Ecclesiam. Præterea incompetens est judex controversiarum: cùm parti non constet, quòd verè subsit, quodque sit Spiritûs sancti sententia, quam exteriùs profert, qui de hoc spiritu se jactat. Immo non constat ipsis jactantibus, quòd spiritus iste à Deo sit: cùm spiritus satanæ se frequenter transfiguret in spiritum lucis, ideoque probâdi sint spiritus an ex Deo sint. Et meritò timere de hoc saltem deberent Hæretici: cùm constet eorum parentes, præsertim *Lutherum*, atro spiritui satis familiares fuisse: Et Sacramentarium *Zuinglium*, cùm per biduanam coram Magistratu Tigurino disputationem persuadere non potuisset in forma Consecrationis *Est* accipi pro *significat*, posteaquam quidam nocte sequenti dormienti sibi assistens (*ater autem an albus fuerit, non meminì*, inquit ipse) eum monuisset, ut locum *Exodi 12. Est enim phase, id est, transitus Domini* (ubì *est* sumitur pro *significat*) arriperet, postridie obtipuisse apud populum quæ vovebat: ut ipse refert Libro, *Subsidium Eucharistiæ* inscripto.

*Immo est spiritus mendacii & inconstans.*

Ipsa planè varietas & dissensio Sectariorum, quorum singuli de hoc spiritu se jactant, ostendit non esse Spiritum sanctum, sed spiritum mendacii: nam Spiritus sanctus est Spiritus veritatis, sibique constans. Unde inter *Anabaptistas*, qui maximè hoc spiritu nituntur, est maxima varietas fidei; quæ fieri non posset, nisi spiritus, quo reguntur, esset fallax & varius. Nec ulla est via terminandi controversias per hunc spiritum, singulis prætendentibus spiritum suum dictare quod sentiunt singuli seu volunt. Nulla etiam prorsus est ratio, cûr diversis jactantibus dictamina diversa sui privati spiritûs, uni potiùs fides quàm alteri habeatur.

106. *Et pallium iniquitatum.*

Denique sub patrocinio hujus spiritûs quævis quantumvis absurdæ doctrinæ & flagitia defenduntur seu palliantur; prout videmus scelestos Novatores apostasias suas, sacrilegas nuptias, monasteriorum expilationes, in proprios Principes conspirationes per hujus ementiti spiritûs auctoritatem approbasse. Notabile est, quod cum (teste *Florimundo Remundo l. 2. c. 8.*) quidam amico exponeret spiritûs internum dictamen de cognoscenda ejusdem uxore, ipse veluti ejusdem sectæ annuerit. At nequam iste conspicatus filiam matre formosiorem, simile quoad hanc dictamen accipiens, cùm à parente fuisset in stupro filiæ deprehensus, cultro fuit transverberatus ab eodem parente, sic arguente: Ergo Spiritus mentitus est? Jussit ille tibi concubitum uxoris, & ecce filiam subagitas. Idem spiritus mihi mandat, ut à te pœnas exigam.

*Notabile exemplum.*

107. *Restat itaque judicii infallibile Ecclesiæ.*

Cum itaque Scriptura sola, aut etiam ipsa accedente proprio cujusque judicio aut spiritu privato non sufficiat, restat sola Ecclesia fidei magistra & controversiarum judex, *cujus* (juxta *Tridentinum sess. 4. in Decreto de Edit. & usu Sacrorum Librorum*) *est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum.* Cujus quidem auctoritatem tanti *Augustinus* fecisse dignoscitur, ut *Epist. 118. c. 5. contra eam velle disputare, insolentissimæ insaniæ esse* clamet. Et *lib. contra Epist. Fundam. c. 5.* dicat: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et *lib. 1. contra Crescon. c. 33.* ait: *Quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura commendat.*

*Quanti ejus auctoritatem fecerit Augustinus.*

108. *Ejusdem perpetua praxis decidendas controversias fidei.*

Estque & fuit semper hic Ecclesiæ sensus & praxis, non tantùm in materiis cognitu necessariis in ordine ad salutem, sed & in quibusvis aliis fidei controversiis: quarum definitioni sub pœna anathematis standum semper fuit, adeò ut vel uni articulo definito, etsi aliàs scitu non necessario, perti-

pertinaciter contradicens sit semper habitus pro Hæretico: ut patet ex Conciliis generalibus, & Historiis Ecclesiasticis ac Scriptis Patrum. Esset autem intollerabilis error, si Ecclesia id fecisset sine debita auctoritate & infallibilitate. Deinde aliàs deesset Fidelibus sufficiens regula credendi, & via controversias decidendi; quod tamen bonum, & unitas fidei ac Ecclesiæ requirit.

Præterea ipsas Scripturas sacras, seu libros divinos habemus omnes, etiam ipsi Hæretici, ex traditione Ecclesiæ: ergo huic credamus in hoc, quid ni credere debeamus in tradendo Scripturarum sensu? aut si in hoc sit ipsa fallax, quid ni & in ipsa custodia & traditione sacrorum Librorum?

109. *Qui juxta scripturam sit Columna veritatis.*

Eadem Ecclesiæ infallibilis auctoritas colligitur patenter ex ipsa Scriptura. Nam 1. *ad Timoth.* 3. Ecclesia dicitur *Columna & firmamentum* (seu ut Alii vertunt, *fulcimentum* aut *stabilimentum*) *veritatis*. Nimirum quia ipsa super fundamentum fundamentorum quod Christus est, ejusque veracissimas promissiones, atque adeò in ipsa veritate firmissimè fundata, eamdem veritatem indefectibiliter conservat, & membris suis sive aliis ministrat. Sicut enim columna supposita sustentat & fulcit ædificium ne corruat, sic Ecclesia veritatem, id est, doctrinam fidei Christianæ sibi concreditam sustentat & conservat, ne adulteretur aut pereat; ut proinde ibi quisque infallibiliter ipsam veritatem sit inventurus. Atque ita intelligunt hunc locum Patres seu Catholici Commentatores, immo ipse *Pelagius in Scholio* inter opera *Hieronymi To.* 9. Estque juxta eosdem sermo Apostoli generalis de Ecclesia, etsi ad Timotheum Episcopum particularis Ecclesiæ Ephesinæ ipsam Epistolam Paulus dirigat. Unde *Chrysostomus ibid.* de Ecclesia dicit: *Columna est Orbis.* Et *Cyrillus Cath.* 18. *De hac* (inquit) *Catholica Ecclesia, scribit ad Timotheum Paulus, ut scias quomodo oporteat in domo Domini conversari, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis.* Et *Commentarius Ambrosianus* in eumdem locum ait, quòd *cùm totius mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus.* Et *Origines Tract.* 30. *in Matth. in init: Quæ* (Ecclesia) *plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem, quæ plena est lumine vero, quæ est columna & firmamentum veritatis.* Denique *Hieronymus in c.* 2. *Aggæi sub init.* inquit: *Venerunt electa omnium Gentium, & repleta est gloriâ Domus Domini, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis.*

110. *Ejusdem rei uberior declaratio ex scripturis.*

Colligitur præterea ex promissione Christi *Matth.* 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Prævalerent enim quàmmaximè, si circa punctum aliquod fidei ipsa erraret, seu si in aliquo deficeret quoad veritatem ipsum Corpus doctrinæ. Immo eo ipso non esset vera Ecclesia Christi (quam ipse sibi in fide indissolubiliter desponsavit) sed potiùs Satanæ synagoga, ad quam non requiritur errorum multitudo: modicum enim falsitatis totam massam corrumpit. Et juxta *Epiphanium*, apud *Hieronymum l.* 3. *adversus Ruffinum paulo post med. Propter unum verbum aut duo, quæ contraria fidei sunt, multæ hæreses abjectæ sunt ab Ecclesia.*

Denique idem colligitur ex promissione Christi facta Ecclesiæ *Joan.* 14. *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum* (quæ particula convincit non esse sermonem de solis Apostolis) *Spiritum veritatis &c.* Et *c.* 16. *cùm venerit ille, docebit vos omnem veritatem*; utique perennaturam cum Ecclesia: cum qua fœdus sempiternum pepigit Deus, juxta illud *Isaiæ* 59. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodò & usque in sempiternum.* Propterea pertinaciter recusans audire Ecclesiam, rejiciendus est tamquam Ethnicus & Publicanus *Matth.* 18.

111. *Effugium hæreticorum excluditur.*

Dicent fortasse Hæretici, se non recusare judicium Ecclesiæ, dummodo ipsa procedat secundùm Verbum Dei. Verùm jam ostensum est, ipsam, dum aliquid in fide seu Scriptura controversum declarat, infallibiliter procedere secundùm Verbum Dei, à quo talem infallibilitatem accepit. Unde ineptè procedunt Hæretici, proprium judicium statuentes supra judicium corporis & capitis Ecclesiæ, dum sibi semper integrum esse volunt, ut trutinâ sui judicii expendant, an Ecclesiæ judicium sit secundùm Scripturam. Cùm potiùs deferendum sit Ecclesiæ ut ipsa declaret de quorumlibet judiciis privatis, an videlicet sint conformia Verbo Dei.

112. *Ecclesia à Catholicis non præfertur scripturæ.*

Instabunt: Ecclesiæ judicium sic à nobis præferri Scripturæ. Sed æquè ineptum hoc est; & in ipsos potiùs quadrat, qui nasum cereum Scripturæ affingendi, & in omnes formas illam transformandi potestatem re ipsâ (quidquid sit de verbis) prætendunt, eam quomodolibet suæ privatæ imaginationi adaptantes. Ecclesia itaque judicat de sensu Scripturarum, non tamquam superior, sed tamquam infallibilis interpres ex commissione ipsius Dei; adeoque alligata sensui à Deo intento, à quo ne deflectat, Spiritus sanctus eidem assistit. Sanè si judicium difficile & ambiguum perspiciebatur tempore veteris Legis, ad judicium Sacerdotis recurrendum erat *Deuter.* 17. Sacerdos tamen non constituebatur per hoc supra ipsam Legem. Sicut nec judices statuuntur supra leges, quas ipsi ex Regis commissione declarant.

113. *Judicium*

Judicium porrò hoc non competit toti Ec-

*controversiarum non convenit omnibus membris Ecclesiæ collectim.*

Ecclesiæ collectim sumptæ, id est, omnibus omnino membris; id enim esset ridiculum; utì impossibile & vanum foret singulorum judicia exquirere. Et in omni republica bene ordinatâ non recurritur in controversiis dicendis ad singulorum etiam plebeiorum & incapacium personarum judicium, sed eorum, qui ad id constituti sunt, sive sit monarcha, sive cum eo aut sine eo optimates, sive cœtus aliquis communitatem repræsentans.

Convenit itaque hoc judicium Ecclesiæ in Conciliis congregatæ; & præsertim Capiti supremo ejusdem. De quo infrà, ubì de Conciliorum & Pontificis infallibilitate.

## QUÆSTIO VI.

### *Quid, Quotuplex Concilium, Quorum sit Indicere, Præsidere, Comparere?*

114. *Quid sint Concilia Ecclesiastica.*

CONCILIA Ecclesiastica (quæ sunt Cœtus seu Congregationes personarum Ecclesiasticarum, præsertim Episcoporum, auctoritate legitimâ factæ ad hoc, ut collatis in unum sententiis decernatur, quid de negotio fidei vel morum sit sentiendum aut statuendum) sunt in Republica Christiana, quod in Republica Civili publica Comitia. Unde sicut hæc illegitima sunt, nisi auctoritate Principis fiant, & convocentur ii, quorum est interesse: sic etiam sunt illegitima conventicula & Conciliabula, quæ in universa Ecclesia sine auctoritate supremi Capitis, in Natione sine auctoritate Patriarchæ aut Primatis, in Provincia sine auctoritate Metropolitani, in Diœcesi sine auctoritate Episcopi celebrantur.

115. *Quotuplicia sint.*

Unde quadruplicia sunt Concilia: alia enim sunt Œcumenica seu Generalia, ad quæ convocari & convenire debent, qui commodè possunt, Episcopi Orbis: Nationalia, ad quæ convocantur & conveniunt Episcopi unius Nationis aut regni cum Primate vel Patriarcha: Provincialia ad quæ conveniunt Episcopi Comprovinciales seu Suffraganei cum Archiepiscopo: Diœcesana (quæ specialiter Synodi vocantur; etsi etiam aliis Conciliis nomen hoc sæpè tribuatur) ad quæ cum Episcopo conveniunt Presbyteri seu Pastores Diœcesani.

*Quorum sit indicere & præsidere.*

Concilia Diœcesana Episcopi, Provincialia Archi-Episcopi, Nationalia Primates aut Patriarchæ, utì indicunt, sic eis præsident respectivè. Difficultatem solùm movent Hæretici de Concilio Generali, magis eligentes hoc munus deferre Imperatori vel Monarchæ Christiano, uni aut pluribus, quàm Pontifici Romano.

116. *Quòd Concilia Generalia id Competere Pontifici Romano, probatur rationibus Theologicis,*

Verum sicut Concilia particularia non à Principibus sæculi, sed à Prælatis Ecclesiæ respectivè indicuntur, iisdemque illis præsident: sic idem dicendum de Conciliis Generalibus respectu Pontificis. Quemadmodum enim evidens est solius esse Principis in suo regno convocare comitia publica, iisque præesse; sic constat indubitanter apud omnes Catholicos competere Pontifici Romano convocare Comitia seu Concilia Generalia Ecclesiæ, & consequenter iisdem præsidere. Is enim in regno Ecclesiæ est supremus Princeps, cui tamquam Capiti cura universalis Ecclesiæ est commissa, qui solus potest universis mundi Episcopis & Prælatis præcipere ut compareant, cujus est ordinationes Conciliorum confirmare, qui denique supremus est controversiarum judex. Adde, quòd si Christo in terris vivente, & Ecclesiâ jam formatâ foret coactum Concilium, solius utique Christi fuisset illud indicere, eidemque præesse: Id igitur muneris competit nunc ejus Vicario Pontifici Romano. Neque potestas sæcularis confundenda est cum spirituali, quasi verò ea etiam se extendat ad convocandum Prælatos Ecclesiæ universæ, & præsidendum, dum Ecclesiæ negotia tractantur; quod utique Ecclesiasticæ est potestatis. Neque etiam Imperator ullusve alius Monarcha imperium suum protendit per universum orbem, adeoque ad imperandum Episcopis universis. Quod autem quidam Novatores, alioquin tam urgentes necessitatem Conciliorum Generalium, confugiunt ad universitatem Principum & Rerumpublicarum supremarum Christianissimi, in ordine ad indicendum certo tempore & loco Concilium, id est rem moraliter reddere impossibilem, & hactenus inauditam in Ecclesia Dei.

117. *Ex antiquissimo Ecclesiæ Canone.*

Idem irrefragabiliter confirmat auctoritas ex veterum monumentis, & usu ac confessione ipsorũ Conciliorum desumpta. Nam est antiquissimus Ecclesiæ Canon (quem esse Apostolicum testatur *Marcellus I. Epist.* 1. quem etiam ut talem refert *Julius I. Epist.* 1. cujus meminerunt *Socrates l.* 2 *c.* 13. *Zozomenus*, & *Nicephorus*; quem denique in Nicena magna Synodo ab omnibus concorditer esse roboratum, tantum abest ut secundùm calumniam Novatorum fuerit ibi oppositum actitatum, testatur *Synodus Alexandrina Epist. ad Felicem II.*) *non debere celebrari concilia præter auctoritatem sive sententiam Romani Pontificis seu Sedis Romanæ.* Unde *Dioscorus* patriarcha Alexandrinus *act.* 1. *Concilii Chalcedonensis* jubetur non sedere inter Episcopos, objiciente ei Lucentio Sedis Apostolicæ Vicario, quòd *Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ; quod numquam licuit, numquam factum est.* Ob cujus quoque auctoritatis defectum *Synodus VII. act.* 6. *To.* 1. *Refutationis falsò nominatæ definitionis &c.* rejecit Concilium quoddam Con-

Constantinopolitanum : cui etiam dicitur anathema *act.* 7.

118. *Et inductione facta ex veteribus Conciliis. Nicæno primo.*

Quod amplius liquet factâ inductione. Nam auctoritate Romani Pontificis priora Concilia generalia fuisse celebrata patet in primis quoad Nicænum, quod Constantinus & Silvester congregarunt, juxta Patres VI. Synodi *act.* 18. Constantinus quidem (ut loquitur *Ruffinus l.* 10. *Histor. c.* 1.) *ex sacerdotum sententia*, seu auctoritate, præsertim verò S. Silvestri, cujus consensu ipsum esse celebratum, refert *damasus in Pontificali*, sive *ejusdem Silvestri vocatione*, prout legitur in *Epilogo Concilii Romani II.* sub Silvestro *To.* 1. *Concil.* Præsides porrò Concilii Nicæni fuerunt Osius Episcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, qui proinde primo loco ante omnes Patriarchas & Episcopos subscripsisse inveniuntur. Constantinus verò Concilium ingressus, non nisi annuentibus Episcopis sedere ausus, idque in sella parva, finitâ ad Episcopos oratione, *Sermonem omnem* (ut ait *Eusebius l.* 3. *de vita Constantini c.* 13.) *deinceps Concilii præsidibus concessit*; professus non esse suum, sed Episcoporum judicium, ut patet ex *Ambrosio Epist.* 13. *ad Valentinianum*, *Ruffino l.* 10. *c.* 2. Unde etiam post omnes Episcopos subscripsit, teste *Basilio* Imperatore sub finem *Synodi VIII. act.* 10. ante suam subscriptionem.

119. *Constantinopolitano primo.*

Circa Concilium Constantinopolitanum (quod numerari solet Secundum generale) nil egit Imperator Theodosius senior, quàm quòd citatorias Damasi Papæ miserit ad Episcopos, quos earumdem vigore ad Concilium convocavit. *Nos* (inquiunt Patres in *Epist. Concilii ad Damasum* apud *Theodoretum l.* 5. *Hist. Eccles. c.* 9.) *velut membra propria per Imperatoris Sanctissimi litteras accessivistis.* Et infrà dicunt se *mandato litterarum* Damasi *ad Theodosium missarum ad iter Constantinopolim usque faciendum properasse.* Unde etiam ex Codice Vaticano, ac item alio S. Mariæ Majoris Concilium hoc præcepto & auctoritate Damasi celebratum fuisse ostendit *Baronius ad annum* 381. Ipse tamen per Legatos non præsedit, nisi quoad gestorum in causa fidei (non tamen quoad præeminentiam Sedis Constantinopolitanæ ante alias Sedes Patriarchales orientis) confirmationem; à qua Concilium obtinuit, ut diceretur Oecumenicum. Cùm enim Damasus intendisset plenissimum Concilium in occidente, præsentibus etiam Episcopis orientis, post Concilium ibi peractum celebrare, hi rationes excusatorias Damaso proposuerunt, decreta à se judicio illius submittentes. Quis autem præses fuerit, non ita constat. Et quidem Gregorium Nazianzenum vel Meletium Patriarcham Antiochenum præsedisse asserit *Franciscus Longus in Annotat. ad D. Concilium*; eò quòd Nectarius (quemalii præsidem faciunt, & de quo idem sibi non constans *Prælud.* 3. dixerat constare, quòd præsederit) in locum Gregorii, seipsum abdicantis Episcopatu Constantinopolitano, necdum suffectus fuerat.

Concilium Ephesinum Cyrilli industriâ & Cælestini auctoritate factum esse testatur *Prosper in Chronico.* Cyrillus autem vices Cælestini tamquam legatus & Præsidens gessit, ut constat ex *Epistola Cyrilli ad Cælestinum* inter opera ejusdem, & *Evagrio l.* 1. *c.* 4. & ex *Florentino sess.* 7. cui Græci interfuerunt. Imperator verò Theodosius junior solùm misit Candidianum Comitem ad Synodi defensionem, eâ conditione, ut non misceret se negotiis fidei aut Ecclesiasticis, ut patet ex ejusdem *Epist. ad Synodum Ephes. to.* 1. *ejusdem Concilii c.* 32. 120. *Ephesino.*

Concilium Chalcedonense indictum est à Leone Papa, seu per Imperatorem ex consensu & auctoritate Leonis Papæ. Unde Episcopi secundæ Mœsiæ *Epist. ad Leonem Imperatorem* (quæ habetur post *Concilium Chalcedonense*) ajunt: *In Chalcedonensium civitate multis sanctis Episcopis convenientibus per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum.* Immo secundùm *Gelasium* Papam *Epist.* 13. *ad Episcopos Dardaniæ* solius Sedis Apostolicæ (non quidem excusâ Imperatoris operâ, sed aliarum Sedium Patriarchalium) auctoritate hæc Synodus facta est. Quin & ipse *Marcianus* Imperator *in Epist. ad Leonem* Papam: *Per celebrandam* (inquit) *Synodum te auctore maxima pax circa omnes Episcopos fides Catholicæ fiat.* Et in *Epist.* 2. *ad Leonem* (quæ utì præcedens extat inter præambulares Concilii) rogat eumdem, ut dignetur in Orientem venire, & Synodum celebrare; aut si eò venire onerosum sit, id per litteras insinuet, *quatenus* (inquit) *in omnem Orientem & in ipsam Thraciam & Illyricum nostra littera dirigantur, ut ad quemdam diffinitum locum, ubi vobis* (sic legit *Baronius ad ann.* 440. & *Binius in Notis ad Concil. Chalcedon.* Etsi in editione per ipsum facta irrepserit in textu Epistolæ *nobis.*) *placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & qua Christianorum religioni atque Catholicæ fidei profint, sicut Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas diffinierit, suâ dispositione declarent.* Idem enixè rogat *Epistolâ*, similiter præambulari, ad eumdem *Pulcheria Augusta*, ut facto Concilio Episcopi, *sicut* (inquit) *fides & Christiana pietas exigit, te auctore, discernant.* 121. *Chalcedonense.*

Unde eidem Concilio præsederunt legati Pontificis Paschasinus & Lucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter, Basilio presbytero (quem constat fuisse similiter à Leone Papa delegatum) apparenter ante Concilii inchoationem defuncto, eò quòd in actis Concilii de eo non fiat mentio. Illi porrò in omnibus actionibus primi nominantur, primi sedent, primi loquuntur, primi subscribunt tamquam Vicarii universalis Ec-

lis Ecclesiæ Papæ, & quidem expressè Paschasinus sub titulo *Præsidentis Synodo*; ut patet *act.* 6. Cui etiam Imperator interfuit, protestatus ibidem in *Orat. ad Concilium*: *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constantini Synodo interesse voluimus.* Immo ipsum *Concilium in Relatione ad Leonem* Papam *act.* 16. *quibus tu quidem* (inquit) *sicut membris caput præeras, in his qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens; Imperatores verò ad ornandum decentissimè præsidebant.*

Quare patet datum eis esse primum locum honoris, non præsidentiæ quasi judicibus. Præsidebat autem Leo per legatos: *In his* enim (ut idem ait *Epist.* 47. *ad Concilium Chalcedonense*) *me Synodo vestra Fraternitas existimet præsidere.* Vide eumdem *Epist.* 49. & 53. Quare iidem sententiam in Dioscorum proferunt nomine Leonis Papæ *Act.* 3. Et in exemplari Epistolæ de damnatione Dioscori (quod habetur ad Calcem *act.* 16.) *Sanctissimus* (inquiunt) *ac Beatissimus Papa, caput universalis Ecclesiæ Leo, per nos, ut Legatos suos, sanctâ Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate . . . . . Episcopali eum dignitate nudavit &c.*

122. *Constantinopolitano secundo.* Quintum Concilium generale seu Constantinopolitanum II. Episcoporum 165. *quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus,* inquit *Zonaras in Vita Justiniani*; etsi ne quidem per Legatos præsederit, cupiens Synodum in Occidente celebrari, sed tandem condescendens Imperatoris (qui tamen nullâ ratione præsedit) voluntati, & Synodum celebratam præside, non Menna (ut mentitur *Calvinus*) sed ejus successore Eutychio Patriarchâ Constantinopolitano (qui tamen per Litteras ad Vigilium scriptas professus est, præsidentiam Pontifici, si interesse voluisset, deberi, dicens: *Petimus præsidente nobis vestrâ Beatitudine de tribus capitulis quæri & conferri*) confirmavit; quod & alii Pontifices fecerunt. Vide *Binium in Notis ad D. Concilium.*

123. *Synodo VI.* Synodus VI. (quæ Constantinopolitana III.) non sine consensu & auctoritate Pontificis congregata est; quem Imperator Constantinus Pogonatus, ut suos Legatos cum plena auctoritate mittat hortatur in *Sacra Divali*, quæ est Synodo præambularis. Quare non nisi certificatus de eorum adventu, adeoque de consensu Pontificis (quem probè noverat necessarium) Episcopos convocavit, ut patet ex alia *Divali* ejusdem ad Archiepiscopum Constantinopolitanum & consequenter (ut ex *Beda* dicitur C. *Sexta Synodus dist.* 16.) tâquam *exequens*, voluntatem scilicet Papæ. Unde quia Imperator in Synodo sederit primo seu eminentiori loco cum suis Magistratibus, ideo tali sensu refertur præsedisse; non autem quasi præsederit ut Judex. Quare nullam sententiam tulit, & postremò subscripsit. Vel etiam dicitur præsedisse, non Synodo, sed suis Magistratibus. Postea enim tamquam quid distinctum subjungitur: *Conveniente autem sanctâ & universali Synodo*, consistente scilicet in Episcopis, qui dein nominantur, & præsertim Legatis Sedis Apostolicæ, Petro & Georgio presbyteris & Joanne diacono, qui ob id primi nominantur ante omnes Episcopos, primi subscribunt. In sinistro autem latere sederunt (prout & aliàs contigit) quòd is locus esset apud Romanos honoratior in sacris conventibus; ut ostendit *Baronius ad annum domini* 213. & 325.

124. *Synodo VII.* De Synodo VII. (quæ est Nicæna II.) non est ratio dubitandi. In eo siquidem nil agente Imperatore, præsedisse Legatos Sedis Apostolicæ seu Adriani I. Petrum Archi-presbyterum, & Petrum Abbatem S. Sabbæ, ipsius Synodi acta testantur, in quibus isti nominantur, & subscribunt primi. Eidem præsedisse Sedem Apostolicam testatur *Nicolaus I. Epist. ad Michaëlem Imperatorem.*

125. *Synodo VIII.* De Synodo VIII. (quæ est Constantinopolitana IV.) agens *Adrianus II. Epist.* 3. *ad Basilium Imperatorem: Volumus* (inquit) *per vestræ Pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari Concilium.* Idem proinde Imperator, etsi Concilio interfuerit, in fine tamen ejusdem prolixâ oratione testatus est, non esse suum nec ullius laici Ecclesiasticis se immiscere judiciis, tandemque post omnes Patriarchas ante Episcopos quidem, his istum ei honorem deferentibus, non quidem definiens, sed Synodum suscipiens, ac omnibus quæ ab ea definita sunt consentiens, subscripsit, protestatus se debuisse post Episcopos exemplo Constantini, Theodosij, & Marciani subscribere. Præsederunt autem Legati Adriani II. Donatus & Stephanus Episcopi, & Marinus Diaconus, ideoque primi loquentes, primi subscribentes.

126. *Et subsequentibus in Occidente Conciliis generalibus.* Ex quibus, & omnibus subsequentibus Conciliis generalibus in Occidente celebratis indicente & præsidente Sede Apostolicâ, apertè patet calumniosa maledicentia & obtrectatio Novatorum. Patet etiam, qualiter in legitima sanctione, indictione, convocatione Concilii per Imperatores Catholicos (Hæreticorum Imperatorum contraria acta curanda non sunt, quin potiùs veritatem firmant) factâ includatur aut supponatur consensus & auctoritas Sedis Apostolicæ, esto non semper æquè clarè exprimatur; prout sanè exprimitur frequenter in præmissis, uti & à *Sixto III. Epist. ad Orientales* Dicente: *Valentinianus Augustus nostrâ auctoritate Synodum congregari jussit.* Quia nimirum *generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio tradita est*, ut ait *Pelagius II. Epist.* 8. *ad Orientales.*

Agnosce-

127. *Cur Pontifices hac in re agnoscere soliti sunt Imperatorem.*

Agnoscebant autem Pontifices hac in re Imperatorem, cui etiam quoad temporalia se quodammodo subjiciebant, juxta *Bellarminum lib. 1. de Conciliis c. 13.* tum eò commeatum, expensas, defensionem Concilii contra violentias; quales visæ in Conciliabulo (quod Latrocinium Patres vocant) Ephesino sub Dioscoro: tum ad suaviùs & efficaciùs obtinendam eorum, quæ ipsis conciliis ordinantur, executionem: tum quia celebranda erant Concilia in Urbe aliqua Imperiali, ad quod omnino congruebat, aut ratione gubernii politici oportebat, adesse beneplacitum Imperatoris: tum denique, quia olim vigebat lex Imperii *L. 47. Digest. Tit. 22.* prohibens metu seditionum fieri frequentes hominum conventus sine auctoritate Imperatoris. Non autem quasi non fuissent alioquin rata & legitima Concilia: nam (ut utar verbis *Athanasii Epist. ad vitam solitariam colentes post med.*) *quando judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit?* Ratione Præfatæ consuetudinis *Hieronymus Apol. 2. contra Ruffinum paulò post med.* eumdem, quòd ut Originem defenderet, Hilarium à Synodo excommunicatum falsò effatiret, redarguit, dicens: *Doce, qui eo anno consules fuerint? Quis Imperator hanc Synodum jusserit congregari?*

128. *An aliquo casu possit congregari generale Concilium sine auctoritate Papæ.*

Petes I. An umquam possit convocari Concilium Generale sine auctoritate Papæ? Resp. perfectum congregari non posse, quod scilicet habeat potestatem definiendi res fidei & statuendi generalia decreta morum, atque adeò ordinandi universalem statum Ecclesiæ; sed in casu dubii de vero Papa, dum v. g. plures de Papatu contendunt cum incertitudine (idem est, ut Varii expriimunt, si sit dubium ortum ex suspicione hæresis) posse congregari Concilium imperfectum, sive ex indictione Collegii Cardinalium, sive per ipsos Episcopos ex indictione & consensu Primatum in unum locum convenientes, ad succurrendum præcisè necessitati præsenti, sive ad providendum Ecclesiæ de indubitato capite.

129. *Quid si in necessitate nollet Papa Concilium generale congregari.*

Petes II. Quid si urgente necessitate, Papa nollet congregari Concilium generale? Resp. casum esse metaphysicum: quandoquidem non sit absoluta & physica Conciliorum generalium necessitas, ut *quæst. seq.* dicetur; & eâ datâ, Deus non sit derelicturus Ecclesiam à se immobiliter fundatam; qui proinde in mediis necessariis non deerit Ecclesiæ, quam etsi ad tempus relinqueret premi, non tamen umquam patietur supprimi.

130. *Ad Synodum generalem non debent convenire omnes fideles.*

Ad Concilium Generale quod attinet, certum est non debere ad illud convenire omnia Ecclesiæ membra; ut ex usu perpetuo, & impossibilitate ejusmodi numerosæ Congregationis constat. Non etiam necessariò convocari aut convenire laicos, ut judices sint & suffragium ferant; prout similiter patet ex Traditione & usu omnium Conciliorum. Non est quoque necesse, ut omnes Episcopi de facto ad Concilium generale conveniant per se aut procuratores suos. Id enim sæpè est impossibile. Et in multis Generalibus Conciliis, ne quidem media vel tertia pars comparuit. Sufficit enim generalis repræsentatio Ecclesiæ. Ad quam requiritur primò, ut convocatio fiat per Romanum Pontificem, vel de ejus auctoritate, consensu, aut certè ratihabitione. Secundò, ut convocatio sit generalis, sic ut innotescat omnibus Provinciis, saltem majoribus; ipsaque Congregatio sit ita generalis, ut nullus excludatur Episcopus communionis Catholicæ seu non excommunicatus. Denique ut ex potioribus Christianis Provinciis aliqui veniant, qui ceterorum vices & vota suppleant: sic tamen, si Concilium celebretur in Oriente, sufficiat multos inde, & aliquos ex Occidente advenire: si in Occidente, multi inde, & aliqui ex Oriente adveniant; quatenus nempe sic repræsentent ceterorum universitatem. Unde Concilium generale repræsentat Ecclesiam, sicut Concilium Civitatis populum, & Concilia regionis regnum, etsi non omnes de plebe adsint, immo etsi aliqui de Magistratu aut Principibus absint, modò non desit supremus vel ejus auctoritas cum multis aliis, qui civitatis aut regionis negotia tractent nomine omnium.

*Neque laici ut judices.*

*Neque de facto adesse omnes Episcopi.*

*Quæ sint requisita ut Ecclesiam universalem repræsentet.*

131. *Convocandi primariò Episcopi.*

Convocandi autem sunt primariò Episcopi. Neque enim ulli potiùs: utpote successores ipsi Apostolorum, atque ex officio Pastores & capita Ecclesiarum, adeoque velut Optimates regni spiritualis Christi. Quod etiam usus perpetuus Ecclesiæ observavit. Ideoque in *Concilio Chalcedonensi Act. 1.* dicitur: *Synodus Episcoporum est, non clericorum: superfluos foras mitte.*

*Qui sunt in Conciliis judices cum decisivo suffragio.*

Episcopi porrò in Concilio sunt Judices definientes, adeoque cum suffragio etiam decisivo. Quapropter in antiquis Conciliis subscribunt statuendo, definiendo. Ipsaque Concilia dicuntur decernere, statuere, ordinare, judicium ferre. Unde in Concilio etiam Apostolorum *Act. 15.* cum Petro judices fuerunt reliqui Apostoli & seniores: *Visum est,* (inquiunt) *Spiritui sancto & nobis.* Et Jacobus ibidem dicebat: *Propter quod ego judico.* Et præcepta ac decreta tamquam Apostolorum & seniorum executioni mandabantur *ibidem & cap. 16.* Aliàs quoque vocandi potiùs essent docti & prudentes Theologi tamquam aptiores Consiliarii, quàm Episcopi sæpè parum periti, si tantùm hi ad consultandum comparerent. Episcopi itaque vocantur tamquam potestatem habentes & sententiam ferentes.

132. *An Pontifex teneatur majorem partem sequi.*

Nec obstat, quòd Pontifex non teneatur sequi pluralitatem suffragiorum. Nam (ut taceam non facilè ostendi, Pontificem aliquando secutum fuisse minorem partem, secluſis fraude & dolo) id oritur ex eo, quòd etsi merus præses teneatur sequi sententiam majoris partis judicum ejusdem tribunalis, ipse tamen Rex ad hoc non tenetur, si sequi velit plenitudinem potestatis, quâ posset oppositum decernere: quod consequenter etiam potest Papa tanquam supremus Ecclesiæ Princeps & caput, & aliquando fecit, ut patet in *Concilio Chalcedonensi* circa statutum de primatu Sedis Constantinopolitanæ super alias Sedes Patriarchales Orientis, contradicentibus Legatis Sedis Apostolicæ conceptum. Deinde ipse habet infallibilem Spiritûs sancti assistentiam, quæ non competit Præsidibus tribunalium hujus sæculi, neque ipsis Conciliis seorsim spectatis, quæ ipse debet confirmare, ut rata sint. Unde Concilia generalia (ut habet perpetuus usus) semper sunt per Pontifices confirmata, qui etiam nonnulla interdum confirmare detrectarunt, exinde firmitate carentia.

*Pontificis est Concilia confirmare.*

133. *Ius suffragii potest Papa tribuere non Episcopis.*

*Eo gaudent Cardinales & Generales ordinum.*

Enimverò quamvis prærogativa suffragii Episcopis competat jure primario & ordinario, potest tamen communicari per Pontificem aliis; utpote independens à consecratione Episcopali, nec minùs communicabilis, quàm cetera jurisdictionis Episcopalis. Unde cùm Cardinales non Episcopi ex usu ac concessione Pontificum nunc præferantur Episcopis in iis, quæ ad ordine ipso Episcopali non dependent, videtur etiam iis competere jus suffragii. Quod similiter ex usu & concessione competit Generalibus Ordinum. Idemque est de Abbatibus exemptis juxta *Malderum disp. 1. de Conciliis dub. 4.* Viri docti convocantur, non ad suffragium, sed ad examen & consultationem.

134. *An sit laicis absolutè communicabile.*

De Laicis nullum est vestigium in antiquitate, quòd umquam ei eis jus suffragii concessum. Nisi quòd in *Concilio Constantiensi sess. 22.* ex Constitutione Synodali Legatis Regis Aragoniæ (inter quos non omnes videntur fuisse Clerici) ex gratia & singulari dumtaxat privilegio pro ista vice tantùm concessum legatur (quod tamen *sess. 38.* immutatum fuit) ut quasi procuratores absentium haberent suffragium tantæ auctoritatis, quantùm omnium Episcoporum suarum Provinciarum valeret.

*Imperatores nō subscripserunt ut judices.*

Imperatores interdum subscripsisse leguntur, sed (ut ex præmissis liquet) post Præsides & Patriarchas, & regulariter etiâ post Episcopos, nec tamquam Judices aut definientes, sed tamquam consentientes, defensuri & executuri potentiâ suâ, quod Episcopi congregati ordinaverant; quod magis natum erat fieri, dum ab initio ordinationum erant conscii. Ob quam causam etiam posterioribus Conciliis interfuerunt per se aut suos Oratores, tum Imperator, tum Reges & Reipublicæ supremæ.

## QUÆSTIO VII.

### *De Utilitate, Infallibilitate & Auctoritate Conciliorum.*

135. *Causa convocandi Generalia Concilia.*

UTILITAS & quasi necessitas Generalium Conciliorum sæpè in auctoritatibus inculcatur. Deserviunt enim, tum ad pullulantes de novo hæreses efficaciùs & junctis viribus eradicandas: tum ad schisma, quod in Romano Pontificatu oriri posset, tollendum: tum ad defensionem Ecclesiæ contra communem hostem, videlicet Turcam, tum ad deponendum Imperatorem Ecclesiæ rebellem: tum in causa dubii de electione Romani Pontificis, aut dum foret suspectus de hæresi vel incorrigibilis: tum ob reformationem generalem disciplinæ Ecclesiasticæ. Decreta namque fidei & morum citiùs sic ubique innotescunt, & suaviùs per totam Ecclesiam recipiuntur: aliàs enim Nonnulli ignorantiam, alii alias excusationes prætexere possent, v. g. quòd non fuerint ad ejusmodi decreta & definitiones vocati: fortè etiam aliqui suggillando dicerent, quòd Pontifex non adhibito Concilio generali possit errare.

136. *Non probat absolutam necessitatem sed utilitatem.*

Nihilominus absoluta non est hujusmodi Conciliorum necessitas: utpote sine quibus Ecclesia stetit à temporibus Apostolorum usque ad tempora Concilii Nicæni: sine quibus nō pauciores sunt contritæ hæreses, quàm cum illis; utì & diversa schismata, cooperantibus dumtaxat Concilijs particularibus. In quæstione etiam de vita aut fide Pontificum possunt eadem sufficere, prout hactenus sufficerunt; utì etiam per illa potest abusibus obviari, & per Cardinales aut alia media dubium de electione Pontificia tolli.

*Aliquorum tamen Conciliorum est necessitas.*

Continua tamen Ecclesiæ praxis & ordinatio ostendit aliquorum Conciliorum, saltem particularium, celebrationem esse necessariam: sine quibus pax & cetera bona Ecclesiarum conservari non possent: utì nec sine illis solet Pontifex graviores Ecclesiæ aut fidei causas decidere, utpote cui assistentia infallibilis competit adstricta mediis ordinariis humanæ inquisitionis prævijs.

137. *Particularia sine approbatione Pontificis possunt errare.*

Concilia particularia sine confirmatione Pontificis, indubiè non sunt infallibilia: cùm non iis, sed Pontifici & Ecclesiæ sit infallibilitas promissa. Et verò aliquando errarunt; signanter *Carthaginense* sub *Cypriano*. Sunt nihilominus (quod ipsa ratio naturalis dictat) magnæ auctoritatis,

ritatis; præsertim quibus numerosa gravium Prælatorum copia in nomine Christi & sub invocatione Spiritûs sancti adest; prout adfuerunt interdum centum aut ducenti, eoque amplius Episcopi. Si verò approbata sint per summum Pontificem, sunt infallibilis regula fidei & morum; utì agendo de infallibilitate Pontificis extra Concilium Generale dicetur *disp. seq. quæst. 4.*

*Secùs si sint ab eo probata.*

138. Cujusmodi sunt varia Concilia Nationalia, quibus Papa per se aut suos Legatos præsedit (quæ ratione universalis capitis præsidentis interdum nomen Concilii generalis sortiuntur) v. g. Francofordiense, quoad quæstionem de adoptione Christi, Milevitanum, Arausicanum. Immo *Alphonsus à Castro lib. 1. de justa Hæretic. punit. c. 5.* censet decreta fidei per Synodos Provinciales edita, pro veris & indubitatis habenda, si Ecclesia postmodum numquam contradixit; quasi ex hoc accedat tacita per consensum Ecclesiæ confirmatio; cùm aliàs Ecclesia non dissimulasset, sed errori occurrisset. Quod de illis Decretis, quæ in communem Ecclesiæ notitiam pervenerunt, admittendum apparet *Sylvio l. 5. Controvers. q. 2. art. 1. concl. 3.* quasi tunc silentium sit signum confirmans, & veluti virtualis Ecclesiæ approbatio: præsertim cùm viri docti passim talia decreta approbant, & tamquam dogmata Catholica tradunt. Pro quo ipse adfert *Banez 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 3.* qui addit hujusmodi Concilia esse plurima, Toletana, Arelatensia, Hispalensia, & alia quædam.

*Quænam illa sint.*

139. Concilia generalia simul cum Pontifice spectata vel ab eo confirmata, indubiè sunt infallibilia in materia fidei aut decretis morum; adeò ut qui pertinaciter obsisteret definitis ab ejusmodi Concilio in materia doctrinali, sit hæreticus. Est certum apud omnes Catholicos. Et patet primò, tum ex dictis de infallibilitate Ecclesiæ *quæst. 5.* cùm enim infallibile sit illius judicium, necessariò debet esse tale, si usquam, quando profertur in Concilio generali unà cum capite. Tum à fortiori ex dicendis *disput. seq. quæst. 3.* de infallibilitate Pontificis Romani etiam extra Concilium generale aliquid definientis.

*Concilia generalia à Pontifice approbata sunt infallibilis regula fidei.*

*Probatur I.*

140. Patet II. quia alioquin Ecclesia (quæ non quidem materialiter, sed repræsentativè est in Concilio generali: immo quæ est in eo auctoritative) non esset columna & firmamentum veritatis, & portæ inferi adversus eam aliquando prævalerent, sive mendacii & erroris pater diabolus; Spiritus insuper veritatis non maneret cum ea in æternum, ipseque Christus contra promissionem suam convinceretur Ecclesiam deserere, cum qua usque ad consummationem sæculi se futurum addixit,

*Probatur II.*

ei scilicet assistendo per illuminationes & directiones exhibendas Apostolis eorumque successoribus in iis quæ ad fidei conservationem pertinent.

Confirmatur: quia si Pastores seu Episcopi cum supremo suo in terris capite legitimè congregati in fide errarent, necessariò consequeretur error totius Ecclesiæ; cùm ceteri omnes graviter teneantur sequi & amplecti id, quod conciliariter ab iis traditur ac definitur.

141. Patet III. Ex continua praxi & usu Cõciliorum generalium, quæ res controversas pro re nota determinant, pertinaciter resistentes anathematizant, ac pro hæreticis habent, utì & habentur ab universa Ecclesia seu Fidelibus. Et planè esset eò magis intolerabilis, quo ampliùs inveteratus error Ecclesiæ, quòd ipsa in Conciliis generalibus præsumpserit, atque usque hodie præsumat proponere & tamquam infallibiliter determinare, & quidem sub tam gravi interminatione, res fidei controversas, si hoc ipsum potestatem Cõciliorum & Pontificis superaret, adeoque res ipsæ dubiæ remanerent.

*Probatur III.*

Patet IV. Quia alioquin non superesset in Ecclesia firmum judicium, quo componi possent controversiæ fidei, & conservari Ecclesiæ unitas, si illud Concilio generali per Põtificem approbato denegetur: quo nil majus aut solidius excogitari potest. Effugium porrò Novatorum ad Scripturæ solius, (quam quisque pro se stare contendit) judicium provocantium, frivolum est, & ex professo præclusum *q. 5.*

*Probatur IV.*

142. Patet V. Quia aliàs meritò possent revocari in dubiũ seu disputationem dudum damnatæ & sepultæ hæreses: diceret enim *Arius* errasse Nicænum, *Macedonius* errasse Constantinopolitanum, *Nestorius* errasse Ephesinum, *Eutiches* errasse Chalcedonẽse, & sic de ceteris. Perpetuus autem Ecclesiæ usus habet, semel ab hujusmodi Concilio definita non posse umquam retractari aut in dubium vocari. Quod etiam expressit *Gelasius I. Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ*, rationem subdẽs: *Quoniam si decreta salubriter cuique liceat derare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum.*

*Probatur V.*

144. Patet VI. Quia ejusmodi Concilia se dicunt in Spiritu sancto congregata, eorumque statuta dicuntur esse à Spiritu sancto, juxta illud *Act. 15. Visum est Spiritui sancto & nobis.* Unde *Cyrillus l. 1. de Trinitate* decretum Concilii Nicæni vocat *Sanctissimum & divinum oraculum*, & *Epist. 1.* de Patribus ejusdem Synodi dicit, quòd *inculpatæ fidei determinationem, loquente in illis quod verum est in Spiritu sancto, protulerunt.* Et *Leo Papa Epist. 53.* asserit Canones Nicænos *per Spiritum sanctum verè ordinatos* esse. Et *Epist. 54. Spiritu sancto instruente conditos* esse. Vide etiam *Epist. 55. & 61.* Hinc *Gregor. l. 1. Ep. 24.*

*Probatur VI.*

anathema dicit non recipientibus quinque Concilia generalia (quæ tunc sola erant celebrata) additque se quatuor prima Concilia generalia (quibus deinde quintum adjicit, & æquiparat) suscipere ac venerari sicut sancti Evangelii quatuor libros. Hinc etiam *Ambrosius Epist.* 13. ait: *Sequor tractatum (Concilii Nicæni) à quo me nec mors nec gladius poterit separare.* Quare & plures pro veritate in Concilio generali definitâ martyrium subjerunt.

*Probatur VII.*

Patet VII. Quia aliàs non esset certitudo fidei de variis partibus sacræ Scripturæ, & in ea contentis, v. g. Epistola ad Hæbreos, Secunda Petri, & de quibus aliquando fuit dubitatum, & ex sola definitione Ecclesiæ constat quòd sint sacra Scriptura.

Accedit, quòd si (ut Christus ait *Matth.* 18.) *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, quomodo non erit inter eos, quando universæ Ecclesiæ Prælati & judices conveniunt, acturi de fide & hominum salute, deque totius Ecclesiæ gubernatione? Ita ratiocinantur varia Concilia & Patres.

144. *Definitiones, non verò disputationes aut probationes sunt fidei.*

Prædicta sunt intelligenda de ipsis Conciliorum decretis & definitionibus, quæ proponuntur credenda; eis enim dissentire pertinaciter est hæresis. Disputationes autem, quæ decretis præmittuntur, vel rationes singulæ, quæ adducuntur, non sunt de fide. Quod etiam locum habet in decretis seu definitionibus Pontificum, quæ fiunt extra Concilium generale. Unde patet, quòd etsi definitiones Ecclesiæ pari fide atque ipsa Scriptura sint suscipiendæ: eminet tamen sacra Scriptura, quòd omnia omnino, quæ Scriptura dicit, sint fidei, sic ut neque in ratione, neque in particulari facto allegando possit vel minimus error obrepere; secùs quàm in Conciliis. Quæ etiam indigent confirmatione Papæ; secùs quàm Scriptura.

*Eminentia scripturæ præ Conciliis.*

145. *Concilia plenaria priora qui juxta Augustinum emendentur posterioribus.*

Nec obstat I. Quod *Augustinus l. 2. de Bapt. contra Donatist. c. 3.* dicat, *plenaria Concilia priora emendari posterioribus.* Respondent Quidam *Augustinum* nomine Conciliorum plenariorum intelligere nationalia conformiter ad usum loquendi ejusdem *Augustini 1. Retract. 17.* & *Epist. 47.* & *Concilii Carthaginensis III.* (cui *Augustinus* interfuit) *can 38.* sic loquentis de Synodo Capuensi. Sed contrà facit, quòd *Augustinus* loco objecto plenaria concilia describat esse ea, *quæ fiunt ex universo orbe Christiano.* Dico itaque *Augustinum* non loqui de Conciliorum hujusmodi, si legitima & probata fuerint, emendatione in quæstionibus fidei semel definitis, sed eorum, quæ consistunt in specialibus factis v. g. vel quæ spectant ad disciplinam Ecclesiasticam, ritus, aliasque consuetudines, quæ pro diversitate temporum & personarum subinde congruè variari debent, dum quod uno tempore & loco expedit, alio non esse expediens, *aliquo* (ut loquitur) *experimento rerum aperitur.*

Non obstat II. Quòd idem *Augustinus* 146. *lib. 3. contra Maximin. c. 14.* ait: *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tamquam præjudicaturus proferre Concilium.* Nam ut disputatio pergeret, censebat *Augustinus*, cui optima argumenta & sufficientissima ex Scripturis suppetebant (quas velut testes communes etiam Adversarius admittebat) esse opportunum supersedere actis utriusque Concilii, & declinare disputationem de alterutrius invaliditate, quamvis illud tamquam verè legitimum *Augustinus* admitteret, istud autem, verè Conciliabulum, Maximinus Episcopus Arianorum extolleret. Quod quidem familiare est disputantibus contrà Hæreticos.

*Alius Augustini locus exponitur.*

Non obstat III. quòd *Nazianzenus Epist.* 147. *55. aliàs 42.* ad Procopium scribat se *ita animo affectum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiat, quoniam nullius Concilii finem lætum faustumque vidit &c.* Nam non negat *Nazianzenus* ea, si legitima, universalia & probata sint, facere certam fidem. Neque etiam ipsa legitima Cōcilia generalia fugit, qui ipse Concilio Constantinopolitano I. interfuit, & Nicænum Concilium maximè propugnavit, adeò ut *Tractatum de Fide sic* concludat: *Nicænæ Synodi tractatum, omni animi nisu ex tota fide servantes, amplectimur &c.* In quo *Athanasius* cum aliis Patribus, *quos* (ut loquitur *Nazianzenus Orat. in Laudē Athanasii*) *Spiritus sanctus in unum coegerat, quantum in ipso fuit, morbum compressit.* Vide etiam *Epist. 2. ad Cledonium adversus Apollinarium.* Quia tamen inter Nicænum & Constantinopolitanum varia Concilia particularia, præsertim illegitima, & infausti exitûs, celebrata erant, v. g. Seleucienſe, Mediolanense &c, non probabat *Gregorius* iterum tentari Concilium, ad quod, utique particulare, nomine Imperatoris à Procopio vocabatur: utì & ipsi *Basilio* coætaneo *Epist. 52. ad Athanas.* videbatur difficile, eo tempore communi ac Synodico decreto aliquos ad Romanum Episcopum destinare & proinde Synodum celebrari.

*Nazianzenum non esse adversarium, sed patronum generalium Conciliorū legitimorū ostenditur.*

Non obstat IV. Quòd varii diversorum Conciliorum errores allegentur. Sed hi (qui sparsim in decursu Theologiæ ventilantur) partim sunt errores Conciliorum particularium, vel illegitimorum seu universim aut in hac parte reprobatorum, partim sunt ipsissima veritas Catholica: partim verba allegantur & explicantur ab Hæreticis in sensu à mente Conciliorum alieno.

*Errores illis falsò abstractè affinguntur.*

148. *An Concilium generale sit infallibile ante confirmationem Pontificis.*

Remanet autem difficultas, an Concilia generalia sint infallibilia ante confirmationem Pontificis: si saltem interfint Pontificis Legati. Ubi distinctione opus est: nam si Legati Pontificis habeant certam instructionem, eamque ipsi cum Concilio sequantur (prout miti solebant plerumque

*St Legati instructionem certam & habeant & sequantur.*

rumque Legati ad Concilia orientis, cum mandato, ut si consentiat Synodus formetur decretum; sin verò, differatur, donec Papa consultus respondeat: secùs quàm factum sit in *Tridentino* ob nimiam tractadorum multiplicitatem), satis constat inter Doctores, tale Concilium esse infallibile: tunc enim cõsensui corporis adest consensus expressus & velut prævia confirmatio capitis. Unde in hujusmodi Conciliis, fit executio, & contradictores non solùm damnantur, sed etiam à sacerdotio, Episcopatu &c. ipso facto deponuntur. Quamvis etiam tunc Concilia ad majorem firmitatem, utque Orbi constet, quòd omnia secundùm instructionem aut mentem Pontificis sint peracta, solita sint petere confirmationem. Prout fecit Concilium Chalcedonense, ut patet ex *Leone* Papa *Epist.* 61.

149. *Quid si eam non sequantur.*

Si autem Legati non sequantur instructionem Põtificis (ut in quodam Concilio Constantinopolitano egerunt Legati *Nicolai I.* ipso teste in *Epist. 1. ad Episcopos Asiæ & Lybiæ To. 3. Concil.*) aut invitis Legatis Concilium contra malignetur; prout de facto malignatum fuit Conciliabulum Ephesinum (quod prædatorium seu Latrocinium Veteres vocarunt) alioquin legitimè per Leonem Papam indictum, habẽsque ejus Legatos præsentes sed repugnantes; constat satis apud omnes tale Cõcilium posse errare, prout eadem Concilia erraruntur. Sic etiam Concilium Chalcedonense absentibus Legatis Papæ formarat decretum Nicæno contrarium de præeminentia Episcopi Constantinopolitani ante omnes Patriarchas post Episcopum Romanum; contra quod postea Legati sunt protestati; quodque *Leo* Papa postmodum reprobavit in variis Epistolis, signanter *Epist.* 55. confirmans idem Concilium quoad acta contra Eutychetem, seu *in sola fidei causa*, ut ait *Epist.* 61.

*Aut contra eos Concilium malignetur.*

150. *Quid denique si Legati instructione careant, & Patres sinterè procedant.*

Quòd si denique Legati non habeant specialem instructionem, tamen sincerè sub obedientia Pontificis cum iis Concilium procedat, ac materias fidei determinet, adhuc ipsum habere infallibilitatem ante cõfirmationẽ, Varii docent: tum quia de facto nullum tale Concilium erravit: tum quia, etiam ante confirmationem Pontificis, & in præsenti, assent se congregatum in Spiritu sancto, definit, dicit anathema &c. etsi ad majorem firmitatem (cùm res sit controversa) seu de abundanti petatur & accedat confirmatio Pontificis. Tum quia tale Concilium perfectè repræsentat Ecclesiam, scilicet corpus cum suo capite, repræsentato in suis Legatis, habentibus, ut supponitur, plenariam delegationem; ut proinde dum sententiæ Legatorum accedit major pars Concilii, sufficienter, saltem implicitè, adesse videatur etiam sententia ipsius Papæ.

*Opinio affirmans infallibilitatem proponitur.*

151. *Opinio negans præfertur.*

Nihilominus *Bellarminus l. 2. de Concil. Herincx Sum. Theol. Pars III. c. 11.* & plerique alii secùs censent, eò quòd firmitas Concilii fundetur in consensione corporis cum capite, quod quidem caput in casu quæstionis, nondum aperuit sensum suum. Deinde infallibilitas judicii est prærogativa personalis Petri & successorum, non delegabilis; adeoque non communicabilis Legatis, qui sicut instructione prædíti possunt ab ea & veritate deviare, sic & instructione carentes. Ut proinde absente Capite vel ejus definitione aut confirmatione, non omnino perfectè repræsentetur Ecclesia. Definitiones autem Conciliorum, etsi de præsenti loquentes, censentur subordinari & referri ad subsequẽtem (quam secuturam supponunt) confirmationem. Quare confirmationem ipsa semper adeò sollicitè petierunt; ut patet ex *Leone X. in Concilio Lateranensi sess. 11.* & novissimè suffragiis omnium Patrum petiit *Concilium Tridentinum.* Ante confirmationem proinde non est judicium ultimum & irretractabile. Adde tamen, frequenter fuisse Papam antecedenter cõsultum de sua sententia: damnationem quoque sæpè referri ad jam antea satis dãnata & pro damnatis habita. Quibus rationibus interdum ante confirmationem Papæ processum est in Conciliis ad damnationem & depositionem seu punitionem hæreticorum pertinacium. Alioquin in rigore à sententia talis Concilii ante confirmationem adhuc recurri seu appellari posset ad Papam, pœnes quem est ultimum judicium.

*Quæ dans præfertur.*

152. *Quæ Origo Conciliorum.*

Origo Conciliorum fundamentum quidem habet in veteri Lege *Num.* 11. ubi post institutionem Pontificis divino jussu institutum fuit Concilium Septuaginta Seniorum. Item in Evangelio *Matth.* 18. ubi Christus præsentiam seu assistentiam promisit congregandis in nomine suo. Item in facto famosiori Apostolorum *Act.* 15. Ultra quod Collectiones seu Concilia Apostolica varia recensentur à Nonnullis, scilicet *Act.* 1. pro electione Matthiæ; *Act.* 6. pro electione septem Diaconorum; *Act.* 20. ubi Paulus vocavit majores natu Ecclesiæ; *Act.* 21. ubi Paulo introeunte ad Jacobum collecti sunt Seniores: denique quando Apostoli in unum convenientes Symbolum (quod Apostolorum dicitur) composuerunt. Apostolorum normam Ecclesia secuta jugiter sua Concilia celebrat. Unde instinctu indubiè Spiritûs sancti, utì Apostoli, ita Ecclesia instituit & adhibet Concilia.

*Varia Nonnulli recensent Apostolorum Concilia.*

153. *Concilium generale auctoritatem suam habere immediatè à Christo olim quidam dixerunt.*

Sed fuerunt Quidam, qui existimarunt Concilium generale habere immediatè suã potestatem seu auctoritatem ab ipso Christo seu Deo. Estque connexum doctrinæ illorum, qui eidem subjiciebant ipsum Papam. Unde conformiter *Concilium Constantiense sess. 4.* statuit & decrevit, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitimè, generale Concilium faciens, Ec-

clesiam universalem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscumque statûs vel dignitatis, etiamsi Papalis, existat, obedire tenetur.

*Quod refellitur,*

Verùm neque ex Scriptura, neque ex traditione constat de hujusmodi potestate. Inde enim solùm constat de suprema potestate datâ ipsi Pontifici tamquam capiti in universalem Ecclesiam: ut proinde ex capite potiùs potestas flueret in ipsum corpus seu Concilia; prout juxta rectum ordinem corpus recipit motum & influxum à suo capite: prout etiam inde derivatur potestas in ipsos particularium Ecclesiarum Prælatos juxta veriorem sententiam. Deinde potestas ista est excogitata ad subjiciendum Papam Concilio; cui ipsum subjici non posse, patebit ex mox dicendis. Confirmatur: quia potestas ista non est eadem, vel æqualis cum potestate Pontificia: Concilium enim non est summus Pontifex, neque possunt simul esse duo suprema capita in Ecclesia; nec denique id sufficeret ad subordinandum Papam Concilio, cùm par in parem non habeat potestatem. Non est major: sic enim stante Concilio desineret Papa esse caput & habere supremam potestatem. Non minor: quia illa potestas foret supervacanea, competensque Episcopis etiam extra congregationem, ac impertinens ad intentum istius sententiæ, scilicet subjiciendum Papam Concilio.

154. *Concilium generale esse supra Papam quidam olim docuerunt.*

Concilium porrò esse supra Papam, utì Congregationem generalem Religionis supra Præfectum generalem, censuerunt *Gerson*, *Almainus*, *Cardinalis Florentinus*, *Panormitanus*, *Abulensis* & quidam alii; id existimantes opportunum tollendo per substitutionem novi Pontificis, aliis depositis, schismati inveterato, quod fuerat circa tempora *Concilii Pisani* & *Constantiensis*. Unde & ipsum *Concilium Constantiense sess.* 4. id præsupposuit, ac decrevit. Et paulò pòst idem communi consensu stabilitum est in *Basileensi*. Hi proinde considerant supremam potestatem principaliter datam Ecclesiæ sic universaliter congregatæ; quæ quoniam semper ita perseverare congregata nequit, à Christo institutus sit Pontifex cum hac potestate, nomine Ecclesiæ ab ipso, tamquam instrumento ejusdem Ecclesiæ, exercendâ, sic tamen ut in usu potestatis pertineat ad Ecclesiam universaliter congregatam directio ipsius Pontificis.

*Idemq; decrevit Concilium Constantiense & Basileense.*

155. *Oppositum est certum.*

Verùm contraria doctrina est omnino certa & Catholica: quam expressit *Concilium Lateranense* sub *Leone X. sess.* 11. docens, *pœnes solum Pontificem tamquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, esse Conciliorum indicendorum, transferendorum aut dissolvendorum plenum jus & potestatem: idq; nedum ex sacra Scriptura testimonio & dictis sanctorum Patrum, sed propriâ etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constare.* Ut proinde non pateat hodie effugium Contra-sentientibus, nisi forte dicant ista non definiri ibidem sub anathemate. Quod quidem ad summum posset ipsos excusare à perfecta hæresi.

*Quod traditi Concilium Lateranense ultimum.*

*Colligitur ex Scriptura.*

Colligitur ex Scriptura *Matth.* 16. ubi docetur Petrum & consequenter ejus successorem Pontificem, esse caput & rectorem, utì fundamentum, non tantùm singulorum fidelium, sed & ipsius universalis Ecclesiæ; quæ collectivè sumpta (quod & ipsum nomen importat) supra istam petram fundatur & ab ea sustentatur; quamquam potestas immediatè à Christo data Petro, sit ei concessa ad utilitatem ipsius Ecclesiæ. Similiter *Joan.* 21. Petrus statuitur Pastor universalis ovium Christi: Pastor autem præest non tantùm singulis ovibus, sed etiam toti ovili.

156. *Et modo loquendi Conciliorum.*

Consonat Scripturæ modus loquendi Conciliorum. Nam Patres Concilii Chalcedonensis in *Epist. ad Leonem* Papam (quæ habetur post *Act.* 16.) se vocant illius filios, ipsum verò caput: *Quibus* (inquiunt) *tu quidem sicut membris caput præeras*; petuntque humiliter confirmari decreta Concilii: quo non obstante Leo auctoritate Apostolicâ decretum factum circa præeminentiam Sedis Constantinopolitanæ cassavit. *Florentinum in Litteris Unionis* definit *Pontificem Romanum esse totius Ecclesiæ caput, & ipsi regendi universalem Ecclesiam* (atque adeò omnes coadunatos) *à Domino plenam potestatem traditam esse.*

*Dictoq; celeberrimo Prima Sedes à nemine judicatur.*

Hinc illa vox antiquorum Conciliorum (quam resumit S. Bonifacius Germaniæ Apostolus, & refertur c. *Si Papa d.* 40.) quòd Papa seu prima Sedes à nemine judicatur; quæ proinde *à solo Deo, non ab homine, potest judicari*, ut loquitur *Bonifacius VIII. Extravag. Unam Sanctam, de Majorit. & obed.*

157. *Robur Conciliorum à Pontifice.*

Hinc omnia Concilia ad ejus examen revocantur; eoque solo contradicente, robur obtinere nequeunt, sic ut *omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patentur excipiatur auctoritas*, ut habet *Paschasius* Papa c. *Significasti* 4. *de Elect.* Quibus (ut ait *Symmachus* c. *Bene d.* 96.) *consuevit tribuere firmitatem.*

Hinc denique est, quòd *Basilius Epist.* 52. *ad Athanas.* consulat, ut rogetur Romanus Pontifex, quatenus per Nuntios irritet acta Concilii Ariminensis. Hinc denique à Synodis, ab Episcopis & Patriarchis ad Papam appellatur; utì Athanasius & Paulus à Concilio depositi appellarunt ad Julianum Papam, à quo sunt restituti; Flavianus & Theodoretus ab Ephesino II. ad Leonem Papam, Chrysostomus ad Innocentium I. &c.

Accedit, quòd Ecclesia sit regnum seu Monarchia, adeoq; non pœnes ipsam rempubli-

publicam, sed pœnes unum aliquem sit suprema potestas: quodque ex nullo capite constet potestas ista Conciliorum.

158. Ad Concilium Constantiense respondetur ipsum hac in parte nõ esse approbatum à Martino V. qui solùm probavit ea quæ conciliariter decreta erant; idque in materia fidei, nempe contra *Wicleffistas* & *Hussitas*. Decretum porrò istud est factum *sess.* 4. (quando à Concilio discesserat Joannes XXIII. nullo ejus loco præsidẽte, nulli quoque aderãt Prælati de obedientia Gregorii XII. aut Benedicti XIII.) non cõciliariter, & absque disquisitione in Cõciliis consuetâ, veluti explicativum opinionis de sua potestate, ac opportunè præambulum tollendo schismati; cùm manifestum sit, non fuisse rem istam tamquam fidei tractatam, neque intentum Patrum fuisse ibi dogmata fidei tradere aut errores damnare. Similiter *Concilium Basileense* erravit: quod quidem erat legitimè indictum, sed mox degeneravit in schismaticum, seditiosum & nullius prorsus auctoritatis Conciliabulum (prout declaratur in *Lateranensi ult. sess.* 11.) ab Ecclesia reprobatum; in quo temerariè attentatâ depositione Eugenii IV. electus est Amadæus Dux Sabaudiæ Antipapa, Dictus postea Felix V. qui cùm deinceps Pseudo pontificatui, Nicolaus V. pacis gratiâ approbavit quasdam Constitutiones ibidem circa beneficia Ecclesiastica editas. Videnda sunt, quæ Pius II. antea Dictus Æneas Sylvius scribit in Bulla retractationis à se juvene scriptorum, ac dudum ante Pontificatum retractatorum.

Ut autem Syllabus Conciliorum Generalium ab Ecclesia probatorum aut reprobatorum sit cuique ad manum, singula hîc breviter recensebo.

## *Concilia Generalia approbata.*

159. *Concilia Generalia Orientis recensentur.*

I. ITAQUE Generale Concilium est Nicænum 318. Episcoporum temporibus Sylvestri Papæ I. celebratum, ratione quæstionis de celebrãdo Pascha aliter quàm more Judæorum, qui id celebrabant die quintadecimâ mensis primi: & ratione Arij negantis divinitatem Christi. Canones hujus Synodi pravorum hominum insidiis multi perierunt.

II. Constantinopolitanum 150. Episcoporum tempore Damasi Papæ congregatum contra Macedonium Episcopum Constantinopolitanum negantem divinitatem Spiritûs sancti; probatumque quoad ea, quæ de fide ibi constituta sunt.

III. Ephesinum 200. Episcoporum tempore Cælestini I. contra Nestorium dividentem Christum in duas personas, & consequenter negantem Pũ Virginem Mariam esse Deiparam.

IV. Chalcedonense Episcoporum 630. tempore Leonis Papæ contra Euthychen admittentem in Christo solùm unicam naturam: quod Leo probavit quoad acta in materia fidei.

V. Constantinopolitanum II. Episcoporum 165. tempore Vigilii Papæ celebratum anno 553. in quo reprobantur errores Origenis, Theodori Mopvesteni, Scripta Theodoreti contra S. Cyrillum, & Epistola Ibæ.

VI. Constantinopolitanum III. Episcoporum 289. tempore Agathonis Papæ celebratum circa annum 680. contra Monothelitas. Per errorem tamen non levem in indice Conciliorum præambulo Præludiis *Francisci Longi Corsolani* numerus iste Episcoporum, hæresis eadem damnata, Legati Agathonis Papæ statuuntur in Concilio V. ante centum annos ante tempora Agathonis celebrato, juxta ipsum *Longum in Summa Conciliorum*.

VII. Nicænum II. Episcoporum 350. tempore Adriani I. anno 787. celebratum contra Iconomachos.

VIII. Constantinopolitanum IV. Episcoporum 383. tempore Adriani II. celebratum pro Ignatio Patriarcha Constantinopolitano contra Photium intrusum; in quo etiam cultus sacrarum Imaginum confirmatus est. De his octo Conciliis generalibus in Oriente celebratis extat Decretum C. *Sancta Dist.* 16. Ut proinde perperam Synodus Florentina appelletur VIII. Generalis. Litteræ porrò Joannis VIII. quasi improbantis acta hujus Synodi, sunt à Photio falsatæ.

160. *Concilia Generalia Occidentis enumerantur.*

IX. Et inter ea quæ in Occidente celebrata sunt primum, est Lateranense 300. & ampliùs Episcoporum, tempore Calixti II. anno 1122. pro pace & concordiâ inter Ecclesiam & Imperium, morumque reformatione, nec non pro terra Sancta à Saracenis recuperanda. Acta hujus Concilii interierunt. Vide *Binium in Notis*.

X. Lateranense II. Episcoporum ferè mille tempore Innocentii II. anno 1139. celebratum contra Antipapas, & Arnoldum de Brixia, ac pro reformatione morum. Acta hujus Concilii non extant juxta *Binium*: attamen Canones ex Bibliotheca Vaticana recenter editos recitat *Longus in Summa Conciliorum*.

XI. Lateranense III. Episcoporum 300. tempore Alexandri Papæ III. anno 1179. contra Catharos (quos Waldenses & Albigenses alii appellant) & Schismaticos ab Antipapis ordinatos, ac pro reformatione morum.

XII. Lateranense IV. Episcoporum ad minus 400. aliorum verò Patrum, puta Abbatum, Priorum Conventualium 800. tempore Innocentii III. celebratum anno 1215. contra hæreses Albigensium & Almarici, ac errores Abbatis Joachim, nec non pro recuperatione terræ sanctæ, ac reformatione morum.

XIII. Lugdunense I. Episcoporum 140. tempore Innocentii IV. celebratum anno 1246. causâ Frederici Imperatoris deponendi, expeditionisque in terram sanctam suscipiendæ.

XIV. Lugdunense II. Episcoporum plusquam 700. (juxta alios 500.) tempore Gregorii X. anno 1274. celebratum contra Græcorum errores & pro recuperatione terræ sanctæ, aliisque de causis. In quo operâ & studio S. Bonaventuræ unio Ecclesiæ Græcæ cum Latina facta est.

XV. Viennense Episcoporum 300. & ampliùs, tempore Clementis V. anno 1311. celebratum contra varias hæreses, scilicet Fratricellorum, Begardorum & Beguinarum: in quo etiam Ordo Templariorum extinctus, & variæ factæ Constitutiones, editæ sub nomine Clementinarum.

XVI. Florentinum anno 1438. Ferrariæ inchoatum, & ratione pestis Florentiæ anno 1439. absolutum sub Eugenio IV. contra errores Græcorum, qui ibidem Ecclesiæ Latinæ conjuncti, unà cum Armenis. Cui subscripsere Episcopi 141. cum interim diversi recessissent.

XVII. Lateranense V. & ultimum anno 1512. sub Julio II. inchoatum, & anno 1517. sub Leone X. finitum Episcoporum 114. ad tollendum schisma, quod per Conciliabulum Pisanum celebratum anno 1511. propagabatur, item ad Principum concordiam, Clerique ac populi reformationem.

XVIII. Tridentinum cœptum anno 1545. sub Paulo III. continuatum sub Julio III. & finitum anno 1563. sub Pio IV. celebratum contra hæreses varias istius sæculi, præsertim Lutheranorum. Cui subscripserunt 255. videlicet Legati 4. Cardinales 2. Patriarchæ 6. Archiepiscopi 25. Episcopi 168. Abbates 7. Procuratores absentium 39. Generales Ordinum 7. Etsi ex Villapandæo alium numerum Patrum, qui interfuerunt referat *Bellarminus l. 1. de Concil. c. 5.*

## *Concilia Generalia reprobata.*

161. *Concilia Generalia reprobata.*

I. INTER Concilia reprobata, primum (quod Ariani velut Generale obtruduntur) est Antiochenum anno 345. (ut habet *Sylvius* & *Longus* in Indice) vel potiùs anno 340. (ut ex *Binio* transcribit postea idem *Longus in Notis*) celebratum tempore Julii I. factione Eusebianorum, qui verè Ariani erant, ibique Athanasium damnarunt, viamque eversioni Nicænæ Synodi pararunt.

II. Mediolanense Episcoporum plusquam 300. tempore Liberii Papæ anno 153. in causa Athanasii habitum; quod quidem fuit veriùs tyrannica consultatio, Arianorumque conjuratio, justissimèque reprobatum Conciliabulum.

III. Ephesinum II. (quod Synodum prædatoriam Veteres vocarunt) tempore Theodosii junioris anno 449. in quo factione Dioscori occisus est S. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, Legati Leonis Papæ fugati, & hæresis que Eutichiana confirmata.

IV. Constantinopolitanum sub Leone Isauro coactum anno 730. contra sacras Imagines. Cui è Patriarchis solus interfuit S. Germanus Episcopus Constantinopolitanus, qui quòd actis consentire nollet, à Sede sua dejectus est. Ita *Bellarminus l. 1. de Concil. c. 6.* Mirum tamen, hujus Concilii non fieri mentionem à *Baronio*, aut in Tomis Conciliorum *Binij*, aut Summa *Francisci Longi*; qui tamen in Indice præambulo illud retulerat ad annum 728.

V. Constantinopolitanum (quod VII. Synodum appellant Iconomachi) sub Constantino Copronymo, & Pseudopatriarcha Constantinopolitano anno 754. Episcoporum 338. contra sanctas Imagines, reprobatum in *Synodo VII. act. 6.*

VI. Pisanum ab Imperatore & Rege Galliæ ac aliquot Cardinalibus coactum anno 1511. contra Julium II. reprobatum in Concilio Lateranensi sub eodem Julio II. *sess. 2. & 3.*

162. *Quid censendum de Concilio Arimin.*

Inter Concilia reprobata solet etiam recenseri Concilium Ariminense, signanter à *Francisco Longo* in Indice memorato. Qui tamen in Summa ex *Binio* rectiùs distinguit duo Concilia, unum generale legitimum Episcoporum plusquam 400. qui omnes ferè Catholici, anno 359. habitum tempore Liberii Papæ, in quo fides Ariana condemnata fuit, fidesque Nicæna confirmata. Alterum, Conciliabulum illegitimum & reprobatum, post aliquot menses à dissolutione Cœcilii ibidem coactum, in quo fraude Arianorum, Ursacii præsertim & Valentis, ac metu minisque Imperatoris consentientibus ferè omnibus Episcopis Catholicis, præter Liberium, Servatium Tungrensem, & paucos alios, nomen *Homoüzion* abolitum fuit. Vide *Baronium ad annum 359. Binium* in notis ad Concilium, & Conciliabulum Ariminense.

De nostrorum Hæreticorum Synodis, Wittenbergensi, Basileensi, Tigurina, Bernensi, & Nationali (sic vocant) Dordracena, nil attinet dicere: cuique enim Catholico notissimum est, fuisse mera Conciliabula, nomineque Concilii prorsus indigna.

## *Concilia partim approbata, partim reprobata.*

163. *Concilia partim approbata, partim reprobata. An hujus-*

INTER Concilia partim approbata, partim reprobata, primum censetur Sardicense Episcoporum 376. è quibus trecentos fidem Catholicam firmasse, reliquos septuaginta sex Orientales Arianam fidem scripsisse, ait *Bellarminus l. 1. de Conciliis c. 7.* & *Fran-*

modi sit Sardicense.

& *Franciscus Longus* in Indice Conciliorum Summæ præambulo. Qui tamen in ipsa Summa in Notis ad D. Concilium ex *Binio* verbatim transcribens rectiùs advertit, fuisse duo Concilia, unum Sardicense legitimum & Oecumenicum anno 347. celebratum, quod est Nicæni appendix, cum quo etiam velut unum censetur, & sub cujus nomine aliquando ejus Canones citantur: tum quia iidem ferè Patres interfuerunt: tum quia solùm in eo fides Nicæna cum suis Canonibus confirmata & explicata fuit. Unde Canones utriusque Concilii, quasi unius forent, conjuncti habentur in Romana Bibliotheca, & antiquo Exemplari Monasterii Vedastini Atrebati, quod ante annos mille & centum è Græco vertit *Dionysius Exiguus*. Patres plusquam 300. qui huic Concilio interfuerunt & subscripserunt, omnes Catholici erant, præsidentibus Legatis Sedis Apostolicæ Archidamo & Philoxeno Presbyteris. Alterum Conciliabulum Semiarianorum, ementito & divulgato Concilii Sardicensis nomine celebrarũt sub idem tempus vel anno sequenti Ariani, Sardicâ per fugam dilapsi, Philippopoli in Thracia, in quo quintam perfidiæ formulam fabricarunt, damnatis quidem specietenus quibusdam Arij positionibus, at nomine Consubstantialitatis callidè omisso. Et hinc occasio deceptionis in multis Scriptoribus.

164. Quid censendum de Synodo Syrmiensi.

Secundò inter partim approbata, partim reprobata statuitur post *Bellarminum l. 1. de Conciliis c. 7.* à *Francisco Longo* in Indice citato Concilium Syrmiense celebratum anno 357. ut probat *Longus* in Notis ad D. Concilium. Etsi in Indice præambulo dicat celebratum anno 356. annis quinque post Sardicense, quod celebratum fatetur anno 347. Syrmiensem porrò Conventum esse Conciliabulum potiùs, quàm ulla ex parte probatum Concilium putat idem *Longus* in Notis secutus *Baronium*. In eo Photinus condemnatus est; sed (ut apparet) specietenus & simulatoriè, ut Ariani se Catholicos simularent. Duplex quoque in eo fidei formula fuit edita. Quarum prima nil habet quod culpetur, præter suppressum callidè nomen *Consubstantialitatis*: secunda verò apertè impia & Ariana fuit.

165. Quid de Concilio Quinisexto seu Trullano.

Tertiò Conciliis partim approbatis partim reprobatis accensetur etiam Concilium Quinisextum, Constantinopoli in Trullo celebratum anno 692. sine auctoritate Sedis Apostolicæ, prætextu supplendi Canones Ecclesiasticos in V. & VI. Synodo non confectos; cùm tamen hæ Synodi tantùm ob causam fidei fuerint congregatæ. Unde est Conciliabulum ab Ecclesia reprobatum. Canonesque 102. ibidem conditi ex hac Synodo nil habent roboris, quamquàm Ecclesia eos non respuat, utì veritati consentientes, qui aliàs sunt secundùm Decreta legitimorum Conciliorum aut S. Romanæ Ecclesiæ. Ceteros verò Decretis sanctorum Patrum contrarios semper detestata est. Canonem octuagesimum secundum citant quidem Patres Synodi VII. at non aliâ ratione, quàm ut Iconoclastas, eum velut Synodi Oecumenicæ partum admittentes, proprio gladio jugularent.

Quartò, pariter annumeratur hujus generis Conciliis Francofordiense 300. Episcoporum, præsentibus Sedis Apostolicæ Legatis anno 794. celebratum (quod tamen in rigore solùm fuit Provinciale, seu Nationale) approbatum quoad ea, quæ rejectam ibidem adoptionem Christi concernunt; reprobatum autem quoad eam partem, quâ ex errore damnata ab eo fertur Synodus Nicæna II. Dico, *Fertur*: nam de veritate non satis constat: quin immo credibilius est, falsam esse hanc relationem; ut fusè probat *Binius in Notis*, & consentit *Longus ibidem*; etsi in Indice præambulo oppositum supponat.

166. Quid de Francofordiensi Constantiensi & Basileensi.

Quintò, Concilium Constantiense Oecumenicum, qualiter ex parte solùm probatum sit, in supradictis diximus *n.* 158.

Sextò, inter hæc recensetur Concilium Basileense; quod quidem à Martino V. indictum, & operâ Eugenii IV. legitimè inchoatum, mox degeneravit in illegitimum & schismaticum, nulliusque prorsus auctoritatis Conciliabulum, & hoc nomine reprobatum in *Concilio Lateranensi* sub *Leone X. sess.* 11. Unde nihil hujus Concilii ratum est: nisi quòd dudum postea Nicolaus V. pacis gratiâ approbaverit, quæ de Beneficiis Ecclesiasticis in eo constituta fuerant.

Denique Concilium generale Pisanum anno 1409. celebratum, duobus se pro Pontifice gerentibus, ad tollendum schisma, neque apparet clarè approbatum neque etiam reprobatum. Nam *Antoninus* quidem *P. 3. Tit. 12. c. 5. §. 2.* vocat Conciliabulum illegitimum; schisma quoque per illud potiùs videtur fuisse auctum, dum depositio Gregorio XII. & Benedicto Pseudo papa, electus est Alexander V. à Cardinalibus utriusque obedientiæ, duobus aliis pontificatum deponere nolentibus. Aliunde tamen apparet fuisse legitimum: tum quia Alexander V. censetur hoc nomine in Cathalogo legitimorum Pontificum, & Alexander VI. aliàs se quintum appellare debuisset: tum quia ipse Alexander V. in articulo mortis, protestatus est se credere acta Concilii rectè & integrè sine dolo malo peracta fuisse: tum quia videri poterat Cardinalibus in hujusmodi dubio seu Controversia fas esse providendi Ecclesiæ de capite non controverso.

167. Concilium Pisanum nec aperiè probatum, nec clarè reprobatum.

QUÆST.

## QUÆSTIO VIII.

### *De Symbolis Ecclesiæ.*

168. *Quid Symbolum significet.*

QUEMADMODUM spectantia ad mores sunt redacta in Decalogo ad quoddam Compendium; sic & quæ ad fidem spectant, in Symbolis, quæ nimirum sunt brevis & simplex articulorum potissimorum fidei collectio. Symbolum enim græcè significat latinè Collationem sive Collectionem, quâ videlicet in Summam unam conferuntur & colliguntur fidei capita. Significat etiam tesseram seu notam quâ alii ab aliis discernuntur; prout milites in tentoriis, bellatores in præliis solent habere symbolum, ut agnoscant invicem, & ab aliis discernantur. Sic itaque Symbolum fidei est collatio quædam plurium fidei capitum, est etiam collatio plurium Patrum ad illud faciendum suas partes conferentium, est denique tessera discernens Christi milites à ceteris fidem Christi non profitentibus; ut rectè notavit *Rufinus in Symbolo*. Aptissimè porrò sunt in Ecclesia hujusmodi Symbola, tum pro simplicium instructione, tum ut omnibus sit in promptu contra errores stabilis formula professionis fidei incorruptæ, tum ut meliùs servaretur & clariùs pateret fidei & prædicationis apud omnes Gentes conformitas.

*Quæ ratio conficiendi Symbola.*

169. *Triplex est Symbolum,*

*Primum Apostolorum.*

Triplex porrò fidei Symbolum est usitatum in Ecclesia universali. Primum, quod Apostolorum vocant: estque juxta *Clementem, Irenæum, Epiphanium, Chrysostomum, Ambrosium, Leonem, Maximum*, & alios Patres (quibus accedit unanimis Scholasticorum consensus, & omnium Fidelium persuasio) conditum ab Apostolis (quidquid impudenter *Erasmus in Præfat. Paraphrasis in Matth.* & quidam Novatores mero contradicendi studio repugnent) idque juxta *Alensem, D. Thomam, D. Bonaventuram, Scotum*, & alios passim, singulis Apostolis suâ partem Symboli conferentibus: quamquam non omnes consentiant, dum singulos articulos singulis nominatim tribuunt. Scholastici præluit *Augustin.* (seu quisquis est auctor) *serm. 115. de Temp.* qui est 42. *in Appendice*. Et consonat *Leo Papa Epist. 13. ad Pulcheriam Augustam. Alcuinus de Offic. Eccles. c. 22. Rabanus de Instit. Cleric. l. 2. c. 56.* Aptèque huc accommodat *Doctor Seraphicus 3. d. 25. art. 1. q. 1.* figuram, quæ habetur *Josue* 4. ubi duodecim viri extraxerunt de medio Jordanis alveo singulos lapides, quos posuerant in loco, in quo castra metati sunt. Verùm tunc debuisset Symbolum fuisse confectum ante divisionem Apostolorum per orbem (quæ contigit anno 10. post Ascensionem Christi, idque 15. Julii juxta *Martyrologium Bedæ* & aliorum) cùm Jacobus Major jam tunc occisus foret ab Herode ante Pascha. Unde præfata doctrina de singulorum articulorum à singulis confectione non est certa, variis supponentibus Symbolum esse factum tempore divisionis Apostolorum. Et quamvis Jacobo adhuc vivente confectum esset, non inferretur inde efficaciter, id contigisse singulis suum articulum conferentibus, & non potiùs totum communi consilio.

*Ab eis confectum esse singulis singulos articulos conferentibus, est communis sententia.*

*Cui figuram ex Josue 4. aptè accommodat S. Bonaventura.*

*Hæc tamen doctrina nè est certa.*

170. *In quot articulos dividatur.*

Dividitur moderno Ecclesiæ usu in publica recitatione & expositione servando, atque etiam in Catechismo Romano, & apud *Augustinum* variis locis servato in duodecim articulos: etsi *D. Thomas q. 1. art. 8.* illud dividat in quatuordecim, idque citra diversitatem, quæ rem ipsam concernat, sed quæ solum concernat modum numerandi & distinguendi.

171. *An sit Scriptura sacra.*

Et quamvis indubitatum sit, Symbolum hoc esse conditum instinctu Spiritûs sancti, atque objecta professionis fidei, in formula ista contenta, esse revelata à Deo: tamen juxta usitatum loquendi modum non est Scriptura Canonica: eò quòd sine scripto Fidelibus ab Apostolis traditum sit, ut etiam Patres veteres testantur. Deinde est propriè professio, quâ quilibet Fidelis in sua propria persona, & ex propria sententia affirmat (quæ quidem affirmatio non est fidei articulus) se credere in verbum Dei, scilicet in hoc, quòd Deus sit omnipotens, creator &c. Quamvis non videatur magnopere repugnandum, si ad Verbum Dei traditum referatur, quatenus in præscripta professione continetur indirecta assertio Apostolica veritatis eorum, in quæ ipsa professio Fidelibus præscripta cadit.

*An sit dicendum, Credo Ecclesiam, sine præpositione In.*

Postremò notandum in eo non dici, *Credo in S. Ecclesiam*; sed *Credo Ecclesiam*; idque rectiùs, ut significetur Ecclesiam esse unum ex iis quæ creduntur. Quamquam alia lectio apud Nonnullos insignes Patres reperta, non sit superciliosè cum *Erasmo* Explodenda: cùm non adeò malè aut inusitatè dicatur quis credere etiam in objectum materiale.

172. *Secundum Symbolum est Constantinopolitanum.*

Secundum Fidei Symbolum est Constantinopolitanum; quod sæpè Nicænum dicitur. Pro quo notandum

*Qualiter diversum ab eo, quod in Nicæna Synodo confectum fuit.*

Symbolum, cujus hodie usus in Missa, prout fertè modò jacet esse editum in Concilio Constantinopolitano; exceptâ particulâ *Filioq*, quæ postmodum adjecta fuit, id exigentibus succrescentibus hæresibus. Et quidem Symbolum Nicænum est multò brevius (ut videre est in *To. 1. Conciliorum*) in quo post articulos de Christo solùm subditur: *Et in Spiritum sanctum.* Est quoque paulò aliter dispositum quoad stylum. At occurrente novâ hæresi *Macedonii* contendentis Spiritum sanctum esse creaturam solius Filii, addita in *Concilio Constantinopolitano* fuere, quæ divinitatem & processionem Spiritus à Patre concernùt, cum ceteris sequêtibus. Quo denique tempore additum sit: *Filioque*, vide apud *Baronium*

*Quando sit additum Filioque.*

*Cur Romæ sub missa Symbolum cani insolitum.*

*nium ad annum* 447. ubi id factum primitus censet in *Concilio Toletano I.* non tamen sine auctoritate Leonis Papæ. Qui etiam notat ad *annum* 1014. non fuisse morisantecedenter in Ecclesia Romana post Evangelium sub missa recitari Symbolum, quod nimirum in ea non sit periculum errandi, neque ipsa umquâ à vera fidei professione, vel in apice minimo deviarit. Quam rationem tangit *Ruffinus in Symbolo*; eamque rogati à Benone abbate Presbyteri Romani reddiderunt, teste *Baronio sup.* Suadente nihilominus Imperatore Henrico Benedictus VIII. permisit ad missam publicam deinceps Symbolum decantari. *Quam quidem susceptâ consuetudinem* (inquit *Baronius*) *haud improbamus: sed nobis gratior, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quàm novitati.*

*Quando cani cœperit.*

173. *Tertium Symbolum Athanasii.*

Tertium est Symbolum, quod hactenus *Athanasy* nomine in Ecclesia Catholica publicè recitatur. Illud is Romam ejtatus, quò ejus Ecclesiæ communionem mereretur, seque Romano Pontifici probaret, ibidem veluti publicam Catholicæ fidei professionē edidit. Quod Symbolum in Romanæ Ecclesiæ archivo unà cum actis Synodi tūc ibidem habitæ collocatum, ibique diu delituisse, adeoque ab Antiquioribus vix citatum, donec è Romanæ Ecclesiæ antiquis monumentis veluti eruderatum emersit in lucem, & à cunctis Ecclesiis susceptum fuit; refert *Baronius ad annum* 340. Nihilominus non ita potuit delituisse, cùm in Aphrica innotuerit *Augustino*, qui integris sententiis hujus Symboli velut in Ecclesia notissimi utitur *l. 5. de Trinit. c.* 8. *Epist.* 174. *ad Pascentium. Enchiridii c.* 36. *Serm.* 29. *de Temp.* Et quidem expresso nomine Patris *Athanasii* Episcopi Alexandrini recitat in *Psal.* 120. integrum hunc versiculum: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* Quod tamen in Editione perfectâ per Lovanienses omissum est; prout & expositio secundi versus ejusdem Psalmi, cum nonnullis in Editione Parisiēsi positis. Et ante *Augustinum Nazianzenus Orat. de Laudibus Athanasii* testatur eum conscripsisse perfectissimam fidei formulam, quam totus Oriens & Occidens veneratur.

*An & quādo ab eo confectum.*

Græci porrò, tenaciores sui contra processionem Spiritûs sancti à Filio erroris, convillantur esse à Latinis addita, quæ de ea in præfato Symbolo habentur. Verùm ex sola malevolentia citra ullum fundamentum id confingunt. Et quidem dudum ante exortum Græcorum errorem fuisse ea in Symbolo contenta, patet ex *Concilio Toletano IV.* celebrato ante mille annos.

*An à latinis adulteratū quoad processionem Spiritus sancti à Filio.*

Advertendum autem *Athanasium* hanc fidei formulam non composuisse per modum publici Ecclesiæ Symboli, sed potiùs per modum doctrinæ, eo fine, ut manifestaret suam de mysteriis divinis & Christi fidem. Quia tamē integram fidei veritatem doctrina ejus breviter & clarè continebat, Ecclesiæ seu summi Pontificis auctoritate est recepta, ut pro Symbolo publico & regula fidei haberetur. Aliàs ad solum Pontificem in Concilio generali vel extrà spectat condere Symbola Fidei; prout occasio succrescentium hæresum dictaverit: uti ad ipsum spectat finaliter ea, quæ fidei sunt determinare. Unde cum *Bernardus* cum aliquot Galliæ Episcopis edidisset in *Concilio Rhemensi* Symbolum Fidei contra *Gilbertum* sine assensu Apostolicæ Sedis, gravem idcirco Cardinalium indignationem incurrit *Bernardus*, fuitque ab ejus olim discipulo Eugenio III. decretum, ne umquam pro Symbolo Fidei in Ecclesia haberetur, ut refert *Smising Tract. 2. de Deo d. 1. q. 2. n.* 61. Quod itaque in *Concilio Ephesino To. 2. c. ult. Chalcedonensi Act. 4. in Decreto Fidei* prohibetur, ne alia fides proferatur, vel conscribatur, vel componatur, præter definitam à Patribus Nycenæ Synodi; non ita accipiendum est, ut posterioribus Conciliis aut Pontificibus ligentur manus aliquid, non quidem contra, sed supra id quod in præcedentibus declaratum fuit exponendi, ob necessitatem hæresis insurgentis; sed juxta *D. Thomam q. 1. art.* 10. ista prohibitio ad privatas personas pertinet, quarum non est determinare de Fide: si tamen nō sit intelligenda contrariè, ut solùm prohibeatur aliquid contrarium scribi vel proferri.

174. *Athanasius illud non ediditinstar Symboli Ecclesiæ.*

*Sed illud pro tali recepit ipsa seu Pontifex, cujus est Symbola condere.*

*Notabile de Symbolo per Bernardum confecto.*

*Qua additio aut mutatio in fide Concilii Niceni sit inhibita.*

# DISPUTATIO SEXTA.

## *De Summo Pontifice.*

### QUÆSTIO I.

### *An S. Petrus fuerit Christi Vicarius & Supremum Caput universalis Ecclesiæ.*

1. *Christus est & manet Supremum caput Ecclesiæ.*

CHRISTUS indubie est & semper manet summus Pontifex, primarium fundamentum, supremus Rector, Pastor & caput Ecclesiæ, sponsæ suæ dilectæ: qui ascensurus in cælum, adeoque Ecclesiæ visibilem præsentiam subtrahens, eam nō dereliquit instar domûs sine rectore, ovilis sine Pastore; sed ultra seipsum Rectorem summum invisibiliter eam regentem, & particulares particularium Ecclesiarum Pastores & Doctores visibiles, constituit Vicarium suum, qui foret visibile universalis Ecclesiæ visibilis in terris Caput,

*Relicto visibili Capite Vicario.*

*Eoq; unito.* Caput, vice suâ recturus eamdem. Et quidem cùm instituerit Ecclesiam, veluti perfectum regnum spirituale, consequenter regimen monarchicum (quod tamen aristocratiâ quadam mixtum est, ratione optimatum, qui tum ad consilium, tum ad regimen subsidiariè adhibentur, juxta optimam hierarchiæ formam) instituit, atque unũ unius regni Principem, unius domũs unũ Oeconomum & veluti patrem-familias, unius ovilis unum Pastorem, unius exercitũs unũ Præfectum, unius navis unum gubernatorem, unius corporis unum caput instituit. Quò meliùs unitas Ecclesiæ in moribus & fide cõservaretur (quod alias difficulter fieret) tum etiam ob alias causas. Neque id supervacaneum: cùm regnum istud corporale & sensibile, simili capite egeat: nec supervacanei (etiam fatentibus Hæreticis) sed necessarii sint ceteri pastores & doctores, quamvis Christus principalis sit pastor & unicus Magister.

*Idq; non supervacanè.*

2. *Electus à Christo ad hanc dignitatem Petrus.*

De facto autem Christum instituisse S. Petrum in suum Vicarium & supremum caput Ecclesiæ universalis, est fide certissimum. Et probatur primò ex Scriptura *Matth.* 16. ubi juxta obvium planè sensum sub metaphora fundamenti & clavium summa hæc potestas promittitur: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã &c. Et tibi dabo claves regni cælorum &c.* Nam quod superior in corpore communitatis, rex in regno &c. hoc fundamentum in ædificio. Cui etiam oppidi claves traduntur, dominus vel Gubernator illius fit aut agnoscitur. Syriacè (prout Christus loquebatur) est: *Tu es Cepha* (quod saxum significat) *& super hoc cepha* seu saxum *ædificabo Ecclesiam meam.* At Græca lectio habet priori loco Πέτρος, posteriori Πέτρα, quæ tamen Græcè idem significant, ac si Christus dixerit: *Tu es Petra, & super hanc petram &c.* Covenientius tamen apparebat, nomen masculinè expressum attribui personæ virili, & ad claritatem metaphoræ postea uti voce fæminina, nil nisi saxum significante. Græcam Lectionem imitatus est latinus Interpres, cujus translationi inhærendo, etiam planè evincit contextus lii *hanc* referri ad Petrum, de quo scilicet immediate sermo factus erat, & ad cujus nomen alluditur: de quo etiam subditur: *Tibi dabo claves &c*: cui denique ob insignem Filii Dei confessionem prærogativa præ ceteris in præmium datur, ut Patres urgent; quod nullum foret, si Christus significasset ipsum vocari Petrum, & Ecclesiam ædificandam super ipsum Christum: adeoque frivolè tam accuratè expressa fuisset persona Petri nomine Simonis, adjecto nomine Patris Jonæ, & nomine recenti per Christum impositio Petri seu Cephæ.

*Probatur ex Matth. 16.*

3. *Occurritur objectioni*

*Augustinus* quidem *Tract. ult. in Joannem*, & *Lib. 1. Retract. c. 21.* ignorans vim sermonis hebraici dubitavit, non quidem de doctrina, sed de Scripturæ sensu, & relinquens lectori libertatem eligendi, in eum propendit, *Ut super hanc petram intelligeretur, quem confessus est Petrus*, scilicet ipse Christus. *Non enim* (uti subdit *Libr. 1. retract. c. 21.*) *dictum est illi: Tu es petra; sed, tues Petrus: petra autem erat Christus.* Unde apprehendit nomen Petrus esse denominativum à petra, q. d. Christus: Tu es Petrus, & super hanc petram, à qua Petrus appellaris, ædificabo Ecclesiam meam. Quod tamen totum corruit ex præmissis; ut patet. Ipse alioquin *Augustinus* de Sede Petri, *Ipsa* (inquit *in Psalmo contra partem Donati*) *est petra, quam non vincunt superba inferorum portæ.* Similiter jam à temporibus *Augustini* (ipso teste *lib. 1. Retract. c. 21.*) cantabatur in Ecclesiis seu ore multorum ex *Ambrosio*: *Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit.* Et *Ep. 86. Petrus* (inquit) *Apostolorum cæli janitor, & Ecclesiæ fundamentum.* Et *Serm. 29. de Sanctis*: *Dignus certè* (inquit) *qui ædificandis in domo Dei populis, lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.*

*ex auctoritate Augustini petita.*

4. *Stabilitur Scriptura allegata sẽsu ex Patribus passim.*

Conformiter ceteri Patres hunc locum intellexerunt, qui Petrum asserunt Ecclesiæ fundamentum, & petram, id est, lapidem fundamentalem; ut *Cyrillus l. 2. in Joannem c. 12. Tertullianus l. de Præscript. c. 22. Athanasius Epist. ad Felicem II.* suo & Synodi Alexandrinæ nomine scriptâ, quæ extat *To. 1. Concil. inter Epistolas Felicis II. Ambrosius Serm. in Cathedra S. Petri. Leo Papa Serm. 2. de Anniversario suæ assumptionis. Gregorius l. 6. Epist. 37.* & alii. Sufficiat nobis illud *Chrysostomi Hom. 55. in Matth.* dicentis: *Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.* Et illud *Hieronymi in c. 16. Matth. Secundùm metaphoram petræ recte dicitur ei: Ædificabo Ecclesiam meam super te.*

5. *Nec alii dissentiunt.*

Nec dissentiunt Patres, qui nomine petræ intelligunt interdum ipsam *inconcussam & firmissimam fidem* (ut loquitur *Cyrillus l. 4. de Trinit.*) quam Petrus professus est, seu ipsam fidei professionem. Nam solùm volunt hanc prærogativam in singulari fide & confessione Petri tamquam causâ seu occasione fundatam. Sic enim *Hilarius l. 6. de Trinit. versus finem* se explicans ait, Petrum *supereminentem beatæ fidei suæ confessione gloriam promeruisse.* *Hinc* (subdit) *regni cælorum habet clavem, hinc terrena ejus judicia cælestia sunt &c.* Alioquin iidem Patres alibi loquuntur clarè, sicuti præmisimus. Signanter ipse *Hilarius in c. 16. Matth.* dicens: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius petra; quæ inferorum leges dissolveret! O Beatus cæli janitor &c.*

6. *Christus fundamentum singulare Ecclesiæ multis titulis.*

Manet nihilominus verum quod *1. Cor. 3.* dicitur: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ipse enim est primum & singulare

gulare fundamentum, atque (ut ita dicam) fundamentum fundamentorum, cetera fundans, nulli innixum. Tum quatenus si soli competit esse fundamentum, cui tamquam redemptori fides & salus nostra innititur, in quem proinde tamquam Deum & hominem principaliter credendum est. Tum quatenus influit vitam spiritualem, & omnia bona in Ecclesiam ejusque membra. Tum quatenus est ex propria sua auctoritate principalis Ecclesiæ institutor, legislator & rector. Tum quatenus est finis Ecclesiæ, cujus, quà Dei, participatione beati, quà hominis coheredes electi efficientur. Unde ipse est summus angularis lapis, etsi sint alia fundamenta secundaria in Christo fundata, ipsi nimirum duodecim Apostoli, juxta locutionem Scripturæ *ad Ephes.* 2. & consonat *Apoc.* 21. idque ratione fundationis & propagationis fidei & Ecclesiarum in diversis locis, insuper ratione fidei eis divinitus revelatæ, denique ratione regiminis seu gubernationis Ecclesiæ. Inter omnes porrò supereminet Petrus: tum quia Ecclesia nititur specialiter Petro tamquam pastori ordinario, sic ut ipsa Sedes Petri sit petra illa, quæ est fundamentum permanens Ecclesiæ usque ad finem sæculi ædificandæ; cùm ceteris Apostolis tamquam extraordinariis legatis seu nuntiis à Christo missis sit concessa potestas in Successores non transmittenda. Tum quia Petro tamquam ceterorum capiti adscribi potest fundatio Ecclesiarum per eos facta. Unde *Leo Papa Epist.* 89. *Hujus* (inquit) *muneris*, Evangelici, *Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret.*

*Fundamenta secundaria omnes Apostoli.*

*Inter eos tamen specialiter Petrus; & quare.*

7. Dices, Petrus tamquam os ceterorum pro omnibus respondit, juxta Patres; adeoque promissio dirigitur etiam ad ceteros, ut iidem significant. Quibus proinde *Matth.* 18. communiter eadem potestas datur: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis &c.*

Resp. Petrum respondisse nomine ceterorum approbantium, non tamen quasi ex eorum commissione aut instructione. Unde ipse juxta Patres primus agnovit, ceteroque prævenit; *qui* proinde *primus est in Apostolica dignitate*, ut loquitur *Leo Papa Serm. 2. de SS. Petro & Paulo*, quique idcirco *supereminentem beatæ fidei suæ confessione gloriam promeruit*, ut loquitur *Hilarius lib. 6. de Trinit.* Habuerunt quidem & ceteri Apostoli quodammodo par consortium quoad Apostolicam dignitatem, seu quoad munus Apostolicum, ut significat *Cyprianus lib. de Unitat. Ecclesiæ*, in ordine scilicet ad fundandas Ecclesias, prædicandam fidem &c. sed cum eo consistit prærogativa Petri tamquam capitis ceterorum & pastoris ordinarii, adeoque habentis jurisdictionem etiam in ceteros Apostolos, cùm nemo illam è contrà in ipsum Petrum habeat. Nam (ut *ibidem Cyprianus* præmittit) *primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & cathedra una monstretur.* Sicque verum manet quod *Leo Papa Epist.* 84. *cap.* 11. scripsit: *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præemineret.* Et *Serm. 3. de Anniversario assumptionis suæ: De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ Patribus præponatur.*

*An Petrus Matth. 16. respondavit nomine ceterorum.*

*Qualiter hi Petro pares, qualiter inferiores & subordinati.*

Itaque *Matth.* 18. non quidem confertur, sed promittitur universim Apostolis potestas ligandi atque solvendi: at non pari modo, nec cuilibet tamquam supremo & ordinario capiti, uti Petro *Matth.* 16. sed tamquam Legatis extraordinariis, aliis autem Prælatis subordinatè ad Petrum tamquam universæ Ecclesiæ ordinarium pastorem. Qui proinde hâc ratione *Claves solus accepit*, ut habet *Optatus, l. 1. contra Parmenian.* Claves, inquam, cum Cathedra permansuras. Unde *lib.* 2 postquam dixisset: *Claves Salutares accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum*, Donatistas esse clavium expertes, & iniquos usurpatores arguit veluti *qui contra Cathedram Petri Sacrilegio militabant.* Et *Hieronymus l. contra Jovinian. in medio: Supra Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo* (quod attinet munus Apostolatus) *super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Et *Origines Tract. 6. in Matth. Quoniam oportebat aliquid majus habere Petrum &c. Ideo illi sic dicit: Et tibi dabo claves regni cælorum.*

8. *An Matth. 18 par potestas parit, modo omnibus conferatur.*

Denique dum *Augustinus* interdum significat Petrum in acceptione clavium sustinuisse personam Ecclesiæ; non negat eas esse concessas ipsi personæ Petri, sed ut juxta *Augustinum in Psal.* 108. illustrem habeat Scriptura intellectum, vult eam referri debere ad Ecclesiam, adeoque claves fuisse concessas ipsi Ecclesiæ, id est, ad stabilem usum seu utilitatem Ecclesiæ, non autem solùm ad utilitatem Petri, aut ut cum eo cessarent. Unde propter primatum Apostolatûs sive principatum gerebat Ecclesiæ figuram, juxta mentem & phrasim *Augustini Tract. ult. in Joannem.* & *Serm. 13. de Verbis Domini.* Vide *Wiggers Tract. de Pontifice num. 40. & seqq.* Alioquin *cunctis Evangelium scientibus liquet, quòd voce Dominicâ sancto & omnium Apostolorum principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur: Tibi dabo claves regni cælorum &c.* ut ait *Gregorius*

9. *Qui juxta Augustinū Petrus in acceptione clavium sustinuerit personam Ecclesiæ.*

*rius lib. 4. Epist. 32.* cui consonant alii Patres.

Petes, cur si primatus ibi sit Petro promissus, postea *Luc. 22.* contentio facta est inter Apostolos, quis eorum videretur esse major, neque Christus contentionem diremit, judicando juxta suum præcedens promissum pro Petro? Resp. eos tunc necdum plenè intellexisse promissionem Christi, utì & multa alia; etsi suspicarentur, tum ex verbis istis, tum ex aliis indiciis id quod res erat. Christus autem expediens judicabat infirmitati discipulorum, id tunc non apertiùs declarare, quod postea erant satis intellecturi: etsi tacitè innueret, ambitionem pariter retundendo, aliquem inter eos fore majorem, dicens: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor &c.*

10. *Qui contentio sit orta inter Apostolos de primatu etiam post promissionem Christi declaratam.*

Probatur II. Veritas Catholica ex *Joan. 21.* ubì primatus antea promissus Petro conceditur, & ovile universum cum ovibus indefinitè & absolutè conceditur his verbis repetitis: *Pasce oves meas.* Quod ita intelligunt Patres apud *Bellarminum lib. 1. de Pontif. cap. 14.* Et circumstantiæ textûs manifestè clamant ea verba dirigi ad solum Petrum. Quamvis etiam (ut interdum Patres insinuant) suo & accommodo modo habeant locum in ceteris prælatis, qui vocati sunt in partem sollicitudinis & regimen suorum particularium gregum; quibus etiam forma Petri proponitur in dilectione Christi, quæ à Petro per trinam Christi interrogationem tam sollicitè fuit prærequisita. Pascere porrò non est solùm præbere aliis cibum (quod in præsenti foret prædicare & docere) sed partim providere eum, quod est rectoris familiæ, juxta illud *Luc. 12. Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* Partim ex communi loquendi modo significat omnem actum pastoralem, ut proinde ibi Petrus constituatur Pastor gregis. Pastoris autem est non tantùm præbere cibum, verùm etiam dirigere, regere, defendere, aberrantes cogere baculo pastorali. *Oves* (inquit *Augustinus in dictum locum*) *ipsas pascendas, id est, docendas regendasq; committit.* Estque hæc Phrasis Scripturæ familiaris. Sic enim David dicitur pascere seu pavisse Israël, id est, rexisse *Psal. 77.* Et Cyrus rex (cui amplissimum regnum promittitur initio *c. 45.*) dicitur Pastor, *Isaiæ 44.*

11. *Primatus Petri probatur 2. ex Ioan. 21.*

His accedunt variæ prærogativæ primatum Petri indicantes. Primò, mutatio nominis, quod petram significat; quæ unum est è celebrioribus Christi nominibus; ut rectè *Leo Papa Epist. 89. c. 1.* scribat: *Hunc in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus &c.* Vide etiam *Serm. 3. de Anniversario suæ assumptionis.* Filiis Zebedæi nomen idem remansit, sed commune utrique cognomen Boanerges Christus dedit *Marci 3.* quo tamen nusquam postea in Scriptura appellantur.

12. *Et variis prærogativis. Prima.*

Secundò, quòd Petrus tamquam Princeps ceterorum constanter recéleatur principali loco, *Act. 2. Stans Petrus cum undecim.* Et *cap. 5. Petrus & Apostoli dixerunt.* Item *Marci 1. Lucæ 8.* & alibi, quomodo Michaël veluti Princeps numeratur *Apoc. 12. Michaël & Angeli ejus.* Immo *Matth. 10.* non solùm (utì semper ab Evangelistis) nominatur primo loco, sed etiam primus appellatur: *Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus*; ceteri autem (inter quos non erat similis subordinatio) non dicuntur secundus, tertius &c. idcoque nec semper eodem ordine recensentur. Quòd si ad prioritatem vocationis attendisset Scriptura, Andreas priùs vocatus & secutus fuit Christum *Joan. 1.* Idemque ætate senior juxta *Epiphanium Hæresi 51.* Hinc Petrus plerumque nomine omnium loquitur *Matth. 19. Lucæ 12. Joan. 6.* ubi *Cyrillus: Per unum, qui præerat, omnes respondent.* Nec refert, quòd unico loco, *ad Galat. 2.* Jacobus numeretur ante Petrum, *Jacobus* (inquit Apostolus) *& Cephas & Joannes.* Nam incertum, an Apostolus sic enumeraverit, cùm *Hieronymus, Augustinus & Commentarius Ambrosianus* legant Petrum primo loco, tam in textu quàm in Commentario; utì & *Chrysostomus* in Commentario. Deinde quòd uno loco non sit habita ordinis ratio, non derogat tam constanti & manifesto ordini alibi servato. Aliqui insuper credunt id factum, quòd sermo esset de re quæ contigit Jerosolymis, ubì Jacobus erat Episcopus. Nihilominus majoritatem Petri satis indicat, quòd *ad Galat. 1.* dicat Apostolus se venisse Hierosolymam, *ut videret Petrum*, etsi ibi quoque Jacobus esset. *Ivit* (inquit *Hieronymus ibid.*) *non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi.* Et *1. ad Corinth. 1.* gradatim ascendendo Petrum proximè sub Christo constituit. *Unusquisque dicit, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi.*

13. *Secunda Petri prærogativa.*

Tertiò *Matth. 17.* jubet Christus solvi tributum pro se & pro Petro. Ex quo juxta *Originem, Chrysostomum, Hieronymum* ceteri colligebant Petrum sibi præponi, seu *omnibus Apostolis esse Prælatum*; ut loquitur *Hieron. in c. 18. Matth.*

14. *Tertia.*

Quartò in utraque piscatione *Lucæ 5.* & *Joan. 21.* (quarum illa statum militantis, hæc triumphantis Ecclesiæ designabat) Petrus est dux seu præfectus: cui soli tamquam nauclero principali dicitur: *Duc in altum*, ad piscandum; quod mysticè

*Quarta.*

stícè significabat piscationem hominum: *Ex hoc eris homines capiens.* Idem trahit rete ad littus *Ioan.* 21. Illius (cùm plures essent) naviculam ascendit Christus *Lucæ* 5. Unde *Ambrosius Serm. 62. Hanc solam Ecclesiæ navem ascendit Dominus, in qua Petrus Magister est constitutus.* Quare Ecclesia passim dicitur Petri navicula.

*Quinta.* Quintò Christus *Lucæ* 22. peculiariter rogat pro fide Petri, ne deficiat, jubetque ut à lapsu conversus confirmet fratres suos; utique veluti curam ceterorum habiturus. Unde *Leo Serm. 3. de Anniversar. suæ Assumpt. Pro fide Petri supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.*

15. *Sexta prærogativa.* Sextò, primatum hunc Petrus variè ostendit in Actis Apostolorum; ut dum electioni Matthiæ præsidet, *Act.* 1. dum primus Evangelium promulgat, & ad fidem tria millia convertit *Act.* 2. dum primus miraculo fidem confirmat *Act.* 3. dum primus januam Ecclesiæ Gentibus aperit *Act.* 10. prævia visione, in qua ei dicitur: *Occide, & manduca*; quia nimirum capitis est manducare; adeoque mentes infidelium convertere, & Ecclesiæ incorporare. Dum primus in Concilio sententiam (quam Jacobus & ceteri probant) profert *Act.* 15. *&c.* De quibus & pluribus aliis prærogativis, partim ex Scriptura, partim ex Scriptis Patrum desumptis, fusè *Bellarminus lib. 1. de Pontif. c. 10. & 17. usque ad* 24.

Possent præter auctoritates Patrum per occasionem jam allegatas adferri plurimæ aliæ, eæque clarissimæ, quas vide apud *Bellarminum l. 1. de Pontif. c. 25.*

16. *Petrum ab Apostolis missum esse non derogat primatui.* Objicitur I. Apostoli *Act.* 8. miserunt Petrum cum Joanne in Samariam; major autem non mittitur à minore. Resp. Apostolos misisse Petrum, non imperio, sed communi, quod etiam Petrus probabat, Consilio; quo modo etiam par parem, minor majorem mittit; v. g. Consiliarii Regem ad bellum, vel ad certam provinciam, Herodes Magos in Bethleem *Matth.* 2. Populus summum sacerdotem Phinees ad filios Ruben & Gad, *Josue* 22. Ipse quoque Pater mittit æqualem Filium ratione originis; quidquid *Arianus* inde inferret Filium esse minorem.

17. *Vi nec quod Paulus restiterit Petro in faciem.* Objicitur II. Paulus dicit *ad Galat.* 2. se in faciem restitisse Petro, quia reprehensibilis erat. Unde *Ambrosius in d. l.* ait: *Quis eorum, Apostolorum, auderet Petro primo Apostolo .... resistere, nisi alius talis, qui fiduciâ electionis suæ, sciens se non imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat.* Resp. (omissis variis explicationibus hujus loci) etiam inferioris esse, corripere superiorem, præsertim cum scandalo aliorum offendentem, testo *Augustino Epist. 19. cap. 2.* & *Gregorio Homil. 18. in Ezech.* qui inter cetera ait: *Ecce à minore suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur.* Ad verba *Commentarii Ambrosiani.* Resp. auctorem (qui non est *Ambrosius*) agere de paritate in merito Apostolatûs, non in administratione regiminis. Quare idem in illud *ad Galat.* 1. ait: *Dignus fuit, ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos; cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum.*

Objicitur III. Idem Apostolus *ad Galat. 2.* ait: *Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Sed è contra, cùm vidissent, quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis ..... Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ Societatis.* Ex quibus colligitur partim paritas Pauli & Petri, partim Petro tantùm esse commissam curam Judæorum. Resp. Apostolum significare nihil sibi à Petro vel aliis collatum, quoad doctrinam Evangelicam, quam scilicet Paulus non ab hominibus neque per hominem, sed immediatè à Christo acceperat, ut *cap. 1.* exaggerat. Sed potiùs eos cognovisse dicit, sibi mox à conversione concreditum esse munus Evangelizandi Gentibus, primariò scilicet (quamvis etiam Judæis ipsum prædicasse constet ex *Act.* 13. 14. & 16. uti & litteras scripsisse ad eos, conformiter ad illud Christi ad Ananiam dictum de Paulo *Act.* 9. *Ut portet nomen meum coram Gentibus & Filiis Israël*) sicut Petro ex voluntate divina munus evangelizandi primariò Judæis concreditum erat, pro isto scilicet aut præcedenti tempore, quo divisio Provinciarum facta erat ad citiùs propagandum ubique Evangelium. Quamvis etiam Petrus prædicaverit gentili Cornelio ejusque familiæ *Act.* 10. seque à Deo electum dicat, ut per os ejus Gentes audirent verbum Evangelii *Act.* 15. ad quod in visione ter eras admonitus *Act.* 10. *Occide & manduca.* Quod proinde ut cumulatè impleret, postquam Romam venit, longè lateque etiam inter Gentes Evangelium per se & per alios disseminavit. Dextræ denique datio non est signum omnimodæ paritatis, sed quod agnosceretur Paulus tamquam in Apostolatu collega, & tamquam in Evangelica doctrina consentiens, adeoque est signum concordiæ in doctrina & animi affectione: ex quo consequenter ostendit Apostolus suam & aliorum Apostolorum doctrinam convenire, pariterque recipiendam esse.

18. *Similiter nec quod dicat sibi à Petro nil esse collatum.* *Paulus etiã Judæorum & Petrus Gentium Doctor extitit.* *Quid significet, quod Petrus dextram dedit Paulo.*

19. *Cur Paulus Antonomasticè dicatur Apostolus.* Dices, si hæc ita se habent, cur Paulus per antonomasiam significatur nomine Apostoli? Item cur veteres picturæ exhibent

bent Paulum velut honoratiorem à dextris Petri? Resp. ad primum, rationem dari ab *Augustino lib. 3. contra duas Epist. Pelagian. c. 3. Quia pluribus est Epistolis notior, & plus omnibus illis laboravit.* Resp. ad secundum, in non paucioribus picturis antiquis, quæ Romæ extant, cerni Paulum à sinistris, juxta *Bellarminum l. 1. de Pontifice c. 27.* Neque in honoribus post mortem delatis attendi dignitatem Ecclesiasticam hujus vitæ, sed sanctitatem & merita. Unde in celebritate officii Stephanus & Laurentius Levitæ præponuntur plerisque Pontificibus. Consultò autem ista vicissitudo potuit à veteribus servari, ut significarent paritatem meritorum, aut suam de excessu ignorantiam: etsi enim in auctoritate excelluerit Petrus, in laboribus tamen videtur excelluisse Paulus. Quamvis etiam dextra non fuerit ubique olim locus honoratior, ut *Bellarminus* ostendit.

*Cur interdum picturæ veteres eum exhibeant à dextris Petri.*

20. Objicitur IV. *Clemens* apud *Eusebium lib. 2. Histor. cap. 1.* ait: *Petrus & Jacobus & Joannes post assumptionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi vendicabant primatûs gloriam, sed Jacobum qui dicebatur Justus, Apostolorum Episcopum statuunt.* Resp. sic legi ex codice corrupto Basileensi versionis *Ruffini*. Nam Codex Colonienſis per Catholicum versus, itemque Lovanienſis apud Sassenum, & Græcus Bibliothecæ Vaticanæ non habent ly *Primatus*; & loco *Apostolorum* habent *Jerosolymorum*. Cui lectioni per omnia concordat locus *Clementis* prout refertur à *Nicephoro lib. 2. cap. 3.* & cum sententia ipsius *Eusebii*, qui eodem *Lib. cap. 14.* aliàs 13. Petrum asserit omnium Apostolorum maximum & primorum Principem. Et planè inauditum est etiam apud Hæreticos, asserere Jacobum Minorem fuisse Episcopum & caput omnium Apostolorum; quod tamen corrupta lectio significat.

*Locus Clementis I. corruptus discutitur.*

Paulum fuisse unà cum Petro caput Ecclesiæ ac Pontificem, quidam Anonymus tuetur in Epistola Anno 1645. impressâ Parisiis & ad Innocentium X. directâ. Ad quam hæresim (qualem esse declaravit & damnavit idem Pontifex 24. Januarij 1645.) firmandam corradit multas auctoritates ex impio *Marco Antonio de Dominis* (qui ex Archiepiscopo Spalathensi factus est fœdus à fide Apostata) in quibus varia & æqualia Encomia tribuuntur Petro & Paulo; videlicet quòd sint Principes Apostorum, Coryphæi, duo lumina Ecclesiæ, Collegæ: immo ambo interdum vocantur Episcopi Romani, & subsequentes Pontifices interdum dicuntur eorum successores: ut videre est apud *Epiphanium Hæresi 27.* ubi texit Catha-

21. *Novella hæresis ab Innocentio X. damnata de duplici Ecclesiæ Capite, Petro & Paulo declaratur.*

gum Romanorum Pontificum.

Sed hæc hæresis tùm fundamento nuper efficta, & hactenus inaudita, aperte repugnat Scripturis & auctoritatibus præallegatis, in quibus Petrus solus constituitur seu asseritur totius Ecclesiæ, atque adeò etiam ceterorum Apostolorum caput & Pastor ordinarius; & consequenter cum exclusione Pauli, utì reliquorum. Quod apertè tradiderunt Patres, dum singularitatem, unitatem & solitudinem in hac Petri Cathedra ac præeminentia capitis adeò urserunt; ut *Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum*, Et *lib. de Unitat. Ecclesiæ. Pacianus Epist. 3. ad Sympron. Damasus Epist. 2. Augustinus Serm. 49. de Verbis Domini* & alibi. *Leo Papa Serm. 2. de Natali SS. Petri & Pauli.* Et *Serm. 3. de Anniversar. suæ assumpt. Unus* (inquit) *de toto mundo Petrus eligitur, qui & universarum Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur.* Vide etiam *Epist. 84. & 89.* Et *Optatus lib. 2. contra Parmenianum: Negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus.* Cui soli claves esse concessas præmiserat. Unde est hæc perpetua & indubitata traditio; circa quam nuperrimè solum dubium fuit motum. Vide plures apud *Diana ad calcem Partis nonæ Disceptat. 1. de primatu solius D. Petri sect. 1.* 22. *Eadem refutatur.*

Quare etsi paritas fuerit inter Petrum & Paulum, immo & alios Apostolos, in munere Apostolatûs (in quo etiam continebatur potestas universalis extraordinaria illis tamquam Legatis à Christo concessa, ad successores non transfundenda) non tamen in potestate regiminis, quæ Petro tamquam pastori ordinario, in successoribus perennatura, fuit à Christo concessa, vi cujus erat caput & superior etiam ipsius Pauli & aliorum Apostolorum, ei per consequens subjectorum; ut ex Scriptura & Patrum doctrina est manifestum, docentque constanter omnes Catholici Scriptores. Vide *Diana sup. sect. 1.* 23. *In quo sit paritas inter Petrum & Paulum*

Ad auctoritates quæ in oppositum allegantur fusè respondet *Diana suprà sect. 3.* & totâ *Disceptat. 2.* Sed non videtur operæ pretium diu isti somnio, quod cito evanuit, inhærere. Breviter itaque dico, nonnulla Patrum Encomia esse etiam ceteris Apostolis communia, ut quòd vocentur fundamenta, columnæ, cardines, collegæ &c. immo pares, scilicet in Apostolatu. At Petrus & Paulus dicuntur Apostolorum Principes, quatenus inter eos eminuerunt, ille dignitate seu auctoritate, hic merito doctrinæ & executione exuberantiori muneris Apostolici. Pari ratione dicuntur Coryphæi, & duo luminaria Ecclesiæ, immo quod 24. *Nonnulla Patrum de iis Encomia sunt Apostolis communia.* *Cur dicuntur Principes Apostolorum*

*orum, Coryphæi, duo luminaria, collegæ.*

quoad rationē doctrinæ Paulus interdum dicitur luminare majus. Specialiter quoque Collegæ dicuntur præ ceteris, ob fundatam pariter Romanam Ecclesiam, quam & sanguine suo pariter ornarunt. Quod tamen non derogat primatui Petri; utì nec præeminentiæ *Cornelii* Papæ super *Cyprianum*, quòd hic *Epist. 52. ad Antonianum* vocet Cornelium collegam suum. In eodem collegio non omnes semper pares sunt.

25. *An vel quo sensu Paulus dici possit Romanus Episcopus,*

Paulus etiam non proprio, sed satìs improprio, nec imitando modo loquendi Episcopus Romanus appellatur ab *Epiphanio Hæresi 27.* contra communem ritum; ob hoc, quòd pariter cum Petro Ecclesiam Romanam fundaverit, & in ea, utì & alibi, munia Episcopalia exercuerit, etsi omni speciali cathedra caruerit. Aliàs paradoxum nimis, quòd ambo simul occupassent propriè eamdem Cathedram: neque *Irenæus, Optatus, Augustinus* & alii, qui texunt Catthalogum Episcoporum Romanorum, usquam Pauli meminere; sed in ea sedisse unum Petrum (unde & Cathedram Petri, Sedes hæc nomen accepit) affirmant. Itaque Petrus fuit propriè ac titulo Episcopus Romanus, Paulus officio adjutoris Petro subordinati. Alioquin ipse *Epiphanius in Anchorato non longè ab init. & Hæres. 51.* Petrum manifestè primum & Principem omnium Apostolorum asserit.

26. *Quo sensu Pontifices Romani dicantur successores Petri, atque etiam Pauli.*

Pontifices Romani juxta *Epiphanium Hæres. 27. & 41.* dicuntur successores Petri & Pauli, tum quatenus eorum auctoritatem obtinent, tum specialius ob fundatam per illos Ecclesiam Romanam; succedere tamen his diverso modo, Petro quidem propriè tamquam Pastori prædecessori, & quoad clavem potentiæ, Paulo quoad clavem scientiæ, utrique autem quoad curam & functiones. Dicuntur similiter eorum Vicarii (de quo nomine fusiùs postea) id est, successores, quòd in labores & functiones eorum specialiùs introierint. Propriè autem (ut fides docet, & Concilia loquuntur) sint successores Petri & Vicarii ipsius Christi. A quo etiam auctoritatem immediatè accipiunt. Dicuntur tamen quandoque auctoritate SS. Petri & Pauli quædam facere, id est, non ab eis datâ, sed eâdem seu simili, quæ in eis fuit; vel (ut aliquando loquuntur) confisi meritis eorumdem.

*Item eorumdem Vicarii,*

## QUÆSTIO II.

### *An Pontifex Romanus sit Successor Petri, in Regimine Universalis Ecclesiæ?*

27. *Primatum Petro datum tam-*

INDUBITATUM est fideque certissimum Petro non esse collatum primatum Ecclesiæ instar privilegii personalis, quod cum ipso interierit, sed instar officii stabiliter cum ipsa Ecclesia permanentis. Primò, quia sic loca Scripturæ *quæst. prec.* allegata explicat ac intelligit perpetua Traditio; quæ semper perseverantem hunc in Ecclesia primatum agnovit, ut magìs patebit ex dicendis. Unde oppositum (quod continetur *art. 27. Joannis Hus*) damnatur in *Concilio Constantiensi sess. 15.* Secundò, quia potestas ista (utì & aliæ datæ ad absolvendum, conficiendum Sacramenta &c.) non tam collata est ad honorandam personam Petri, quàm ad utilitatem ac ædificationem Ecclesiæ: quæ non minùs, immo ampliùs indiget visibili pastore succedentibus temporibus, quàm vivente Petro, quando nimirum major est fidelium multitudo, minor eorumdē fervor seu perfectio, Prælati particularium Ecclesiarum minùs perfecti & instructi quàm Apostoli, maxima Ecclesiæ per Tyrannos vel Hæreticos infestatio &c. Confirmatur: quia tam diu debet perseverare potestas hæc, quàm diu durat ratio primæ institutionis; hæc autem subsistit toto tempore militantis Ecclesiæ. Tertiò Ecclesia est ovile usque ad finem sæculi permansurum; adeoque & pastores invicem succedentes retinere debet: cùm officium pastoris non debeat cessare, quàmdiu ovile cum ovibus subsistit. Confirmatur: quia Christus instar amici morituri aut in longinqua discessuri oves omnes Petro commisit; quas proinde cùm post mortem seu martyrium suum Petrus non regat per se ipsum, debet regere per successores: *quarum* nimirum *curam tum Petro, tum Petri successoribus cōmittebat* Christus juxta *Chrysostomū l. 2. de Sacerdot. circa init.* Quartò: quia fundamentum ædificii debet esse paris durationis cum ipso ædificio; adeoq; primatus Ecclesiæ debet conservari, quamdiu durat Ecclesia desuper ædificata. *Itaque sicut permanet id quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus institut, ut* ait *Leo Papa Serm. 2. in Anniversar. suæ Assumpt.* Et infrà: *Manet dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petra perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit*; tum ratione precum, meritorum & protectionis suæ, tum etiam ratione successorum Petri, *cujus* (ut infrà ait) *etiam dignitas in indigno herede non deficit.* Quo sensu etiam verissimè dixit *Chrysologus Epist. ad Eutychen: B. Petrus, qui in propria Sede vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Confirmatur: quia ædificatio ipsa Ecclesiæ durabit usque ad finem mundi, utpote quæ adhuc *quotidie ædificatur de lapidibus vivis* juxta *Hieronymum* (seu quisquis est Auctor) *in Psal. 121.* Et consonat *Augustinus* in eundem Psalmum; adeoque debet eo usque durare potestas hæc data ad Ecclesiæ ædificationem. Quintò, in Ecclesia, quæ una & eadē omni tem-

*quam in successoribus permansuram declaratur.*

pore, forma regiminis (quæ est forma ipsius reipublicæ) mutari non debet.

28. *Successor Petri in primatu est Romanus Pontifex.*

Successor itaque Petri Apostoli in primatu Ecclesiæ est Romanus Pontifex; qui proinde est Christi Vicarius. Est assertio contra Novatores nostros indubitata de fide, quam ex professo tractarunt & demonstrarunt ij, qui Controversias hoc & præcedenti sæculo scripserunt. è quibus selectiora damus.

*Primatum hunc agnoscunt Concilia, etiam præsentibus Orientalibus celebrata. Ephesinum.*

Probatur primò: quia Concilia generalia agnoscunt hanc in Pontifice potestatem: Nam Concilium Ephesinum profitetur se deponere Nestorium ex mandato Cælestini Papæ: ut petet apud *Evagrium l. 1. Histor. cap. 4.*

*Chalcedonense.*

*Chalcedonense Act. 1. 2. & 3.* passim appellat Leonem Ecclesiæ universalis Episcopum. Et in *Epist. ad Leonem* (quæ est ad finem *Act. 16.*) ait: *Et post hæc omnia insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à Salvatore commissa est extendit*, Dioscorus scilicet (cujus loco irrepsit per lapsum nomen Eutichis apud Wiggers *Tract. de Pontifice n. III.*) *insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem*: quam nimirum præsumpserat excommunicare. Quod quidem delictum gravissimè ponderat idem Concilium *Epist. ad Marcianum & Valentinianum* Imperatorem, quæ habetur post *Act. 3.*

*Synodus VI. & VII.*

*Synodus VI. Act. 18. Summum Papam* item *Summi Apostolorum Principis successorem* asserit Agathonem. *Synodus VII. Act. 2.* approbat Epistolam Adriani Papæ ad Tharasium, in qua, inter alia, dicitur: *Cujus Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumq; Ecclesiarum Dei caput existit.*

*Lateranense sub Innocentio III.*

*Concilium Lateranense* sub *Innocentio III. c. 5. Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariâ potestate obtinet principatum, utpote universorum Christi fidelium mater & magistra.*

*Lugdunense sub Gregorio X.*

*Lugdunense* sub *Gregorio X.* & refertur c. *Ubi periculum, de Elect. in 6.* Pontificem vocat *Vicarium Jesu Christi, successorem Petri, Rectorem universalis Ecclesiæ, Gregis Dominici directorem.*

*Florentinum.*

Denique (ut omittam Concilia quibus Græci non interfuerunt, v. g. *Constantiense sess. 8.* in damnatione articulorum Wiclef; *Lugdunense I. sub Innocentio IV.* & refertur *c. 1. de Homicidio in 6.*) *Florentinum in Litteris Unionis, definimus* (inquit) *S. Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

Idem probatur ex Epistolis sanctorum Pontificum Romanorum (qui prioribus sæculis vixerunt) è quibus clarissima testimonia deprompta vide apud *Bellarminum lib. 2. de Rom. Pontif. c. 14.* Nonnulla ex iis infrà opportunè interserentur.

29. *Idem primatus constat ex Epistolis Sanctorum Pontificum Ac testimoniis Patrum.*

His accedunt Patres. *Irenæus l. 3. c. 3.* post alia inquit: *Ad hanc enim Ecclesiam* (loquitur de Romana) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam &c. Athanasius Epist. ad Felicem Papam: Ob id vos prædecessores q; vestros, Apostolicos videlicet præsules, in summitatis arce constituit, omniumq; Ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis &c. Theodoretus* per hæreticos depositus atque ejectus *Epist. ad Renatum* Presbyterum Romanum ait: *Quamobrem te precor, ut sanctissimo Archiepiscopo Leoni persuadeas, ut Apostolicâ utatur auctoritate, jubeat q; ad vestrum Cœtum adire. Tenet enim sancta ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum. Hieronymus* Presbyter Antiochenus *Epist. ad Damasum: A Pastore præsidium ovis flagito. Cùm successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram Ecclesiam ædificatam scio &c. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum.* (En quomodo postposito Patriarchâ Antiocheno, malit adhærere Pontifici Romano) *quicumque tecum non colligit, spargit*; hoc est, *qui Christi non est, Antichristi est. Augustinus Epist. 162. In qua* (Romana Ecclesia) *semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.* Quem etiam profitetur *l. 1. contra duas Epist. Pelag. ad Bonifacium Papam c. 1. Prosper carm. de Ingratis c. 2.* canit:

*Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris*
*Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,*
*Religione tenet.*

Quibus similia habet *Leo Papa Serm. 1. de Nativit. Apost. Petri & Pauli*, Romam sic alloquens: *Per sacram B. Petri Sedem caput orbis effecta latius præsideres religione divinâ, quàm dominatione terrenâ &c. Victor Uticensis lib. 2. de Persecut. Wandalica longè ante med.* Ecclesiam Romanam appellat, *Caput omnium Ecclesiarum. Vincentius Lyrinensis in suo Commonitorio* Pontificem vocat *Caput orbis.*

30. *Egregia sententia S. Bernardi hac de re.*

Agmen claudat (ut plurima alia Patrum testimonia omittam) *Bernardus l. 2. de Consider. c. 8. Age* (inquit) *indagemus adhuc diligentiùs, quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es,*

*Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cæli janitores, gregumq; pastores, sed tu tantò gloriosius, quantò & differentius utrumque præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti sunt, uni unus: nec modò ovium sed & Pastorum tu unus omnium es pastor.* Et tamen *Calvinus* hunc (quem sanctum appellat) etiam audet in sui erroris patrocinium advocare, objiciens vitia quædam seu abusus Curiæ Romanæ; quæ *Bernardus in l. de Consid.* taxat: cùm non ignoret quisque sapiens, abusus indigere correctione, non solutione.

31. *Accedunt testimonia Imperatorum.*

Accedunt testimonia Imperatorum. Nam *Justinianus* ex Oriente scribit ad Joannem II. (& refertur *L. 9. Cod. de Summa Trinit.*) *nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quod non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ Caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Valentinianus* item Imperator *Epist. ad Theodosium* Imperatorem (quæ habetur inter præambulas ad Concilium Chalcedonense) dicit: *Debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro in nostris temporibus conservare; quatenus beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui principatum sacerdotis super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & sacerdotibus judicare.*

32. *Et indubitata primatus indicia.*

Testimoniis præmissis accedunt varia indubitata signa & exercitia hujus supremæ potestatis. Nam primò in Episcopos ceterarum orbis provinciarum jurisdictionem sæpe exercuit Romanus Pontifex. In institutione enim seu confirmatione Episcoporum etsi potestas multis in locis relicta olim Patriarchis & Primatibus, seu metropolitanis videatur, tamen auctoritatem quoque suam expressiùs alibi interposuere Pontifices. Unde Patriarchæ orientales per Pontificem confirmandi mox ab electione sua Epistolam Synodicam ei mittebant; ut videre est in *Decreto Gratiani dist. 100.* Videri etiam potest *Leo Papa Epist. 84. ad Anastasium Thessalon. Episcopum* Vicarium suum, & 87. *ad Episcopos Africæ.* Cujus quoque Pontificis assensu Anatolius factus est Episcopus Constantinopolitanus, ut patet *Epist. 54. ad Martianum.* Vide insuper *Gregorium l. 4. Epist. 51.* qui & ipse passim indicat in Epistolis se mittere Pallium, quod Archiepiscopatûs insigne, diversarum Nationum Archiepiscopis.

*Jurisdictio Pontificum in ceteros Episcopos.*

*Sive eos instituendo.*

*Sive eosdem deponendo.*

Præterea Romanus Pontifex Episcopos deposuit. Nam *Cyprianus Epist. 67.* ad Stephanum papam rogat eumdem, ut per literas Marciano Arelatensi Episcopo depositio, alius in locum substituatur. Plures etiam Orientis Patriarchas à Romanis olim Pontificibus depositos recenset *Bellarminus l. 2. de Pontif. c. 18.*

*Sive ab aliis depositos restituendo.*

Depositos similiter ab Episcopatu Romanus Pontifex restituit; uti Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum à Synodo Orientis depositos, Julius I. Nam *Cum* (ut inquit *Zozomenus l. 3. c. 7.*) *propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit.* Theodoreto Episcopatum restituit Leo Papa &c.

33. *Appellatiũ quoque fuit undequaque ab Episcopis ad Pontificem.*

Secundo ad Pontifices Romanos tamquam judices supremos ab Episcopis omnium nationum semper recursum fuit, etiam viâ appellationis. *Summum imperium pœnes eum esse constat, ad cujus tribunal Provocatur,* inquit ipse *Calvinus l. 4. Instit. c. 7. §. 9.* De hoc jure appellandi extant duo canones, scilicet quartus & quintus Concilii Sardicensis; quod legitimum fuit ac generale, sed quasi appendix Nicæni, sub cujus proinde nomine quandoque Canones hujus Concilii citati reperiuntur. Vide *Binium in Præfat. ad D. Concilium.* Sic ad Leonem Papam appellarunt *S.* Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, & Theodoretus Episcopus Cyri, quem vide *Epist. ad Leonem* Papam. Similiter ad Innocentium I. appellavit Chrysostomus à Theophilo depositus, qui *Epist. 1. ad Innoc.* ait: *Obsecro, ut scribas, quòd hæc tam iniquè facta non habeant robur: illi autem, qui iniquè egerunt, pœnas Ecclesiasticarum legum subjaceant &c.* Petit tamen *Epist. 2.* ne inimicos suos, etsi meritos, excommunicet. Similiter Athanasius iniquè depositus appellavit ad Julium I. idque ad huc ante Concilium Sardicense, uti testatur *initio Apologiæ 2.*

Ipsi quoque Hæretici hanc viam noscentes inire tentarunt. Nam Marcion à proprio patre Ponti-Episcopo Excommunicatus, Romam spe absolutionis obtinendæ venit, teste *Epiphanio Hæresi 42.* Felicissimum & Fortunatum à Cypriano excõmunicatos appellasse, aut sine appellatione (de qua *Pamelio in Notis* non satis constat) ad Cornelium Papam recurrisse, constat ex *Cypriano Ep. 55.* Similiter Basilides in Hispania depositus appellavit ad Stephanum Papam, ut patet ex *Cypriano Ep. 68.* Neque ibi reprehendit Cyprianus hunc recursum, quasi non esset per se loquendo fas appellandi ad Pontificem; sed quod detectis, etiam ex propria confessione, ut de Basilide refert, criminibus, ac judicatis, absque specie dubitationis justis, Romam criminosi currerent animo doloso, speque imponendi Pontifici adeò distanti, ac suos judices, non minoris utique quam ad tale judicium par erat sufficientiæ & auctoritatis (quod solùm intendit *Cyprianus Ep. 55.* non autem eos æquare Pontifici) divexandi. Unde *Ep. 68.* ait: *Neque enim tam culpandus est ille* (Stephanus nimirum, qui sanè secluso jure appellandi ad Papam fuisset vel maximè culpandus) *cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit.*

Atque ut pluribus non sit opus Exemplis, pro fine sufficiat illud *Leonis Papæ Ep. 89. ad Viennenses Provinciæ Episcopos* scribentis: *Nobiscū vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, à vestra etiam Provinciæ sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, & pro diversarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.*

34. *Idem Concilia indixerunt, præsederunt illis, confirmarunt.*

Tertiò Romani Pontifices indixerunt etiam antiquitus Generalia Concilia, iis per se aut Legatos præsederunt, acta, petentibus Conciliis, confirmarunt, interdum pro re nata rescinderunt; ut etiam ante dictis liquet.

*Iussiones Episcopis dederunt.*

Quartò litteras ad universos Episcopos, & ad Imperatores tamquam superiores direxerunt, Ordinationes & jussiones dederunt, ut videre est in Epistolis Pontificum apud *Bellarminum l. 2. c. 14. & 19.* Idem est de dispensationibus in Canonibus Ecclesiasticis, ut patet apud *Gregorium l. 12. Ep. 31. & Gelasium Epist. 9.* Item de Censuris. Nam *Gregorius III.* excommunicavit Leonem Imperatorem Græcum teste *Zonara in vita Leonis* Isauri. Innocentius I. Arcadium & Eudoxiam ob non restitutum Chrysostomum; ut patet ex ejus Epistola apud *Nicephorum l. 13. c. 34.* Victor I. (teste *Eusebio l. 5. c. 24.*) excommunicavit Asianos nolentes acquiescere ordinationi de non celebrando Pascha more Judæorum quartadecima die primi mensis. Quod factum fuit prudenter, etsi à nonnullis, ipsoque *Irenæo*, improbatum, non quasi excedens potestatem, sed quasi imprudens.

*In Canonibus dispensarunt.*

*Imperatores in Oriente degentes & Episcopos excommunicarunt.*

35. *Alibi habuerūt suos Vicarios.*

Quintò, Romani Pontifices passim habuerunt alibi suos Nuntios sive Vicarios, sic tamen ut graviores causas ad se deferri vellent. Sic Leo I. habuit Anastasium Episcopum Thessalonicensem Vicarium per Orientem, ut patet ex *Epist. 84*, Hormisda Salustium per Hispaniam, ut patet ex *Epist. ad Eundem.* Gelasius Episcopum Constantinopolitanum, ut patet ex *Epist. ad Episcopos Dardaniæ*, Gregorius Episcopum Arelatensem per Gallias, ut patet ex *l. 4. Epist 52.*

36. *In dubiis ad ipsum velut supremum judicem undique recurrunt pro espon. sis.*

Sextò, occurrentibus dubiis aut quæstionibus in fide aut moribus ex diversis orbis plagis ad Pontificem recursum semper fuit, tamquam ad supremum judicem & oraculum, atque ab eo responsa petebantur. Unde *Hieronymus Epist.* ad *Gerontiam Viduam de monomachia*: *Ante annos plurimos, cum in Chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem &c.* Idemque *Damasus Epist. 5. ad Episcopos Numidiæ*: *Cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos tamquam ad caput, ut semper fuit consuetudo, deferre non desinatis. Syricius Epist. ad Himerium Episcopum Tarraconensem c. 15*: *Explicavimus, ut abitror, universa quæ digesta sunt in querelam, & ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum ad Romanam Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis, retulisti &c.* Et *Augustinus Epist. 92. ad Innocentium* cū Concilio Milevitano rogat eum: *Magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus adhibere digneris*; coercendo scilicet Pelagianos Palæstinam & Africam infestantes. *Innocentius* autem *Epist. ad Concilium Milevitanum* (quæ est 93. apud *Augustinum*) *diligenter*, inquit, *& congruè Apostolico consulitis honori. Honori* (*inquam*) *illius, quem .... sollicitudo manet omnium Ecclesiarum: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam.* Concilium quoque Carthaginense litteras ad eum direxerat. Ad quas respondens *Epist. 91.* apud *Augustinum Romanam Sedem* vocat *fontem & Caput omnium Ecclesiarum.* De his porrò Innocentii Epistolis agens *Augustinus Epist. 106. ad Paulinum* ait: *Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.*

Septimò de ipso Pontifice nemo potest judicare, quoniam prima Sedes à nemine judicatur; juxta constantem Conciliorum veterum sententiam. Vide antè dicta.

37. *D. Pontifice ob suam præeminentiam nemo potest judicare.*

Octavò Romanus Pontifex semper habuit curam generalem de conversione Infidelium & propagatione Ecclesiæ ac fidei Christianæ. Sic Gregorius I. misit Augustinum in Angliam, Gregorius II. Bonifacium in Germaniam, Cælestinus I. Palladium in Scotiam, & aliis temporibus alii Pontifices miserunt plantatores Evangelii, præsertim Religiosos, ad terras Infidelium, & novissimè in Japoniam, & Americam seu novum orbem.

*Idem semper curam habuit propagandæ fidei.*

38. *Accedit ratio Theologica.*

Denique probatur ratione Theologicâ. Primò: quia cùm constet perennare debere Petri primatum, nulli potest is cum apparentia adscribi, nisi Romano Pontifici: neque aliquis præter ipsum primum & generalem Ecclesiæ curā umquam sibi adscripsit, aut cupiam alteri ab aliis adscripta fuit. Et quidem de solo Antiocheno Episcopo posset quis cogitare, ei æquè primatum deberi, veluti successori petri. Porrò tantùm abest, ut nequidem sit habitus primus post Romanum Pontificem Patriarcha, sed illum præcesserit, etiam tempore Nicæni Concilii, Patriarcha Alexandrinus, etsi non sit Sedes alicujus Apostoli, sed Marci Evangelistæ. Ratio autem est, quòd Petro relinquenti Sedem Episcopalem Antiochenam succedi tantùm potuerit in illa speciali Cathedra: cùm Petrus adhuc retineret tunc regimen universalis Ecclesiæ, non detur autem locus successioni, nisi locus vacet per cessionem, depositionem aut mortem.

*Cur primatus non debeatur Cathedræ Antiochenæ.*

mortem. Assumens itaque dein Petrus Sedem Romanam, & in ea regimen simul universalis Ecclesiæ usque ad mortem retinens, successorem consequenter habuit in primatu Ecclesiæ eumdem, qui erat successor in Episcopatu Romano.

Deinde non potest assignari cum fundamento tempus, quo primò cæperit primatus Pontifici Romano adscribi, quin possit ostendi illum in Pontifice anteriùs esse agnitum, usque ad ipsum B. Petrum. Estque incredibile Ecclesiam toto tempore errasse in tam gravi re, agnoscendo scilicet caput, quod verè non est tale.

39. *An Petrus Romæ sederit & obierit.*

Hæretici porrò nonnulli ex invidia primatûs Romani splendidissimum mendacium finxere, Petrum scilicet Romæ nunquam fuisse, neque Ecclesiam Romanam fundasse, aut Episcopum ibi fuisse, denique ibi mortuum non fuisse. Verum repugnat tota antiquitas: uno enim ore omnes veteres Historici & patres asserunt oppositum: immo quotquot de morte Petri scribunt (quorum sententiam Probat universus Orbis Christianus, & Ecclesia in Hymno de Apostolis Petro & Paulo) asserunt Romæ martyrio coronatum; ubi proinde usque ad mortem resedit, non desertâ aut translatâ aliò Sede suâ. Unde Romana Sedes à Patribus unâ voce Petri Sedes seu Cathedra vocatur; & Romani Episcopi successores Petri, sedereque in Petri Cathedra dicuntur. Unde *Prosper Carm. de Ingratis* Canit.

*Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris*
*Facta caput mundo &c.*

*Cur Paulus eum in Epistola ad Romanos specialiter non salutarit.*

Nec refert, quòd Paulus scribens ad Romanos non jusserit salutari Petrum. Aliàs enim pariter sequeretur Joannem non fuisse Episcopum Ephesi, utpote quem Paulus in Epistola ad Ephesios non jussit specialiter salutari; neque Jacobum Episcopum Jerosolymorum, quia non fit mentio ejusdem in Epistola ad Hebræos. Itaque facilè potuit subesse ratio non salutandi Petrum, v. g. quòd Petrus eo tempore Româ per edictum Claudii pulsus, eò nondum redierat, conscio saltem Paulo (aliàs ipse Petrus composuisset quæstionem, ob quam Paulus movebatur ad scribendum) occupatusque eras in Evangelio disseminando, non uno scilicet loco consistens. Vide fusè *Bellarminum l. 2. de Pontif. usque ad c. 12.*

40. *Ex concessione Principum provenire Primatum Papæ Hæretici mentiuntur.*

Objicitur I. Romani Pontifices obtinuerunt primatum ex institutione Constantini magni, ex C. *Constantinus. d. 96.* Aut certè (ut *Lutherus* somniat) ex delatione Constantini IV. teste *Platina in vita Benedicti II.* Aut denique (ut *Calvinus*) ex dono Phocæ Imperatoris primatû in Græcos obtinuit. *Hic* enim (ut ait *Beda l. de sex ætatibus ad annum mundi 4557.*) *rogante Papa Bonifacio statuit Sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.* In Gallos autem & Germanos primùm à Pipino, dein à Carolo magno Pontifici datum esse primatum, contendit idem *Calvinus l. 4. c. 7. §. 17.*

*Quid dixerit de eo Constantinus Magnus.*

Resp. Constantinum non instituisse, sed approbasse, declarasse, & suâ sanctione observari jussisse præeminentiam & auctoritatem Pontificis Romani, dudum præexistenten ex institutione Christi, prout eodem Canone (quem nihilominus suppositium esse contendunt *Lutherani & Calvinistæ*) fatetur Constantinus, tribuens plura jura temporalia Romanæ Ecclesiæ, imperiumque transferens, *quoniam* (inquit) *ubi principatus sacerdotum & Christianæ Religionis caput ab Imperatore cæleſti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem.*

41. *An vel quid Constantinus Pogonatus.*

Constantinus IV. (quem alii III. vocant) nil egit de primatu, sed de electione, circa quam cum jus se habere crederet, usurpatum à prædecessoribus, sanctitate Benedicti II. permotus, sancivit, ut Clerus Romanus deinceps liberam haberet electionem, citra cujusvis alterius auctoritatem. Sic *Platina in vita Benedicti II.*

*Quid Phocas.*

Phocas quidem sancivit id quod *Beda* scribit; at non aliquid novi tribuendo, sed quod Pontifici jam olim competebat declarando & asserendo, superbiamque Episcopi Constantinopolitani, qui se Romano Pontifici æquare volebat, compescendo. Alioquin *Gregorius* annis circiter quinque ante Phocæ imperium *l. 7. Epist. 63.* scribit: *De Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam?* Quod subdit assiduè profiteri Imperatorem, & Eusebium ejusdem Sedis Episcopum. Et dudum ante Gregorium *Valentinianus* Imperator *Epist. ad Theodosium*; & ante Valentinianum *Justinianus* Senior *Epist. ad Joannem II.* & ante, alii Græci, *Zozomenus*, *Theodoretus*, *Athanasius* & alii idem professi sunt; ut patet ex testimoniis præallegatis.

42. *Mendacium Calvini primatum in Gallos & Germanos referentis in Pipini & Carolimagni concessionem refellitur.*

Æquè frivolum & falsum est, quod Calvinus (qui alia splendida mendacia suæ narrationi admiscet) de Pipino & Carolo è suo cerebro effinxit, sine alio anteriori auctore, qui fidem faciat. Sanè *S. Bonifacius Epist. ad Zachariam Papam*, scriptâ tempore Carolomanni, multimodè subjectionē Germanorum ad Pontificem declarat. Et meritò: *Cum* (teste *Beda N. 2. Hist. Angl. c. 1.* qui circiter centum annis Pipinum præcessit) *Gregorius in toto orbe gereret Pontificatum*, ducentis ferè ante Pipinum annis. Qui proinde vices suas in Galliis committit Episcopo Arelatensi, præcipiendo, ut graviores causas ad Sedis Apostolicæ judicium referat. Et *Leo Papa* (qui 350. annis Pipinum antecessit) *Epist. 89.* ad Episcopos Provinciæ Viennensis in Gallia exercitium

tium jurisdictionis Apostolicæ in Consultationibus & appellationibus patenter ostendit & quidem facta mentione ceteris consuetudinis. Et *Cyprianus* (qui amplius 500. annis Pipinum præcessit) *Epist.* 67. rogat Stephanum Papam, ut Arelatensem Episcopum deponat, & alium substituat.

43. *Arguitur esse referendum in Cœlia aut Consensum Apostolorum.*

Objicitur II. Saltem Primatus est Romanis Pontificibus datus per Concilia generalia, ut colligitur ex *Novella* 131. *Justiniani* & aliis Auctoritatibus, eò quòd nimirum Roma esset Sedes imperii. Propter quod translatâ Sede Imperii concessa est Cõstantinopolitano Episcopo primatus post Romanum in *Concilio Chalcedonensi Act.* 16. Unde etiam in solum morem seu consuetudinem id refertur à *Concilio Nicæno Can* 6. Ante quod sanè sibi quisque vivebat, & ad Romanam Ecclesiam parvus habebat respectus, teste *Æneâ Sylvio* (qui postea Pius II) *Epist.* 301. ut citat *Illyricus*. Aut certe si non in Conciliorum, certè ipsorum Apostolorum ordinationem iste primatus Romanæ Ecclesiæ est referendus, qui ita voluerunt, ut habet *Julius I. Epist.* 1. & ante ipsum *Anacletus Epist* 2. dicens: *Ceteri Apostoli cum eo*, Petro, *pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; Principem suum esse voluerunt.*

*Falsissimum est oriri ex Conciliis.*

Resp. *S. Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis ceteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris nostri primatum obtinuit*; ut loquitur *Gelasius* in Concilio septuaginta Episcoporum, & clarissimè patet ex probationibus præmissis. Primatum istum Concilia solùm declarant (quo termino utitur *Joannes II. in Epist. ad Justinianum*) asserunt, & quantum in se est confirmant. Alioquin *ista privilegia huic S. Ecclesiæ à Christo donata sunt, à Synodis non donata sed celebrata & venerata &c.* ut loquitur *Nicolaus I. Epist. 8. Longè post-med. ad Michaelem Imperatorem.*

*Habitâ ab iis Consideratione urbis Imperialis.*

Quare falsissimum est & refellitur à *Leone Papa Epist.* 54. *ad Marcian. Gelasio Epist. ad Episcopos Dardaniæ*) concessum fuisse à Patribus primatum ob hoc, quòd Roma esset Civitas Imperii. Sanè etiam plures aliæ Civitates, v. g. Mediolanum, Nicomedia &c. multo tempore fuere Sedes Imperii, nec tamen Episcopis earum concessere Patres ullum primatum. Decretum Concilii Chalcedonensis primò absentibus, Dein repugnantibus Legatis Papæ stabilitum constat ex non uno loco Leonis Papæ fuisse rescissum per eumdem, etsi enixè postulata ab eo esset per litteras Concilii (quod ipsum est manifestum superioritatis signum) illius Decreti confirmatio.

*Decretum Chalcedonense objectum qui rescissum fuerit.*

44. *Canon VI. Synodi Nicænæ declaratur.*

Canon VI. Nicæni Concilii (prout hodie circumfertur) caret initio hoc: *Ecclesia Romana semper habuit primatum: mos autem perduret &c.* Sic enim hunc Canonem citavit *Paschasinus* Legatus Leonis Papæ in *Concilio Chalcedonensi Act.* 16. quo lecto, & auditis ceterorum votis seu depositionibus, Judices dixerunt: *Perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum secundùm canones, antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari.* Sic etiam ex Græco vertit ante annos mille & centum *Dyonisius Exiguus*, legiturque ita in valde vetusto Codice Abbatiæ S. Vedasti Atrebati, teste *Pamelio in Not. ad Cypr. de Unit. Ecclesiæ n.* 14. Aliunde etiam constat Canones Nycænos esse jam olim mutilatos. Verba porrò subsequentia Canonis, in quibus statuitur, ut juxta morem antiquum Episcopus Alexandrinus habeat omnium potestatem in Ægypto, Lybia & Pentapoli, *quoniam quidem & Episcopo Romano paritis mos est*, seu *quoniam talis est Episcopo Romano consuetudo*; subintellige, permittendi hanc potestatem Episcopo Alexandrino, seu regendi istas provincias per ipsum; prout intellexit *Nicolaus I. Epist. ad Michaelem Imperat.* Nec alia vero similis Expositio appareret, ut videre est apud *Bellarminum l. 2. c.* 13.

45. *Verba Æneæ Sylvii explicatur.*

Æneas Sylvius (qui *Epist. cit. ad Martinum Majer*, mihi 228. *Bellarmino* autem 288. totus est in probando primatu tamquam proveniente ex institutione Christi) significat ob persecutiones fuisse Episcopos coactos sibi vivere, non tantùm resipiendo ad Ecclesiam Romanam, velutì eo tempore magis impediram. Constat tamen ipsos etiam ante Nicænum Concilium exercuisse & ostendisse suum primatum; neque respectum adeò exiguum erga ipsos habitum fuisse. Denique Apostoli voluerunt, approbando & declarando, non instituendo, Primatum esse penes Petrum. Alioquin *S. Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit Tu es Petrus &c*, ut expressit idem *Anacletus Epist* 3.

*Quo sensu Apostoli voluerint Petrum esse suum Principem.*

46. Objicitur III. *Gregorius Magnus l.* 4. *Epist.* 32. & alibi valde reprehendit nomen Episcopi universalis, dicens esse nomen blasphemiæ, profanum & sacrilegum, ideoque neminem è Prædecessoribus eo utì voluisse, etsi in Concilio Chalcedonensi ob honorem S. Petri fuisset oblatum.

*Nomen Episcopi Universalis quo sensu improbandum, & ne Papæ quidem tribuendum.*

Resp. Dupliciter posse aliquem dici Episcopum universalem. Primò, ut ceteri non sint veri Episcopi, sed solùm vicarii alterius, qui sic vocaretur. Prout Nuntii Apostolici sunt Vicarii Papæ in suis Nuntiaturis. Et hoc sensu *Gregorius suprà* insectatur istud nomen. Unde *lib.* 4. *Epist.* 38. deplorat, quòd Episcopus Constantinopolitanus istud nomen sibi arrogans, *solus appetat appellari Episcopus. Nam si unus universalis est* (inquit *l.* 7. *Ep.* 69. *ad Eusebium*) *restat, ut vos Episcopi non sitis.* Vide etiam *l.* 4. *Epist.* 36.

47. *Quo sensu*

Secundò potest accipi, ut sit idem, quod Episcopus habens generalem curam universalis

*idem sed soli competat.*

salis Ecclesiæ, sic ut ceteri Episcopi sint quidem ei subordinati, tamen Fratres, Collegæ & veri Episcopi ac Pastores suarum Ecclesiarum. Et hoc sensu nomen istud optimè convenit Romano Pontifici, utpote propriè expressivum muneris ejusdem. Et quamvis ob novitatem & ad cautelam ac periculum mali intellectûs vir humilis *S. Gregorius* eo uti noluerit (qui potiùs se servum servorum Dei nominavit) tum etiam ad magis efficaciter retundendam arrogantiam Episcopi Constantinopolitani, cui ne hoc quidem sensu nomen istud competebat: tamen ignorare non potuit *Gregorius* istud in tali acceptione Pontifici competere, immo in æquivalenti à Prædecessoribus usurpatum: cùm *Sixtus I. Epist. 2. Victor I. Epist. 1. Stephanus I. Epist. 2.* & *Leo Papa Epist. 54. 62. 65. & 97.* se scribant *Episcopos Ecclesiæ universalis* (quod coincidit quo ad rem cum nomine Episcopi universalis posteriori sensu accepto) neque etiam improbet *Gregorius* factum *Concilii Chalcedonensis* (quod pro sancto habet) nomen istud Leoni Papæ offerentis, adeoque censentis ei bono sensu convenire; quod in variis quoque Epistolis, quæ in dicto Concilio leguntur Leoni Papæ tribuitur. Adde ipsum *Gregorium* tot locis exaggerare & usurpare jurisdictionem universalem, & asserere superioritatem etiam in ipsam Sedem Constantinopolitanam, ut ipso facto convincatur agnovisse, quòd nomen hoc sensu intellectum Papæ competat. Unde *Epist. 32. cit.* ait, *Cunctis Evangelium scientibus liquere, quòd voce Dominicâ Sancto & omnium Apostolorum principi Apostolo Petro totius Ecclesiæ cura commissa est .... Ecce .... Cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur, & tamen universalis Apostolus non vocatur*; sensu scilicet priùs improbato, ut alii non sint pariter Apostoli, etsi Petro inferiores.

*A Gregorio cur non usurpatum.*

*An improbatum.*

48. *An Carthaginense III. hunc titulum Pontifici non tribuendum decreverit.*

Allegant Nonnulli, quoque illud, *Universalis autem nec Romanus Pontifex appelletur*; quasi decretum Synodi Carthaginensis III. Verùm non sunt verba Synodi, sed *Gratiani*, qui illa post Can. *Primæ Sedis d. 99.* desumptum ex Synodo, subdit velut titulum sequentis Canonis. Ipsa autem Synodus agens de Episcopis Africanis prohibet, ne quis ex iis se vocet Principem sacerdotum. *Gratianus* verò loquitur instar Gregorii, etsi ejus auctoritas alioquin minùs curanda sit.

49. *An & quo sensu Pontifices dici possint Vicarii S. Petri.*

Petes quomodo varii Patres & Concilia antiqua apud *Diana P. 12. Tr. 3. Resol. 1.* Pontificem appellent Vicarium Petri, si sit illius cum æqualitate successor, cùm Vicarius sit inferior eo cujus vices gerit? Resp. Vicarium ibi confundi cum successore; prout fit etiam in ipso Pontificali Romano, in quo Pontifex dicitur Vicarius S. Petri. Quod etiam in correctis Editionibus remansit jussu Urbani VIII. cui ipse *Diana* interfuit. Itaque Vicarius seu vices gerens alterius principalis in suo munere permanentis, ex jusdem concessione, est eo inferior, & substitutus minister; quo sensu Pontifex est Vicarius Christi. At vices gerens alterius, in munere suo deficientis, ratione successionis, est æqualis cum eo; prout Pontifices sunt Vicarii S. Petri, immo & Prædecessorum, juxta illud *Cypriani Epist. 67.* ad Stephanum Papam: *Qui Vicarius & Successor eorum* (Cornelii & Lucii) *factus es.* Unde *Philippus* Presbyter, sedis Apostolicæ legatus *To. 2. Conciliis Ephesini c. 16.* de Cælestino Papa dicit, quod sit S. Petri *Ordinarius successor & Vicarius.* Et *Bernardus*, qui *Epist. 183.* Pontificem vocarat Vicarium Petri, *l. 2. de Consid. c. 8.* eumdem appellat Vicarium Christi, & potestate Petrum. Itaque vices Christi gerit ex ejus concessione, Petri ex successione. Quamvis quia Petrus etiamnum meritis & protectione suâ intendit Ecclesiæ, & eam impropriè regit (utì interdum insinuant Patres) consequenter etiam ejus adhuc quasi gubernantis Vicarii impropriè dici possent Pontifices.

50. *Nomine sedis Apostolicæ intelligitur Romana, & quare.*

Notandum etiam nomine Sedis Apostolicæ absolutè posito intelligi Romanam juxta phrasim Veterum, signanter *Augustini Epist. 106.* (etsi alioquin etiam Antiochena, Hierosolymitana & Ephesina sint Apostolicæ) nimirum quia in ea *viget Cathedra Apostolica principatus*, ut idem loquitur *Epist. 162.* Immo munus Romani Pontificis appellatur Apostolatus; utì loquuntur Legati Leonis I. in *Concilio Chalcedonensi Act. 1.* Episcopi Galliæ *Epist. 51.* inter Epistolas Leonis. *Bernardus Epist. 190.* ad *Innocentium Honorius* Imperator *Epist. ad Bonifacium.* Quia nimirum præ aliis Episcopis Sedium Apostolicarum succedit aliquo modo in ipso Apostolatu, quoad potestatem universalem & curam universi Orbis Christiani, & si non quoad immediatum Verbi à Deo accepti ministerium; vi cujus Apostolorum scripta seu libri sunt Scriptura sacra.

*Munus Romani Pontificis vocatur Apostolatus, & quare.*

51. *Conjunctio Primatûs cum Romana Cathedra oritur ex facto Petri.*

Sed cùm constet Primatum quatenus in Successoribus Petri (qui sunt de facto Romani Pontifices) permanentem esse juris divini, dubium movetur, an conjunctio primatûs cum Romana Sede sit similiter juris divini? Resp. Christum in prima institutione de hoc nil determinasse, ideoque Petrum in principio nullam particularem Sedem, dein Antiochenam assumpsisse. Qui pari libertate potuisset aliam assumere. Et si nullâ Sede delectâ obiisset, Successor ejus fuisset deligendus juxta modum ab Ecclesia pro tempore ordinandum. Si Antiochiæ usque ad obitum Sedem fixisset, pariter successisset Episcopus Antiochenus. Quòd itaque modò succedat Episcopus Romanus, initium habet ex facto Petri, qui Cathedrâ Antiochenâ relictâ, Sedem Romæ sta-

mæ stabiliter fixit, Episcopatuique Romano immortuus, Pontificatum universalem ei conjunxit. Indeque Romana à Patribus agnoscitur tamquam prima Sedes, Petri Cathedra, Caput omnium Ecclesiarum &c.

52. *Iuxta plures insuper ex mandato Christi.* Nihilominus *Driedo, Canus, Suarez, Bellarminus* & passim Recentiores contra Nonnullos, signanter *Soto 4. d. 24. q. 2. art. 5*, censent probabilissimum, quòd hîc etiam intercesserit voluntas & jussio Christi, ex qua Petrus Romæ Sedem fixerit, ibique usque ad mortem tamquam Romanus & summus Pontifex resederit. Quod *Probatur.* insinuat *Marcellus I. Epist. 1.* ad Episcopos per Antiochiam constitutos, & refertur c. *Rogamus 24. q. 1. Ejus* (inquit) *Sedes primitus apud vos fuit, quæ postea jubente Domino Romam translata est.* Christi quoque voluntas de Sede Romæ firmanda colligitur ex eo, quòd voluerit (ut Patres testantur) Petrum ibidem mori: utique ad præfatum finem. Unde (ut referunt *Ambrosius, Gregorius, Innocentius III. c. Per Venerabilem, Qui filii sint legitimi*) Petro Romam fugienti occurrens dixit: *Venio Romam iterum crucifigi.*

*Congruentia.* Congruebat præterea, ut sicut est unus certus Pontifex, sic & certa & immobilis ejus Sedes: cui quidem immobilitati maximè deserviebat jussio Christi, utpote per homines non variabilis. Et sanè eventus docet Cathedram seu Sedem Romanam hactenus non fuisse umquam à Pontificibus desertam, aliamve ejus loco assumptam non obstante tot sæculorum gravissimâ cõtra Romanos Pontifices Imperatorum gentilium persecutione, & subsequentibus vexationibus, quas Roma à Gothis & Longobardis passa est, ipsâ denique Populi Romani adversus Pontifices gravissimâ diurnâque inimicitiâ. Neque etiam dum Avinione in Galliis per annos septuaginta resedit Papa cum Curiâ, fuit Cathedra Romana à Pontificibus derelicta aut à Papatu separata. Quod planè divinam quamdam Ordinationem indicat circa hanc rem.

53. *Iudicium Auctoris.* Quamvis ex præmissis aut nullis aliis allegari solitis hactenus mihi non constet, hîc subesse propriè dictum præceptum positivum Christi. Potuisset enim Christi intentio Petro revelata fuisse absque stricto præcepto, seu absque eo, quòd potestas Petri aut Pontificum esset restricta, quin nihilominus possent transferre Sedem. Potuisset etiam præceptum affecisse personam Petri, non Successorum, quibus utique non est satis clarè intimatum. Auctoritates enim non sunt adeò peremptoriæ, ut patet consideranti. Id omnino credibile est, ex speciali providentia Christi, numquam Pontifices relictâ Romanâ assumpturos aliam Sedem.

## QUÆSTIO III.

### *De Electione, Renuntiatione ac Depositione Romani Pontificis.*

54. *Mos vetus eligendi Pontificem.* Modus electionis à Christo non præscriptus, in Ecclesia non semper idem servatus fuit. Et primò quidem Cleri populique suffragiis eligebatur, ut omnes tradunt; nec non ab Episcopis, quos adesse contingeret, ut colligit *Pamelius in Notis ad Epist. 52. Cypriani num. 29.* ex illis Sancti verbis: *Et factus est*, Cornelius, *Episcopus à pluribus Collegii nostri*, id est, Episcopis; *de clericorum* (ut ait *Cyprianus*) *testimonio & plebis suffragio.* Juxta *Azorium p. 2. lib. 4. cap. 2. q. 4.* id ita contingebat, ut populi esset nominatio seu petitio, Cleri (qui non cogebatur jure admittere postulatum) electio, Episcoporum consecratio. *Mos hodiernus.* Mos iste plurimis sæculis perduravit, donec ad solos Cardinales jus illud devolutum est (quorum eminentia exinde sensim aucta) & quidem eâ lege, subsecutâ in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. (quæ refertur c. *Licet, de Elect.*) ut adesse debeat consensus duarum partium, scilicet tertiarum, Cardinalium.

55. *Quid olim jure vel facto circa electionem egerit potestas sæculariu.* Interim multis sæculis sese immiscuerunt Gothi Italiæ Reges, iisque expulsis, Imperatores Orientis, exactâ pecuniæ summâ confirmantes electionem Cleri, Pontificibus eam dare coactis. Quam iniquitatem deplorat *Gregorius in illud Psal. 5. Pœnitent. Totâ die exprobrabant mihi inimici mei.* At Constantinus Pogonatus primò pecuniarum onus, dein totam electionem liberam remisit citra recursum ad potestatem sæcularem. Sed non ita diu post successit jus per Imperatores malè tributum Italiæ Exarchis, ut non nisi eorum requisito consensu Pontifex sederet. Rursus Adrianus I. (ut ex *Pamelio suprà* refert *Sylvius l. 4. Controv. q. 1. art. 3.*) convocatâ Synodo jus electionis dedit Carolo Magno ob pulsos Italiâ Longobardos; & refertur c. *Adrianus 22. d. 63.* Sed esse impostoram *Sigeberti* (ex quo *Gratianus* nimis credulus id suo Decreto totidem verbis inseruit, aliique similiter decepti sunt) ostendit *Baronius ad annum 774.* Hoc saltem jus ejus filius Ludovicus Pius admittere noluit; admiserunt tamen (teste *Azorio sup. q. 2.*) ejus Successores in Imperio, donec Adrianus III. id ipsis ademit. Quod Otthoni I. restituit Clerus populusque Romanus juxta *Pamelium & Sylvium suprà.* Sed illegitimè: factum enim id fuit à Leone VIII. Pseudo-Papa in Conciliabulo illegitimo; quod sine debita animadversione tractat & refert *Gratianus c. In Synodo, d. 63.* De quo *Baronius ad annum 964.* Quod nihilominus à variis successoribus Otthonis (etsi non

non ab Henrico I.) uſurpatum Gregorius VII. caſſavit.

56. *An poſſit Pontifex ſibi deligere ſucceſſorem.* Circa modum electionis dubium eſt inter Doctores, an poſſit Papa ſibi deſignare Succeſſorem? Sic enim Petrus deſignavit Clementem, ut habet vulgata Hiſtoria; quilibet autem Pontifex eſt poteſtate Petrus. Deinde id non reperitur ſure altiori, ſupra quod non ſit Pontifex, interdictum. *Varii aſſerunt.* Denique cùm poſſit determinare unum vel plures, qui eligant Succeſſorem; cur nequeat ipſemet illum eligere? Ita *Victoria, Martinus Ledeſma, Vaſquez, Arriaga diſp. 7. ſect. 7. num. 47.*

*Plerique negant.* Plerique tamen contradicunt cum *Azorio ſup. c. 5. q. 3. Diana p. 10. Tr. 5. Reſol. 4.* *Probatur.* Eò quòd illa poteſtas cederet in deſtructionem, & ex ea innumera ſequerentur in Eccleſia mala, hereditaria quoque (ut ſic dicam) fieri poſſet Pontificia dignitas: adeoque cenſeatur Chriſtus in inſtitutione permanentis primatûs reliquiſſe liberam Eccleſiæ electionem Succeſſoris poſt mortem. Oppoſitamque ſententiam ut falſam (teſte *Andrea Victorello in Addit. ad Ciaccon. in vita Pii IV.* ut refert *Diana ſup.*) rejiciendam cenſuit Pius IV. qui auditis Cardinalium ſententijs declarare intendebat, Pontificem non poſſe ſucceſſorem adjutoremve cum futura ſucceſſione ſibi deligere. Immo Bonifacius II. cùm tentaſſet Vigilium Diaconum ex ejuſdem procuratione ſibi ſucceſſorem ordinare, factâ iterum Synodo reum idcirco ſe eſſe confeſſus eſt Majeſtatis, & Decretum ſuâ ſubſcriptione munitum in præſentia Cleri & Senatûs combuſſit, teſte *Baronio ad annum* 571. ubi addit, Bonifacium ad aliorum exemplum citò ex hac vita à Deo ſubtractum. Cujus quoque attentatum reprobavit Jus ſucceſſor mediatus Agapetus, teſte *Anaſtaſio* in ejus vita.

Neque ullus alius poſt S. Petrum ſibi ſucceſſorem delegit: quod ſignum eſt, non ſubeſſe id faciendi poteſtatem. *Reſpondetur ad factum Petri deſignantis Clementem ſucceſſorem.* Ad ipſius S. Petri factum variè Varii reſpondent, ſcilicet de ipſo facto non ſatis conſtare, cùm revera (quidquid Nonnulli ſecùs ſenſerint) Petro non ſucceſſerit de facto Clemens, ſed Lino & Cleto: vel Petrum id egiſſe ex divina inſpiratione, ſeu ſpeciali Dei impulſu: vel certè ex quadam excellentia poteſtatis: vel denique non propriè elegiſſe, ſed nominaſſe ſeu deſignaſſe, accedente conſenſu Cleri & populi ſequentis deſiderium S. Petri.

57. *Quando accipiat Pontifex electus poteſtatem.* Petes, quando, & à quo Pontifex electus accipiat poteſtatem? Reſp. ipſum accipere totam ſuam poteſtatem juriſdictionis à tempore factæ electionis, etiam antè conſecrationem, immo ante omnem ordinationem, utì certiſſimum eſt. Si tamen non ſit adhuc ſacerdos aut Epiſcopus, conſtat, ei ante ordinationem ſuſceptam non competere actus Ordinis correſpondentes per ipſum exercendi. Poteſtatem autem accipit immediatè ab ipſo Chriſto juxta unanimem Doctorum ſententiam; ſic ut electores deſignent ſolùm perſonam, *quam primùm autem electus eſt*, Pontifex, *ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequatur*; ut inquit *Pius II. in Bulla Retractat.* Poteſtas iſta porrò continetur in verbis Chriſti etiam ad Succeſſores Petri directis: *Tibi dabo claves &c. Paſce oves meas.* Deinde Vicarius accipit ſuam vicariam poteſtatem immediatè ab habente poteſtatem abſolutam, cujus eſt vicarius. Præterea non poteſt illam accipere ab Eccleſia; utpote quæ in ipſa originaliter non reſidet, ſeu quæ non habet poteſtatem capitis, niſi in ipſo ſuo capite. Confirmatur: quia omnis poteſtas datur, vel à ſuperiore, qui in præſenti eſt ſolus Chriſtus; vel à multitudine, quæ jus & auctoritatem habeat in iſto genere ſe regendi, prout in præſenti non habet populus. Nec mirum, quòd poteſtas in præſenti non conferatur per electores: quia etiam multi habent jus nominandi, præſentandi, aut eligendi aliquam perſonam v. g. ad decanatum, Epiſcopatum &c, qui tamen nullam ei conferunt poteſtatem ſpiritualem.

*Et à quo.*

58. *Pontifex ſponte ſua poteſt abdicare Papatum.* Quod attinet renuntiationem, Pontificem poſſe ſuâ voluntate abdicare à ſe dignitatem Papalem, ſatis conſtat poſt factum S. Cæleſtini V. renuntiantis Pontificatui dudum obtento, prævia declaratione, quòd hoc ipſum Papa poſſit, ut teſtatur Bonifacius VIII. *c. 1. de Renuntiat. in 6.* volens hoc ipſum tamquam jus haberi ac ſervari.

*Occurritur objectionibus.* Unde non obſtat, quòd Cæleſtino III. infirmo, dum renuntiare vellet Papatui, cupiens eligi Joannem de S. Paulo, dixerint Cardinales, inauditum eſſe in Eccleſia, ut Pontifex ſe ipſum deponat: hoc enim ceſſat poſt Crius exemplum & declarationem.

Non obſtat etiam, quòd renuntiatio ſit facienda in manibus Superioris c. *Admonet, de Renuntiat.* Nam id intelligendum eſt de iis, qui ſuperiorem habent.

Non obſtat denique, quòd Pontificia dignitas tribuatur à Deo. Nam tribuitur dependenter à perſonæ electæ conſenſu; adeoque contrariâ voluntate poteſt diſſolvi ſeu tolli. Sicut gratia à Deo infuſa tollitur voluntate humanâ.

Quoad depoſitionem, receptum eſt communi conſenſu Doctorum, non poſſe indubitatum Pontificem contra ſuam voluntatem deponi, quantumvis peſſimus foret, extra caſum ſcilicet hæreſis aut perpetuæ amentiæ. Eſt autem contra *Vloſſam* in c. *Si Papa, d. 40.* Verb. *A fide devius.* Quæ equidem (quod miror) relicta fuit in decreto juſſu Gregorii XIII. edito; atque

59. *Deponi invitus nequit, quantumvis peſſimus.*

olim tempore Eugenii IV. turbavit Ecclesiam, & offendit multorum animos & aures, & causa fuit maximæ alterationis tempore Julii II. Nonnullis eam Canonistis approbantibus, ceteris improbantibus. Probatur: quia ob solam hæresim posse de Papa judicari, tradunt Auctoritates. Sic enim tradit S. Bonifacius Episcopus Moguntinus c. Si *Papa d.* 40. Adrianus II. in Synodo Romana, cujus acta lecta fuerunt in Synodo VIII. Generali *Act.* 7. Unde est de cetero vox Conciliorum: *Prima Sedes à nemine judicatur.* Et cùm Carolus Magnus congregasset Romæ in Ecclesia S. Petri Episcopos Italiæ & Franciæ ad examinanda crimina falsò imposita Leoni III. omnes Antistites uno ore protestati sunt (ut refert *Baronius ad annum* 800.) *Se Apostolicam Sedem, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audere: cùm ex antiquo more omnes illa judicet, & à nemine judicetur.* Ipse autem Leo postea jurejurando se purgans, protestatus est, se id sponte facere, nullis legibus adstrictum. Accedit, tum quòd criminosa vita nō obstet superioritati juxta Scripturam 1. *Petri* 2. & alibi. Tum quia etsi Christus aliter ordinasse potuisset, congruè tamen id non fecit, ad vitandam occasionem frequentium schismatum: incertum enim esset, quæ & qualia crimina sufficerent, varia quoque ab æmulis sæpe tribuerentur &c. Tum quòd depositio Superioris non competat inferiori, nisi clarè ostendatur esse facultas id agendi concessa; quæ in præsenti non ostenditur.

60. *Occurritur objectionibus.* Nec refert, quòd Pontifex possit per homines fieri: electio enim versatur circa personam, quæ pro tunc nondum Pontifex est, depositio autem respicit & præsupponit in persona deponenda supremam Pontificiam dignitatem. Non refert etiam, quòd Otto I. deposuerit Joannem XII. omnium Pontificum ferè deterrimum. Nam parcendum zelo Imperatoris rerum Ecclesiasticarum imperiti, qui in hoc erravit; præsertim cùm quidam Doctores olim censuerint Pontificem criminosum posse exauctorari.

Itaque contra violentias mali Pontificis restaret via defensionis naturalis, utì contra aliquem alium. Ipse interim non posset ratione suæ infallibilitatis è Cathedra docere falsum, aut Ecclesiæ præscribere iniquas leges, præcipiendo aliquid mali.

61. *Dubius Pontifex quò possit deponi.* Dixi *indubitatum Pontificem non posse deponi:* nam si non sit indubitatus, sic ut Ecclesiæ non satis constet de legitimo Pontificatu, constat posse etiam invitum deponi; judicio & exemplo *Concilii Constantiensis*, in quo relictis tribus se pro Pontifice gerentibus, quorum singulis diversæ partes Ecclesiæ adhærebant, è quibus Gregorius XII. spontè cessit Papatûi; quamvis nihilominus Concilium independenter ab hac cessione progressum fuisset ad depositionem) electus est Martinus V. sicque diuturnum schisma, quod adeò Ecclesiam Dei vexaverat, sublatum fuit. Ratio est: quia cùm non est certus Pontifex, perinde est in facie Ecclesiæ, ac si nullus esset; utpote cui Ecclesia non tenetur obedire: igitur potest Ecclesia eligere certum, ad quem jus habet, quique humano modo cognoscibilis sit. Deinde quia aliàs Ecclesia contra innumeras calamitates, quibus tali casu subjicitur, fuisset à Christo omni remedio destituta. Eò magìs, quòd aliàs fieri posset, ut singulis Pontificibus dubijs aut verosimilibus successivè defunctis, mox succederent totidem novi, eligenti respectivè per Cardinales in sua factione & opinione persistentes, idque sine termino.

62. *In casu Hæresis potest exauctorari invitus.* Excipitur etiam casus hæresis ab omnibus Doctoribus. Qui similiter excipitur in c. *Si Papa d.* 40. Et ab *Adriano II. in Synodo Romana sup. cit.* ubi præmisso, quod *inauditum hactenus sit, Romanum Pontificem à ceteris Ecclesijs esse judicatum, sed alias omnes ab illo judicatas esse*, subditur: *Nam quamvis Honorius post mortem ab Orientis Episcopis anathemate sit affectus: manifestum tamen est, illum de hæresi fuisse accusatum, qua sola in causa licet inferioribus de superioribus judicare;* Idem docet *Innocentius III. Serm.* 2. *de Consecrat. Pontificis.* Solet etiam adferri *Clemens I. Epist.* 1. quasi ibi testetur S. Petrum docuisse, quod Papa hæreticus sit deponendus. Verùm ibi solùm generatim dicit de Episcopis, quòd non sint ab inferioribus arguendi, sed supportandi, nisi in ide erraverint. Accedit, quòd planè miserrima esset conditio Ecclesiæ, si lupum manifestè grassantem pro pastore agnoscere cogeretur, nec remedium subesset, quo possit Ecclesiæ in tam gravi periculo subveniri.

63. *Non sufficit tamen hæresis interna.* Nonnulli porrò hanc doctrinam intelexerunt locum habere etiam in hæresi merè internâ. Verùm cùm illa sit planè occulta & effugiens omne judicium humanum, non apparet credibile Papatum per eam amitti; præsertim cùm ita non certiùs nobis esset hunc vel illum esse aut manere verum caput Ecclesiæ, quàm certum sit, ipsum nequidem in hæresim internam incidisse. Quod à fortiori urget in opinione, quæ asserit, esse de fide, quod modernus v. g. Alexander VII. sit verus Pontifex. Idem est de hæresi externa, sed occultâ, ob similem rationem. Item de ea, quæ non est sufficienter probata seu probabilis: cùm & hæc se habeat instar occultæ. *Aut occulta seu non satis probabilis.*

At

64. *Quod ob hæresim manifestam excidat eo ipso, plures sentiunt.*

At si sit manifesta & notoria, etiam solùm notoreitate facti aut ex propria confessione, desinit eo ipso ante omnem sententiam esse Papa, juxta *Bellarminum l. 2. de Pontif. cap. 30.* & alios plures: eò quòd talis nullo modo sit membrum Ecclesiæ; à qua se ipsum hæreticus pertinax segregat, etiam ante omnem sententiam Ecclesiæ seu excommunicationis, vitandus proinde juxta Apostolum *2. ad Timoth. 3.* At quî vitabimus caput nostrum? quî caput est visibile Ecclesiæ Christi, qui visibiliter non est Christianus, sed est à Christianorum consortio præcisus? Estque hæc sententia indubiè valde probabilis.

65. *Alii tamen requirunt sententiam Ecclesiæ, non tam deponentis, quàm crimen declarantis. Probatur.*

Alii tamen passim censent etiam tunc requiri sententiam declaratoriam Ecclesiæ, quæ non tam deponat auctoritate suâ (ut Quidam loquuntur) quàm authenticè declaret, Papam esse pertinacem hæreticum, adeoque indignum Papatu: à quo consequente eo ipso excidat auctoritate Christi, sic ut deinceps puniri possit tamquam inferior, non solùm ob hæresim, sed etiam ob alia crimina. Ratio sumi potest ex eo, quòd id videatur congruere ordinato regimini & vitâdis inconvenientijs: quodque hæresis præcisè non sit destructiva eo ipso Papatûs, etiam externa, ut ex jam dictis patet: non constat autem satis de manifesta, quòd talem pœnam annexam habeat, independenter à judicio Ecclesiæ; immo hoc judicium potiùs supponere videantur Auctoritates. Ante quod proinde emendatus si sit, Pontifex maneret. Qui aliàs per emendationem non videretur restitui Pontificatui semel ablato, si ipso facto per hæresim ipsam excideret. Unde tantisper præcisus à corpore Ecclesiæ poterit manere caput; utî manet occultus hæreticus, qui juxta plures non manet membrum Ecclesiæ.

66. *A quibus pradicta sententia ferenda.*

Sententiam porrò hanc ferendam esse per Episcopos congregatos in unum, certum apparet. *Roderico de Arriaga d. 7. s. 9. num. 61*, ubi addit esse communem sententiam. Alii tamen putant spectare ad Electores, seu Cardinales. Et plane non fuit congregatum Concilium generale in causa Liberii Papæ & substitutione Felicis II. quem tamen Ecclesia habet pro vero Pontifice: multi præterea anni sæpe laberetur, dum de Generalis Concilii convocatione tractaretur. Si sit emendatus, non potest juxta Doctores deponi, utpote ampliùs nõ hæreticus. Si hæresis sit merè externa, facilè illam Papa retractabit, dùm res ad judicium veniret. Alioquin valida erit depositio, seu sententia Ecclesiæ (quæ de internis aut occultis non judicat) contra ipsum. Unde Clerus Romanus ita processit in depositione Liberii & subrogatione Felicis II. cùm alioquin credibilissimum sit Liberium non fuisse formaliter & in corde hæreticum.

*Quid si sit emendatus.*

*Quid si hæresis sit merè externa?*

In Auctoritatibus porrò prælegatis satis apertè supponitur non repugnare, quòd Papa tamquam privata persona fiat hæreticus; contra quem proinde casu veluti possibili, decernunt, quid agi possit. Ad quod etiam facit, quòd non constet Pontificem, qui aliàs est defectibilis; & non confirmatus in gratia, eo ipso quòd Pontifex fit, esse confirmatum in fide. Quod enim *Lucæ 22.* Christus dixit Petro: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, id duo continet. Primum, ut ipse in sua particulari persona numquam deficeret à vera fide, quantumvis Christum esset negaturus. Estque id personale Petri privilegium. Secundum (quod transit ad successores) ut tamquam Pastor numquam posset docere aliquid fidei repugnans. Itaque Pontificem, ut personam privatam, posse fieri hæreticum docent aut supponunt Doctores communiter contra Nonnullos.

67. *An Pontifex, possit fieri hæreticus.*

Varii nihilominus piè conantur ostendere hactenus ex suavi Dei providentia (cujus continuatio in futurum speranda) nullum extitisse Pontificem apertè hæreticum. Cujus oppositum tamen passim alii docent; & plenis buccis crepant Sectarii, quorum sanè causa desperata inde nil penitus juvaretur. Id quidem constat, pleroſque ab his allegari solitos omni hæresis apparentiâ caruisse. Illi etiam de quibus apparentia esse posset, satis solidè ab interna & formali hæresi vendicantur.

68. *An aliquis hactenus fuerit hæreticus.*

69. *Expenditur difficultas de Honorio I.*

De Honorio I. est magna difficultas: eò quòd ipsi, etiam post mortem, in *Synodo VI. Act. 13.* dicatur anathema, utî hæretico. Verùm *Baronius ad annum 633.* fusè ostendit, Honorium nil docuisse aut tradidisse, quod ab hæresi Monothelitarum non sit planè liberum. Proinde Synodus VI. suppositâ veritate præfatæ damnationis, erravit in quæstione facti particularis. Reverà tamen (ut ostendit *Baronius ad annum 681.*) corrupta quoad hoc fuisse videtur ab æmulis Ecclesiæ Romanæ. Et verosimiliter ab ipso Theodoro Constantinopolitano Episcopo, per Concilium damnato, & post annum suæ Sedi restituto, qui nomine suo erasò substituerit nomen Episcopi Romani Honorii, priusquam acta Synodi Romam missa erant. Prout constat Græcos fuisse etiam aliàs Synodorum adulteratores. De quo vide *Bellarminum l. 4. de Pontifice c. 11.* Et *Notas Binii*, & *Francisci Longi* ad dictam Synodum.

Quare *Synodus VI in Act. ult.* repetens damnationem Honorii, prout eam in actis Synodi VI. legerat, ex eadem decepta est, quæ quidem per errorem processerat, aut certè corrupta erat. *Adrianus II.* cum Synodo Romana (cujus acta lecta & probata fuerũt in *Synodo VIII. act. 7.*) refert quidẽ Honorio ab Orientalibus dictũ anathema; sed similiter deceptus fuit ex actis Synodi VI. Quòd si integra sint, sciebat Adrianus

nus id factum cum consensu Legatorum Agathonis, nec aliàs ausos fuisse dicere sententiam in Honorium; quòd ipse ibidem patenter expressit.

70. *De Liberio.* De Liberio similiter est magna difficultas. Quæ breviter sic enucleatur. Is ante exilium fortis defensor fidei, in exilio tandem fractus metu & minis, subscripsit damnationi Athanasii, & cum Arianis communicavit, & fidei formulam, in qua omissum erat, fraude Arianorum fidem Nicænam supprimere satagentium, consubstantialitatis vocabulum, sive scribendo sive subscribendo probavit. Unde *Hieronymus* perlato ad eum rumore de subscriptione hæreseos factâ à Liberio meminit ejusdem *l. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Fortunatiano.* Alioquin ipsum revera hæreticum non fuisse, etsi exteriùs contra fidei confessionem metu & minis adactus graviter deliquerit, conatur ostendere *Bellarminus l.4. de Pontif. c.9.* & *Baronius ad annum* 357.

71. *Ei subrogatus Felix II.* Opponitur autem quòd Liberius titulo hæresis fuerit exauctoratus, & in ejus locum Felix II. suffectus. Qui etsi in Catalogo Pontificum non numeretur ab *Augustino Epist.165. Optato lib.2. contra Parmenianum*, eò quòd totum tempus Pontificatûs ejus sit inclusum Pontificatui Liberii, qui ante & post Felicem sedit: tamen plura sunt, quæ probent, eum verè Pontificem fuisse; ut videre est apud *Bellarminum sup.* Notabile est, quòd in Martyrologio Romano, & reliquis etiam Manuscriptis 4. Cal. Augusti recenseatur tamquam Papa, & Martyr. Cùm autem tempore Gregorii XIII. anno 1582. in recognoscendo Martyrologio controversia de eo in novo Martyrologio collocando incidisset, divinâ providentiâ in suffossione, facta causâ inveniendi thesauri, reperta est pridie diei festi ipsius in Basilica SS. Cosmæ & Damiani arca marmorea, unà cum lapideo laterculo ibidem intus posito, & hæc ei incisâ inscriptione antiquis characteribus: *Corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui damnavit Constantium.* Vide *Baronium ad annum* 357.

*Qui legitimus fuit Pontifex.*

72. *Quâ ratione factum.* Respondetur itaque quòd Felix pulso in exilium Liberio Pontificatum in principio illegitimè obtinuerit, ac Schismaticus fuerit, eoque tempore etiam Arianis communicaverit. Eum tamen postea divinitus immutatum, Arianosque abhorrentem, & fidei præconem Clerus Romanus pro vero Pontifice recepit, cùm jam constitisset de Liberii lapsu & communione cum hæreticis, qui soli vicissim cum illo communicabant; adeoque jam exclusus esset Liberius à communione Catholica, ac ob hoc alienus à Pontificatu, Ecclesiâ judicante de exterioribus, quamvis ipse revera hæreticus non esset. Et hâc ratione sedit Felix annum unum, menses tres & dies tres, donec Martyr occubuit. Postea rursum Liberius abruptâ communione cum Arianis Clerum Romanum sibi conciliavit, omniumque consensu legitimus Pontifex, ut antea erat, cognitus & acceptus est, ut latè docuit *Baronius sup.* De ceteris Pontificibus minor est difficultas. Videri interim potest de singulis *Bellarminus l.4. de Pontif. à c.8.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Infallibilitate Pontificis in definiendo.*

73. *Pontifex sine Concilio generali in definitionibus controversiarum fidei est infallibilis.* Gerson, *Almainus, Adrianus, & Castro* referuntur docuisse, Pontificem sine Concilio generali definientem posse errare etiam in materia fidei.

Hæc tamen Doctrina repugnat *D. Thomæ*. & reliquis omnibus Theologis, quorum aliqui oppositum vocant ad minus improbabile, alii temerarium, alii erroneum aut hæresi proximum; alii denique (ut *Suarez*, *Diana* & plures Recentiores, quibus assentior) hæreticum.

*Probatur 1. ex Matth. 16. & aliis Scripturis.* Probatur I. ex *Matth.16.* ubi Ecclesia dicitur ædificanda super Petrum, qui adeò cum suis Successoribus statuitur Petra immobilis & fundamentum immobile Ecclesiæ, cui soliditas Ecclesiæ tempore hujus sæculi jugiter ædificandæ inniti deberet; igitur Successores Petri ex Cathedra docentes universam Ecclesiam deficere non possunt in veritate doctrinæ: cùm fundamentum ad minus paris cum ipso ædificio (quod ipsum sustentat) soliditatis esse debeat; ipsum autem Ecclesiæ ædificium tantâ sit soliditate fundatum, ut portæ inferi adversus eam non valeant umquam prævalere. Quod ipsum quoque de Petri Cathedra in successoribus verificari debet; ut proinde asseveranter de ea dixerit *Augustinus in Psalmo contra Partem Donati: Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Vincerent autem illam Petram, si doctrina, quam credendam proponit, diabolico erroris afflatu esset inquinata. Immo consequenter adversus ipsam Ecclesiam (quæ utique Pastori universali doctrinam tamquam necessariò credendam proponenti fidem adhibere obligatur) portæ inferi essent prævalituræ.

Similiter Ecclesia contra Apostolum non esset columna veritatis: prævaleret enim in ea necessariò falsitas, si Pastor, quem omnes oves audire debent, tamquam Pastor ovibus universis falsam doctrinam in materia fidei ingerere posset. Quocirca hæc infallibilitas Pontificis etiam continetur in officio Pastoris universalis concesso *Joan. 21. Pasce oves meas*: & in ipsa promissione facta Ecclesiæ de perpetua assistentia Spiritûs sancti.

Probatur

74. *Probatur secundò ex Luca 22.*

Probatur II. ex verbis Christi *Lucæ 22: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos* (Apostolos scilicet omnes, & in ipsis totam Ecclesiam) *ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ubi toties repetita singulariter persona Petri per nomen & pronomen *tu* manifestè significat, aliquid Petro specialiter præ ceteris concessum; idque non solùm, ut ipse tamquam persona particularis à fide non excideret, sed etiam (quod ei tamquam Principi & Primati competebat) ut ceteros mediante sui firmitate in fide confirmaret. Quod planè Petro non tam in gratiam ipsius, quàm Confratrum suorum, & fidelium (qui toto tempore durantis Ecclesiæ sunt pro re nata non minùs quàm vivente Petro confirmandi) atque adeò etiam Petri successoribus concessum est, & per ipsos in fide confirmandis Ecclesiæ membris. Unde *Leo Papa Serm. 3. de sua Assumpt. Specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis*, atque adeò toti Ecclesiæ, *conferatur.*

75. *Confirmatur hæc probatio, & simul assertio testimonijs Patrum.*

Idem sensus & pariter assertio cõfirmatur ex Pontificibus & Patribus prædictam Scripturam allegantibus, dum adstruũt Sedis & Ecclesiæ Romanæ in fide indefectibilitatẽ, ut *Lucius I. Epist. ad Episcopos Hispan. & Gall. Felix I. Epist. ad Benignum, Agatho Papa Epist. ad Constantin. Nicolaus I. Epist. ad Michaëlem, Leo IX. Epist. ad Petrum Antiochenum.* Quorum testimonia recitat *Bellarminus l. 4. de Pontif. c. 3.* Nobis sufficiat illud *Bernardi Epist. 190. ad Innocentium II.* dicentis: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæq; & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis: cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* Cui consonat *Innocentius III. c. Majores de Bapt. & ejus Effectu*, dicens: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelliget, qui eum quærenti Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabit: Tu es Christus filius Dei vivi, & pro eo Dominum exoravisse, ne deficiat fides ejus.*

76. *Alijs Patrum testimonijs roboratur assertio.*

His auctoritatibus accedunt aliæ, non quidem allegantes prædictam Scripturam in specie, in specie tamen asserentes particularem Ecclesiam Romanam errare non posse; utique principaliter saltem, propter Pontificem supremum, ejusdem Episcopum. Sic *Cyprianus Epist. 55. Audent & ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia non possit habere accessum.* Et *Hieronymus Apol. 3. adversus Rufinum: Scito Romanam fidem, Apostolicâ voce laudatam, hujusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annuntiet, quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam, non posse mutari.* Unus quoque ex articulis Petri de Osma sive Oxomensis à Sixto IV. damnatis erat (teste *Bellarmino l. 4. de Pontif. cap. 6.*) de fallibilitate particularis Ecclesiæ Romanæ.

77. *Eadem probatur 3. ex traditione & praxi Ecclesiæ.*

Probatur III. ex traditione & praxi, adeoque sensu perpetuo Ecclesiæ. De quo constat ex eo, quòd plerique errores sint ab initio usque modò condemnati à Sede Apostolica sine interventu generalis Concilii. Nam primis trecentis annis nulla generalia Concilia fuerunt celebrata; ac nihilominus damnatæ hæreses Appellianorum, Marcionistarũ, Valentinianorum &c. Postmodum etiam errores Pelagianorum, Semipelagianorum, Prisscillianistarum, Berengarii, & recentiùs à Sixto IV. Errores Petri Oxomensis; ac novissimè ab Innocentio X. quinque Propositiones Jansenii condemnatæ sunt, moxque ab universis Fidelibus eo ipso pro hæresibus habitæ, per necessariam fidei sequelam. Unde *Prosper in Chronico Honorio XII. & Theodosio VII. Coss.* refert *Concilio apud Carthaginem habito CCXVII. Episcoporum, ad Pontificem Zosimum synodalia decreta perlata fuisse: quibus* (inquit) *probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est*, nullo nimirum expectato generali Concilio. Quare idem *l. contra Collatorem* in fine, hanc Pontificum in damnandis Pelagianis auctoritatem pulchrè expressit, de Cælestino Papa adjungens: *Cælestium, quasi non discusso negotio, audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: ab eo & prædecessorum suorum statuta & decreta Synodalia* (Africana scilicet) *inviolabiliter servanda censebat: ut quod semel meruerat abscidi, nequaquam admitteret retractari.*

Hinc etiam nullus umquam Fidelium dubitavit, quin Concilium Milevitanum, Arausicanum II. & similia particularia per Pontificem probata, sint eo ipso infallibilis regula fidei. Aliàs finè multorum quoque errorum condemnatio posset nobis reddi incerta, quorum nimirum condemnatio non est in Concilijs Generalibus resumpta.

78. *Occurritur objectioni.*

Nec dici potest, has Pontificum definitiones fieri ratas & infallibiles per acceptationem Ecclesiæ: nam Ecclesia tenetur eas acceptare, ad idemque se teneri credit; ergo manifestum eas ex se esse infallibiles,

indeque cõsequi necessario acceptationem Ecclesiæ. Quare numquam visum est, hujusmodi definitiones ab Ecclesia rejici, aut de ijs dubitari; numquam etiam appellatio à Sedis Romanæ judicio in causis fidei est admissa: quæ sanè cum facultate reformandi reservanda fuisset alteri judicio infallibili, si Pontificis judicium non esset tale.

79. *Confirmatio specialis.*

Accedit, quòd *Augustinus* cum Concilijs Africanis causas fidei in ipsis discussas referre non dubitaverit ad judicium Sedis Apostolicæ pro confirmatione, utique supponens id esse Apostolici muneris, indeque consequi infallibilem firmitatem. Unde *Innocentius I.* in suis rescriptis asserit ad Sedem Apostolicam tamquam omnium Ecclesiarum caput pertinere judicium controversiarum fidei. De quibus Epistolis loquens *Augustinus Epist. 106. Ad omnia* (inquit) *nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.* Pariter & alii Patres in Controversijs fidei semper recurrisse noscuntur ad Oraculum Sedis Apostolicæ, veluti supremum & infallibile. Unde ipse *Hieronymus* sui ævi Oraculum Antiochiæ in Oriente constitutus recurrit ad Damasum Papam, indubitanter asserturus, quidquid Damasus rescripserit, dicens: *A Sacerdote victimam* (id est sacram doctrinam, quâ populus pascitur) *à Pastore præsidium ovis flagito &c. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum* (Episcopos Antiochenos?) *quicumque tecum non colligit, spargit &c. Discernite, si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si jubetis.*

80. *Probatur 4. rationibus Theologicis.*

Probatur IV. ex eo, quòd ipsa firmitas Conciliorum generalium proveniat à Pontifice; cujus est ipsa confirmare aut rescindere; sine quo etiam nonnumquam errarent, numquam autem, si ejus auctoritate firmata sint: persuasum igitur esse debet, firmitatem seu infallibilitatem in Pontifice præexistere, à quo in Concilia derivetur. Confirmatur: quia aliàs non rectè fuisset provisum Ecclesiæ; cùm frequenter possit ratione novitatum seu hæresum occurrere necessitas definiendi, absque occasione convocandi Generale Concilium; quod quidem congregari difficillimum est. Deinde facilè paterent calumniæ ipsa dogmata in Concilijs decisa; dum non deesset malignare volentibus occasio arguendi contra ipsa concilia, quòd non fuerint Generalia, sive ob paucitatem Patrum Concilii, sive quia Papa non præsedit per se aut Legatos, uti contigit in Concilio V. Generali, sive quia Concilijs celebratis in Oriente vix ullus ex Occidente interfuit. Quibus omnibus occlusus est aditus, si dicamus rem aut nomenclaturam Generalis Concilii ad fidei definitiones non requiri.

Neque hinc sequitur Cõcilia Generalia esse superflua; ut patet ex dictis *disp. prac. quæstione 7.* de eorumdem utilitate.

81. *Cur Cyprianus se Stephano Papæ opponens non fuerit hæreticus.*

Dices I. *Cyprianus* non fuit hæreticus, quantumvis pertinaciter resisteret Stephano Papæ tradenti non esse hæreticos rebaptizandos; idque eâ asseverantiâ, ut excommunicandos censeret eos, qui rebaptizarent, aut rebaptizandos esse decernerent, teste *Augustino l. de Unico Bapt. c. 14.* Resp. Stephanum noluisse quæstionem hanc definire tamquam de fide, sine plenario Concilio, solumque mandasse servari antiquam consuetudinem de non rebaptizando, censuisseque proinde opponentes sese esse dignos excommunicari. De facto tamen non excommunicavit, aut damnavit secùs facientes, qui proinde cum Stephano in communione & pace unitatis permanserunt; prout de *Cypriano* expressit *Augustinus sup.* & alibi. Quamquam *Cyprianus* in hoc culpâ non caruerit, quæ pœnitentiâ & falce martirii fuit purgata.

82. *Explicatur Concilium Africanum.*

Dices II. *Concilium Africanum Epist. ad Celestinum Papam* indicat minùs posse errare Concilium Provinciale quàm Romanum Pontificem. Resp. Epistolam istam (quæ non continet Decreta Concilii per Papam probata, sed sensum Episcoporum istius Concilii) agere de judicio facti in causis Episcoporum, Presbyterorum, vel aliorum Clericorum accusatorum de criminibus; quas putabant suaviùs & certiùs posse examinari & decidi in loco, quàm in Urbe Roma adeò distanti, ubi circumventio idcirco posset esse facilior. Unde ægriùs ferebant faciliùs admitti appellationes ad transmarina judicia, aut certè ob periculum abusuum, modum apponi desiderabant. De quibus plura habet *Binius in Notis ad Concilium Carthaginense VI.*

83. *Arguitur non esse de fide de singulari Pontifice, quòd verè talis sit.*

Dices III. Non est de fide, Pontificem individuum, qui hodie sedet, esse legitimum Pontificem, adeoque verum caput Ecclesiæ: ergo nec de fide sunt ea, quæ per se definit. Antecedens probatur: quia id dependet à varijs non revelatis, puta quòd sit mas, baptizatus, quòd in electione non intervenerit vitium occultum eam irritãs. Deinde nullibi est in particulari id revelatum, sed solùm in universali est facta revelatio de Petro & successoribus legitimis; hunc autem vel illum esse legitimum successorem, est tantum moraliter certum: uti propterea de Episcopis particularium diœcesum non est de fide, quòd sint legitimi superiores suarum respectivè Ecclesiarum, etsi pro talibus ab universa Ecclesia sint recepti, quodque in genere sit revelatum Episcopos legitimè institutos esse veros suarum Ecclesiarum Pastores. Quare sic tenent gravissimi Theologi. *Lensæus, Banncz* & plures alii, fortissimi alioquin pro Sedis Apostolicæ auctoritate pugiles.

84. *Hoc dato, essent ni-*

Resp. gratis dissimulato Antecedente Neg. Cons. Nam simili ratione argui posset contra Pontificis definitionem factam cum

*hilominus de fide ea quæ definit.*

cum Concilio; cùm ex inde non fieret fide certum hunc esse legitimè electum, si aliunde non foret ita certum. Deinde contra ipsa Concilia posset urgeri simile argumentum, non esse videlicet de fide ea quæ in Concilio generali definita sunt, ex hoc quòd juxta multos non sit de fide hoc vel illud fuisse legitimum, uti non constat de side, quòd Episcopi congregati fuerint verè ordinati, synceri fideles &c. Et quamvis de fide esset hoc vel illud Concilium fuisse legitimum, uti censent noster *Vega*, *Sylvius* & plures alii; certè non est de fide obligante, cùm *Canus*, *Bannez*, *Bellarminus l. 2. de Concil. c. 9.* oppositum contendant. Quare adhuc argui posset: Non est de fide saltem obligante, quòd Concilium fuerit legitimum, quòd hic Papa definiens sit legitimè electus: ergo neque est de fide obligante definitio ab ipsa procedens. Unde

*Idq; fatendum ab omnibus.*

patet ab omnibus Catholicis, etiam ijs, qui censent probabilius esse fidei ipsam legitimitatem Concilii & Papæ, esse negandam consequentiam. Ratio est: quia saltem certissimum est Concilium sive Pontificem ab universali Ecclesia pro legitimo receptum esse talem: spectatque ad suavem Dei providentiam impedire, ne Ecclesia in tali judicio fallatur. Certitudo hæc porrò, esto non fidei, sufficit in ijs, quæ ad propositionem & credibilitatem fidei spectant, ut firmiter credamus sic proposita fide divinâ, cujus utique certitudo pendet ex veracitate Dei loquentis, Pontifice seu Concilio solùm proponente ac explicante ea quæ Deus aliquando revelavit. Ita *Malderus*, quem citat & sequitur *Diana P. 11. Tract. ult. Resol. 8.* Planè de ipsa definitione, quòd facta sit, habetur solùm in locis præsertim remotis certitudo per litteras, per Nuncios, per testimonium Ordinariorum &c, quæ solùm generant moralem certitudinem: & tamen rebus, de quarum definitione sic constat, fidem Deo dignam adhibemus.

85. *Iuxta communiorem tamen hodie opinionem est fidei, quod v. g. Alexander VII. sit legitimus Pontifex.*

Est nihilominus Opinio (quæ veluti probabilior hodie magis est recepta) quòd sit videlicet de fide eum, qui ab universa Ecclesia citra hæsitationem receptus est, verum & legitimum esse Pontificem; maximè (ut Pauci restringunt) postquam aliquid definivit. Ita *Lugo*, *Arriaga*, *Sylvius*, & multi alii quos refert & sequitur *Diana P. 11. Tract. ult. Resol. 6.* sive quia sufficit revelatio in universali facta, in qua particularis continetur certitudine perfectissimâ morali (secùs quàm constet de hac vel illa particulari hostia, quòd sit legitimè consecrata) sicut de fide est individuos homines esse conceptos in peccato, ex hoc quòd id universim de hominibus viâ ordinariâ conceptis (exceptâ privilegiatâ Deiparâ) sit revelatum: sive quia specialia in Pontifice concurrunt, quæ id postulent; puta quòd sit caput visibile Ecclesiæ, quæ in individuo quatenus sub hoc capite visibili militans fide creditur, quòd ipsa in re adeò gravi non possit falli; quòd infallibilitas & potestas definiendi conveniat soli vero Pontifici, & tamen infallibile censeatur, quod Pontifex universaliter receptus definit &c.

*Quid indubitanter concludendum.*

Id saltem apud omnes debet esse fide certum, quòd vel Deus non permittet tamquam indubitatum ab Ecclesia haberi, nisi sit legitimus; vel certè, quòd non permittet talem, si verè illegitimus sit aliquid definire; vel denique, quòd si vitio non detecto aliquid definiat, infallibiliter assistet, ut verum definiat, idque propter Ecclesiam, ne ipsa (quæ falli nequit) in errorem abducatur.

86. *De fabula Ioanna Papissa remissivè.*

Posset hîc ulteriùs discuti, quod de Joanna Papissa Nonnulli referunt, præsertim Hæretici. Sed esse nugas & fabulas, optimè ostendit *Florimundus Ramundus lib.* cui titulus, *Error popularis de Joanna Papissa*, *Baronius ad annum 853. Bellarminus lib. 3. de Pontif. cap. 24.* Qui etiam refutat mendacia Hæreticorum de sede perforata, quæ stercoraria dicitur; de statua mulieris loco partûs positâ, de Pontificibus eamdem plateam, etsi aliàs rectam, declinantibus, quasi in facti detestationem. Marianum Scotum & Sigebertum inter relatores prædictæ fabulæ solitò numerari ex antiquissimis & manuscriptis exemplaribus vendicant, *Bellarminus sup.* & *Myræus in Chronico ad ann. 854.*

87. *An aliqui Pontifices in responsis erraverint.*

Dices IV. Varii Pontifices in definiendo errarunt. Errores porrò varii congeruntur. Sed partim infideliter referuntur earumdem responsa à parte rei verissima: partim in Theologia sparsim explicantur: partim non sunt definitiones, sed sententiæ seu opiniones privatæ Pontificum, non quatenus ex Cathedra loquentium. Pro quo

*Possunt privatim errare in fide aut moribus.*

Adverte Pontifices tamquam homines posse saltem ex ignorantia habere aliquos particulares errores in quæstionibus fidei aut morum. Prout Joannes XXII. putavit animas non videre Deum ante diem judicii. Quod tamen numquam definivit; quin immo ante mortem retractavit. Similiter fertur Cælestinum III. sensisse, quòd matrimonium solvi queat per hæresim, si pars Catholica ineat novum. Cujus oppositum (quod verissimum est) tradit, etsi non definiat, *Innocentius III, c. Quanto, de divortijs*, addens: *Licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur.* De cujusmodi sensu non definitivo etiam intelligitur, quod *Alexander III. c. Licet, de Sponsa duorum*, resolvens matrimonium ratum non dissolvi per subsequens cum altera matrimonium consummatum, subdit, *aliter à quibusdam prædecessoribus aliquando judicatum.*

88. *Quando censeantur loqui ex*

Pontifex porrò censetur loqui definitivè seu ex Cathedra, non tantùm, dum id ex-

*Cathedra, quando non.*

plicitè dicit; sed etiam cùm id implicitè significat: v.g. cùm dicit se explicare fidem Catholicam contrarium asserentes esse hæreticos cùm doctrinam aliquam anathemat. cùm significat omnibus aliquid esse credendum, tenendum id esse secundùm Evangelicam & Apostolicam traditionem &c. Loquitur autem tantùm ut privatus Doctor quàdo loquitur per modum opinantis; v. g. cum dicit: *Sic apparet, sic opinamur, hoc apparet verisimilius.* Item cùm aliquid adfert præter illud, de quo est quæstio, vel explicandi aut confirmandi gratiâ. Sic rationes definitionum per se non sunt infallibiles: cùm Pontifex eas tantùm adferat, ut ostendat se non temerè definivisse. In probationibus itaque non tam sustinet personam judicis, quàm Doctoris consilium dantis aut discentantis. Similiter in Concilijs maxima pars actorum ad fidem non pertinet, juxta *Bellarminum l. 2. de Concilijs cap.* 12. Non enim (inquit) sunt de fide disputationes quæ præmittuntur, neque rationes quæ adduntur, neque ea quæ ad explicandum & illustrandum adferuntur, sed tantùm ipsa nuda decreta, & ea non omnia, sed tantùm quæ proponuntur tamquam de fide. Interdum enim Concilia aliquid definiunt, non ut certum, sed ut probabilius, ut *Concilium Viennense*, quod decrevit tenendum ut probabilius, infantibus in baptismo infundi gratiam & virtutes, ut patet *Clement. Unic. de summa Trinit.* Quando autem decretum proponatur tamquam de fide, facilè cognoscitur ex verbis Concilii. Similiter (ut habet idem *Bellarminus sup.*) in ipsis decretis de fide, non verba, sed sensus tantùm ad fidem pertinet: non enim est hæreticum dicere, in Canonibus Conciliorum aliquod verbum esse supervacaneum, aut non rectè positum, nisi fortè de ipso verbo decretum sit formatum, ut cùm in Concilio Nicæno decreverunt recipiendam vocem ὁμοούσιον & in Ephesino vocem Θεοτόκον. Ita *Bellarminus.*

*Quæ in Concilijs censeantur esse fidei.*

Denique Pontifex dum ad personam aliquam aut Ecclesiam privatam scribit, plerumque censetur non loqui ex Cathedra: nisi enim per appositā clausulam indicet se definire, solùm censendus est provisionaliter auctoritate suâ juxta particularē suam sapientiam & prudentiam, adeoque independenter ab infallibilitate, provisionaliter declarare, quid sit faciendum, donec, si gravitas rei exigat, pleniori examine prævio ex Cathedra decidatur. Cujusmodi censentur esse multa responsa in jure Canonico.

89. *Pontifex est infallibilis in decretis morum.*

Quæ dicta sunt de infallibilitate Pontificis in definiendis controversijs fidei, pari certitudinis gradu procedunt in decretis morum. Certum enim est, Pontificem non posse Ecclesiæ præscribere aliquid agendum, quod malum est, aut omittendum quod à Deo præceptum est. Idem est de approbatione contractus tamquam justi, aut reprobatione iniqui, v.g. contractus usurarii. Ratio est: quia infallibilitas est annexa officio Pontificis tamquam Pastoris Ecclesiæ; quod utique respicit oves pascendas, tam institutis morum, quàm doctrinâ fidei. Deinde aliàs in Ecclesia deficeret Spiritus veritatis, si v.g. aliquid legi divinæ contrarium approbaretur, & Ecclesiæ præscriberetur. Insuper esset contra sanctitatem Ecclesiæ, quam credimus sanctam, etiam ratione institutorum, quòd ea sancta sint: denique error iste redundaret in doctrinam fidei, quatenus dum aliquid legi divinæ contrarium præscriberet aut approbaret, pariter tamquam Pastor doceret id esse faciendum; quod est error in fide. Quare etiamsi Ecclesia pravis institutis ignoranter obediens non peccaret formaliter, adhuc maneret maculata pernicioso errore, contra promissam ei in veritate indefectibilitatem, & Petro in ovibus doctrinâ & moribus pascendis integritatem.

90. *Similiter in approbatione Religionum.*

Quod proinde etiam ad approbationem Religionum per Pontifices cum vel absque Concilio generali faciendam extendendum est. Quandoquidem & illa pertineat ad officium pastorale in pascendis ovibus doctrinæ & vitæ salutaribus institutis; non minùs quàm approbatio aut reprobatio contractuum. Aliàs quoque Pontifex Ecclesiam in errorem pernicioſum induceret, docendo institutum spiritualis vitæ religiosæ esse Evangelicæ perfectioni consonum & salutare; quod verè non esset tale. Nam hoc ipso Pontifex toti Ecclesiæ proponit talem vitæ formulam, tamquam virtuosam & salutarem amplecti volentibus. Unde esset quodammodo definitiō ad malum inductiva. Hinc meritò *sess. 8. Concilii Constant.* Damnatur impudentissimus error *Wicleſ* asserentis omnes religiones introductas à diabolo; à quo sanè introducuntur mala & pernicioſa instituta. Meritoque damnandus esset, qui id de particulari Religione v.g. S. Francisci, S. Dominici &c. effutiret.

91. *Error contra prudentiam an in hujusmodi admitti possit.*

Nihilominus ex his non potest æquè certò inferri, quòd Pontifex interdum errare non possit contra regulas prudentiæ, admittendo Religiones bonas quidem & sanctas, tamen hîc & nunc minùs Ecclesiæ convenientes, sive ob confusionem, quæ in alijs oritur ex nimia multiplicatione, sive ob alias causas. Quamvis nec hoc præsumendum sit ob reverentiam Pontifici debitam: immo sine magna temeritate idem præsumi non possit.

Similiter satis constat Pontifices in multiplicandis legibus aut censuris posse errare contra prudentiam. Indeque, experientiâ rerum magistrâ docente constitutiones interdum minùs convenire, frequens apparet revocatio & alteratio earumdem per ipsosmet aut successores facta. Non est tamen in speciali casu id temere asserendum,

dum, præsumptione meritò semper stante pro legislatore.

92. *In particularibus quæstionibus facti potest Pontifex errare.* Præterea potest Pontifex errare juxta omnes in quæstionibus particularibus facti, puta judicio ferendo de rebus gestis: potest enim innocentem cõdemnare & reum absolvere, utì potest decipi per falsas suggestiones seu falsa testimònia. Unde dum aliquis duxit publicè secundam uxorem, relictâ priore, cum qua occultè contraxerat, sed contractum probare non potest, Pontifex judicabit, ut adhæreat secundæ: similiter mandabit simul manere tamquam conjuges, dum subest impedimentum non probabile in foro externo: utrobique autem intervenit error facti, non juris aut fidei. Quò spectat illud *Innocentii III. c. A nobis 2. de Sentent. Excommunicat. Judicium Dei veritati, quæ non fallit nec fallitur, semper innititur: judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus.* Similiter illud *Alexandri III. c. Si quando, de Rescriptis: Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum.*

93. *In nonnullis facti quæstionibus est infallibilis.* Nihilominus sunt aliquæ quæstiones facti, in quibus Pontifex est infallibilis. In primis illæ, quæ respiciunt facta contenta aut deducta ex locutionibus Scripturæ aut ex Traditione, v. g. quòd Christus aliquando habuerit aliquarum rerum dominium. Sic etiam posset definire B. Virginem non habuisse ullum peccatum, etiam originale. Hæc enim facta verè pertinent ad ipsas quæstiones fidei.

Deinde sunt quædam facta concernentia universalem Ecclesiam, in quibus decidendis est Pontifex similiter infallibilis: *Signatè in Canonizatione Sanctorum.* v. g. in canonizando aliquem, sive declarando eum esse sanctum, solemniter adscribendo Cathalogo Sanctorum, eumque proponendo toti Ecclesiæ, cum mandato ut ab omnibus pro sancto habeatur & colatur. Ita omnes Theologi, quorum magna pars sentit id ipsum esse de fide, alii oppositum saltem temerarium, scandalosum & hæresim sapere censent.

94. *Probatur ex Bullis Pontificum.* Probatur ex ipsis Bullis Canonizationis, in quibus frequenter Pontifices dicunt, se declarare & definire sanctos esse, quos canonizant; ut patet ex *Bulla 6 Pii II.* quæ est Canonizationis S. Catharinæ Senensis, *Bulla 38. Leonis X.* quæ est Canonizationis S. Francisci de Paula, *Bulla 27. Clementis VIII.* quæ est Canonizationis S. Hyacinthi, & pluribus alijs. Præterea Pontifices addunt, se mandare, ut ab universis Christi Fidelibus pro Sanctis habeantur, ab ipsque id *Fideliter ac firmiter teneri debere* ut habetur in *Bulla 21. Xisti IV.* quæ est Canonizationis S. Bonaventuræ, & in *Bulla* Canonizationis S. Antonini, quæ est *1. Clementis VII.* In qua insuper præmittitur, *Adrianum prædecessorem considerasse, quòd in eadem Canonizatione non permissurus esset Deus ipsum errare.* Ideoque indicuntur preces & jejunia, *Ne Ecclesiam Altissimus modo aliquo in hujusmodi Canonizationis officio errare permitteret,* ut loquitur idem *Adrianus VI. Bullâ 5.* Canonizationis S. Bennonis; Seu (ut loquitur *Xistus IV.* Bullâ citatâ) *ne pateretur Ecclesiam suam militantem errare, quæ se triumphanti conformare studet.* Et *Sixtus V.* Bulla 82. Canonizationis S. Didaci §. 24. inquit: *Tum nos ipsi de Spiritûs sancti singulari patrocinio, atque infallibili assistentia, ea diximus, quæ causæ & temporis ratio potissimùm requirere videbatur.* Dein ad ipsam Canonizationem procedens §. 28. ait: *Invocato sancto creatore Spiritu, cujus consilio & sapientiâ sancta Ecclesia columna & firmamentum veritatis regitur, ejusq; numen sæpe à nobis ex intimo corde, multis etiam lacrymis imploratum, præsens adesse non dubitantes, Ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis &c.* Et *Clemens VIII.* Bullâ 27. citatâ §. 20. *Tunc igitur nos pro nostra & sancta hujus Sedis auctoritate & potestate, & pro singulari Spiritûs sancti in eamdem Sedem, cujus ipsa infallibili Sapientiâ gubernatur, præsidentia, ea diximus &c.* Et §. 21. *Sancto Spiritu, cujus numine Ecclesia afflata numquam fallitur, multis cum precibus invocato, decrevimus & definivimus &c.* Idcirco etiam tam rigorosum cunctorum examen præmittitur, maximè ut certificatio habeatur de miraculis, præsertim post mortem editis; quæ sunt gloriæ & sanctitatis indicia ac testimonia. Unde *Honorius III. Bullâ 7.* Canonizationis S. Laurentii Archi-Episcopi Dublinensis concludit: *De ipsius igitur sanctitate tanta certificati miraculis, divinumq; secuti judicium, per quod ejus glorificatio nobis tam evidentibus innotuit argumentis, eumdem B. Virum Cathalogo Sanctorum adscripsimus.* Denique *Joannes XV.* in Bulla Canonizationis S. Udalrici anathematis vinculo innodat contraire tentantes. Quæ omnia apertè significant infallibilitatem Pontificiam in hoc negotio. Quare non solùm ex testimonijs humanis (quæ ipsa tamen generant maximam certitudinem moralem, præsertim sic discussa & examinata) sed ex speciali instinctu Spiritûs sancti, sic assistentis Pontifici, ut non permitteret eum ad Canonizationem cum errore procedere, sumitur ejusdem Canonizationis infallibilitas.

Eadem infallibilitas probatur ratione Theologicâ: quia (ut patet) Pontifex in canoni- 95. *Et ratione Theologicâ.*

Canonizando procedit ex Officio Pastorali tamquam magister & superior universalis Ecclesiæ ; eatenus autem est infallibilis. Confirmatur : quia est infallibilis in decretis morum, præsertim generalibus; ad hæc autem spectat præceptum generale de solemni cultu Sanctorum. Unde nisi Pontifex esset in hoc infallibilis, fieri posset Ecclesiam obligari ad malum, scilicet ad credendum & colendum tamquam Sanctum, qui verè non esset talis, sed è contrà cultu indignus, immo damnatus : cùm datâ semel fallibilitate, sequatur etiam damnatum ( non obstante allegatione miraculorum, unde per se solùm generaretur moralis certitudo ) posse canonizari. Quare notabiliter in Ecclesia universali deficeret Spiritus veritatis, & quidem in materia Religionis. Ignorantia autem Ecclesiæ excusaret illam quidem à peccato formali, non tamen à materiali, & errore pernitioso; utì propterea infallibilis est Pontifex in alijs decretis morum, etsi pariter Ecclesiæ simpliciter obediendo formaliter non peccaret. Accedit, quòd in casu, quo ita erraret Ecclesia ; non solùm frustraretur ipsa effectu suffragiorum, sed & ipsi canonizati, si non forent in cælo, sed fortè in purgatorio, privarentur suffragijs fidelium, qui utique pro Sanctis Canonizatis non orant.

*Locus Augustini, quamvis suppositius explicatur.*

Nec obstat quòd juxta *Augustinum* (utì ordinariè refertur) multa corpora honorentur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna. Nam hæc sententia in *Augustino* non reperitur. Atque esto: potest verificari de impijs, quorum corpora in terris sæpe honorantur magnificis sepulchris : vel de falsis Donatistarum, similiumq; Sectariorum Martyribus, qui apud suos sunt in honore : vel denique de honore, quem particulares possunt exhibere Sancto non vero ; de cujusmodi *Innocentius III. c. Audivimus, de Reliq. & Venerat. Sanctorum* refert, quòd aliquis in ebrietate occisus colebatur à quibusdam pro sancto. Quare ob periculum abusuum, meritò Ecclesiæ Caput sibi determinationem cultûs publici reservavit. Quamvis olim etiam Episcopi aut Primates, prævio diligenti examine, decernerent pro suis districtibus Sanctis, præsertim Martyribus, publicos honores.

97. *Pontifex est etiam in Beatificatione Sanctorum infallibilis.*

Non potest autem Pontifex errare in alicujus Beatificatione : nam hæc, prout de facto est in usu, non est aliud, quàm quædam licètia data per Bullam à summo Pontifice, ut aliqua persona in aliqua determinata natione, provincia, episcopatu aut Religione coli possit tamquam Beatus per missam & officium divinum. Conceditur autem ea licentia præmisso diligenti examine vitæ & miraculorum, & auditâ sententiâ Cardinalium Congregationis Rituum : ex quo fit, quòd toti Ecclesiæ liceat eum pro Beato habere, & se illius precibus, etiam publicis, commendare. Non est autem credibile, Deum permissurum Ecclesiæ errorem in re tam gravi; præsertim cum periculo gravis præjudicii eorum qui beatificantur, veluti pro quibus Fideles firmiter persuasi de eorum gloria deinceps non faciunt suffragia, quibus tamen indigere possent, si Pontifex posset in beatificando errare.

98. *An sit par de hac quæ de Canonizatione certitudo.*

Advertunt tamen Doctores passim minorem ex Beatificatione quàm Canonizatione oriri certitudinem. Primò, quòd Pontifex in Beatificatione non utatur verò definitante definitionem, sed permissionem. Secundò, quòd Beatificatio non sit ultimum Ecclesiæ judicium de sanctitate personæ, ut proinde ad nova examina, testes, miracula procedi soleat, priusquam ad Canonizationem, quæ est ultimum judicium, deveniatur ; quod stante æquali, immo fidei certitudine, fieri non deberet. Tertiò, quòd Beatificatio non sit pro universa Ecclesia, sed permissio privilegiata pro nonnullis, ut ( quòd aliàs non liceret ) missam aut officium certo die de Beatificato legere possint. Quamvis his & similibus non obstantibus, non desint Doctores, qui parem, immo fidei certitudinem ex Beatificatione nasci contendant.

99. *Canonizatio fieri posset non declarans præsentem gloria cælestis statum.*

Sed difficultas movetur à Quibusdam, quodnam sit objectum propriè Canonizationis ( idem cum proportione est de Beatificatione ) Sanctorum. Et quidem negari nequit, quin institui ab Ecclesia posset aliqua Canonizatio, quâ solùm declaretur præsens status gratiæ cum securitate gloriæ, abstrahendo ab adeptione actuali ejusdem. Prout indubiè Sancti Veteris Testamenti Canonizati *Eccli. 44. & seqq.* adhuc in limbo detenti non obtinuerant de facto gloriam cælestem. Prout etiam Elias posset ab Ecclesia solemniter hâc ratione canonizari, etsi adhuc vivat, nec ( quod tamen Aliqui negant) Deum videat. Idemque posset Ecclesia de alijs defunctis Sanctis declarare ; idque à fortiori, si possit ipsam gloriam præsentem declarare.

100. *Immo regulariter est hujusmodi in Ecclesia juxta Sinnich.*

Solum quæritur, an de facto non soleat in Canonizatione declarare, Sanctos esse actu in cælo regnantes ? *D. Sinnich* Doctor Lovaniensis in suo *Saul Ex rex* ( qui à paucis hebdomadibus in lucem prodijt ) *l. 1. à §. 258. usque ad 299.* fusè de hac discurrens, contendit communiter & regulariter solùm declarari præsentem sanctitatem cum securitate adipiscendi gloriam cælestem. *Stat proinde* ( ut loquitur §. 298. ) *Pontificis inerrantia, cum Canonizatorem à cælo absentia.* Nihilominus rarò, puta in Canonizatione S. Franciscì de Paula, & S. Catharinæ Senensis, declarari præsentem gloriam non audet diffiteri, addens tamen præsumendum esse, quòd tunc Pontifex inductus sit alio motivo,

motivo, quàm evidentiâ miraculorum; utpote quæ etiam patrari possunt à constitutis in Purgatorio, prout de Paschasio Diacono refert *Gregorius l. 4. Dialog. cap. 40. & 41.* Et de S. Severino Episcopo Coloniensi *Petrus Damians l. 2. Epist. 15.* ex *Aldrado*; ut citat *Sinnich. §. 261.*

101. *Quæ doctrina tolerari nequit.* Verùm hæc doctrina nullatenus tolerari potest, utpote contraria communi sensui, non solùm Doctorum, sed etiam Fidelium, Ecclesiæ Collectis, Bullisque Canonizationis.

*Veluti contraria communi sensui Doctorum & Fidelium.* Quòd attinet ad sensum Doctorum, is patet ex eorum scriptis, ut *Bellarmini, VViggers, Sylvii* & reliquorum, nemine (quod sciam) contradicente: esto non ab omnibus sub his terminis tractetur, aut asseratur. Idem sensus Doctorum & pariter Fidelium patet ex eo, quòd pro Canonizato nefas putent orare: nam juxta *Augustinum Serm. 17. de Verbis Apostoli* (quòd per inadvertentiam veluti dictum Scripturæ refertur c. *Cum Martha, de celebrat. Miss.*) *Injuriam facit martyri, qui orat pro Martyre.* Et juxta *Innocentium III. cap. cit. idem est ratione consimilis de alijs Sanctis* (quos nimirum Ecclesia veneratur) *sentiendum, quia orationibus nostris non indigent.* Unde quod olim legi solebat in secreta Collecta de B. Leone, (de quo utique non erat, nisi communis reliquis Sanctis ratio) & postea immutatum est: *Prosit vel proficiat illi talis oblatio ad gloriam & honorem*, juxta *Innocentium ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quòd magis ac magis à Fidelibus glorificetur in terris.* Alioquin quidni pro ipsis celebrentur anniversaria defunctorum, ne priventur suffragijs, quibus fortè indigent? Nam certè ijs non rectè fraudarentur. Unde propter hoc fatetur *Sinnich* etiam ipsos concernere posse, generales preces pro fidelibus defunctis, quæ fiunt in Litanijs & Missa. Quod sanè est exorbitans à sensu Fidelium: qui execrarentur fieri pro Sancto suffragia solita defunctorum, etsi intra annum ab obitu Canonizato; prout accidit S. Antonio Paduano, cujus festum loco primi Anniversarii solemnissimè celebratum fuit.

102. *Item Orationibus publicis Ecclesiæ.* In Collectis quoque Ecclesiæ patenter asseritur præsens Sanctorum glorificatio in cælo. Nam in Collecta Doctorum rogat Ecclesia, *ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis.* Et in Collecta de S. Ludovico Rege: *Deus, qui B. Ludovicum Confessorem tuum de terreno regno ad cælestis regni gloriam transtulisti &c.* Et in Postcommunione: *Deus qui B. Ludovicum glorioſum in cælis fecisti.* Item in Collecta de S. Henrico, & in Collecta & Postcommunione de S. Stephano Rege: ut alias omittamus.

Denique idem conficitur manifestè ex tenore Bullarum Canonizationis. Nam in primis Leo X. in Bulla 38. de S. Francisco de Paula ait: *Decernimus & definimus Franciscum de Paula in cælesti Hierusalem inter Beatorum choros jam receptum, æternâq; gloriæ condonatum fuisse &c.* Idem expresè declarat Pius II. in Bulla 6. Canonizationis S. Catharinæ Senensis. Neque est credibile ullo modo, Pontifices novam & particularem canonizationis speciem ibi attentasse, aut de his quid speciale declarasse, quod non de ceteris canonizatis. In quorum etiam canonizatione communis methodus inquisitionis, & conditiones eædem fuere adhibitæ, eademque ratio inductiva, nimirum quòd (ut ait Leo X. sup.) *æquum videretur, ut quem Deus jam in cælesti gloria Sanctorum Choro dignum fuisse probabilibus ac manifestis indicijs ac miraculis ostenderat, in terris etiam sibi debito Sanctorum honore non defraudaretur.* Similis quoque ratio in plerisque alijs canonizationum Bullis adfertur, ut nempe *quem in cælo sursum Deus glorificat, hic inferiùs mundus colat:* prout videre est in Bulla 1. Alexandri III. Bulla 7. Honorii III. Bulla 2. & 4. Gregorii IX. Bulla 11. Innocentii IV. Bulla 4. Alexandri IV. Bulla 3. Urbani IV. Bulla 6. Bonifacii VIII. Bulla 4. Clementis V. & alijs plurimis. 103. *Et apertè Bullis ipsis Canonizationis.*

Ubi observandum, Pontifices apertè supponere hujusmodi Sanctos, esse de facto in cælis cum Christo. Immo Gregorius IX. Bullâ 11. Canonizationis S. Elizabethæ Viduæ: *Nos* (inquit) *dictam Sanctam, quam sibi ad intuitum placuit suæ majestatis admittere, Sanctorum Catalogo duximus adscribendam.* Id ipsum patenter non semel in eadem Bulla significat. In plerisque alijs quoque Bullis non tantùm id supponitur, sed etiam apertè asseritur, & frequenter interdum ingeminatur; ut patet in Bullis Canonizationis S. Thomæ Cantuariensis, S. Laurentij Archiepiscopi Dublinensis, S. Dominici, S. Francisci, S. Claræ, S. Richardi, S. Ludovici Regis, S. Ivonis, S. Ædmundi, S. Bonaventuræ, S. Teresiæ &c. Sed & ipse *Joannes XXII.* in suis Bullis idipsum apertissimè asserit de S. Ludovico Episcopo, & S. Thoma. Ut proinde manifesta sit mens Ecclesiæ hac in parte. 104. *Confirmatur.*

Solùm adverte, Joannem XXII. censuisse quidem non videre animas Sanctorum Deum ante diem judicii, nihilominus infallibile ei erat, ipsas esse in cælesti gloria cum Christo. Quare per Canonizationem declarabatur, etiam ab ipso, præsens gloria cælestis Sanctorum (ut ex Bullis mox citatis est apertum) quæ an esset de facto facialis visio Dei, non erat definitum, etsi satis assertum à Prædecessoribus, v. g. Gregorio *Notandum circa Joannem XXII.*

rio IX. in Bulla Canonizationis S. Elizabeth.

105. *An miracula à morte patrata ex sensu Pontificum sint signa præsentis gloriæ.*

In ijsdem Bullis etiam advertendum est Pontifices censere, quòd miracula non solùm sint signa certificativa gratiæ, sed etiam præsentis Sanctorum gloriæ: ut manifestè patet attentè plurimas præallegatas inspicienti. Unde *Urbanus IV.* Bullâ 3. dicit, *conceptam ex his certam & indubitatam credulitatem* id *tenere* de S. Richardo; quem propter hoc Cathalogo Sanctorum adscribit. Et *Honorius III. Bullâ 7.* de S. Laurentio Archiepiscopo: *qui sic claris & evidentibus argumentis apparet honoratus in cælis &c.* Et ipse *Joannes XXII.* in Bulla Canonizationis S. Thomæ Aquinatis, post enumerata ejus miracula, inquit: *Hæc sunt testimonia tua Deus, quæ de hoc viro justo nobis credibilia facta sunt nimis. Nam si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, quo animam ejus cælum possidere jam credimus.* Cui non obstat unius Paschasii & alterius Severini exemplum. Quin potiùs cùm in ijs præter communem regulam quid acciderit, divinâ providentiâ contigit, statum eorumdem nondum gloriosum patefieri, ne populus erraret. Quod idem Deus ostenderet Pontifici, potiùs quàm in Canonizatione (ad quam miraculis quidem manuducitur, sed assistentiam habet Spiritus) errare permitteret. Quamquàm neque Paschasius, neque Severinus ostendantur illo tempore, quo erant in purgatorio, fuisse ab Ecclesia universali pro Sanctis publico cultu celebrati.

*Non obstante, quòd Paschasius & Severinus in purgatorio existentes fecisse legantur miracula.*

106. *Concluditur stylo consueto Ecclesiæ declarari in Canonizatione præsentem gloriam cælestem.*

Manet itaque Canonizationem ex communi stylo Ecclesiæ continere declarationem præsentis gloriæ cælestis, ut Deus ita in Sanctis etiam hîc glorificetur, *cùm* (ut loquitur *Clemens VIII. in Bulla* 27. Canonizationis S. Hyacinthi) *aliqui servi Dei, excellenti vitæ sanctitate & miraculis insignes, jam cum Christo in cælo regnantes, in terra quoque summâ Romani Pontificis auctoritate Sancti esse declarantur.* Ut proinde stylo Ecclesiæ, declarari Sanctum, & in cælesti gloria, sint eadem seu connexa; etsi alioquin nomen Sancti alias significationes patiatur. Quare *Gregorius XV. Bullâ* 23. pro causa Beatificationis B. Petri Alcantara Ordinis S. Francisci assignat, quòd Cardinales judicarent ita plenè de omnibus requisitis cōstare, ut *censuerint posse nos* (ait Pontifex) *quandocumque voluerimus, eumdem servum Dei, juxta Catholicæ Ecclesiæ ritum, Sanctum atque in cælis regnantem declarare: omnibusque Fidelibus solemni canonizatione proponere venerandum.* Quod manifestè meo judicio evincit intentum nostrum. Unde etsi Nonnulli Scriptores in descriptione Canonizationis non meminerint expressè præsentis gloriæ cælestis, saltem non excluserunt, & potius nomine Sanctitatis, ratione subjectæ materiæ & perspecti Ecclesiæ sensus, comprehendisse gloriam censendi sunt.

*Quod aperiè confirmat Bulla Gregorii XV. de B. Petro Alcantara.*

Petes, an Pontifex in definiendis ijs, in quibus est infallibilis, debeat necessario adhibere examen & diligentem inquisitionem præviam, sive in, sive extra Concilium definiat? Resp. Affi. Infallibilitas enim promissa est, non sicuti Prophetis, qui instar calami velociter scribentis divina oracula exprimebant, sed mediante diligentiâ, quæ humano modo pro qualitate rei adhibenda videbitur. Idque ostendit perpetua praxis Ecclesiæ, etiam in Concilijs ac præsente in ijs Pontifice adhibita: semper enim magna disquisitio in ijs præmittitur definitioni, exemplo Concilii Apostolorum *Actor.* 15. Idemque faciunt Pontifices sine Concilio definientes, ultra examina diligentissima insuper indicentes preces publicas, aut jejunia &c. Unde idipsum apertè patet in praxi canonizationis Sanctorum. Et quidem in Bulla Canonizationis interdum exprimunt se confidere, quòd Altissimus eos non errare permittet, allegando quòd omnia examina & diligentias adhibuerint ad inquirendam veritatem. Et planè, si independenter ab humanis diligentijs sint infallibilis; ut quid graviter delinquerent, eas non adhibendo?

107. *An Pontifex debeat definitionibus præmittere examen.*

Unde quod à Nonnullis quæritur, an si contingeret Pontificem sine adhibitis ordinarijs diligentijs processisse ad definitionem, deberet ipsa nihilominus censeri infallibilis; hoc (inquam) procedit ex suppositione impossibili: quia Deus, qui promisit finem seu infallibilitatem, indubitanter non permittet Pontificem non adhibitis medijs ordinarijs seu requisitis procedere. Aliàs sanè possent definitiones Pontificum, etiam cum Concilijs definientem, patere calumniæ, ob prætensum diligentis examinis defectum. Quod si verò constaret, Pontificem interdum parum examen adhibuisse, certum perinde esse deberet, amplius non fuisse requisitum, v.g. ob claritatem causæ aliàs damnatæ &c. Quod si denique possibile foret (quod negamus) Pontificem omittere debitam diligentiam, & tamen definire; adhuc potius censendum foret, infallibilitatem ab examine aut diligentia humana prævia non pendere, quàm definitionem Pontificiam in dubium revocare.

108. *Quid si definiret non præmisso examine.*

Pro fine quæstionis adverte, quòd cùm (ut loquitur *Alexander VII.* Constitut. *Ad Sacram* contra Jansenistas editâ) Nonnulli iniquitatis filii quinque propositiones damnatas in libro *Cornelii Jansenii* non contineri, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere cum magno Fidelium scandalo non reformidarent, idem Pontifex oppositum ibidem expressè definiverit ac declaraverit,

109. *Expenditur Bulla Alexandri VII. definientis quinque propositiones esse damnatas in sensu à Jansenio intento.*

rit, & hoc nomine eumdem librum damnet. Ubi cùm constet de definitione, nequit dubitari de Pontificia definiendi potestate; quantumvis videri posset res facti; at universam concernens Ecclesiam, & redundans saltem in quæstionem juris, quæ dum nequit congruè sine pleno effectu aliàs terminari, vel per factum aliquod posset via eversioni definitæ quæstionis juris parari, cadit quoque per concomitantiam seu cõnexionem quamdam sub potestatem definitivam Papæ. Est planè hic apparet scopus istorum malignantium, per latus scilicet quæstionis facti confodere primariam definitionem Papalem; dum existimantes Pontificem in quæstionibus prætensis facti errasse (quod ipsum tamen ad minus summè temerarium esse debet) pergerent quidquid *Jansenii* libro continetur defendere, veluti quo non contineantur propositiones (quas quodam sensu justè damnatas fatentur) damnatæ, saltem in sensu *Jansenii*. Ob id Pontifex meritò declarat præmissa. Et quidem si rectè attendatur, sensus particularis, in quo propositiones damnantur, est ipsissimum objectum quæstionis juris ac definitionis; nam utique in sensu determinato (cujus declaratio est penes definientem) damnantur sententiæ seu propositiones. Quòd autem exprimatur sensus à *Jansenio* intentus, non ita intelligas velim, quasi *Jansenius* in corde vere senserit, prout scripsit (potuisset enim absolutè contra propriam mentem scripsisse) sed quòd sensus iste sit *Jansenii*, quantùm est ex vi verborum & contextus, quem proinde voluit instar locutionis significare, & cui in mente debebat respondere simile judicium ad hoc, ut censeatur non fuisse mendax aut fallens. Quòd insuper definiantur propositiones in libro (qui ab omnibus noscitur esse *Jansenii*) contineri, vel ex eo esse excerptæ, non mirandum est: cùm id perinde sit, ac si Papa damnationem ad latus singularum in libro positarum adjecisset: Nec dubitandum sit, quin sicut Ecclesia potest etiam sub anathemate definire, in aliquo libro nullos errores contineri (prout de Canone Missæ definivit *Tridentinum*) sic è contrà definire, quòd in Institutionibus v. g. *Calvini*, Libro *Jansenii* &c. tales vel tales errores contineantur. Prout in Concilio Lateranensi damnatur & reprobatur Libellus quem *Abbas Joachim* vir pius edidit contra Magistrum *Petrum Lombardum* de unitate seu essentia Trinitatis; ac determinat Concilium se quoad illam credere cum *Petro Lombardo*. Et (ut alia omittam) etiam in Concilio V. generali in terminis damnantur Scripta *Theodoreti* contra Cyrillum aut Concilium Ephesinum. Estque omnino ad officium Pastoris universalis Ecclesiæ pertinens, non tantùm salutaria pascua à noxiis discernere, veluti in abstracto aut extra subjectum; sed etiam ovibus, ne (quod in promptu esset) decipiantur, declarare, in tali subjecto seu libro has vel illas noxias herbas seu doctrinas, aut è contrà salutares reperiri. Quòd si denique quis nimium contenderet, definitionem prædictam non censendam esse fidei (de quo S. Sedes judicet) sed solùm judicialem declarationem, cui à quovis obediente fideli standum est; adhuc convincerentur malevoli refractarii, qui secùs agunt.

# DISPUTATIO SEPTIMA.

## *De Habitu, & Interno Actu Fidei.*

### QUÆSTIO I.

### *De Habitu Fidei.*

1. *De variis habitum fidei tangentibus remissivè.*

PRÆTEREAQUE Habitum fidei concernentia in antecedentibus sunt explicata, præsertim *Disp.* 1. nimirum quomodo sit supernaturalis & à Deo infusus, nec det facilè, sed simpliciter posse; quando & quo ordine infundatur; quomodo subjectetur in intellectu, non maneat in Beatis & damnatis, maneat autem in animabus adhuc purgatione indigentibus. Idemque est de animabus Patrum ante mortem Christi in lymbo adhuc à Domino peregrinantium. Quomodo denique sit Theologica virtus, maneatque veri nominis, utì Theologica, Virtus, sine Charitate; etsi non formata.

Hâc itaque quæstione de Habitu fidei paucis explicanda restant, quæ in antecedentibus non sunt sufficienter discussa.

2. *Habitus fidei est simplex.*

DICO 1. Habitus fidei est simplex, non compositus ex aggregatione plurium habituum correspondentium pluribus articulis. Est communissima Theologorum sententia, cum *D. Thoma quæst.* 4. *art.* 6. & inclinat *Scotus* 3. *dist.* 24. *q. unic. n.* 21.

*Nonnulla probationes reficiuntur.*

Conclusio non satis efficaciter probatur ex illo *ad Ephes.* 4. *Una fides, unum baptisma.* Nam ibi solùm indicatur esse eosdem fidei articulos, quibus omnes Christiani ob idem motivum credunt, adeoque est sermo de unitate objectiva fidei in omnibus Fidelibus. Non sufficienter etiam probatur ex identitate specifica assensuum fidei: cùm & hi circa varia objecta materialia sæpè disparatissima versentur, adeoque ex parte eorumdem specie distinguantur.

*Melior probatio.*

Rectiùs itaque probatur ex eo, quòd non sit necessitas distinguendi specie partiales habitus fidei: cùm sit idem objectum formale motivum omnium assensuum fidei, ipsa nimirum simplicissima Veritas divina revelans, quæ eodem modo informat omnia credibilia, diverso revelationum modo, si quis intervenerit, per accidens & velut materialiter se habente. Et gratis dissimulato, quòd habitus naturales specificentur etiam ab objectis materialibus (quod Doctores passim negant) id saltem non debet extendi ad supernaturales, qui non generantur ex actibus, nec sunt eorum vestigium, sicut habitus naturales, sed à Deo nobis infunduntur, habentque se instar potentiæ, quæ indifferens est ad actus diversissimos eliciendos, non solùm ratione oppositi modi tendendi (prout diversi sunt assensus & dissensus oppositorum) sed etiam ratione objectorum materialium, quantumvis disparatorum. Propterea parvulus per fidem in baptismo acceptam est habitualiter dispositus ad credendum per illam omnibus fidei articulis. Patet etiam differentia inter fidem & scientias acquisitas, quæ secundùm diversas suas partes nituntur diversis motivis, sive principiis & mediis, possuntque separatim comparari.

3. *Constat habitus fidei gradibus intensivis.*

Notandum tamen, fidem non esse ita simplicem habitum, quasi nullo modo componatur ex partibus intensivis ejusdem speciei; nam fidem intendi posse non est dubium, sicut etiam spes & charitas ita augeri possunt. Ideoque orat Ecclesia: *Da nobis fidei, spei & charitatis augmentum.* Et Apostoli *Lucæ* 17. rogarunt: *Domine, adauge nobis fidem.* Quod quidem augmentum intensivum per Sacramenta & actus meritorios comparatur. Estque adeò hâc ratione fides major in uno quàm in altero. Quod insuper quâdam ratione verificatur in augmento extensivo, quatenus unus plura explicitè credit quàm alius, pro differenti cognitione rerum fidei. Extrinsecè etiam perfectior esse potest, sive ratione adjunctæ charitatis, sive ratione majoris habilitatis, sive denique ratione majoris promptitudinis, quæ provenit aliquando ex carentia vel parcitate tentationum, aliquando ex simplicitate credentis, qui vim rationum fidem perturbare valentium non apprehendit, aliquando ex clariore rerum fidei propositione, divinaque illustratione, quibus accedere potest facilitas ex majori habitu fidei acquisitæ procedens.

*Quaratione fides sit major in uno quàm in alio.*

4. *Distinguitur à speciebus intelligibilibus.*

Ex dictis colligitur habitum fidei distingui à speciebus intelligibilibus, quia illæ multæ sunt & specie distinctæ, deserviuntque ad simplices terminorum apprehensiones judicio fidei prævias. Immo ut assensus supernaturalis fidei eliciatur, non est opus speciebus supernaturalibus: non enim apparet, cur non sufficiant naturales; cùm supernaturalitas assensûs sufficienter fundetur in habitu supernaturali fidei, qui est principium efficiens. Species quoque supernaturales deservire non possunt ad hoc, ut objecta fidei clariùs apprehendantur: nullam enim experimur claritatem in his objectis, sed eodem modo illa apprehendi patet in hæretico ad fidem conversо, qui objectum nunc verâ fide creditum non aliter apprehendit quàm antè. Nolim tamen diffiteri, quin Deus possit infundere species supernaturales, & causare earum concursu conformes apprehensiones sive illustrationes intellectûs prævias.

5. Colligitur II. Habitum fidei non manere in hæreticis; adeò ut si fidelis dissentiret voluntariè & pertinaciter uni solùm articulo revelato, amissurus sit fidem infusam circa omnes alios articulos. Est certa & communis sententia Theologorum, contra *Durandum* 3. *dist.* 23. *q.* 2. *art.* 1.

*Non manet in hæretico, etsi unico articulo discredentibus.*

*Colligitur ex Tridentino.*

Probatur ex *Tridentino sess.* 6. *cap.* 15. ubi ait: *Asserendum est, non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* Quibus verbis docet fidem per infidelitatem, prout est hæresis, simpliciter & absolutè amitti; idque sicut gratia justificans amittitur per quodvis peccatum mortale: unde sicut per hoc pœnitùs amittitur tota gratia justificans, ita & tota fides per quamvis hæresim.

*Scripturâ.*

Probatur II. ex illo *ad Galat.* 5. *Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini.* Et infrà: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Ubi significatur, Christi fidem evacuandam, ejusque totam massam corrumpendam unico isto errore circa observantiam ac necessitatem legis veteris ad justificationem.

Probatur III. ex 1. *ad Timoth.* 1. ubi Hæretici dicuntur fecisse naufragium in fide: quâ phrasi significatur, eos totam fidem perdidisse. Unde *Chrysostomus Hom.* 5. illum locum explicans docet, quòd sicut is, qui naufragium facit, nudus, omnibusque destitutus evadit; ita ille, qui ex fide exciderit, nihil sibi ex virtutibus & donis Dei retineat.

*Et ratione Theologica.*

Probatur denique ratione Theologicâ: tum quia aliàs hæreticus maneret verè fidelis; sicut dicitur absolutè physicus, qui callet plures conclusiones physicas, etsi circa unam vel alterâ erret: tum quia fides amittitur solùm demeritoriè; unicum autem peccatum infidelitatis demeretur amittere totum habitum infusum fidei, uti unum mortale totum habitum charitatis.

6. Nec obstat, quòd possit quis habere scientiam de aliquibus passionibus subjecti & errare circa alias: nam in diversis conclusionibus sunt diversa motiva seu media, quorum unum potest quis cognoscere sine altero; in fide autem omnium articulorum unum est medium, videlicet divina Veritas revelans: & (quod inde sequitur) scientia

*Occurritur objectioni.*

habet

habet diversas specie partes, quarum unam quis potest sine alia habere; fides autem est habitus omnino simplex, adeò ut quilibet gradus ejus extendat se ad omnia credibilia.

Non obstat etiam, quòd lapsus in hæresim adhuc credat aliis articulis ob idem motivum. Nam hoc posito (prout possibile est) solùm credit aliis articulis fide naturali.

7. *Habitus fidei non potest ex parte minui.*

Colligitur denique fidem infusam non posse minui, sed solùm totam perdi. Nam *Tridentinum suprà* supponit tantùm amitti peccato infidelitatis. Deinde peccatum veniale non meretur tantam pœnam. Et si posset per illud amitti pars fidei, tandem posset per venialia multiplicata amitti tota fides, adeoque totum justificationis ædificium funditus everti: quod certissimum est non fieri, nisi per peccatum mortale.

8. *Est simpliciter practicus.*

DICO II. Habitus fidei est simpliciter practicus. Ita *Scotus q. 4. Prologi num. 31.* ejusque Discipuli; etsi plures aliter loquantur, dicentes habitum fidei esse formaliter, partim practicum, partim speculativum; qui tamen in re à nobis non differunt. Patet à fortiori ex dictis in *Proœmio Theologiæ quæst. 5.* de Habitu Theologico, qui est practicus, & tamen habet partes specie distinctas, quarum nonnullæ non possunt proximè & formaliter dirigere praxim, sed tantùm remotè & virtualiter. Declaratur Conclusio: quia fides est habitus aptus proximè dirigere praxim, eamque multiplicem, idque etiam ex suo proprio fine & circa principale suũ objectum, sic ut nulla sit in eo pars intrinseca seu gradus ad id non idoneus, cùm quilibet gradus possit coefficere assensum fidei cujuscumque objecti credibilis, inter credibilia autem sint plurima formaliter practica. Nec refert, quòd objecta quædam fidei sint speculativa, v. g. Deum esse unum & trinum &c. Nam ut habitus simpliciter dicatur practicus, non requiritur omnia objecta esse practica, ut inductione in scientiis factâ patet. Similiter ut sit speculativus, non sufficit, quòd respiciat assensus aliquos speculativos; sed, quòd non sit idem habitus idoneus dirigere praxim. Ut interim taceam, istas speculationes fidei etiam dirigi sub eodem lumine fidei ad praxim, videlicet amoris Dei unius & trini.

*Etsi quædam veritates fidei sint formaliter speculativæ.*

Considerando nihilominus diversos & singulares actus fidei, certum est inter eos reperiri plurimos formalissimè practicos, quibus v. g. credimus colendum & amandum Deum, fugienda peccata &c. alios formaliter speculativos (etsi mediatè & virtualiter praxim dirigentes) v. g. quo credimus Deum esse trinum. Quocirca hanc propositionem, *Deus est Trinus*, speculativam appellavit *Scotus 4. d. 14. quæst. 3. num. 4.*

## QUÆSTIO II.

### *An Actus Fidei Theologicæ sit Discursivus & Liber?*

DICO I. Actus fidei Theologicæ non est discursivus. Ita *Scotistæ & Thomistæ* communiter, quos sequitur *Suarez, Valentia, Coninck, Waggers* & alii communiùs, contra *Vasquez* & varios Recentiores, quorum sententia videtur improbabilis *Tannero disp. 1. qu. 1. dub. 3. num. 73.* Favet *Scotus* communiter citatus *3. d. 24. quæst. unic. num. 14.* 9. *Actus fidei non est discursivus.*

Probatur: quia certitudo discursûs nititur antecedente & bonitate consequentiæ, quæ quidem solâ ratione naturali innotescit: cùm tamen certiùs assentiamur articulo fidei, sine cujus proinde detrimento possemus de bonitate consequentiæ dubitare. *Probatur variè.*

Deinde motivum fidei immediatum est ipsa auctoritas Dei revelantis: motivum autem discursus est medium syllogisticum seu connexio illius cum extremis in antecedente, sic ut divina veracitas tantùm sit motivum mediatũ vel inadæquatum. Propter quod Conclusio discursivè deducta pertinet ad assensum seu habitum Theologicum, qui à fide distinguitur.

Præterea alii contendunt discursum formalem, aut certè (ut Quidam limitant) virtualem hujusmodi (Quidquid Deus revelavit est verum, sed hoc vel illud Deus revelavit; ergo est verum) necessariò intervenire: quod tamen non subsistit, cùm constet sæpissimè nos assentiri propositioni revelatæ absque eo, quòd nobis objectivè proponantur duæ præmissæ, ex quibus assensus fidei à nobis deducatur. Quod manifestius est in fidelibus simplicioribus. Neque ulla repugnantiæ ratio allegari potest. Et quidem si discursus intervenire deberet, potiùs formalem concurrere in nobis credendum foret. At planè, si nil sit, quod ostendat necessitatem discursûs formalis, non est quoque admittendus virtualis: cùm contra hunc similia militent argumenta: cumque parum referat, si discursus in nobis admittendus sit, an formalis sit, an virtualis. Accedit, quòd conclusio Fidei inferretur ex præmissis, vel tamquam creditis fide divinâ; & sic quoad ipsas præmissas recurrendum esset ad anteriorem discursum, & sic sine fine: vel ut cognitis notitiâ naturali; & sic nequit in eis fundari fidei nostræ præeminens certitudo.

Est igitur Prima Veritas revelans ratio credendi simplici modo sine discursu, aut saltem non in virtute discursûs, sed proximè propter Primam Veritatem revelantem, quâ articuli redduntur summè credibiles, sicut lumen est ratio videndi colorem. 10. *Varii discursus suscipiendi fidei præbent.*

Negandum tamen non est, quin soleant varii discursus præparatorii ad susceptionem fidei præcedere; v.g. circa notas Ecclesiæ, eas examinando, atque ex iis conclusiones ad fidem accedentes formando; ut experientia docet in convertendis ad fidem. Verùm assensus principaliter innitentes hujusmodi discursibus non sunt assensus fidei Christianæ, sed ille solus, quo agnitâ ibidem per lumen fidei divinâ veracitate, intellectus articulis assentitur tamquam ab ea dictatis seu revelatis.

11. *Actus fidei est liber.*

Dico II. Actus Fidei Theologicæ est liber. Patet ex *Tridentino sess. 6. c. 6.* dicente, homines disponi ad justitiam, *dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt.* Cui consonans *Augustinus Tract. 26. in Joan.* specificat multa, quæ facere homo potest (ut loquitur) nolens, *credere autem* (subdit) *non potest, nisi volens.* Et *l. de Bono perseverantiæ c. 16. Fides sine voluntate non potest esse.* Et aliis locis. Consonant quoque alii Patres.

Propterea in Scriptura deficientes in fide, utique ex libera voluntate, redarguuntur *Lucæ ult. O stulti & tardi corde ad credendum. Marci 16. Exprobravit incredulitatem eorum.* Ipsa quoque fides nomine obedientiæ insignitur *Act. 6. Multa turba Sacerdotum obediebat fidei.* Ad *Rom. 10. Sed non omnes obediunt Evangelio.* Et *cap. 16. Vestra obedientia* (id est fides) *in omnē locum divulgata est.* Et alibi. Denique *2. ad Cor. 10.* dicitur: *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi*; captivatur autem intellectus per voluntatem, ejusq; est obsequium offerre.

Eadem Conclusio probatur experientiâ, quæ docet objecta sic regulariter proponi Fidelibus, ut dum credunt, possint, quantùm est ex se & virtute motivorum, non credere, sive assensum suspendere. Et in hoc consistit, tum fidei meritum, tum non credentium, dum credere possent & deberent, demeritum.

*Præsertim libertate exercitii.*

Unde consequens est, fidei assensum spectatis etiam & propositis motivis evidentis credibilitatis (quæ in omnibus non est æqualis ratione inæqualis propositionis ex parte objectorum, & capacitatis ex parte subjectorum) esse saltem liberum libertate exercitii. Quare à fortiori est liber quoad exercitium, quatenus in potestate voluntatis est intellectum à motivorum credendi consideratione divertere, & ad oppositа consideranda applicare.

12. *Quâ ratione sit liber quoad specificationem.*

An autem assensus fidei sit liber libertate specificationis, majorem dubitationē habet. Asserunt Plures, Negant alii, præsertim *Scotista.* Verùm satis constat, esse eatenus liberum libertate specificationis, quatenus est in manu voluntatis intellectum divertere à consideratione notarum fidei, & convertere ad difficultates credendi. Quod quidem experientiâ notum est. Immo in his adeò operatur affectus, ut, etiam stante externâ propositione, intellectus de voluntatis nutu instar surdi ad motiva non reflectat, seu ea non ponderet. At si motiva cōsiderentur, eaque evidentiam credibilitatis generent (prout generant, sepositis affectibus librata à personis capacibus) hoc supposito, & absentibus motivis, quæ generent (ut sic loquar) discredibilitatē, adeoque judicij indifferentiam, existimo omnino non esse in potestate voluntatis discredere. Et hoc vult *Scotus 3. d. 25. q. 1. nu. 13.* dicens: *Actus credendi dependet ex duobus scilicet habitu inclināte, & credibili præsentato: non quomodocumque, sed præsentato tamquam credibile: & sic communiter non præsentatur, nisi per doctrinam, & adhuc si sic præsentatur, non necessariò credit intellectus, ut sic credere præcedit velle, quia proponens credibile intellectui non demonstrat, sta ut cogat intellectum ad assentiendum: ideo non credit nisi volens. Quamvis autem voluntas sic habeat imperium super actum credendi, non tamen habet imperium super oppositum actum, stante fide, ut intellectus dissentiat credibili proposito per imperium voluntatis: sed solùm potest impedire intellectum, ne exeat in actum suum credendi elicitum circa credibilia proposita.* *Quâ ratione non.*

Ratio est: quia tali casu non adest motivum discredendi, utì nulla discredibilitas. Nequè est pœnes voluntatem movere intellectū pro libitu, nisi adsit motio ex parte objecti. Aliàs enim posset imperare intellectui, ut sine alia persuadendi ratione judicet astra v.g. esse paria. Ideoque credere non possumus ei, quem judicamus nil adferre fide dignum. Confirmatur: quia non potest quis credere, nisi proponatur res ut credibilis; ergo nec discredere, nisi proponatur res, ut quodammodo discredibilis seu incredibilis; hoc autem non fit, quando objecta fidei proponuntur veluti credibilia evidenter, adeoque citra dubium de credibilitate.

13. *Notanda circa hæreticos.*

Unde Hæretici, supposito quòd sic proponantur & propositi maneant articuli, positivè non possunt discredere. Quod itaque discredant, fit ex eo, quòd sive defectu ingenii, sive defectu attentionis & considerationis, sive ob contrarias incidentias & motiva (quæ iis inhærent) non judicent mysteria sic proposita esse evidenter credibilia. Quòd si etiam interiùs convincantur, dum rectè rem perpendunt, obstinatâ tamen volūtate intellectum à Notarum consideratione, veluti earum obliti, mox avertunt, & motivis suorū errorum toti incumbentes, manent æquè vel magis obstinati.

Fatendum nihilominus plerumque assensum fidei esse liberum quoad specificationem, etiam stante propositione motivorum: eò quòd nimirum non sit perfecta semper evidentia credibilitatis, sive defectu pro-

ctu propositionis, sive defectu capacitatis aut interioris cõsiderationis, propter quod experientia docet fidem articulis propositis plerumque sic adhiberi, ut possit iisdem discredi. Quod signanter patet in hæreticis, qui non obstante propositione sufficienti, ut peccent non credendo, manent in suis erroribus obstinati. Quemadmodum etiam patuit in Judæis ac Gentilibus prædicationi Christi & Apostolorum resistentibus.

14. *Divinitus non repugnat fides necessaria.*

Advertendum tamen prædicta intelligenda esse de fide, qualem nunc elicimus ex motivis credibilitatis, & de potentia ordinata. Non enim repugnat omnipotentiæ Dei causare in nobis mediante intellectu fidei assensum necessarium, ac à voluntate independentem, etiam supernaturalem; ut Doctores admittunt, nec est ratio dubitandi. Talis foret assensus, stante physica evidentia primæ Veritatis & ipsius revelationis elicitus, voluntate impeditâ, quò minùs intellectum aliò divertat.

15. *Motio voluntatis prævia, respiciens considerationem notarum fidei.*

Nunc inquirendum restat, qualiter voluntas concurrat ad assensum liberum fidei. Et in primis *Scotistæ* statuunt positivam voluntatis motionem, quæ in eo consistit, ut ipsa intellectui imperet, quatenus sepositis humanæ sapientiæ rationibus & affectibus seriò investiget ea, quæ mysteria fidei (unde salus nostra dependet) credibilia reddant, quatenus videlicet inde consequatur digna veracitate Dei credulitas. Quæ quidem in convertendis ad fidem reperitur, sæpeque repetitur, maximeque necessaria seu opportuna est, adeò ut aliàs non sit speranda conversio. Unde idcirco Deus *aperuit cor Lydiæ intendere his, quæ dicebantur à Paulo. Act. 16.* quæ consequenter fidem eo prædicante suscepit.

16. *An præterea requiratur positiva volitio imperans directè assensum fidei.*

Præter hanc autem affectionem considerari potest alia, quâ directè voluntas imperet intellectui, ut fidem adhibeat. Et hæc quoque ordinariè saltem adest, præsertim in convertendis ad fidem. Immo pro quotidiano fidei exercitio maximè suadenda est, utpote honestissima ac utilissima, si non necessaria fidei eliciendæ. Multi tamen, præsertim *Scotistæ*, putant eam non esse simpliciter necessariam, sed suppositâ sufficienti propositione objecti, & absentibus aliis impedimentis, sufficere consensum interpretativum, seu non contranitentiam voluntatis. Quod videtur de mente *Scoti dist. 25. quæst. 2. num. 1.* & clariùs *nu. 2.*

*Sententia Scotistarum negans probatur.*

Quamvis nonnulli *Scotistæ* excipiant casum primæ conversionis. Sed inconsequenter: nam suppositis principiis satis determinantibus ad assensum, & stante pariformitate ex parte voluntatis, assentiri posset intellectus in quovis casu: iis autem sepositis, in nullo.

Itaque probatur doctrina *Scotistarum*: quia suppositâ non contramotione voluntatis, videntur motiva credendi habere vim sufficienter determinativam intellectûs, utì habent motiva fidei & opinionis humanæ. Nec per positiuum imperium voluntatis objectum habet majorem rationem veri, atque adeò determinativi, quàm sine illo. Confirmatur exemplo aliarum potentiarum cognitivarum, quarum actus eatenus solùm imperat voluntas, quatenus eis proponit objecta, vel permittit aut detinet eas in objectorum considerationc, quæ alioquin in se habent virtutem determinativam potentiarum ad actum. Nec obstat, quòd affectus credulitatis sit initium fidei juxta *Arausicanum II. can. 5.* nam in primis non significat illum semper requiri aut semper esse initium fidei, sed solùm docet fidem initialem, & ipsum affectum credendi inesse per donum Spiritûs sancti corrigentis voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem. Deinde explicari posset de actu voluntatis sive positivo sive interpretativo. Denique intelligi potest de actu positivo, quo voluntas intellectum applicat & detinet in consideratione motivorum fidei, & avertit ab aliis, non autem de volitione proximè imperante actum fidei pro instanti quo elicitur.

17. *Oppositæ doctrina multùm verosimiliùs probatur.*

Nihilominus contraria sententia requirens ad omnem fidei actum propter revelationem obscuram eliciendum, concursum immediatum ipsius voluntatis per actum positivum, est multùm probabilis. Neque refragatur *Scotus* magìs inclinans in oppositum, cùm *num. 2.* dicat: *Et esto, quòd requiratur motio positiva voluntatis, etiam sufficit voluntas ad sic movendum in priùs naturalibus.* Patet: tum quia hæc sententia est communior: tum quia sic faciliùs apparet, quomodo actus fidei sit proximè liber: tum quia sic clariùs explicatur *Arausicanum*: tum quia videtur favere experientia, cùm appareat nos non solere credere, nisi positivè volendo, & intellectum ad hoc inclinando. Quod proinde etiam ad actus fidei humanæ foret extendendum. Estque differentia inter potentiam visivam & intellectivam, quòd hæc voluntate saltem dissentiente non crederet; sicut tamen ipsa objecto alioquin proposito videret, quantumvis voluntas millies nollet. Ut proinde intellectus in ordine ad credendum ex parte objecti insufficienter appareat determinatus, nisi accedat determinatio ipsius voluntatis; cui consequenter magìs subordinatur, quàm potentia cognitiva externa. Accedit, quòd Deus ita rationabilissimè disponere potuerit, ut supernaturalem actu fidei elici non pateretur, nisi proximè liberum & ratione positivæ volitionis capacem honestatis moralis ac meriti. Denique difficilè explicatur, quî possit mera permissio seu non contramotio voluntatis esse cõditio necessaria ad credendum, quando positiva volitio non foret necessariò requisita; ut fusè ponderat noster *Poncius d. 25. in Comment. n. 271. & seqq.*

18. *Affectus credulitatis specialem honestatem habet.*

Porrò affectus credulitatis sine dubio est honestus ex genere suo. Et hâc ratione in Scripturis & Patribus laudatur specialiter fides, quæ alioquin velut actus intellectûs non haberet moralem honestatem citrà opus ipsius voluntatis. Hæc autem honestas pertinet ad specialem virtutem, non minùs quàm temperantiæ, castitatis &c. tum quia est par ratio: tum quia nullum est inconveniés: tum quia per se apparet dignum naturâ rationali credere Deo, & indignum ipsi discredere, idque ex natura rei & seclusâ cõsideratione aliarum virtutum: adeoque voluntas credendi specialem ex objecto honestatem habet; quamvis alioquin (utì & affectus castitatis &c.) ex motivo charitatis aliarumve virtutum posset imperari. Unde distinguitur virtus ad hunc affectum inclinans (quæ vocari possit virtus moralis fidei) à charitate, studiositate, obedientia &c. Estque affinis virtuti Religionis, vel potiùs species quædam illius. Propter subordinationem tamen fidei ad ipsam, moraliter censetur quid unum cum fide.

19. *Non est in substantia supernaturalis.*

Ex quo colligitur hanc virtutem, & actum ei correspondentem non esse in substantia supernaturalem, præsertim in via *Scoti* non admittentis talem supernaturalitatem in hac vita, nisi in tribus virtutibus Theologicis, earumque actibus. Specialiter etiam supernaturalitas affectûs credendi ex nullo capite sufficienter suadetur: cùm assensus Fidei, utì & Spei ac Dilectionis actus, etsi supernaturales, tamen objectum creatum sint, satisque possint imperari per volitionem in substantia naturalem. Immo affectus iste videri posset respicere assensum fidei præcisè quatenus est actus fidei divinæ, non autem determinatè & præcisè quà supernaturalis; sub qua ratione nimirum non cadit ipse sub experientiam, quæque etsi deesset ob defectum principii supernaturalis, idem adhuc maneret affectus credendi. Præterea si voluntas credendi esset supernaturalis in substantia, etiam judicium præcedens deberet esse supernaturale, ratione proportionis inter cognitionem proponentem & prosecutionem voluntatis; propter quod elici nequeunt reliqui actus supernaturales volûtatis sine prævia directione supernaturali intellectus: judicium autem prædictum non esse supernaturale patet, eò quòd juxta auctoritates, signanter *Augustini Epist.* 105. & *Tridentini sess.* 6. *c.* 8. fides sit initium & radix omnis justificationis, & consequenter statûs supernaturalis. Quod eatenus verificatur, quatenus habitus fidei non præsupponit priorem se habitum supernaturalem, nec actus actum. Deinde si affectum credendi præcederet judicium supernaturale, saltem hoc ipsum præcedere non debet alius actus voluntatis similiter supernaturalis; adeoque supernaturalis actus intellectûs non requirit universim prævium similem actum voluntatis, ne procedatur in infinitum: non constat autem id specialiter requirere actũ supernaturalem fidei.

20. *Sed in modo.*

Sufficit igitur affectum credendi esse supernaturalem in modo, procedereque à gratia actuali; utì & judicium affectioni prævium: & sicut potentia habitibus supernaturalibus instructa indiget gratiis actualibus ad operandum. Idque saltem colligitur ex *Arausicano sup.* ubi tamen est sermo de affectu credulitatis, qui elicitur in principio conversionis, dum voluntas corrigitur ab infidelitate. Generaliter autem colligitur ex auctoritatibus Scripturæ & Patrum, signanter *Augustini*, asserentibus omnia ad vitam æternam conducentia, specialiter initium fidei, esse ex gratia, contra *Semipelagianos*. A quibus non videtur distare *Scotus sup.* ut credit *Suarez. disp. 6. de Fide sect. 7.* Sed graviſſimè fallitur: nam *Scotus* (prout ipsum omnes *Scotistæ* indubitanter intellexerunt, & charitas christiana intelligi præcipit) non negat requiri auxilia gratiæ actualis (quæ alibi satis clarè agnoscit, & de quibus ibi agere non spectabat ad solutionem quæstionis) sed per voluntatem in puris naturalibus intelligit voluntatem carentem dispositione habituali vel auxilio physico defectum habitûs supplente, cujusmodi dispositio supernaturalis requiritur in intellectu ad credendum, ut patet ex *Scoto quæst. 2. cit. nu. 2. V. & ad secundum.*

*Cujus oppositum malè impingitur Scoto.*

## QUÆSTIO III.

### *De Veritate & Certitudine Assensus Fidei.*

21. *Assensus fidei supernaturalis nequit esse falsus.*

DICO I. Assensus supernaturalis fidei Theologicæ necessariò est verus, sic ut per illum credi non possit alicui propositioni, nisi à parte rei revelatæ. Ita communiter Theologi. Et patet ex admissa ab omnibus fidei certitudine ac infallibilitate (de qua statim) cum qua non consistit ejusdem falsitas. Colligitur etiam ex *Tridentino sess. 6. c. 9.* ubi præmisso, quòd *quilibet de sua gratia formidare & timere potest*, subdit: *cum nullus scire valeat certitudine fidei* (defectu scilicet revelationis) *cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Ubi satis apertè supponere videtur veræ fidei certitudinem, eamque talem, cui nõ potest subesse falsum. Similiter *c.* 12. docet neminem debere *certo statuere, se omnino esse in numero prædestinatorum. Nam* (ut postea subdit) *nisi ex speciali revelatione, scirí non potest*, certò scilicet & infallibiliter, *quos Deus sibi elegerit.* Similiter & de perseverantiæ munere *cap. seq.* movet, *ut nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur*; damnans *can.* 16. eum qui *perseverantiæ donum*

*num se certò habiturum absolutâ & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit*: Ex qua aliàs præfata certitudo ex mente Concilii resultaret. Supponit itaque infallibilem esse & absolutam certitudinẽ in rebus & assensu fidei; adeoque non posse subesse falsum. Quod etiam confirmant aliæ Auctoritates postmodum allegandæ.

Ratio efficax difficilè assignatur. Dari tamen potest hæc, quòd ea sit natura actûs supernaturalis, & consequenter habitus infusi fidei, ut non possint inclinari nisi in verum. Id autem convenit actui huic ratione suæ excellentis perfectionis, ratione cujus per se exigit Deum ut propriam suam & specialem causam. Ut proinde non videatur tantus defectus sive macula posse cadere in actum supernaturalem.

Confirmatur: quia fides indubiè est ex essentia sua virtus infusa intellectualis; adeoque ex natura sua elicere non potest, nisi actus determinatè veros. Deinde datur ad perficiendum hominem in statu gratiæ & supernaturali, atque adeò ex natura sua solùm potest conferre ad actus, quibus homo sic perficitur; quales non sunt, nisi actus veri, conformes doctrinæ & disciplinæ cælesti, à qua hauriri debet, quidquid in ordine ad salutem perficit; à quo tamen non procederet, si veræ revelatio Dei non præcessisset.

22. *Objectio I.* Objicitur I. Experientia docet rusticum eodem modo assentiri articulo verè revelato, & alteri non verè revelato, ex instructione Parochi, cui fidem proponenti credere tenetur, etiam dum proponit non revelatum, si absit ratio dubitãdi: ergo utriusque articuli assensum elicit ex concursu fidei infusæ. Nam sanè revelatio non movet, quatenus à parte rei subest, sed quatenus subesse putatur, & intentionaliter in mente subsistit. Ut proinde idem sit planè assensus ex parte objecti, etiam motivi, sive revelatio de facto adsit, sive non, utpote utrobique tendens in rem creditam propter Primam Veritatem in revelando. Nec obstat instantia *Coninck disp.* 10. *dub.* 4. *nu.* 74. urgentis, quòd si crederem dictis Petri, quem puto esse Joannem, magnæ apud me auctoritatis virum, verè crederem Petro, non autem Joanni (quamvis id putarem) utpote nil mihi dicenti. Nam tali casu verè esset assensus fidei humanæ erga Joannem. Quare hinc potiùs infertur in casu objectionis verè esse assensum fidei divinæ.

*Revelatio putata subesse movere potest ad assensum fidei.*

*Qui tamen solùm esset naturalis.*

Resp. itaque Neg. Cons. quia tali casu articulo verè revelato creditur assensu fidei supernaturalis, alteri autem putatitiè revelato assensu fidei divinæ quidem, sed naturalis: quorũ equidem assensuum differentia non cadit sub experientiam. Ad assensum porrò naturalem non concurrit fides infusa, ratione suæ infallibilitatis, & correspondentis in suo actu certitudinis. Unde actus iste erit quidem fidei divinæ seu Theologicæ generatim loquendo, non tamen simpliciter; eò quòd hoc nomine simpliciter posito soleat intelligi fides infusa seu supernaturalis.

Objicitur II. Actus aliarum virtutum supernaturalium (quæ subjectantur in voluntate) possunt vitiari per finẽ extrinsecum; v. g. vanæ gloriæ: ergo & actus fidei supernaturalis potest (ut sic dicam) falsificari. Resp. actus virtutum supernaturalium voluntatis tantùm posse vitiari extrinsecè per quamdam denominationem, sic ut formaliter boni, Deoque accepti maneant. At verò actus fidei in se ipso & formaliter deberet habere vitium falsitatis; non autem solùm denominatione quâdam extrinsecâ. Unde potiùs argumentandum: Actus supernaturales voluntatis non possunt formaliter reddi mali, ergo nec actus supernaturalis intellectus fieri potest falsus. 23. *Objectio II.* *Resp.*

Objicitur III. Actus virtutum supernaturalium possunt versari circa falsum, v. g. adoratio circa hostiam verè non consecratam, misericordia circa pauperem fictum seu putatum talem &c: ergo & fides supernaturalis circa revelationem existimatam. Resp. Dissimulatâ supernaturalitate prædictorum actuum, cum Doctoribus passim Neg. Cons. quia virtus intellectualis versatur circa verum, adeoque circa conforme à parte rei cum objecto; virtus autem voluntatis circa bonum prout per rationem propositum; cujus regulam etiam probabilem aut invincibiliter à parte rei errantem sequendo bene agit voluntas, estque suæ regulæ conformis, non sic virtus intellectualis, cujus regula est veritas ipsius objecti. 24. *Object. III.* *Resp.*

Instabis: Prudentia est virtus intellectualis, & tamen inclinat in falsum, ut patet in Jacob prudenter & tamen cum errore judicante licitum sibi esse accedere ad Liam. Prout etiam erras adorans hostiam, quæ bonâ solùm fide putatur consecrata; qui tamen prudenter judicat illam hostiam sibi esse adorandam. Resp. judicia ista esse falsa, & Prudentiæ utentis (quæ virtus non est) non autem docentis, quæ circa regulas universales versatur; quatenus scilicet infertur ex his præmissis: Licitum est accedere ad suam, hæc est talis: Adoranda est hostia consecrata; hæc est talis. Recta tamen est hujusmodi actio, quia ad hoc sufficit judicium verum aut invincibiliter existimatum tale. Quamvis in similibus casibus posset adesse verum Prudentiæ judicium; sive absque discursu, quatenus positâ notitiâ circumstantiarum, in quibus non occurrit ratio dubitandi, quin v. g. sit uxor, ex terminis satis patet licitè accedi ad talem personam: sive formando præmissas hoc v.g. modo: Licitum est accedere ad eam, quæ 25. *Instantia.* *Responsio.*

hîc & nunc invincibiliter putatur sua, hæc est talis.

26. *Object. IV.* Objicitur IV. Judæus instante Christi natali credens fide supernaturali Christum nasciturum, eumdem actum continuare potuisset Christo jam nato; qui proinde exinde falsus fuisset. *Resp.* Assensum hunc Judæi determinatè respicientem tempus adhuc futurum, non fuisse Fidei Theologicæ, sed conjecturalem; cùm ei non fuerit revelatum determinatè tempus, quo Christus nasceretur: ut proinde assensus fidei tunc debuerit respicere Christum aliquando nasciturum, abstrahendo à differentia futuri temporis, aut certè respicere futuram declarationem Christi nati, seu adventûs Christi, ipso nato factam pluribus, ipso & Joanne prædicante ceteris. Quòd si tamen ex speciali revelatione aliquis hujusmodi assensum fidei elicuisset, is mansisset verus etiam Christo nato, suppositio quòd propositio semper significet idem instans, puta tempus futurum post instans quo primùm elicitur; ut Plures volunt: aut si durante assensu jugiter succedat significatio diversi temporis, puta futuri post instans respectivè præsens (quod putant ij, qui cèsent propositionem contingentem posse transire de vera in falsam) assensus non poterit manere idem, sed necessariò mutabitur insensibiliter, impleto tempore, quod respiciebat ipsa revelatio.

*Resp.*

27. *An assensus fidei possit saltem per accidens esse causa assensûs falsi.* Petes, an possit assensus fidei esse causa assensûs falsi? Resp. propriè & per se loquèdo Neg. ex vero enim præsertim supernaturali, per se non sequitur, nisi verum. Per accidens tamen & impropriè potest quodammodo esse causa assensûs falsi, si videlicet conclusio falsa inferatur ex præmissa fidei, junctâ aliâ falsâ. Nam sic etiam ex primo principio (utì & ex aliis evidentissimis principiis) potest inferri falsa conclusio citra præjudicium suæ perfectionis. Nec est inconveniens, quòd causa ex se bona & perfecta ob consortium causæ vitiosæ sit causa per accidens effectûs vitiosi, & ad eum partialiter concurrat; utì potentia progressiva cum crure vitiato ad claudicationem: potentia generativa cum causa alia malè affecta ad generationem monstri.

*Ipsiusq; falsitatis.* Estque tunc etiam per accidens causa seu occasio & conditio sine qua non ipsius falsitatis; secùs quàm Deus concurrens cum creatura libera ad actum malum, qui nullo modo est causa malitiæ: nam falsitas causatur, quatenus causatur substantia actûs falsi; utpote cui competit falsitas, non quia ab hac vel illa causa, hoc vel illo modo procedit, sed præcisè, quia est difformis objecto: malitia autem consequitur actum, non quovis modo, sed quatenus procedit liberè à creatura contra legem & conscientiam. Propriè nihilominus & per se falsitas in præsenti causatur à connexione non subsistente medii cum extremis in antecedente; qui defectus per se oritur ex præmissa falsa: utì effectus vitiosus in exemplis præmissis per se adscribitur causæ imperfectæ, per accidens perfectæ. Præmissa enim vera ex se inclinans ad verum, ex concursu præmissæ falsæ detorquetur & adhibetur ad falsam conclusionem; quæ quidem falsa est per se ob similem defectum in antecedente, scilicet in præmissa falsa. Sic ex verò testimonio Joannis testantis Petrum occisum ab eo, qui tali tempore fuit ingressus ejusdem cubiculum, & falso testimonio Andreæ testantis solum Jacobum tunc fuisse ingressum, judex erroneè censebit Jacobum esse homicidam: cujus tamen deceptionis non censetur propriè & per se causa testis veridicus, sed alius falsus.

*Quæ sit illius propriè & per se Causa.*

28. *Assensus fidei est certus.* Dico II. Assensus fidei est certus. Ita omnes Theologi. Patet ex verbis *Tridentini prac. Conclus.* relatis. Et consonat Scriptura 2. *ad Timoth.* 1. *Scio cui credidi. & certus sum &c*; utique ex verbo Primæ Veritatis, potentis facere quod dixit. Quæ certitudo etiam apparet manifestè in fide Abrahæ laudatâ *ad Rom.* 4. qui *contra spem* naturæ *credidit* divinæ promissioni futuri seminis, & *non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit Deus potens est & facere.* Ideoque *ad Hebr.* 11. Fides describitur *Substantia* sive existentia *sperandarum rerum*, quatenus fides eas quodammodo nobis præsentes exhibet, dum de iis nos adeò certificat, ac si manibus tenerentur; certiores verò facit, quàm si vel oculis essent conspecta, vel ratione demonstrata; prout ex *Chrysostomo, Theodoreto* & reliquis Græcis exponit *Estius ibid.* Quo sensu Apostolus de Moyse subdit: *Invisibilem tamquam videns sustinuit*; id est, Deum fide intuens tamquam si oculis videret, omnia dura toleravit. Eamdem certitudinem arguit altera descriptionis pars, scilicet *argumentum non apparentium*, sive (ut apud *Augustinum* aliosque veteres Latinos subinde legitur) *Convictio*, vel (quod Græca vox sonat) ostensio ac demonstratio; quia nimirum res, etiamsi sensu aut ratione non comprehensas, tam certò oculis mentis nostræ repræsentat, ac si reipsâ coram positæ essent, utcumque reclamet sensus noster carnalis, ut rectè *Estius sup.*

Accedunt Patres, *Basilius in Moral. Reg.* 80. *c.* 21. *proprium fidei* dicens, quod sit *certissima animi expletio de divinorum verborum veritate &c.* Item proprium fidelis esse, *ut cum ejusmodi certa animi expletione veram esse illorum vim credat, quæ dicta sunt in Scriptura &c. Chrysostomus Hom.* 21. *in Epist. ad Hebr. Neque fides dici potest, nisi cum circa ea quæ non videntur, amplius, quàm circa ea quæ videntur, certitudinem quis habuerit. Bernardus Epist.* 190. post plura in hâc rem contra *Petrum Abailardum* præmissa, *Non est* (inquit) *fides æstimatio, sed certitudo.*

Ratio

Ratio sumitur, partim ex infallibilitate Dei revelantis, à qua objecta etiam aliàs contingentia, quæ ei verè subsunt, sumunt eatenus maximam immutabilitatem; partim ex supernaturalitate ipsius fidei habitualis, vel auxilii supplentis defectum habitûs, & consequenti firmâ adhæsione ad rem creditam.

29. *Immo est certior scientificâ cognitione.*

Dico III. Fides est certior scientificis notitiis. Est etiam communis Doctorum; etsi non omnes conveniant in modo explicandi. Colligitur ex Scriptura: nam ratione summæ certitudinis fidei Apostolus 2. *Cor.* 10. dixit: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, scilicet per fidem. Quo loco vult Apostolus significare, quòd fides efficiat, quòd quis abneget omnem rationem & evidentiam, quæ aliquo modo videtur doctrinæ fidei adversari. Et *ad Galat.* 1. ait: *Licet nos aut Angelus de cælo Evangelizet vobis, præterquam quòd Evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ubi docet nobis ita adhærendum rebus fidei, ut nulla ratio vel auctoritas quâtumvis gravis ab iis credendis possit nos dimovere.

Accedunt Patres, *Chrysostomus & Basilius præc. Conclus.* relati. Adde aliud ejusdem *Basilii* in illud *Psal.* 115. *Credidi propter quod locutus sum*, dicentis, *fidem invitare animum, immo & persuadere ad consensionem præ cunctis rationalibus methodis.* Item illud *Augustini* l. 7. *Confess.* c. 10. *Audivi . . . . . & non erat prorsus unde dubitarem, faciliusq; dubitarem vivere me, quàm non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt intellecta conspicitur.*

Ratio sumitur ex summa infallibilitate motivi fidei, quod est Summa veritas revelans, cuique magis implicat subesse falsitatem, quàm mediis creatis aut lumini naturali, quibus aliæ cognitiones nituntur; cui accedit infallibilitas ipsius habitûs infusi, qui nequit efficere assensum non subsistêti revelationi innixum. Huic porrò certitudini cognitionis adjuncta est pariformis certitudo adhæsionis, quæ tanta est, ut fidelis paratus esse debeat, prout etiam paratus est, negare potiùs veritates, quantumvis appareant evidentes, quàm dimoveri à credendis iis, quæ per Ecclesiam credenda proponuntur.

30. *Cur magis vacillamus incidentibus subjectus, quam assensus evidens.*

Fatendum nihilominus fidem esse subjectam incidentibus dubitationibus (quas tamè Fidelis voluntariè fovere nequit) & tentationibus contrariis, quibus ipsa interdum subvertitur de consensu voluntatis; idque ratione inevidentiæ, quam motiva credibilitatis non causant, ideoque intellectum non cogunt, sicut medium scientificum: quamvis sint talia, ut mysteriis ita propositis prudenter adhiberi possit & debeat firmissimus ac summâ veracitate dignus assensus, atque adeò cum firmitate (ut sic dicam) appretiativâ veritatum fidei ob respectum divinæ auctoritatis revelantis, cujus nomine & tamquam dicta ejusdem adeò credibiliter proponuntur. Unde hæc firmitas adhæsionis roboratur per piam affectionem, ac insuper divinam motionem.

Dices, saltem assensus hujus disjunctivæ, *Deus est Trinus, vel non est Trinus*, appareret certior assensu fidei de hac, *Deus est Trinus*; idque ratione evidentissimi principii: *Quodlibet est vel non est.* Resp. Neg. Ass. Certitudo enim prioris assensûs solùm est naturalis, at certitudo & necessitas objecti fidei est sublimior, ut pote fundata in veracitate Dei. Neque principium allegatum quatenus naturaliter evidens, est fundamentum fidei: non enim ideo assentior determinatè uni parti, & dissentio parti contradictoriæ, quòd lumen rationis ostendat Deum non posse simul esse Trinum & non Trinum, sed alterutrum tantùm; verum quia Deus revelavit veritatem hujus, Deus est Trinus; hoc ipso autem simul revelavit falsitatem contradictoriæ.

31. *An disjunctiva ex cõtradictoriis sit certior unâ parte revelatâ.*

## QUÆSTIO IV.

### *An Fides actualis sit ad salutem Necessaria?*

Suppono fidem actualem non esse necessariam ad salutem parvulis baptizatis ante usum rationis morientibus: hi enim fidei actualis incapaces salvantur per fidem, spem, & charitatem habitualem seu gratiam in baptismo acceptam. Quam non nisi novo peccato mortali (cujus sunt incapaces) possunt amittere. Qui etiam susceptobaptismo, etsi actum credendi non habeant, inter fideles computandi sunt juxta *Tridentinum sess. 7. can. 13. de Baptismo.* Idem est de adultis in infantia baptizatis, qui antequam committant peccatum mortale, ex hac vita decedunt, etsi nullo actu fidei elicito, ratione invincibilis ignorantiæ aut inadvertentiæ. Quæstio itaque est de adultis peccatoribus, qui ut salvi fiant, debent per actus proprios se disponere ad justificationem.

32. *Qui salvari possint sine fide actuali per habitum.*

De his porrò certa doctrina tradit actum fidei supernaturalis eis esse omnino necessarium necessitate (quam vocant) medii ad justificationem, & per consequens ad salutem. Pro quo

33. *Adulto peccatori fides actualis necessaria est necessitate medii.*

Nota necessarium censeri necessitate medii, sine quo finis, v. g. justificatio & salus, obtineri omnino nequit, saltem de lege ordinaria, quantumvis inculpabiliter omittatur: necessarium autem necessitate præcepti esse, ad quod ex præcepto quis obligatur, peccaturus, & gratiam, si habet, amissurus, si culpabiliter non impleat. Unde quod excusat ab obligatione præcepti (uti ignorantia invincibilis, vel impotentia) tollit quoque hanc necessitatem, sic saltem, ut non

*Qui necessitas distinguatur à necessitate præcepti.*

ut non noceat, etsi non impleatur. Secùs est, dum est necessitas medii. Unde parvulum in utero morientem non juvat baptismi impossibilitas, ut non damnetur.

34. *Probatur assertio ex Scriptura.* Probatur Assertio ex Scriptura, ad *Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo.* Ubi est sermo de adultis eorumque fide actuali; de qua mox subditur: *Credere enim oportet accedentem ad Deum.* Cujus quoque fidei exempla de Abel, Enoch, Abraham & aliis antiquis Patribus profert Apostolus, per ea necessitatem credendi in ordine ad placendum Deo confirmans. Quam necessitatem etiam alibi inculcat. Probatur II. *Tridentino.* ex *Tridentino sess. 6. c. 6.* ubi requirit fidem ut dispositionem ad justificationem. Et *c. 7.* vocat Baptismum Sacramentum fidei, *sine qua*, inquit, *nulli umquam contigit justificatio.* Et *c. 8.* ait: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* *Et consensu Patrum.* Probatur III. ex communi consensu Patrum. Nobis sufficiat illud *Augustini Serm. 38. de Temp. Fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire; quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis exequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.* Plura alia testimonia *Augustini, Irenæi, Basilii, Ambrosii & Leonis* vide apud *Valentia disp. 1. de fide q. 2. punct. 2.*

35. *Sententia opposita refertur & censuratur.* Oppositum tenuit *Soto l. 2. de Gratia c. 11.* primæ Impressionis Venetæ (ipso teste in seq. Edit. in qua idem retractat) censens adultos, quibus numquam Evangelium est prædicatum, posse justificari solâ cognitione Dei naturali, si habeant supernaturalem actum amoris Dei. Immo nec hunc requirit *Vega l. 6. in Tridentinum c. 20.* Quorum doctrina acriori censurâ notatur à Theologis; adeo ut *Suarez disp. 12. sect. 2. n. 5.* dicat esse errorem in fide, Alii dicant esse hæreticam. Pro quibus nihilominus.

*Scripturam adstruere necessitatem fidei majorem quàm baptismi unde colligatur.* Dices I. Scriptura urgens necessitatem fidei posset intelligi de necessitate in re aut voto; prout constat intelligendam Scripturam, quæ inculcat necessitatem Baptismi *Joan. 3.* Resp. Neg. Ass. nam modus loquendi, junctus dictis Conciliorum & Patrum, omnino id convincit de fide; non autem de baptismo, quem in necessitate posse suppleri per contritionem charitate perfectam ipsamet Ecclesia & Patres conformiter ad alias Scripturas declarant. Nec apparet, quis actus assignari posset, ut suppleret instar voti defectum omnis fidei, quæ est initium & fundamentum omnis justificationis.

36. Dices II. Apostolus *ad Rom. 1.* dicit Philosophos justè esse damnatos, eò quòd cùm naturaliter cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt: ergo secundùm Apostolum habuerunt sufficientem cognitionem ex naturalibus ad glorificandum Deum; prout oportuit ad salutem. *Philosophi gentiles non fuerunt sufficienti notitia prediti ad glorificandum Deum salutariter.* Resp. Neg. Cons. Apostolus enim tantùm docuit, quòd Philosophi illi per cognitionem naturalem potuerint honorare Deum, & idololatriam, ac cetera vitia cõtra naturam deserere; quod quia non fecerunt, posuerunt impedimentum gratiæ ulteriori, & traditi sunt in reprobum sensum. Vide *Estium in d. cap.*

37. Dices III. *Ad Rom. 2.* dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Et immediatè præmissum erat quòd *factores legis justificabuntur*: ergo illa cognitio naturalis poterat sufficere ad justificationem. Resp. Neg. Cons. Nam intelligendo hunc locum cum *Cajetano* & aliis de Gentibus fide carentibus, non significat Apostolus, Gentes omnia quæ legis sunt, sive totam legem naturalem implevisse, sed aliquid ex lege: & hoc sufficiebat ad intentum Apostoli, ut nimirum ostenderet legem naturalem esse scriptam in cordibus hominum, & non esse opus lege scriptâ. Unde quod præmittit, factores legis esse justificandos, necessariò consequenter intelligi debet de iis, qui totam legem per gratiam Dei adeòque non sine fide observant. Intelligendo autem cum *Augustino* variis locis, *Prospero, Fulgentio* (quos sequitur *Sasbouth*, *Estius* aliique complures) de Gentibus fide imbutis, sive Christi adventum præcesserint, sive secuti sint, manifestum est, non excludi fidem & gratiam mediatoris, sed solùm legem scriptam, sine cujus adminiculo Gentes legem implent naturaliter, id est, ex natura per gratiam reparata (ut exponit *Augustinus lib. de Spiritu & Litt. c. 27.*) adeoque duce lumine naturalis rationis, junctâ gratiâ fidei, absque magisterio Legis scriptæ. Et hoc modo factores legis justificantur, partim justitiam primam comparando, partim augendo, partim (quod juxta *Augustinum* est scopus Apostoli) faciendo, ut justi judicentur & habeantur apud Deum. *Explicatur illud Apostoli ad Rom. 2. Gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.*

*Qui non desint infidelibus auxilia sufficientia, remissive.* Dices IV. Hinc sequeretur, ignorantibus invincibiliter mysteria fidei deesse media sufficientia ad salutem. Resp. Neq. Seq. qualiter autem his ex bonitate Dei media sufficientia non desint. Vide *Tract. de Grat. disp. 3. q. 5.* Dico, *Ex bonitate Dei*: nam justè potuisset illos Deus sine omni medio in barathro culpæ derelinquere, etsi ex misericordia cupiat etiam hos salvare.

38. Dices V. Potest quis per dilectionem Dei super omnia, vel perfectam contritionem salvari: hanc autem posset quis elicere cum gratia Dei, etsi præcedat sola notitia naturalis Dei summè boni, & per peccatum offensi. Resp. posse peccatorem salvari per actum dilectionis & contritionis perfectæ, sed supernaturalis: hunc autem elicere nequit de lege ordinaria sine prævia directione fidei supernaturalis, ut patet *Actus voluntatis supernaturalis præexquirit actum fidei supernaturalis.*

*pernaturalis de lege ordinaria.*

patet ex Scriptura & *Tridentino* relatis, ubi indubiè est sermo de fide supernaturali. Congruentia est, quòd cùm justificatio sit adoptio in statum supernaturalem filiorum, deceat præcedere supernaturales dispositiones in intellectu & voluntate, per actus fidei, pœnitentiæ; quodque actus voluntatis supernaturalis ut condignè & supernaturaliter in objectum tendat, exigat proportionatam tendentiam & propositionem ex parte intellectûs.

39. *Etsi non repugnet de potentia absoluta, aliquem sine fide supernaturali justificari.*

Dixi, *de lege ordinaria*: nam non apparet repugnantia, cur si Deus omnipotens vellet, non posset in primis adultus justificari sine fide supernaturali, utì & sine proportionato actu voluntatis. Deinde cur requisito actu voluntatis supernaturali, non posset is absolutè elici sine prævio actu supernaturali intellectûs. Congruentia enim allegata procedit, suppositis revelatis, nec alioquin negans per illam convinceretur. Denique etsi foret necessarius actus supernaturalis intellectûs, posset absolutè dari quædam supernaturalis cognitio Dei distincta à fide.

40. *Opinio asserens sufficiere de facto notitiam gratuitam ex creaturis hauftam refertur.*

Immo *Ripalda* apud *Lugo d. 12. de fide sect. 1.* fusè disputat pro ea doctrina, quòd de facto fides strictè dicta fundata in revelatione Dei non requiratur ad justificationem, sed possit sine ea justificari quis per notitiam Dei hauftam ex creaturis (quam gratuitam & supernaturalem censet) & consequentem amorem supernaturalem Dei. Et quamvis fateatur se nil definire, satìs tamen (inquit *Lugo*) indicat quantum in sententiam illam propendeat, & quantùm probabilitatis ei tribuat.

*Rebrobatur.*

Nihilominus ipse *Lugo sup. & sect. 2.* meritò illam refutat, & argumenta *Ripalda* fusè solvit. *sect. 3.* Breviter autem refutatur ex eo, quòd Scriptura & Concilia manifestissimè loquantur de fide strictè dicta. Quæ communis est istius vocis, etiam in Ecclesiasticis Conciliis & Scriptoribus, usurpatio. De ea (inquam) loquuntur, quam peccatores *ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt*, ut loquitur *Tridentinum sess. 6. c. 6.* explicans dispositiones ad justificationem.

## QUÆSTIO V.

## *Quorum Fides sit Necessaria necessitate Medii?*

41. *Quæ fides explicita, quæ implicita.*

NOTA I. Fidem mysteriorum, aliam esse explicitam, quâ nempe cognoscuntur ipsa in terminis, seu secundùm se; v.g. Deum esse unum in natura, trinum in personis, Christum esse natum &c: aliam implicitam, quâ cognoscuntur mysteria non secundùm se, sed tamquam involuta seu contenta in alio, v.g. in aliqua ratione generali. Sic cùm explicitè creditur, quidquid dixit Dei Filius, quidquid credit Ecclesia, quidquid continetur in Scriptura &c, implicitè creduntur omnes particulares veritates à Christo revelatæ, ab Ecclesia creditæ, in Scriptura contentæ &c. In ipsa quoque fide explicita sunt gradus: nam alia est confusa, alia distincta. Una quoque est confusior vel generalior alterâ: una distinctior alterâ.

42. *Notandum curatoribus animarum pro praxi in præsenti materia.*

Nota II. Curatores animarum indubiè obligari ad instruendos homines in omnibus iis, quæ juxta probatorum Auctorum sententias sunt necessaria scitu necessitate medii. Etsi enim juxta aliorum probabiles doctrinas pauciora requirantur, indeque proveniat solamen aliquod de possibili salvatione pleraque ignorantium, liberiorque dissimulatio circa confessiones & absolutiones præteritas cum ignorantia hujusmodi peractas: tamen si reverà rigidiores sententiæ sint veræ, probabilitas laxiorum non proderit, quin ignari maneant sine justificatione, atque adeò salute. Et planè longè utiliùs instituerentur coram plebe, etiam in oppidis sæpè parum instructâ, Conciones catechisticæ, quàm aliæ, in quibus subtilizantur loca Scripturæ, & conceptus ac discursus captum plebis excedentes proponuntur; prout tamen frequenter fieri videmus. Prædictæ porrò obligationi satisfiet, si curent sibi commissos instrui in iis, quæ noscuntur esse scitu necessaria, saltem necessitate præcepti, quibus abunde continentur quæ vel probabiliter sunt necessaria necessitate medii. His Notatis.

43. *Fides explicita Dei semper fuit omnino necessaria.*

Certum in primis esse debet, fidem explicitam Dei, sub ratione ei propriâ & à creaturis distinctivâ, puta Entis increati, ceterorum Creatoris, fuisse omni tempore necessariam: numquam enim potuit adultus justificari, nisi accedendo ad Deum pro venia, idque per dilectionem Dei aut pœnitentiam. Et hâc ratione generaliter verum est, quod ait Apostolus *ad Hebr. 11. Credere oportet accedentem ad Deum quia est.* Quare constat, fidem omnium illorum esse necessariam, circa quæ versari debeat actus voluntatis necessariò prævius ad justificationem. Ad hanc porrò extra Sacramentum requiritur per se loquendo contritio perfecta, quæ videlicet est detestatio peccati tamquam supremi mali, seu quatenus est offensa Dei tamquam Summi boni; adeoque exigitur notitia de peccatis, quòd sint offensa Dei, quodque is peccatis offendatur. Attamen quia pœnitentia formalis non ita quovis casu est necessaria, quin sine ea posset quis justificari per amorem Dei super omnia consequenter in casu extraordinario videtur (ut Varii advertunt) fieri potuisse, quòd quis ignorans Deum peccatis offendi (utì si esset peccatorum immemor) si cum gratia Dei eliceret

eliceret amorem Dei super omnia, justificaretur, adeoque salvaretur sine prædicta notitia. An autem id aliquando factum sit, certò asseri non potest: quinimmo credibile est, quòd non: perfecta enim & supernaturalis dilectio Dei super omnia actus est adeò rarus & arduus ut non sit natum, eam reperiri in animabus adeò imperfectis ac ignorantiæ barathro immersis: etsi manus Domini potens id præstare posset, si velit.

44. *Fides explicita remunerationis in altera vita semper necessaria fuit.*

Secundò communiter admittitur, necessariam esse explicitam fidem Dei remuneratoris, juxta illud Apostoli suprà: *Credere oportet, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, sive fit. Ubi planè est sermo de remuneratione futuræ vitæ (in qua etiam innotescit providentia Dei nostra curantis, utpote præmiatoris bonorum & vindicis malorum) ad quam (ut ex contextu satis apertum est) aspiciebant Patres ibibem specificati: quos omnes docet salvatos per hoc, quòd Deum inquirerent fide vivâ, præ oculis habentes ipsum Deum ejusque remunerationem. In qua proinde continetur etiam fides alterius vitæ post hanc. Estque moraliter loquendo necessaria omnino hujusmodi notitia: ad perfectum enim gradum dilectionis justificantis non pervenitur regulariter, nisi aliquando saltem & in principio mediante notitiâ & spe melioris vitæ futuræ, nec sine ea stabiliter quis Deo placebit. Quamvis juxta *Arriaga disp. 12. sect. 4. n. 27. & seqq.* & alios, non requiratur expressa istius objecti fides in omni casu physico & in omni accessu ad Deum; utì sanè non solùm in justificationis augmento, sed etiam in quotidiana reconciliatione peccatoris satis de hoc instructi interdum contingere posset, ipsum accedere ad Deum procedendo ad actum contritionis sine prævio actu spei aut propositione objecti ejusdem. Quare videtur *Arriaga* simpliciter id quoque posse accidere in casu raro, quo quis ante propositam fidem de hoc puncto, post sufficientem tamen instructionem (quæ successivè & per partes fit) de bonitate summa Dei per peccata offensi, prorumperet in actum perfectæ dilectionis & contritionis. Ut proinde ex subjecta materia colligatur ab Apostolo quidem semper requiri fidem explicitam Dei, non tamen sic explicitam remunerationis, quin in casu raro sufficiat implicita. Cujus nihilominus, fides explicita manet in præcepto, adeoque debet sciri & credi. Sicque est necessaria necessitate medii latè dictâ, quatenus est medium ad justificationem conducens, immo præceptum, cujus proinde nolcendi & credendi manet etiam post justificationem directa obligatio.

45. *Fides mediatoris explicita, an vel qualiter*

Tertiò fidem explicitam mediatoris omni tempore fuisse necessariam, Plurimi putant: aut saltem à tempore legis Mosaicæ, ut Nonnulli restringunt, adeoque à fortiori tempore legis Evangelicæ. Immo hoc tempore necessariam esse notitiam Incarnationis Christi, quòd scilicet Deus homo factus, suâ passione & morte nos redemerit à peccati servitute tenent multi Doctores, etiam recentiores, idem extendentes ad mysterium Sanctissimæ Trinitatis, veluti cujus notitia explicita habetur vi notitiæ Incarnationis. Pro qua sententia etiam referuntur *Alensis, D. Bonaventura, D. Thomas, Scotus*, & alii; qui tamen loquuntur vel explicari possunt de necessitate præcepti. *ante legem novam necessaria.*

In hac re recenseo omni tempore fuisse necessariam fidé mediatoris saltem ex præcepto; utì juxta omnes post promulgationem Evangelii necessaria est notitia Trinitatis, Incarnationis, & Passionis Christi. Est enim communis sententia. Nam propterea nil adeò insitum fuit ab initio usque modo Judæis, quàm notitia venturi aliquando Messiæ. Quam quidem notitiam hauserant ex Patribus per traditionem. Eademque traditio videtur ab Adam, Henoch & Noë (quibus revelatus fuit Messias) ad alias quoque extra Hebræos familias Deum colentes traducta, aut per Judæos communicata; aut si qui extraordinariè fuerint in fide unius Dei instructi, pariter videtur fuisse instructi in hoc mysterio tamquam scitu necessario, utpote capitali pro statu naturæ lapsæ, cujus Messias est recreator, utì Deus hominis integri, totiusque mundi creator. Quo sensu intelligi potest *Augustinus 18. de Civit. c. 47.* ubi agens de iis, qui olim ex Gentibus salvati sunt, ait: *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus &c.* Ubi non tam asserit absolutam necessitatem medii, quàm quòd de facto nullus fuerit etiam in isto statu justus sine fide explicita mediatoris.

46. *Illo tempore non fuit necessaria fides explicita Incarnationis aut Trinitatis.*

Nullatenus tamen debuit, etiam tempore Legis veteris, haberi notitia explicita incarnationis aut divinitatis vel passionis & mortis Christi. Idemque est de mysterio Trinitatis. Non enim fuit hujusmodi notitia ex natura rei necessaria, ut patet: nequè etiam ex positiva ordinatione Dei; quæ non satis ostenditur. Immo ostenditur potiùs oppositum: cùm plerique Judæi, præ ceteris Dei cultoribus magis instructi, ista mysteria planè ignoraverint, exceptis paucioribus illuminatis Patriarchis aut Prophetis: neque in veteri Testamento fuerint satis expressa aut promulgata, ut populus communiter posset aut certè teneretur ea credere.

*Locus Nazianzeni elucidatur.*

Nec obstat *Nazianzenus Orat. 20. de SS. Machabæis in init.* dicès, quod *ratio omnibus Dei amatoribus valde probabilis est, neminem eorum, qui antè Christi adventum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse*, seu (ut habet Versio *Jacobi Billii*, & consonat Versio *Billibaldi Pirckheymheri*)

*heymberi) id citra Christi fidem esse consecutum.* Nam etsi loquatur de fide explicita Christi, eam tamen non requirit tamquam mediũ generaliter & ommino necessarium: quia loquitur ibi de solis martyribus, de quibus dicit probabile esse, quòd sine fide in Christum nemo veterum sit de facto martyrium consecutus. *Quamquam enim* (utì subdit) *Verbum suo posteà tempore liberè promulgatum est; puris tamen animis etiam antè innotuit: quemadmodum ex multis, qui ante ipsius nativitatem honoribus affecti sunt, liquidò perspici potest.* Ubì hanc prærogativam facit peculiarem excellentioribus quibusdam & puris animis.

47. *An casu raro potuerit obtineri justificatio sine fide explicita mediatoris.*

An autem explicita fides Mediatoris sub generali saltem conceptu mittendi à Deo, qui mundum Deo reconciliet, fuerit semper ideo necessaria omni casu, ut invincibiliter id ignorans non potuisset justificari per fidem unius Dei, non ita constat: cùm Plures existiment fuisse ita necessariam: Alii è contrà negent, non sine fundamento, eò quòd onus oppositum non satìs videatur probari, utì deberet: & aliunde fides Dei propositi tamquam summi boni per peccata offensi videatur posse sufficere ad contritionem cum gratia Dei, quam fuisse negandam generaliter omnibus ignorantibus venturum mediatorem gratis videtur asseri.

48. *In lege nova fides Incarnationis & Trinitatis est necessaria.*

At tempore Novæ Legis satìs apud omnes constat, esse saltem præceptam omnibus notitiam fidei explicitam de prædictis mysteriis, veluti quæ sunt capitales articuli fidei Christianæ; cujus auctor est Christus, cujusque corpori inserimur per baptismum in nomine Trinitatis collatum. Suntque adeo primi articuli, quos Apostoli & prædicatores fidelibus annuntiant, quique tantâ sollicitudine omnibus à pueritia inculcantur. Unde cùm sit fides eorum præcepta, & per se loquendo initiandis ante omnia proponantur, sitque adeò prærequisitum per se loquendo medium ad justificationem, quæ si casu raro obtenta sit, adhuc debent nihilominus illa addisci & sciri, sicque præcedit eorum fides saltem in voto (quod aliis præceptis non convenit, ut patet) idcirco possent alci necessaria necessitate medii saltem latè dictâ, ut notat *Lugo d. 12. sect. 3. num. 106.* quamquam id pertineat ad modum loquendi.

49. *An in omni casu etiam invincibilis ignorantia.*

At verò sint ita scitu necessaria necessitate medii, ut si quis invincibiliter ea aut eorum aliqua ignoret, instructus tamen fide sufficienti ad inquirendum Deum pro venia peccatorum, non possit justitiam consequi, est dubium. Fieri enim posse, ut quantumvis constet notitiam prædictam non esse necessariam ex natura rei ad contritionem & dilectionem perfectam, Deus tamen nolit aliàs dare gratiam pœnitendi aut diligendi. Sed quia hoc durum videtur, & sine valde urgenti fundamento (quod difficulter assignatur) non debet restringi gratia Dei, aut ampliari necessitas, tam peremptoria præsertim, sciendi explicitè tot puncta, non sine verisimilitudine docent noster *Michaël Medina, Suarez, Turrianus, Lugo d. 12. sect. 4. num. 91.* & plures alii, posse per accidens in casu raro justificari inculpabiliter ignarum prædictorum mysteriorum. Maximè cùm contingere queat ob penuriam temporis, non posse instructionem de omnibus adhiberi periclitanti v. g. de vita, cui tamen propositâ æternitate instante, Deoque optimo per pœnitentiam sibi reconciliando, non sit credendum denegari gratiam pœnitendi.

Accedit, quòd nonnulli adeò rudes sint, ut videantur incapaces percipiendi mysterium Incarnationis, & maximè Trinitatis. De quibus saltem non dubito, quin possint iis non cognitis justificari per fidem eorum implicitam: cùm tales eatenus sint redigendi ad ordinem carentium usu rationis.

*Notitia Trinitatis non necessario connectitur notitiæ Incarnationis.*

Insufficienter quoque necessitas medii quoad mysterium Trinitatis à quibusdam infertur ex mysterio Incarnationis: nam posset simpliciter sciri Deus homo absque notitia trium personarum: utì & sciri, quòd Filius Dei sit factus homo, absque notitia Spiritûs sancti.

50. *Opinio distinguens inter necessitatem ad justificationem & necessitatem ad salutem refutatur.*

Infundatum quoque est, quod *Bannez* & nonnulli alii docent fidem explicitam hujusmodi mysteriorum, non quidem requiri omnino necessariò & omni casu ad justificationem, tamen ita requiri ad salutem. Nam sic justificati indubiè salvarentur, si in justitia perseverantes morerentur; quod veluti de fide non possunt hi Doctores negare, utì neque negant (ut hinc proinde eorum sententiam Nonnulli frustra oppugnant) gratìs autem dicitur, quòd Deus nõ permitteret quemquam hujusmodi mori in gratia, nisi instructum priùs in istis mysteriis: præsertim cùm contingere posset hujusmodi justificatio in persona morti aut privationi usûs rationis vicinâ.

51. *Exemplum Cornelii Centurionis expenditur.*

Nec refert, quòd Cornelius centurio jam justificatus esset ante prædicationem Petri: *Sed* (ut ait *Augustinus lib. de Prædest. Sanct. cap. 7.*) *si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus*; ergo &c. Nam juxta varios Patres & Doctores Cornelius non erat perfectè justificatus, sed solùm justitiâ quâdam morali præditus, sicque cessat intentum *Bannez*. Dicendo autem cum aliis Patribus & Doctoribus passim (quod credibilissimè dicitur) eum jam fuisse justificatum, adhuc tamen indigebat instructione in fide explicitâ Christi, quæ in nova lege per se requirebatur, & ex tunc cœperit obligare in ista

in ista regione, ut advertit Alensis 3. parte quæst. 82. Memb. 4. art. 2. Et constat ex verbis Petri Act. 10. *Vos scitis, quod factum est verbum per universam Judæam &c.* Unde Petro non veniente, facilè potuisset Cornelio advenire ignorantia vincibilis, & damnatio, cui præcavendæ serviebat instructio Petri.

52. *Variæ Scripturæ explicantur.*

Variæ quoque Scripturæ ex *Joan. 3. & 11. Act. 16. ad Rom. 3. &c.* allegantur ad probandam absolutam necessitatem medii quoad fidem explicitam Incarnationis & Passionis Christi. Verùm partim solùm significant credentes explicitè in Christum salvari per istam fidem, non negantes, quin etiam inculpabiliter eâ notitiâ carentes salvari queant: partim excludunt non credentes à salute, id est, qui increduli sunt mysteriis Christianis propositis, adeoque loquuntur de iis quibus fides Christiana satis innotescere potuit: partim loquuntur de fide Christi, non tamquam objecti, sed tamquam causæ meritoriæ, quatenus omnes salvantur per fidem, quæ datur ex meritis passionis & sanguinis Christi: partim possunt intelligi de necessitate præcepti, seu medii latè dictâ.

53. *Loca Augustini videntur adstruere necessitatem fidei explicitæ de mysteriis Christi pro quovis tempore.*

Difficultatem præcipuam faciessunt dicta *Augustini* variis locis inculcantis necessitatem omnimodâ fidei explicitæ in Christum Deum hominem, sive ejus incarnationem, mortem & resurrectionem; ut *l. 2. de Gratia Christi*, qui est *de peccato Originali cap. 24. Epist. 89.* & alibi. Quæ tamen loca si quid probant, videntur nimiùm probare contra ipsos objicientes, scilicet fidem explicitam prædictorum objectorum fuisse pariter necessariam omni tempore, etiam ante Christum & Moysen, ut ex tenore verborum clarum est: quod tamen communissimæ doctrinæ repugnat; cùm nemo fidem adeò explicitam prædictorum mysteriorū censeat fuisse necessariam omni tempore necessitate medii, immo nec præcepti. Necessitas autem moralis fidei explicitæ Mediatoris ut sic, libenter à nobis conceditur, immo & prædictorum mysteriorum pro nova lege.

54. *Ejus intentum expenditur.*

Videtur porrò intentum potissimum *Augustini* fuisse, contra *Pelagium* inculcare in primis, quomodo in omni mundi ætate seu tempore salus fuerit ex gratia Christi, ac meritis & efficaciâ incarnationis, passionis ac resurrectionis ejus; ut apparet vigilanter attendenti, quæ habet *l. de Peccat. Originali c. 24. & seqq.* Agit enim de re tamquam fide certâ: *Sine fide ergo* (inquiens *c. 24.*) *incarnationis & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, veritas Christiana non dubitat.* Veritas autem Christiana nil indubitanter statuit de hujusmodi fide explicita, sed de necessitate fidei & gratiæ per Christum omni tempore; quod in *Pelagio* redarguens *Augustinus c. 26.* inquit: *Non igitur, sicut Pelagius & ejus discipuli tempora dividamus, dicentes primùm vixisse justos homines ex natura, deinde sub lege, tertiò sub gratia*; supple, Christi. Deinde vult *Augustinus* doctrinam de necessitate Mediatoris ejusque mortis & resurrectionis non esse liberam, de qua possit utrimque salvâ fide disputari (cujusmodi varias præmittit *c. 23.*) sed necessariam, sic ut sine hæresi seu infidelitate nequeat negari. Unde *c. 29.* concludit: *Quapropter quisquis humanam contendit in qualibet ætate naturam non indigere medico secundo Adam, quia non est vitiata in primo Adam, non in aliquâ quæstione, in qua dubitari vel errari salvâ fide potest, sed in ipsa regula fidei, quâ Christiani sumus, gratia Dei convincitur inimicus.*

Quare dum *Augustinus c. 24.* fidem adeò explicitam mysteriorum prædictorum videtur exigere, & rursum *c. 26* inculcat non potuisse ullo tempore justificari, neque Christum esse Mediatorem, nisi credentibus in ejus resurrectionem, addens *& hoc quomodo fieret, si eum in carne venturum nescissent?* reverà non voluit fidem explicitam adeò necessariam omnibus semper fuisse (id enim esset planè falsum) sed fidem ex gratia Christi, quæ quidem in paucis majoribus v. g. Abrahamo & similibus erat explicita; quibus reliquus populus adhærens eadem implicitè credebat, partim actu interno, partim externâ fidei protestatione per sacrificia, similiaque signa publica, etsi eorum energiam non ita noscerent. Alibi enim *Augustinus* satis supponit minùs perfectam fidem tunc fuisse requisitam, ut videre est *Epist. 47. q. 2. lib. 19. contra Faustum c. 14.* Et *Enchiridii c. 118.*

55. *Locus ejusdem ex l. de Corrept. & Grat. explicatur.*

Alius *Augustini* locus *de Corrept. & Grat. c. 7.* minorem difficultatem habet: solùm enim ibi vult damnandos, qui non audierant Evangelium, nempe quia infideles (de quibus loquitur) ex infidelitate adeoq; peccatis suis (ob quæ damnantur) non emergunt, nisi per prædicationem Evangelicam, quâ utique sola fides vera, regularitèr saltem, innotescit.

## QUÆSTIO VI.

### *Quorum Fides seu Notitia explicita sit Necessaria ex Præcepto?*

56. *Sententia asserens sufficere in generali credi quod credit Ecclesia: probatur.*

REFERUNTUR Nonnulli antiqui, præsertim Canonistæ, docuisse, quòd sufficiat Christiano credere in communi ea omnia quæ Ecclesia Catholica credit, non descendendo ad particularia. Sed contrarium apertè supponit *Tridentinum sect. 5. c. 2. de Reform.* statuens, ut Parochi plebem pascant, *docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem.* Præmissam quoque doctrinam ab Inquisitoribus Aragoniæ damnatam

tam esse ex *Eymerico* refert *Sanchez l.2. in Decalog.c.3. n.3.* Eandem alii ut erroneam, alii ut hæreticam damnant. Auctores tamē referri solitos excusat *Suarez disp.13. sect.4. num.1.* velut qui non excluserint omnes prorsus articulos particulares, cùm saltem requirant fidem explicitam unius Dei remuneratoris.

Verùm apud omnes indubitatum est, etiam de aliquibus aliis articulis exigi fidem & notitiam explicitam, scilicet Incarnationis & Passionis Christi, Trinitatis &c. Quod partim ex dictis patet, partim dicendis hâc quæstione magis patebit.

57. Solùm est difficultas ad quas res se hæc obligatio extendat, præsertim tempore legis novæ. Quod enim ad tempus legis naturæ & mosaicæ attinet, nec multum refert scire, neque certum quid habetur, nisi in genere, quòd ea credere debuerint, quæ communiter populo proponebantur, servatâ proportione ad conditionem istius status. In Lege autem Evangelica distingui solet triplex hominum genus, scilicet Majorum (per quos intelliguntur Episcopi similesque Prælati Ecclesiæ) Mediorum (per quos intelliguntur Parochi, Concionatores & similes) & Minorum, per quos intelligitur reliqua plebs.

*Triplex genus personarum distinguitur.*

58. Itaque in primis quoad Christianos communiter, adeoque etiam quoad plebem, est præceptum credendi sive sciendi explicitè ea, quæ sunt necessaria necessitate medii: quæ utique eo ipso sunt scienda ex præcepto; cùm finis præceptus inferat præcepta esse media necessaria. Nonnulli præterea præceptum hoc extendunt ad omnes articulos, quos Ecclesia solemniter celebrat. Sed sine sufficienti fundamento: cùm plura Sanctorum festa & mysteria celebret Ecclesia, sive per officium, sive etiam per indictionem festi, quæ certum est rusticum v.g. scire non debere, cui sufficit scire quòd sit præceptum abstinendi à servilibus operibus & audiendi missam. Quare idem est, etsi celebretur mysterium aliquod Christum concernens, v.g. Transfiguratio, Præsentatio in templo, Circumcisio &c. quamquam indubiè sit consonum ea à Catholicis sciri & credi. Non tamen debet tam gravis obligatio imponi sine claro jure. Quare consonat communis sententia Doctorum.

*Necessaria necessitate medii sunt pariter necessaria ex præcepto.*

*An mysteria, quæ Ecclesia solemnizat, sint eo ipso scitu necessaria.*

59. Vera proinde & communis Theologorum sententia docet inesse obligationem gravem sciendi & credendi contenta in Symbolo Apostolorum, saltem quoad substantiam. Quæ quidem ab omnibus sciri & credi debere etiā exprimitur in Catechismo Pii V. Eadem obligatio colligitur ex perpetuo sensu Ecclesiæ, quæ idcirco etiam antiquitus notitiam explicitam Symboli exegit, antequam admitteret vellet aliquos ad Baptismum; ut patet ex *Concilio Brachar. II. c.1. Agathensi c.13. Laodiceno c.46.* relatis *can.55.56. & 58. de Consecr. d.4.* Atque etiam modò tantam sollicitudinem Parochi in Ecclesia adhibent, ut quilibet hoc Symbolum noverit. Immo in hūc finem ipsum videtur ab Apostolis compositum, ut præcipua fidei Christianæ mysteria, scitu omnibus Christianis necessaria, brevi quâdam formulâ proponerentur. Unde omnes bene instituti Christiani præ omnibus curant, ut Symbolum hoc proles suas doceāt. Quod denotat communem sensum Fidelium hac in parte. Et planè Christianus hoc ipso, quod Christianismum profitetur debet scire saltem substantialia capita & fundamenta suæ religionis, oppositumque nimis indecens foret: ea porrò Apostoli prædicto Symbolo ex instinctu Spiritûs sancti comprehenderunt.

*Contenta Symboli Apostolorum sunt omnibus ex præcepto scienda & credenda.*

Dixi tamen sufficere, quòd contenta Symbolo sciantur quoad substantiam. Ad quod non sufficit, ut quis ipsum memoriâ teneat verbaliter, puta absque ullo intellectu rerum per verba significatarum, aut idiomate ipsi ignoto (cujusmodi multi sunt non callentes linguam latinam, nec tamen scientes Symbolum, nisi latinè) cùm id perinde sit, ac non scire, ut patet. Ad idem è contrà nō requiritur, ut teneatur memoriâ: quamquam enim periculosum sit, Symbolum non scire memoriter, ideoque omni modo ad ita discendum sit conandum, simpliciter tamē & sub gravi saltem obligatione id non requiritur, dummodo sciantur contenta, de quibus per consequens rogatus quis posset aptè respondere. Requiritur igitur & sufficit, ut confusè saltem ac grosso modo sciatur, quod generaliter vocibus in articulis contentis significatur. Quod quidem patet ex ipso simplici textu Symboli, prout jacet ab Apostolis præscripti, & ex communi sensu & praxi. Idem exigebat leve jugum Christi: distincta enim notitia singulorum incongruè fuisset requisita generaliter: sic enim major Christianorum hominum pars moraliter necessariò deberet carere scientiâ necessariâ. Unde de Trinitate Symbolo expressâ scire sufficit, Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum Sanctum esse Deum, & hos nequaquam esse tres Deos, sed unum Deum. De Incarnatione, Christum esse Filium Dei, verum Deum, verumque hominem. De conceptu ex Spiritu sancto scire sufficit, Christum esse conceptum sine opera maritali per cooperationem aliquam Spiritûs sancti ex Maria Virgine.

60. *Non sufficit illud scire memoriter idiomate ignoto.*

*An debeat saltem sciri memoriter.*

*Contenta rudi modo nosci sufficit.*

*Quod de Trinitate, Incarnatione, Conceptu de Spiritu sancto explicatur.*

An autem virginitas Mariæ etiam post partum, sive perpetua, sit vi istius articuli explicitè credenda, disputant Doctores. Asserit *Suarez, Coninck, Lugo* & alii. Sed rationes eorum non sunt efficaces. Unde alii cum *Azorio, Sanchez, Joanne Poncio* & aliis non improbabiliter negant.

61. *An perpetua Mariæ Virginitas sit vi Symboli ab omnibus credenda.*

Similiter circumstantia passionis, quòd contigerit sub Pontio Pilato; item resurrectionis, quòd contigerit tertiâ die, est

*Non est obligatio stricta sciendi quasdam*

*circumstantias in Symbolo expressas,*

minoris momenti, quàm ut in eam cadat obligatio saltem gravis; quamvis levem admittat *Poncius disp.25. in Comment.num. 101. & seq.* eò quòd aliàs non fuisset posita in Symbolo. Similiter apparet de sepultura, quòd non sit circumstantia adeò gravis, sed solùm pars articuli, quæ novam aliquam difficultatem non habet, solumque servit confirmationi veræ mortis, declarationique miraculi resurrectionis, quæ utraque supponuntur satis scita & credita.

*Nequidem sepulturam.*

62. *Quid censendum de descensu ad inferos,*

De descensu ad inferos (qui omissus est in Symbolo Nicæno, & quorumdam opinione non fuit ab Apostolis in Symbolo positus, eò quòd nonnulli veteres Patres in explicatione Symboli non faciant de eo mentionem) *Suarez, Castro Palao* & alii censent non esse necessariò explicitè credendum. Nihilominus plures alii, quos sequitur *Lugo disp.13. sect.4. num.85.* existimant esse ad hoc per se loquendo gravem obligationem: cùm reverà descensus ad inferos, sive ad partem inferiores terræ, fuerit ab ipsis Apostolis in Symbolo positus (quod purum & integrum ab iis accepit & servavit Romana Ecclesia teste *Ambrosio Epist. 7. ad Syricium Papam*) & à *Chrysostomo, Cyrillo, Ruffino* expressus; idque non tamquam circumstantia alterius articuli, sed tamquam articulus novus continens aliquid peculiare non parvi momenti. Quãvis in Symbolo Nicæno potiùs supponatur, quàm denuo exprimatur, eò quòd circa illum non erat exortus error apud Hæreticos.

63. *Quid de sessione ad dexteram Patris.*

De sessione ad dexteram Patris etiam controvertitur, an sit circumstantia necessariò explicitè credenda, idque propter ejus difficultatem. Verùm existimo rem ipsam per hæc verba significata aliqualiter sciri oportere, puta quòd Christus in cælo habeat supremum locum seu gloriam post Patrem, in quantum homo est, & æqualem, in quantum Deus est.

*Quid denique de Communione Sanctorum.*

Denique de Communione Sanctorum ob difficultatem intelligendi, quæ inter Doctores de sensu differentiam parit, censent Plures non esse explicitè credendam. Sed quod ad rem ipsam pertinet, non apparet difficultas sciendi, quod sub verbis illis latet, sive hoc sit participatio eorumdem Sacramentorum, sive potiùs participatio mutua bonorum operum & orationum, quæ etiam rudes Catholicos non latet, utpote qui orant Sanctos, mutualque orationes postulant.

*Impotentes ad intelligẽdum quædam mysteria, excusantur.*

De his itaque omnibus instruendi sunt Fideles juxta ingenii cujusque capacitatem. Quòd si verò aliqui sint adeò obtusi ingenii, ut nequeant aliquorum articulorum sensum, etiam grossum & superficialem capere, excusabuntur à culpa ratione impotentiæ, si eos saltem implicitè credant.

64. Præter Symbolum debet quilibet Christianus cognoscere & credere explicitè tria saltem Sacramenta, scilicet Baptismum, Eũcharistiam & Pœnitentiam, tametsi in Symbolo non sint expressa, veluti quotidiano usu sic patentia, ut de eorumdem ignorantia non oporteat timere: quamvis etiam baptismus & pœnitentia spectent ad remissionem peccatorum, quæ per illa datur. Baptismus itaque cognosci debet, ut sciatur quâ viâ quisque fieri possit & debeat vel jam factus sit Christianus, & Ecclesiæ seu numero Fidelium insertus: Eucharistia verò, quia ejus usus ex divino præcepto est pro refectione animarum necessarius adultis, qui utique ad dignam perceptionem & gratiarum actionem debent posse discernere inter hunc cælestem cibum & corporalem. Pœnitentia similiter cognosci debet, veluti remedium relapsis (quales plerique sunt aut erunt) necessarium. Reliqua Sacramenta sufficit cognosci juxta communem sententiam ubi & quando quis illis utetur: quamvis Nonnulli notitiam explicitam septem Sacramentorum requirant.

*Quorum Sacramentorum necessaria cognitio.*

65. *Decalogi & quinque Ecclesiæ præcepta sciẽda.*

His accedunt præcepta Decalogi sine quorum cognitione sive per fidem habitâ, sive saltem naturali non potest homo vitam & actiones suas dirigere prout debet, tam in ordine ad finem suum ultimum, quàm juxta exigentiam Officii hominis Christiani. Idemque est de ordinariis Ecclesiæ præceptis. Quibus accedit oratio Dominica, eatenus saltè juxta omnes, quòd debeant Fideles scire, Deum esse orandum, ab eoque petenda esse bona animæ & corporis; & consequenter sciendam esse Orationem Dominicam quoad substantiam, hoc est pro singulis bonis acquirendis & malis vitandis, quæ utique ibi continentur, esse Deum orandum. Quamvis juxta Plures non sit gravis obligatio sciendi illam recitare memoriter, immo juxta aliquos ne levis quidem. Hanc tamen Doctores passim concedunt, & placet *Cardinali Lugo sup.num.133.* fundanti sese in consuetudine & Fidelium existimatione, qui consequenter in ejusmodi ignorantia turpitudinem aliquam agnoscunt. Hoc saltem observandum est periculosum Fidelibus esse illam ceteraque prædicta non posse verbotenus recitare, eò quòd huic ignorantiæ facilè juncta sit ignorantia ipsarum rerum. Unde varia Concilia antiqua, sed particularia, tum Orationem Dominicam, tum Symbolum addisci volunt. Quæ tamen quantùm ad hoc magis admonitionem aut pœnale præceptum quàm strictum mandatum continent, quod potiùs ad substantiam rerum contentarum refertur.

Addunt Nonnulli obligationem sciendi formare signum crucis; idq; ex usu, & sensu Fidelium in ignorantia hujus rei turpitudinem apprehendentium. Verùm hæc obligatio nequit esse gravis, sed solum videtur ex qua-

66. *Quid censendum de signo crucis.*

ex quadam decentia ista scientia requiri. Estque in devota hujus signi efformatione mira utilitas, & professio præcipuorum fidei Christianæ mysteriorum, ut patet inspicienti vulgatam apud Catechistas mysteriorum illo significatorum explicationem; quam etiam habet *Marchant Tom. 2. Trib. Tr. 2. Tit. 2. q. 3. in fine.*

67. *Quando incipiat obligatio præmissa discendi.*

Obligatio porrò fidelium prædicta discendi incipit cum usu rationis; & consequenter parentes, pastores & alii curam habentes tenentur sibi commissos de his instruere. Quod tamen non est intelligendum de puncto rationis metaphysico, sed morali: prout nimirum occasio & opportunitas se offert, quæ in aliis atque aliis nunc major nunc minor est, sicut & capacitas discendi: & consequenter cum proportione major vel minor est culpa, sive in iis qui discere, sive in aliis qui docere tenentur, si diutius, quàm par est, differant. Frequenter etiam ignoratia in junioribus & rudioribus præsertim non est mortalis, sive ob levitatem materiæ ignoratæ, sive ob inadvertentiam seu defectum apprehensionis, sive ob defectum perfectæ capacitatis.

68. *Qualiter debeat confessarius procedere cum ignorantibus.*

Si autem quæratur, quomodo se debeat habere Confessarius cum ignorante mysteria fidei, respondendum est, pœnitentem esse tunc solùm interrogandum, quando sufficienti fundamento præsumitur hâc ignorantiâ laborare. Tunc autem indaganda est ignorantiæ qualitas, an sit vincibilis seu culpabilis, & an graviter, spectatâ inadvertentiâ, qualitate negligentiæ, capacitatis & materiæ ignoratæ. Pœnitus porrò ignarum nequit absolvere, nisi proponentem firmiter addiscere scitu necessaria. De quibus (si ratio temporis suadeat, & absque incommodo fieri queat) poterit confessarius pœnitentem breviter instruere rudi minervâ, absque longioribus discursibus aut inculcationibus, illius hebetudinem & ignorantiam supplendo, & explicitè articulos necessariò credendos, Trinitatem & Incarnationem potissimùm (de quibus in praxi potissima difficultas ob probabilissimam necessitatem medii, & quia ceteri ferè articuli certæ obligationis satis præsumuntur noti, uti & præcepta decalogi quoad substantiam) concernentes proponendo, atque ad singulorum propositionem requirendo pœnitentis verè fidelis, adeoque tenentis fidem Ecclesiæ, responsum, *Credo*. Hoc similive modo: *Credis Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse tres personas & unum Deum? Credis Jesum Christum esse verum Filium Dei, verum Deum & hominem pro te natum, crucifixum, mortuum, sepultum, resurrexisse, ascendisse in cælum, sedere ad dexteram Patris, & Judicem venturum? Credis unam Ecclesiam sanctam & Catholicam, extra quam non est salus? Credis in Ecclesia esse potestatem remittendi peccata? Credis Christum esse in Eucharistia verè & realiter sub speciebus panis & vini &c.* Estque hæc praxis aut similis ante absolutionem omnino adhibenda ignorantibus quoad absolutè necessaria necessitate medii, utpote aliàs non valentibus justificari. Eadem quoque arctiùs est præmittenda, dum ignarus est in periculosa infirmitate, lõgiorem non patiente instructionem, constitutus. His nihilominus injungatur diligentia perfectiùs addiscendi necessaria cum proxima opportunitate.

69. *An detur interdum ignorantia invincibilis mysteriorum fidei.*

Hinc nova difficultas nascitur, an dari possit invincibilis ignorantia mysteriorum fidei Christianæ? Resp. Aff. nec apparet ratio dubitandi: cùm multi fuerint infideles, & adhuc esse possint, qui nil umquam de fidei Christianæ mysteriis audierunt. Inter fideles quoque reperiuntur, quibus nulla umquam incidit dubitatio de obligatione sciendi quædam specialia mysteria, de quibus etiam non sunt ab aliquo instructi. Quo casu excusantur quidem à culpa ipsi ignorantes: graviter tamen peccat, quorum officium erat illos instruere. Qui quidem defectus (prô dolor!) satis frequens in quibusdam curam animarum habentibus. Interdum etiam accedit nimia quorumdam ruditas, incapacitas, ac defectus apprehensionis; prout aliquando videre est in hominibus agrestibus, qui dum vix incipiunt ratione uti, applicãtur pascendis pecoribus, & rarò permittuntur templum adire, ac rariùs conciones, nec domi ab heris aut parentibus de iis instruuntur, aut si quando aliquid de hisce audiunt, nil omnino capiunt, nec apprehendunt ea ut scitu necessaria.

*Infideles nõ damnandi ob meram ignorantiam; sed quare.*

Infideles nihilominus fidei carẽtes damnabuntur, partim propter peccatum originale lavacro regenerationis non deletum, partim propter addita in adulta ætate peccata actualia, in quibus fide carentes moriuntur, non autem propter peccatum ignorantiæ, ut rectè *Augustinus Tract. 89. in Joan.* explicans illud: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent &c.*

70. *Sufficientia auxilii non facit ignorantiam fidei necessariò culpabilem.*

Nec refert, quòd talibus non desit auxilium sufficiens perveniendi ad fidem: nam istud auxilium non est tale, ut habenti innotescat ipsum esse medium ad fidem veram consequendam, adeoque etsi culpabiliter homo non cooperetur, adhuc manet involuntaria ignorantia fidei, cùm finis iste fit planè ignotus, & auxilium istud non negligatur tamquam cognitum in ratione medii ad talem finem.

*Evangelii sonus quò tẽpore Paulo exiverit in universum orbem.*

Non refert etiam quòd Apostolus *ad Rom. 10.* de sono prædicationis Evangelicæ dicat: *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et *ad Coloss. 1. Quod*, Evangelium, *prædicatum est in universa creatura, quæ sub cælo est.* Nam constat Evangelium ad multas remotissimas & incognitas Gentes etiam multis post sæculis non perveniisse. Quare sic loquitur

quitur Apostolus, eò quòd in plurimas quasque versum Nationes illo jam tempore disseminatum erat, atque ad plures etiam rumor ejus pervaserat, etsi non planè ad omnes, multò autem minùs ad singulos singularum Gentium homines. Hinc defectus fidei non est incaminosus, quousque alicui in mentem veniat, saltem in confuso, aliquam cognitionem, quâ caret, esse sibi necessariam ad salutem: secùs est quando hoc satis occurrit, ut de fide sua rationabiliter dubitat. Cujusmodi sunt plurimi apud hæreticos educati, qui postea inter Catholicos conversantes aut eorum libros legentes, aut vitâ piorum & Ecclesiæ observantiis attracti, meritò de falsitate fidei suæ dubitant; qui proinde si diligenter non inquirant, ignorantiâ vincibili laborare convincuntur. Secùs est de illis, qui se in vera Ecclesia esse sine hæsitatione arbitrantes, de fundamentis & articulis pluribus Catholicæ Ecclesiæ nihil audiverunt, aut certè non nisi junctâ reprobatione ac execratione eorundem quasi blasphemiis & falsitate refertorum.

71. *Non æqualis notitia requiritur in omnibus.*

Præter obligationem explicitæ fidei seu notitiæ communem Christianis est in nonnullis obligatio plura & perfectiùs cognoscendi ratione officii sui, scilicet in Parochis, concionatoribus, Episcopis & similibus. Unde *Augustinus l. de Symbolo & fide c. 1.* dicit contineri in Symbolo quæ sufficiunt rudibus. Et *lib. contra Epistolam Fundam. c. 4. Turbam*, inquit, *fidelium non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Et *Gregorius 2. Moral. cap. 18.* aliàs 25. in illud *Job 1. Boves arabant, & asinæ pascebantur*, per boves intelligit prudentiores (quales esse debent ministri Ecclesiæ) per asinas verò simpliciores, *quia prudentioribus conjuncti tardiores, eorum intelligentiâ pascuntur.* Omissis autem simplicibus sacerdotibus, qui non tenentur ad fidem magis explicitam quàm laici (præterquam quòd scire debeant, quomodo recitandum sit officium, conficiendum Sacramentum, & similia) in primis Parochi ad ampliorem scientiam sunt obligati: debent enim ea quæ ad officium hominis Christiani spectant sic callere, ut possint eadem explicare, ac difficultates communiter plebeis occurrentes elucidare, eosdemque in modo recipiendi Sacramenta, audiendi missam &c. posse instruere: scire etiam alia ad munus suum ac Sacramentorum administrationem necessaria. Idque evidenter sequitur ex vi officii. Quod proinde dimittere debet, qui scientiam necessariam sibi non procurat. Quæ etiam non sufficit, nisi subsequatur actualis ac debita plebis sibi commissæ instructio saltem in necessariis. Similiter in Doctoribus seu Magistris & prædicatoribus patet eam requiri scientiam fidei & præceptorum, quæ pro exigentia muneris ac debitæ aliorum institutionis sufficiat.

*Qua scientia requiratur in Parochis, Concionatoribus &c.*

Majores denique Prælati Ecclesiæ, scilicet Episcopi, veluti Pastores Pastorum, judices controversiarum, custodes sacri depositi Evangelicæ doctrinæ, quorum præcipuum munus est Evangelium Jesu Christi prædicare juxta *Tridentinum sess. 5. c. 2. de Reform.* Et *sess. 24. c. 4. de Reform.* Qui ex officio succedunt Apostolis & regunt Ecclesiam Dei, ad quos denique Pastores inferiores in suis difficultatibus possunt & debent recurrere, debent consequenter adhuc majorem cognitionem rerum fidei & morum habere, ita ut per se possint articulos fidei confirmare, & contra oppugnantes defendere. Est communis Doctorum. Non quòd tanta notitia ipsis in promptu esse debeat, sed quòd debeant esse apti, ut oblatis occasionibus debitum sui muneris exequi valeant: quod fit, si noverint ea, quæ communiter sunt nota, occurrere, cætera verò studio & aliorum consilio ac auxilio possint. Patet non solùm ex jam dictis, sed etiam ex *1. ad Timoth. 3.* ubi dicitur: *Oportet Episcopum esse Doctorem.* Et *1. ad Titum 1.* requiritur, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Idem exaggeratur in variis Canonibus apud Gratianum, ut C. *Qui Episcopus, dist. 23.* C. *Omnes pallentes, dist. 38.* In *Synodo VII. can. 2. Cap. Cùm in cunctis de Elect.* Quod innovat *Tridentinum sess. 7. c. 1. de Reform.* Hinc Episcopi solent interrogari an sciant utrumque Testamentum, scilicet explicare, adhibito saltem studio, & in difficilioribus requisito Doctiorum consilio. Nec sufficit, quòd Episcopi hæc præstent per alios: cùm enim sint lux mundi, absurdum est, quòd ex se nō luceant. Unde *Tridentinum sess. 5 c. 2. de Reform.* docet, *omnes Episcopos teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium.* Meritoque dicitur esse intolerabile in *Concilio Lateranensi* sub Innocentio III. *C. 10.* si ob defectum scientiæ fiat, quòd non per se alios doceant.

82. *Quanta debeat esse scientia in Episcopis.*

Fatendum nihilominus, necessitatem doctrinæ ad munus Episcopale præstādum non esse semper & ubique æqualem, seu pro diversitate locorum, temporum & circumstantiarum posse esse inæqualem. Facilè tendum similiter, aliquem doctrinæ defectum posse compensari aliis dotibus, puta prudentiæ, experientiæ, puritatis vitæ, auctoritatis & dexteritatis ad gubernandum, interdum etiam potentiæ temporalis ad resistendum hostibus Ecclesiæ, quando nimirum omnibus pensatis Episcopus minùs doctus judicatur Ecclesiæ utilior: cùm Ecclesiæ utilitas sit finis præcipuus, ad quem Episcopi dignitas mensuranda & ordinanda est. Quando nihilominus doctrina ceteris qualitatibus juncta in aliquo reperitur, indubiè is præferendus est. Oppositumque ad exterminādos abusus meritò est referēdum.

73. *Necessitas doctrinæ non ubique aut semper æqualis.*

*Qui supleri aut compensari possit.*

74. *Præceptum*

Petes, quale sit præceptum credendi explicitè

*fidei explicitæ non est Ecclesiastici, sed divinum.*

plicitè ea, quæ sunt de necessitate credenda? Resp. esse divinum non solùm quoad necessaria necessitate medii (quæ utique sunt præcepta à Deo hoc ipso, quo præceptus est ab eo finis) sed etiam quoad reliqua ex præcepto explicitè credenda; ut contra *Suarez d. 13. sect. 4. n. 13. & 14.* docet *Sanchez, Azorius, Lugo* & alii passim. Nam obligatio assensûs fidei explicitæ non potest provenire ex præcepto Ecclesiastico, cujus materia nequit esse per se actus merè internus: quamvis obligatio discendi seu comparandi notitiam (quæ per actus externos comparatur) posset etiam provenire ex præcepto Ecclesiastico. Itaque Ecclesia solùm proponit & declarat credenda ex præcepto Christi. Quod quidem præceptũ sequitur ex mandato Christi dato *Marci ult.* prædicatoribus fidei, de annuntiando omnibus Evangelio, utique quoad substantiam & præcipua capita (quæ idcirco Apostoli instinctu divino brevi Symbolo complexi sunt) & consequenter aliis de audiendo & credendo; prout etiam significat, quod ibidem subditur: *Qui crediderit ..... salvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.*

75. *An præceptum fidei sit naturale.*

An autem præceptum fidei sit naturale, ulteriùs indagari potest. Et quidem si de præcepto negativo sit sermo, indubiè ipsum est naturale, quo prohibemur discredere revelatis à Deo, sive quæ tamquam talia ita credibiliter proponuntur, ut non subsit ratio prudenter dubitandi. Præceptum autem positivè credendi, si non sit propriè naturale, saltem est valdè connaturale, loquendo de assensu fidei ut sic, & abstrahendo à supernaturalitate. Quamvis etiam suppositâ elevatione ad statum supernaturalem, connaturalis eidem statui sit tendentia ad finem per assensum supernaturalem: immo suppositâ obligatione pœnitentiæ aut dilectionis supernaturalis pro isto statu, & supposito quòd hæc, sive ex natura rei, sive ex ordinatione Dei, elici nequeat sine directione fidei supernaturalis, ex natura rei cõsequens est hanc quoque cadere indirectè sub eamdem obligationem. Est præterea præceptum directum eliciendi assensum fidei circa determinata mysteria; quod tamen eatenus præcisè videtur positivum, pendens à voluntate Dei, rationabiliter hæc potius quàm illa mysteria determinantis.

76. *Quo tempore per se obliget præceptum credendi.*

Petes II. Quo tempore sit eliciendus vi præcepti assensus fidei? Resp. communiter assignari pro Infidelibus tempus, quo illis fides est sufficienter proposita; id est, cum evidentia credibilitatis juxta capacitatem personæ. Quæ tamen obligatio juxta *Sanchez l. 2. c. 1. n. 3.* non est accipienda pro metaphysico instanti, sed morali, sic ut in re tanti momenti non nimiùm arbitrio prudentis tardetur; exemplo obligationis suscipiendi baptismum mox moraliter loquendo post sufficientem instructionem. Ratio est: quia non potest rectiùs tempus obligationis hujus determinari. Nihilominus *Coninck disp. 14. dub. 10. n. 205. & seqq.* & alii putant hanc obligationem esse pro instanti metaphysico sufficientis propositionis: eò quòd tunc fidem respuere aut de ea dubitare nequeat sine peccato infidelitatis, ut patet: assensum autem suspendere, negativè se habendo, videatur moraliter loquendo vix fieri posse; cùm non sit ratio amplius suspendendi assensum, ut supponitur, utpote non existente ratione dubitationis de veritate credibilium, Deoque parato concurrere ad assensum. Dilationi autem aliquali baptismi jam efficaciter intenti potest ratione molestiæ aut aliis de causis facilè subesse ratio. Posito tamen speculativè casu, quòd citra dubitandi aut discredendi periculum, quis aliquantulùm differret actũ interiorem fidei, perpendens id esse parvæ considerationis, præsertim si de facto firmum de amplectenda mox fide propositum eliceret, difficulter mora tantilla posset argui peccati, saltem gravis. Quòd enim hactenus fuerit sectator oppositæ Religionis, & fautor hostium vivæ fidei, non urget obligationem istam pro instanti metaphysico utì nec cultus Deo seu Primæ veritati per obsequium fidei exhibendus, aut aliquid aliud solitum allegari.

Præterea Fideles baptizati, dum satìs perfectè attingunt usum rationis, & credibilia eis sufficiẽter proposita sunt, tenentur juxta Doctores (nisi per accidens excusset inadvertentia obligationis) elicere actũ fidei, sic ut saltem non multùm differant. Congruentius enim tempus determinari non potest.

De cetero obligationi directum exercendi actum fidei aliis temporibus practicè loquendo satisfit per actus fidei, qui cõcurrunt in exercitio actuum spei, pœnitentiæ, dilectionis, orationis & similium. Immo vix dies transit, quin occasio eliciendi actus fidei in recitatione Symboli, formatione signi crucis, auditione missæ &c. occurrat.

77. *Quando obliget per accidens.*

Per accidens & indirectè obligatur quis ad actum fidei eliciendum, dum instat præceptum, quod sine fide impleri non potest. Puta dilectionis, contritionis vel attritionis: qui actus sine directione actuali fidei elici non possunt. Idem est, cùm quis tenetur suscipere Sacramentum, præsertim Eucharistiæ. Item cùm instat præceptum exteriùs confitendi fidem, quam debitè & veraciter confiteri non possumus, nisi interior fidei assensus correspondeat. Item cùm ob minas & tormenta est periculum abnegandi fidem, nisi scuto internæ fidei quis se muniat. Idem posset esse, cùm ingravescũt in mente tentationes diabolicæ contra fidem. Hic tamen resistendi modus non est plerumque necessarius: cùm cogitationes

aliò divertendo sæpè possint tentationes depelli, & fortè faciliùs. Immo ut tentationes scrupulosorum (qui utique sunt firmi in fide, & apprehensiones seu incidentias timent esse dubitationes voluntarias) mitigentur, & imaginatio turbata quiescat, convenit actum positivum fidei ab iis non elici, sed potiùs imaginationes veluti falsas & somnia contemni; cùm aliàs magis vivida fiat imaginatio & major vexa.

Denique non est credibile, neque communiter apprehenditur esse obligationem positivè eliciendi actum fidei, quotiescumque res aliqua fidei sufficienter proponitur. Aliàs sanè jugiter eliciendi essent actus fidei ad singulas propositiones sacri textus, Canonum Conciliorum &c. dum quis in Scripturæ aut Conciliorum lectione se exercet. Essetque præceptum istud difficillimum. Neque ex ullo capite sufficienter probatur.

78. *Qui differant credere Deo, credere Deum & credere in Deum.*

Pro fine hujus Disputationis quæritur, an & quomodo actus fidei distinguantur per hoc, quod est credere Deo, credere Deum, & credere in Deum? Resp. passim ex *D. Thoma q. 2. art. 2.* nos credere Deum tamquam objectum materiale, quatenus credimus ipsum esse: credere Deo tamquam motivo, quatenus credimus aliquid propter ejus auctoritatem: credere verò in Deum tamquam finem fidei, quatenus voluntas actum credendi refert in Deum tamquam finem. Quod posterius membrum conforme est *Augustino Tract. 29. in Joan.* dicenti: *Quid est credere in Deum? Credendo amare, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.* Juxta quod peccatores crederent Deum & Deo, non tamen in Deum. Sed quamvis hæc conformia appareant proprietati verborum, non tamen ita phrasi Scripturæ, quæ solet duo posteriora membra confundere: nam *Joan. 12.* dicitur: *Ex principibus multi crediderunt in eum*; qui tamen justi non erant: utpote qui propter Pharizæos non confitebantur Christum (ut ibidem additur) adeoque amando non tendebant in ipsum. Deinde *ad Rom. 4.* dicitur: *Credidit Abraham Deo*: & tamen paulò post subditur: *Credenti in eum, qui justificat impium*, ubi videntur ista sumi pro synonimis. Quod etiam fit 1. *Joan. 5. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: qui non credit Filio, mendacem facit eum &c.* Et *Exodi 14.* ubi Latina habent: *Crediderunt Domino & Moysi servo ejus*, in Hebræo est: *In Deum & in Moysen* Ex quibus apparet credere Deo, & in Deum ordinariè confundi: prout etiam credere Deum & in Deum sæpe confunduntur.

# DISPUTATIO OCTAVA.

## De Externo Actu seu Confessione Fidei.

### QUÆSTIO I.

### An Confessio Externa sit Actus Fidei, & Quando Obliget?

1. *Externa confessio est actus fidei.*

EXTERNA fidei confessio juxta omnes Theologos est actus fidei. Sicut è contrà merè externa fidei negatio contrariatur fidei, & est actus externus infidelitatis, externaque falsæ fidei professio est externa hæresis, fidei opposita, & tamquam talis ab Ecclesia punitur. Quod tamen non ita est intelligendum, quasi ipsa eliciatur ab habitu fidei, vel imperetur ab interiori assensu fidei. Nam externa confessio consistit in actione aliqua quoad substantiam naturali potentiæ locomotivæ, à qua elicitur sive producitur locutio, scriptio, nutus aut aliud opus protestativum fidei internæ; adeoque non elicitur ab habitu interno intellectûs, qualis est fides. Assensus quoque fidei, veluti actus intellectûs, non habet imperare actibus externis; sed hoc est officium voluntatis per volitionem imperantis aliis potentiis.

*Non est propriè actus ejus elicitus aut imperatus.*

Itaque est actus fidei, neque propriè elicitus, neque propriè imperatus, sed est actus imperatus per volitionem confitendi exterius, quæ quidem volitio habet specialem honestatem (quamvis alioquin ex motivo diversarum aliarum virtutum v.g. charitatis, veracitatis, fortitudinis &c. possit elici, & consequenter externa confessio ex motivo earumdem imperari) eam nimirum, quam habet volitio credendi: sicut enim honestum est velle credere, sic & velle confiteri; & consequenter in ipso credere & confiteri est similis honestas objectiva, fundata in excellentia divinæ Veritatis, cui loquenti sicut honestum est interiùs assentiri, sic & exteriùs in loquela aliisque signis, juxta illud Apostoli 2. *Cor. 4. habentes autem eumdem spiritum fidei sicut scriptum est, credidi propter quod locutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur.*

2. *A quo ipsa imperetur.*

Unde confessio dici potest actus fidei, primò ratione similis honestatis. Secundò, quia spectat cum fide ad eamdem virtutem voluntatis, ex qua voluntas imperat, tum credere, tum confiteri. Tertiò, quia confessio externa est signum fidei internæ, & cum ea quid unum, sicut locutio seu propositio vocalis cum interna seu mentali.

3. *Varia considerationes juxta quas confessio est actus fidei.*

Quartò,

Quartò, quia ex ratione sua seu specie refertur ad finem fidei, qui est inhærere condecenti firmitati Primæ Veritati; sicut jejunium est actus virtutis abstinentiæ, quia ex se refertur ad ejus finem, qui est compescere carnis concupiscentias. Simile quid est in externo contemptu, qui est verus actus contemptûs: qui quidem interiùs consistit in quadam indigna æstimatione intellectiva; quam consequitur volitio eamdem intellectûs æstimationem prodendi exteriùs per signa interioris contemptûs, quocum censentur constituere moraliter unum actum & completum contemptum.

4. *Professio fidei à quibus emittenda jure Ecclesiastico.*

Quod attinet præceptum confessionis fidei, ipsum aliud est divinum, aliud Ecclesiasticum. Ecclesiasticum fundatur in Canonibus sive Ordinationibus, quibus universim aut certo generi personarum præscribitur emittenda professio fidei. Præter eas verò, quæ in particularibus Provinciis facti potuerunt aut factæ sunt, extat solemnis Constitutio præscribens professionem juratam fidei omnibus provisis de beneficiis curatis, aut de canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus *Tridentino sess. 24. c. 12. de Reform.* Eadem professio injungitur promotis in Episcopos, Archiepiscopos &c, *sess. 25. c. 2. de Reform.* Quod Pius IV. Motu proprio *Injunctum nobis* extendit ad Prælatos monasteriorum seu locorum regularium, etiam ordinum Militarium, ac insuper idem Pius IV. Motu proprio *In sacrosancta* ad omnes Doctores, Magistros, Regentes & alios quoscumque cujuscumque artis & facultatis professores, idque sub pœnis gravissimis.

5. *Idq; sub gravi obligatione.*

Estque juxta *Rodrignez To. 2. qq. reg. q. 73. art. 2.* & reliquos communiter hæc profitendi obligatio indubiè gravis, tum ratione gravissimæ materiæ, & finis (qui est major securitas habendi rectores, magistros &c sanæ fidei) tum ratione gravisonodi præcipiendi. Quamvis in pluribus Religionibus non videatur Constitutio recepta quoad Prælatos, qui non solent ibidem emittere professionem fidei; quæ tamen interdum ex peculiaribus Constitutionibus emittitur à quolibet ante emissionem Votorum monasticorum.

*An possit fieri per procuratorem.*

Potestq; ob absentiam aut impedimentum juxta *Navarrum, Sanchez, Azorium, Barbosa* & alios (ut citat & sequitur *Castro Palao de fide disp. 1. punc. 19.* contra Nonnullos) probabiliùs fieri, saltem regulariter, per Procuratorem, juxta communem regulam ceterorum actuum aut contractuum, atque etiam ipsius juramenti *c. fin. de Juram. Calumniæ in 6.* Et *c. 1. §. Verum, de Statu regular.* Etsi conveniens sit, ut professio fiat per propriam personam.

6. *Præceptum divinum confessionis fidei exprimitur Matth. 10:* Præceptum divinum Confessionis fidei exprimitur *Matth.* 10: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Idem repetitur *Lucæ* 12: *Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Et *Luca* 9. dicitur: *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cùm venerit in Majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Idem significatur *ad Rom.* 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris: corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Unde *Augustinus l. de Fide & Symbolo c.* 1 rectè dixit: *Fides officium à nobis exigit & cordis & linguæ*; sub officio linguæ velut principaliori signo expressivo omnem exteriorem confessionem intelligens. *mitur in Scripturis.*

In præfatis porrò Scripturis duplex præceptum continetur, unum affirmativum, aliud negativum: hoc vetat fidem negari aut aliquid contrarium confessioni fidei fieri, obligatque ad semper & pro semper (de quo postea) Istud præcipit poni actum exteriorem professionis fidei, obligatque non pro semper, sed pro aliquo solùm tempore aut circumstantiis; de quo in præsenti quæstione. 7. *Idq; duplex, affirmativum scilicet & negativum.*

Huic autem præcepto, si quando ratione sui obliget, regulariter satisfit à Christianæ fidei professoribus per frequentes actus fidei protestativos jugiter occurrentes. Nam in primis adulti baptizandi de fide interrogantur, & respondent, ex ritu Ecclesiæ. Eademque professio emittitur ab iis, qui redeunt vel noviter accedunt ad fidem & Ecclesiam Catholicam, immo satis continetur in hoc, quòd ad Ecclesiæ gremium admitti petant. Parvuli usu rationis adepto fidem incipiunt profiteri admittendo instructionem in mysteriis fidei, eademque addiscendo, formando crucem, recitando Symbolum &c. Quod & faciunt adulti, qui insuper audiendo missam, confitendo, communicando, aliaque jugiter fidei signa edendo, satis fidem profitentur & manifestant, prout exigit visibilis unio & colligatio fidelium membrorum ejusdem mystici corporis. Dixi, *Si quando ratione sui obliget*: Nam oppositum non improbabile censet *Wiggers q. 3. num. 75* quamvis *num.* 74. præmittat, aliud quoque esse probabile: tum quia id æquitas naturalis postulat: tum quia fides interna per se aliquando obligat, ergo & externa, hominem præsertim sensibilem, qui per fidem adhærere debet visibili Ecclesiæ, quod sine exteriori confessione fidei nequit fieri. 8. *Affirmativum in casibus ordinariis satis impletur à fidelibus.* *Si quando ratione sui obliget; quod controvertitur.*

Extra casus ordinarios posset alicui occurrere necessitas fidem exteriùs profitendi, quando ejus confessio foret necessaria aut valde utilis ad aliorum conversionem aut in fide confirmationem. Quo tamen casu 9. *Qui obligat ex charitate proximi.*

confessio-

fessionem omittens videtur solùm peccare cõtra charitatem proximi, quemadmodum omittens impedire peccatum proximi cõtra castitatem non peccat contra castitatem, sed charitatem proximi. Nec est fundamentum statuendi in præsenti aliam specialem virtutis fidei obligationem, quidquid nonnulli dixerint.

*Regula generalis de hoc præcepto.*

Generaliter autem statuitur post *D. Thomam q. 3. art. 2.* à Doctoribus Scholasticis tempus necessarium confitendi fidem, quãdo aliàs subtraheretur honor debitus Deo, aut utilitas proximo impendenda; puta (inquit *D. Thomas sup.*) si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur non habere fidem, vel quòd fides non esset vera, vel quòd alii per ejus taciturnitatẽ averterentur à fide; quod quidem prudentiæ Christianæ judicio definiendum est. Aliàs autem quando honor Dei aut salus proximi non periclitatur, seu quando non urget necessitas alterius virtutis v. g. religionis aut charitatis, non est obligatio confessionis fidei, cui saltem non sit sufficienter absque prævarications periculo per ordinaria religionis exercitia satisfactum.

10. *Interrogatus de fide quando non teneatur respondere.*

Specialis verò difficultas movetur de casu, quo de fide quis interrogatur. Et quidem communis Doctrina habet, non esse obligationem confitendi fidem extra casum scãdali aut necessitatis proximorum, si interrogetur quis à privatis hominibus hæreticis seu infidelibus; qui utique potestate inquirendi de fide aut religione carere noscuntur, ut proinde eorum interrogationes veluti vexæ importunorum hominum de rebus ad eos non spectantibus possunt negligi aut contemni, regerendo v. g. quòd hoc ad ipsos non spectet. At quando à potestate publica v. g. Rege, Præside, Magistratu, quis interrogatur de fide, controversia est. Plurimi affirmant. Varii cum *Coninck, Lorca, Castro Palao d. 2. de fide punc. 14. n. 3.* negant.

*An teneatur, si interrogetur auctoritate publica, disputatur.*

11. *Varii casus practici resolvuntur.*

Illud apud omnes indubitatum est, non posse (ut infrà ostendetur) aliquem sic amphibologicè aut cum restrictione respondere, ut appareat fidem negasse. Præterea dum generale instituitur examen, v. g. mandatur ut in turba hominum Catholici immixti se manifestent, non videtur quis obligari se prodere, cùm sic tantùm occultet fidem, non neget: nisi spectatis circumstantiis (quæ prudenti judicio cõsiderandæ sunt) meritò alii suspicarentur eum fidem deseruisse: etsi enim non semper tenearis te aliis fidelem ostendere, saltem non potes te positivè ostendere infidelem. Præterea si ex declinatione particularis examinis aut taciturnitate intelligeretur etiam quoad apparentiam solùm exteriorem quis fidem negasse, indubiè teneretur confiteri. Quandoque enim ratione circumstantiarum taciturnitas censetur esse tacita fidei negatio, v. g. si dum interrogaris, an sis Christianus, alio pro te respondente quòd non, taceas, nec ullum signum indignationis ostendas. Item quando multi simul interrogantur an sint Christiani, & aliis multis id negantibus, pauci aliquot inter eos tacent. Quando etiam multi festinanter rogantur, an parati sint negare fidẽm, & quibusdam id negantibus, aliis autem annuentibus, aliqui tacent, & ob hoc inter eos qui parati sunt negare in cathalogum referuntur.

12. *Præcisa taciturnitas non est signum negatæ fidei, uti nec interrogationis elusio, etsi publica potestate fiat.*

Verùm talis negatio præcisè ex taciturnitate non necessariò intelligitur; utrì nec, si rogatus diceres, quid tua interest? quid me interrogas? Immo talis responsio est potiùs interrogantis contemptus, quàm fidei negatio. Et sicut posset responsio fugâ declinari, quid ni taciturnitate aut aliqua elusione? Honor quoque Dei aut proximorum salus non necessariò urgenter concurrit (qui si urgeret, quæstio cessaret) sed solùm consequitur ex confessione notitia antè non habita ab examinantibus, qualis sit nimirum interrogati fides.

13. *Quid practicè judicandum de casu quo interrogatur quis à publica potestate.*

Hæc tamen Doctrina (quæ spectatâ ratione speculativè satis probabilis est) quoad praxim vix potest conducere: cùm taciturnitas vel elusio vix possit prodesse, sed potiùs tyrannum exacerbare; possit autem signum præbere inconstantiæ in fide, & (sicut examina ejusmodi sunt publica) grave scandalum, nec pro gloria fidei sit talis procedendi modus. Unde in praxi censendum potiùs esset, talem sine ambiguitate debere fidem profiteri. Quod exempla omnium Martyrum confirmant, qui ducti ad Reges & Præsides ex instinctu fidei eam palam professi sunt. Potuisseque Deus, sive Christus ita fieri præcepisse, ut quávis Tyranni id agant contra jus & per nefas, Christiani tamen sic examinati testimonium fidei & nomini suo præbeant, unde magna gloria Christo est nata accedere. Et favet illud *Marci 8. Qui enim me confusus fuerit, & Filius hominis confundetur eum* Et *Lucæ 9. Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua.* Videtur enim Christum erubescere, qui publicâ auctoritate interrogatus eum non audet confiteri.

14. *An liceat pecuniis aut precibus redimere vexam urgentium ad respondendum de fide &c.*

Notandum tamen licitum semper fuisse Fidelibus, aut integris aliquibus Ecclesiis datâ pecuniâ seu vectigali impetrare à Præsidibus seu ministris Imperatorum, ne cogerentur ad sacrificandum aut negandam fidem (quod etiam tempore *Tertulliani* faciebat, qui post defectionem suam, ideo non curandus, iste Vectigales damnat *l. de fuga*) Etsi enim non liceat testimonium emere sacrificii pœ te facti, ut alii existiment te fecisse quod non fecisti (quod agebant Libellatici à Patribus reprehensi) licet tamen vexam iniquæ actionis tibi imponendæ redimere, dum nil ex tua parte accedit fidei

fidei confessioni contrarium. Unde in Anglia & Hibernia licitè potuerunt Catholici pecuniis redimere, ne ad conciones & cœnas Calvinisticas cogerentur accedere. Idemque est de supplicatione facta, ne subjiciantur examini, aut arcentur ad respondendum de fide: id enim non est negare fidem, sed confessionem (quæ non semper obligat) declinare, tacitè insinuando & profitendo fidem suam, quam ne maculet, aut Magistratum irritet, cupit istâ occasione non profiteri. In certa tamen circumstantia posset id non licere, v. g. si multi de fide interrogentur, aliis eminus adstantibus & non audientibus, & quicumque eam non negarent, conjicerentur in carcerem, tunc tali deprecatione dimissus putaretur ab omnibus negasse fidem: atque ita modus ejus agendi aliis esset signum negationis fidei; cùm tamen non possimus ita respondere, seu nos gerere, ut aliis appareat nos fidem negasse.

15. *Confessionem fidei in persecutione declinare per se loquendo licitum.*

Petes, an tempore persecutionis liceat ordinariè & per se confessionem fidei, ad quam ab hostibus vocatur, fugâ declinare? Resp. Aff. Est de fide contra *Tertullianum lib. de Fuga*, quem scripsit contra Ecclesiam post suam defectionem. Probatur exemplo centum Prophetarum, qui persecutionem Iesabel fugientes erant absconditi 3. *Reg.* 18. Et Eliæ persecutionem ejusdem fugientis, ibidem *c.* 19. Et Pauli Damasco per sportam fugientis *Act.* 9. Et Petri divinitus liberati, Herodemque fugientis *Act.* 12. Immo ipsius Christi (qui tamen propriâ virtute poterat compescere persecutores) fugientis Herodem seniorem versus Ægyptum *Matth.*2. & Judæos volentes eum lapidare *Joan.* 8. & volentes eum interficere *c.* 11. Unde & ipse apertis verbis alios idem facere docuit *Matth.* 10. inquiens: *Cùm autem persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam.* Quæ verba non solùm intelligi debere de Apostolis (ut vult *Tertullianus*) sed de omnibus fidelibus, probant antecedentia & consequentia; immo verba proximè præcedentia vix conveniunt Apostolis: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes &c.* Et hic semper fuit totius Ecclesiæ sensus, ut patet ex doctrina Sanctorum Patrum, & præsertim *Augustini lib.* 1. *contra Epistolam Gaudentii Donatistæ cap.* 20. Et *Athanasii* in insigni *Apologia pro sua fuga*, qui etiam illustre hujus rei exemplum præbuit. Ratio est: quia fugere non est fidem etiam implicitè negare, sed potiùs eam ipso facto profiteri, tanti scilicet eam æstimando, ut exilium præferatur ejus negationi. Unde fugiens declinat, & meritò, potentiam Tyranni, ignarus divinæ ordinationis de se factæ, potiùs quàm subterfugiat confessionem fidei, immo ipsâ fugâ confessionem aliquam facit. Adde talem fugam sæpè convenientem esse, tum ut imbecillitati tuæ, tum ut aliorum saluti prospicias. Quæ proinde locum habeat, etiam suppositâ capturâ. Quod insuper confirmat exemplum Petri è carcere per Angelum educti, sicque effugientis manum Herodis *Act.* 12. Nec obstat improbata discipulorum fuga tempore passionis Christi: non enim fuga quoad substantiam erat illicita, sed ad summum in ea improbatur diffidentia quædam & inconstantia fugientium consilio Christi non expectato, idque juxta Nonnullos cum verò defectu in fide?

Immo fuga tempore persecutionis potest aliquibus interdum esse in præcepto. Sic enim homo privatus conscius imbecillitatis suæ, ac timens, ne ob tormenta in confessione fortè deficiat, tenetur fugere, si possit: tum ne prodigat suam vitam corporalem sine spe magni fructûs spiritualis: tum propter periculum defectionis à fide, quod vitare debet, sicut ipsam defectionem. 16. *Immo aliquando præceptum est.*

Similiter fugere tenetur Pastor, vel alius reipublicæ Christianæ multùm utilis (quantumvis in Domino confidat, quòd confessionem posset sustinere) si ipse specialiter ad necem quæratur, & ex ejus continuata præsentia non dependeat notabilis Fidelium utilitas; quin è contrà putetur absens, aut hâc persecutione cessante posse Ecclesiæ & Christiano populo multum prodesse: quia charitas, quam sibi & proximo debet, omnino postulat, ut vitam suam sibi & aliis conservet. *Etiam Pastoribus.*

Nec obstant verba Christi *Joan.*10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit:* quia Christus non vituperat simpliciter eum qui fugit, sed qui dimittit oves, & fugit; ut bene ostendit *Augustinus Epist.* 180. in nostro autem casu Pastor non dimittit oves: quia supponitur vel eas absens sufficienter posse curare, vel esse alios præsentes, qui eas debito modo curent.

Insuper nonnullis quandoque fuga in persecutione est illicita. Interdum enim ex aliorum fugâ, proximis grave damnum spirituale imminet, præponderans curæ, quam vitæ corporali quisque aliàs tenetur impendere; quod damnum aliqui ex charitate, aliqui insuper ex justitia tenentur à proximo avertere. Unde non potest Pastor tempore persecutionis fugere, si non sit alius, qui oues curet: tunc enim locum habet illud Christi suprà; ut *Epist.* 180. *citatâ* ex eo loco docet *Augustinus.* Idem dicendum est de eo, qui non est Pastor, v. g. de aliquo Religioso: si enim non possit absque gravi detrimento spirituali proximorum fugere, tenetur manere juxta 17. *Interdum tamen illicitum.*

illud

illud 1. *Joan.* 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*: quia videlicet spirituale bonum proximi debet præponi vitæ corporali propriæ.

18. *Interdum est liberum, sive fugere, sive manere.*

Denique interdum nonnullis fuga in persecutione potest esse libera, sic ut tantùm sit consilii, aut fugere aut non fugere. Nam si quis sit tam forti animo, ut cum Dei adjutorio confidat se posse confessionem sustinere, & non sit populo necessarius, possitque se sine scandalo subducere; nihilominus ejus præsentia putetur allatura spiritualem utilitatē aliis, nec ex ejus morte, si obveniat, notabilia incommoda sint secutura, poterit tunc talis negligere vitam corporalem pro laudabili confessione, & honore Christi Domini, & utilitate spirituali, tum sua, tum proximorum. Quod etiam exemplo variorum martyrum confirmatur. Quia tamen non est ex justitia obligatus eam impendere proximis, nec ejus præsentia est eis absolutè necessaria; hinc ad illud non obligatur. Quid autem in talibus occasionibus consultius fiat, aut non fiat, secundum S. Spiritûs instinctum & Christianam prudentiam est dijudicandum.

## QUÆSTIO II.

### *De Præcepto Negativo Confessionis Fidei.*

19. *Fidem in persecutione posse negari, varii Hæretici senserunt.*

FIDEM intus retentam tempore persecutionis posse exteriùs negari, censuerunt olim *Gnostici* apud *Tertullianum in Scorpiaco c.* 1. *Samseitæ*, seu *Helcesaitæ* apud *Eusebium l.* 6. *Hist. Eccles. cap.* 28. Quod etiam videntur sensisse *Priscillianistæ*, qui teste *Augustino Hæresi* 70. propter occultandas contaminationes & turpitudines suæ sectæ, habent in suis dogmatibus hæc verba: *Jura, perjura, secretum pandere noli.* Eumdem errorem superiori sæculo resuscitarunt *Anabaptistæ* & *Libertini.* Estque in praxi apud multos Politicos hujus temporis, & Judæos in locis non liberis.

20. *Fides oppositum docet.* *Patet ex Scriptura.*

Verùm certâ fide tenendum est, nullo casu, ne quidem metu mortis aut alterius incommodi, posse fidem, etsi corde retentam, negari exteriùs. Patet ex Scriptura *Matth.* 10. ubi cùm dixisset Christus, non esse timendos Tyrannos, qui occidunt corpus, subdit: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum &c. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Postea sequitur: *Qui invenit animam suam*, id est, qui vitam servat negando Christum in persecutione, *perdet eam: & qui perdiderit animam suam* seu vitam *propter me* seu (ut *Marci* 8. dicitur) *Evangelium, inveniet eam* in gloria scilicet cælesti. Similia habentur *Luc.* 9. Et ad hæc respicere videtur Apostolus 2. *ad Timoth.* 2. dicens: *Si negaverimus eum*, Christum, scilicet metu mortis aut terrore persecutionis, *& ipse negabit nos*, id est, non agnoscet pro suis.

21. *Ex perpetuo sensu Ecclesiæ ac Patrum.*

Idem patet ex perpetuo sensu Ecclesiæ, quæ gravissimum semper censuit esse delictum lapsorum in confessione fidei. Unde in lapsos postea pœnitentes rigidè olim animadvertebat Ecclesia; ut patet ex *Concilio Eliberitano can.* 1. 2. *&* 3. *Ancyrano* per multa capita, *Nicæno can.* 10. *&* 11. Hinc tot milliones Martyrum potiùs quævis tormenta passi sunt, quàm in confessione fidei deficerent, eam aliquo modo negando. Eumdem consensum exhibent Scripta Patrum, *Tertulliani in Scorpiaco c.* 1. Et *lib. de Corona militis. Cypriani Epist.* 10. *ad Clerum* dicentis esse *summum delictum*, etiam judicio ipsorum lapsorum. Et *Epist.* 11. *ad Martyres*, & 12. *ad Plebem* appellantis *gravissimum & extremum delictum. Basilii Hom.* 19. *in Gordium Martyrem*, & aliorum.

*Et ratione.*

Ratio est: quia negatio ista est mendacium perniciosum, quo gravis irrogatur injuria Fidei, seu Primæ Veritati, quatenus ita tacitè saltem asseritur, fidem Christianam non esse veram, adeoque doctrina Christi cum suo auctore falsitatis arguitur. Deinde sicut reverentia divinæ auctoritatis exigit, ut ei non simus increduli in corde, sic etiam ut ei in signis exterioribus non repugnemus, neque fidem denegemus.

22. *Perinde est, sive verbis, sive aliis signis: sive directè & explicitè sive indirectè & implicitè fides negetur.*

Est porrò indifferens, utrùm negatio fiat verbis, scriptis, nutibus, aliisve signis; ut per se patet. Similiter perinde est, sive fidem Christianam directè & explicitè neges, dicendo eam esse falsam aut dubiam, eamque totam vel aliquem articulum ejus; sive id facias indirectè & implicitè, v. g. approbando contrariam vel partem ejus; dicendo te Judæum, Calvinistam &c. nisi forte in casu quo hæc non significarent conditionem religionis, ut in simili statim dicam de nominibus Papistæ &c. Ratio est: quia in assertione fidei quæ contraria est fidei Catholicæ involvitur negatio fidei nostræ; contrarium enim involvit negationem contrarii. Idem est de eo, qui diceret se nescire, an fides Catholica sit vera, aut necessaria ad salutem. Qui etiam diceret se non esse Papistam, Catholicum, fidelem, Christianum, Christi discipulum &c. omnes enim Catholici semper reputarunt tales verè fidem negasse. Estque id manifestum ex facto Petri, Christum, seu se esse Christi discipulum negantis. Et planè in morali æstimatione perinde est, sive fidem Christianam quis neget explicitè, sive implicitè.

23. *Quo sensu accepta nomina Papistæ, Fidelis &c. possint*

Monet tamen *Sanchez l.* 2. *Summæ c.* 4. *num.* 8. non fore negationem fidei, si præmissa vocabula ratione circumstantiarum significaret non cultorem fidei Christianæ, sed

*in casu negari, salvâ fidei confessione.*

sed aliam conditionem. Unde fi. v. g. bellum esset inter fideles & aliquos infideles, aut inter aliquam rempublicam Catholicam & Papam ob causas meræ civiles, & omnes adhærentes Papæ vocarentur Papistæ, similiter adhærentes fidelibus Fideles, posset quis bello captus sine ulla fidei injuria negare se Papistam aut Fidelem, quia non se negaret talis esse religionis, sed factionis. Sic etiam citrà infidelitatem posset quis negare se esse sacerdotem vel religiosum: cùm per hoc ne implicitè quidem negetur fides, sed tantùm negetur certus status, citra quem potest quis esse fidelis, omniaque quæ fidei sunt credere & profiteri. Unde sicut cum æquivocatione potest quis occultare suam nationem vel officium, sic & statum sacerdotalem aut religiosum. Ex quo etiam patet, quomodo possint ad hoc in terris infidelium & hæreticorum assumere vestes sæculares aut etiam militares.

*Prout negare quis posset se esse Sacerdotem vel religiosum.*

24. *Illicitum est cum æquivocatione aut restrictione fidem exteriùs negare.*

Major difficultas est, an possit coram judice cum restrictione mentali aut per verba ambigua fides negari secundùm externam apparentiam, sic ut præsentes apprehendant idque verè & seriò fieri. Sed communiter Doctores negant id posse fieri, ut testatur & sequitur *Poncius. d. 25. in Comment. nn.* 170. Et patet ex sensu Ecclesiæ, quæ numquam probavit oppositum agendi modum; quin potiùs ecclesia, quòd fides secundùm exteriorem apparentiam ab aliquibus fuisset negata, illos velut lapsos damnavit, non admissâ excusatione; quæ alioquin sanè in promptu, aut certè inquirenda erat; immò præviè hæc methodus salvâ fide evadendi in persecutione gravia incommoda aut mortem, ingerenda fuisset fidelibus, præsertim infirmioribus: quod planè abhorret à sensu & praxi antiquitatis.

*Patet ex sensu Ecclesiæ.*

25. *Ex sensu & exemplis Martyrum.*

Id ipsum confirmatur ex sensu Martyrum, qui numquam induci potuerunt, ut aliquid dicerent aut facerent, quo videri possent vel saltem secundùm apparentiam fidem negare. Quo spectat celebre factum Eleazari 2. *Machab.* 6. cujus commiseratione iniquâ, ut à morte liberaretur, commoti adstantes, *rogabant adferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut Rex imperaverat, de sacrificii carnibus.* At ille respondit citò dicens, *præmitti senectutem in infernum* seu lymbum, adeoque mori. Simile legitur de S. Saba Martyre Gotho, qui (ut ex *Metaphraste* refert *Surius ad* 12. *Aprilis*) cùm videret quibusdam obtundi carnes non immolatas, ut viderentur satisfecisse mandatis Tyranni, de comedendis idolothytis, exclamavit: *Si quis ex carnibus illis comederit, Christianus esse non potest.* Præclarum item exemplum de S. Gordio Martyre vide apud *Basilium Homil.* 19.

26. Huc etiam facit simulatio Libellaticorum jam olim damnata à *Cypriano Epist.* 52. *ad Antonianum ante med.* Et à Clero Romano *Epist.* 31. *ad Cyprianum* inter Epistolas ejusdem. Quod ut intelligatur,

*Item ex damnata simulatione Libellaticorum.*

Nota duplex olim fuisse genus lapsorum: nam alii Sacrificati, Thurificati vel Idololatræ communi nomine, alii Libellatici dicebantur. Sacrificati vocabantur, qui quomodocumque immolassent vel immolata gustassent; Thurificati, qui thus obtulissent; Idololatræ generatim omnes, qui quemlibet cultum idolis exhibuissent. Libellatici (omisso genere eorum Christianorum, qui auditâ promulgatione Edicti, ne caperentur aut jacturam in bonis paterentur suæ negationis libellos Præsidi offerebant, evidenter rei negatæ fidei) erant, qui à Magistratibus libellos securitatis impetrabant, solutâ pecuniâ, ne ampliùs inquirerentur aut molestarentur, idque juxta *Baronium ad annum* 253. præviâ secretâ negatione per se vel per alios nomine suo factâ. Sed quamvis ejusmodi Christum secretò negantes non defuerint, ad quos alludit Clerus Romanus *Epist.* 31. *citatâ* dicens: *Non est enim immunis à scelere, qui ut fieret, imperavit.* De quibus etiam videtur posse intelligi illud *Cypriani Serm. de Lapsis longè post med. Fecisse se dixit, quidquid alius faciendo commisit.* Nihilominus Libellaticorum crimen in hoc propriè consistebat, quòd à Magistratu pecuniâ emerent libellum testimonialem factæ negationis aut impleti mandati Imperatorum, etsi nil tale præcessisset, ut sic redderetur securi contra ulteriorem molestationem; ut satis patet ex *Epist.* 31. ubi dicitur, quòd *qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negavit, & qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit.* Et apertè ex *Epist.* 52. *Cypriani*, ubi verba libellum accipientis referuntur, quibus ait, se, ne sacrificaret aut idola adoraret, quod non licebat, ad Magistratum venire, protestando, *Christianum se esse, sacrificare sibi non licere, dare se ob hoc præmium, ne quod non licet, faciat.* Unde manifestè patet etiam simulatam aut secundùm externam apparentiam factam negationem fuisse ab Ecclesia habitam pro illicita & confessioni fidei repugnante.

*Vnde sic dicti.*

*An secretò negaverint interdum fidem.*

*At non semper.*

*Lapsorum alii Sacrificati, Thurificati, vel Idololatræ.*

*Alii Libellatici.*

*Quos nihilominus antiquitas veluti lapsos in fide damnavit.*

Denique accedit ratio: tum quia per æquivocationem seu restrictionem solùm hoc ad summum salvaretur, quòd abesset mendacium: cetera autem, quæ malitiam negationis fidei, utique aliam, quàm mendacii, fundant, manent etiam in tali casu. Tum quia metu mortis aut gravis incommodi posset pariter quis profiteri exteriùs quamvis hæresim, cum simili restrictione aut æquivocatione. Tum quia sicut gravem injuriam infert proximo, ejusque honori detrahit, qui coram judice testatur verbis

27. *Accedit ratio Theologica.*

æquivocis, aut cum restrictione, alterum innocentem commisisse crimen; sic etiam æquè detrahit honori fidei acceptimæ Veritatis, qui secundum externam apparentiam, non obstante scilicet restrictione, fidem negat. Nec refert, quòd talis ratione æquivocationis aut restrictionis, uti non mentitur, sic verè non neget fidem, sed solùm alijs negare videatur. Nam etiam sic apparenter negare fidem est illicitum, veluti Dei honori contrarium & fidei contumeliosum: quidquid sit in alijs materijs.

28. *Non licet unquam sacrificando idolis aut similibus factis simulare falsam religionem: quidquid malè senserit Adrianus.*

Hinc meritò ab omnibus passim rejicitur & reprehenditur Sententia *Adriani in 4. q. 1. de Bapt. ad. 5.* docentis per actum externum idololatriæ posse occultari fidem, sepositis scandalis & necessitate confitendi, dum non requiritur confiteri fidem, quasi non magis peccet idololatriam etiam seriò simulando, quàm si metum, ut Josue, vel furorem, ut David simularet. Ratio est: quia ibi continetur simpliciter externa professio falsæ religionis, & virtualis negatio fidei. Sicut igitur non potest quis verbis protestari sine negatione fidei, se esse Judæum, Mahumetanum &c, sic nec actibus idololatricis profiteri, se esse cultorem idolorum. Unde per talem simulationem non licet adolere thus idolo, sacrificare &c. Estque ac semper fuit hic indubitatus sensus Ecclesiæ, quæ semper habuit tamquam negatores fidei & lapsos in fide, qui, etsi fide intus retentâ, exteriùs per simulationem similes actus fecerunt, pœnitentibus injungendo gravissimas & diuturnas pœnas. Idemque confirmatur ex facto S. Marcellini Papæ thus adolentis; quod ipse postea adeò deflevit. Nec tam attendebatur, an hîc & nunc urgeret positiva fidei confessio, quàm externa falsæ fidei professio. Aliàs quoque facile semper fuisset evadere pericula persecutionum, si cuilibet non requisito ad confitendum licuisset similes actus præstare.

29. *Possunt tamen per jocum aut in scena similes actus repræsentari.*

Nihilominus dum præsentes sciunt rem fieri per jocum, seu repræsentando in scœna facta alterius personæ v. g. Apostatæ, indubiè citra injuriam Dei aut religionis possunt actus isti materialiter fieri, atque etiam verba negationem fidei denotantia proferri, veluti referendo alterius dicta: *Habent enim* (inquit de jocis *Augustinus l. de Mendacio c. 2.*) *evidentissimam ex pronuntiatione atque ipso jocantis affectu*, adde vel ex agendi modo *significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis.*

30. *Solvitur difficultas de Naaman Syro 4. Reg. 5.*

Nec obstat I. quòd Naaman Syrus 4. *Regum 5.* renuntiando in futurum Dijs alienis, petat ab Eliseo sibi indulgeri ac ignosci, si rege Domino ejus innitente super manum ejus, ac in templo Remmon adorante, ipse adoraverit; eidemque Propheta responderit: *Vade in pace.* Nam (omissâ responsione Quorumdam censentium verba Prophetæ non esse concedentis, sed modestè dimittentis hominem, cui plenior instructio non fuisi ad majus gravamen conscientiæ deservisset) communior & verior sententia est, Naaman solùm petijsse, ut Regi in templo posset præstare civile ministerium, quod ei extra templum exhibebat, non cultus divini, sed obsequii regii causâ, scilicet ut Rex geniculans ei simul geniculanti inniteretur.

31. *Explicatur difficultas de simulatione Iehu.*

Non obstat II. quòd Jehu 4. *Reg.* 10. ut deciperet Sacerdotes Baal dixerit, se velle colere Baal, & tamen infrà dicatur studiosè egisse; immo hanc Jehu simulationem commendet *Hieronymus in Comment. c. 2. ad Galat.* Nam Jehu rectè quidem fecit occidendo Sacerdotes Baal, non rectè tamen adhibuit tale medium simulationis malæ; nisi quod fortè tamquam vir militaris & rerum divinarum minùs gnarus fuerit, à gravi præsertim culpa excusatus per ignorantiã. Unde factum Jehu passim improbant Sancti, signanter *Augustinus l. contra Mendacium c. 2.* Cui hac in parte magis adhærendum est, quàm *Hieronymo*, qui juxta *Viggers q. 3. n. 44.* per Commentaria & doctrinam *Origenis* videtur longiùs aliquantulum fuisse abductus in defendendis istiusmodi dissimulationibus.

32. *Explicatur illud Apostoli* Factus sum Iudæis tamquam Iudæus; *& discutitur factum S. Eusebii Vercellensis.*

Non obstat III. Quòd Apostolus 1. *Cor.* 9. ait: *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer &c. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Quod allegat *Ambrosius Serm. 69.* aliàs 15. *de Sanctis* referens factum S. Eusebii Vercellensis, qui in Concilio Mediolanensi dixit sibi quod Arianis placere, sed graviter se ferre quòd sibi filium S. Dionysium Mediolanensem Episcopum juniorem subscribendo præponerent. Quâ ratione obtinens chyrographum Dionysii deleri, Arianos irridens, dixit: *Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum vobiscum participare permitto.* Nam respondeo Apostolum non esse omnibus omnia factum, quasi cum Gentibus mentiretur se gentilem, in eorumdem sacris participando, vel cum Judæis Judæum, legalia velut necessaria confitendo aut adhibendo, sed singulis se accommodando in licitis, dum apud Gentiles abstinebat à legalibus veluti ampliùs non obligantibus, apud Judæos ijsdem uteretur veluti necdum non obligantibus: adeoque omnibus omnia factus, non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ. Auctor Sermonis citati non est *Ambrosius*, sed incertus, etsi antiquus, juxta *Baronium ad annum* 355. Nec simulatio *Eusebii* ibidem relata foret imitanda in causa fidei, etsi viri sanctitas eximia suadeat zelum ipsius ignorantiâ invincibili seu bona fide coram Deo fuisse excusabilem. Quamvis etiam subscriptio respexerit directè condemnationem Athanasii,

quæ

quæ facti erat; connexa tamen cum causa fidei judicio zelantium Orthodoxorum. Ob quod Legati Sedis Apostolicæ cum Eusebio subscribere detrectabant, ne sic fidem quoque Nicænam damnare viderentur. Ipse proinde S. Dionysius subscriptionis malè factæ quantumvis ea conditione, ut in reliquo consultum foret fidei, postea facti pœnitens hac S. Eusebii dexteritate subscriptionem cassavit, modo præmisso.

## QUÆSTIO III.

### Qualiter licitum sit occultare seu dissimulare fidem?

33. *Qui differant, dissimulare veram fidem, & simulare falsam.*

SUPPONO aliud esse dissimulare seu occultare veram fidem, aliud factis simulare falsam. Simulatio enim falsæ fidei, quæ nũquam licet, consistit in factis significantibus hîc & nunc ipsum simulantem profiteri aliam fidem: dissimulatio autem veræ fidei locum habet, quando fit aliquid, ex quo positivè non colligitur dissimulantem esse Christianum seu Catholicum, sic tamen ut non significetur aliis contrarium. Unde omnis, qui verbis aut factis fidem exteriùs negat, eam quoque etsi in corde manentem, occultat; non omnis tamen, qui fidem occultat aut dissimulat, censendus est eam negare. Tota itaque difficultas est, quæ occultatio seu simulatio censeatur non esse fidei negatio, adeoque in certis saltem circumstantijs esse licita.

34. *Licitè occultatur fides vestitu communi Nationis infidelis.*

Quâ in re satis constat, in primis non esse illicitum ad occultandã fidem ex causa uti vestibus & signis, quæ non religionem distinguunt, sed Nationem: cùm vi suæ institutionis non significent infidelitatem, sed solùm, quòd quis se velit accõmodare Nationis mori politico in vestitu. Unde etiam si quis ex illa natione converteretur, non ideo teneretur mutare habitum; neque eum olim mutarunt Gentiles dum convertebantur.

*Numquam id licet veste aut signo præcepto gestari in honorem falsæ sectæ.*

E contrà nullo modo probabile est (ut advertit *Castro Palao de fide disp. 1. punc. 17. n. 8.*) posse fideles ad se occultandũ uti veste vel signo, quod Princeps infidelis ab omnibus in suo regno habitantibus, vel aliquomodo cõmorantibus præciperet gestari in honorem idoli, Mahumetis seu falsæ suæ sectæ; eò quòd usus ille esset, meritoque reputaretur falsæ fidei protestatio. Quemadmodum ne quidẽ metu mortis liceret obedire Principi tale quid alicui in particulari præcipienti.

35. *Triplex genus vestium distinguitur.*

Ad vestes quod attinet infidelitatem denotantes, eæ sunt in triplici differentia: aliquæ enim sunt ob finem politicũ institutæ ad dignoscendum infideles formaliter ut infideles sunt; prout Romæ ex ordinatione Pontificis pro Judæis instituta est, pro viris quidem gestatio pilei flavi, pro feminis autem veli flavi in capite deportatio. Aliæ sunt institutæ ad protestationem falsæ religionis, unà tamen ad usum & effectũ communem tegumenti corporalis; prout sunt vestes communes Sacerdotis Mahumetani, aut religiosi Ethnici. Aliæ denique sunt merè institutæ ad falsum cultum, quales sunt quibus utuntur sacrificuli in suis sacrificijs & superstitiosis ritibus.

36. *Quorum nullum est licitum ad occultãdam fidem, multorum sententia.*

Nullum porrò genus vestium prædictarum ex quavis causa licitè usurpari, censent plures Doctores, quos citat & noviſſimè *Arriaga d. 22. sect. 3.* Idemque plurimi alii censent de vestibus secundi generis, & ferè omnes juxta *Arriaga supra* de vestibus postremi generis: quamvis de his incõsequenter negetur, si saltem de vestibus secundi generis admittatur, juxta *Castro Palao de fide d. 1. punc. 17. n. 3.* Ratio generalis est: quia nullo casu licitum est negare veram fidem, aut profiteri falsam per verba; ergo nec per vestes aut alia signa: utraque enim significant ex institutione, & quidem id ad quod institutasũt. Quare periculo est, sive id, quòd in domo sit vinum v. g. venale, significetur per scripturam, sive per hederam, sive per voces, aut alia signa. Adeoque perinde videtur, sive quis dicat ore, *Sum Judæus*; sive gestatione vestis: & consequenter sicut illud, sic nec hoc ullo casu licere videtur. Ob quod etiam nullo casu licitũ est adolere thus idolo, etsi alioquin ista actio posset fieri ad alios fines; eò quòd videlicet dum tali modo fit, sit inseparabilis moraliter significatio falsi cultus. Conantur quidem alii differentiam assignare inter verba & vestes similiave signa: sed difficulter allegatur, quæ mentem quietet, ut patebit eas contideranti, & pariter, quæ deducit *Arriaga suprà.*

*Probatur.*

37. *Opposita sententia adfertur & declaratur.*

Nihilominus cum pluribus alijs *Lugo d. 14. n. 82. & seqq.* fatetur quidem non licere usum vestium prædictarũ, quando ex institutione aut circumstantijs determinatur ad significationẽ falsi cultûs seu fidei; existimat tamen non omnẽ usum semper ita determinari, adeoq; tũc ex graviſſima causa licere, quando videlicet qui hominem antea Christianum eis utentẽ videt, non determinatur eo ipso ad judicandũ quòd fidem deseruerit, sed dubitare aut judicare potest, quòd ad alium finem diversum tali veste utatur; & quidẽ sic, ut vel omnes id sciant, vel certè signa talia sint, ut in ijs circumstantijs, qui aliunde fictionẽ non noverunt, & sciunt ipsum antea fidelem fuisse, non possint ex vestibus vel signis illis determinatè judicare quòd fidẽ reliquerit, ita ut nec ipsi infideles, si hominem nosset, ejusmodi fidei mutationem possent judicare. In singulis autẽ monet, judicandã prudenter, & qualitatẽ signi, & determinationem ad significãdum. Unde à posteriori colligi cẽset majorem indeterminationem hujusmodi signorum, quàm verborum ad significandã negationem fidei. Quæ quidẽ indeterminatio juxta ipsũ *n. 86* facilius

faciliùs cernitur in vestibus, quæ respondent vestibus communibus nostrorum v.g. Monachorum, inferens religiosum Ethnicum, si converteretur, posse absque scandalo habitum suum ex causa aliquamdiu retinere absque eo, quòd falsum cultum profiteretur, ad usum scilicet naturalem. Quare secundùm ipsum *n.* 94. posset etiam aliquando licere Christiano ex causa valde gravi se suamque fidem occultare hujusmodi veste aut Sacerdotis Mahumetani. Similiter (ut habet *nu.* 95.) licita sunt stratagemata Christianorum vexilla infidelium exponentium, ne fugiant.

38. *Confirmatio quædam rejicitur.* Ad prædictorum confirmationem adduci posset, quòd Judæus licitè utatur veste præscriptâ; cùm id solùm sit nuda manifestatio veritatis; & alioquin non potuisset licitè à Pontifice præscribi: ergo & fidelis potest eâ aliquando uti. Sed hoc nullo modo sequitur; utì nec ex eo, quòd Judæus interrogatus possit dicere, se esse Judæum vel non esse Christianum, sequitur id umquam licere Christiano. Ne injuria fidei. Judæis quoque licita est talis vestis gestatio extra gravem necessitatem, immo est præcepti; & tamen Christiano non est licita saltem extra periculum gravissimi incommodi.

39. Plura de his vide apud ipsum *Lugo* inter alia adhuc observatem, quòd abesse debeat scandalum prævalens incommodo, quod hîc & nunc incurreretur. An autem meritò scandalum, quod timetur, censeri debeat tam grave, ut incommodo gravissimo, quod sequeretur, prævaleat, prudentis arbitrio in casûs occurrentia relinquitur.

*Quid in praxi censendum.* Ex quibus patet, quæstiones mox discussas non carere utrimq; incertitudine, adeoque ante factum suadendam esse sententiam priorem veluti tutiorem, & generositati fidei cõvenientem; post factum autem non esse condemnandos, qui alterius sententiæ dictamen secuti, actiones, de quarum licentia disputatur, exercuerint.

40. *Christiani in necessitate possunt omittere gestationem vestis præscriptæ à principe infideli ad hoc ut dignoscantur.* Quod si denique Princeps infidelis præciperet omnibus Christianis usum certæ vestis, ut dignoscantur, consentiunt Doctores (ut ait *Lugo disp.* 14. *nn.* 96.) quòd possit adhuc Christianus, ut se occultet vel non prodat, omittere talem vestem, sive id præcipiat ob finem politicum, sive ob finem religionis: eò quòd lex illa, si sit politica, non obliget ex virtute fidei, ad hanc tali signo confitendam, nec etiam ex obedientia Principi debitâ obliget cum tãto periculo: si verò sit lata in odium fidei, eo ipso sit injusta, nec aliunde obliget tunc confessio seu manifestatio fidei per tale signũ; cùm præceptum istud nõ tam sit interrogatio, quàm mandatum, ut Christiani positivè se prodant, & cognit. puniantur. Unde hujusmodi manifestatio, veluti cedens in grave fidei detrimẽtum, & cujus omissione nec præjudicatur graviter divino honori, nec generatur scandalum, non obligat. Neque etiam hujus signi omissio cẽseri potest fidei negatio: cùm solùm omittatur signum fidei protestativum, non autem assumatur signum fidei negativum. Adde quòd etsi tale præceptum esset interrogatio de fide, adhuc non tenerentur Christiani respondere: cùm juxta plurimos, speculativè loquendo ne quidem ad id teneantur interrogati in particulari. Et quamquam tenerentur, rationes hujusmodi non militant in præsenti casu.

41. *Limitatio quædam discutitur.* Nihilominus si Turca v.g. diceret, Mandare ab omnibus Christianis gestari tale signum, ita ut illo carentes, censeantur hoc ipso Mahumetani, obligarentur juxta *Arriaga d.* 22. *sect.* 4. *nu.* 38. omnes Christiani eo uti, non vi legis imperantis, sed vi voluntatis Turcæ dantis hujusmodi signi carentiæ significationem Mahumetismi; cùm perinde sit, an infidelitas positivo, an negativo signo indicetur. Quod quidem verum est, saltem signo isto jam in vigore existẽte. Aliud videri posset, si Christiani significationem istius signi prævenirent, & inefficacem redderent, non acceptando talem institutionem, & unanimiter abstinendo à signo præfixo: tunc enim carentia hujusmodi signi nil significabit, nec cultores Christianæ religionis ab alijs discernet.

42. *Illicitum semper est communicare cum sectarijs in falso cultu.* Sunt præterea & aliæ actiones, de quibus quæri posset, an in ijs licitum sit Fidelibus communicare seu convenire cum falsæ sectæ cultoribus? Et quidem omnino dicendum est nullâ ratione licitum esse cum illis communicare in specialibus falsarum sectarum exercitijs aut ceremonijs, sive illis ita intersse, ut quis censeatur exteriùs cum infidelibus sive hæreticis in prædictis participare, v. g. cum Calvinistis celebrando cœnam, in templo modulando eorumdem psalmos &c. sicut ceteri consectarii. Ratio est: quia hæc sunt vera signa externa communicationis cum illis in fide, adeoque sunt protestatio falsæ fidei. Unde propterea non licet adolere thus idolo, illud adorare, de immolatis comedere ad cultum exteriorem idoli.

43. *Qualiter non licet coram Ministrũ Hæreticorum contrahere matrimonium.* Hinc etiam illicitum est contrahere matrimonium coram ministro hæretico, quando id præceptum est, ut eo pacto agnoscatur aliquam minister veræ Ecclesiæ, vel quando id fit cum certis ritibus hæreticis, v.g. proferendo formam contractûs præeunte ministro, quâ cõtrahentes profiteantur se coram Communitate sanctâ Dei conjungi. De quo vide *Malderum quæst.* 3. *a.* 2. *memb.* 3. Ratio est: quia tunc contrahentes censentur profiteri hæresim, agnoscendo veram Ecclesiam ejusque ministros esse apud Hæreticos.

44. *Qualiter liceat id coram Magistratu.* Nihilominus licitum esse cõstat, contrahere coram Magistratu hæretico civili; aut testari se contraxisse, dummodo ritu etiam Catholico antè, vel postea contrahant: quia illud solùm in finem politicum exigitur, ut constet publicè, quinam sint veri conjuges.

Unde

*Qualiter licere posset etiam coram Ministro.*

Unde videtur mihi idem dicendū (inquit *Lugo disp. 14, n. 155.*) quando minister hæreticus non adesset ut persona sacra, & ut minister Ecclesiæ, sed ut persona civilis, cui incumberet assistere ad eumdem finem politicum, sicut adesse posset ipse Magistratus laicus & civilis. Prout in varijs Belgii locis hæresi infectis liberum est contractum civilem (qualis solùm apud illos ipsum matrimonium æstimatur) inire aut declarare, sive coram Magistratu, sive coram Ministro ejus locum supplente, dijoribus coram Magistratu, ceteris coram Ministro ad vitandas expensas comparentibus; coram quo tamen, ne quid protestationem hæresis sapiens fiat, diligenter cavendum est.

45. *Qualiter liceat comparere ad hæreticorum sepulturas & nuptias.*

Minor difficultas est in comparitione ad sepulturas hæreticorum nostrorū, quæ fiunt absque ullo ritu sacro, quasi sepeliretur canis, nisi quòd exterior quædam pompa funeris servetur. Pariter licet Catholicis in terris hæreticorum morantibus exhibere signa amicitiæ civilis, comparendo ad eorum nuptias, etsi modo hæretico celebratas, ad convivia nuptialia &c. Item possūt famuli & pedissequæ comitari Dominos & Dominas suas ad templa hæreticorum & exercitia suæ sectæ euntes. In his enim & similibus solùm intervenit quædam præsentia velut materialis & obsequium civile, non autem communicatio in sacris. Unde obsequia posse à famulis præstari Dominis, etiam in ædibus falsi cultūs, colligitur ex *Tertulliano l. de Idololatria cap.* 16. dicente: *Licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non idolo officiosos habent . . . . . Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps idololatriæ: si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii.* Et consonant ea, quæ de Naaman Syro præmissa sunt.

*Item famuli comitari Dominos ad templa Hæreticorum euntes.*

46. *Possunt fideles salvâ fide ire spectatum cœnas Calvinisticas aut ceremonias Judaicas.*

Similiter citra peccatum contra fidem posset quis adire templa hæreticorum ad videndum cœnam v.g. Calvinisticam, dum tamen ex modo agendi satis cognosceretur ipsum solùm accedere instar curiosi spectatoris absque communicatione cum hæreticis. Unde sic passim Catholici in Hollandia accedunt fideles ad Synagogas Judæorum, ut eorumdem ceremonias videant: quod & faciunt Christiani Romæ.

47. *An & quando licitum sit adire conciones Hæreticorum.*

Idem per se loquendo est de accessu ad conciones hæreticorum: quia accessus ille non est falsæ fidei protestatio, nec ex natura rei est malus, quin immo varijs de causis rectè fieri potest: ideoque in locis quibusdam, ubi Catholici hæreticis permixti habitant, multi, etiam noti & docti Catholici, sine ulla suspicione hæreseōs conciones hæreticorū adeunt. Igitur licitum hoc est ex rationabili causa, qualis v. g. est, non solùm obsequium dominis præstādum, sed etiam ut ministrorū impostūræ & falsitates clariùs deprehendi & refutari possint. Ex sola tamen curiositate adeuntes reprobantur à *Sanchez* & *Coninck*. Quamvis secluso scandalo, & perversionis periculo (quod facilè subest & semper secludendum est) non appareat consequenter loquendo in hoc grave peccatum.

*Quàm dissimulandum sit, & quando,*

Dissuadendus tamen omnino est prædictus accessus, dum gravis causa non subest, ob defectum utilitatis, & periculum lapsus, quod facilè subesse posset in personis, præsertim indoctis & parum in fide firmatis, etiam dum non subesse putatur.

48. *Quando illicitum sit etiam citra periculum perversionis.*

Potest etiam accessus ille esse illicitus extra periculum perversionis, quando esset seu haberetur tamquam signum alicujus communicationis vel consensus cum hæreticis quà talibus, v. g. quando id fieret, ut Concionatori honor vel auctoritas præstetur: cùm illicitum sit hujusmodi actionibus favere, & hæresum ministro auctoritatem addere. Unde Prætor v. g. loci debet potiùs officium suum deserere, quàm ad conciones comparere nomine Domini absentis, de cujus voluntate ejus locum repræsentet. Idem est, quando Princeps aut Magistratus hæreticus vult omnes Officiales comparere ad Concionem, aliàs officijs suis privandos. Ideoque omnes id agentes graviter culpantur à Catholicis, & reputantur exteriùs in fide defecisse.

49. *Edictum Regū Angliæ hac de re expenditur.*

Idem quoque est, si Superior hæreticus præcipiat accessum ad conciones omnibus suis subditis, idque etiamsi in suo edicto expresè dicat, se hoc non præcipere in favorem hæresis, aut ut aliquis à sua fide discedat, sed se solùm exigere civilem obedientiam: quia ipso facto huic contrarium facit, & immediatus finis illius legis non potest esse alius, quàm favor Concionatorum, quatenus eis & consequenter eorum doctrinæ auctoritas hâc ratione accrescat, plebsque Catholica paulatim pervertatur: immo finis intrinsecus ipsi materiæ præceptæ non est alius, quàm apparentia quædam religiositatis & conformitas in cultu externo religioso. Et quamvis non defuerint Theologi, qui ut Catholicos Anglos gravissimis pœnis & periculo peccandi contra confessionem fidei eriperent, dixerunt, non obstante hujusmodi Regis decreto, posse Catholicos templa hæreticorum adire, protestando saltem se id solùm agere ad obedientiam civilem Regi præstandam, & pœnas vitandas: nihilominus oppositum responderunt Theologi de hoc Romæ consulti (inter quos Cardinales *Baronius* & *Bellarminus*) & motu proprio idem declaravit *Paulus V.* Idemque postmodum citra hæsitationem docuerunt *Suarez*, *Sanchez* & alii communiter. Immo, tum à Catholicis, tum ab ipsis hæreticis, censentur, saltem ex parte, & quoad apparentiam externam defecisse, qui edicto Regis in Anglia parent. Idemque locum habet in Hibernia, ubi Catholici

magnam subeunt jacturam bonorum, aut incarcerationem potiùs, quàm adire velint templa Protestantium, contrarium facientes peccati arguendo. Unde hac de re non est dubitandum, stante præsertim communi æstimatione, ac æstimandi consuetudine: quidquid sit de eo, an (quod Nonnulli putarunt) id licuisset, si statim à promulgatione edicti fuisset publicata ab omnibus Catholicis protestatio præmissa, ad elidendum signum hæresis ejusdemque fomentum, dum satis constitisset, quo animo Catholici compararent.

50. *An & quãdo liceat possit inter Hæreticos comestio carnium die Veneris.*

Insuper Catholici in terris Hæreticorum ferijs sextis licitè vescuntur carnibus, si justa causa subsit, & sine Ecclesiæ præjudicio fiat. Justa causa est; si immineat periculum vitæ vel gravis alterius incommodi securi ex eo, quòd cognoscatur esse Catholicus. Ratio est: quia tali casu comedens carnes non peccat contra præceptum Ecclesiæ, utpote cum tanto periculo non obligans. Nec etiam contra præceptum confessionis fidei, qui si hanc suo facto videatur negare: quia illa comestio, nec ex natura sua, nec ex hominum instituto, est signum professionis falsæ religionis, aut negationis veræ: alias si quis Catholicus solus, aut ratione morbi, aut ex gulositate comederet carnes (prout interdum mali Catholici, etiam in consortio aliorum, faciunt) peccaret contra confessionem fidei. Nec denique ratione circumstantiarum; cùm supponamus nullam fieri mentionem fidei, aut prohibitionis Ecclesiæ, neque adesse periculum scandali. Nec obstat, quòd alii fortè suspicentur, ipsum non esse Catholicum, quia ipse non tenetur imprudentem illam suspicionem cum tanto suo incommodo impedire, illaque suspicio, quàm diu interiùs manet, non potest comestionem afficere, aut eam determinare ad significandam defectionem à fide. Secùs est, quando hæretici Catholicos invitant, aut se mutuò hortantur, aut potestas publica urgeret ad comedendas carnes, in contemptum præcepti Ecclesiæ, aut ut ostendant se non esse Catholicos, aut velunt eo modo experiri, an sit inter eos aliquis Catholicus; tum enim à circumstantijs determinatur ad significandam, aut defectionem à fide & obedientia Ecclesiæ, aut professionem contrariæ fidei.

51. *An & qui licitum vel illicitum vesci idolothytis.*

Eâdem occasione moveri solet quæstio de manducatione idolothytorum. De qua breviter egimus *Tr. de Legibus d.3. q.13. nu.* 180. Eam porrò per se illicitam esse, veluti societatem dæmoniorum, varij Patres indicant, signanter *Augustinus*, tum alibi, tum *Epist.* 154. *ad Publicolam*, ubi significat melius esse mori fame, quàm idolothythis vesci. Ideoque cibis immolaticijs pollutos, pœnitentiæ satisfactione purgandos esse, descripsit *Leo Papa Ep.79. ad Nicetam*, idque *sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit*, ut loquitur. Accedit prohibitio Apostolica *Act.* 15.

Nihilominus censendum omnino est, rem hanc esse per se loquendo indifferentem, nec nisi jure ad summum humano seu Apostolico prohibitam. Prohibitio porrò Apostolica (ut patet ex textu) tantùm respicit fideles ex Gentibus conversos, Palestinæ vicinos, puta Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ; in quibus locis erant plurimi Judæi. Unde Apostolus scribens ad Corinthios in Achaia constitutos *Epist.1.c.* 8. manifestè docet rem hanc esse adiophoram, nec aliter prohibet, quàm si frater infirmus eo facto sit passurus scandalum. Et c. 10. idem confirmat, mandans caveri idem scandalum, & communicationem in idololatria; qualis est, dum quis idolothythum comedendo, sacris idololaticis communicat, seu particeps fit mensæ dæmoniorum, v.g. si in idolio vel epulo idololatrico mensæ cum infidelibus accumbat, vel aliàs religionis causâ jussus aut rogatus de idolothytho, comedat. Ut proinde *Estius in 1. Cor.* 10. *v.* 30. existimet *Augustinum* verosimiliter prædicta retractaturum fuisse, si illucusque suam retractationem perduxisset, aut monitus rem propiùs expendisset. Nihilominus (ut omittam ipsum non asserere id fore illicitum, sed tantùm asserere tamquam magis expediens) loquitur solùm de cibo in idolio reperto, cujus comestione videri posset ab ijs, quibus fortè in secreto factum innotesceret, communicasse dæmonijs; ideoque *Lib. 32. contra Faustum c.13.* quærens, *cur non expediat immolaticio vesci Christiano*, non aliam assignat rationem, quàm hanc: *ne dæmonibus communicasse videatur.* De quo etiam casu apparentis communicationis loquitur *Leo Papa.* Ideoque è diverso laudatur fortitudo quadraginta rusticorum, qui (teste *Gregorio l.3. Dialog. cap.27.*) carnes immolaticias compellentibus Longobardis edere cùm nollent, simul omnes occisi sunt. Quò denique facit exemplum Eleazari 2. *Machab.6.* Vide plura apud *Estium in cap.* 8. & 10. *Epist.1. ad Corinth.*

*Mens Augustini expenditur.*

DISPV-

# DISPVTATIO NONA.

## De Infidelitate.

### QUÆSTIO I.

### Quotuplex, Et quam Grave peccatum sit Infidelitas.

1. *Infidelitas alia positiva, alia negativa.*

INFIDELITAS hîc sumitur, prout est oppositа fidei Theologicæ. Estque alia positiva, quâ aliquid tenetur contrarium fidei: alia negativa, quæ est absentia seu carentia fidei. Positiva alia est culpabilis, alia inculpabilis. Similiter subdividi potest Infidelitas negativa. Nam potest aliquis invincibiliter ignorare articulum fidei, ideoque carere assensu illius: potest etiam invincibiliter erroneè judicare aliquid esse à Deo revelatum, quod tamen à parte rei sit falsum vel hæreticum. Similiter potest aliquis vincibiliter seu culpabiliter ignorare articulum fidei, & consequenter carere fide ejusdem: potest quoque vincibiliter erroneè judicare aliquid esse à Deo revelatum, quod tamen sit falsum. Ignorantia porrò invincibilis mysteriorum fidei, sive carentia involuntaria fidei vocatur à multis infidelitas purè negativa, vincibilis autem & voluntaria vocatur privativa, eò quòd sit carentia notitiæ debitæ inesse subjecto ex necessitate medii vel præcepti: quod tamen spectat ad quæstionem de voce. Rursum infidelitas negativa alia consistit in negatione solius actûs, alia in negatione actûs & habitûs: & hæc sola vocatur infidelitas absolutè, & ab hac sola quis denominatur infidelis.

*Vtraque subdividitur in culpabilem & inculpabilem.*

2. *Tres infidelitatis positivæ species.*

Infidelitas positiva juxta Doctores communiter, potest adæquatè dividi in Hæresim, Judaismum & Paganismum. Patet ex descriptione singulorum membrorum: nam Pagani sunt, qui sentiunt contraria fidei Christianæ, quam nullo modo profitentur, sive eam aliquando fuerint professi sive non. Judæi sunt, qui sentiunt contraria fidei Christianæ, quam tamen implicitè profitentur, id est, in figura, nempe in Circumcisione, & Sacramentis veteris legis, quæ fuerunt umbra futurorum. Hæretici sunt, qui sentiunt contraria fidei Christianæ, quam profitentur explicitè. Quapropter Paganismus est integra negatio fidei, Judaismus negatio Christi, Hæresis negatio alicujus veritatis à Christo revelatæ, ipso Christo ejusque adventu admisso. Præter quæ nullum aliud infidelitatis genus excogitari potest. Unde Ecclesia in die Parasceves pro prædictis tantùm infidelium generibus singulatim orare consuevit.

3. *Ad quam speciem pertineat Turcismus.*

Nec obstat I. quòd Turcismus non videatur pertinere ad aliquod ex his membris, utpote admittens nonnullas fidei Christianæ veritates, v. g. quòd Deus sit creator cæli & terræ, quòd sit futurum judiciũ, quòd Christi Mater sit virgo &c. Nam Turcismus pertinet verè ad Paganismum: quia etsi multas veritates fidei admittat, non tamen ut à Christo dictas, aut quatenus ad nostram aut Judæorum fidem pertinent, sed quatenus à Mahumete sunt dictæ. Unde etsi Turcismus ex parte materiæ sit mixtus, quoad modum tamen declinandi à fida Christiana convenit cum Paganismo.

4. *Ad quam dubitatio in fide.*

Non obstat II. Quòd dubitatio in fide non videatur contineri aliquo istorum membrorum: nam non pertinet quidem ad unam speciem; sed qui simpliciter dubitat, an tota fides nostra sit certa, fit Paganus; qui dubitat, an Judaismus sit verior, fit Judæus; qui autem dubitat de paucis articulis, credens reliquis, fit hæreticus.

5. *Aut Secta Saducæorum vel infidelitas Philosophorum Gentilium.*

Non obstat III. Quòd ad nullum membrum pertinere videatur infidelitas Judæorum, qui olim ab aliquo articulo defecerunt, quales erant Saducæi. Item infidelitas Philosophorum, qui ex lumine naturæ unum Deum agnoscentes in cultu idolorum alijs non miscebantur: nam infidelitas illa Judæorum, non pertinet quidem directè ad hanc divisionem, eò quòd non pertineat ad præsentem fidei statum: divisio autem hæc assignetur per ordinem ad infidelitates, quæ pro præsenti statu occurrere possunt. Reducitur tamen ad hæresim, quia illi deficiebant à fide, quàm quoad alios articulos profitebantur. Infidelitas verò illorum Philosophorum spectat ad Paganismum: illi enim totaliter carebant fide, eamque nullo modo profitebantur. Alioquin constat inter ipsos Paganos fuisse aliquam errorum inæqualitatem, nonnullis plures errores habentibus, quàm alii. Quòd similiter in Hæreticis cernitur.

6. *Ad quod membrum pertineat Apostasia à fide.*

Denique non obstat, quòd sub nulla ex speciebus contineatur Apostasia: nam Apostasia, prout in præsenti sumitur, est recessus à vera fide; qui cùm tribus modis fieri possit, non pertinet Apostasia ad unam aliquam speciem: sed si quis recedat à tota Religione seu fide, erit Paganus: si illam retineat in figura, Judæus; si eam explicitè profiteatur, & quædam ejus puncta neget, Hæreticus. Vel potiùs pro-

priè loquendo, Apostasia est tantùm accidens & circumstantia infidelitatis : solùm enim denotat eum, qui veræ fidei resistit, illam priùs habuisse ; quod planè accidentarium est ad negationem fidei secundùm se consideratam : non enim ideo plus minusve negat.

7. Notandum verò solos deficientes à vera fide ad Judaismum vel Paganismum vocari communiter Apostatas, & contra deficientes ad hæresim distinguiqui solent vocari Hæretici. Quamvis juxta receptũ loquendi modum, tum antiquorum, tum modernorum, ad hæresim non requiratur, ut quis veram fidem antè tenuerit : quidquid nonnulli *Thomistæ* dicant. Nam Hæresiarcharum & Hæreticorum filii appellantur & reputantur hæretici, etsi numquam veram fidem habuerint, immo etsi non forent legitimè baptizati, sive defectu formæ, ut *Paulianistæ*, sive quia juxta doctrinam sectæ suæ non baptizantur nisi in adulta ætate, ut *Anabaptistæ*.

*Ad hæresim non requiritur, ut fides aut baptismus præexiterit.*

8. Nihilominus prædicta divisio juxta communiorem & veram sententiam non est generis in species proprie dictas : cùm omnes privèt eadem virtute fidei, habeantque deformitatem ejusdem rationis, consistentem in contemptu divinæ auctoritatis seu renitentiæ contra illam, cum sola differentia materiali in negandis pluribus vel paucioribus veritatibus revelatis. Hoc interim verum est, quibusdam saltem hæresibus ratione materiæ quam negant adjunctam esse peculiarem quamdam blasphemiam contra naturam aut personam divinam v. g. divinitatem Filii aut Spiritus sancti, cujus ratione Doctores passim notant posse contingere, ut sit opus hæresim in particulari exprimere in confessione. De quo *Tract. de Relig.* ubi de Blasphemia.

*Prædicta divisio non est generis in species strictè dictas.*

Adhuc explicandum hîc restat, quodnam infidelitatis genus sit peccatũ. Sequenti verò quæstione declarabitur, cujusmodi debeat esse perfecta infidelitas, destruens habitum fidei, adeoque quam respiciunt pœnæ Ecclesiasticæ, hæreticis puta inflictæ.

9. Infidelitas purè negativa, quæ nimirum in eis est, quibus fides non est annuntiata, etsi sit pœna peccati, non tamen propriè peccatum, ut tenent communiter Theologi contra *Adrianum*. Oppositumque est damnatum in *Baio* à tribus Pontificibus. Patet ex *Joan.* 15 : *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, scilicet infidelitatis, ut exponit *Augustinus Tract. 99. in Joannem.* Ratio desumitur ex defectu voluntarii, ad peccatum requisiti. Unde *Augustinus l. 3. de Libero arbitr. c. 19.* ait : *Non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras &c.* Et *Epist. 105. post med.* docet *ignorantiam in ijs, qui intelligere noluerunt sine dubio peccatum esse ; in ijs autem qui non potuerunt, pœnam esse peccati.*

*Infidelitas purè negativa non est peccatum sed pœna peccati.*

Unde patet idem esse dicendum de infidelitate positiva, quæ procedit ex errore invincibili, estque hæresis seu infidelitas materialis. Non excusantur tamen à peccato, qui voluntariè negligunt veritatem necdum sufficienter propositam ulterius inquirere, & curare se instrui : illis enim ignorantia est vincibilis. Unde nec comprehenduntur inter illos, qui intelligere non potuerunt. Et juxta *Augustinum l. 3. de Libero arbit. cap. 19.* deputatur ad culpam, *si negligis quærere, quod ignoras.* Estque hæc infidelitas privativa.

*Privativa est peccatum.*

10. Infidelitas denique positiva voluntaria est indubiè gravissimum peccatum. Quod reprehenditur *Joan.* 15. Immo quod antonomasticè nomine peccati accipitur *Joan. 8. In peccato vestro moremini.* Et *c. 16. Ille arguet mundum de peccato*, scilicet infidelitatis, ut mox exponitur dicendo : *de peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Et *Matth. 10.* dicitur : *Quicumque non receperit vos &c. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum* (qui tamen erant homines moribus corruptissimi) *in die judicii, quàm illi civitati.* Et alibi sæpe exaggeratur peccatum incredulitatis. Quod quidem gravius est, quando est directè volitum, per voluntatem repugnando auditui fidei, vel etiam audita fidemque contemnendo.

*Positiva est gravissimum peccatum.*

11. Unde ex suo genere & per se loquendo infidelitas est gravius peccatum omnibus ijs quæ contrariantur virtutibus moralibus, v. g. homicidio, adulterio, furto &c; etsi per accidens, puta ratione imperfectioris voluntarii, posset interdum infidelitas esse minus peccatum homicidio. Ratio est : quia infidelitas directiùs hominem avertit à Deo, quàm ea quæ in morum perversitate consistunt ; cùm per illam directè contemnatur divina auctoritas, aliter quàm per peccata mortalia contra virtutes morales. Deinde ipsum principium & viam accedendi ad Deum infidelis directè respuit, & omne medium consequendi etiam aliorum peccatorum remissionem tollit. Constat nihilominus odium Dei esse absolutè omnium peccatorum gravissimum. Similiter infidelitatem excedit desperatio, non solùm quia periculosior, sed quia desperans majorem Deo infert injuriam, ipsum ut summum bonum nostrum contemnendo, dum ab ejus prosecutione avertit affectum, ejusdem quoque misericordiam contemnendo, quâ paratus est gratiam & veniam largiri. Confirmatur : quia virtus Spei est perfectior fide ; ergo & peccatum desperationis ex genere suo est majus infidelitate. Aliquam nihilominus infidelitatem esse graviorem aliquâ desperatione advertit *Arriaga disp. 19. nu. 22. & 23.* Immo Nonnulli simpliciter infidelitatem esse graviorem contendunt : prò quibus fusè disputat *Lugo disp. 18. sect. 2.*

*Et quidem ex genere gravius peccatũ contrarijs virtutibus moralibus.*

*Non tamen odio Dei.*

*An sit gravius desperatione.*

Hinc

12. *In quo subjecto sit infidelitas.*

Hinc colligitur infidelitatem etsi sit in intellectu velut in proximo subjecto, quemadmodum & ipsa fides, ut tamen denominetur peccatum, debere aliquo modo procedere à voluntate, in qua seu in cujus actu proximè residet formalis ratio malitiæ, adeoque & formalis culpa infidelitatis, à qua infidelitas intellectualis participat malitiam, sicut homicidium externum à voluntate occidendi.

13. *Quæ infidelitatis species sit gravius peccatum.*

Petes, quænam species infidelitatis sit gravior? Resp. ex parte materiæ Paganismum esse maximum peccatum, deinde Judaismum, minimum hæresim. At è contrà ex circumstantijs & modo ordinariè hæresis est maximum peccatum, deinde Judaismus, minimum Paganismus. Prior pars patet: quia Paganismus negat omnia revelata, Judaismus ea solùm, quæ sunt novi testamenti, Hæresis verò aliqua horum. Secunda pars patet: quia ordinariæ fidei Christianæ notæ sunt Hæreticis notiores, qui proinde majorem Deo inferunt injuriam, ei non credendo vel discredendo: Judæi verò, saltem in velamine, veram fidem agnoscunt; quàm Pagani sæpè neutro modo noverũt: quantò autem magis quis novit motiva veræ fidei, vel majores habet occasiones ea discendi, eo culpabilior est ejus infidelitas. Si tamen quis à vera fide deficeret ad Judaismum vel Paganismum, gravius peccaret, quàm si deficeret cum eadem fidei notitia ad hæresim; ideo signanter dixi, quòd ordinariè hæresis sit majus peccatum.

## QUÆSTIO II.

### *Quid Requiratur ad formalem, & perfectam Infidelitatem, signanter Hæresim?*

14. *Etymon vocis Hæresis.*

QUÆSTIO hæc specialiter solet moveri de Hæresi, veluti magis obviâ: quamvis suo modo etiam locum habeat in alijs speciebus Infidelitatis. Hæresis porrò græca vox juxta grammaticam significationem generaliter significat omnem electionem, usu tamen Scriptorum Ecclesiasticorum appropriatur electioni credendorum aut rejiciendorum ob divinam auctoritatem; & quidem ferè semper in malam partem, quatenus opponitur fidei Catholicæ, in qua nihil ex arbitrio nostro eligere, sed acceptam per Apostolos à Christo doctrinam simpliciter tenere debemus. Hoc itaque sensu Hæresis perfecta seu formalis communiter definitur error voluntarius & pertinax contra doctrinam & veritatem unam vel plures fidei Christianæ. Quæ tamen definitio convenit quoque Judaismo & Paganismo formali, nisi subaudias errorem esse hominis de reliquo Christum & doctrinam ejus sive se Christianum profitentis seu non negantis.

*Quid Hæresis formalis.*

Itaque ut sit formalis Hæresis, expulsiva fidei, de qua Theologi loquuntur, voluntario accedere debet pertinacia. Quam quidem requiri tradit *Augustinus lib. 4. de Bapt. contra Donatistas c. 16.* dicens: *Constituamus aliquem sentire quod Photinus opinatus est, istum nondum hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholicæ fidei, resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.* Et *Epist. 162. Qui suam sententiam, quamvis falsam atque perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt, corrigi parati cùm invenerint (scilicet veritatem) nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Consonat Concilium Viennense *Clem. Un. de Summa Trinit.* ubi definit, *quod quisquis deinceps asserere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus.* Estque idem communissimus consensus Doctorum. Hâc ratione patet, qualiter Abbas Joachim, & similes viri docti, non obstantibus aliquibus erroribus, satis alioquin crassis, manserint Catholici, seu non fuerint veri & formales hæretici: eò quòd pertinaciter erroribus suis non inhæserint, sed judicio Ecclesiæ sua sensa ex animo submiserint; prout de Abbate Joachim colligitur ex c. *Damnamus, de Summa Trinit.*

15. *Ad hanc requiritur pertinacia.*

Ad hanc porrò pertinaciam non requiritur mora temporis major, quàm ut cum plena advertentia possit quis judicare de veritate sufficienter proposita, ac nihilominus suo velle judicio inhærere: quemadmodum nec actus oppositus fidei, ut hominem constituat fidelem, longiorem requirit moram. Quare non requiritur etiam prima aut secunda correptio. Etsi hæc possit conducere ad plenè cognoscendam latentem pertinaciam, exinde nullo colore excusabilem, vel alias defectu instructionis possit præsumi interdum in errante ignorantia.

16. *Quæ non requirit singularem moram temporis.*

*Aut correptionem.*

17. *Quid ad pertinaciam requiratur & sufficiat.*

Requiritur igitur & sufficit, ut erranti, & in errore persistenti sufficienter propositum ac declaratum sit, doctrinam oppositam esse dogma fidei. Hoc autem sufficienter proponitur, dum non supersest rationabilis causa dubitãdi, quin verè à Deo revelatum sit. Quod rursum contingit, quando sufficienter proponitur dogma istud tamquam fidei teneri ab Ecclesia. Qui itaque hoc non obstante non vult acquiescere, sed è contrà suæ vult opinioni inhærere, pertinax est & perfectus hæreticus: ut colligitur ex *Cyprian Epist. 73. ad Jubaianum ante med.* ubi ait: *Ignosci enim potest simpliciter erranti &c. Post inspirationem vero & revelationem factam, qui in eo, quod erraverat, perseverat prudens & sciens, sine venia ignorantiæ peccat: præsumptione enim atque obstinatione quâdam nititur, cùm ratione superetur.*

Nec

18. Nec refert, quòd Hæretici perversissimi putent suam doctrinam esse veram, nec oppositum tradi à vera Ecclesia; quin immo credât Ecclesiam Romanam, quæ id tradit, non esse veram Ecclesiam, sed Antichristi synagogam. Nam sufficit, quòd sciant oppositum tradi ab Ecclesia, de qua possunt & obligantur scire & credere, quòd sit vera: hoc autem credere tenentur de Romana, quæ eis proponitur veluti tot Notis insignitâ. Unde in hoc ipso, quòd aliam Ecclesiam sibi confingant, desertâ Catholicâ seu Romanâ, hæretici sunt; cùm testimonia Dei de hac ipsa, & cõsequenter de propositis per hanc Ecclesiam, credibilia facta sint nimis. Aliàs sanè vix inveniretur in mundo hæreticus; utpote prætexens non sufficienter proponi revelationem Dei per Ecclesiam Romanam.

19. *Potest absolutè dari perfecta infidelitas, quin res sit proposita per Ecclesiam.*

Et hæc quidem via dignoscendi pertinaciam est ordinaria: uti regulariter non cadit sub fidem obligantem, nisi quod ab Ecclesia credendum proponitur. Nihilominus si privatim cuipiam aliquid revelaretur, sic ut evidenter credibile ei sit esse veram revelationem, & nihilominus credere nollet, error hujusmodi ubiè foret formalis & perfecta infidelitas Dei destructiva, possetque (quod tamen ad quæstionem de voce spectat) hæresis appellari, etsi hoc nomine soleat potissimùm intelligi error oppositus creditis ab Ecclesia Catholica. Ratio est: quia differẽtia hæc tantùm est materialis; eadem enim ut ubiq; est malitia infidelitatis, consistens in eo, quod voluntariè quis à prima veritate recedat, nolẽdo credere sufficienter propositis tamquam à prima Veritate revelatis. Unde quòd varii Doctores pertinaciam constituant in voluntaria contradictione contra Ecclesiæ proponentis auctoritatem, quod (ut verum sit) intelligendum est, juxta cautelam mox præmissam, de eo quod regulariter fit.

20. *A pertinacia excusat ignorantia vincibilis, etiã crassa.*

Petes I. an à pertinacia excuset ignorantia? Resp. cum cõmuni sententia Doctorum Affirm. etiamsi ignorantia, quæ est causa erroris, sit culpabilis (quam putavit sufficere *Sotus*) aut ita crassa, ut facillimo negotio superari possit (quam non excusare à pertinacia censuit *Sayrus*) dummodo ex ignorantia errãs paratus sit corrigi, & aliter sentire meliùs instructus. Ratio est: quia talis ignorantia non evertit formale objectũ fidei, quod est divina auctoritas, optimeque cum illa cõsistit voluntas parata obedire, & credere omnia, quæ proponũtur ab Ecclesia. Unde habens talem errorẽ potest implicitè credere veritatem circa quam errat; cùm non habeat voluntatem repugnantem voluntati credendi veritatem revelatam, quando hæc ei sufficienter proponetur; prout non sufficienter proponitur in casu talis ignorantiæ.

21. *Immo probabilius & affectata.*

Immo probabilius est etiam ignorantiam affectatam, quæ sit causa erroris, excusare à pertinacia, atque adeò peccato formalis hæresis, cui pœnæ Ecclesiasticæ imponuntur, dummodo sic errans paratus sit acquiescere definitioni Ecclesiæ, si illam sciret; ut præter alios docet *Azorius*, *Arragon*, *Banne*ᵹ, *Suarez*, *Coninck*, *Farinacius*, quos citat & sequitur *Castro Palao de Hæresi d. 3. punc. 2. n. 3.* contra *Cano*, *Navarrum*, *Valentiã*, *Corduba*, *Torres* apud *Castro Palao sup. num. 2.* Ratio est: quia etiam tales credere vult omnia, quæ ab Ecclesia proponuntur, adeoque implicitè credit articulum circa quem errat: talis enim affectat ignorãtiam, non ut discredat veritati, quam fides docet, sed ut eam nõ advertat, ne si adverteret eã ab Ecclesia proponi (cui se non vult opponere) cogatur suũ errorẽ deserere.

22. *Quod limitatur, & magis declaratur.*

Si tamen affectet ignorare dogma fidei, quia vult absolutè adhærere suo errori, etsi sciret contrarium ab Ecclesia doceri, erit infidelis & pertinax, quia non est paratus credere factâ sufficiente propositione. Nihilominus advertit *Castro Palao sup. n. 4.* tali casu committi hæresim, non tam in errore qui procedit ex ignorãtia affectata, quàm in eo qui procedit ex scientia, & quo despicis Ecclesiæ auctoritatem, cujus infallibilitatem eo ipso negas. Similiter si sit error circa articulum fidei ex affectu liberiùs errandi: vel scis te errare, & sic noscis te contrariari sensui Ecclesiæ, & ignorantia cessat: vel ignoras te errare, habens tamen voluntatem relinquendi errorem, si scires esse contrarium Ecclesiæ, & sic non es pertinax: vel ita es errori affectus, ut nolis eum deserere, quantumvis scires esse Ecclesiæ contrarium, & sic juxta prædicta es hæreticus. Prout etiam hæreticus est, qui tantùm paratus est credere postquã sufficientibus rationibus est convictus doctrinam esse de fide: quia ut obligemur aliquid credere, non requiritur quòd intellectus omnino convincatur, sed sufficit id nobis ita proponi, ut non possimus de eo dubitare rationabiliter, quin sit verè à Deo revelatum.

23. *Error nihilominus ex ignorantia culpabili procedens repugnat præcepto fidei.*

Error nihilominus procedens ex ignorantia culpabili, præsertim affectatâ, etsi non destruat fidem, nec hæresim ponat, est tamen peccatum contra fidem, cujus præceptum obligat, ut negligentia & affectatio ignorandi res fidei tollatur. Quẽadmodum etiam omissio actûs fidei tempore præcepto est peccatum contra præceptum fidei, quæ tamen per illud nõ amittitur. Itaque error hujusmodi ex ignorãtia procedens, sponteque volitus indirectè in sua causa, non repugnat directè & immediatè ipsi actui aut officio proprio fidei, sed potiùs obligationi sciendi res fidei, cujus obligationis non impletæ defectu nascitur talis error. Qui alioquin non habet oppositionem cum fidei motivo aut virtute, utpote consistens cum prompta voluntate credendi omnibus, quæ noverit tamquam revelata per Ecclesiam proponi, etsi ex non impleta obligatione sciendi quænam sint talia, oriatur materialis quædam contradictio

consistens

consistens in prædicto errore. Quod verum est, etsi fundetur in ignorantia affectata: nam non affectatur directè error, sed ignorantia sive negligentia sciendi. Immo ne ignorans Ecclesiæ positivè contradicat, vult ignorare, quod ipsa doceat. Nec propterea sequitur natos ex parentibus hæreticis in Hollandia, Anglia & similibus Regionibus, suorumque majorum doctrinam falsam, sequentes non esse hæreticos: plerique enim sciunt, se credere contraria ijs quæ credit Ecclesia. Quamvis non negaverim plures, præsertim rudiores & simpliciores, à formali hæresi esse excusatos, immo & nonnullos ab omni peccato contra fidem ratione ignorantiæ invincibilis, sive quia ignorant oppositum credi à Romana Ecclesia, sive quia ignorant credibilitatem & notas Romanæ Ecclesiæ, quæ alienis coloribus depicta eis proponitur absque eo quòd simplicioribus incidat suspicio de falsitate.

*An in regionibus hæreticis multi sint excusati ab hæresi formali.*

24. *An ignorantia vincibilis magis excuset ab Hæresi, quàm homicidio &c.*

Nec obstat quòd peccatum ex scientia & ex ignorantia vincibili, præsertim affectata, sint ejusdem speciei, ut patet in homicidio, adulterio &c, in quibus ignorantia prædicta non excusat à peccato proprio & specifico contra illas virtutes. Nam aliud est in peccato hæresis seu infidelitatis destructivo fidei infusæ, quæ non amittitur, quamdiu manet homo in ea dispositione, in qua potest elicere actus fidei divinæ circa articulos sufficienter propositos: adeoque infidelitas propriè dicta & completa non incurritur, quando prædicta dispositio non evertitur, sicque fides, quantùm est ex parte hominis, abjicitur: hoc autem non fit stante ignorantiâ præmissâ; qua stante potest adhuc talis credere omnia, quæ à Deo revelata sunt, sibique sufficienter proponentur. Quare talis non est absolutè infidelis, etsi graviter peccet contra fidem; quæ non nisi infidelitate amittitur; idque denegatoriè, juxta ordinationem Dei: qui tamen aliud statuere potuisset, si voluisset. In eo autem est paritas cum peccatis contra alias virtutes, quòd error ortus ex ignorantia culpabili sit quoque peccatum contra fidem; sed quod (ut dixi) non intelligitur nomine infidelitatis. A qua an specie morali distinguatur, discutit *Lugo disp. 16. de Pœnit. sect. 4. §. 6.*

25. *An sufficiat ad pertinaciam, quòd ab Episcopis aut Inquisitoribus monitus, persistat, credens eos in proponendo falli.*

Sed ulterius quæret aliquis, an si errans ex ignorantia moneatur ab Episcopo, Inquisitore vel alijs viris doctis de suo errore, tamquam contrario dogmati fidei ab Ecclesia recepto aut definito, & adhuc in illo perseveret, putans non esse contra Ecclesiæ definitionem, verè sit hæreticus? Nonnulli negant, eo quòd prædicti non sint infallibiles. Sed omnino affirmādum est, dum non subest ratio specialis dubitandi, quin prædicti probè noverint, quid hac de re sit, quodque non ex passione procedant; prout interdum contigit, Inquisitores contra sanam doctrinam virorum etiam sanctorum veluti hæreticā ex passione processisse. Ratio est: quia talis propositio facit evidentiam moralem, quòd tale dogma tamquam fidei tradat Ecclesia, quod proinde fit evidenter credibile, nec sine præjudicio auctoritatis divinæ & ipsius Ecclesiæ tali dogmati contradicitur. Estque hic modus proponendi mysteria credenda ordinarius; cùm rarò Ecclesia Romana immediatè, sive alijs non mediantibus, ea nobis proponat. Unde etiam in foro externo talis esset judicandus hæreticus & pertinax; & consequenter etiam in foro interno: cùm illud judicium fori externi nō nitatur falsâ præsumptione, sed veritate, quâ judicatur dissentientem mysterijs, quæ Episcopi & similes proponunt tamquam tradita & credita à Romana Ecclesia, auctoritatem Ecclesiæ voluisse contemnere, dum nulla subest moralis dubitatio, quin verè Ecclesia illa tradat & credat, cujus proinde auctoritas sufficienter ita proponitur & applicatur.

26. *An sit hæreticus, qui negat articulū, quem falsò putat definitum.*

Quæres III. an esse verè hæreticus, qui falsò existimaret quidpiam ab Ecclesia Romana esse definitum tamquam articulum fidei, & nihilominus pertinaciter teneret contrarium? Resp. Aff. quamvis enim non habeat errorem fidei contrarium circa illud objectum quod putat se tenere contra definitionem Ecclesiæ, tamen pertinaciter errat in eo contra fidem, quod opinetur Ecclesiam in suis definitionibus errare posse.

*Item qui negat conclusionem Theologicam.*

Petes IV. An pertinaciter erraus in aliqua Conclusione Theologica, ex cujus negatione evidenter sequatur subversio alicujus dogmatis fidei, sit dicendus hæreticus? Resp. Neg. si non neget istud dogma, sed potiùs consequentiam, etsi evidentem: quamvis laboret errore hæresi proximo.

27. *An pertinaciter dubitans de fidei mysterio sit hæreticus.*

Petes V. An voluntariè dubitans de mysterio fidei satis proposito sit censendus hæreticus? Ratio dubitandi est, quòd talis non habeat errorem, qui ad hæresim juxta ejus definitionem requiritur, sed suspendit assensum. Resp. Aff. cum communi sententia. Patet ex *c. 1. de Hæreticis*, ubi dicitur: *Dubius in fide infidelis est.* Et *Clem. Un. de Summa Trinit. Doctrina vertens in dubium, quòd substantia animæ humanæ corporis non sit forma, velut Catholicæ inimica fidei reprobatur.* Ubi est sermo, non solùm de dubitante, sed etiam de ipsa doctrina, quæ damnatur. Ratio est, quia talis judicat propositionem fidei (circa quam assensum suspendit) esse dubiam, & tacitè asserit non esse certam, nec de ejus veritate constare: quod continet errorem fidei contrarium. Unde dubium peccaminosum non consistit in quavis mera suspensione assensûs, quæ potest fieri absque ulla culpa, extra tēpus scilicet præcepti fidei: sed præterea involvit, ordinariè saltē, judicium, quo objectū sic repræsentatum existimatur non

non esse fide infallibili dignum; in quo est error, qui non solùm committitur, dum verum putatur quod falsum est, aut contrà, sed etiam dum certum habetur pro incerto, aut contrà, juxta *Augustinum Enchiridii cap.* 17. Addit *Lugo d.* 17. *sect.* 5. & *d.* 18. *sect.* 1. *nu.* 32. posse etiam suspensionem aliquam assensus esse dubium peccaminosum, fidei destructivum: illam nimirum, quæ imperatur à voluntate formidante, hoc est, motâ argumentis & intellectu propositis contra veritatem fidei: hæc enim apparet æquivalenter dubium positivum, & assensus de incertitudine objecti; quam voluntas videtur approbare, quatenus approbat motiva formidinis, eorumque intuitu imperat suspensionem assensûs, sicque statum fidelitatis excludit.

28. *Quid censendum de assensu opinativo mysteriorum fidei.*

Hinc colligitur cum communi Sententia non posse de objecto fidei sufficienter proposito haberi assensum, quo judicetur simpliciter tantùm esse probabile, sine formali hæresi: nam etiam in tali judicio continetur error in fide, quatenus judicatur objectum non esse certũ, cùm tamen tãquam tale ab Ecclesia proponatur. Aliud esset, si quis judicaret illud solùm esse probabile, quãtùm est ex vi hujus vel illius rationis naturalis: talis enim non erat circa fidẽ, sed solùm judicat propositionem non esse certã ex vi talis rationis. Sicut qui ex probabilibus præmissis elicit assensum opinativum circa conclusionem scientificam, non errat contra scientiam, utpote qui aliunde certus de conclusione solùm versatur per opinionem circa illam quatenus illatam ex præmissis incertis. Secùs est, si solùm opinativè assentiretur conclusioni propositæ per demonstrationem. Unde articulos fide certos solemus etiam probare per rationes naturales, auctoritates humanas & alia hujusmodi media sine præjudicio fidei. Ut proinde fidei tantummodo repugnet opinio formata de objecto revelato absolutè sumpto, sufficienterque proposito tamquam fide divinâ credendo. Quo sensu si qui Auctores doctrinæ à nobis traditæ refragentur, non sunt audiendi. Et quidem vereor ne multi sint, qui se tamquam Catholicos gerunt, articulos principales fidei firmiter credentes, qui tamen plures articulos fidei obligantis habeant instar opinionum. Hi sanè nisi excusentur per ignorantiam, non carent peccato, aut etiam hæresi, suppositâ pertinaciâ.

29. *An exponens se periculo infidelitatis, fidem perdat.*

Petes VI. An amittat habitum fidei, qui culpabiliter se exponit morali periculo hæresis, eâ non secutâ? Resp. Neg. Uti nec amittit is, qui fidem interiùs retinens, alios à fide avertit, etsi ambo graviter peccent contra fidem. Ratio est: quia uterque manet in eo statu, ut fidem non abjiciat, sed credat omnia sibi sufficienter proposita. Ita *Lugo disp.* 17. *sect.* 5. *nu.* 82. Unde peccatum contra fidem latius patet peccato propriè dicto infidelitatis, quo fides amittitur.

## QUÆSTIO. III.

### *An sit cum Infidelibus de fide disputandum?*

30. *Disputatio de fide cum hæreticis non est per se mala.*

DISPUTATIO de fide cum Infidelibus seu Hæreticis indubiè non est per se loquendo illicita, si debitis nimirũ circumstantijs vestiatur. Ita Doctores cõmuniter. Et patet ex facto Christi disputantis cum Pharizæis *Joan.* 8. & alibi, Stephani cum Judæis *Act.* 6. & 7. Pauli cũ Judæis & Græcis *Actor.* 9. Accedunt exempla sanctorum Patrum, qui frequenter cum Hæreticis alijsve Infidelibus disputarunt, ut *Augustinus* & alii. Similiter in concilijs, etiam Generalibus usus fuit disputationum, ut patet in *Concilio Niceno*, *Florentino* & alijs.

31. *Qua scientia requiratur ex parte disputantis.*

Dixi *si debitis circumstantijs vestiatur*: his enim deficientibus, constat disputationem non esse licitam. Conditiones porrò variæ solent postulari. Et primò quidem ex parte disputantis requiritur congrua scientia & capacitas, arbitrio Prudentis determinanda pro qualitate materiæ disputandæ & personarum cum quibus disputatur. Illud autem generaliter pro comperto habendum est, scientiam debere esse talem, quæ sufficiat ad veritatis confirmationem, & argumentorum objiciendorum solutionem perfectam cum proportione accommoda ad capacitatem audientium, sic ut nimirum præsentes solutionem capiant. Aliàs enim disputatio cederet in detrimentum fidei & periculum subversionis audientium, qui sæpe putant eum meliorem tueri causam, qui plausibiliùs fidem suam defendit. Unde ad ejusmodi disputationes corã populo incundas frequenter aptior est mediocriter doctus, sed tamen solidè, qui novit sua clarè & populariter explicare, quàm alius, qui novit ea subtiliùs explicare, sed non ita clarè.

32. *Laicis interdicta de fide disputatio.*

Deinde ex parte disputantis requiritur, ut non sit ei disputatio lege positivâ interdicta; prout inhibetur laicis *publicè vel privatim de fide Catholica disputare*, sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ *c.* 2. §. *Inhibemus quoque*, *de Hæreticis in* 6. Ubi per laicos intelliguntur, qui non gaudent privilegio clericali; & juxta Nonnullos etiam Religiosi, quos conversos seu Laicos vocant; quia hi tamen Clericorum nomine & privilegio gaudent, eos non comprehendi censet *Suarez*, *Sanchez*, *Gonnick*, ut citat & sequitur *Castro Palao de Infidelitate disp.* 2. *pu.* 4. *nu.* 4. Nec sunt eximendi laici docti (quidquid Nonnulli dixerint) cùm enim indoctis sit ex natura rei vetitum disputare, utique lege positivâ etiam ceteris id inhibetur, tum ob decentiam sacræ doctrinæ, tum præsertim

*Etiamsi docti sint.*

sertim ob defectum scientiæ communiter in laicis contingentem. Ut proinde finis communis legis non cesset, etsi in particulari cesset defectus scientiæ: semper enim perseverat communiter natus subesse defectus, ob quem potest generatim prohiberi: eò magis, quòd alioquin facilè etiam alii præsumerent de sua capacitate, sicque lex redderetur inutilis, nec obviaretur malis inde natis oriri. Estque præceptum ex genere suo grave, ut indicat pœna annexa, & finis, qui est bonum fidei, vitatio contentionum &c. Quamvis possit esse frequenter levitas materiæ, prudenti arbitrio dijudicanda.

*Id, sub obligatione ex genere suo gravi.*

33. *Prohibitio limitatur ad disputationem formalem.*

Limitari tamen solet prohibitio ad disputationem quam vocant formalem, quæ assumitur ad fidem persuadendam iis, qui in ea errant aut firmi non sunt; non autem de materiali, quâ aliqui solius exercitii causâ, utì fit in scholis, disputant de fide, sicut disputarent de aliis materiis clarissimis. Limitatur præterea, ut locum non habeat in casu necessitatis aut gravis & evidentis utilitatis, v. g. si Hæreticus absentibus clericis, multa contra fidem effutiret cum periculo perversionis aliorum & fidei contemptu: ex Epykia enim non videtur mens Pontificis, tali casu prohibere laico disputationem ad fidei & pusillorum defensionem. Immo ad id teneretur laicus tali casu, pro ratione exigentiæ charitatis proximi, & honoris fidei debitæ.

*Nec locum habet in necessitate, aut gravi & evidenti utilitate.*

34. *Non viget in locis hæresi infectis.*

Notant præterea *Coninck* & alii passim, in terris, in quibus Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, eam legem non esse receptam, vel contrario usu esse sublatam, quia passim ibi disputant laici, non contradicentibus Ecclesiæ Prælatis. Immo sæpè ibi necessarium videtur, quòd laici disputent pro avertendo pusillorum scandalo; cùm id, ubi dominantur Hæretici, à clericis fieri nequeat ob persecutiones eorum. Ibi proinde res ista redacta est ad terminos juris naturæ. Solet etiam ab Episcopis in locis vicinis interdum facultas specialis nonnullis laicis in controversiis versatis ad id concedi, ut non sine fructu nostro tempore factum vidimus. Immo generatim asserit *Castro Palao sup. num. 7.* citato *Suarez*, disputationem posse assumi à laico, si id agat jussus aut rogatus à clericis, eò quòd tunc eorum nomine disputet, non vendicato sibi jure docendi & disputandi. Hæc tamen facultas clericorum indiscriminatim non satis colligitur ex tenore Canonis.

35. *Quid requiratur ad licitam disputationem ex parte finis.*

Secundò ex parte finis ad disputationem requiritur, ut is sit honestus, scilicet fidei defensio, & errorum confutatio, fidelium confirmatio, infidelium conversio, aut infirmorum confortatio. Illicita verò est, quando disputans intendit fines oppositos; utì incendunt Hæretici. Similiter quando ipsa fit, non firmo animo defendendi fidem, sed dubio, in ordine ad inquirendum, an sit vera & amplectenda: talis enim ostendit se dubium in fide. Hoc tamen intelligendum est de iis, quibus fides est sufficienter proposita, ut teneantur credere & omne dubium excludere. Secùs est de eo, cui nondum est sufficienter proposita fides: talis enim non solùm potest cum Hæretico, sed etiam cum Catholico disputare veritatis indagandæ causâ, modò sit paratus eam satis cognitam amplecti. Immo etsi Hæretici malè faciant dubitando de fide, quam sciunt ab Ecclesia Catholica credi, positâ tamen hâc dubitatione, quando eam ob quædam argumenta non ita statim possunt expellere, bene facient (ut varij advertunt) si rationes suas dubitandi exponant viris doctis, ut ab iis instruantur, modò parati sint credere habitâ rationabili solutione. Idem dicendum est de Catholico, qui de aliquo fidei articulo sufficienter sibi proposito, interiùs dubitat. Ratio est: quia humanitus loquendo non est alius modus, quo possint omnino converti, & in vera fide stabiliri. Immo hoc ipso, quo dictâ intentione veritatem inquirunt, desinunt esse hæretici, ut patet ex *Augustino Epist.* 162.

36. *Quid requiratur ex parte effectûs.*

Tertiò ex parte effectûs requiritur utilitas seu fructus in eo, quocum disputatur, aut certè in audientibus. Aliàs disputatio erit inutilis & illicita, eò magis, si timeatur damnum, quod spe fructûs non compensetur. Damnum porrò oriri posset, si ineatur coram rudioribus, qui nihil de hæresi ejusve fundamentis audiverunt, nec ad hæresim sollicitati sunt, aut in scrupulos missi; in quos facilè inciderent, citiùs capiendo objectiones, veluti ex naturalibus & plausibilibus desumptas, quàm solutiones, ex supernaturalibus & magis difficilibus petendas. Eoque collimant Hæretici, ut firmos fatigent, infirmos capiant, medios cum scrupulo dimittant, ut de ipsis dixit *Tertullianus l. de præscript. c. 15.*

Ut autem meliùs dignoscatur cum quibus erronibus & qualites sit procedendum.

37. *Qui procedendum cum dubiis, frigidis, zelosis in suo errore.*

Adverte nonnullos esse dubios, nonnullos frigidos, aliquos zelosos, alios denique ex pura malitia pertinaces. Cum dubiis, qui veritatis intelligendæ (quam proprio ingenio capere nequeunt) causâ cum doctioribus conferre desiderant, fraternè & ad cujusque captum accommodè tractandum est, audiendo, & quantùm fieri potest clarè solvendo rationes dubitandi; unà ingerendo, non mirum esse, quòd qui pleraque etiam naturalia non capimus, sublimia fidei nostræ mysteria, in quibus intellectus est captivandus, non penetremus. Cum frigidis (qui de vera fide admoniti, frivolas rationes allegant, cur eam non amplectantur, aut amplecti timeant) seriò

seriò & severè agendum, ostensâ frivolitate excusationum eorumdem, & ponderatâ gravitate negotii veræ fidei, unde pendet æternitas. Cùm zelosis (qui non tam ex malitia, quàm ignorantia errantes, pro sectis suis valde zelantur) benevolè & modestè agendum, nec tam argumentis obruendi, quàm exemplo Stephani pro Saulo orantis Deo per calidas preces commendandi sunt, ut revelato fidei oculo cognoscant falsitatem suæ sectæ, quam tanto zelo defendunt.

38. *Qui cum obstinatis ex mera malitia.*

Cum ultimo & pessimo Infidelium genere, qui probè scientes se à communi Ecclesiæ & antiquitatis sensu recedere, tamen ex superbia & mentis obduratione obstinatè resistunt veritati, ne appareant convicti (quales sunt Hæresiarchæ, & plerique Ministri Hæreticorum) non est facilè disputandum: cùm enim contumaces sint & superbi, nolunt resipiscere, etsi convicti, sed tantùm verbis contendere, & posthabito veritatis studio suam ex disputatione gloriam captare, cordaque simplicium seducere, juxta illud *Augustini lib. 13. contra Faustum cap. 12. Non enim disputare amant hæretici, sed quoquomodo superare impudentissimâ pervicaciâ, ut congregent quæ non pepererunt.* Unde non tam attendunt, quid pro vera fide probanda dicatur, quàm qualiter argumenta & responsiones Catholicorum possint eludere aut subsannare, aut aliqua ad plausum objicere, ut audientibus appareant triumphasse. Si tamen ob aliorum in fide firmandorum utilitatem cum iis agendum sit, coercendi sunt intra limites certæ materiæ, & ad responsiones in forma debita, ut sic arctiùs possint constringi & palam confundi: aliàs enim ab una materia transiliunt ad alteram disparatam causâ effugii. Incumbit etiam Hæreticis onus Actorum: cùm Catholicis veluti prioribus possessoribus solùm incumbere queat onus defensionis, nisi gratis onus Actorum assumant. Præterea congruè incipit disputatio à Judice controversiarum, distincto à Scriptura & spiritu privato: Qualem negantes nullam controversiam ex aliqua Scriptura poterunt clarè decidere vel probare; veluti ad quod non sufficit, adferri loca aliqua apparentia. Quare urgendi sunt, ut ostendant (quod numquam ostendere poterunt) talem esse locorum Scripturæ sensum.

*Nota.*

*Postrema conditio licitæ disputationis.*

Ultima denique licitæ disputationis conditio est, ut à contentione, convitiis & jactantiis abstineatur, & pondere auctoritatis, non verborum aculeis procedatur.

## QUÆSTIO IV.

### *An, vel Qualiter possint Infideles cogi ad fidem Christianam suscipiendam?*

SUpponendum in primis omnes valdè baptizatos, etiam in infantia aut per metum, si falsam fidem profiteantur, posse pœnis etiam corporalibus, ad Catholicam fidem profitendam compelli. Dico *ad profitendam fidem*; non autem ad ipsam fidem: quia cùm homines de internis actibus judicare nequeant, etiam ad eos non possunt compellere. Probatur suppositio in primis auctoritate omnium Catholicorum, & antiquissimâ consuetudine Ecclesiæ, quæ tam jure Ecclesiastico quàm civili gravissimas semper in Hæreticos pœnas statuit. De baptizatis in infantia, etsi nonnquam actu proprio fidem Catholicam sint professi, habetur specialiter definitio *Tridentini sess. 7. can. 14.* De iis autem, qui metu adacti baptismum susceperunt, sic in speciali decernunt Canones. Vide c. *Contra Christianos, de Hæreticis in 6.* c. *Majores de Bapt.* Et c. *de Judæis dist. 45.* Ex quo à fortiori etiam patet, compelli posse eos, qui aliquando Catholicam fidem professi, & citra metum baptizati, ab ea defecerunt.

39. *Baptizati, etsi in infantia aut per metum, possunt ad professionem veræ fidei compelli.*

Supponitur deinde à Doctoribus communiter, Infideles non baptizatos, nec fidelibus Principibus subjectos, non posse vi vel armis compelli ad fidem suscipiendam, aut ejus prædicationem audiendam: nec ideo præcisè, quia illa recusant facere, rebus suis privari posse. Ratio est: quia nec Ecclesia, nec Principes Christiani habent in eos jurisdictionem, sine qua illa compulsio licitè fieri nequit; cùm par in parem non habeat imperium, sed tantùm in subditos. Quamvis *Major* & quidam *Genesius Sepulvenda* Caroli V. Chronista oppositum sensisse referantur.

40. *Socius est de non baptizatis, neque Christiano Principi subjectis.*

Nihilominus possunt dicti Infideles (si id aliàs fieri queat) compelli ne eos, qui fidem apud eos prædicant, aut eam suscipere volunt, injuriosè impediant, aut eos contumeliis & injuriis fidei causâ afficiant. Nam *Matth. & Marci ult.* Ecclesia accepit à Christo potestatem, jus, & mandatum prædicandi Evangelium omnibus Gentibus. Unde dum sic impeditur à potestatis, juris & mandati illius executione, fit ei injuria, quam vi potest repellere. Similiter qui vi, contumeliis, bonorum direptione, & similibus modis impediuntur, ne liberè Prædicatores fidei audiant, ipsamve fidem suscipiant, patiuntur innocenter gravem injuriam: poterit igitur Ecclesia defensionem talium suscipere, & auxilio Principum Christianorum injuriam illis illatam propulsare, ipsis saltem expressè vel

41. *Possunt hi cogi ne injuriosè prædicatores fidei tractent, aut impediant volentes audire.*

vel tacitè poscentibus. Confirmatur: quia Ecclesia veluti suprema respublica habet jus mittendi Legatos pacis Christianæ, qui sunt Prædicatores fidei: adeoque si malè tractentur, possunt defendi, & vindicta injuriæ proportionata sumi. Hinc Pontifex interdum Principibus fidelibus committit, ut in Provinciis infidelium prædicatores fidei protegant, & infideles resistentes coerceant. Quo casu Pontifex Principi fideli directè non dat dominium super regna & provincias infidelium, sed munus & jus coercendi armis impedientes injustè fidei prædicationem. Quo pacto Alexander VI. inter Reges Castellæ & Lusitaniæ divisit Provincias utriusque Indiæ, dividendo nimirum inter illos directè curam & jus præmissum quoad Regiones singulis assignatas, ut post *Victoria & Suarez* notavit *Lugo d. 19. sect. 2. num. 49.*

42. *Subjecti principibus Christianis possunt ab his cogi ad fidem audiendam.*

Solùm ergo restat difficultas de infidelibus subjectis Principibus Christianis, an ab his cogi possint ad fidem audiendam & recipiendam. Et in primis ne quidem ad fidem audiendam illos posse à Principe cogi, censent *Coninck, Valentia* & plures alii. Sed oppositum docet *Suarez, Hurtado* & alii passim, ut testatur & sequitur *Lugo sup. num. 54.* Et probatur ex *Constitutione 92.* Gregorii XIII. in Bullario, quæ incipit *Sancta Mater Ecclesia*, cujus observantiam exactam hodie Romæ videmus, inquit *Lugo suprà.* In ea porrò Judæi subjecti pœnis & mulctis coguntur ad audiendam singulis hebdomadis concionem de rebus fidei Christianæ, in terris & locis, in quibus extant eorum synagogæ. Et quidem legenti verba Bullæ apparet satis manifestum, non obedientibus imponi propriè pœnam, locumque habere coactionem directam, & non solùm indirectam, quæ in hoc consistat, quòd à tributo licitè alioquin imponendo eximantur convenientes ad audiendam concionem. Neque hoc excedit potestatem Principis laici, qui sicut potest recipere & audire legatos undecumque missos, ita & præcipere subditis, ut eos audiant, præsertim si legatio sit de rebus ad eorum bonum pertinentibus; ut arguit *Lugo n. 19. num. 58.* Rationem autem dat *Arriaga d. 25. sect. 3. num. 22.* quia Princeps habet jurisdictionem mandandi ea, quæ sunt licita & honesta (prout indubiè est auditio fidei) & simul ordinantur ad politicam gubernationem ac pacem in regno conservandam; ad quod maximè id conducit, ut saltem intelligant, subditi fundamenta fidei Christianæ, ac de Christianis melius sentiant, ab iisque minùs avertantur. Quod amplius declarat ex eo, quòd juxta regimen, etiam naturale, soleat ac debeat esse aliquod spirituale caput, sive à republica, sive à Deo designatum; adeoque esse debeat in hujusmodi communitate infidelium: non possit autem commodiùs assignari alius, quàm qui est simul caput in temporalibus: cui proinde infideles censeantur se subjicere etiam quoad religionem, quousque non subsunt Ecclesiæ, eatenus saltem, ut obediant in acceptando medio ad veræ religionis electionem utili, quale est auditio fidei.

De coactione autem subditorum ad ipsam fidem suscipiendam, major est difficultas, si de coactione directa sit sermo, quod addo: nam coactio indirecta modis aliàs licitis non vertitur in controversiam. Sic enim possunt Principes subditis infidelibus prohibere in primis omne exercitium suæ Religionis, quatenus id aut juri naturæ contrariatur, aut natum est rempublicam turbare; quod faciendo aliquâ ratione incitant eos ad veram Religionem capessendam, dum iis auferunt ea, quæ priùs eos impediebant. Secundò possunt eos arcere ab officiis publicis: quia ad hæc non tenentur eos admittere, qui suâ infidelitate se iis indignos reddunt. Tertiò possunt iis negare privilegia, quæ ex gratia aliis concedunt: quia sine injustitia possunt hæc aliquibus negare existente justâ causâ. Quartò possunt strictiùs ab iis exigere tributa aliaque onera, quæ justè iis possunt imponere, sub promissione alicujus exonerationis, si ad fidem convertantur. Quod medium etiam suggerit *Gregorius lib. 3. Epist. 26.* Et *lib. 4. Epist. 6.* Itaque indirectè cogendo Principes utuntur jure suo, quod volunt toto rigore exequi, negatâ liberalitate seu remissione, nisi sequatur conversio. Immo per accidens potest quædam indirecta coactio interdum exerceri etiam circa non subditos, privando scilicet eos beneficiis aliàs indebitis, v.g. libertate commercii, vel auxilio in bello alioquin justo, nisi Princeps infidelis fidem profiteatur, eive in suo regno favorem præstet: utuntur enim jure suo Christiani, negando ea, ad quæ concedenda nullo jure tenentur.

43. *Immo saltem indirectè, etiam ad fidem suscipiendam seu profitendam.*

Ad coactionem itaque directam quod attinet, communis sententia Doctorum cum *D. Thoma q. 10. art. 8. & 12.* asserit eam esse illicitam, tum jure humano, tum etiam divino seu naturali.

44. *Directam coactionem non licere, recepta habet doctrina.*

Prohibitio humana patet ex c. *Qui sincerè, d. 45.* quod est S. Gregorii. C. *De Judæis, eâd. dist.* quod est *Toletani IV. c. 55.* Et c. *Sicut Judæi, de Judæis.* In quibus (inquit *Castro Palao d. 2. pu. 6. num. 3.*) non tam est nova prohibitio, quàm declaratio prohibitionis divinæ. Si quidem in c. *Majores, de Bapt.* dicitur id esse *contra Christianam religionem*; prout etiam urget *Suarez d. 18. sect. 3. num. 5.* Verùm (ut notavit *Lorca q. 10. art. 8. d. 36. num. 18.*) ibi non agitur de coactione ad baptismum suscipiendum, sed de eo, qui omnino invitus, & sine ullo con-

*Probatur ex jure Ecclesiastico.*

*Cap. Majores, de Bapt. non rectè quidam urgent.*

consensu, adeoque invalidè baptizatus erat, quem proinde obligare ad observantiam legis Christianæ (quæ solos baptizatos tangit) est contra Religionem Christianam. Coactus autem per metum ad susceptionem baptismi, declaratur ibidem esse obligatus ad mandata religionis Christianæ implenda.

45. *Probatur ex jure naturali & divino.* Inhibitio divina & naturalis probatur: quia potestas coactiva hujusmodi non cōvenit Principibus Christianis per concessionem Ecclesiæ; cùm hæc ipsa non habeat potestatem in infideles, sed solùm in baptizatos, juxta certam doctrinam. Non etiam competit eis vi propriī officii: cùm hoc totum ab hominibus sit acceptum, merèque politicum ac naturale sit, nec non ordinatum ad similem finem, qui est reipublicæ politicæ quies & bonum. Unde etiam eadem potestas competit Principi Infideli; qui consequenter deberet habere potestatem compellendi subditos ad susceptionem fidei Christianæ sufficienter propositæ. Accedit perpetuus usus Ecclesiæ, quæ exemplo Apostolorum non vi externâ, sed efficacià prædicationis infideles ad fidem allicere cōsuevit. Quæ nimirum forma à Christo data fuit Apostolis mundum conversuris. Et congruit omnino humilitati & mansuetudini Evangelicæ, ac libertati fidei. Aliàs quoque nata essent plura oriri incommoda ex ficta plurimorum conversione, & odio erga fidem etiam filiis secretò instillando.

46. *Non esse jure divino aut naturali illicitam tenet Scotus & alii.* Nihilominus *Scotus* 4. *d.* 4. *q.* 9. *n.* 2. & 3. (quem præter *Scotistas* sequuntur *Gabriel*, *Alphonsus à Castro*) censet talem coactionem, suppositâ scilicet sufficienti instructione, adeoque debito suscipiendi fidem, non esse ex natura rei aut jure divino illicitam. Quod etiam probabile esse censet & probat *Lorca q.* 10. *art.* 8. *d.* 36. *num.* 7. & *seqq.*

*Probatur ex facto Sisebuti regis.* Et favet Concilium *Toletanum IV.* quod refertur c. *De Judæis dist.* 55. ubi tametsi statuatur, ne deinceps Judæi cogantur fidem suscipere, non tamen declaratur id illicitum antea fuisse ex jure divino (quidquid dicat *Castro Palao sup.* similiter quoad hoc deceptus circa alia jura, ut patet ea inspicienti, signanter c. *Sicut Judæi, de Judæis*) nec improbatur oppositum factum Sisebuti, quin potiùs licitum fuisse insinuat Concilium, appellās eum proinde religiosissimum principem. Nec potest cum *Castro Palao n.* 5. explicari de coactione indirecta: nam id est contra mentem Concilii, in quo juxta ipsum *Castro Palao* prohibetur directa coactio, & quidem (ut ex contextu patet) tamquam oppositā facto Sisebuti.

47. *Et legibus Imperatorum.* Favet etiam L. *Qui post sanctam, Cod. de Paganis*, ubi mandatur non baptizatis, ut proles curent baptizari, majorum autem nolentium suscipere baptismū bona idcirco confiscantur. Et L. *Calicolarum, Cod. de Judæis & Calicolis*, statuitur de Cælicolis: *Hi nisi ad Dei cultum venerationemq; Christianam conversi fuerint, legibus*, seu pœnis, *quibus præcipimus hæreticos adstringi, se noverint adstringendos.* Unde apparet eos non fuisse hæreticos (quibus etiam eos non accenset *Augustinus de Hæresibus*) sed potiùs infideles, aliquam tamen Christianitatis speciem fortasse prætendentes, institituto etiam apud eos novo adeoque invalido baptismo, ut indicat *Augustinus Epist.* 163. *in fine.* Similiter contra Samaritas & Manichæos sunt strictissimæ Imperatorum leges *Cod. de Haereticis & Manichæis.* Et quidem Manichæi vix à Paganis distabant, nec baptismum saltem legitimum admittebant. Contra quos nihilominus plurimi Imperatores pari jure, quo contra alios Hæreticos legitimè baptizatos, processerunt; & videntur procedere potuisse similiter contra alios legitimo baptismo carentes.

Ut proinde non ita pateat usus contrarius quasi perpetuus in Ecclesia, prout alii prætendunt; & gratis admissus, non inferret prohibitionem divinam, sed abstinentiam Ecclesiæ à re minùs plerumque convenienti ob periculum majorum malorum. 48. *Mala inde oriunda possent abesse, & magna bona consequi.* Quæ etiam interdum cessare possent, & aliunde sperari maximum bonum; quòd nimirum paulatim Gens aliqua sit sub jugo suavi Christi cicuranda, & ad proles seu posteros ab infantia instruendos fides sinceriissima transmittenda, etsi fortè in principio multi cōversionem simulassent. Nam certè possunt etiam gravia incommoda simulationum &c. timeri ex coactione indirecta, quæ tamen per se licita est. Prout quoque timeri possunt ex coactione directa & severissima apostatarum & hæreticorum; quæ tamen justa & licita est. *Incommoda etiam subesse possunt in coactione infidelium indirecta, aut Apostatarū & hæreticorum directa.*

Quòd autem Apostoli tamquam agni inter lupos sine potentia externa mittātur, eos sine violentia conversuri, eamque formam prædicatores fidei teneant, immo tenere debeant, non convincit, Principes non posse uti coactione erga subditos suos refractarios. Quemadmodum enim prædicatores fidei non cogant infideles ad fidem audiendam, possunt hos ad id cogere eorum Principes etiam infideles, per se loquendo, juxta alios passim. Immo nec injurias sibi illatas leguntur prædicatores vi repulisse, quas tamen repellere possent saltem pro eis principes. 49. *Rationibus aliis contrariæ sententia obviatur.*

Ratio est: quia etsi Ecclesiæ non competeret prædicta potestas, posset competere Principibus vi officii sui, vi cujus possint adigere subditos Ecclesiæ non subjectos ad servanda jura naturæ ac jus divinum, quo obligantur suscipere fidem satis propositam: Quemadmodum juxta alios passim possunt eos cogere ad fidem audiendam. Confirmatur: quia potestas principum quoad infideles sibi subjectos videtur 50. *Probatur ratione.*

manere

manere in iisdem terminis, in quibus esset, si Christus nullum Ordinem Hierarchicum in Ecclesia instituisset; tunc autem plebs subjiciens se principibus seu regibus, fuisset iisdem subjectus etiam in negotio religionis. Quod etiam fatetur *Arriaga d.25. num.22.* inde probans posse Principes cogere hujusmodi infideles subditos ad fidē audiendam, & inconsequenter negans esse subjectos aut cogibiles ad fidem profitendam. Et planè non repugnat ex natura rei populum hujusmodi potestatem in principes transtulisse; in ipsos autem transtulerunt omnem potestatem illimitatè. Quamvis hanc impiè sibi arrogent nonnulli principes hæretici, etiam in subditos Ecclesiæ.

51. *Concluditur probabilitas doctrinæ Scoti.*

Ex quibus confirmata manet sententia *Scoti*, & soluta, quæ ex parte juris divini aut naturæ contra eam adferri possent, eatenus præsertim, ut appareat non esse improbabilis: quamvis negari nequeat, quin opposita, ità communiter recepta, sic & probabilissima sit. Quæ autem adferuntur contra sententiam *Scoti* ex jure humano, nil obsunt: cùm solùm asseratur, quid ex natura rei seu jure divino sit licitum. Quamvis alioquin canones allegati expresè solùm agant de Judæis; in quibus ob singularem malitiam & obstinationem velut hereditariam plus est periculi & major ratio prohibitionis.

*Ei prohibitio Ecclesiastica non obstat.*

*Quæ expresè solùm agit de Iudæis.*

## QUÆSTIO V.

### *An Infideles sint Cogendi, ut Errores & vitia contra naturam Relinquant?*

52. *Ritus hæreticorum an vel quando tolerari possint.*

NON est sermo de Infidelibus baptizatis: quorum errores & ritus fidei contrarios posse & debere extirpari, quando id commodè fieri potest, est manifestum. Et de facto Ecclesia, etiam invocato auxilio brachii sæcularis, id facit, gravissimisque pœnis deviantes mulctat. Ratio est: quia tenetur Ecclesia pro posse subditos ad rectam viam reducere. Dixi *quando id commodè fieri potest*: interdum enim hæreses in quibusdam locis, dissimulante Ecclesiâ tolerantur, ob pericula majorum malorum. Utiliùs quoque interdum permittitur in provincia alioquin hæretica libertas conscientiæ, dum sic etiam Catholica religio gaudet impunitate, quâ ibi carebat. In provincia verò Catholica posset eadem libertas permitti, sed non nisi ex causis gravissimis, & rebus quasi desperatis. Sicque longè utiliùs prospectum fuisset Catholicæ fidei in districtu Bucoducensi, si postulata à Statibus Confœderatis conscientiæ libertas cùm hæresis publico in pauciissimis ejusdem districtûs locis exercitio fuisset admissa, quàm dum è contrà eâ denegatâ, fuit subsecuta exercitiorum religionis Catholicæ totalis exterminatio. Advenis similiter, aut certis personis, ex gravi causa (quæ planè requiritur) & cavendo indigenarum perversionem, permittitur interdum in quibusdam locis ritus falsus vel hæresis.

Dum autem Principes libertatem conscientiæ hæreticis concedunt, tenentur ipsi stare promissis, & fidem datam servare, etsi quoad Ecclesiæ subditos non teneatur ipsa stare concesso citra consensum Papæ per Principes Salvo conductu aut immunitate. Ipsa alioquin Ecclesia etiam tenetur servare fidem à se datam; ut clarissimè colligitur ex Salvo conductu dato Protestantibus à *Tridentino*, qui habetur ad calcem *sess.15.* Quod enim licitè promittitur, ex debito observatur: licitè autem ob bonum commune religionis potest se Ecclesia per promissum tale adstringere. Quòd verò Hæretici objiciant fidem datam Joanni Hus & Hieronymo Pragensi non esse servatam à Concilio Constantiensi, est mera calumnia: nam gratia concesso (quod tamen quidam negant) eos habuisse, saltem ab Imperatore, salvum conductum, Ecclesia non potuit exinde obligari, sed jus eos judicandi & puniendi retinuit. Et quamvis fuerit à Concilio ex parte Hieronymi Pragensis postulatus, tamen Concilium noluit dare absolutum, sed solum promisit eum audire sine vi, & justitiâ semper salvâ. Sed & adhuc fides ei servata est: nam clementer auditus hæreses abjuravit, subjiciens se severitati canonum in casu relapsûs (ut patet ex confessione ipsius Hieronymi *sess.16.*) adeoque cedens juri impunitatis. Propter quod pœnitens abjurationis factæ, & relapsus in hæreses, meritas pœnas luit.

53. *An Principes Christiani & Ecclesia servare debeant fidem hæreticis datam.*

*Nec illam infregit Concilium Constantiense.*

Solùm dubitari posset de Infidelibus non baptizatis, tam de subjectis Ecclesiæ & Christiano Principi, quàm de non subjectis. Et quidem si Infideles non sunt subditi tēporaliter Ecclesiæ vel Christiano Principi, non obligatur specialiter Ecclesia, nec Christianus Princeps procurare, ut errores deponant, quia sibi specialiter commissi non sunt; obligantur tamen lege charitatis, eo modo, quo unusquisque obligatur ad salutem alterius procurandam. Si autem Infideles subditi sunt Christiano Principi, vel temporaliter Ecclesiæ, sicuti Judæi Romæ commorantes subdūtur Pontifici, tunc obligatur Ecclesia, seu Christianus Princeps eos ab erroribus rationi naturali contrariis, & à falso cultu, & superstitione Deorum removere, aliaque scelera legi naturæ contraria, quæ lege civili prohiberi possent, impedire, quantùm commodè potest. Quod addo: nam timor perturbationis reipublicæ aut alterius gravioris mali, prudenti arbitrio pensandus, potest ab hac obligatione in toto vel in parte interdum excusare. Ratio est: quia potestas

54. *Infideles subditi Christianis Principibus cogendi ut errores juri naturæ contrarios relinquant.*

politica principis non limitatur ad subditos fideles (quos utique potest ad hoc cogere) sed extenditur ad omnes etiam infideles, quos potest & debet dirigere in ordine ad finem naturalem, adeoque ut secundùm rationem vivant: item in ordine ad pacem, & honestum reipublicæ statum ac humanum convictum. Unde sicut furta, homicidia, & similia, sic etiam cultum dæmonum & similia peccata legi naturæ contraria, nec non rempublicam maximè dehonestantia prohibere potest. Ideoque Imperatores Christiani legibus ab Ecclesia commendatis, aut etiam interdum postulatis, idololatriam, clausis aut eversis idolis, severissimè prohibuerunt.

*jecti ad vitia contraria naturæ relinquenda.*

55. *An necessariò præcedat prohibitio specialis punitionem eorumdem,*

Quia tamen respublica solùm punire potest eos, qui ipsam ejusve tranquillitatem lædunt, censet *Bannez*, *Suarez*, *Coninck* & alii, ut citat & sequitur *Lugo d.19.n.116.* debere principem priùs lege suâ prohibere ejusmodi delicta, antequam delinquentes puniat, cùm aliàs non censeantur ejus auctoritatem vel tranquillitatem lædere. Estque hic suavior humanæque indoli magis accommodatus modus. Alioquin non videtur negandum (inquit *Lugo*) atrociora & extraordinaria crimina posse à principe puniri, licet lex nullam pœnam designarit. Idemque dici potest de quolibet atroci crimine in Deum vel homines, etsi lege non expresso, utpote reipublicæ tranquillitatem maximè perturbante: ut satis sit, quòd ipsa delicti qualitas suadeat, non fuisse mentem legislatoris impunitatem concedere.

56. *Ritus rationi non contrarios an vi tollere aut patienter tolerare possint.*

Quòd si ritus horum infidelium non sint contra naturam, sed solùm contra nostram fidem, quales sunt ritus Judæorum & plures Mahumetanorum unum Deum colentium, communis sententia tradit Principes non posse hujusmodi subditos cogere directè, ut eos deserant, utì fiec ut fidem amplectantur, conformiter ad communem sententiam discussam *quæst. præced.* Immo juxta Doctores ex *c.1. & 3. de Judæis & Saracenis* possunt principes Christiani ritus Judæorum tolerare, quamdiu exercentur sine injuria fidei nostræ: eò quòd non sint contra jus naturæ, & illustrent non modicùm fidem Christianam, cujus sunt figuræ. Quamvis indubiè fidei & animarum zelus dictet, ut Principes modis omnibus licitis adlaborent ad hujusmodi infidelium conversionem, eâque mediante falsorum rituum exterminationem. Et in Canonibus citatis sic permittitur Synagogarum retentio aut reformatio, ut inhibeatur novarum ædificatio.

57. *Non possunt cogi ab Ecclesia aut principibus Infideles illis non sub-*

Difficultas ergo restat de Infidelibus Principi Christiano nõ subjectis, an possint ab Ecclesia vel Principibus Christianis extraneis cogi, ne idololatriam & similia vitia naturæ contraria exerceant. Nonnulli affirmant. Sed *Cajetanus*, *Victoria*, *Soto*, *Suarez*, *Coninck* & alii communiter negant. Ratio est: quia in hujusmodi nullam habent jurisdictionem, sive Ecclesia, sive Principes Christiani: potestas autem punitiva seu coactiva non potest exerceri sine jurisdictione, seu in non subditos. Confirmatur: tum quia Ecclesia aut Principes Christiani nequeunt talibus aliquid præcipere aut prohibere, ergo nec punire seu cogere illos: tum quia aliàs possent Principes Christiani hoc titulo etiam invicem cogere mutua regna invadendo: tum quia defectu superioritatis hujusmodi coactio non competit homini privato, nec civi fideli erga concivem infidelem.

58. *Occurritur variis Objectionibus ex auctoritate petitis.*

Nec obstat I. illud *Eccli.* 10. *Regnum à Gente in Gentem transferetur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Nam (ut omittam sermonem esse specialiter de peccatis contra justitiam) solùm ibi asseritur, quid Deus ipse frequenter faciat vel permittat in pœnam, non quid alii homines justè facere possint, citra specialem Dei jussionem.

Non obstat II. Quòd Israelitæ Chananæos ob eorum idololatriam deleverint, eorumque regiones occupaverint. Nam id egerunt ex speciali concessione Dei, omnium supremi Domini. *Cyprianus* autem in *Exhortatione ad Martyrium c.5.* urgens interfectionem idololatrarum, non agit de alienigenis non subditis, sed de apostatis ad idololatriam deficientibus, aut certè de iis, qui ipsos ad hoc crimen allicerent. Similiter *Gregorius l.1. Epist.73.* laudans Gennadium Exarcham Africæ, quòd belligerando contra infideles fidem dilataret, agit de Wandalis vel aliis injustè à Romano imperio deficientibus, aut ejus terras invadentibus.

59.

Non obstat III. Quòd Alexander VI. *Constitut.2. Inter Cetera* motu proprio dominium insularum novi orbis inventarum & inveniendarum, quæ non erant sub dominio alicujus Principis Christiani transtulerit in Ferdinandum & Elizabetham Reges Catholicos; quod non alio titulo videtur fieri potuisse, nisi ob idololatriã & peccata insolarum contra legem naturæ, adeoque habebat Pontifex hoc titulo potestatem disponendi de regnis infidelium. Nam hæc Pontificis concessio est intelligenda juxta terminos juris; suppositâ nimirum aliunde justâ causâ belli, quâ suppositâ Pontifex tribuit Regibus Castellæ, exclusis ceteris Christianis, facultatem loca ista sibi occupandi. Unde *Coninck disp.18.num.160.* refert Paulum III. postea per Bullam quamdam declarasse, Indos infideles esse veros dominos suorum bonorum, nec iis posse spoliari; subintellige similiter, nisi aliunde justa spolii causa intervenerit.

*Quâratione Alexander VI. Regibus Castellæ dederit Insulas novi Orbis.*

Non obstat IV. Quòd aliquæ nationes sint ita barbaræ, ut videantur à natura constitui in servos. Ideoque *Augustinus 5. de Civit.*

*An Barbari sint subjugandi, & an inde Romani laudabiles.*

*Civit.* cap. 12. & 17. laudat Romanos, quòd barbaras nationes subjugarint. Nam natura barbaros non constituit servos, sed ad serviendum aptos. Quòd si aliqua natio tam barbara reperiretur, quæ gubernationis esset incapax, subjugari ad summum posset titulo defensionis naturæ humanæ, non religionis. Nec Romani laudantur, quòd barbaros eis non obstrictos subjugarint, sed quòd subjugatos bonis moribus instrui curaverint.

60. *Injuriam Deo factam per hujusmodi infideles cur nequeant ulcisci extranei.*

Non obstat V. Quòd Principes possint impedire & ulcisci injuriam factam innocenti, adeoque etiam factam Deo per peccatum. Nam si id rectè sequeretur, idem inferri posset de quibusvis peccatis, etsi non contrariis legi naturæ. Deinde juxta *Coninck d.* 18. *num.* 201. solùm possunt impedire injuriam innocentis ex tacita vel expressa illius concessione; Deus autem nec expresè nec implicitè commisit Principibus impedire aut ulcisci injurias sibi ab extranea republica illatas. Et quidquid sit de præfata regula sic limitata, saltem prædicta non licent privatis seu non superioribus injuriam inferentium, quando majora damna publica inde sequerentur; prout in casu fieret. Quidquid sit, an omnia peccata mortalia contineant injuriam propriè dictam contra Deum. Quod si urgeatur, hinc sequi gravissima quorumdam crimina non posse debitè puniri, respondeo si subditi devient, puniendos esse à propriis Principibus. Qui si id non præstent, per accidens est, & punitio Deo relinquenda, utì & ipsorum supremorum Principum infidelium à lege naturæ deviantium.

61. *Quid quâve ratione possint Principes Christiani agere contra Infideles non subditos.*

Nihilominus ex communi sententia possunt infideles Christianis nō subditi à Principibus Christianis etiam armis impediri à peccatis, quæ sunt innocentibus nociva, aut Religioni injuriosa: hoc enim non tam est jurisdictionis exercitium, quàm fidei & innocentum defensio. Unde potest contra illos procedi, si contra Religionem blasphement, conversionem subditorum violenter impedant, adultos innocentes aut parvulos tamquam victimas idolis offerāt. Idque etiamsi innocentes auxilium expresè non petant; cùm saltem præsumantur velle tutelam ab iis, qui opem ferre possint. Immo id verum est, etsi occidendi in necem consentiant, juxta *Suarez*, *Lugo* & alios contra *Coninck*: tum quia nullus habet dominium in vitam, adeoque consensus perinde se habet, ac si non esset: tum quia tales reputari possunt tamquam amentes, quos etiam nolentes licet defendere: tum quia volentem se interficere possumus ligare, adeoque & impedire occisionem in præsenti casu. Cessante tamen injuriâ & præjudicio innocentum, cessare debet actio defensiva, ne degeneret in punitionem pro præteritis delictis, quæ pertinet ad solum superiorem.

## QUÆSTIO VI.

### *An Infidelibus Competat Dominium in Fideles, Eove privari possint?*

CERTUM in primis est Infideles esse capaces dominii, tam despotici, quale habet dominus in mancipium, quàm politici (quod vocari solet potestas jurisdictionis) quale habet Princeps in subditos. Certum præterea est jure divino Infideles neutro dominio privari per hoc, quòd eorum servi aut subditi sint vel fiant Christiani. Unde Imperatoribus & Principibus Ethnicis Christiani non minùs, quàm ceteri fuerunt subjecti. Et ipse Christus fidelibus Judæis *Matth.* 22 respondit, reddenda Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Eamdem subjectionem commendat Petrus 1. *Epist. cap.* 2. Et Paulus *ad Rom.* 13. obligationem hujusmodi subjectionis ad potestates sublimiores, tunc infideles, exaggerat. Nec alicubi reperitur jus divinum, quo Infideles hujusmodi jurisdictione aut dominio priventur. Oppositum etiam non expediviſſet bono fidei.

62. *Infideles sunt capaces dominii.*

*Quo non privantur conversione subditorum.*

Immo juxta communem sententiam (etsi quidam referantur in contrarium) non potest Ecclesia Principes infideles, non baptizatos scilicet, potestate jurisdictionis privare; cùm nullibi hæc potestas reperiatur concessa, & aliunde hi Principes non subsint Ecclesiæ. Unde fideles tenentur hujusmodi Principibus obedire, non solùm ratione scandali, seu (ut 1. *ad Timoth.* 6. dicitur) *ne nomen Domini blasphemetur*, sed etiam per se, propter communem obligationem, adeoque *propter conscientiam*, ut dicitur *ad Rom.* 13. Nec in hoc est aliqua indecentia, utì neque in eo, quòd servus fidelis & probus servat Domino dyscolo; sed potiùs subjectio ista congruit humilitati Christianæ. Dum autem Apostolus 1. *ad Cor.* 6. reprehendit fideles litem intentantes aliis fidelibus apud infideles Magistratus, non negat, quin hi sint legitimi judices, sed reprehendit, quòd fideles non componerent sua negotia cum pace per arbitros Christianos sine lite seu judicio, non carente periculo peccatorum, præsertim accedente periculo scandali, quod ex eorum discordia natum erat sequi apud infideles.

63. *Immo nec privari possunt per Ecclesiam dominio jurisdictionis.*

Adhuc posset dubitari, an Princeps infidelis possit privari dominio, quod habet in servos fideles, idque per se ob bonum & honorem fidei, adeoque secluso periculo perversionis. Affirmat *D. Thomas q.* 10. *art.* 10. *Bannez*, *Lorca* & alii. Sed oppositum est tenendum cum *Navarro*, *Covarruvia*, *Suarez* & aliis communiter. Ratio est: quia hæc potestas non competit Ecclesiæ ex natu-

64. *Sed neque dominio proprietatis in servos.*

tura rei: neque etiam ex concessione positiva Christi, quæ nusquam apparet; quin potiùs ex variis Scripturis colligitur contrarium, ut 1. *ad Timoth.* 6. *Ad Ephes.* 6. 1. *Petri* 2. Ideoque *Concilium Gangrense* relatum c. *Si quis servum* 17. q. 4. graviter reprehendit suadentem servo fugam prætextu religionis. Et planè eadem est ratio de dominio jurisdictionis (de quo antè egimus) ac de dominio proprietatis, ideoq; videtur *D. Thomas* de utroque pariformiter loqui: unde sicut Ecclesia nequit isto, sic neque hoc infideles per se loquendo privare.

65. *Nisi per accidens & quando.*

Nihilominus si Infideles sint mancipiis ob fidem molesti, eosve minis vel persuasione importunâ ad infidelitatem aut peccata pertrahere tentent, possunt mancipia ratione injuriæ & periculi animæ se ab eorum dominio eximere, possetque Ecclesia fugâ præcipere, & per se aut alios eorumdē defensionem procurare. Similiter existente proximo & morali periculo perversionis, nec suppetente aliâ securitatis viâ, possent ipsi fideles se subtrahere à jurisdictione infidelium, via defensionis & cautelæ contra damnum imminens. Idemque posset Ecclesia, cui commissa est potestas continendi sibi subditos in fide & bonis moribus, quæ solùm est indirecta in infideles, quatenus scilicet est necessaria ad bonum fidelium. Nec debet expectari perversio, sed sufficiunt minæ aut importuna persuasio: cùm tentatio hæc censeatur gravis injuria, quam fidelis meritò potest fugere, & à qua Ecclesia illum potest custodire.

66. *Infideles in terris Christianorum non possunt assumi ad publica officia.*

Denique ex prohibitione Ecclesiæ non possunt infideles inter Christianos commorantes præfici publicis officiis, adeoque Princeps Christianus nequit eis in Christianos sibi subjectos conferre jurisdictionem. Id enim expresè inhibetur c. *Cùm sit nimis, de Judæis & Saracenis*; idque ob dignitatem & honorem nostræ fidei, cui ignominiosum erat, assumi infideles velut aptiores, reliquis fidelibus postpositis. Similiter infidelis subjectus Christiano Principi privatur dominio servi, hoc ipso quo ad fidem convertitur, sive sit servus emptitius, sive vernaculus seu servus natus.

*Privantur ibidem dominio servi hoc ipso, q. o convertitur.*

## QUÆSTIO VII.

### *Quæ Communicatio cum Infidelibus sit licita Christianis?*

67. *Quæ communicatio cum Infidelibus inhibita jure divino naturali.*

CERTUM in primis est, & ex antedictis de Confessione fidei satis constat, jure divino naturali illicitam esse communicationem cum infidelibus in sacris, sive in eorum ritibus & falso cultu. Idemque est de quavis communicatione, etiam politica, ex qua meritò timeatur periculum morale subversionis, aut grave scandalum: cùm quilibet teneatur saluti suæ consulere, & scandalum evitare. Quod periculum ex diuturniori ac frequentiori familiaritate, cum Judæis præsertim, & obstinatis hæreticis, odio erga fidem Catholicam plenis, timendū, maximè si Catholici simpliciores sint. Unde plerumque ex natura rei illicita sunt cum illis connubia. Cui accedit, quantùm ad non baptizatos, præceptum Ecclesiasticum invalidans, quoad hæreticos inhibens hujusmodi connubia, juxta ea quæ traduntur in materia de Impedimentis Matrimonii. Præterea si sint hæretici denūtiati seu nominatim excommunicati, vitanda est communicatio juxta dicta in 2. *Parte* in materia de Censuris. Jure Ecclesiastico etiam inhibetur juxta *Suarez*, *Coninck* & alios, ne infidelis nō baptizatus admittatur ad sacrificium missæ, sed tantùm ad orationes privatas, Conciones & Missam Catechumenorum, c. *Episcopus nullum de Consecrat. d. 1.* Qui tamē posset admitti, si inde speraretur fructus, v. g. conversio ipsius aut alterius, ut *Coninck* advertit. Immo quia communiter fructus speratur, credo (inquit *Lugo disp. 22. num. 106.*) sæpè Ecclesiæ ministros connivere, nec expellere infideles quando turmis fidelium sese immiscent, ut res nostras sacras observent.

*An admittendi ad cōsagia cum fidelibus.*

*An admittendi ad sacros ritus.*

68. *Interdictum ab Ecclesia Christianis, ne se subjiciant servituti aut famulatui Judæorum.*

Jure Ecclesiastico specialiter interdicta est aliquibus casibus communicatio cum Judæis c. *Judæi*, c. *Ad hæc*, & c. *Fin. de Judæis*. Primò inhibetur familiaritas cum eis, non quæcumque, sed (ultra præmissam, quæ scandalum aut periculum morale perversionis generat, & jure naturæ inhibetur, & communicationem cum illis in præfectura inter Christianos statuendis, de qua *quæst. præc.*) quæ continet Christiani servitutem, aut stabilem in famulatu, in domo scilicet Judæorum, subjectionem. Id enim solum colligitur ex c. *Ad hæc*, & c. *Fin.* Unde non prohibetur, Judæum haberi à Christiano in servum aut famulum, aut etiam Christianum locare operas Judæo, ejusque mercenarium aut colonum esse.

*Aut illos, aliosve infideles adhibere in menbros.*

Secundò Christianis inhibitum est advocare aut admittere Medicos Judæos vel alios infideles, Paganos scilicet aut Saracenos; ut patet ex *Constitut.* 68. *Gregorii XIII. Aliàs piæ mem.* Quamvis excuset gravis necessitas ab observantia hujus, utì ceterorum Ecclesiæ præceptorum.

69. *Expenduntur inhibita c. Nullus 28. q. 1.*

Idem antea quoad Judæos prohibitum erat c. *Nullus* 28. q. 1. ubi in substantia generaliter statuitur, ne quis *Judæorum azyma, ritu* scilicet Judaico, *comedat, vel ullam cum eis familiaritatem*, scilicet periculosam aut scandalosam *ineat, vel medicinas ab eis suscipiat, vel unà cum eis in balneis lavetur.* Sed Canon iste verbotenus ex Synodo Quinisexta seu Trullana (quæ illegitimum fuit Conciliabulum) desumptus est: Estque ibidem ordine undecimus. Quamvis sine hac animadversione simpliciter inter prohibitos va-

tos varii Casuistæ statuant omnes casus expressos in dicto Canone.

70. *Obstetrices aut nutrices esse nequeùt in domibus Iudæorum.* Tertiò inhibetur Christianis obstetricibus & nutricibus proles Judæorum in domibus Judæorum nutrire c. *Ad hæc, de Judæis.* Quamvis ibi non sit istis interdictum proles eorum domi suæ curandas suscipere, ut patet inspicienti textum; quidquid inde oppositum non rectè Nonnulli colligant. Non militat quoque tunc ratio allegata in Canone, quia videlicet non subjiciuntur tunc Judæorum servitio tamquam famulæ.

*An interesse queant mutuis conviviis.* Quartò c. *Omnes* 28. *q.* 1. ex *Concilio Agathensi c.* 40. inhibetur Judæorum cõvivia adire, aut eos ad convivia invitare; idque quia discernunt inter cibos mundos & immundos. Quod si non faciant, prohibitio cessat juxta *Azorium, Coninck* & alios. Atque esto quòd non, saltem non est nisi Canon Concilii particularis.

71. *An sit prohibitum aliquid legare Iudæo vel Pagano.* Quintò solet recenseri inter casus prohibitos, legare aliquid Iudæo vel Pagano. ex c. *Sanè* 24. *q.* 2. Et c. *Si quis Episcopus, de Hæreticis.* Sed c. *Sanè* non est ullo modo ad rem, ut clarum est inspicienti. c. *Si quis Episcopus* inhibetur Episcopis, ne heredem instituant extraneum, aut hæreticum etiam consanguineum, aut Paganum. Quod extenditur sequenti c. *In eos* ad alios Clericos, ut scilicet in non Catholicos, etiam cõsanguineos, nihil conferant. Tamen *L.* 1. *Cod. de Judæis* decernitur invalidum esse legatum factum universitati seu communitati Judæorum.

*Subsidia iis præstare qualiter inhibitum.* Prædictis addendum sub excommunicatione reservata in Bulla Cœnæ inhibitum esse Christianis præstare arma, vestes, cibos, & alia subsidia Judæis & Paganis, aliisque Christianæ reipublicæ inimicis declaratis. Quod etiam sub excommunicatione prohibitum erat quoad Saracenos tempore Guerræ c. *Ita quorumdam,* & c. *Quod olim, de Judæis & Saracenis.*

72. *An Canones agentes de Iudæis sint extendendi ad omnes Infideles, aut saltem ad Mahumetanos.* An autem casus, quibus specialiter inhibetur certa communicatio cum Judæis, sint extendendi ob paritatem rationis ad omnes infideles, controvertitur. Aliqui affirmant. Alii negant, contendentes esse specialem in Judæis rationem, ob eorum singulare odium in Christianos. Alii ad solos Mahumetanos (in quibus est par hostilitas contra Christianos, & quorum familiaritas est æquè pernicioſa) censent debere extendi. Sed rectiùs simpliciter negatur: cùm nõ sit extensio prohibitionis facienda, etiam stante paritate rationis ultra verba legum; quæ ferè de solis Judæis agunt, paucis exceptis, v.g. quòd in illis ad Saracenos extendatur prohibitio de famulatu, & ad omnes Infideles, seu Paganos prohibitio de non assumendis iis in Medicos, deque non præstandis subsidiis contra Christianos.

De reliquo non est prohibita per se loquendo communicatio seu commercium cum Judæis aut aliis infidelibus, quibuscum cõsequenter licet exercere negotiationem, emendo, vendendo &c.

73. *An liceat Iudæis vendere agnum, Infidelibus animalia, quibus creduntur abusuri.* Solùm moveri posset difficultas de quarumdam rerum indifferentium venditione v.g. agni, aliorumve animalium, florũ, materiæ vestimentorum &c. quibus Judæi aut alii infideles sciuntur abusuri ad suos ritus vel superstitiones, etsi alioquin per se habeant alium usum honestum. Sed consentiunt Doctores posse similia iis licitè vendi, dum subest justa causa, quæ excusat à malitia scandali, & facit, ut actiones indifferentes sint licitæ, etsi alii malum finem intendant; ut patet ex generali doctrina de Scandalo.

74. *An liceat vendere idola & similia.* Major difficultas est, de venditione rerum per se ordinatarum ad falsum cultum, nec alium usum ordinarium habentium, v.g. idolorum, vestium pro sacrificio &c. Quas illicitè vendi indefinitè tradunt *D. Thomas* & alii. Et quidem indubiè requiritur ibi major necessitas, quàm in rebus prioris generis vendendis, ut per se patet. Emptio enim ista in circumstatiis istis, in quibus fit ab infideli, apertè prodit pravam & superstitiosam ementis intentionem, cui per se loquendo nefas est cooperari. Varii tamen intelligunt *D. Thomam* de eo, quod est ordinarium ac per se. Ac proinde *Sylvester, Valentia, Tannerus, Coninck, Arriaga* & alii existimant in gravissima seu extrema necessitate id fore licitum, necessitate seu periculo abstergente malitiam, ut non censeatur hic & nunc cooperatio ad finem malum: cùm nimirum sint res indifferentes, quæ ob curiositatem, tragœdiam, aut similem finem licitè emi possent,

75. *An idem sit de venditione & de confectione idoli dicendum.* Secùs est juxta *Coninck disp.* 18. *dub.* 13. *n.* 213. de confectione idoli, vestium sacerdotalium, ædificatione idoli pro infidelibus. Sed non consequetur: cùm moraliter idem sit quoad punctum cooperationis idolum conficere, & à se aut alio confectum vendere: nec talis sit magis instrumentum idolatriæ, quàm erigens in tali necessitate scalas sit instrumentum furis. Itaque talis utitur jure & arte suâ, censeturque ob necessitatem se permissivè habere ad alterius malam intentionem.

76. *Occurritur objectioni.* Nec obstat, quòd nonnulli Christiani sculptores elegerint potiùs mori, quàm idola sculpere. Nam id egerunt, sive quia timebant, ne id esset illicitum: sive quia in odium fidei id exigebatur, aut ita exigi timebatur: sive quia honestissimè appetitur martyrium, ne quidquam fiat, quod quovis modo possit existimari idololatris favere, quantumvis simpliciter licitè fieri posset: sive denique quia tunc plerisque existentibus infidelibus, hujusmodi statuarii seu sculptores per hoc ostendebant se esse gentiles. Quare etiamsi hujusmodi confectio aut etiam venditio in aliquibus circumstan-

cumstantiis esset signum falsi cultus seu infidelitatis, nullatenus liceret; utì non licet adolere thus idolo. Aliquin vendens aut conficiens in necessitate le permissivè habet ad alterius peccatum aut secuturum falsum cultum, non autem ipse peccatum aut falsum cultum operatur. Unde Catholici non videntur facere scrupulum peccati, si in necessitate cogantur synagogam ædificare pro Hæreticis, eâ ad suas hæreses abusuris.

## QUÆSTIO VIII.

### *Qualiter sit Prohibita Lectio Librorum Hæreticorum?*

77. *Lectio librorum hæreticorum quando illicita jure naturæ.*

LIBRORUM perversorum, præsertim hæreticorum, lectio, quando ex ea alicui morale perversionis imminet periculũ, est indubiè jure divino naturali prohibita. Quod quia frequenter imminet indefinitè loquendo, etiam tunc, quãdo non imminere præsumitur, justissimè Ecclesia lectionẽ librorum præsertim hæreticorum prohibuit. Nam sermo eorum ut cancer serpit, etiam vel maximè scriptis (quæ maturiùs exarari solent) expressus; adeoque meritò vitandus. Unde per modum justæ cautelæ Ecclesia fideles ab hujusmodi venenosis scriptis avertit. Quod etiam non parum facit ad suppressionem doctrinæ perversæ. Utì & facit ad pœnam ipsorum hæreticorum, quos veluti sibi subjectos Ecclesia sic justè punire potest.

*Quam justè ab Ecclesia sit interdicta.*

78. *Consonat & vetus Ecclesiæ stylus.*

Neque hæc praxis Ecclesiæ nova est. Nam *Act.* 19. fideles conversi adduxerunt & publicè combusserunt libros vanos & superstitiosos. Et Jacobus Apostolus (teste *Abdia Babylonio l.* 4. *Certaminis Apostolici*) libros Hermogenis, ab ipso converso delatos ad pedes ipsius Apostoli comburendos, jussit apposito pondere in mare demergi, *ne fœtor odor incendii vexet incautos.* In *Concilio Nicæno* (teste *Nicephoro l.* 8. *c.* 18.) libri Arii sunt incendio adjudicati, additaque fuit per Constantinum pœna capitis contra occultantes. Theodosius *L. Damnato, Cod. de Hæreticis*, ex præscripto Concilii Ephesini, jussit comburi libros Nestorii. Et L. *Quicumque §. Nulli, & §. Omnes eod. Tit.* prohibentur, & igni adjudicantur libri Eutichetis, ex præscripto Concilii Chalcedonensis. Idem constat ex *Synodo VII. Act.* 7. Ubì etiam *Can.* 9. additur excommunicatio contra legentes libros Hæreticorum. Unde etiam omnia quasi opera antiquorum hæreticorum ita perierunt, ut de illis non nisi fragmenta quædam in Orthodoxorum scriptis reperiantur. Omitto plura, quæ congerit *Basilius Pontius in Appendice*, quæ habetur ad calcem *l.* 12. *de Matrimonio c.* 2. *n.* 7. Et *Bellarminus l.* 3. *de Laicis c.* 20. qui etiam dissolvit varia Hæreticorum argumenta, quæ in contrarium possent adduci.

Hodie autem considerandа est duplex Ecclesiæ prohibitio. Una est contenta in Bulla Cœnæ, in qua excommunicantur, excommunicatione Papæ reservatâ *Hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ scienter legentes, retinentes, imprimentes, sive quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore.*

79. *Adfertur prohibitio facta in Bulla Cœnæ.*

Quæ verba concernunt omnes, doctos pariter & indoctos, firmos & in fide fragiles: tum quia sunt generalia: tum quia si solos infirmos seu periculo subjectos comprehenderent, nil fuisset superadditum legi naturali: tum quia quilibet facilè præsumeret de sua sufficientia & fortitudine, cum eversione fructûs & finis legis. Hæc itaque ob periculum frequẽter natum subesse, omnibus indifferenter lectionem prohibet, nisi adsit debita licentia. Immo prohibitio est tam universalis, ut etiam comprehendat Episcopos, & quosvis alios Prælatos.

80. *Quæ concernunt etiam doctos ac in fide firmos.*

*Et in quavis dignitate Constitutos.*

Quamvis existiment Varii, Inquisitores jure Officii sui posse legere libros hæreticorum ad effectum illos examinandi & corrigendi seu condemnandi. Qui tamen inspicere debent suas commissiones & facultates, quæ possunt pro varietate temporum & locorum esse variæ.

In locis etiam, ubì non viget Inquisitionis officium, v. g. in Belgio, & de alio modo per S. Sedem non est provisum, v. g. per deputationem doctarum Personarum, quæ cognoscant de hujusmodi librorum lectione, condemnatione, confutatione, expurgatione, prout ordinaverat *Sixtus V. Constit.* 74. censet *Marchant To.* 2. *Tract.* 2. *Tit.* 2. *sect.* 4. *q.* 3. *dub.* 1. Episcopos tamquam ex vi & natura Officii Episcopalis inquisitores, posse illos legere in ordine ad prædictos effectus. Quod attinet revocationem Pontificum generalem licentiarum quibusvis factarum, respondet *Marchant*, Episcopis in talibus circumstantiis prædicta competere, non vi licentiarum, sed de jure. Quod quidem minorem difficultatem haberet, sepositâ Bullâ Cœnæ, & attentis regulis Indicis librorum prohibitorum. Et olim quidem in *Concilio Carthaginensi IV. Can.* 16. statutum erat, ut Episcopus legat libros hæreticorum pro necessitate & tempore. Saltem omnino conveniret, ut in prædictis locis, in quibus jugiter novi Hæreticorum libri prodeunt, Episcopis concederetur talis potestas. Quæ etiam viris doctis ibidem in ordine ad finem similes sæpè necessaria est, & in casu subitaneæ necessitatis, dum non est recursus ad præditos facultate concedendì licentiam, posset esse locus Epykiæ.

81. *Opinio Marchant de Episcopis Belgii.*

*An Epykia possit esse locus.*

Insuper Gregorius XIII. Bulla *exponi nobis* anno 1575. dat privilegium Præpositо

82. *Quæ privi-*

*legia Societati sive Regularibus concessa.*

sito Generali Societatis consideratè cum delectu & re consultata cum suis Assistentibus concedendi suis religiosis licentiam legendi libros prohibitos ad oppugnandum. Varia item concedit ibidem Religiosis Societatis in ordine ad legendum aut emendandum libros quosnullos sive certæ qualitatis prohibitos, ac in libris suis executioni mandandum ea quæ in Cathalogo & Decreto S. R. & Universalis inquisitionis præcipiuntur, ad effectum, ut illi retineri possint. Confirmatque & quantum opus de novo concedit, supplendo defectus, ea, quæ super hujusmodi materiâ à se vel Pio V. concessa fuerant. Concesserat autem vivâ voce Provincialibus Societatis pro regionibus septentrionalibus facultatem dispensandi cum suis circa indicem librorum prohibitorum, immo & cum externis ad eos recurrentibus, cum delectu tamen, idque ad oppugnandum tantum; ut refert *Bassæus V. Hæresis n.* 16. Vide *Compendium Societatis* V. *Libri prohibiti*, & *Compendium Privilegiorum* novissimè collectum ab *Augustino à Virg. Maria* V. *Libri.*

At quia Gregorius XV. ac novissimè Urbanus VIII. licentias legendi libros nimiùm multiplicatos revocarunt, earum concessionem deinceps ad Congregationem S. Officii reducentes; dubitatur, an Generales Religionum nihilominus possint concedere licentiam suis subditis legendi libros prohibitos; id negante *Diana* & *Lezana*, at affirmante *Peyrino*, quòd hic putet prædictos Pontifices non derogare privilegiis Religionum, sed solùm particularibus licentiis, ut refert *Bassæus sup. n.* 17.

83. *Ad excommunicationem Bullæ incurrendam requiritur 1. ut actiones inhibitæ fiant scienter.*

Tria porrò ex tenore Bullæ ad incurrendam præfatam excommunicationem requiruntur. Primò, ut lectio, aliæque actiones prohibitæ fiant scienter. Unde excusat ignorantia etiam vincibilis & crassa, non tamen juxta Plurimos affectata; quamvis & hanc excusare existimem cum aliis valde probabile, conformiter ad dicta *Parte* 2. *Tract.* 3. *d.* 5. *n.* 27. eò quòd non sit in rigore scientia, quam jus requirit, & versemur in materia pœnali.

84. *Secundò, ut libri sint hominum hæreticorum.*

Secundò requiritur, ut sint libri hominum hæreticorum. Unde vi Bullæ Cœnæ non excommunicantur legentes libros Catholicorum, in quibus refutandi causâ inserti sunt errores Hæreticorum propriis eorumdum verbis, etsi id faciant, ut sciantur eorum errores: sicut nec illi qui legunt librum alicujus Catholici, in quo sunt aliqui errores per ignorantiam admixti, aut etiam prava Hæreticorum Scholia: quia ejusmodi non sunt libri Hæreticorum. Limitat tamen hanc ultimam partem *Suarez* (Aliis contradicentibus) nisi ea Scholia essent tam ampla, ut liber ex eis pro maxima parte constaret: tunc enim ratione horum meritò videtur posse dici liber Hæretici à maxima sui parte. Sicut libri commentantes Scripturam, aut *D. Thomam* à suis Auctoribus nomen sortiuntur, etsi textum Scripturæ aut *D. Thomæ* insertum habeant. Sufficit autem esse librum Hæretici formaliter, etsi nondum sit damnatus: quia vox illa *Hæreticus* etiam tales comprehendit. Non prohibetur tamen illis verbis lectio librorum scriptorum ab Infidelibus non baptizatis: illi enim non solent dici Hæretici.

85. *Tertiò, ut ex professo tractent de religione aut contineant hæresim. An alterutrum sufficiat.*

Tertiò requiritur, ut libri sint hæresim continentes, vel de religione (utique ex professo seu instituto, ut prudenter consideranti patet & exprimitur Regula 2. Indicis librorum prohibitorum) tractantes. Sufficitque juxta Doctores communius alterutrum; eò quòd loquatur Bulla sub disjunctione, maneatque sufficiens ratio prohibitionis hujusmodi: quamvis *Sayrus*, & *Jacobus de Graffiis* apud *Bassæum V. Hæresis n.* 9, (qui tamen oppositum existimat esse verius) putaverint non sufficere, quòd liber tractet de religione, nisi simul contineat hæresim. Sufficit præterea juxta *Suarez*, *Sanchez* & alios passim, ut liber contineat hæresim vel unicam, attentis verbis Bullæ simpliciter & propriè acceptis: quamquam juxta *Sayrum*, & *Jacobum de Graffiis* (quos refert & sequitur *Bassæus sup.*) requiratur, ut liber de hæresi tractet ex professo, nec sufficiat, quòd de alia re tractando obiter interponatur aliqua hæresis: & *Arriaga d.* 23. *sect.* 4. *n.* 22. satis probabile putet requiri, ut saltem aliquas hæreses liber contineat, quasi parum pro nihilo reputetur. *An sufficiat hæresis vel unica.*

86. *Excommunicationem incurri à legente Epistolam aut brevem scripturam. Varii affirmant. Plures negant; etsi nonnulli haud sibi constarent.*

Dubium est, an excommunicatio incurratur à legente Epistolam, Concionem, aliamve brevem Scripturam, etiam impressam, alicujus Hæretici continentem hæresim, aut de religione ex instituto tractantem? Varii affirmant. Possetque Ecclesia id declarare, & sic cessaret quæstio, quæ adhuc obtinet. Unde Plures negant. Et inter hos *Marchant sup. dub.* 2. qui tamen non satis cohærenter præmiserat legentes talia Scripta mortaliter peccare: cùm seclusso periculo perversionis (quod utique non semper adest,) id provenire deberet ex lege Ecclesiæ, quæ si comprehendat tales casus suâ lege, etiam comprehendet suâ pœnâ transgressoribus simpliciter impositâ. Nec magis sibi cohæret *Bassæus sup. n.* 10. ubi cùm negasset legentes prædicta incurrere excommunicationem, subdit certum esse, quòd semper peccent mortaliter ob periculum; quasi verò id tam graviter semper urgeret: cùm aliàs sanè non suffragaretur quæcumque licentia papalis ad excusandum à mortali. Itaque ut ad quæstionem propositam revertamur, posterior opinio videtur conformis verbis Bullæ in rigore intellectis; quæ agunt de libris; prædictæ enim Scripturæ non censentur vulgariter nomine libri, Ideòq; Catholici his in locis non faciunt scrupulum legentes epistolas

*Judicium Auctoris.*

epistolas hujusmodi familiares, quas interdum ab amicis hæreticis recipiunt. Circa quod tamen Pastoribus quoque & Confessariis vigilandum est. Liber autem etiam manuscriptus censetur nomine libri, & semper ita habitus fuit, ut patet de tempore nondum inventæ typographiæ.

87. *An etiam comprehendantur censurâ, qui legentes audiunt.* Quia verò Bulla loquitur de lectione, quæritur, an etiam comprehendantur censurâ, qui solùm legentes audiunt? Affirmant Varii. Sed negat *Sanchez*, *Filliucius* & plures alii, spectatâ vi verborum legis, quæ non sunt amplianda etiam ob paritatem rationis, cùm in pœnalibus versemur: propriè autem talis non censetur legere. Idemque est de eo, qui ex memoria recoleret priùs lecta: nam illa recollectio non est lectio, estque ordinariè actus merè internus, de quo Ecclesia non judicat. Immo si quis memoriter externâ voce repeteret aliqua quæ in libro hæretico legisset, non incurreret censuram, eò quòd non censeretur legere librum. Periculum porrò audientis & recolligentis cavendum est ex natura rei, potestque reperiri etiam in eo qui hæreticum publicè vel privatim differentem audit; quod tamen fit sine incursu censuræ. Aliunde tamen possent incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ inflictam fautoribus aut defensoribus Hæreticorum, si tales se ostendant, etsi libros non legant.

*Aut recolunt memoriâ, Vel ore repetunt.*

*Aut materialiter instar psittaci legunt.* Non censetur etiam legere librum, qui etsi characteres adspiciat & voces correspondentes formet, eas tamen non intelligit: solùm enim est lectio materialis, quam lex aut ratio legis non respicit. Non requiritur tamen, ut ex aspectu scripturæ formentur voces externæ: nam lectio non consistit in prolatione verborum, cùm etiam legat oculis percurrendo, qui nihil exprimit, sed solùm eâ occasione de rebus per scripturam conspectam significatis interiùs conceptus format.

*Aut intelligendo quidem, sed non efformando voces.*

*Qui determinanda gravitas materiæ.* Difficile autem est determinare quantitatem lectionis ad eam pœnam incurrendam requisitæ. *Sanchez l. 2. Summæ c. 10. n. 31.* excusat ratione parvitatis materiæ eum qui legeret unam pagipam, etsi liber esset in folio. Sed *Marchant sup. q. 2.* longè aliter discurrit meritò videndus.

88. *Retinentes libros qui excommunicentur.* Præterea ex verbis Bullæ Cœnæ suprà relatis patet, eam censuram incurrere retinentes ejusmodi libros, etsi eos non intelligant, aut numquam legere intendant: quia nihilominus propriè eos retinent, quod in Bulla prohibetur. Excusat tamen *Sanchez* eos, qui aliquo tempore, etiam notabili, eos bonâ fide retinent, ut datâ opportunitate Inquisitoribus tradant.

*Nomine Imprimentium qui intelligantur in Bulla.* Patet insuper ex iisdem verbis Bullæ Cœnæ, ratione impressionis eam censuram incurrere, non solùm immediatè laborantes, sed etiam impressorem seu typi magistrum & libri Auctorem, si eum ad imprimendum dederit: hi enim omnes dicuntur imprimere. Immo eamdem incurrit faciens expensas (etsi eum excuset *Suarez*, alioquin in hac materia strictus) sicut enim communiter dicitur ædificare templum, qui facit sumptus pro ædificando; ita impressisse librum, qui pro eo imprimendo expensas fecit. Plures casus ex citatis verbis Bullæ vide apud *Sanchez suprà*, & *Suarez To. 5. in 3. Partem disp. 21.*

89. *Adfertur altera Prohibitio Indicis librorum prohibitorum.* Altera Ecclesiæ prohibitio emanavit à *Pio IV. Sixto V.* & *Clemente VIII.* præcipientibus observari Cathalogum librorum prohibitorum cum præfixis regulis. Qui quidem Cathalogus cum præfixa Bulla Pii IV. ac etiam Bulla Sixti V. specialiter est publicatus in hac Academia Lovaniensi tempore gubernationis Ferdinandi Alvarez de Toledo Ducis Albani. Et iterum jussu Urbani VIII. in Diœcesi Mechlinensi publicata fuit quædam appendix ad dictum Cathalogum anno 1629. Ut proinde locum hîc non habeat exceptio, quam quidam ferunt in Belgio contra prohibitionem Bullæ Cœnæ prætexere. In quo etiam non posset subsistere, adhuc secluså Bullâ Cœnæ, quod *Azorio* & *Layman* relatis docet *Bassæus* V. *Hæresis n. 16.* Catholicos, ubi hæc Bulla non est recepta, legentes libros Hæreticorum, continentes hæreses vel de religione tractantes, non incidere in excommunicationem, si legerint studio cognoscendi & confutandi eorum errores. Nam excommunicatio apertè infligitur in Bulla Pii IV. & Regula X. Indicis in fine, cujus verba referuntur *n. seq.* Aliud fortè videri posset, si sermo esset de locis, in quibus non foret etiam prohibitio Indicis recepta; aut solùm de libris necdum in Indice ibidem promulgato adscriptis, donec quid certi de iis ab Ordinariis aut Inquisitoribus statutum fuerit, quibus id videtur committi in Indicis regulis seu præambulis ad easdem.

90. *Quid potissimum in Regulis Indicis contineatur.* Porrò Regulâ I. Indicis confirmantur damnationes librorum factæ per Pontifices & Concilia ante annum 1515. Regulâ II. omnino damnantur, omnes cujusque argumenti libri tam Hæresiarcharum dicto anno posteriorum, quàm qui Hæreticorum capita & duces fuerunt. Aliorum autem Hæreticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. Qui verò de religione non tractant, à Theologis Catholicis jussu Episcoporum & Inquisitorum examinati & approbati permittuntur. Regulâ VII. Prohibentur etiam libri qui res lascivas aut obscœnas ex professo tractant. Antiqui verò ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam & proprietatem permittuntur, nullâ tamen ratione pueris prælegendi. Regulâ IX. prohibentur libri omnes & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ & similes. His accedunt libri Astrologiæ judiciariæ: quibus Clemens VIII. addit impios

pios Hebræorum libros Thalmudicos, & Cabalisticos. Demum (omissis aliis Regulis) in fine concluditur: *Quòd si quis libros Hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta ob hæresim vel falsi dogmatis suspitionẽ damnata atque prohibita legerit, sive habuerit, statim,* seu (ut loquitur Pius IV.) ipso jure *in excommunicationis,* non tamẽ reservatæ Pontifici, *sententiam incurrat. Qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit præter peccati mortalis reatum quo afficitur, judicio Episcopi severè puniatur.*

*Excommunicatio non reservata à quibus incurratur.*

*A quibus incurratur sola culpa mortalis.*

91. *An libri prohibiti donec expurgentur licitè possint retineri.*

Existimat autem *Marchant sup. dub.* 5. quòd si libri non sint absolutè prohibiti, sed cum clausula, *donec expurgentur* retineri possint, modo non legantur, donec à personis ad hoc constitutis correcti sint, & legitimâ censurâ emendati. Hujus tamen exceptionis non apparet satis solidum fundamentum inspicienti verba mox præmissa, quæ comprehendunt libros quotquot & quovis nomine sint interdicti, & generatim vetant illos haberi seu retineri. Nec prohibitio facta cum clausula, *donec expurgentur*, desinit idcirco esse prohibitio absoluta, pro tempore scilicet, quo expurgatio necdum facta est. Unde etiam simpliciter tales libri nomine prohibitorum veniunt intelligendi. Et ratio, ob quam prohibetur lectio, etiam militat in retẽtione in his, utì in aliis libris prohibitis. Consuetudo tamen potuisset in aliquibus locis (prout de Belgio Nonnulli viri docti existimasse referuntur) rigorem hunc temperasse quoad publicam in bibliothecis expositionem, aut liberiorem etiam lectionem: quod facti est.

92. *Controversiarum linguâ vulgari editarum lectio in Belgio non æstimatur interdicta.*

Notandum verò Regulam VI. Indicis, quâ statuitur de controversiis vulgari sermone editis idem, quod de bibliis linguâ vulgari impressis, non esse usu receptam in Belgio, ubi jugiter hujusmodi libelli eduntur, omniumque manibus teruntur, immo legi consuluntur, ut in promptu habeantur fundamenta fidei nostræ contra quotidianos occursus Hæreticorum. Alioquin Pius V. (teste *Bassæo V. Hæresis nu.* 16.) die 8. Januar. 1571. viva voce concesserat (quod Gregorius XIII. Bulla *exponi nobis* confirmavit) confessariis sæcularium Societatis Jesu, ut suis pœnitentibus permittere possint usum Bibliorum Vulgarium, & librorum de controversiis vulgari idiomate per Catholicos conscriptorum. Similiter his in locis non sunt in usu nonnulla ex iis, quæ in instructione recentiùs adjectâ Regulis Indicis quoad impressionem librorum continentur, ut ad oculum patet.

93. *Variæ qualificationes propositionum inhiberi solitarum cum libris eas continentibus.*

Instructio quoque circa librorum correctionem meritò videnda, §. 2. recitat ea, quæ indigent expurgatione, adeoque causas prohibitionis, & ante omnia ponit, *propositiones hæreticas, erroneas, hæresim sapientes, scandalosas, piarum aurium offensivas, temerarias, schismaticas, seditiosas, blasphemas.* Quæ sunt ferè censuræ, quas propositionibus damnatis etiam Sedes Apostolica consuevit inurere, ut patet ex Bulla Leonis X. contra Lutherum, Bullâ Pii V. contra Baium, & aliis.

94. *Quid Propositio hæretica,*

Singulas porrò Doctores varii satis fusè discutiunt ac explicant, sed non omnes universim inter se concordant. Breviter dici potest cum receptiori opinione, hæreticas quidem censeri (quod certum est) quarum contradictoriæ sunt de fide: Erroneas vero, quarum contradictoriæ non sunt quidem immediatè revelatæ, attamen sunt conclusio Theologica, puta evidenter deducta ex præmissa saltem unâ de fide & alterâ evidẽti. Hæresi & Errori proximæ censentur, quæ à plerisque cum gravi fundamento habentur pro hæreticis aut erroneis, adeoque quarum oppositæ à plerisque cum simili fundamento censentur esse de fide aut conclusio Theologica respectivè.

*Quid Erronea,*

*Quid Hæresi aut Errori proximæ.*

*Quid hæresim Sapiẽs aut de ea suspecta.*

Propositiones hæresim sapere vel olere dicuntur, quæ præbent judicium saltẽ probabile judicandi, quòd in proferente seu auctore lateat hæresis: utì suspectæ censentur, quæ saltem præbent indiciũ ad non temere suspicandum seu timendum, quòd auctor sit hæreticus. Alii hæresim sapientem propositionem vocant, ex qua potest hæresis deduci per probabiles & moraliter certas consequentias.

95. *Quid malè sonans.*

Malè sonans tantùm propositio peccat in abusu vocum diversarum ab usu communi, quo solent à fidelibus usurpari; seu (ut Alii dicunt) est propositio, quæ patitur duplicem sensum, hæreticum & catholicum, sed frequentiùs accipitur in sensu hæretico.

*Quid piarũ aurium offensiva,*

Piarum aurium offensiva dicitur, quâ profertur aliquid indecens, aut modo indecenti in materia pietatis seu religionis: esto à parte rei non videatur falsum; v.g. si quis cum sufficienti fundamento putans expungẽdam è Breviario aliquam historiam ejusve circumstantiam tamquam minus veram, diceret: Ecclesia nobis fabulas & apocrypha narrat; vel si de Indulgentiis, quas sciret causâ sufficienti carere, diceret, esse ridiculas, & solis pueris proponendas; vel (quòd vix sine blasphemia profertur) postularet preces Magdalenæ meretricis, Petri perjuri &c.

*Quid scandalosa.*

Propositio scandalosa est, quæ ex sua ratione alicui offendiculũ erroris in fidei aut morum materia subministrat, v.g. avocãdo auditores ab exercitio virtutum. Quales sunt propositiones, quibus detrahitur Statui religioso, exaggerãtur pericula piorum exercitiorũ, detrahitur fides veritati Reliquiarum, erga quas est singularis devotio populi.

96. *Quid temeraria,*

Temeraria, quæ contra cõmunem Scholasticorum sententiam, sine solido fundamẽto aliquid novi asserit; si autem est alicujus momenti fundamentum, non meretur censuram. Aliqui etiam dicunt esse temerariam, quæ etsi non dicat aliquid positivè contrarium omnibus Scholasticis, asserit tamen

tamen de novo aliquid sine urgenti fundamento in materia Catholica, quod à prioribus non est assertum, quæ dici posset temeraria privativè.

*Quid schismatica.* Propositio schismatica dicitur, quæ sine hæresi promovet schisma, vel illud generare aut ad idem inducere potest.

*Quid seditiosa.* Seditiosa videtur, quæ ad seditionem cõtra Principes vel ad tumultus in republica excitandos conducere potest. Hæc tamen propositio nisi aliunde opponatur doctrinæ fidei aut communi Theologorum, ex tali qualitate non videtur habere censuram propriè Theologicam; etsi alioquin ab Ecclesia ejusmodi propositio meritò prohibeatur.

97. *Quid blasphema.* Blasphema denique propositio dicitur, quæ injuriam & irreverentiam cõtra Deum vel Sanctos continet; quæ si pariter involvat errorem cõntra fidem, simul erit hæretica & blasphema. Qualitates enim seu censuræ propositionum præmissæ possunt, nõnullæ saltem, in unam eamdemque propositionem convenire, v. g. quòd sit erronea, scandalosa, piarum aurium offensiva. Nonnulli etiam singulis exempla assignant, quæ tamen non omnia satis congruunt. Nam hæc, *Stultum & inutile est Sacramentum Eucharistiæ solemni pompâ per plateas deferre*, quæ à Variis refertur ad Sapientes hæresim, est manifestè hæretica, & cõtraria *Tridentino sess. 13. c. 5. & can. 6.*

98. *In certis rebus propositionibus Theologicis Pontifex est infallibilis.* Quomodo autem in qualificatione propositionum etiam non hæreticarum Papa sit infallibilis, utpote cui submittere se debent omnes fideles, utì in declaratione contractuum an sint liciti, ac in decretis morum; bene tractat *Lugo disp. 20. sect. 3. nu. 109. & seqq.* asseritque oppositum esse erroneum vel errori proximum. Immo *Malderus* pertinaciter hoc affirmantem, esse hæreticum censet *q. 11. art. 2. membro 5.*

## QUÆSTIO IX.

### *De Pœnis Infidelium signanter Hæreticorum.*

99. *Non baptizati pœnis Ecclesiasticis non subjacent.* IUDÆOS & Paganos non posse ob infidelitatem suam propriè puniri ab Ecclesia certum est. Idemque est de Hæreticis necdum baptizatis, quales sunt multi Anabaptistæ, & varii olim legitimum baptismum non adhibentes. Ratio est: quia non sunt sub jurisdictione Ecclesiæ, ut apertè supponit *Tridentinum sess. 14. cap. 2.* Soli igitur infideles baptizati subjacent pœnis Ecclesiasticis, sive sint hæretici, sive apostatæ, id est, post baptismum transeuntes ad Judæos vel Paganos. Hi enim soli sunt Ecclesiæ subjecti. Et specialiter apostatas incurrere omnes pœnas hæreticorum, statuitur c. *Contra Christianos, de Hæreticis in 6.* & in Bulla cœnæ.

*Sed soli hæretici, atque etiam Apostatæ.*

*Qui hæreticorum pœnis subjacent.*

Ut porrò pœnæ humanæ incurrantur, requiritur hæresis vel apostasia aliquo modo externa: de merè internis namque ne Ecclesia quidem judicat, sive per sententiam ab homine, sive per pœnas à lege latas. Non etiam sufficit hæresis aut apostasia merè externa, quam v. g. quis simulat metu mortis, aut alterius incommodi, vel spe commodi: nam etsi talis simulatio punibilis sit, reverà tamen non constituit propriè hæreticum, nisi error sit conformis in mente; adeoque non subjacet pœnis hæreticorum simpliciter latis, utpote restringendis, quantùm fas est. Etsi in foro externo talis præsumeretur hæreticus aut apostata, & tamquam talis puniretur. Pœnas tamen incurrunt hæretici aut apostatæ quantumvis occulti, eas nempe, quæ sententiam judicis non requirunt, v. g. excommunicationem. Quæ autem sententiam exigunt, eo usque non incurruntur ab his cum effectu; etsi sint alioquin iis obnoxii, earumque rei. Quænam verò sententiam, sive condemnatoriam ad pœnam, sive saltem declaratoriam criminis requirant, ex tenore legum, juxta regulas in materia de legibus assignatas, est colligendum.

100. *Requiritur, ut peccatum sit externum.* *Non sufficit tamen merè externum.* *Sufficit occultum.*

Nunc itaque in speciali de Hæreticorum pœnis agendum restat. Et hæ quidem aliæ sunt spirituales, aliæ temporales, aliæ corporales. Prima pœna spiritualis est Excommunicatio latæ sententiæ c. *Ad abolendam, de Hæreticis*, eique reservata Pontifici in Bulla Cœnæ. Quamvis alibi non reperiatur in jure communi hæc reservatio. Nec constituit hæc censura hæreticum vitandum, quousque denuntiatus sit. Secunda pœna est Irregularitas juxta communem sententiam. De qua in materia de Irregularitate. Tertia est pœna infamiæ, quæ hæreticum ipso jure, tum Civili, tum Ecclesiastico comitatur, suppositâ saltem criminis notoreitate. Quarta est inhabilitas ad beneficium & officium publicum c. *Quicumque* §. *Haretici, de Hæreticis in 6.* de quo vide dicta *de Irregularitate* §. 4. Quinta est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ c. *Quicumque cit.* De quo vide dicta q. 2. *de Excommunicatione* §. 9. Sexta est privatio omnis spiritualis jurisdictionis c. *Audivimus*, c. *Apertè*, c. *Miramur* 24. q. 1. Quod tamen non est intelligendum de hæreticis occultis, qui adhuc suo modo sunt in Ecclesia in ordine ad effectus hujusmodi jurisdictionis præstandos. Idemq; est de manifestis non denuntiatis post Cõcilium Constantiense, ut DD. passim advertunt, quasi soli denuntiati sint vitandi extra casum extremæ necessitatis: etsi Nonnulli contradicant. Ratio est: quia excommunicatio (cui annexa est privatio jurisdictionis spiritualis) incurritur ab hæreticis jure Ecclesiastico, quæ proinde olim erat ferendæ sententiæ; & adhuc in extrema necessitate relinquitur ab Ecclesia post denuntiationem jurisdictio ad absolvendum, quamvis autem etiam non denuntiati sint ex parte sua privati,

101. *Pœnæ spirituales Hæreticorum.* *1. Excommunicatio.* *2. Irregularitas.* *3. Infamia.* *4. Inhabilitas ad beneficium & officium.* *5. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ.* *6. Privatio jurisdictionis spiritualis.* *An vel qualiter locum habeat in non denuntiatis.*

vati, Ecclesia tamen pro bono innocentium hos tolerat, ut invitati ab innocentibus præstare possint, quæ antea.

*Septima privatio beneficiorum & officiorum.*

Septima est privatio beneficiorum & aliorum officiorum rite obtentorum. De quo vide *Castro Palao disp. 4. pu. 5.*

102. *Pœna temporales sunt confiscatio bonorum, privatio jurisdictionis temporalis &c.*

Inter pœnas temporales potissima est confiscatio omnium bonorum ipso facto incurrenda c. *cùm secundùm leges, de Hæreticis in 6.* Immo & privatio omnis jurisdictions temporalis, & tituli quoque regni c. *Absolutos, de Hæreticis*, ubì Gregorius IX. absolvit subditos à debito fidelitatis, qui lapsis manifestè in hæresim aliàs tenebantur adstricti. Quibus accedit incapacitas testandi, successionis seu hæreditatis, item exemptio filiorum à patria potestate, de quibus *Castro Palao disp. 5. punc. 26.* posteaquam totâ disputatione de pœna confiscationis fusissimè egerat.

103. *Pœna corporales variæ, etiam mortis.*

Pœnæ corporales, quæ hæreticis imponi possunt, sunt pœna carceris, fustigationis, exilii, triremis, denique supplicium mortis, quod quidem imponi posset omnibus Hæreticis, de facto tamen imponitur solùm impœnitentibus, saltem fictione juris, relapsis, & in quibusdam aliis casibus. De quibus *Castro Palao disp. 6. pu. 2.* & alii. De modo quoque judicialiter procedendi in causis fidei fusè tractat idem *Castro Palao disp. 8.* & alii Auctores passim scribentes in locis, ubì viget officium Inquisitionis; quod quia his in locis non viget, consultò tractationem istius rei prætermittimus.

104. *Notanda pro Belgio.*

Quænam Principes Belgii contra Hæreticos statuerint, vide in *Codice Belgico* V. *Ketterey*, & apud *Zypeum in Analysi juris Pontef. lib. 5. Tit. de Hæreticis*, & maximè in *Notitia juris Belgici l. 1. Tit de summa Trinit. & Fide Catholica & l. 9. Tit. de Hæreticis*, ubì in fine subdit: Hæresis crimen naturâ Ecclesiasticæ cognitionis est: Sed moribus nostris & ex Concordatis Brabantiæ illius vindictam etiam sæcularia tribunalia persequuntur ex Constitutionibus Principum in Hæreticos latis. Sed quarum pœnæ hodiè non ita frequentantur. Ità ille.

105. *Quàm justè imponi negant varii Hæretici.*

Solùm ostendendum nobis restat, quo modo crimè hæresis justè puniri possit supplicio corporali, etiam mortis. Quod quidem sibi metuentes negarunt olim *Donatistæ*, & postmodum *Joannes Hus, Lutherus* cum suis, ac improbant etiam Nonnulli *Calvinistæ*, difformes in hoc menti *Calvini*, qui Michaëli Serveto vivi comburium hoc titulo struxit: quo etiam Valentinum Gentilem hæreseos convincente, Senatus Genevensis judicavit eum fuisse meritum mortem, à qua tamen simulatâ pœnitentiâ fuit tunc liberatus: sed hanc eidem postea Magistratus Bernensis inflixit, teste *Benedicto Aretio* ministro Bernensi in Historia de justo supplicio Valentini Gentilis, ut refert *Spondanus ad annum* 1561. *n.* 34.

*Non tamen Calvinus.*

Justè itaque & rectè hæreticos posse mortis supplicio puniri, habetur tamquam de fide certum, inquit *Viggers q. 11. a. 3. n. 16.* Oppositique articuli *Joannis Hus & Lutheri* sunt damnati respectivè à *Concilio Constantiensi* (in quo idem *Hus* cum *Hieronymo Pragensi* fuit traditus brachio sæculari, dein conbustus) *sess. 15.* Et Leone X. Bullâ contra *Lutherum.* Idem sancivit Ecclesia c. *ad Abolëdam, c. Excommunicamus* (quod est desumptum ex *Concilio Lateranensi* sub Innocentio III.) *de Hæreticis* c. *Super eo eod. Tit. in 6.* Quod etiam Imperatores Christiani suis legibus firmarunt *L. Quicumque Cod. de Hæreticis*, ubì id de iis, qui illicita seu prava alios docere tentaverint, sancitur. Similiter Michaël Imperator apud *Paulum Diaconum l. 24.* capitalem pœnam in Hæreticos constituit.

106. *Justè mortem infligi est doctrina Catholica.*

*Patet ex declaratione & Canonibus Ecclesiæ.*

*Legibus Imperatorum.*

Quarum quidem Constitutionum justitia variè probari potest. Nam in primis in veteri Testamento, non solùm decernebatur interfectio Pseudoprophetarum populum ad cultum falsorum Deorum sollicitantium, *Deuteron. 13.* Sed etiam illorum, qui cultu unius Dei retento, aliter in religionem peccabant, loquentes in nomine Dei, quæ eis Deus non præceperat, *Deuteron. 18.* Prout etiam *Deuteron. 17.* jubetur interfici, qui ob superbiam, summi Sacerdotis imperio noluerit obedire. Exempla quoque sumpti supplicii de Idololatris, seductoribus, & inobedientibus, Vide *Exodi 32. Josue 22. 3. Reg. 18. 4. Reg. 10.* Quis ergo non judicet æquissimas & divinis eloquiis consentaneas leges, quibus homines corruptissimi & alios corrumpentes, veritati, & summo sacerdoti Vicario Christi semper refractarii, ejusque contemptores, decernuntur è medio tollendi? Itaque hæc decreta & facta antiquorum, typum gesserût secuturæ aliquando in Ecclesia severitatis cõtra depravatores ac desertores doctrinæ Christianæ.

107. *Idem colligitur ex divina veteris Testamenti ordinatione.*

His adde, quòd Hæretici in Scriptura dicantur fures & latrones, qui veniunt, ut occidant & mactent. Item lupi rapaces, non parcentes gregi *Joan. 10.* & *Matth. 7.* Item *2. ad Timoth. 2.* hæresis comparatur cancro, qui totum corpus inficit, nisi maturè excindatur ferro: ergo Principes prudenter exterminant Hæreticos.

*Et locutionibus Scripturæ novi Testamenti.*

Eamdem severitatem esse justam etiam docent Patres. Nam *Optatus l. 3. contra Parmenianum*, laudat factum Masharii præfecti, quòd aliquot Donatistas necasset, cõparans illud facto Moysi, Phinees, & Eliæ, qui idololatras & desertores legis occiderũt. *Augustinus 2. Retract. 5. & Epist. 48.* ex proposito retractat, quod aliquando sensérat, non esse vi externâ pœnarũ cogendos hæreticos ad fidem, & è contrà probat id esse utilissimum; etsi non videatur consuluisse supplicium mortis, nondum existente de hoc lege imperatoriâ, quâ paulò post mor-

108. *Item ex Patribus.*

tem Marcianus & Valentinianus sancive-
runt *L. Quicumque Cod. de Hæreticis.* Alio-
quin eos censuit isto supplicio dignos, ut
patet *lib. 2. contra Litteras Petiliani c. 86.*
*Tract. 11. in Joannem*, & alibi. Plura Pa-
trum testimonia videri possunt apud alios.

109. *Ex antiqua in Ecclesia praxi.*

Unde hoc supplicium est in probata
Ecclesiæ praxi positum, etiam diu ante
tempora *Lutheri* (quidquid ipse impuden-
ter mentiatur) tum tempore Concilii Con-
stantiensis circa Joannem Hus, & Hiero-
nymum Pragensem (quos ineptè contem-
dit non fuisse hæreticos) tum tempore In-
nocentii III. quo simul fuerunt exusti 180.
Albigenses (ut refert *Bellarminus lib. 3. de*
*Laicis c. 22.*) & *S. Bernardi*, ut ipse testatur
*Serm. 66. in Cant.* Et Alexii Comneni Im-
peratoris, qui re consideratâ, omnibusque
magistratibus, tam civilibus, quàm Eccle-
siasticis convocatis, sententiam tulit, ut igne
combureretur Basilius auctor hæresis Bo-
gomilorum, ut refert *Euthymius in Pano-*
*plia Parte 2. Tit. 23. §. 52.* Et *S. Optati*, cujus
testimonium præclarissimum. Denique Maxi-
mi Imperatoris, qui etsi Tyrannus, nō egit
tamen tyrannicè, occidendo Priscillianum
hæresiarcham cum sociis, ut refert *Hiero-*
*nymus l. de Script. Ecclesiasticis*, & approbat
*Epist. ad Ctesiphontem c. 2.* Ad quod factum
etiam videtur respicere *Leo Papa Epist. 93.*
*ad Turribium*, id ipsum approbans.

110. *Idem probatur ex ratione.*

Id ipsum probatur ratione: quia falsarii
monetæ omnium judicio merentur mor-
tem; quid ni ergo falsarii religionis & ver-
bi Dei? Deinde hæresis est gravissimum
crimen, reipublicæ Christianæ maximè no-
civum, ex cujus punitione redundat plu-
rimum boni. Confirmatur: quia hæretici
nocent magis proximo, quàm latrones, oc-
cidendo animam, immo tollendo fundamē-
tum omnis boni: rempublicam insuper tu-
multibus replent: impunitas quoque eorum,
sicut facit multos torpentes, sic supplicia
excitant ad considerationem gravitatis cri-
minis, ejusque fugam & terrorem. Ipsis de-
nique obstinatis beneficium est, quòd è
vita tollantur, priusquam plures perver tant,
ac errores suos multiplicent, cum summo
damnationis incremento.

111. *Et experientia,*

Accedit, quòd tentatis successivè mitio-
ribus remediis, experientia ostenderit, effi-
caciorem non esse viam, quàm obstinatos
tempestivè mittere in locum suum. Quod
si cum *Luthero* & similibus pestibus actum
fuisset, non adeò gemeret Ecclesia, usque
modo cernens zizania hæresum recentio-
rum cum incredibili Ecclesiæ & anima-
rum damno adeo excrevisse, & caput ex-
tulisse. Ut *Hieronymus* in illud *ad Galat. 5.*
*Modicum fermentum totam massam corrum-*
*pit*, meritò dixerit: *Scintilla statim ut appa-*
*ruerit, extinguenda est . . . Arius* (adde, Lu-
therus, Calvinus &c.) *una scintilla fuit, sed*
*quia non statim oppressa est, totum orbem ejus*
*flamma populata est.*

*Dissimulatio in Luthero adhibita quàm perniciosa Ecclesiæ fuerit.*

*Notabile dictum Hieronymi.*

112. *Occurritur objectionibus ex Scriptura petitis.*

Nec obstat, quòd Christus *Matth. 18.* so-
lùm caverit, ut hæretici haberentur, sicut
Ethnici & Publicani, Apostolus quoque *ad*
*Titum 3.* solùm jusserit semel aut bis moni-
tos vitari; ac in initio Ecclesiæ non fuerint
occisi, sed tantùm excommunicati. Nam
Christus docet, quid agendum cuilibet par-
ticulari Christiano; & Apostolus instruit
Episcopum, cujus est devitare & devitan-
dos hæreticos declarare, non acquiescentes
correptioni: non negant autem, quin exi-
gente id bono communi, possint per Prin-
cipes & Magistratus, prævio Ecclesiæ ju-
dicio, occidi. Ecclesia quoque in principio
sub Ethnicis Principibus oppressa congruè
non poterat hoc remedium adhibere. De-
inde ipsa pro sua mansuetudine pedetem-
tim mitiora juxta humanam apprehensio-
nem probavit, v.g. excommunicationem,
dein mulctas pecuniarias, exilia, tandem co-
acta ultimum adhibere remedium, dum
cerneret id esse efficacius tollendis malis &
incommodis. Quamvis ipse gladium non
eximat per se, sed per sæcularem potesta-
tem, cui post causæ discussionem hæreti-
cum tradit puniendum, prævia, si clericus
seu sacerdos sit, depositione seu degrada-
tione.

*Cur ab initio Ecclesiæ non fuerint hæretici morte puniti.*

113. *Auctoritas Chrysostomi innixa verbis Christi Matth. 13. discutitur.*

Non obstat etiam illud *Chrysostomi hom.*
*47. in Matth. Non prohibet Christus Cōcilia-*
*bula hæreticorum dissipare, ora obstruere, liber-*
*tatem loquendi concedere: Verùm interficere &*
*trucare.* Ubi alludit ad illud Christi *Matth.*
*13. Sinite utraq;* (scilicet triticum & zizania)
*crescere usque ad messem.* Nam etsi doctrinā
oppositam, tunc in Ecclesia nondum satis
eliquidatā, tradidisset (ut putant Non nulli)
id ejus hodiernæ certitudini minimè obstare
posse constat. Quamvis alii putent eum lo-
qui ad sensum parabolæ (quæ tamen ad
litteram non agit de hæreticis, sed univer-
sim de malis) quòd scilicet non sint inter-
ficiendi, cùm periculo radicandi triticum,
quando videlicet periculum est, ne plecta-
tur innocentes, dum nocentes non sunt sa-
tis noti; sive potiùs, ne hi ob potentiam
suam, suorumque fautorum, opprimant Ca-
tholicos, pluisque mali oriatur; tunc enim
à rigore quiescendum est, ut monet *Augu-*
*stinus l. 3. contra Epist. Parmeniani c. 3.* Alia
objectiones vide apud *Bellarminum l. 3. de*
*Laicis c. 22.*

Restat hîc tractatio de Blasphemia, quæ
dum hæreticalis est, opponitur fidei. De ea
tamen commodiùs in Materia de Religio-
ne agetur.

DIS-

# DISPUTATIO DECIMA.

## *De Virtute Spei Theologicæ, Vitiisq; Oppositis.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid Spes, Qualis Virtus, Quod Objectum?*

*Quid Virtus Spei in communi.*

1. OMissis variis Spei acceptionibus, in præsenti sumitur pro virtute, quæ respicit bonum honestum, absens, possibile, & (ut solet addi) arduum: respicit, inquam, sive quatenus est habitus principians actum tendentem in tale objectum, estque Spes habitualis; sive quatenus est ipse actus desiderii in tale bonum vitaliter tendens. Actus autem Spei, quo in ipsum objectum tenditur, debet esse desiderium efficax ejusdem. Quamvis etiam inefficaces actus possint ad virtutem hanc suo modo pertinere. Potestque Spes actualis describi motus efficax voluntatis consequens cognitionem boni honesti absentis, obtentu possibilis, & (quod ordinariè additur) ardui. Unde ex parte objecti requiritur in primis bonitas, eaque honesta non enim nisi bonum, saltem apprehensum ut tale, speramus seu prosequimur, utì non nisi malum timemus & fugimus. Ratio quoque virtutis exigit objecti honestatem, ut patet. Secundò, absentia: quod enim est præsens & possidetur, non speratur, sed tenetur. Unde Apostolus *ad Rom* 8. ait: *Spes quæ videtur, non est spes*, id est: nulla est spes rei præsentis, & jam possessæ. *Nam quod videt quis* seu jam obtinet, *quid sperat*? q. d. nec restare tunc causam sperandi. Tertiò requiritur, ut bonum sit possibile: impossibilia enim cognita ut talia non possumus sperare, nec (quod Spes requirit) efficaciter prosequi, sed solùm inefficaci complacentiâ seu desiderio in ea tendere.

*Actus illius, desiderium efficax.*

*Boni honesti,*

*Absentis,*

*Obtentu possibilis.*

2. Quartò requiri solet, ut sit arduum: quâvis hoc spectet ad quæstionem de nomine: cùm alioquin sicut absentia quævis bona desiderari possunt, sic & suo modo expectari seu sperari, utì mala quævis timeri. Loquendo tamen, ut multi, arduitas seu difficultas non alia requiri potest, quàm ea, quæ consistit in hoc, quòd vel non sine labore seu molestia possit à nobis poni, vel certè sit ab alio obtinenda. Unde orini solet quædam incertitudo, quæ affligit animam.

*An debeat esse arduum.*

3. Quintò Nonnulli cum *Arriaga disp.* 26. *sect.* 1. *n.* 6. ad spem requirunt, ut bonum sit tantùm probabiliter seu nõ certò futurum; quasi certò futura non sperentur. Sed hoc ad puram de voce quæstionẽ spectat. De re enim constat posse elici efficax desiderium boni etiam certò futuri. Nec est, quod multùm obstet, quo minùs appelletur nomine Spei; quam non videtur tollere certitudo; sed anxietatem. Ut proinde etiam B. Virgo & alii cõfirmati in gratia, quantumvis certi de tempore mortis, ad beatitudinem anhelaverint veri nominis spe. Quemadmodum è converso est & dicitur timor, etsi malum certò immineat.

*An incertò futurum.*

Denique plerique addunt, bonum quod speratus debere esse proprium, eò quòd Spes sit amor concupiscentiæ, quo consequenter rem quà nobis bonam concupiscimus. Et consonat *Augustinus Enchiridii c.* 8. dicens: *Spes non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur.* Unde consequenter dicendum foret, nos alteri propriè non sperare beatitudinem vel aliud bonum, nisi ad summum quatenus illud redundat quodammodo & fit bonum nostrum, sicut è contrà malum alterius censetur proprium, ut videre est in bono vel malo prolis respectu matris.

4. *An denique proprium.*

Aut certè locutio est vulgaris & impropria, quâ significatur opinio nostra de re alteri obventurâ cum aliqua suspensione & expectatione eventûs. Quo modo etiã dicitur quis de salute alterius desperare. Quæ alioquin desperatio non opponitur Spei Theologicæ, & cõsistit cum actuali spe propriæ salutis. Accedit, quòd juxta *Coninck disp.* 19. *dub.* 1. desiderium alienæ beatitudinis sit actus benevolentiæ seu amicitiæ habens beatitudinem pro objecto materiali, bonitatem autem seu bene esse proximi pro objecto formali motivo; adeoque sit actus charitatis naturalis proximi. Quod fusè confirmat. Nihilominus difficile est; cur saltẽ non posset desiderans alteri beatitudinẽ moveri ab ipsa bonitate beatitudinis, alteri tãquam subjecto cui efficaciter desideratæ, simili modo cõcurrente personâ alterâ, sicut dum quis desiderat illam sibi; ut fusè exaggerat *Arriaga d.* 26. *sect.* 4. Quo dato, an desiderium istud dicendum foret actus spei, spectare videtur ad quæstionem de nomine. Et quidem satis probabile videtur talem actum posse esse supernaturalem; nec videtur posse efficaciter improbari, qui diceret, ad illum posse saltem secundariò inclinare habitum Spei Theologicæ.

5. *Quid Spes Theologica.*

Spei generatim sumptæ superaddit Spes Theologica, quòd sit Theologica & supernaturalis: adeoque quòd bonum speratum sit Deus, in quem consequendum tendat affectus per actum supernaturalem. Spes

sic sumpta ex *Scoto d.26. n.23.* describi potest: Infusa virtus seu habitus inclinans in actum desiderii efficacis boni infiniti, quatenus nobis boni, ex meritis seu gratiâ liberaliter conferendâ seu collatâ obtinendi. Spes actualis verò consistit in præfato desiderio. In objecto autem hujus desiderii reperiuntur conditiones Spei, scilicet bonitas seu honestas; absentia seu futuritio, non quidem objecti secundùm suam substantiam, sed secundùm suam possessionem, quæ abest & futura est; possibilitas similiter, quatenus est possibile obtineri per auxilium supernaturale Dei, adeoque non per vires naturæ: propter quod etiam ipsum est maximè arduum. Et si alias quoque conditiones admittere quis velit, non deest ratio boni proprii: cùm maximè sit bonum ipsius sperantis illud, in quod tendit Spes Theologica. Ipsum denique est probabiliter saltem futurum, cùm non sit certum alterutrum, sed contingens, quòd sperans sit re ipsâ obtenturus beatitudinem, etsi non in omnibus æqualis sit verisimilitudo, utì patet.

*Cujus objecto conveniunt omnes conditiones ad spem requisita.*

Spes porrò descripta est in primis virtus: nam indubiè honestum est tendere in bonum infinitum ut sic propositum: ipsum enim quod intenditur est maximum bonum, & propter hanc ipsius bonitatem nobis convenientem intenditur, ac denique per media convenientia, atque ab ipso Deo ordinata intenditur. Confirmatur: quia Deus non solùm est ratione suæ bonitatis seu perfectionis dignus summè amari, quatenus ei omne bonũ optemus, & de ejus bono gaudeamus: sed etiam est summum bonum nostrum, quatenus se ipse nobis tamquam finem nostrum ultimum proposuit, ad quem aspirare de ejus voluntate debemus, postpositis bonis inferioribus; & eatenus quoque vult à nobis appeti. Quod ipsum honestissimum est, Deoque honorificum. Quamvis autem is qui sperat, desideret Deum sibi; non tamẽ quasi se statuat finem Dei, sed quia Deum præfigit finem sui, in quem propter ejus bonitatem tendit. Sicut id generale est in cujusvis finis intentione, quæ semper involvit subjectum, cui finis desideratur.

*6. Ipsam esse virtutem ostenditur.*

Nec obstat, quòd voluntas amãdo Deum sibi, videatur vitiosè uti bono fruendo, & propter se tantùm amando. Nam bonum propter se amandum, & verè amantis perfectivum, desiderare sibi tamquam sui perfectivum & finem, non est eo uti, sed tamquam finem fruendum, & velut majus bonum, quàm sit ipse amans, intendere; quod est honestissimum. Unde intuitu hujus mercedis operari non est malum, sed honestum; utì certum est ex *Tridentino sess.6. c.* 11. *& can.* 13. Quare ipsa Scriptura sicuti nobis proponit mala futura, eorumque timorem commendat, ut à peccatis recedamus: sic & proponit præmia, Deum scilicet ipsum, ut excitemur ad bene operandum. Quæ quidem consideratio Dei remuneratoris Sanctos non solùm Veteris Testamenti (de quibus Apostolus fusè *ad Hebr.*11.) sed & novi Testamenti excitat ad difficilia pro Deo constanter ferenda.

*7. Sperans non utitur fruẽdo.*

*Intuitu mercedis æterna operari honestum est.*

Deinde Spes est virtus Theologica: habet enim pro objecto primario, quod speratur, Deum ipsum beatè possidendum; pro formali autem seu motivo, bonitatem ejusdem quâ nobis bonus seu conveniens est. Nam sperant Christiani Deum possidẽdum. In quo quidem actu Deus ipse est finis, qui desideratur obtinendus (qui etiam rectè dicitur finis cujus) ipsa beatitudo est possessio, mediante quâ speratur obtinendus, estque adeò (ut sic dicam) finis quo: unde resultat integer finis objectivus & formalis, cujus gratiâ bene agimus, & media eò conducentia (quæ sunt objectum materiale secundarium) adhibemus: ipse autem sperans est finis cui bonum tantum speratur. Nec obstat, quòd inde sequeretur etiam spem naturalem, seu actum spei viribus naturæ elicitum, esse virtutem Theologicam seu actum illius: nam hæc quoque revera talis est, spectando objectum; & consequenter sic posset vocari; utì & charitas Dei naturalis, quamquam hoc nomine soleat simpliciter intelligi Spes & charitas infusa seu supernaturalis.

*8. Spem esse Virtutem Theologicam ostenditur.*

*An Spes naturalis dici posset Theologica.*

Difficultas porrò aliqua est in primis de objecto materiali. Nam *Durandus* objectum materiale primarium & immediatum Spei statuit solam beatitudinem formalem, puta visionem & fruitionem Dei; Deum autem putat esse tantùm objectum Spei mediatum. E contrà pauci alii censent solum Deum esse objectum primarium. Sed cõmunis doctrina statuit utrumque simul pro objecto primario & immediato spei: per hanc enim concupiscimus ipsum Deum, sed possidendum, adeoque & possessionem ipsam, seu visionem & fruitionem Dei, non quatenus est quædam qualitas creata, sed quatenus est possessio Dei. Quemadmodum spes avari est pecunia, utique possidenda, sic ut feratur in utrumque; nam non sperat solùm existentiam pecuniarum, sed possessionem earum, quæ etsi mediet, adhuc censentur pecuniæ bonum immediatum avari. Ratio est: quia finis formalis & objectivus, seu bonum speratum & ejus possessio, constituunt unum integrum finem, & objectum immediatum desiderii nostri. Deinde illud speramus, quod nos beatificat: hoc autẽ præstat utrumque simul: quia nempe, nec Deus id præstat, nisi quatenus eo fruimur, nec fruitio, nisi quatenus Deum per illam possidemus. Deinde si Deus non esset objectum immediatum quod speratur, Spes non esset Virtus Theologica; sicut illius conditionis defectu religio non est virtus Theologica. Vide dicta *Disp.* 2. *de Beatitudine quæst.*

*9. Objectum primarium & immediatum spei est tũ Deus, tum ejus possessio, seu beatitudo formalis.*

*quæst.* 5. ubi de gaudio beatifico egimus, & argumenta quæ hîc objici possent dissolvimus.

10. *Quænam spectant ad objectum secundarium Spei.*

Ad objectum secundarium Spei spectant auxilia divina, bona opera, peccatorum remissio, & generatim ea omnia, quæ possunt amari tamquam utilia ad beatitudinem obtinendam: in omnibus enim istis causa movens voluntatem ad eorum amorem, est finis ultimus, quasi extrinsecè illa informans: unde dum illa amantur, amatur seu concupiscitur ipse Deus.

*Promissio divina est conditio ad sperandum requisita.*

Promissio verò divina, tam beatitudinis, quàm auxilii ad eam obtinendam necessarii, est conditio requisita, ut possimus convenienter sperare: sicut enim sine divino auxilio non possumus beatitudinem obtinere, ita nec efficaciter sperare: & hâc ratione illius auxilii promissio pertinet etiã aliquo modo ad objectum Spei, videlicet tamquam ratio illud nobis applicans, & conditio requisita, ut illud objectum fiat sperabile: non verò tamquam ratio movens.

11. *Objectum formale non est auxilium aut omnipotentia Dei, sed bonitas ejus, qui nobis bonus est.*

Difficultas præterea movetur de objecto formali seu motivo. Quod Nonnulli (inter quos referri solet *D. Thomas*) statuunt auxilium divinæ potestatis & pietatis, seu potiùs (ut aliqui loquuntur) ipsam omnipotentiam Dei. Sed communis Doctrina meritò statuit pro objecto formali ipsam bonitatem Dei, quatenus nobis bonus & conveniens est, adeoque beatitudinis, tum objectivæ, tum formalis, convenientiam respectu nostri. Ratio est: quia illud est objectum formale, quod propriè movet ad sui appetitum ac desiderium; sic autem ad appetendum Deum tamquam finem possidendum movet prædicta bonitas. Deinde non est dubium, quin dabilis sit Virtus Theologica Deum sic spectatum considerans; non est autem ratio, cur de facto, Spes non sit talis. Nec est è contrà ratio, quæ satis probet auxilium aut omnipotentiam Dei esse objectum formale. Quin potiùs oppositum constat ex eo, quòd sortiatur rationem medii & causæ efficientis, non finis. Confirmatur: quia speramus in Deo ejusque auxilio, sicut ægri in medico & medicinis; objectum tamen formale spei infirmi non est medicus aut medicina, sed bonum sanitatis per medicum & medicinas velut causas efficientes procurandum.

12. *Occurritur objectioni ex Scriptura desumpta.*

Nec refert I. Quòd Scripturæ nobis principaliter commendent, atque adeò præcipuam laudem Spei in eo positam significent, ut speremus in Domino; non autem in eo quòd speremus Deum; adeoque videatur, quòd Deus ut potens & pius ad auxiliandum debeat poni objectum formale Spei, non autem Deus ut summè bonus nobis. Nam non minùs in Scripturis commendatur, ut non respiciamus ad vanitates, & insanias fallas, sed speremus hereditatem æternam in cælis, & videre bona Domini in terra viventium: quod quia obtinere non possumus per homines, commendat spem & fiduciam ponere in divinis auxiliis; quæ ideo suprà diximus spectare ad secundarium objectum materiale Spei. Cùm itaque Scriptura commendet utrumque, sed unum ut medium, alterum ut finem, videtur formalis ratio objecti potiùs desumenda ex eo, quod rationem finis habet.

13. *Cur potius veracitas divina sit motivum Fidei, quàm omnipotentia Spei.*

Nec refert II. Quòd divina omnipotentia ferens auxilium videatur se habere ad spem, sicut divina veracitas revelans ad fidem. Nam divina veritas mediante revelatione reddit objectum fidei nobis cognoscibile, adeoque cognitum ob eamdem veracitatem tamquam propriam rationem credendi; quæ etiam alia assignari non potest. At divina potentia ejusque auxilium non faciunt objectum amabile & desiderabile, utpote quod ex se est tale, & desiderabile etiam à nobis, quando fide cognoscitur, sed solùm præstant, quòd voluntas ab objecti bonitate moveatur ad illud efficaciter intendendum; quatenus nempe ipsum ex se desiderabile, faciunt esse à nobis sperabile, faciendo ut judicetur esse possibile. Quo judicio posito, voluntas movetur ab ipsa objecti bonitate ad illud efficaciter intendendũ (quod est ipsum sperare) cum Dei auxilio. Alioquin pari ratione posset etiam promissio & veracitas Dei statui objectum formale spei: his enim seclusis, non satis apprehenderet intellectus beatitudinem nobis obventuram, adeoque nec voluntas in ipsam tenderet, in quam nunc tendit, munita divinis promissionibus. Nec tam considerandum venit in motione voluntatis causa, quæ promovere possit & efficere bonum, quàm ipsa bonitas, quæ movet; per accidens & materialiter se habente auxilio, per quod bonitas objecti obtinetur. In ipsaque diversa ratione boni fundatur, quòd diversæ rationis media sint, quibus obtinetur; v.g. quòd sint media superioris ordinis, utì ipse finis seu bonum est talis ordinis.

14. *Ad hunc locus erit distinctioni Spei Christianæ à Pelagianâ.*

Nec refert III. Quòd spes nostra differat à Pelagiana per hoc, quòd nitatur divino auxilio. Nam utraque spes non necessariò differt objecto primario & formali; sed partim principio, quod est supernaturale in actu spei nostræ, qui est supernaturalis, Pelagianorum autem naturalis: partim mediis ad finem abhibendis, quæ sunt secundum Catholicos opera gratiæ, secundùm Pelagianos opera naturæ, adeoque differt etiam spes nostra ab illorum spe ex parte objecti secundarii, ex quo pariter desumi potest specifica actuum distinctio.

## QUÆSTIO II.

### *De Spei à Fide & Charitate Distinctione, & Certitudine.*

15. *Spem à Fide & charitate distinctam esse, probatur auctoritate.*

DE priori parte quæstionis statuendum est, Spem esse à fide & charitate distinctam. Est apud omnes certum, & colligitur ex Apostolo 1. *Cor* 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas tria hæc; major autem horum est Charitas.* Et consonant Veteres in D. Locum & *Augustinus Enchiridii* c. 8. & 117. Et *Tridentinum sess.* 6. c. 6. explicatis distinctè fidei, spei &c. actibus (utì & facit *can.* 3.) subdit c. 7. justificationem consistere in infusione gratiæ & donorum; quæ dona specificans addit: *Hæc omnia simul infusa accipit homo ..... fidem, spem, & Charitatem &c.*

16. *Et ratione.*

Accedit ratio: quia spes distinguitur à fide partim ex parte motivi, quod respectu fidei est divina veritas revelans, respectu spei divina bonitas, quâ nobis est bonus: partim ex parte subjecti, cùm fides sit in intellectu, spes in voluntate: partim ex parte separabilitatis; cùm fides possit esse sine spe, in fideli desperante. A charitate verò non distinguitur, quidem ex parte subjecti, sed motivi; quod est respectu charitatis, Deus quâ in se bonus & perfectus est. Proinde destructâ Charitate per mortale, adhuc manet spes. Verum quidem est non satìs apparere, cur non potuisset esse habitus supernaturalis tam generalis, qui complecteretur motivum utrumque, adeoque actus, tam spei, quàm charitatis. Sed oppositum de facto contigisse (prout evidens est contingere potuisse volente Deo) ex auctoritate constat, ex qua etiam illarum virtutum separabilitas innotescit. Et factum id quidem congruè, ut fideles amissâ (quod frequens est) charitate, adhuc præditi maneant permanente sperandi, seu ex spe operandi, principio.

*Quamvis absolutè potuisset idem habitus elicere actus spei & charitatis; congruè tamen Deus distinctos infudit.*

17. *Objectio.*

Dices, ex eodem fonte amicitiæ profluit, ut quæramus bonum amici, amemus præsentem, & desideremus absentem; ergo Spes non distinguitur à charitate. Resp. istos actus posse quidem proficisci ex amore amicitiæ, ex quo consequenter posset proficisci desiderium fruendi Deo, non quatenus id ipsum est nobis bonum, sed quatenus bonum & gratum Deo, ac ad gloriam ipsius. Nihilominus sicut possumus amicum amare tamquam bonum in se, & concupiscere tamquam bonum nobis, eumque hâc ratione absentem desiderare, ut ejus præsentiâ felices reddamur; sic etiam Deum possumus tamquam bonum nobis concupiscere, & ejus possessionem desiderare, atque ad illum per media tendere: quod quidem non est proprium officium charitatis (quamquam alioquin ipsa omnia sperare, omnesque virtutum actus præstare possit, partim in propria specie manentes imperando, partim ex motivo suo generali eliciendo, sicque ad speciem charitatis transferendo) sed spei, quæ etiam est in eo, in quo non est perfecta Dei amicitia seu charitas, prout etiam in quo charitas neque imperando, neque eliciendo prædicta præstat, utì constat non necessariò præstare.

*Responsio.*

Quis sit autem ordo inter Fidem, Spem & Charitatem *disp.* 1. *q.* 7. dictum est.

18. *Spes Theologica est certa.*

De posteriori quæstionis parte dicendum cum omnibus Catholicis Scriptoribus, quòd certitudo, competens propriè actibus intellectûs, etiam per quamdam analogiam competat Spei Christianæ, phrasi Scripturæ, *Psal.* 30: *In te domine speravi, non confundar in æternum. Ad Rom.* 5. *Spes non confundit. Ad Hebr.* 6. *Interposuit*, Deus, *jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Et alibi. Idem patet ex *Tridentino sess.* 6. *c.* 13. *Nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debeant.*

19. *In quibus fundetur seu consistat spei nostra certitudo.*

Ex quibus quidem verbis etiam patet sitam non esse spei nostræ certitudinem in hoc, quòd quilibet fidelis certò credat se esse salvandum, ut volunt Hæretici recentiores à *Tridentino suprà* notati, & alibi à nobis refutati. Consistit itaque primò in objecti seu boni sperati soliditate & certissima veritate; quâ alioquin deficiente, diceremur sperare in incertum seu vanum: prout vana & vacua est spes hypocritarum, & hominum in divitiis & vanitatibus hujus sæculi, quæ nil solidæ bonitatis, ob quod à Christiano amentur, habent, spem suam collocantium, qui ideirco redarguuntur in Scriptura *Sap.* 5. *Psal.* 51. & 75.

Secundò consistit in infallibilitate promissorum Dei, qui est fidelis & verax, ut patet ex relato loco Apostoli *ad Heb.* 6.

Tertiò in omnipotentia & bonitate Dei, qui potest & inclinatur dare auxilia ad bene operandum usque in finem, sicque bonum speratum, & sub conditione bonorum operum ac perseverantiæ infallibiliter promissum, reipsâ consequendum. Unde *Tridentinum suprà* docet firmissimam spem collocandam in divino auxilio.

20. *Quæ non evenitur per incertitudinem adhibitione perseverantiæ mediarum ex parte nostra.*

Ex his itaque resultat fidei Christianæ certitudo. Quæ non tollitur per hoc, quòd inde non fiat quilibet certus de consecutione boni sperati: defectus enim iste oritur ex parte hominis, in implenda conditione divinarum promissionum deficientis, qui proinde non obstat sufficienti spei certitudini. Quemadmodum si quis proposuisset reale præmium ex promissione infallibiliter dandum operas requisitas ponentibus,

& ad-

& ad has ponendas necessaria præstare paratus esset, omnium judicio quilibet operari volentes censerentur habere spem certam præmii, etsi multi ex ignavia operari negligerent, sicque præmium non reportarent.

Fatendum nihilominus ad hoc ut spes sit undequaque certa, sic ut ipsum sperantē simpliciter certificet de obtentione boni sperati, insuper requiri, ut sperans sit certus se habiturum & perseveranter adhibiturum media efficacia ad obtentionem beatitudinis. Quæ certitudo fuit in iis, qui ex divina revelatione speciali certi erant de sua salute & confirmatione in gratia.

21. *Potest reperiri in eo, qui probabilius judicat se damnandum.*

Petes, an spes certa possit esse in eo, qui probabiliùs judicat se damnandum? Resp. Affirm. quia nihilominus potest sperare, seu efficaciter contendere ad consequendam beatitudinem. Sicut viator probabiliùs judicans se non perventurum istâ die ad civitatem, adhuc efficaciter, immo eo solicitiùs contendit eò pervenire. Est nihilominus simile judicium periculosissimum ipsi speranti (quamquam possit esse satis solidum, & sine temeritate de nonnullis alii judicare possint, magnā secuturæ damnationis verosimilitudinem) uti è contra judicium seu persuasio pia obtinendæ gloriæ magnum præstat spei & pietatis operibus fomentum.

## QUÆSTIO III.

### *De Subjecto, Præcepto, & Actibus Spei.*

22. *Spes subjectatur in voluntate.*

AD Primam quæstionis partem dicendum in primis cum communissima Theologorum doctrina Spem tum habitualem tum actualem subjectari proximè in voluntate. Ratio est: quia Spes est habitus volitivus, similiter actus spei est quædam volitio, quâ voluntas desiderat bonum speratum: etsi præsupponat actum intellectûs de objecti amati possibilitate & adipiscibilitate.

23. *Arriaga contendit illam subjectari partialiter in intellectu.*

Solùm *Arriaga d. 26. n. 14.* contendit Spē involvere actum intellectûs & simul actum voluntatis tamquam veras sui compartes, adeoque minùs bene Spem communiter poni in sola voluntate, nisi fortè id intelligi debeat de præcipuo actu, id est, de amore qui haud dubiè ad voluntatē spectat. Cui favere videtur communis loquendi modus, quo dicimur habere magnam vel exiguam spem hoc vel illud obtinendi: non enim intendimus significare magnum vel exiguum affectum, seu desiderium quod habemus, sed magna vel exigua indicia seu probabilitatem hoc vel illud consequendi. Unde apparet in hujusmodi opinione actum spei saltem ex parte esse constituendum, adeoque ex parte subjectari spem in intellectu.

Sed si prædictus loquendi modus (qui utique postponendus est sensui & locutioni omnium Theologorum, quos iste loquendi modus non latuit) urgeatur, pariter inferri posset, Spem consistere principaliter vel adæquatè in hujusmodi opinione: quod nemo dixerit, ne ipse quidem *Arriaga*, etsi satis propensus ad statuendum in ea principaliter spem. Solus noster *Poncius d. 26. in Comment. n. 39. & seqq.* disputat pro sententia ponente Spem simpliciter in prædicto actu intellectûs; in eamque valde propēdet, etsi tandem non resolvat. Præterea opinio hæc non est supernaturalis, sed actus naturalis, & quidem plerumque valde incertus, immo falsus: in quo proinde statui non potest, sive simpliciter, sive principaliter, sive partialiter actus Spei Theologicæ seu infusæ; esto hujusmodi opinio connotetur seu præsupponatur, prout & actus pœnitentiæ connotat seu supponit peccatum esse commissum. Deinde sic actus Spei foret aggregatum per accidens ex actibus diversarum potentiarum. Quare præallegato de spe loquendi modo non denotatur opinionē esse ipsam spem propriè acceptam, sed ad summum impropriè; vel certè indicatur intentionem sperantis esse bene vel parum fundatam, adeoque subesse fundamentum magnū vel parvum sperandi. Deinde sicut *Arriaga* illas locutiones explicat de actu spei minus principaliter, sic nos meritò explicamus in sensu præsuppositivo, seu de connotato spei. Nec mirum: cùm homines supponentes desiderium satis esse notum, solùm indicare velint, quod minùs noscitur, scilicet apparentiam secuturæ obtentionis.

24. *Refutatur.*

Dubitari adhuc posset, an Spes pertineat ad appetitum irascibilem, ut sentit *D. Bonaventura d. 26. art. 2. q. 5.* an ad concupiscibilē, ut sentit *Scotus d. 26. n. 7. & 27.* Cujus opinio magis probatur: eò quòd primarius Spei actus sit concupiscere & prosequi bonum speratum; quod spectat ad appetitum concupiscibilem: cùm actus appetitus irascibilis sit irasci, ira autē sit affectus propulsandi id quod offendit, aut de eō se ulciscendi. Quia tamen ex spe alicujus boni connaturaliter sequitur, ut si quid consecutionem impediat, cōtra id facultas irascibilis exurgat, negandum non est, quin Spes Theologica etiam possit inclinare ad justā aliquam & supernaturalem iram, adeoque secundariò ad actum aliquem appetitûs irascibilis.

25. *Spectat principaliter ad appetitum concupiscibilem.*

De Subjecto remoto spei, quod sunt ipsi homines, satis constat ex *disp. 1. q. 7.* quid dicēdum sit. Nimirum, quòd habitus Theologicus spei reperiatur in omni viatore justo, aut etiam peccatore, qui illum semel obtentum per peccatum mortale desperationis, aut indirectè per peccatum infidelitatis non amisit, aut amissum rursus per justificationem, aut juxta varios per actum spei (ad cujus positionem censeri mox infundi habitum proportionatum; de quo

26. *In quibus viatoribus sit Spes.*

*disp. 1. quæst. 6.* actum est) recuperavit.

27. *In quibus sit post hanc vitam.* Post mortem autem manere habitum spei in animabus purgatorii similiter constat. Immo etiam exit in eis in actus proportionatos: quamquam de his nonnulli dubitent, an sint vocâdi nomine spei, quasi illud importet seu connotet incertitudinem aliquam consecutionis seu futuritionis. Quod facilè negatur, uti negatur à multis asserentibus certitudine non tolli spem, sed anxietatem. Unde & de Patribus in lymbo constitutis *Sap.* 3. dicitur: *Spes illorum immortalitate plena est.* Et eo admisso, adhuc saltem essent juxta *Arriaga* actus spei in iis, quibus tempus liberationis est incertum.

In damnatis quoque constat spem non manere. De Beatis denique constat apud omnes, non manere actum spei circa primarium objectum, utpote jam præsens & possessum à beatis: adeoq; nec manere habitum quoad nomenclaturam & officium sperandi. An autem maneat habitus spei quoad substantiam, ut scilicet ibi exeat in actus tentionis, quâ beati Deum tenêt seu quiescunt in eo possesso, est controversum. Cõmunior sententia *D. Thomæ, D. Bonaventuræ* & aliorum (quam etiam præfert *Scotus d.* 31. *n.* 2.) habet, quòd non maneat: etsi oppositum (quod varii Recentiores tenent) non sit improbabile, nec possit efficaciter convinci. Vide dicta *disp. 1. q. 7. n.* 83.

28. *Præceptum spei aliud negativum, pro semper obligans.* Circa secundam quæstionis partem considerari potest duplex præceptum, affirmativum scilicet & negativum. Et de hoc quidem constat illud pro semper & ad semper obligare, cùm eo prohibeatur desperare de divina misericordia & consecutione vitæ æternæ. Extare quoque præceptum *Affirmativum aliud,* affirmativum spei, consentiunt satis Doctores, eò quòd tam sollicitè Spes commendetur in Scripturis, & fides remuneratoris ad salutem necessaria sit ex Apostolo *ad Hebr.* 11. utique ut inde consequatur spes remunerationis hominem in bono firmans.

*Quando obliget indirectè.* Ad tempus obligationis quod attinet, certum in primis est, ipsum obligare indirectè, saltem quoties sine actu spei debita oratio, pœnitentia, & tentationis victoria obtineri non potest: quia præceptum obligans ad aliquem finem, obligat simul ad ponenda media necessaria ad illum finem. At hæc obligatio non tam est ex præcepto spei, quàm ex præcepto pœnitentiæ, orationis, & tentationis vincendæ; ac proinde ejus omissio non est specialiter contra spem, sed contra pœnitentiam, vel aliam virtutem, puta cui repugnat peccatum per spem vitandum: & ita non est in confessione manifestanda.

29. *Quando directè.* De directa autem obligatione spei, Varii censent eam adesse, cùm primùm adsequitur quis usum rationis. Verùm hæc obligatio non est satis fundata. Et gratis concessâ obligatione tunc se convertendi ad Deum, ea non esset directa ipsius spei; immo nec indirecta, utpote cui possit satisfieri per conversionem aliam, quàm spei, puta charitatis. Alii determinant tempus, quo graviter quis vexatur tentatione desperationis, non vincendâ, nisi animo spe fisimato; tunc enim quis tenetur sperare eodem præcepto, quo tenetur non desperare. Sed & hæc obligatio indubitata quidem est, sed potiùs spectat ad præceptum negativum spei. Deinde quis determinabit, quando sperare sit medium necessarium ad non desperandum? cùm aliis mediis possit plerumque tentatio hujusmodi superari, v.g. precibus, charitate, diversione imaginationis &c. Alii determinant tempus, quo quis obligatur aut vult aliquid à Deo petere, eò quòd non videatur posse debitè peti, sine spe consequendi. Verùm etiam tunc solùm esset obligatio indirecta spei. Deinde sufficeret actus spei implicitus seu virtualis: potest enim quis ex amore amicitiæ aliove honesto fine aliquid petere, & desiderare consecutionem.

*Varie adseruntur & discutiuntur opiniones.*

30. *Quid tandem dicendum.* Quocirca *Suarez disp. 2. de Spe sect. 1. n.* 3. censet tempus hujusmodi præcepti non esse determinatum, sed prudentis arbitrio determinandum, nec actum Spei longiori tempore differendum. Immo Nonnullis non satis clarè apparet, esse strictum præceptum ipsius actûs formalis spei, cui non possit satisfieri per actum charitatis seu æquivalentem. Et eo dato, non est periculum morale transgressionis: cùm moraliter non reperiantur Christiani, qui frequenter satis actum spei eliciant. Qui etiam regulariter concurrit in dispositione ad justificationem. Ex consideratione similiter vitæ æternæ frequenter fideles operantur, à peccatis desistere proponunt &c. quamquam in perfectioribus præsertim simul concurrere soleat motivum charitatis. Sanè consideratâ fragilitate nostrâ, ac tot difficultatibus & peccatorum occasionibus, quæ in vita occurrunt, vix fieri potest, ut sine spe retributionis, & quidem repetitâ, debitè & perseveranter operemur, ac peccata diu vitemus.

31. *Ad spem qui actum exercitium spectant.* De tertia quæstionis parte satis compertum est, ad spem Theologicam pertinere omnes actus, quibus fideles expresè intendunt prosequi beatitudinem, aut media in ordine ad illam consequendam adhibere, dum videlicet ejus intuitu proponunt instituere sanctam seu meliorem vitam, quærere occasiones rectè agendi, & meritoriè operandi ac merita augendi, dum desiderant veniam & remissionem peccatorum, & alia ad beatitudinem ejusque incrementum conducentia idcirco adhibent. Idemq; est de spe mercedis aut bonorũ temporaliũ, si ea

si ea considerentur tamquam conducentia ad beatitudinem, prout à Christiano considerari deberent. At si ex nulla relatione ad beatitudinem tale desiderium procedat, non credit *Castro Palao disp. de Spe Puncto 3. n. 5.* pertinere ad spem Theologicam. Addit *Suarez disp. 1. de Spe sect. 5. in fine*, si hujusmodi desiderium nitatur divinâ promissione, & à Deo ut auctore gratiæ speretur, pertinere ad spem.

32. *Qualiter & qui actus fugæ.* Præter actus prosecutionis sunt quoque actus fugæ mali oppositi disconvenientis; qui spectant ad eamdem virtutem, cujus est amare bonum & odisse malum oppositum sub eadem ratione. Quâ ratione voluntas detestatur & fugit carentiam beatitudinis, & peccata, occasionesque peccandi, aliave, quæ sunt beatitudinis impedimenta. Unde est attritio de peccatis commissis tamquam destructivis gratiæ, quæ est semen gloriæ, adeoque tamquam oppositis consecutioni ultimi finis. Inde etiam nascitur timor peccandi, ne beatitudinem amittamus. Sed quia de timore particularis hîc solet quæstio institui à Theologis, fit.

## QUÆSTIO IV.

### *De Timore.*

33. *Quid timor.* TIMOR est fuga mali imminentis, eaque vel sumitur pro odio seu aversione voluntatis à tali malo, vel pro passione consequente. Quemadmodum tristitia est aversio à malo præsente; vel, sumendo eam pro passione, consequens quædam luctа animi cum malo præsente. Unde passio timoris & tristitiæ supponit actum aversionis seu detestationis; sicut passio gaudii actum amoris. Immo timor mali ordinariè supponit in nobis amorem boni oppositi: eò quòd experientia doceat nos, ea mala cessare ac timere, quorum opposita bona amamus; idque eò magis, quò hæc magis amamus. Ut rectè dixerit *Augustinus l. 83. qq. q. 33. Nulli dubium est, non esse aliam metuendi causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum.*

*Supponit ordinariè amorem boni oppositi.*

34. *Timor dicitur alicujus, tùm mali, tùm personæ non malæ, etiam Dei.* Appellari autem solet timor alicujus, vel tamquam objecti mali quod imminet, vel tamquam causæ inferentis malum, vel tamquam personæ per malum offendendæ. Sic timetur pœna tamquam malum imminens, judex tamquam malum pœnæ inferens, pater tamquam offendendus per malum seu culpam commissam. Hâc itaque ratione in Scripturis frequens est mentio timoris peccati, gehennæ, & ipsius Dei seu Domini. Nam peccatum & gehenna est malum quod timemus; Deum autem timemus tamquam judicem justè gehennam minantem, & eumdem tamquam peccatis nostris offendendum, cujus proinde amicitiam timemus per ejus offensam amittere, quod est timere peccatum quatenus est offensa Dei.

35. *Timoris divisio.* Dividitur Timor (subintellige à peccato retrahens aut ad illud inducens) à *D. Thoma q. 19. art. 2.* & aliis communiter in Mundanum, Servilem, Filialem & Initialem. Timor mundanus est juxta Nonnullos, quo timemus incommoda temporalia, ideoque à peccato abstinemus. Estque frequenter timor iste conjunctus affectui erga peccata, sive ipsis peccatis, præsertim occultis & internis, in quibus consideratio humanorum respectuum non habet locum. Aliter solet ordinariè hic timor explicari, ut sit immoderata fuga malorum temporalium, v. g. paupertatis, ægritudinis, mortis &c, quatenus ea sic timentur, ut ad eadem vitanda eligatur peccatum. A quo timore nos dehortatur Scriptura *Matth. 10: Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* & alibi. Oriturque ex nimio rerum mundanarum affectu seu amore: cum quo sortitur eamdem moraliter malitiam, fundatam in eo, quòd voluntas inordinatè tendat in bona creata, & implicitè velit peccatum, quatenus ne creato bono privetur, eligit peccatum, tamquam medium. Unde est eadem malitia, quæ peccati, quod eligitur, vel cujus patrandi periculo metuens exponitur; v. g. amor pecuniæ & nolitio amittendi habet malitiam perjurii, si propterea quis paratus sit pejerare.

*Considerandа circa timorem mundanum.*

36. *Quid timor servilis.* Timor servilis est timor pœnæ à Deo infligendæ, ratione cujus consequenter timetur seu fugitur ipsum peccatum. Dicitur servilis, quia timens habet se instar servi horrentis plagas, quas dominus servis fugitivis & inobedientibus intentare solet. De quo dicitur *ad Rom. 8. Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore &c.* In hoc timore consideranda est ipsius timoris substantia, quæ bona est, & servilitas, quæ aliquem defectum seu carentiam perfectionis importat, consistentem in absentia affectûs erga bonum honestum propter se aut propter Deum.

37. *Ei interdum jungitur voluntas peccandi.* Timorem hunc *Lutherus* insectatur tamquam malum & peccaminosum, quasi in eo involvatur voluntas peccandi, si pœna non esset. Et quidem fatendum est hujusmodi voluntatem conditionatam, quæ peccaminosa est, interdum esse adjunctam, præsertim si diuturno tempore nullus sequatur affectus honestatis seu amor justitiæ. Ob quod etiam *Augustinus* frequenter arguit peccati eos, in quibus solùm est timor pœnæ sine ullo amore justitiæ, veluti non carentes voluntate peccandi, si peccare possent impunè. Nihilominus etiam tali casu non est malitia in ipso timore, sed in adjuncta peccandi voluntate. Deinde hæc voluntas non necessariò adest; immo plerumque ne quidem adest cogitatio de eo, quod ageret voluntas in casu conditionis impossibilis

*Quæ timorem non inficit, nec necessariò adest.*

*Immo per timorem efficacem excluditur.*

sibilis, quo scilicet pœna non esset. Ipsa quoque ratio timoris, si absolutus & efficax sit, hanc potiùs voluntatem conditionatam excludit, utpote æquè causativam pœnarum inferni, quæ timentur. Denique dum timorem hujusmodi Deus immittit, non intendit, ut ibi peccator sistat, sed ad Deum de peccatis dolendo confugiat.

38. *Gehennæ metum esse bonum & salutarem ostenditur ex Tridentino.*

Unde *Tridentinum sess. 6. c. 6.* meritò docet *peccatores divinæ justitiæ timore utiliter concuti.* Et *Can. 8.* dicit anathema assentibus, *gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere.* Et *sess. 14. c. 4.* detestationem peccati, quæ *ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat, non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse & Spiritûs sancti impulsum, & ad Dei gratiam in Sacramento disponere.*

*Scripturâ.*

Idem apertè traditur in Scriptura, nos invitante ad hujusmodi timorem *Lucæ 12. Nolite timere eos qui occidunt corpus &c.* & alibi. Eumque esse à Deo significatur *ad Rom. 8. Non accepistis*, Christiani, sicut antea Judæi, à Deo *spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis* à Deo *Spiritum adoptionis filiorum.*

*Et Patribus.*

Consonant quoque Patres, *Augustinus in Psal. 127.* ubi ait: *Timet ne mittatur in gehennam: bonus est & iste timor utilis est.* Et *lib. de Catechizandis rudibus c. 5. De ipsa* (inquit) *etiam severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est &c. Chrysostomus Hom. 15. ad Populum Antiochenum* inter alia plura dicit: *Hujus* gehennæ *metu nil utilius.* Et infrà: *Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos de illa pœna & supplicio loquens.*

39. *Ac denique ratione.*

Ratio etiam docet, non nisi honestum esse peccatum timere seu fugere ob pœnas à justo judice infligendas: qui cùm eas ob sola pecccata infligat, patet talem rationem ex se non nisi ad fugam mali, sectationemque virtutum posse incitare. Est quidem timor fuga proprii incommodi, uti spes amor proprii commodi, sed ardua satis & difficilis, ob connexam observantiam mandatorum, excitans ad fugam omnis peccati. Quòd si verò pœna præcisè consideretur, quatenus malum afficiens sensum nostrum absque altiori respectu, est quidem affectus valde naturalis; uti valde naturale est horrere corporale incendium: quamquam & hic, ratione fidei, quâ dirigitur, ac Spiritûs sancti, à quo excitatur, & finis, ad quem dirigitur, posset esse supernaturalis quoad modum. Deinde fugere malum corporale quatenus malum proprium, quod nulla ratio dictat amplectendum, videtur amor proprius honestus, sicut velle sibi aut proximo bonum; præsertim quando fuga ista est ardua, habensque annexam fugam peccati. Nihilominus timor iste in Christianis habet altiorem regulariter respectum, ad Deum nempe ejusque justitiam, ad beatitudinem quâ privat &c. Vide dicta *Tract. de Lib. arbitr. & Act. hum. disp. 1. q. 3.* Et *Tract. de Sacram. Pœnit. disp. 2. q. 3.*

40. *Timor filialis quid.*

Timor filialis, qui & castus, ingenuus, sanctus &c. vocatur, est, quo quis metuit peccatum tamquam Dei offensam. Dicitur filialis ob similitudinem cum timore, quo filius ingenuus timet offendere bonum patrem, quem diligit, non ob secuturam pœnam aut præmium, sed quia offenderet patrem. Quare hic timor sumptus pro passione, consequitur actum voluntatis, qui elicitur ab habitu charitatis, quo voluntas fugit malum culpæ imminens tamquam offensivum optimi patris & summè amabilis. Amantis est enim filii fugere quæ patrem offendunt, ac generatim quidquid ei malum est aut displicet; sicut amplecti ac desiderare quod ei bonum est ac placitum. Timor autem sumptus pro actu, elicitur à charitate, sicut contritio justi: ex eodem enim fonte charitatis quærit justus bonum & gloriam Dei, de obtenta gaudet, de malo præsenti tristatur, imminens Deo timet & conatur avertere.

41. *Timor divinæ justitiæ & pœnæ damni, quo membrò constituatur.*

At *Estius 3. d. 34. §. 5.* ad timorem filialem etiam refert illum, quo quis reveretur Deum tamquam supremum omnium Dominum ac peccatorum justissimum vindicem. Sed timor divinæ justitiæ communiter potiùs accensetur timori servili; quo timentur pœnæ, utique tamquam à justo judice infligendæ. Quemadmodum etiam timor pœnæ damni, seu amissionis præmii æternæ beatitudinis, non accensetur timori filiali (nisi procedat ex radice charitatis, quæ horret separationem ab amico) sed servili, vel est ei affinis, & à Nonnullis dicitur mercenarius, instar spei.

42. *Timor initialis quid.*

Timor initialis inter servilem & filialem medius est, retrahens à malo, & impellens ad bonum, partim timore pœnæ, partim amore justitiæ. Unde est filialis, quia respicit offensam Dei, quà talem; connotat tamen frequentiam motuum timoris servilis. Dicitur initialis, quia convenit statui incipientium vitam spiritualem & servitium Dei, qui partim amore Dei bene operantur, partim etiam timore pœnarum refrænantur ab illicitis.

43. *Timor servilis qui minuatur crescente charitate.*

Quæritur autem, an timor minuatur crescente charitate? Responderi solet, minui servilem, non quoad habitum (qui bonus est, nec contrariatur habitui vel actui charitatis) sed quoad actus: tum quia justi non ita timore supplicii, quàm amore justitiæ solent moveri, præsertim qui in charitate aliquousque sunt provecti: tum quia charitas generat quietam conscientiam, & auget fiduciam de divinâ benevolentia & auxiliis,

auxiliis, ac secuturâ gloriâ, cujus charitas est semen & quasi arrha. Sicque anxietates plerumque minuit. Immo etsi justi pœnas interdum timeant, non tamen ita quatenus pœnæ sunt, quàm quatenus per illas separarentur ab unicè dilecto. Unde *Augustinus Tract. 9. in Epist. 1. Joannis* ait: *Timor est sæta introducens linum charitatis, ad cujus introductionem exit.*

44. *An vel qui ea crescente crescat timor filialis.*

At timor filialis potiùs crescit, crescente charitate, juxta Doctores communiter: eò quòd sit effectus ipsius charitatis. Indeque fit, quo quis alium magìs diligit, eo amplius esse sollicitum, ne quid mali ei accidat. Dilectores quoque Dei magìs ponderant ac æstimant majestatem Dei, ac gravitatem divinæ offensæ: unde nascitur major sollicitudo cavendi offensam. Verùm quidem est crescente charitate minui ipsum peccati periculum: etsi enim inde minuatur radix timoris, quatenus dicit anxietatem nimiam, quæ per charitatem non parum sopitur mediante fiduciâ de obtenta & non amittenda divina amicitia: tamen non omnino tollitur peccati periculum, cùm etiam justis dicatur: *Qui stat videat ne cadat*; &, *cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Deinde radix anxietatis aliunde augetur, quatenus in justis crescit æstimatio magnitudinis culpæ: unde fit sanctos majori sollicitudine fugere culpas etiam veniales, quàm multi mortales. Magnitudo itaque mali cognita est nata supplere, quod deest ex parte periculi.

45. *Timor quo sensu non sit in charitate.*

Dum autem 1. *Joan.* 4. dicitur: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem* (ut alias expositiones omittam) est sermo de timore servili: generat enim charitas bonam conscientiam, & pacè cum Deo: quam qui habere se confidit, non timet damnari ob peccata præsentia, utpote sublata: sicut timet, qui scit se esse peccatorem. Quamvis possit adhuc esse locus timori pœnæ, partim quatenus quis non ita plenè confidit de sua charitate & bono statu, partim quatenus potest timere, nequandò in peccata relabatur, & sic pœnam incurrat, partim quatenus potest timere pœnas temporales ordinariè restantes. Videri potest *Estius in d. dictum.*

46. *Timor servilis non manet in Beatis, Immo nec filialis proprièquoad actum.*

Quæritur II. an timor maneat in Beatis? Resp. non manere in primis timorem servilem: quia beati non timent gehennam, utpote sibi non imminentem, immo impossibilem. Similiter non manet timor filialis quoad actum (quoad habitum, qui est charitas, manet indubiè) consistentem in fuga culpæ imminentis: cùm hæc iis non immineat, immo sit impossibilis. Possunt nihilominus timere culpam & pœnam hominum viatorum, utpote iis adhuc imminentem, adeoque & malum extrinsecum Dei, quod ex peccatis nostris ei imminet: quamquam sine perturbatione & imperfectione afflictiva, quæ timore pro hoc statu comitatur.

*Quo sensu maneat.*

Præterea in beatis est actus perfectissimi odii & aversionis à culpa seu offensa Dei. Et secundùm hoc verificari potest, quod *Timor Domini sanctus* sit *permanens in sæculum sæculi, Psal.* 18. Unde *Augustinus* 14. *de Civit. c.* 9. Hunc actum (qui tamen non est propriè dictus timor) intelligit nomine casti timoris dicens: *Timor ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit & in futuro sæculo, non est timor exterrens à malo, quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amitti non potest: ubi enim boni adepti timor immutabilis est, profectò, si dici potest, mali cavendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine ea voluntas significata est, quâ nos necesse erit nolle peccare, & non sollicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, sed tranquillitate charitatis, cavere peccatum.* *Præsertim filialis.*

Denique in Beatis est quidam timor reverentialis, quo Beati considerantes infinitam Dei majestatem, suamque vilitatem ac velut nihileitatem, summâ animi submissione Deum intuentur ac venerantur, & cum maxima reverètia ei assistunt, cum quadam quasi fuga curiosæ investigationis tantæ majestatis. Qui quidem actus spectat ad religionem & humilitatem secundùm varias considerationes, potestque etiam imperari seu procedere à charitate. De hoc timore loquitur Ecclesia in Præfatione Missæ: *Tremunt potestates*, angelicæ scilicet. Sic etiam in illo *ad Rom.* 13. *Cui timorem timorem*, juxta genuinam expositionem *Chrysostomi* intelligitur nomine timoris ipsa reverentia. 47. *Timor reverentialis qui maneat in Beatis.*

Quæritur III. Quo sensu dicatur: *Principium sapientiæ timor Domini Proverb.* 1.? Similis est sententia *Eccli.* 1. & *Psal.* 110. Resp. Nonnullos id exponere de timore filiali, qui est caput seu principalis pars (Hebræa enim vox significat, tam caput seu principium, quàm initium) sapientiæ. Vera enim sapientia complectens cognitionem & amorem Dei principaliter consistit in amore; timor autem filialis est verus amor seu charitas. Unde *Job* 28. dicitur: *Timor Domini ipsa est sapientia.* Et *Eccli.* 1. post præmissam sententiam subdit: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum.* Accedit, quòd timor Domini castus si iste occupaverit cor hominis, causet in eo fugam peccatorum, & omnis boni Deo placètis executionem; quod ipsum est summa veræ sapientiæ. At *Augustinus Tract. 9. in Epist. 1. Joannis*, eumque secuti *Prosper, Gregorius, Beda, Bernardus, Magister* & Scholastici passim, intelligunt prædictam sententiam de timore justi judicis seu servili, qui est initium justificationis quantùm est ex parte actuum voluntatis fidem sequentium, & disponit ad sapientiam seu charitatem. Utrovis autem modo intelligatur, dictum Scripturæ verissimum est. 48. *Quo sensu initium sapientiæ sit timor Domini.*

## QUÆSTIO V.

### *De Desperatione.*

49. *Describitur desperatio.*

DESPERATIO est voluntaria & deliberata depositio seu abjectio omnis spei consequendæ beatitudinem, aut media necessaria ad illam, v.g. veniam & remissionem peccatorum seu justificationem, perseverantiam, divinam misericordiam &c. perinde enim est ad rationem peccati desperationis, sive desperet quis de beatitudine sub tali conceptu, sive de mediis quæ sunt necessaria. Quare desperatio est omnimoda & voluntaria defectio à spe, estque actus voluntatis, quo quis non vult prosequi beatitudinem aut in eam tendere. Quemadmodum enim spes est desiderium consequendi beatitudinem, aut adhibendi media ad illam, sic directè ei opposita desperatio consistit in nolitione oppositâ. Potiùs autem dicitur nolitio prosecutionis, seu beatitudinis ut per media obtinendæ, quàm beatitudinis ut sic: eò, quòd desperantes non soleant odisse directè ipsam beatitudinem secundùm se, quæ summè desiderabilis est, sed indirectè, quatenus non volunt eam prosequi per media, in quibus adhibendis videlicet est difficultas, & omittendis seu nolendis facilitas, grata naturæ corruptæ. Quare idem cernitur in desperatione de aliis bonis v.g. divitiis &c. dicitur enim quis de iis desperare, quando sive ob molestiam, sive ob incertitudinem positivè desistit ab adhibitione mediorum, nolens ea ampliùs adhibere, & per consequens indirectè nolens finem, etsi alioquin eum optaret, seu in eo sibi complaceat.

*Et ampliùs declaratur.*

50. *Est in voluntate,*

*Non coincidit cum judicio secuturæ damnationis.*

Hinc colligitur desperationem esse in ipsa voluntate: in qua utique residet spes opposita, & tota culpa, quæ in hac materia reperitur. Ideoque judicium, quo quis putat se non obtenturum beatitudinem, nō est propriè desperatio; etsi sit quid prævium & inducens ad desperationem. Immo cum tali judicio, saltem non planè firmo, sed formidoloso, potest consistere actus spei, quo quis nihilominus velit contendere ad beatitudinem, si fortè sit locus misericordiæ. Utì nec desperaret, qui edoctus divino oraculo de futura damnatione, adhuc vellet, quantùm est in se, adhibere omnia ad salutem media; quæ ex obligatione adhuc adhibere teneretur.

51. *Judicium quo formandum de tentationibus contra spem.*

Diximus autem requiri defectum à spe voluntarium & deliberatum; idque ob tentationes violentas, afflictiones graves, mœstitias inconsolabiles, quibus interdum animæ cruciantur, ita ut omni spe destitutæ videantur: hæc enim sunt timores potiùs & angustiæ excitatæ à dæmone, vel ex turbatione, aut etiam complexione melancholica provenientes absque ullo vero & deliberato voluntatis consensu. Super quibus prudenter invigilare debent confessarii & animarum directores: ex defectu enim debitæ directionis gravissimi & horribiles interdum casus eveniunt. Plerumque autem peccata non sunt, aut tantùm venialia; plerumque ex vacuitate cerebri pura deliria sunt.

52. *Quæ contra illas remedia.*

Contra tentationes porrò in materia spei, præsentissimum & velut unicum remedium est, non obstantibus quibuscumque argumentis & suggestionibus inimici, agnoscere suam infirmitatem & demerita, suisque viribus & operationibus diffidendo totum se projicere in sinum bonitatis & misericordiæ Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, & cujus misericordia superat infinitè omnem nostram miseriam ac peccata. Distinguenda tamen est ab animarum directoribus tentatio dæmonis à tristitiis & desolationibus, quæ nonnullis accidunt ex atra bili, & humore melancholico prædominante; unde causantur funestæ imaginationes, quibus sibi mortem inferre proponunt, & aliquando inferunt. Quæ quidem tædia sunt quædam maniæ & species amentiæ; effectusque sequentes sunt deputandi maniæ, & procedunt ex perturbatione judicii & rationis. Unde tales juvandi sunt arte medicâ, industriâ & præventione. Et si mania seu perturbatio judicii sit notabilis, effectus prædicti sunt excusati à culpa, præsertim gravi. Unde juxta *Marchant to. 2. Tract. 2. Tit. 3. quæst. 5. in fine*, neque pœnis desperatorum plectendi sunt, v.g. cadaverum in publica furca expositione &c. nisi (inquit) fortè ad exemplum in horrorem facti expedire judicaretur. In foro porrò externo præsumitur delictum, nisi sint indicia in oppositum. Unde mores nostri cadavera hujusmodi in furcam agunt, nisi arguantur phrenesi aliquâ capti, aut non fuisse satis compotes mentis, similive causâ affecti, juxta *Zypæum in Notitia Juris Belgici lib. 9. Tit. de Pœnis §. De his qui sibi mortem consciverunt.*

53. *Variæ radices desperationis.*

Ex variis porrò capitibus nascitur desperatio; scilicet ex eo, quòd desperans putet Deum non posse aut non velle ipsum salvare, se esse reprobatum à Deo, sua peccata esse irremissibilia, seu se non obtenturum veniam, nec Deum eis de facto miseraturum; aut quia putat ex pusillanimitate se non emendandum, aut certè non perseveraturum in bono ob difficultates & tentationes, adeoque se non cooperaturum in necessariis ad emendationem aut perseverantiam; vel ex impatientia & acedia, quâ horret difficultates & labores, ob quos non vult anhelare ad cælum velut nimis arduum; vel denique ex luxuria & voluptatibus

tatibus carnis, quibus fit, ut animus planè carnalis effectus non æstimet cælestia, sed relinquat cælum cæli Domino, nolens ad illud aspirare contentusque carnis & mundi voluptatibus.

54. *Quando concurrat judicium infidelitatis, quando non.*

Unde patet aliquando concurrere in desperatione judicium infidelitatis contrarium fidei, adeoque ejus expulsivum (si pertinax sit) quando videlicet desperans judicat non dari beatitudinem futuram, Deum non posse salvare aut peccata remittere, se esse ante prævisa demerita reprobatum, suam obdurationem divinâ gratiâ vinci non posse, non esse locum semissioni peccatorum quæ commisit &c. Aliàs autem non, quando nimirum desperans deponit spem salutis aut veniæ peccatorum, eò quòd judicet ex conjecturis se esse reprobum seu non prædestinatum, se ob ingratitudinem & peccata nimia destituendum auxilio congruo, vel quia animo desponderet ob inveteratam peccandi consuetudinem, adeoque tædet eum resistere passionibus ac tentationibus, indeque de salute desperationem concipit.

55. *Quàm periculosum & grave sit peccatum desperationis, declaratur.*

Estque peccatum hoc periculosissimum: desperantes enim solent laxare fræna omnibus vitiis, dum nil superest, quod eos avertat à malo & ad bonum convertat, non amor, non timor, non præmium, non supplicium; quin potiùs à desperatis (ut loquimur) agunt, cogitantes parum esse, quòd in inferno nihilominus arsuri, peccata multiplicent, ad tempus fruituri miserâ peccati voluptate. Unde ex desperatione in furta, latrocinia, libidines horribiles, homicidia &c. labuntur, atque frequenter laqueo aut aliis mediis vitam sibi tandem adimunt. Hinc Apostolus *ad Ephes.* 4. scribit: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ in avaritiam.* Et *Jeremiæ* 18. ex persona eorum dicitur: *Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.* Ex objecto tamen est peccatum minus odio Dei, majus infidelitate: quamquam hæc possit juxta Varios aliquando desperationem excedere.

56. *Revelari absolutè posset alicui futura damnatio.*

Unica restat difficultas an licitum sit desperare ei, cui damnatio revelaretur? Ubi supponendum cum communi doctrina cõtra *S. Bonaventuram* 1. *d.* 48. *in Expos. Textus* non implicare, ut hujusmodi revelatio fiat. Quemadmodum de facto innotescit damnatis perpetuitas damnationis, & innotescere potuisset omnibus lapsis, si Deus statuisset nemini dare gratiam pœnitendi. Nec aliunde ostendi potest ratio implicantiæ. Quamvis de facto non reperiatur facta ejusmodi revelatio. Et si quæ fieret, accipienda foret in sensu comminatorio, uti similes pœnarum infligendarum revelationes, nisi evidenter constaret esse absolutam; præsertim cùm minùs congruat pietati divinæ ejusmodi revelatio. Hoc itaque supposito

*Si quæ talis fieret revelatio, accipienda ordinariè foret tamquam comminatoria.*

Plures simpliciter censent talem licitè desperare seu nolle prosequi beatitudinem, utpote ei impossibilem, uti est & spes ejusdem. Sed ut distinctè res ista enucleetur, statuendum in primis est, talem licitè formare judicium de non secuturâ beatitudine, immo peccare judicando oppositum, utpote contra dictum revelationi. Unde etiam licitè tristaretur de tanto malo certò imminenti, ac jam velut præsenti. Non foret tamen licitum tali averti à Deo tamquam bono suo, ipsum abominando, beatitudinem contemnendo, eam rebus creatis postponendo, aut optando eâ carere: ad tales enim actus non cogit præsupposita revelatio; & ipsi alioquin sunt ex se inordinati, cùm in ejusmodi objectis non sit ulla ratio repudiandi aut contemnendi, quin potiùs summa ratio cõcupiscendi. Non esset quoque licitum tali homini committere aliquod novum peccatum, ne illud quidem ob quod est damnandus: nam revelatio ista non præjudicat ipsius libertati, uti nec divina præscientia sine revelatione, vel revelatio facta alicui tertio de ipsius damnatione. Quemadmodum etiam si cui revelaretur proprium peccatum futurum, teneretur adhuc abstinere & vitare. Solùm igitur quæstio est, an posset elicere actum desperationis, an potiùs possit & debeat adhuc sperare.

57. *Suppositâ absolutâ revelatione liceret judicium conforme, tristitiaque de non secuturâ beatitudine, Non tamen abominatio illius aut vilipensio.*

*Vìa nec patratio peccati, etiam illius ob quod talis foret damnandus.*

Resp. I. Si cui damnatio reveletur incurrenda ob peccatum jam commissum, unum vel plura, cum denegatione omnis gratiæ etiam sufficientis ad pœnitendum, non posset talis sperare, sed posset desperare, seu nõ velle prosequi beatitudinem, aut ad ejus assecutionem contendere, utpote impossibilem, cognitam ut talem. Nec tali casu in hac nolitione foret aliqua turpitudo, cùm esset nolitio rei inutilis & impossibilis, prout esset prosecutio beatitudinis. Immo velle eam prosequi esset malum. Deberet tamen vitare, ut dictum est, nova peccata. Desineretque in tali ex parte conditio viatoris, quatenus non posset ampliùs contendere ad finem suum, etsi posset augere damnationem.

58. *Desperatio licita foret ei, cui damnatio revelaretur ob peccatum commissum negato auxilio pœnitendi.*

Resp. II. Si cui damnatio revelaretur incurrẽda ob peccatum futurum, vel ob præteritum, unde potest cum auxilio sufficienter submini strando resurgere, non posset desperare, seu nolle contendere efficaciter quantùm est de se ad beatitudinem, sed potiùs teneretur ad eam contendere per actus ab habitu spei eliciendos: adeoque teneretur confiteri & pœnitere de peccato, ob quod est damnandus, illudque nec dum commissum vitare, conformiter ad ea quæ diximus *Tract. de Act. Hum. disp.* 3. *q.* 10. Ratio est: quia tenetur adhuc velle adhibere omnia media ad beatitudinem, specialiter autem non ponere, vel è contrà tenetur

59. *Secùs, si hoc ad sufficientiam non desit, aut revelatio sumatur in peccato futuro.*

tollere unicũ beatitudinis impedimentum, scilicet peccatum; adeoque impedire consequentem damnationem: ergo tenetur pariter contendere ad ipsam beatitudinem. Deinde vi revelationis, utpote consequentis futuritionem peccati finalis liberè ponendi, non redditur beatitudo impossibilis; utì nec vitatio peccati cum omnibus circumstantiis prædicti: ergo sicut manet obligatio hoc vitandi, sic & beatitudinem prosequendi.

Nec obstat, quòd certò sciatur non futura: sufficit enim, quod sciatur esse possibilis, aut certè futura, si media adhibeantur, quæ non obstante revelatione possunt & debent adhiberi.

60. *An talis dici possit sperare,*

An autem desiderium hujusmodi beatitudinis dicendum foret spes propriè dicta, est quæstio de nomine. Plures tamẽ requirunt ad hoc, quòd actum voluntatis præcedat judicium de apparẽti saltem futuritione effectûs; quod non consistit cum judicio infallibili opposito. Unde desideraret quidẽ talis beatitudinem per actum à Spe elicitum, non posset tamẽ sperare beatitudinem tamquam futuram; quin immo peccaret, ut patet. Ac proinde posset hâc ratione desperare, id est, nolle prosequi beatitudinem tamquam simpliciter futuram in sensu cõposito. Ex quibus manet tota hæc res sufficienter enucleata.

## QUÆSTIO VI.

### *De Præsumptione.*

61. *Præsumptionis multiplex acceptio.*

PRÆSUMPTIO aliquando sumitur pro judicio intellectûs ex conjecturis formato; quæ stylo Iurisperitorum interdum generant præsumptionem levem, interdum probabilem, interdum vehementem aut violentam. Aliquando etiam sumitur pro spe valida divini auxilii. *Judith 6. & 9.* Aliquando pro motu voluntatis, quo quis se extendit ultra jus seu potestatem, vel vires. Sic in Canonibus puniuntur, qui præsumpserint hoc vel illud attentare, & vulgò dicuntur multa præsumere, qui sine facultate attentant aliqua agere. Estque circumstantia aggravans delictum; quod ex præsumptione fit. Similiter dicitur quis præsumere, dum quod ingenium, artem, robur corporis superat, aggredi tentat. Qui quidem excessus in quavis materia locum habere potest; & quatenus in operibus magnificis versatur, opponitur magnanimitati. Plerumque etiam est superbia, aut ex eo oritur.

62. *Præsumptio per excessum opposita Spei quid.*

In præsenti verò sumitur pro immoderantia quadam Spei Theologicæ cui per excessum opponitur. Estque spes quædam immoderata, nempe (ut Doctores conveniunt) actus voluntatis proponentis ad gloriam, gratiam, aliave dona supernaturalia ad gloriam conducentia pervenire absque mediis à Deo ordinatis. Unde opponitur spei, quæ est voluntas obtinendi à Deo gratiam & gloriam mediis ab ipso institutis. Estque adeò gravissimum peccatum, sic ut non nisi defectu perfectæ deliberationis excusat à mortali.

63. *Duplex illius species infidelitatem supponens declaratur.*

Contingit autem præsumptio primò, si quis præsumat cum *Pelagio* justitiam & beatitudinem consequi viribus naturæ. Secundò, si cum recentioribus Novatoribus quis præsumat justitiam & gloriam consequi solâ fide speciali sine bonis operibus. Quarum utraque supponit infidelitatem, seu judicium hæreticum. Prior autem ex objecto est gravior velut derogans æstimationi beatitudinis & ipsius Dei, quasi non excedentis vires naturæ, nec non meritis Christi, & gratiæ redemptoris, quo ita præsumens se non indigere quasi gloriatur. Posterior tamen est periculosior, veluti laxatas habenas peccatis. Ad priorem quoque præsumptionis speciem spectat illa, quâ quis spem suam inordinatè collocat in creaturis, quasi sufficientibus eum perducere ad salutem: quæ tamen sine speciali Dei adjutorio obtineri nequit. Licitum tamen est in creaturis tamquam coadjuvantibus, modo per ipsum Deum ordinato, sperare; prout speramus in orationibus Sanctorum vivorum & mortuorum, quos in adjutorium secundarium & spei nostræ adminiculum juxta ipsius Dei voluntatem imploramus.

64. *An vel quomodo per illam destruatur habitus Spei.*

Præsumptionis utraque species præmissa destruit spem, indirectè saltem, quatenus nimirum supponit judicium infidelitatis, quo fides, adeoque & spes amittitur. An autem independenter à destructione fidei, adeoque directè spei habitus per hujusmodi præsumptionem destrueretur, v. g. in casu, quo judicium infidelitatis sit culpabile quidem, sed non pertinax, controversum est. Estque probabile quòd non necessariò destrueretur: eò quòd consistere posset desiderium beatitudinis efficax, quantum est ex parte sperantis, diligique per judicium fidei de beatitudinis possibilitate: posset etiam non obstante judicio de non necessitate gratiæ aut bonorum operum, ac expectatione beatitudinis independenter ab illis, ejusmodi opera ad cautelam velle adhibere.

65. *Tertia præsumptionis species, quæ appellatur Catholicorum explicatur.*

Tertia præsumptionis species dici solet Catholicorum, qui videlicet proponunt in suis peccatis usque ad finem vitæ perseverare, sperantes tunc sibi dandam à Deo gratiam pœnitendi, sicque salutem consequendi. In quo quidem proposito est grave peccatum, tum ratione objecti (quod in diversis peccatoribus diversum est pro diversitate peccatorum, in quibus persistere cupiunt) tum ratione periculi æternæ damnationis, cui se exponunt. Propriè tamen

non

non est ibi peccatum oppositum spei, aut quidquam quod habitum spei evertat: immo verè tales sperare adhuc possunt, utì debent, gratiam à Deo, quæ dum vita durat, non denegatur: quamquam magìs timendum sit, ne in pœnam non detur gratia congrua; utì plerumque fit. Proprium autem & speciale peccatum hujusmodi præsumptionis de misericordia Dei (quod dici solet peccatum in Spiritum sanctum) tunc committitur (ut rectè notat *Marchant To. 2. Tract. 2. Tit. 3. q. 6. Conclus. 2.* etsi aliqui non satìs distinctè loquantur) quando spes confessionis faciendæ, & misericordiæ in hora mortis consequendæ, non tantùm concomitanter se habet, sed est causa peccati, dum videlicet ideo quis laxat habenas peccatis, quia scit Deum usque ad mortem esse propitium peccatoribus. Talis enim justitiam Dei irritat, & quantum in se est provocat; nec non misericordiam, & bonitatem illius, eâdem ad peccandum abutendo, oppugnat. Quamvis adhuc consistat cum actu spei, adeoque habitum spei non evertat.

# DISPUTATIO UNDECIMA.

## *De Charitate, ejusq; Præcepto & Ordine.*

### QUÆSTIO I.

### *An Charitas sit Virtus, veraque Amicitia cum Deo?*

1. *Quid significet charitas.*

NOMEN Charitatis plerumque in bonam partem in Scriptura & sacris Scriptoribus sumitur pro amore boni seu bona voluntate, uti & frequenter sumitur dilectio; quæ tamen etiam pro dilectione mala sumitur, magìs quàm charitas: Amor autem indifferenter in bonam & malam partem accipitur. Et quidem apud *Augustinum* Charitas generaliter interdum complectitur omnem amorem boni, adeoque etiam amorem concupiscentiæ. Regulariter tamen sumitur pro habitu vel actu amoris benevolentiæ erga Deum, quo ipse propter se seu infinitam suam bonitatem diligitur, proximus autem propter Deum. Nec pro habitu vel actu qualiscumque amoris etiam naturalis, sed solùm supernaturalis. Unde est infusa à Deo virtus, vel ejusdem actus, quo Deus diligitur propter se, aut propter Deum proximus.

2. *Ipsam esse Spiritum sanctum sensit Magister.*

Charitatem porrò non esse quid creatum inhærens in anima hominis, sed esse ipsum Spiritum sanctum, non solùm causaliter, sed formaliter docuit *Magister 1. d. 17.* prout communiter intelligitur & littera sonat: etsi subtiliter conetur *Scotus ibid. q. 3. n. 30.* cum cum communi doctrina ex aliis locis concordare: quod etiam facit *Occam 1. d. 17. q. 3.* Loquitur autem *Magister* de habitu seu principio charitatis actualis, ut satìs se ipsum explicat litt. S. & intelligitur à *D. Thoma q. 23 art. 2. D. Bonaventurâ 1. d. 17. p. 1. art. 1. q. 1. Scoto suprà, Gabriele ibid. art. 1. Durando ibid. q. 2. Marsilio 1. q. 20. art. 1.* & reliquis Scholasticis, quidquid *Arriaga disp. 31. sect. 1. n. 3.* explicet illum etiam de ipso actu, addens non bene à nonnullis Recentioribus etiam intelligi de solo principio proximo actûs, cùm tamen Theologorum Principes cum infinitis quasi asseclis suis sic *Magistrum* intelligant.

*Loquens de actualis dilectionis principio.*

*Quidquid sctìs ipsum explicet Arriaga.*

Doctrina *Magistri* apertè repugnat non solùm indubitatæ omnium Theologorum sententiæ, asserentium charitatem esse qualitatem infusam, sed etiam *Tridentino sess. 6. c. 7.* ubì præmissis *cap. præc.* actibus fidei, spei & dilectionis dispositivis, docet, quòd *in justificatione per Spiritum sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione hac omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem & charitatem &c.* Idem de charitate definit *Can. 11:* Quod nullo modo quadrat in ipsum Spiritum sanctum. Alludit autem *Tridentinum* utroque loco ad illud Apostoli *ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Porrò juxta *Augustinum l. de Spirit. & Litt. c. 32.* (quem alii passim sequuntur) *Charitas dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ ipse nos diligit, sed quâ nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, quâ justi ejus munere efficimur, & Domini salus, quâ nos salvos facit.* Adeoq; intelligitur de charitate creata. Et quâquam Nonnulli post *Chrysostomum* explicent hoc. cum Apostoli de charitate Dei quâ nos diligit, conveniunt tamen omnes in hoc, quòd ea dicatur diffundi ratione effectuum seu donorum animæ inhærentium, ac per Spiritum sanctum infusorum, maximè charitatis, unde consequens fit etiam reciprocam erga Deum charitatem esse donum animæ inhærens. Vide *Estium in d. Locum.* Accedunt aliæ Scripturæ, quæ frequenter loquuntur de charitate tamquam dono & fructu ipsius Spiritûs sancti, connumerantes eam aliis donis & fructibus seu virtutibus, ut fidei, spei &c. *1. ad Cor. 13. ad Galat. 5. ad Ephes. 6.* Ut proinde ex Scriptura æquè colligatur de charitate, atque de fide & spe, quòd sit donum creatum.

3. *Charitas est donum animæ inhærens. Probatur ex Tridentino. Scripturis.*

4. *Et ratione.* Probatur eadem doctrina ratione: tum quia congruit magis, ut insit animæ principium intrinsecum & stabile activum charitatis: tum quia aliorum actuum supernaturalium datur hujusmodi principium, etiam juxta *Magistrum*: tum quia Charitas dicitur quibusdam inesse, quibusdam non, in quibusdam augeri & crescere, in quibusdam corrumpi &c. quod propriè non convenit Spiritui sancto.

5. *Quo sensu dicatur Deus esse charitas.* Nec obstat quod 1. *Joan.* 4. dicitur: *Deus charitas est*; intellige non solùm causaliter, sicut dicitur spes & patientia nostra, quia scilicet hæc nobis dat, sed sicut dictum est, Deus est spiritus, juxta *Augustinum* 15. *de Trinit. c.* 17. Nam verè & essentialiter Deus est charitas increata, & fons omnis dilectionis, quæ in nobis reperitur, & consequenter *qui manet in charitate* participatâ, *in Deo manet* per vinculum societatis & amicitiæ, & *Deus in eo* vicissim. Et quamvis totus hic locus acciperetur de charitate increata, non propterea excluderetur charitas creata, alibi toties commendata.

*Exponitur Augustinus.* *Augustinus* autem differentiam ponit inter charitatem, & spem vel patientiam, quòd Deus sit essentialiter charitas increata eaque formaliter in Deo reperiatur; nō sit ita spes & patientia, quæ ob imperfectionem non reperiuntur formaliter in Deo; Non negat tamen, quin præterea sit in nobis charitas creata; & Deus sit charitas hæc causaliter, sicut dicitur justitia nostra, ut patet ex *l. de Spirit. & Litt. c.* 32. Vide *d. Bonaventuram* 1. *d.* 17. *in Exposit. Textus dub.* 5.

6. *Potuisset dilectio Dei semper produci ab ipso sine interventu habitûs infusi.* Fatendum nihilominus cum communi Doctorum sententia, Deum potuisse sic ordinare, ut actus dilectionis semper producerentur à Spiritu sancto (cui id solùm per appropriationem convenit, eò quòd sit Charitas Patris & Filii) sine concursu habitûs. Immo de facto peccator se disponens ad justificationem per dilectionem aut contritionem perfectam, elicit illam sine concursu habitûs, utpote posteriùs naturâ infundendi: quidquid nonnulli *Thomista* dicant. Et saltem nulla in hoc est apparentia contradictionis. Quemadmodum etiam actus fidei & spei eliciuntur ab iis, qui necdum sunt præditi habitibus, Deo per auxilium actuale supplente defectum habitûs.

*Et interdum de facto ita producitur.*

7. *Charitas est virtus supernaturalis. A ceteris distincta.* Quòd autem charitas sit virtus supernaturalis, patet ex *Tridētino suprà*, & à fortiori ex eo, quòd fides & spes sint supernaturales virtutes. Vide dicta *disp.* 1. *q.* 2.

Quòd similiter sit à virtutibus ceteris, etiam supernaturalibus, distincta, tradunt omnes Theologi. Colligiturque ex Scriptura 1. *Cor.* 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Idem suaderi solet, etsi non omnino efficaciter ex distinctione objecti, præsertim formalis, quod est divina bonitas quatenus in se bonus est.

*Ejusq; eminentior.* De excellentia charitatis præ cæteris subdit Apostolus suprà: *Major autem horum est charitas.* De quo actum est *disp.* 1. *q.* 7. De identitate charitatis & gratiæ sanctificantis vide dicta *Tract. de Gratia disp.* 4. *q.* 4. *num.* 13.

8. *Nec non ratio hominis cum Deo amicitia.* Quòd denique charitas, quatenus Deum respicit, sit vera hominis cum Deo amicitia, est Similiter indubitatum apud omnes Catholicos: nam per charitatem juxta fidei doctrinam reddimur amici, justi, & filii Dei ac hæredes gloriæ cælestis. Unde charitate præditos Scriptura vocat amicos *Joan.* 15. *Vos amici mei estis si feceritis, quæ præcipio vobis.* Et: *Vos autem dixi amicos.* Et alibi sæpè.

Nec potest quidpiam aliud assignari, per quòd homines sancti dici possint amici Dei, quàm charitas. Ratio est: quia charitas est amor benevolentiæ & mutuus: per ipsam enim justi diligunt Deum, eique bene volunt: & è contrà Deus diligentes se diligit.

9. *Non obstante eo, quòd Deus omnia ad se referat.* Et quamvis hic omnia amicorum suorum bona ad se velut ultimum finem referat, id non obest rectæ amicitiæ: cùm id non faciat ad suam utilitatem, qui bonorum nostrorum non eget, sed ex essentiali naturæ suæ rectitudine. Quin immo etiam sic vult nobis bonum, quando nos ad se tamquam ad destinatum finem refert: sicut & nos proximo bene volumus & verâ amicitiâ ipsum prosequimur, quando ipsum diligimus propter Deum, ejusve amorem in Deum tamquam finem referimus. Vide dicta *Tract. de Deo Uno disp.* 7. *q.* 7. *n.* 57. Ubi etiam diximus non obstare inæqualitatem Dei & hominis; quæ facit ut sic amicitia, non æqualitatis, sed excellentiæ, quam *Scotus* 3. *d.* 27. *n.* 20. superamicitiā vocat: quamquam Deus amicos suos sibi quoque tamquam filios assimilet per gratiam, & posteà per gloriam: ut proinde & hîc locum habeat, quòd amicitia aut pares accipit, aut, quoad fieri potest, facit.

*Nec sit inter ipsum & hominem æqualitas.*

10. *Declaratur id ipsum applicando conditiones amicitiæ formalis assignari.* Id ipsum amplius declaratur applicando conditiones amicitiæ, quæ desumuntur ex Philosopho 8. *Ethic. c.* 2. & 9. quòd scilicet sit mutua benevolentia, non latens, & in quadam bonorum communicatione fundata. Ad quas reducuntur aliæ addi solitæ ex *Ambrosio l.* 3. *Offic. c. ult.* quòd scilicet sit unitas animorum, communicatio consiliorum, præstatio securitatis.

Quod itaque charitas sit benevolentia, & quidem mutua (quod requiri patet, cùm amicus sit amico amicus, & qui amat alium à quo non redamatur, dici possit amans, non propriè amicus) sufficienter ex dictis patet. Quòd non omnino lateat, doceri potest ex Apostolo *ad Rom.* 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei*; Deum autem nihil potest latere. Quòd fundetur in aliqua communicatione, patet, eò quòd Deus se ipsum nobis donet seu communicet, hic

cet, hic per gratiam multipliciter, in futuro per gloriam: è contrà nos offeramus Deo nostra obsequia, nosque ipsos. Quod insuper sit unitas animorum, manifestum est: qui enim adhæret Deo, unus spiritus est cum eo, juxta Apostolum 1. *Cor.* 6. Qui proinde de se ipso *ad Gal.* 2. ait: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Quò etiam spectat, quòd alter alterius voluntatem faciat: prout nos Deo dicimus, *Fiat voluntas tua*, & è contrà de Deo dicitur *Psal.* 144. *Voluntatem timentium se faciet.* Quod ipsũ plurima Sanctorum exempla demonstrant. Quòd inveniatur consiliorum seu secretorum communicatio, patet: quia debemus Deo revelare viam nostram *Psal.* 36. & effundere coram illo corda nostra *Psal.* 61. immo & præbere illi cor nostrum *Proverb.* 23. non quòd illum quidquam lateat, sed ut amicitiæ munere fungamur, & ita petamus opem ab eo, qui solus juvare potest. Ipse etiam Deus secreta nobis communicat: *Jam* (ait Christus *Joan.* 15.) *non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Quòd denique charitas præstet securitatem, patet, quia generat fiduciam de divina erga nos benevolentia, ne nimis anxiè timeamus damnationem, sed ut nos Deo fiducialiter committamus.

11. *Infantes gratiâ prædicti qui sint amici Dei.*

Adverte tamen, parvulos aut amentes in gratia existentes non habere omnes prædictas conditiones in actu, sed solùm in habitu & velut in radice: essèque nihilominus & vocari phrasi Ecclesiasticâ amicos Dei, scilicet ratione habitûs, ob quem sunt Deo accepti, tamquam amici & filii, & in actu primo potentes Deum redamare.

## QUÆSTIO II.

### *An vel Qualiter Charitas possit Augeri, Minui & Destrui?*

12. *Charitas potest augeri.*

DICO 1. Certum est charitatem posse augeri. Patet ex *Tridentino sess.* 6. *c.* 10. *Justitiæ incrementum petit Ecclesia, cùm orat: Da nobis, Domine, fidei, spei & charitatis augmentum.* Ratio Theologica est: quia charitas est à gratia justificante (quæ augeri potest) indistincta, aut certè eam cum quadam æquabili proportione individuè concomitatur, ut sicut simul sunt in infusione & destructione, sic & in augmento: in ejusque infusione & augmento saltem ex parte consistit justificatio & ejusdem incrementum. Vide dicta *Tract. de Grat. d.* 4. *q.* 5.

*Physicè à Deo, meritoriè & instrumentaliter unde.*

Augetur verò charitas, uti primò infunditur, physicè quidem à solo Deo, meritoriè autem per actus meritorios, etiam habitu præexistente remissiores, ut loco citato ostendimus. Instrumentaliter denique per Sacramenta, quæ ex opere operato vel primam gratiam conferunt, vel augmentum illius (uti ex dictis in materia de Sacramentis liquet) & consequenter charitatis.

13. *Augmentum charitatis habitualis est intensivum, non extensivum.*

Consistit porrò hoc augmentum juxta omnes Doctores in intensione majori habitûs charitatis; quæ juxta sententiam in Philosophia communiorem fit per additionem gradûs ad gradum homogeneum. Præter quod non datur aliud augmentum extensivum: eò quòd minima charitas extendat se ad omnia quæ sunt ex charitate diligenda, utpote in quibus omnibus est eadem ratio diligendi. Quemadmodum eadem fides habitualis extendit se ad omnia sub eodem motivo credenda. Unde habitus infusus mox constituit hominem proportionatum toti latitudini objecti sui, nec extenditur ejus substantia, dum plures diliguntur, sicut non augetur extensivè potentia videndi, dum plura objecta videntur.

De facto tamen in diversis differenter se extendit habitus charitatis ad actus circa hæc vel illa objecta, & ad actus inæqualiter perfectos, quantum ad intensionem aut appretiationem. Ad quod præter habitum necessaria sunt specialia auxilia Dei urgentis ad actus magis heroicos.

14. *Est locus augmento, quamdiu status hujus vitæ perseverat.*

Estque locus huic intensivo augmento habitualis charitatis, quamdiu status viæ durat: uti eousque durat status merendi. Immo oppositus error, quòd scilicet in hac vita quis possit ad tantam charitatem seu gratiam pervenire, ut ampliùs augeri non possit, damnatus est in *Beguardis & Beguinis* à *Concilio Viennensi* relato Clem. *Ad nostrum, de Hæreticis.* Unde Apostolus adeò in charitate provectus de seipso *ad Philip.* 3. dicebat: *Non quòd jam perfectus sim &c. Quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, &c.* Neque est periculum (quod *Beguardi* metuebant) ut quis tandem perveniat ad mensuram charitatis seu perfectionis Christi, aut eam excedat: gratia enim seu charitas secundùm plenitudinem in Christo fuit, sive infinita, sive tanta ut major non sit possibilis, & saltem superet omnium simul sumptorum charitatem in intensione. Dictũ verò *Augustini Enchiridii c.* 121. *Minuitur cupiditas charitate crescente, donec veniat hic ad tantam magnitudinem, quâ major esse non possit*; intellige non de magnitudine intensionis, sed exhibitionis in opere, q.d. perventuram ad exhibendum seu exponẽdum pro amico bonum maximum quod habet, seu quo majus ab ipso exhiberi nequit, prout *Joan.* 15. Christus dixit: *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Unde *Augustinus Tract.* 5. *in Epist.* 1. *Joan.* ait: *Perfecta charitas hæc est, ut quis paratus sit pro fratribus etiam mori.*

*Occurritur objectioni.*

*Explicatur dictum Augustini.*

*An in augmento charitatis detur status, disputatur.*

An autem in augmento charitatis detur status, ut nequeat in infinitum magis & magis augeri, an verò non possit dari intensio tanta, quin semper major, pendet à quæstione Philosophica in Physica tractari solitâ de infinito syncategorematico. In qua *Scotus* 3. *d.* 13. *q.* 2. & plures alii censent dari statum: Alii è contrà non minus probabiliter contradicunt.

15. *Quo sensu Charitas distinguatur in incipientem, proficientem & perfectam.*

Petes, quo sensu distinguatur Charitas in Incipientem, Proficientem & Perfectam? Resp. distinctionem istam accipi secundùm diversa opera seu officia, in quibus charitas principaliter exercetur. Et primò quidem id allegat *Augustino Tract.* 5. *in Epist.* 1. *Joannis* explicat *D. Thomas q.* 24. *art.* 9. & alii Scholastici ut Charitas dicatur incipiens, quamdiu præcipuum hominis studium est repugnare vitijs & malis cupiditatibus, quibus adhuc infestatur: Proficiens autem, quando jam principaliter incumbit in studium virtutis, ut faciat progressum: Perfecta denique, quando homo jam quietem à tentationibus & pravis cupiditatibus utcumque consecutus, atque etiam facilitatem quamdam in operibus virtutum, intendit totus contemplationi & divino amori. Secundò id explicari potest, ut Incipiens dicatur, quæ infunditur in justificatione, antequam operari jam incipiat: Proficiens verò dicatur ab illo tempore, quo operari incipit usque ad finem vitæ: Perfecta autem, post hanc vitam in patria. Vide *Augustinum l. de Spirit. & Litt. c.* 33. ut ì primo gradui applicat illud *Psal.* 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*; secundo id quod sequitur: *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, denique tertio id, quod subditur: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Et *l.* 6. *contra Julian. c.* 19. eisdem gradibus accommodat illud *Lucæ* 13. *Ecce ejcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertiâ die consummor.*

*Prior explicatio.*

*Posterior explicatio.*

16. *Charitatem intrinsecè minui non implicat.*

Dico II. Non implicat quidem charitatem diminui intrinsecè, seu quoad gradus intensionis, de facto tamen id non fit, ne quidem per peccata venialia. Prima pars est manifesta. Deus enim omnipotens pro libitu suo vel ob causas varias posset aliquos gradus charitati infusæ detrahere; utì apponere seu infundere: quæ enim in hoc est apparentia repugnantiæ?

*De facto tamen numquam minuitur etiã per venialia peccata.*

Secunda pars est communissima Theologorum contra *Altisiodorensem l.* 3. *Summæ Tract.* 5. *c.* 5. & *Dionysium Carthusianum* 1. *d.* 17. *q.* 9. existimantes charitatem minui per venialia. Probatur: quia si charitas posset minui, utique per venialia (ut apud omnes in confesso est, & de iis tantùm potest esse apparentia) at per hæc ipsam non minui intrinsecè, prout controvertitur, patet: quia sequeretur posse per venialia perdi totam charitatem: quæ tamen non nisi peccato mortali amittitur. Sequela patet: quia si charitas sit intensa ad tres gradus, & per singula venialia destruatur v. g. unus gradus, per tertium tandem destruetur tota charitas, adeoque status gratiæ.

*Probatur.*

Nec satisfacit *Altisiodorensis* dicens per secùdum veniale minùs quàm per primum diminui charitatem, atque adeò diminutionem fieri secundùm partes proportionales, secundùm quas charitas est divisibilis in infinitum. Nam præterquam quòd hæc evasio fundetur in sententia Philosophica difficili, & fortè falsâ de compositione continui, à qua non est verisimile dependere ordinationem divinam circa pœnam peccati venialis; adhuc ipsa non subsistit: cùm fieri possit, ut veniale secundum sit gravius primo, & tertium utroque: tunc autem non est ratio, cur posteriora minùs diminuerent charitatem, quàm priora: Deus enim solet pœnitentiam taxare cum proportione ad gravitatem culpæ.

17. *Evasioni Altisiodorensis occurritur.*

Non rectè etiam respondetur, tali casu ultimum veniale fieri mortale, utpote quo tollitur status gratiæ. Nam id in primis repugnat communi Doctorum & Fidelium sensui, caretque omni solido fundamento. Repugnat etiam rationi, quæ docet, non ideo peccatum esse mortaliter offensivum, quòd per illud extinguatur charitas, sed potiùs ob præsuppositam culpam mortalem (quæ hîc non præsupponitur, cùm sit culpa ejusdem rationis cum præcedentibus) veluti causam destrui demeritoriè per modum pœnæ charitatem. Deinde aliàs ob periculum perdendi statum gratiæ seu omnis charitatis peccaret mortaliter, qui veniale committeret, præsertim parvâ præditus charitate. Immo cùm nesciat homo mensuram charitatis, quam habet, quæve per singula venialia destruitur, plerumque erit periculum totam extinguendi. Sicque septies in die cadens justus (secùs est de peccatore, qui eatenus foret melioris conditionis multiplicando venialia pro libitu) meritò semper timere debebit, ne hîc & nunc peccando venialiter charitatem extinguat, adeoque mortaliter peccet, aut jam antè extinxerit. Quare ulteriùs dubius hærebit de statu gratiæ, vel potiùs ratione periculi, cui se exposuit, censere debebit, se esse extra statum gratiæ sicque non poterit ministrare sacramenta, aut suscipere, nisi confiteatur aut conteratur. Quæ nimium sunt à sensu Ecclesiæ & ratione aliena.

18. *Aliud effugium præcluditur.*

Dicuntur tamen venialia minuere fervorem charitatis, & familiaritatem divinæ amicitiæ, item minuere firmitatem charitatis, quatenus juxta alibi dicta ad ejus destructionem disponunt. Juxta quæ sunt explicanda omnia, quæ in contrarium adduci possent. Venialibus itaque deditus, acquirit pravos habitus, & ordinariè privatur specialioribus gratiis, quibus excitata anima solet in ferventiores divinæ dilectionis

19. *Quòd venialia minuant fervorem charitatis & familiaritatem divinæ amicitiæ.*

actus

actus prorumpere. Ipsaque ad terrena fit inclinatior, creaturisque, etsi à Deo necdum separantibus, neque divinæ amicitiæ contrariis, immersa, non tam perfectâ appretiatione Deum amat, sicut illæ sanctæ animæ, quæ ab his penitus elongatæ, malunt omnia sustinere, quàm vel leviter unicè dilectum offendere. Unde fit, ut etsi amicitia essentialis non minuatur, cùm hæc mensuretur in ordine ad gradus gratiæ & gloriæ proportionatæ, ad quam Deus animas æqualiter acceptas habet; non obstante inæqualitate venialium culparum (quæ congruè puniuntur pœnis solùm temporalibus, non autem diminutione gratiæ & gloriæ) signa tamen & favores speciales divinæ amicitiæ non ita ex parte Dei solent adhiberi, qui cum hujusmodi non ita familiariter agit. Delicata siquidem res est divina consolatio, non datur admittentibus alienam. Unde *Augustinus Serm. 41. de Sanctis*, post enumerata varia & quotidiana justorum peccata subdit: *Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cælestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant* Sicque pedetentim charitas ad corruptionem disponitur, dum anima divinis consolationibus destituta, & ad terrena magis ac magis inclinata, ex minoribus culpis assueta, pedetentim ad majores admittendas inescatur. Unde *Gregorius 3. parte Pastoral. admonit. 34.* cùm dixisset animam multis levibus peccatis sensim obrui, sicut navis multis guttis paulatim demergitur, explicans quomodo hoc fiat, subdit: *Unde fit plerumque, ut mens assueta malis levioribus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat, & tanto in majoribus contemnat pertimescere, quanto in minoribus didicit non timendo peccare.*

20. *Charitas semel habita potest amitti.*

Dico III. Charitas semel habita potest amitti, ac de facto amittitur tota, non solùm peccato infidelitatis, sed quovis peccato mortali. Prima pars est de fide ex *Tridentino sess. 6. can. 23.* contra *Jovinianum* & *Calvinum*. Patet ex Scriptura apertè supponente justum posse à justitia excidere. *Ezech. 18. Si averterit se justus à justitia sua &c. 1. ad Cor. 10. Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Ad Gal. 5. Evacuati estis à Christo qui in lege justificamini: à gratia excidistis. Ad Hebr. 10. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Apoc. 2. Habeo adversum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* Et alibi sæpè. Consentiunt Patres passim obvii. Idem patet ex Sanctorum exemplis, Davidis, qui cùm esset vir secundùm cor Dei, in adulterium & homicidium lapsus est: & Petri Apostoli qui in Christi negationem lapsus fuit &c.

Præterea quotidie plurimi baptizati, adeoque justificati in peccata gravia labuntur. Fundatur id ipsum in libertate & vertibilitate arbitrii ad bonum & malum pro statu hujus vitæ, qui est merendi & demerendi.

21. *Auctoritates nonnullæ discutiuntur seu exponuntur.*

Dices, *Charitas numquam excidit 1. Cor. 13.* Et juxta *Augustinum* (ut citat *Magister 3. d. 31.*) *charitas, quæ deseri potest, nunquam fuit vera.* Et *Ambrosium in c. 6. Epist. 2. ad Cor: Ficta charitas est, quæ in adversitate deserit.* Resp. quòd charitas nullo tempore excidat, quatenus manet tam hîc, quàm in patria; secùs quàm fides: etsi excidat in aliquibus particularibus personis per peccatum mortale. Verba *Augustini* non sunt verè ipsius, sed Auctoris indocti, ac in rigore falsissima, desumpta ex *Epistola* olim ordine 111. nunc *lib. de Salutar. docum. c. 7.* in appendice ad Tom. 4. Ea tamen conatur in bonam partem accipere *S. Bonaventura d. 31. in Exposit. Textûs dub. 1.* Ambrosiastri verba sunt hæc: *Simulata charitas in his est, qui in necessitate deserunt fratres;* quia videlicet in necessitate probatur synceritas charitatis, ut signum sit non fuisse synceram, si in necessitate desit.

22. *Amissam semel non omnes recuperant.*

Similiter non omnes, qui habitam semel charitatem amittunt, postea ante finem saltem vitæ illam recuperant, quidquid videatur contradicere *Petrus Martyr in c. 8. ad Rom.* Nam etiam multi reprobi sunt ad tempus justi, qui à justitia excidunt, & in peccatis moriuntur; prout patet in plurimis, qui in infantia fuerunt justi & baptizati, & postea in hæresi aliisve peccatis apertè moriuntur. Idemque fieri posse apertè supponit Scriptura *Ezech. 18. Joan. 15.* & alibi. Et consentiunt Patres. Ut proinde *Tridentinum sess. 6. can. 17.* meritò damnet asserentes gratiam justificationis contingere solis prædestinatis. Fatendum nihilominus eos, qui à justitia excidunt, si sint prædestinati finaliter in justitia mori: de quibus *Joan. 10.* Christus dixit: *Non peribunt in æternum &c.* Prædestinatio enim Dei infallibilis est, adeoque in prædestinatis supponit aut facit finalem justitiam.

23. *Amittitur non solâ infidelitate, sed quovis peccato mortali.*

Secunda pars est similiter de fide contra diversos Sectarios, & traditur in *Tridentino sess. 6. c. 15. can. 27.* Idipsum *c. 15.* probatur ex illo Apostoli *1. ad cor. 6: Neque fornicarii, neque adulteri &c. regnum Dei possidebunt.* Et *ad Rom. 6.* dicitur: *Stipendia peccati mors.* *Iacobi 1: Peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Et *c. 2. Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus &c.* Unde *Hieronymus in c. 5. ad Gal. Nec refert* (inquit) *uno quis peccato à beatitudine excludatur, an pluribus, cùm omnia similiter excludant.* Similia habet *Basilius l. 1. de Baptis. c. 5.* Oppositus demum error nullo nititur fundamento.

*Demeritoriè tantùm.*

Quòd autem peccatum mortale destruat chari-

charitatem, non physicè sed demeritoriè, quia videlicet gravis culpa, etsi non opposita physicè charitati, meretur rescissionem divinæ amicitiæ, ostensum est *suprà d. 1. q. 7. n. 75.*

## QUÆSTIO III.

### *An eadem, aut Æqualis sit Charitas Viæ & Patriæ?*

24. *Idem habitus Charitatis in via & patria.*

DICO I. Habitus charitatis in via & patria est idem. Ita communiter Theologi. Estque juxta *Suarez* & *Tannerum* (ut refert *Arriaga d. 35. n. 50.*) de fide ex illo Apostoli 1. *Cor.* 13. *Charitas numquam excidit.* Quo etiam utuntur reliqui Scholastici, dum docent charitatem habitualem in patria non evacuandam, significanter *D. Bonaventura 3. d. 31. art. 3. q. 1. in corp.* dicens id esse indubitatum. Ratio est: quia idem habitus charitatis potest esse, & juxta omnes de facto est generalis ad amorem Dei, sive hic consequatur fidem, sive consequatur visionem; adeoque non est ratio illum evacuandi aut mutādi, sive quoad speciem, sive quoad numerum. Deinde eadem gratia sanctificans manet in via & in patria, ergo etiam idem habitus charitatis, qui probabiliùs a gratia non distinguitur, aut certè eam individuè comitatur. Vide *Scotum dist. 31. q. un.*

25. *Actus tamen differunt specie.*

DICO II. Actus Charitatis viæ & patriæ differunt specie. Ita *Coninck*, *Wiggers*, *Arriaga* & plurimi alii. Inclinatque *Scotus d. 31. n. 4.* Et supponit *D. Thomas q. 24. art. 7. ad 3.* docens charitatem viæ, quantumvis augeatur, numquam posse pertingere ad charitatem patriæ, utique non ratione intensionis, quæ potest esse par aut major, adeoque ratione perfectionis specificæ. Ex quo probatur Conclusio: quia rectè colligitur ea esse specie distincta, quorum unum quantumvis perficiatur, non potest pertingere ad perfectionem alterius. Ratio autem distinctionis desumitur ex diverso modo tendendi in objectum beatificum, quod hîc proponitur confusè & obscurè per species alienas, in patria distinctè & clarè per visionem illius secundùm se: ex quo omnino videtur exurgere amor intrinsecè & essentialiter perfectior. Diversa enim propositio hujusmodi objecti diversimode afficit & movet voluntatem, adeò ut juxta communem sententiam adversariorum amor beatificus ex natura sua sit necessarius, cùm è contrà amor viæ sit liber. Deinde clara visio excellentiæ & perfectionum divinarum causat earumdem appretiationem & æstimationem longè aliam & perfectiorem, adeoque consimilem amorem, quàm cognitio earumdem per fidem causare possit: & plura ex visione nobis innotescent, quæ, & ob quæ Beati amant Deum, quàm ex obscura fidei cognitione. Confirmatur: quia non est credibile fruitionem beatificam, quæ est beatitudo essentialis, aut certè non infima beatitudinis pars, nō esse perfectiorem amore viatorum, qui alioquin hîc obtinerent beatitudinem quoad essentiam seu substantiam actûs primarii, aut saltem secundò principalis. Præterea actus beatæ tentionis distinguitur essentialiter & intrinsecè ab actu concupiscentiæ Dei in via, non obstante identitate objecti formalis.

26. *Habitualis charitas nō est in beato necessariò intensior, quàm in viatore. Sive eodem.*

DICO III. Habitus Charitatis Beati non est necessariò intensior habitu viatoris, sive sit comparatio cum eodem, sive cum alio justo viatore. Patet: quia plurimi moriuntur cum sola justitia in Baptismo accepta, qui sine fundamento dicerentur post mortem accipere novum augmentum gratiæ aut charitatis habitualis: quin potiùs gloria proportionatur gratiæ & meritis hujus vitæ. Idemq; est de aliis justis, qui non accipiunt post vitam aliquos gradus gratiæ, non respondentes meritis præsentis vitæ: etsi dubitetur, an gratia præhabita per peccatum amissa restituatur semper tota in proxima justificatione (idemque est de gratia respondente meritis actûs remissioris) an verò differatur ad finem hujus vitæ aut initium alterius. Neque id locum habet in iis, qui sic se disposuerunt & operati sunt, ut totam gratiam & charitatem eis debitam actu receperint, prout indubie videtur accidisse in Deipara.

27. *Sive in diversis.*

Idem est clarum instituendo comparationem inter diversos: quis enim dubitet Deiparam, Paulum, Franciscum, Magdalenam & similes primarios Sanctos habuisse longè majorem cumulum graduum gratiæ sanctificantis seu charitatis, quàm parvulus moriens cum gratia baptismali, aut aliquis de communi grege justorum in cælo habeat? Sine fundamento autem confingitur, omnes hujusmodi in principio beatitudinis obtinere novum augmentum charitatis habitualis, quod superet in intensione omnium Sanctorum hujus vitæ, exceptâ fortè B. Virgine, gratiam seu charitatem: quidquid *Lorca sect. 3. disp. 18.* senserit, oppositum conclusionis absque dubio veram existimans, cùm è contrà *Coninck disp. 22. d. 8. n. 85.* multo probabilius, immo certum esse putet, non dari hujusmodi habitualis charitatis augmentum post mortem.

28. *Quo sensu minor in regno cælorum sit major Joanne Baptista viatore.*

Nec obstat illud Christi de Joanne Baptista *Matth. 11. Inter natos mulierum non surrexit major: qui autem minor est in regno cælorum, major est illo.* Nam juxta *Augustinum* & plurimos alios sensus est: qui autem minor est ætate, & (quantum erat ex opinione Judæorum) æstimatione & auctoritate, Christus ipse videlicet, is in regno cælorum, seu Ecclesia justorum, major est illo auctoritate, potestate, divinitate. Si autem sermo sit de regno cælesti Beatorum, sensus est (quem etiam allegat *Augustinus l. contra*

*contra adversarios legis & Prophetarum c. 5.* & sequuntur plures alii) quòd minimus beatus sit major & felicior Joanne Baptista seu alio sancto viatore, non tam ratione intensivi augmenti gratiæ, quàm ratione statûs beatitudinis, complectēris Dei visionem, fruitionem & gaudium beatificum, cum perpetuitate, securitate, impeccabilitate &c.

29. *Charitas actualis patriæ est intensior in eodem charitate viæ.*

Dico IV. Charitas actualis patriæ regulariter saltem est intensior, quàm Charitas viæ, si fiat comparatio ejusdem beati ad eumdem viatorem; secùs probabiliter est, si comparatio fiat ad diversos. Prima pars probatur: quia vix aut numquam hîc elicimus actum tam intensum, quàm potentia cum habitu elicere possit, ob imperfectionem notitiæ, obstacula concupiscentiæ, & similia, quæ in patria cessabunt, & in qua objectum clarissimè visum rapiet voluntatem, ut ad extremum potentiæ suæ & habitûs exardescat in amore divino. Accedit, quòd juxta sententiam multorum vix umquam contingat, ut adultus hîc accipiat totum augmentum gratiæ seu charitatis ad quod jus habet & quod in patria consequetur: quodque potentia cum habitu infuso possit elicere actum habitu intensiorem: id quod continget in patria, si usquam.

30. *Non ita in diversis.*

Secunda pars colligitur ex eo, quòd licet nobis incerta sit mensura intensionis actuum, quia tamen multi Sancti in hac vita sunt præditi habitu charitatis incomparabiliter intensiori præ habitu multorum Sanctorum in cælo, qui in multis, v. g. decedentibus cum sola justificatione acceptâ in infantia, est valde remissus: hinc videntur priores operantes cum tam intenso habitu, & pleno spiritus fervore, accedente adjutorio gratiæ actualis, elicere posse actum magis intensum, quàm si Sancti in cælo; prout videtur contigisse in B. Virgine, & aliis pluribus.

## QUÆSTIO IV.

## *De Objecto Materiali & Formali Charitatis.*

31. *Deus est objectum primarium charitatis.*

Dico I. Objectum materiale primarium est Deus, secundarium proximus, & omnia quæ possunt conducere ad bonum seu gloriam Dei, formale infinita Dei bonitas seu perfectio, quâ in se bonus seu perfectus est. Prima pars patet: quia Deus est primum & principale quod diligimus, & super omnia diligere debemus, & cui intrinsecum est charitatis motivum. Indeque Charitas in Scripturis appellatur Charitas Dei, tamquam proprii objecti scilicet dilecti *Joan. 5. 2. ad Thessal. 3. 1. Joan. 3. & 5.* juxta *Augustinum* & alios Patres; etsi interdum vocetur Charitas Dei, quâ ipse diligit nos, ut 1. *Joan. 3. In hoc cognovimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Et alibi.

*Qua in scripturis proinde charitas Dei vocatur.*

Secunda pars est communis omnium Doctorum. Et colligitur ex Scriptura 1. *Joan. 4. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & Charitas ejus in nobis perfecta est.* Ratio est: quia proximus est bonum quoddam extrinsecum Dei, cujus gloria augetur per hoc, quòd proximus ipsũ amet, eique serviat. Igitur ad Charitatem spectat desiderare hæc similiave bona proximo propter Deum. Idemque est de proximo spectato secundum corpus, deque omnibus aliis rebus, quatenus considerantur cedere posse ad gloriam Dei: ad eamdem enim virtutem spectat intentio finis, & electio mediorum.

32. *Secundarium, proximus.*

Porrò nomine proximi intelligitur hîc omnis creatura rationalis capax æternæ beatitudinis, juxta *Augustinum l. 1. de Doctr. Christ. c. 23. 26. & 30.* alios que Patres; qui licet specialiter de hominibus loquantur, est tamẽ eadem ratio de angelis, immo & de Christo quatenus est homo: ideoque cum ceteris Theologis ita sentit *D. Thomas q. 25. art. 10.* Unde quod ad rem ipsam spectat idem est sibi ipsi proximus ex charitate post Deum primo loco diligendus, propter quod dicitur charitatis ordo incipere à se ipso. An verò etiam propriè dicatur quis sibi ipsi proximus; pertinet ad quæstionem de nomine, & vim vocis spectando videtur potiùs sibi idem dicendus, quàm proximus. Unde in præcepto, quo jubemur diligere proximos, sicut nos ipsos, patenter distinguimur nos ipsi à proximis nostris; quorum dilectio mensuratur dilectione nostri. Dum autem *Gregorius Hom. 17. in Evan.* dixit: *Minùs quàm inter duos haberi charitas non potest*, egit de charitate, quatenus dilectioni superaddit rationem amicitiæ, quæ necessariò respicit alterum, cùm sibi nemo amicus sit aut dicatur. Præterea non solùm sunt diligendi justi, sed etiam peccatores, ac nobis malefacientes seu inimici: quos tamquam proximos amore prosequimur propter Deum, dum ideo cupimus procurare eorum conversionem & salutem, ad quam sunt ordinati. Damnatos autem homines & angelos, veluti jam incapaces gratiæ & gloriæ, non possumus perfecto amore charitatis prosequi, etsi imperfecto modo possimus de eorum interitu, & peccatis, quæ jugiter in æternum cõmittunt, tristari, sive per inefficacia desideria circa eorum bonum salutare versari.

33. *Quinam hoc nomine intelligantur.*

Tertia pars est *Scoti d. 27. q. un. §. Quantum ad istum articulum*, & aliorum communiter. Ratio est: quia infinita bonitas & pulchritudo seu perfectio Dei est, quæ objectivè proposita nos movet ad amandum Deum super omnia. Deinde ipsa movet beatos quantum ad actum fruitionis beatificæ, ergo etiam nos, quantùm ad actum amoris hujus viæ. Insuper infinita bonitas Dei po-

34. *Formale motivum, infinita Dei bonitas.*

Dei potest excitare ad sui amorem non minus, quàm bonitas seu pulchritudo alicujus creaturæ: ergo rectè statuitur esse motivum; præsertim cùm aliunde nil obstet, nec aliquid aliud congruè statui possit. Et in hoc distinguitur Charitas à spe, quòd hæc veluti amor mercenarius concupiscentiæ versetur circa Deum, quà speranti bonum, Charitas autem non sit mercenaria, sed amor benevolentiæ tendens in Deum quatenus bonum in se.

35. *Sive adæquatè spectetur.*

Infinita porrò bonitas seu perfectio Dei, absolutè sumpta complectitur infinitam sapientiam, omnipotentiam & reliquas perfectiones in suo genere infinitas, ex quibus exurgat ens infinitum in omni genere entis. Et quamvis bonitas Dei sic spectata sit velut universalis in continendo omnem perfectionem, est tamen in se simplicissima ratio, sufficienter terminans & movens ad dilectionem supernaturalem.

36. *Sive inadæquatè in singulis perfectionibus infinitis.*

Nihilominus non apparet, cur anima nequeat in hac via distinctè & separatim sibi proponere singula Dei attributa. v. g. infinitam Dei sapientiam, misericordiam &c, ipsumque amare super omnia amore supernaturali, quia benignus & misericors est, quia infinitè sapiens &c. Quemadmodum etiam fides supernaturalis habet pro motivo assentiendi aliquod attributum, scilicet veracitatem Dei. Nec aliquid deficit in tali amore, quò minùs spectet ad virtutem Theologicam, utique Charitatis. Nil etiam est, quod obstet. Cùm enim Charitas sit virtus infusa, adeoque se habeat instar potentiæ, facile apparet, quî ipsa possit se extendere ad amorem Dei conceptum ex bonitate Dei, sive consideratâ adæquatè, sive sub ratione aliqua particulari & inadæquatè. Et quidem frequenter contingit, ut amatores Dei sese diversis temporibus occupent in consideratione & admiratione diversarum Dei perfectionum, indeque consurgant in amorem vivificum dilecti sui, qui totus & infinitè pulcher ac amabilissimus est, sive consideretur ut sapiens, sive ut justus, sive ut misericors &c, sive ut hæc omnia complectens.

37. *Qui perfectiones respectum ad extra dicentes sint motivum charitatis.*

Nec obstat I. Quòd Deus quatenus misericors, liberalis, aut sub simili respectu ad nos, sit objectum amoris cōcupiscentiæ, quo concupiscimus nobis beneficia à Deo. Nam si considerentur & amentur hæ perfectiones respectivæ, quatenus cedunt in bonum termini respecti, qui sumus nos, eatenus quidem amantur amore concupiscentiæ: at si considerentur & amentur, quatenus Deum esse tam misericordem, tam liberalem & beneficum &c est pulchrum & perfectio ipsius Dei, qui est quasi subjectum, indè ibi terminant amorem benevolentiæ & ad illum movent.

38. *Identitas non obstat,*

Non obstat II, Quòd omnes formalitates seu perfectiones divinæ sint omnino idem à parte rei, adeoque attingantur semper omnes simul à voluntate, quæ non præscindit. Nam etsi voluntas præcisionem non incipiat, potest tamen inceptam per intellectum continuare, tendendo per affectum in objectum, quatenus per intellectū proponitur, à quo Deus proponi potest inadæquatè, sive tamquam misericors, sive tamquam sapiens &c. Si tamen voluntas efficaciter amet aliquam rem ponendam in esse, eo ipso ponet omnia rei identificata, non quia hæc omnia formaliter amet, sed quia potentia executiva per imperium voluntatis determinata fertur in totum objectum, prout est à parte rei. *quin perfectiones seorsim ut ita considerantur, sic amentur.*

39. *An vel qua ratione diligatur Deus ob beneficia collata.*

Non obstat III. Quòd Deus à nobis diligatur propter beneficia creationis, redemptionis &c. nobis collata, quæ ratio etiam assignatur 1. *Joan.* 4. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Immo sine communicatione donorum nō stat ratio amicitiæ, qualis est charitas. Non obstat, inquam: quia beneficia non sunt proprium motivum amoris, sed causant debitum rependendi amorem benefactori: diligendus enim est ob suam bonitatem tantus benefactor, beneficiaque exigunt, ut amemus illum propter se. Gratitudo itaque erga Deum imperat amorem efficiendum ob increatam bonitatem. Quòd si considerentur non tam beneficia, quàm bonitas tanta benefacientis, jam non itur extra increatam bonitatem Dei, quæ est motivum amoris. Similiter amor increatus Dei erga nos est perfectio infinita ipsius. Adde beneficia seu communicationem Dei esse rationem quamdam secundariam, quæ nos allicit & provocat ad amorem: sicut amamus alterum ob doctrinam, virtutes, similesque perfectiones, qui tamen si noscatur esse benevolus & redamare amantes, accedet particularis ratio amabilitatis alliciens ad amandum. Ut tamen in præsenti amor noster perfectus sit, non tam debet esse propter beneficia, quàm propter bonitatem & amorem divinum ex quo nobis cōmunicatur, sic ut tunc magis ametur Deus, eò quòd tam bonus sit ut nos dignetur amare, quàm propriè ametur propter beneficium. Vide *Scotum suprà*. Estque hæc communicatio necessaria ad amorem nostrum quatenus est amicitia juxta dicta *qu.* 1. non tamen ad actum amoris præcisè: nil enim vetat diligi à nobis aliquem ob suas perfectiones & pulchritudinem, cum quo nil nobis communicationis & dependentiæ intercedit. Quæ pulchrè declarat *Scotus suprà*.

40. *Qui per charitatem desideremus juxta Augustinum Dei faciem,*

Non obstat IV. Quòd juxta *Augustinum* 1. *Soliloq. c.* 6. per charitatem desideremus Dei conspectum. Nam intellige hoc, non quatenus per Dei conspectum beati efficiamur (hoc enim desiderat spes) sed quatenus per claram Dei visionem disponimur ad Deum perfectissimè amandum, ad quod charitas inclinat. Quâ ratione animæ per-

mæ perfectæ desiderant dissolvi & esse cum Deo.

Quæ hîc possent proponi de divisione amoris in amorem Dei tamquam auctoris naturæ, & amorem Dei tamquam auctoris gratiæ seu bonorum supernaturalium vide explicata *Tract. de Grat. d. 2. q. 4. n. 37. & seqq.*

41. *Eadem simplex charitas elicit amorem Dei & proximi propter Deum.*

Dico II. Eadem simplex & indivisibilis charitas habitualis inclinat ad amandum Deum, & proximum propter Deum. Est communis Doctorum, & consonat *Augustinus* 8. *de Trinit. c.* 8. dicens: *Ex una eademq; charitate Deum, proximum, diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* Ratio sufficiens sumitur ex identitate motivi, quo nimirum non diversificato, non est necesse diversificari habitum supernaturalem (quidquid sit de naturali) utpote se habentem instar alicujus potentiæ, non autem instar vestigii suorum actuum. Ut proinde non obstet diversitas specifica velut physica ex parte objectorum materialium desumpta. *Variis objectionibus occurritur.*

Non referat quoque, quòd (ut objicitur) in dilectione proximi reperiatur nova difficultas. Quæ tamen sufficienter tollitur per mentem vivaciter applicando motivum charitatis proximo, etsi alioquin inimico. Non obstat etiam facilitas diversa, quæ sentitur in exercitio amoris Dei & proximi: habitus enim infusi non dantur ad facilè, sed ad simpliciter posse; adeoque datâ diversâ facilitate, in aliud principium ipsa est referenda. Non obstat denique, quòd divina bonitas non insit internè proximo: etsi enim propterea non sit diligendus super omnia, uti Deus, sufficit tamen ordo seu habitudo extrinseca ad bonitatem Dei, ut propter illam proximus diligatur. Sicut medicina, de se naturæ ingrata, amatur ob bonum sanitatis sibi extrinsecæ.

42. *Diversimodè id fit. Primò.*

Charitas autem Dei diversimodè potest inclinare in dilectionem proximi. Primò quatenus syncerus amicus Dei ab ejusdem bonitate motus cupit eum diligi à quibuscumque, veluti ab iis meritò diligendum, adeoque ipsum diligi à proximo. Hoc ipsum autem desiderando, maximum proximo bonum cupio, adeoque ipsum diligo, etsi propter divinam bonitatem, quæ dignissima est, ut à proximo diligatur.

*Secundò.*

Secundò, qui diligit Deum cupit ipsi quodvis bonum, atque adeò quòd omnia cedant ad bonum & gloriam ejus, ac quævis creatura sic benedicat Deum, ejusque gloriam manifestet. Specialiter autem Deo bonum est, quòd proximus eum amet, veniat ad cælum &c. Unde taliter amat sincerè Deum, se & proximum, qui ut augeatur honor & gloria ac bonum Dei, rectè vivit, alios rectè vivere cupit & procurat verbis, exemplis &c.

43. *Tertiò.*

Tertiò, qui diligit aliquem, diligit ea quæ pertinent ad ipsum, v.g. filium ob patrem, etiam jumentum amici propter ipsum. Unde 1. *Joan.* 5. dicitur: *Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo.* q.d. ita naturâ comparatum est, ut qui patrem diligit, ejus causâ quoque filium diligat. Proinde nos qui Deum diligimus, diligimus quoque propter Deum natos ex eo, qui sunt fratres nostri. Aut etiam subinde amatur filius aut externus, quia in eo relucet imago, virtutes & perfectiones amici: sic & proximus ac creatura alia, quatenus in eo relucet Deus ejusque perfectiones; dum tamen divina perfectio sit, quæ movet.

*Quartò.*

Denique cùm Deus præceperit dilectionem proximi, nascitur inde quædam necessitas diligendi proximum; quod si tùc faciamus, ne patrem nostrum optimum offendamus, ac ut Deo amico nostro placeamus, quodque illi gratum est præstemus, verè diligimus ipsum propter Deum & divinam bonitatem, cui per omnia placere, & quod illi gratum est præstare cupimus. Sed quia Deus non præcipit dilectionem proximi fieri ob certum motivum, v.g. bonitatem Dei, præcepto satisfaceret, qui proximum propter se amaret, & in necessitatibus ex alio motivo succurreret. Unde ut sit Charitas Theologica, debet fieri, quia id Deo placet.

44. *Dilectio proximi ob suam intrinsecam perfectionem, etsi supernaturalem, non est actus amicitiæ moralis.*

Nihilominus si proximus præcisè ametur ob suam bonitatem intrinsecam, etsi supernaturalem, non erit Charitas Theologica; cùm Virtus Theologica necessariò tendat in Deum, saltem tamquam objectum formale. Quare actus erit amicitiæ moralis, sive acquisitæ, sive infusæ, si detur. Quamvis & hic posset reflexè imperari per distinctum actum ex motivo charitatis divinæ elicitum; ut patet.

## QUÆSTIO V.

### *De Præcepto Charitatis Dei.*

45. *Quænam contineantur præcepto diligendi Deum.*

PRÆCEPTUM diligendi Deum habetur expressum *Deuteron.* 6. & repetitur à Christo *Matth.* 22. his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Cui subdit Christus: *Hoc est maximum & primum mandatum.* Quo quidem mandato in primis continetur præceptum negativum non habendi Deum odio, & generale non agendi quidpiam quod sit contra amicitiam Dei, adeoque præceptum generale non peccandi, præsertim mortaliter. Continetur præterea præceptum generale affirmativum observandi omnia mandata Dei: præceptum enim hoc est velut compendium præceptorum, ideoq; dicitur *ad Rom.* 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Is enim veraciter Deum diligit, qui ad amussim omnia Dei mandata studet servare, adeò ut convincatur Deum ex toto corde non diligere, qui observantiâ alicujus mandati

postponit affectui creaturæ seu alicujus rei extra Deum. Unde *Joan.* 14. dicitur: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me: qui non diligit me, sermones meos non servat.* Et c. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

46. *Specialiter, an actus interior dilectionis Dei super omnia.*

An verò insuper contineatur ibidem speciale præceptum dilectionis actualis internæ, quâ homo in Deum tamquam in suum bonum sic feratur affectu & voluntate, ut cum præponat universis rebus commutabilibus, adeoque malit omnia, quàm Deum ejusve amicitiam amittere, quod quidem præceptum obliget aliquando in vita, etsi non pro semper & ad semper; dubitari posset. Nonnulli enim id negasse referuntur. Sed communissima sententia Theologorum cum *D. Thoma*, & *Scoto d.* 27. *quæst. unic. num.* 18. id affirmat. Quorum sensus adeò communis grave est fundamentum ita sentiendi & Scripturam ac legem naturæ interpretandi. Ratio assignari potest, quòd hoc exigere videatur ipsinita Dei bonitas & amabilitas, quæ omnino videtur exigere amorem ex parte nostrûm, maximè tot titulis ei obstrictorum; non minùs quàm assensum credendi summæ ejus veracitati, aut ullum alium actum præceptum. Unde congruentissimum erat, imperari actum dilectionis Dei, adeò naturæ conformem, & Deo gratum ac perfectum; adeoque de facto imperatum esse, defectumque illius esse contra rationem, communis sensus Doctorum tradit.

47. *Occurritur objectionibus.*

Nec obstat, quòd in Decalogo non exprimatur hoc præceptum. Nam est veluti præambulum ad alia præcepta, quorum observantiam exigit dilectio Dei; cujus quidem præceptum affirmativum à ceteris distinctum alibi satis expressum erat, satisque ingeritur consideranti vivaciter: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Præceptum autem generale negativum, non offendendi scilicet Deum, est imbibitum omnibus aliis præceptis.

Non obstat etiam, quòd *Joan.* 14. observans mandata dicatur diligere Deum; adeoque præceptum dilectionis non videatur esse speciale, sed solum generale de observantia mandatorum. Nam ut observet quis mandata, Deumque non offendat, debet servare hoc ipsum speciale mandatum de interna dilectione Dei. Alioquin secluso mãdato & actu speciali internæ dilectionis, servans mandata & opera mandatis correspondentia exercens, non diligit Deum formaliter, sed interpretativè, quatenus ceseri interpretativè potest diligere Deum, qui ejus voluntatem exequitur. Nec natum est fieri, ut sedulus divinorum mandatorum observator non eliciat interdum actus formales veri & interni amoris Dei.

48. *Deum super*

Dubitatur præterea, quid sit Deum ex toto corde diligere, adeoque qualis debeat esse dilectio, ut satisfiat præcepto? *Alensis, D. Bonaventura, Durandus, Angelus, Petrus Soto* apud *Hugonem Cavellum in Scolio ad Scotum* 3. *d.* 29. *n.* 16. censent contineri obligationem diligendi Deum super omnia alia intensivè. Pro qua sententia etiam solet citari *Scotus supra*; qui tamen (ut notat *Poncius in Comment. n.* 47. & 48.) non exigit majorem intensionem gradualem, sed solùm hoc, quòd Deus debeat diligi super omnia extensivè, id est, appretiativè; & intensivè, quantum ad hoc, quòd debeat esse amor efficax. Communis itaque Doctorum sententia (quam etiam sequitur *Cavellus, Pitigianus, Poncius* & alii *Scotistæ*) est, Deum debere efficaciter diligi super omnia appretiativè, idque sufficere: hoc enim simpliciter est magis Deum, quàm alia diligere. Nemo namque negabit, nos illum maximè diligere, cui tali affectu adhæremus, ut malimus quævis alia relinquere, & quorumvis indignationem subire, quàm aliquid agere, quo ab ejus amicitia separemur. Quamvis alioquin Deus indubiè dignissimus sit, qui etiam toto conatu quantum ad intensionem ametur, utpote non sufficienter diligibilis ab ulla creatura, quin majori & intensiori semper dilectione dignus sit. Verùm hujus rei obligatio neque ex ratione, neque ex tenore præcepti sufficienter colligitur; sed solùm efficax appretiatio seu æstimatio Dei præ omnibus, ut clariùs indicatur *Matth.* 10. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Ubi manifestè solùm significatur, quòd si necessitas venerit, ut amor parentum Dei amori comparandus sit, & non possit uterque servari, tunc odium in suos pietas sit in Deum, ut notat *Hieronymus ibid.* Vide etiam *Augustinum Epist.* 89.

*omnia intensivè diligendum vi præcepti, Nonnulli dixerunt.*

*Communis tamen doctrina asserens sufficere dilectionem super omnia appretiativè probatur.*

49. *Idipsum amplius confirmatur.*

Id ipsum declaratur ratione: quia certum est apud omnes nos non obligari ad maximam intensionem dilectionis possibilem, sive absolutè, sive considerato auxilio & habitu diligentis. Supponendo igitur, sufficere dilectionem v. g. ut quatuor, satisfaciet præcepto, qui actu tam intenso vellet placere Deo in omnibus potiùs quàm creaturæ; quantumvis haberet amorem ut sex erga creaturam. Neque enim amoris hujus intensio enervat efficaciam præsuppositi amoris Dei, aut cum eo repugnantiam habet. Nec apparet ratio, cur eo ipso, quo amor honestus abundat in proximum, peccaretur contra Deum. Perplexitatem quoque non modicam afferret opposita doctrina, cùm planè ignota nobis sit quantitas intensionis gradualis in actu voluntatis, unde anxiè hærebit animus, num forte intensior sit aliquis affectus honestus erga rem creatam. Quare credendum non est cadere sub peccatum, quod non cadit sub notitiam nostram.

Deni-

50. *Major apprætiatio quàm ſtet cum minori intenſione.*

Denique rectè conſiſtit majoritas æſtimationis cum minori vehementia ſeu intenſione actûs: quemadmodum cum majori intenſione actûs opinativi conſiſtit major firmitas actûs ſcientifici remiſſioris: & cum intenſione majori actûs ſcientifici major firmitas actûs fidei remiſſioris. Sic etiam apparet in matre intenſior dilectio præſentis prolis parvulæ; cùm tamen factâ comparatione, dilectio filii ſenioris abſentis, unde familiæ bonum pendet, ſit quoad apprætiationem ſeu æſtimationem major. Pari modo ex ſublimiori æſtimatione, quam habemus de bono infinito, poteſt oriri amor apprætiativè perfectior, etſi in intenſione minor affectu erga rem aliquam ſenſibus propinquam, atque adeò vehementiùs animum trahentem. Prout homines etiam juſti frequenter magis afficiuntur dolore quantum attinet ad vehementiam de morte parentis, quàm de peccatis; de quibus tamen magis apprætiativè dolent. Vide plura apud *Poncium ſup. n.*37. *& ſeqq.*

51. *Hujuſmodi dilectio Dei etiam ſupra nos ipſos eſt juxta inclinationem naturalem.*

Ex his colligi poteſt amorem Dei ſuper omnia, adeoque ſupra nos ipſos, eſſe juxta inclinationem naturalem hominis ſeu creaturæ rationalis; ut docet *D. Thomas 1.P. q.*60. *art.*5. *Scotus* 3. *d.*27. *quæſt.unic.* Probatur: quia Deum ſupra nos ipſos eſſe diligendum dictat recta ratio & jus naturale, vetans nos aut quidquam aliud æquè vel magis diligi; creatura autem rationalis quatenus talis naturaliter inclinatur ad ſe conformandum rectæ rationi naturali & juri naturæ. Confirmatur: quia gratia non deſtruit naturam, ſed perficit, per gratiam autem inclinamur ad hujuſmodi amorem, adeoque natura non inclinat in contrarium. Poteſt quidem ratione facilitatis, ac intimæ conjunctionis vivaciùs propoſitæ natura magis eſſe prona ad ſe amandum; non tamen ad ſe amandum æquè vel magis quàm Deum: propenſio enim hæc ſpectaret ad corruptionem peccati, non ad propiam inclinationem naturæ rationalis.

52. *Poteſt hoc præceptum in vita impleri.*

Ex dictis etiam patet dubitandum eſſe, quod præcepto dilectionis Dei poſſit in hac vita ſatisfieri: cùm præcepta Dei non ſint gravia, minus impoſſibilia, juſtis præſertim; & *Lucæ* 10. Legiſperito referenti hoc præceptum Chriſtus dixerit: *Hoc Fac, & vives:* & frequenter in Scriptura exigatur, ut toto corde quæramus Dominum; prout David teſtatur ſe illum quæſiviſſe *Pſal.* 118. Dum igitur nonnulli Patres, ſignanter *Auguſtinus* variis locis, inſinuant præceptum hoc non poſſe in hac vita perfectè impleri, ſed ſolùm in patria; loquuntur (utì *Auguſtinus* ſe ſatis explicat) de illo, non quatenus hìc cadit ſub obligationem, ſed quatenus proponitur homini ut ſcopus, in quem collimare debeat, ut ſcilicet ex toto corde intelligatur diligi Deus, quando ſine intermiſſione, & extremo conatu ac apprætiatione diligitur Deus etiam cum omnis venialis culpæ, omniſque affectûs extranei ſtabili excluſione. Hoc enim ſolum erit in patria, dum charitas perfectiſſimè poſſidebit cor, eique dominabitur; eſtque ille finis præcepti hìc obligantis. *Et ſic* (inquit *D. Bonaventura diſt.*27. *art.*2. *q.*6.) *iſte modus non obligat ad ſui completionem, ſed exprimitur in præcepto, ut ſciamus quo per amorem debeamus tendere.* Vide ipſum, & *Janſenium in Concordia Evangelica c.*81.

*Explicatur dicta Auguſtini.*

53. *An ſatisfiat huic præcepto per actum naturalem.*

Dubitatur III. An præcepto dilectionis Dei ſatisfiat per actum naturalem? Reſp. ſatisfieri poſſe, non ſic tamen, quin etiam per actum ſupernaturalem: ut proinde indifferens ſit, quantum ad hoc præcisè præceptum. Quatenus tamen actus ſupernaturalis charitatis eſſet medium neceſſarium alicui ad ſalutem, eatenus quoque indirectè caderet ſub obligationem ratione finis.

54. *Quando nam obliget.*

Dubitatur IV. Quo tempore obliget præceptum affirmativum internæ dilectionis Dei? Nec agitur de obligatione indirecta, eliciendi v.g. actum charitatis vel contritionis charitate perfectæ in caſu, quo id requiritur ad miniſtrandum aut ſuſcipiendum aliquod ſacramentum, vincendam tentationem aut periculum peccati in certa occaſione, fortaſſis martyrii, aſſecurandam ſalutem ſuam in fine vitæ per medium certiſſimum &c. (quibus caſibus etiam ſatisfit obligationi directæ, quæ alioquin fortaſſis concurrere poſſet) ſed de obligatione directa, quæ concernat etiam hominem in infantia v.g. juſtificatum, aut aliàs in gratia exiſtentem.

55. *Incertum eſt, varia de hoc opiniones.*

Quæ quidem quæſtio difficulter determinari poteſt, ob incertitudinem rei, & conſequenter varias de tempore hujus obligationis opiniones. Aliqui enim (inter quos refertur *D. Thomas*) determinant primum inſtans acquiſiti uſûs rationis: alii inſuper articulum mortis: alii præterea (inter quos refertur *Scotus ſup.num.*18. qui tamen apertè ſolùm loquitur dubitativè) dies Dominicos ſeu feſtivos: alii adhuc (quod probabile cenſet *Poncius ſup. num.* 64.) omne tempus, quo divina bonitas ſufficienter proponitur tamquam amanda, nec adeſt impedimentum aliud, quàm inordinatus affectus actualis vel habitualis erga creaturas: alii è contrà exiſtimant ſufficere, ut ſemel in vita eliciatur actus dilectionis, eò quòd ſic ſatisfiat rigori præcepti affirmativi, repetitos actus non exprimentis.

56. *Judicium de ſingulis.*

Quod poſtremum difficulter convincitur falſitatis, etſi appareat incongruum valde, ut homo aliquanto tempore vitam cum uſu rationis protrahens non niſi ſemel affectum dilectionis erga Deum ſuum eliceret.

Quod autem asseritur de primo instanti usus rationis, non rectè fundatur à *Thomistis*, ut ostendit *Poncius sup. num. 53. & seqq.* Si tamen intelligeretur hoc modo, quòd homo perveniens ad perfectum usum rationis, propositáque divinâ bonitate ac obligatione Deum diligendi, teneatur statim moraliter loquendo se ad Deum suum per actum perfectæ dilectionis convertere, illumque instar cujusdam homagii Deo offerre: non esset, quod multùm culpetur, quin immo satis id rationi videtur congruere. Prout etiam congruit rationi (etsi non satis constet) ut id fieri debeat in fine vitæ moraliter accepto, quodque non nimis diu differatur durante vitâ. Tempus autem determinationi prudentis relinqui solet: nisi quod *Coninck disp. 24. num. 53.* & alii, signanter reputent dilationem trium annorum esse gravem, eò quòd tam diu differens videatur divinam bonitatem contemnere, & se in periculo eam creaturis postponendi statuere.

57. *Nota.* Advertit tamen *Castro Palao d. 1. p. 4. n. 11.* rarò fidelem, nisi moribus depravatum, hujus peccati reum existere; utpotè sæpè se disponentem ad absolutionem per contritionem, & consideratione divinæ bonitatis ac beneficiorum se ad affectum amicitiæ disponentem.

Alioquin rigidum nimis est, & à cõmuni sensu ac praxi alienum, solidoque fundamento destitutum quod *Poncius* probabile asserit, obligationem currere, quotiescumque Deus proponitur sufficienter ad amandum. Idemque est de determinatione diei Dominicæ, quæ est ex institutione Ecclesiæ, in cujus quoque lege non præscribitur actus dilectionis Dei super omnia. Neq; etiam fideles hanc obligationem apprehendunt, aut de omissione talis actûs se accusant. Quamvis consultissimum & securissimum sit exequi, quod rigidiores sententiæ necessarium volunt.

## QUÆSTIO VI.

### *De Præcepto Dilectionis Proximi, Præsertim inimici.*

58. *Præceptum dilectionis proximi concernit etiam inimicos. Probatur.* HOc præceptum exprimitur à Christo *Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ubi sub nomine proximi intelligitur etiam inimicus juxta unanimen Patrum & Doctorum sensum. Qui confirmatur ex *Lucæ 10.* ubi Samaritanus (etsi alioquin Samaritani Judæis non cõuterentur) vulneratum Judæum curans dicitur præ aliis in debiti executione deficientibus misericordiam præstitisse tamquam proximus, in signum quòd nemo à nomine & debito hoc sit eximendus: propter quod Christus ibidem concludit: *Vade, & tu fac similiter.* Vide *Augustinum lib. 1. de doctr. Christ. c. 30.* Sed & *Matth. 5.* postquam dixisset Christus: *Audistis, quia dictum est, Odio habebis inimicum tuum*, id ipsum corrigit, dicens: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros &c. ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est &c.* per quæ satis indicatur rigor præcepti. Et *Lucæ 6.* similia repetuntur, subjunctâ generali ratione præcepti: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Quin etiam in veteri Testamento idem præcipitur, ut *Exodi 23.* de bove & asino inimici reducendo & sublevando, & *Proverb. 25. Si esurierit inimicus tuus ciba illum &c.* Quam sententiam repetit Apostolus *ad Rom. 12.* Idem Christus, Stephanus & alii Sancti exemplo suo ostenderunt. Denique in ipsa Oratione Dominicæ jubemur orare peccatorum remissionem, sicut nos dimittimus in nos peccantibus. Id ipsum tradunt Patres passim obvii.

59. *An odium inimicorum in lege veteri præceptum aut permissum fuerit.* Proinde in veteri lege non erat præceptum nec permissum odium inimicorum, sed Pharizæi (quorum interpretationem Christus redarguit) ex eo, quòd *Levit. 19.* haberetur: *Diliges amicum tuum, sicut te ipsum*, inferebant non rectè à contrario sensu, odio habendos inimicos. Quin potiùs nomine amici ibi intelligitur quilibet proximus, ut habet textus Græcus. Item vox Hebræa significat quidem amicum, sed sæpissimè, & in præsenti sumitur, ut quemlibet quovis vinculo conjunctum significet: prout omnis homo creatus ad imaginem Dei, & consequenter capax summi boni, ad invicem habet affinitatem seu conjunctionem naturalem. Nonnulli tamen censent permissam fuisse Judæis inimicitiam seu potiùs hostilitatem & abominationem alienigenarum, non quidem omnium, sed aliquorum, puta Chanæorum & similium. *Augustinus* etiam vult in lege verè contineri illud de habendis odio inimicis, sed esse vocem non jubentis justo, sed permittentis infirmo. Vel certè odium inimicorum eatenus præceptum aut licitum fuit, uti & modo est, quòd feratur in eos quà tales, id est, odiendo exemplo Dei id, quod in eis malum est, seu iniquitatem, non homines ipsos. Alioquin proximo, etiam peccatori aut inimico, non possumus desiderare malum ut ei malè sit.

60. *In Scriptura quo sensu malæ precationes imprecentur Sanctis.* Hinc imprecationes malorum gravissimorum, quæ frequenter fiunt peccatoribus in Scriptura, sunt intelligendæ hoc sensu, ut iis desideretur inflictio pœnarum, quatenus per illa ostenditur divina justitia, & alii eorum punitione corriguntur, ipsique à nocendo & demeritis augendis cessant. Deinde modus optativus frequenter in Scriptura sumitur pro indi-

indicativo, ut non tam sint imprecationes, quàm prædictiones pœnarum justè infligendarum. Tertiò in sensu formali possunt accipi, ut nō tam peccatores, quàm peccata cupiant everti. Quartò denique, ut mala corporalia desiderentur in ordine ad bonum spirituale, puta conversionem peccatorum, juxta illud *Psal.* 82. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.*

61. *Tria continentur præcepto dilectionis proximi.* Tria porrò potissimum continentur præcepto generali dilectionis proximi. Primum est, non malè velle nec malè facere proximo. Secundùm, bene velle ei, & benefacere, ubi necessitas & circumstantiarum ratio id requirit. Tertium, quantum in nobis est, injuriam & nocumentum à proximo propulsare. Hæc enim ratio dictat, ac norma propriæ dilectionis, quæ est mensura dilectionis proximi. Hanc quoque normam videmus in dilectione Christi, qui *Joan.* 15. ait: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos;* iram scilicet & odium ac maleficentiam deponendo seu iis carendo, benè volendo ac benè faciendo, mala à nobis propulsando. Idipsum igitur nobis faciendum respectu proximi.

62. *An practicpiatur interna & formalis dilectio proximi.* Solùm dubitari posset, an si odio secluso, benefaciamus proximo pro nata occasione, & mala ejus impediamus, satisfaciamus præcepto dilectionis, absque eo, quòd alium actum internum obligemur elicere, quo formaliter & expressè eum diligamus. Respondetur autem Affirm. cum *Scoto d.* 30. *num.* 11. & aliis passim. *Probatur quod non.* Neque homines communiter aliam obligationem apprehendunt. Et saltem in praxi non est periculum transgrediendi præceptum in hujusmodi, qui non solent prædicto modo se habere, absque interventu internæ propensionis erga proximum, cui benefaciunt: esto ob motivum distinctum, v. g. ex metu inferni, offensæ Dei, gratitudinis &c. Quo modo non est dubium, quin satisfiat præcepto. Unde *Matth.* 7. dicitur: *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex & Prophetæ,* q. d. hoc solum præcipi, hocque faciendo (uti fit juxta præmissa) legem impleri. Et si rectè expendantur, quæ 1. *Joan.* 3. & 4. *ad Rom.* 13. & alibi habentur, apparebit totum præceptum dilectionis proximi in amore quoad effectum seu in operibus misericordiæ consistere. Neque aliud ratio dictat.

*Confirmatur.* Quod confirmatur: quia ex charitate solum tenemur diligere Deum & proximum, quatenus talis dilectio in bonum eorum cedit; prout præcisè non cedit in bonum proximi actus internus, eidem ignotus, cedit autem præcipuè in bonum & gloriam Dei, cui omnia patent.

Quare differentia est inter charitatem Dei & proximi quantum ad hoc, ut respectu Dei amorem internum habere oporteat, non respectu proximi, nisi quatenus est necessarius ad vitandum odium, ac exhibenda opera misericordiæ, signaque debitæ benevolentiæ. Utrumque autem præceptum dicitur simile, quatenus utrumque est divinum naturale, & virtute continens omnia officia erga Deum & proximum exhibenda: etsi dilectio non per omnia similis præcipiatur, sed utrisque conveniens & ad bonum utriusque procurandum opportuna seu necessaria: quemadmodum etiam constat præcipi dilectionem Dei super omnia, non autem proximi. 63. *Differentia inter Deum & proximū quantum ad hoc.*

Unde etiam omnino censendum est sufficere implicitum amorem proximi virtualiter contentum in amore Dei; nisi fortè fuerit amor proximi explicitus interdum necessarius ad aliqua bona debita ei exhibenda: alioquin enim hoc ipso quo amo Deum, eique in omnibus placere cupio, implicitè etiam cupio proximo salutem & necessaria ad illam, cum præparatione animi ad procurandum illa pro occasionis exigentia. 64. *Sufficit dilectio implicita in dilectione Dei super omnia contenta.*

Accedit: nam neque tenemur interiorem dilectionem omnium hominum in generali elicere; cùm id videatur contra communem apprehensionem, nihilque vel parum eis utile; ac nequeam omnibus in genere beneficia alicujus momenti præstare: indubiè quoque dilectionis proximi præceptum impleat, qui pro occurrentia occasionum subveniret particularibus determinatorum proximorū necessitatibus cum vero amore interno. Neque etiam tenemur omnes & singulos in particulari internè diligere: id enim est impossibile. Nec denique est ratio, cur erga hos potiùs quàm illos debeamus hujusmodi actum elicere, quantùm præcisè est ex communi obligatione charitatis. Vide plura apud *Coninck d.* 24. *dub.* 4. Qui advertit ex particulari virtute, puta pietatis erga parentem, gratitudinis erga benefactorem, posse interdum oriri obligationem affectūs interni explicati, ad quem ipsæ devincunt. 65. *Ulterior confirmatio præmissorum.*

Circa dilectionem inimicorum observandum est, requiri, ut odio depositō, signa inimicitiæ non exhibeamus, parati de cetero pro exigentia occasionis præstare ea, quæ communis obligatio charitatis exigit. 66. *Ad quid obliget dilectio inimicorum.*

Hinc in primis tenemur eis dare veniam erratorum, seu remissionem offensæ, hâc ratione, quòd etiam non rogati ex animo deponamus odium seu voluntatem vindictæ quà proximo malæ, quodque rogati pro venia, hoc ipsum signo externo ostendamus; utpote cujus omissio tunc esset signum odii, & incitamentum *Qualiter sit eis remittenda offensa.*

tum ejusdem in proximo. Excipit tamen *Coninck disp. 24. dub. 6. num. 94.* Superiores, qui causâ melioris boni possunt hæc signa aliquando omittere, seque aliquantulum offensos ostendere, exemplo Davidis, qui diu noluit Absolonem admittere ad conspectum: hoc enim potest deservire ad emendationem peccantis, & punitionem peccati. Cavendum tamen, ne superior id videatur facere ex odio: nam inde possent subditi exacerbari.

67. *An remittenda sit satisfactio pro injuria vel damno.*

Non est quoque à privato offenso necessariò remittenda satisfactio pro injuria aut damno illato. Potest enim injuriam passus condignam petere satisfactionem, intentando actionem injuriarum, vel punitionem secundùm ordinem juris ex amore justitiæ, denique restitutionem seu compensationem damnorum. Quòd si ipsa petitio veniæ censeatur esse sufficiens satisfactio, ulterior peti non potest. Periculosum tamen valde est, ne sub prætextu juris ad amussim servandi, lateat occultum odium, amorque ipsum vindicandi, præsertim dum de reparatione meræ injuriæ aut punitione culpæ agitur. Neque rigor iste est adeò pietati Christianæ congruus: quamvis alioquin secluso pravo affectu non sit culpandus: petitur enim quod debitum est, & Magistratus præstare debet.

68. *Illicitum est practicè seu ordinariè loquendo excludere inimicum à beneficiis communibus.*

Secundò juxta communem Doctorum sententiam, est obligatio ex genere suo gravis, non excludendi inimicum à generali affectu vel beneficiis communibus, quæ cæteris hominibus, vel communitati, cujus est pars, exhibemus: eò quòd talis exclusio sit morale signum odii, & ab eo procedat, sitque excitativa proximi ad reciprocum odium, atque adeò scandalosa. Unde est peccatum grave vel leve pro ratione gravis vel levis aversionis à qua procedit, & scandali seu odii quod generat. Ut proinde non tam considerandum sit bonum, à quo inimicus excluditur, quàm utrùm talis exclusio ex gravi aversione procedat, sitque hîc & nunc graviter offensiva.

69. *Quid censendum si odium & scandalum absit.*

Alioquin speculativè loquendo, id est, secluso odio interiori & scandalo, difficulter apparet malitia in hoc, quod beneficium indebitum omnibus, concedatur solis amicis, excluso inimico, hâc consideratione, quòd dare beneficium sit liberalitatis indebitæ, & quidem minùs inimico, potiùs demerito. Scandalum quoque facilè cessare posset in casu, quo proximus bene informaretur. Si autem quis inferat, consequens esse, ut si quis preces fundat pro omnibus incolis oppidi, expressè excluso unico inimico, non peccet contra præceptum dilectionis inimicorum. Respondet *Arriaga d. 39. s. 2. num. 19.* talem exclusionem vix posse fieri, nisi ex odio, ideoque ordinariè subesse peccatum, non tam ratione exclusionis, quàm mali animi, defectu alterius rationabilis prætextus, in quo ipsa fundetur: aliàs ipsam non malam fore.

*Quando exclusio præsentialis sit licita.*

Clarius autem est posse inimicos excludi ex aliqua causa honesta à beneficio amicis exhibendo. Unde si ipsum non sufficiat pro omnibus, possunt calumniatores omitti: si preces pro omnibus fundendæ non putentur omnibus simul profuturæ, possunt amicis solis impendi; prudentiâ dictante, ut potiùs amicis fiat favor. Neque tunc est nota odii, aut, si causa notificetur, occasio scandali.

70. *Signa specialis benevolentiæ an vel quando inimicis exhibenda.*

Tertiò signa specialis benevolentiæ non sunt præstanda inimicis ex obligatione: cùm hæc ne aliis quidem sint exhibenda, qui utique non sunt pejoris, sed magis potioris conditionis, inimico se per inimicitias indigniorem reddente. Unde sine peccato negari potest inimico, quod alteri non inimico, per se loquendo. Quare non obligaris salutare inimicum, utì nec alios. Potes voluntatem tuam gratuitam de eo instituendo herede mutare, aliumque magis gratum substituere. Similiter non teneris eum ad familiaritatem pristinam & amicitiam specialem admittere. Salutantem tamen teneris regulariter resalutare, utì antea fecisses, non solùm ratione urbanitatis, sed quia ista negatio designat latens odium, unde procedit, estque scandalosa aliis, signanter inimico. In casu quoque publicæ inimicitiæ teneris juxta *Coninck d. 24. num. 91. Bonacina* & alios (quod maximè verificatur, si alter sit superior aut persona valde eminens) salutare, quem antea solitus eras salutatione prævenire, eò quòd secùs agendo prodas inimicitiam, & scandalizes. Similiter non potes salutatis decem simul constitutis averså facie præterire inimicum solum, ob similem causam. Verumtamen nonnulla saltem ex præmissis culpâ frequenter carent juxta *Arriaga d. 39. sect. 2. num. 21.* si absit internum odium, & scandalum præsentium, qui informati de causa meritò judicent offensum posse indignationem exteriùs ostendere, sive ut offendens apprehendat qualitatem sui facti, quòd levi pendebat, sive ut resipiscat, sive (si offensus sit superior) ut puniatur.

71. *Dilectio amici & dilectio inimici in nullo invicem excludunt.*

Pro fine quæstionis movetur dubitatio, quæ dilectio melior sit & magis meritoria, amici, an inimici? Et quidem constat in dilectione inimici reperiri majorem difficultatem, atque eatenus eam esse meliorem ac magis meritoriam. Dum enim propter Deum inimicus diligitur, magis appretiativè censetur Deus amari ratione operis tam heroici ac difficilis, quod propter ipsum facis. Similiter est opus magis heroicum dilectionis, si inimicum pro-

pter

pter ipsius virtutes, conjunctionem in natura & ordinatione ad eumdem finem diligas. Ex quo excrescit perfectio operis. Estque eadem dilectio ordinariè purior, carens scilicet aliis respectibus, qui dilectionem amicorum circumstare possunt & solent. Aliunde dilectio amici habet nobilius objectum & amore dignius titulo amicitiæ, ex quo etiam est magis seu specialiùs debita. Ordinariè etiam est magis intensa seu fervention.

72. Factâ verò ad invicem comparatione, censent Varii dilectionem amici esse simpliciter meliorem. At *Durandus*, *Gabriel*, *Coninck*, *Wiggers*, *Arriaga* & alii plures (& problematicè defendit *S. Bonaventura d. 30. art. 1. q. 6.*) rectiùs censent, ceteris paribus, videlicet si amico & inimico pari affectu & motivo par bonum desideretur, dilectionem inimici esse ordinariè simpliciter excellentiorem & magis meritoriam. Quod ipsum videtur conforme communi sensui hominum. Ipseque Christus dilectionem inimici tamquam quid magis meritorium commendat *Matth. 5. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros &c. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? &c. Estote ergo perfecti &c.* Idem indicat Apostolus *ad Rom. 5.* arguens à minori ad majus: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.*

*Ordinariè tamen & ceteris paribus dilectio inimici est melior & magis meritoria.*

*Probatur ex Scriptura.*

73. Consonant Patres. *Augustinus Enchirid. c. 73. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum* sive etiam *beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multò grandius, & magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas. Chrysostomus Hom. de Cruce & Latrone. Gregorius Hom. 27. in Evang.*

*Patribus.*

Ratio est: quia excessus, qui sumitur ex difficultate hujus dilectionis, ex qua ipsa fit opus maximè heroicum & perfectum, magis æstimandus est, quàm excessus qui sumitur in dilectione amici ex nobilitate objecti, qui respectivè parvæ considerationis est in bonitate dilectionis ex charitate Dei.

*Et ratione.*

74. Nec obstat illud Christi *Joan. 15. Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Nam pariter verissimè substitui posset: *Pro inimicis suis.* Non enim comparatur dilectio amicorum dilectioni inimicorum usque ad mortem, sed mors pro amicis tolerata, omnibus aliis dilectionis operibus, quæ amicis exhibentur, præfertur; q. d. majus dilectionis opus nemo erga amicos (idem est de inimicis) ostendit, quàm ut vitam (quâ nil pretiosius inter omnia quæ causâ alterius contemni possunt) impendat pro iis, quos diligit. Aliàs si instituatur comparatio inter amicos & inimicos, diceretur cum *Bernardo Serm. de Pass. Domini*, verbis Christi subjungente: *Sed tu Domine majorem*, charitatem, *habuisti, qui vitam posuisti, etiam pro inimicis.*

*Quo sensu Christus dicat non esse majorem dilectionem, quàm subire mortem pro amicis.*

Non obstat etiam, quòd pejus sit odisse amicum, quàm inimicum. Inde enim in moralibus non semper sequitur oppositum esse melius; scilicet amare amicum, quàm inimicum. Furanamque pejus est, quàm non ingredi religionem, & tamen ingredi est melius, quàm abstinere à furto. Fortitudo est perfectior temperantiâ; & tamen intemperantia est pejor pusillanimitate. Turpius est vinci à puero imbelli, quàm à forti armato: & tamen generosius est hunc vincere, quàm illum. In præsenti itaque odium amici est pejus, quia est majus debitum eum veluti conjunctiorem amandi, facilioréque præcepti observantia, & pauciora transgrediendi motiva: etsi melius sit amare inimicum, veluti minùs conjunctum, amari difficilem, & odiri pronum. Ceteris tamen paribus oppositum melioris est pejus, & corruptio optimi pessima.

75. *Ex eo quòd pejus sit odisse amicum non sequitur amorem oppositum esse meliorem amore inimici.*

## QUÆSTIO VII.

### *De Ordine Charitatis Sui ipsius, & Proximi.*

POST Deum diligere quisque debet semetipsum, ut habet indubitata omnium doctrina, & ratio cuique insita tradit: Charitas enim inclinat potiùs in bonum sui subjecti, quàm alterius extranei, ob conjunctionem seu proximitatem diligendi. Unitas enim potior est unione. Ideoque in præcepto Christi *Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, partim indicatur & supponitur necessaria dilectio sui ipsius, ut notat *Augustinus l. 1. de Doctr. Christ. c. 26.* Partim eadem statuitur norma & exemplar dilectionis proximi; ut non vicissim dicatur: Diliges te ipsum, sicut proximum tuum. *Magis enim mihi me debeo, quàm hominibus ceteris*, inquit *Augustinus 1. Retract. c. 8.* Unde inquit idem *Hom. 37.* inter 50. *Primùm dilige Deum, deinde teipsum: post hæc dilige proximum tuum, sicut teipsum.* Ubi rursum observant Doctores ly *sicut* denotare similitudinem, non æqualitatem; uti frequentiùs sumitur in Scriptura *Matth. 5. Estote perfecti, sicut & pater vester &c.* Et alibi. Ideoque *l. de Diligendo Deo c. 1.* (qui est in appendice Tomi 9. operum *Augustini*) notatur, quòd proximum non jubeamur diligere, quantùm nos, sed sicut nos; seu (ut *Prosper lib. 3. de Vita contemplat. cap. 15.*) secundùm

76. *Ordo charitatis post Deum incipit à nobis ipsis.*

nos, id est, secundo à nobis loco.

77. Bona porrò nostra aut proximi, alia sunt spiritualia, alia corporalia. Spiritualia rursum alia sunt necessaria, ut vitatio peccati, observantia mandatorum, gratia & gloria: alia non necessaria, ut major profectus spiritualis, seu status vitæ perfectioris, augmentum gloriæ &c.

*In bonis necessariis obligamur nos præferre proximo.*

In bonis itaque spiritualibus necessariis seu obligatoriis indubitatum est charitatem obligare, ut nos ipsos præferamus proximo: tunc enim, si umquam, locum habet præceptum diligendi se primo loco. Deinde ipsa charitas Dei nos obligat, ne quid ejus offensivum fiat; prout esset, si nos ipsos in necessariis primò non curemus. Idem amplius patebit ex mox dicendis.

78. *Sic ut ne minimum veniale pro salute proximi possimus committere,*

Hinc non possum admittere peccatum, etiam minimum, quod omnibus spectatis maneat vera Dei offensa, v. g. mendacium, ut vitam etiam spiritualem proximi, totum mundum salvem. Oppositum enim damnat Apostolus *ad Rom.* 3. reprobans eos, qui dicunt: *Faciamus mala, ut veniant bona.* Et *Augustinus l. contra Mendacium c.* 20. docet pro nulla umquam re esse mentiendum. Ratio est: quia charitas non potest me inclinare, ut faciam quod Deo displicet; prout displicet omne peccatum. Quin immo sic posset ex amore Dei quis ipsum offendere & injuriâ afficere: quod non tam esset ipsum amare, quàm ejus indignationem provocare. Necessitas nihilominus posset interdum abstergere malitiam, quæ aliàs inesset, v.g. in materia legum positivarum, in ablatione rei ad vitam necessariæ &c.

*Necessitas tamen proximi posset interdum abstergere malitiam.*

79. *Charitas semper magis inclinat ad id quod hic & nunc magis obligat.*

Hinc etiam patet, charitatem nos semper magis inclinare ad faciendum id, ad quod hic & nunc obligamur, quàm ad quodvis opus perfectissimum, nisi per illud simul satisfieret obligationi: sic charitas magis me inclinat ut obediam superiori in re minima, quàm ut insigam tempus in oratione & contemplatione: item ut operando lucrer victum pauperi familiæ, quàm ut orando interim officiis divinis, quibus interesse non teneor.

80. *Ex charitate nequit eligi absolutè carentia gratiæ aut gloriæ.*

Patet insuper, quòd vi charitatis permittere debeam potiùs cuique gratiam & gloriam, quàm mihi perire: ut proinde non possim absolutè eligere carentiam gratiæ aut gloriæ pro salute proximi. Hoc enim placere nequit Deo, qui vult, ut potiùs cures, quòd ipsemet Deum diligas & assequaris, quàm quòd alii. Neque id potest ad istum finem esse utile. Immo id necessariò præsupponit peccatum mortale, quod pro totius mundi salute committi non potest.

81. *Proponitur difficultas solita de Moyse & Paulo*

Solùm est difficultas de Moyse *Exodi* 32. dicente: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et de Apostolo *ad Rom.* 9. dicente: *Optabam*, seu (ut græca habent) optarim, *ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.*

*Quid Moyses petierit.*

Ad Moysen quod attinet (omissis aliorum expositionibus, signanter *Hieronymi* & *Gregorii*, qui censent ipsum petiisse deleri de libro vitæ corporalis per mortem, uti hanc petierat *Numer.* 11.) rectiùs cum *Augustino q.* 147. *in Exodum* & passim aliis, intelligitur fuisse locutus de libro vitæ, in quo se indelebiliter conscriptum esse noscens, ex magna fiduciâ in Dei benevolentiâ exaggerativè præmissa locutus est, non ita indicans affectum suæ separationis (quam sciebat illicitam & impossibilem) quàm conjunctionis aliorum cum Deo, quod maximi erga Deum & proximum amoris indicium est, q. d. vel dele me cum illis (quod utique non facies) vel illis parce, quod consequenter futurum spero & desidero. Quemadmodum si rege in rebelles sæviente filius amicissimus clamaret: Vel parce illis, vel potiùs me unà cum illis trucida; quod utique scit non futurum, ideoque potiùs regem parciturum aliis. Quare per exaggerationem istam declarat se desiderare aliis veniam, quasi propriam vitam & patris amicitiam.

82. *Quid Apostolus cupiens esse anathema à Christo.*

Apostolus per similem exaggerationem locutus est juxta nonnullos; vel (ut alias expositiones minùs probabiles omittam) potiùs desiderium fuit conditionatum, q.d. optarem ego ipse esse anathema, seu alienus & separatus à Christo, ejusque consortio, adoptione & gloriâ, quantumvis hæc bona tanta sint, si per legem & justitiam Dei liceret, possetque esse medium conveniens, ut fratres mei Judæi hæc ipsa bona consequerentur. Quæ sunt verba immensi amoris, & quidem erga persequentes. Ita explicant *Chrysostomus, Theophylactus, Sasbouth, Estius,* & alii.

83. *Dilatio beatitudinis potest ex charitate interdum appeti.*

Nihilominus licitum & laudabile potest esse, pro aliquo tempore velle pati dilationem beatitudinis, exemplo Pauli, Martini & aliorum Sanctorum. Quæ quidem dilatio potest esse proximorum saluti necessaria, & satis compensatur utilitate aliorum, ac proprii meriti incremento.

84. *In spiritualibus non obligatoriis charitas inclinat, non necessitat nos præferri proximo.*

Si verò bona spiritualia sint non obligatoria, potes quidem alios citra peccatum præferre: cùm sicut non obligaris ea procurare tibi neque aliis, sic possis ea pro libitu rectè procurare aliis, etsi negligas procurare tibi ipsi. Hoc tamen non est juxta inclinationem consentaneam charitati, esto nõ obligatoriam, sed hæc potiùs inclinat, ut ceteris paribus primò tibi de perfectionis incremento provideas. Dum nihilominus procuras bono zelo perfectionem proximi, etiam promoves tuam, isto opere charitatis. Quamvis propriæ perfectionis desiderium, ipsaque

ipsaque perfectio sit aptissimum medium, ut eamdem in aliis promoveamus: & interdum contingere possit; ut aliis prædicando ipsi reprobi Efficiamur. Quibus meritò ingeritur illud Christi *Matt.* 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Regula autem generalis præ oculis habenda est, illud censendum esse secundùm inclinationem charitatis, quod Deo magis placitum est, ut hìc & nunc à me desideretur aut fiat.

*Regula generalis.*

85. Nunc de bonis corporalibus propriis & proximi pauca dicenda restant. Circa quæ in primis ab omnibus admissum est, in pari & extrema necessitate bona fortunæ, immo & vitam debere exponi à privato pro conservatione reipublicæ (idemque est de persona reipublicæ necessaria) eò quòd bonum commune sit præferendum privato, & pars exponenda pro conservatione totius.

*In corporalibus bonum commune præferendum privato, pari necessitate existente.*

Secundò in pari necessitate corporali præferre quis se ipsum potest alteri privato, immo hoc est consentaneum inclinationi charitatis, quæ incipit à se ipso. Nihilominus si sint bona, quæ sub obligatione conservandæ non tenemur, poterit proximus sine peccato præferri, dando v. g. egeno necessaria statui; si sermo sit de homine libero, non de patre familias, cui aliunde hæc prohiberi possent. Alioquin ad summum posset reperiri in hoc quædam prodigalitas, si desit rationabile expendendi motivum. Quam tamen maculam facilè abstergit motivum virtutis misericordiæ, seu sublevatio proximi, fortè difficiliùs inediam toleraturi, propriæ patientiæ & paupertatis exercitium &c.

*In iis, quæ non tenemur conservare, quâ possit præferri proximus.*

86. Si bona sint ex obligatione conservanda, puta vitæ seu corporis, quæstio est, an in æquali necessitate possit per se loquendo exponi vita propria pro conservatione vitæ proximi, cedendo v. g. proximo panem, ne moriatur, etsi ego fame moriar. Et quidem si nihil aliud spectetur, id non esse licitum censet *Valentia d. 3. q. 4. p. 3.* dicens esse plerorumque Theologorum, hanc ordinem charitatis statuentium, ut primò Deus super nos diligatur, secundò nos ipsi quoad animam, tertiò proximus qui juxta nos est quoad animam, quartò vita corporalis propria, quintò vita corporalis proximi. Favetque *Augustinus de Mendacio c. 6.* de expositione vitæ propriæ pro aliena dicens: *Non est diligere alterum sicut seipsum, sed plusquam seipsum. Quod sanæ doctrinæ regulam excedit.*

*Vitam propriam pro aliena exponere an licitum.*

*Sententia negans proponitur.*

87. Accedit ratio desumpta ex vita spirituali propriâ, quæ non potest exponi pro aliena, seu postponi eidem. Sed hæc ratio nimium probat: cùm id nullo casu liceat; & tamen frequenter liceat mortem subire pro servanda vita proximi, etiam juxta *Valentia suprà*, cujus ista est ratio.

*Varie probationes examinantur.*

Aliter potest probari ex hoc, quòd homo non sit dominus suæ vitæ, adeoque nequeat vitam suam pro aliena exponere. Sed responderent oppositum sentientes, non esse quidem ullo casu licitū directè se occidere, tamen hominem nō teneri vitam suam conservare omni medio & occasione, sed posse eam exponere manifesto periculo, ipsique morti, habitâ sufficienti ratione; qualis est mors proximi secutura. Prout non tenetur quis pati dolorosam abscissionem tibiæ ut vitam conservet. Similiter famulus (in quo tamen concurrit obsequium fidelitatis) licitè se morti exponit ad tuendam vitam domini. Item licitè quis non curat redemptionem sui tot impensis faciendam, ut deinceps miserè vita transigenda foret, licitè non mutat patrium aërem &c. Accedit, quòd licitè occidi me permittam ab invasore, ne ipse occidatur. Sed responderi posset, ibi intervenire mortem alterius meâ actione causandam: non tamen autem vitam meam conservare cum occisione alterius, quæ adeò horrenda est. Deinde id suadet charitas, ut salvetur anima injusti aggressoris, cùm ego alioquin confidam me esse in bono statu. Proinde sufficiant cetera.

Unde vitam propriam pro aliena licitè exponi, nisi v. g. ego habeam familiam meâ vitâ indigentem, sim oneratus debitis aliàs non solvendis, diffidam de bono statu, seu sufficienti ad mortem dispositione &c, docet *Lessius l. 2. de Just. c. 9. dub. 6. Coninck d. 25. dub. 6. Arriaga d. 40. s. 3. subsect. 1.* dicens hanc sententiam esse communissimam in scholis. Juxta quos proinde ordo oppositus charitatis non est obligans seu necessitans, sed inclinans. Similiter *Augustinus* explicandus foret de excessu non peccaminoso: ut omittatur, quòd *istius* libri *magna pars in inquisitionis disputatione versatur*, ut loquitur ipse *Augustinus 1. Retract. c. 27.*

88. *In quarum insufficiena fundatur sententia affirmans.*

Præterea inhærendo priori sententiæ, adhuc advertit *Suarez d. 9. s. 3. n. 7.* solùm esse peccatum venisse, etsi exponatur vita pro extraneo, eò quòd inordinatio sit parva seu excessus modicus, qui exponere velut æquali vitæ proximi quàm plurimùm alleviatur; immo si alia motiva jungantur, v. g. beneficia accepta, utilitas Ecclesiæ vel boni publici &c. ex toto potest compensari, morsque citra propriam cooperationem honestè subiri. Quæ doctrina *Suarez* probabilissima est. *Valentia* quoque & alii passim fatentur id esse licitum concurrente simili causâ v. g. gratitudinis, pietatis, fidelitatis, amicitiæ &c. eò quòd tunc non tam proximus præ nobis, quàm opus virtutis præ usura brevi vitæ ametur.

89. *Inhærendo sententiæ neganti, solùm esse culpam venialem, vel concurrente aliquâ causâ nullam, non malè sentit suarez.*

A for-

90. *Immo sanctè vita exponitur, concurrente altiori motivo.* *Quod variis exemplis declaratur.*

A fortiori quoque licitè, immo sanctè quis vitam pro proximi vita exponit, concurrente aliquo altiori motivo honoris Dei aut salutis animarum, vel boni communis. Prout à *Gregorio l. 3. Dial. c. 37.* impensè laudatur factum Sanctuli presbyteri, qui se obtruncandum obtulit Longobardis loco Diaconi ab iisdem capti & occidendi. Similiter celebre factum est Presbyterorum, diaconorum & aliorum fidelium quàm plurimorum, qui cùm pestis gravissima Alexandriæ grassaretur morbo laborantibus spontè ministrarunt, mortemque libenter oppetiverunt, *quos* (ut habetur in *Martyrologio Romano* pridie Cal. Martii) *velut martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.* Prout & hodie laudatur charitas ministrantium peste laborantibus, atque adeò extremè indigentibus subsidio. Quamquam ibi non tam certa mors, quam ejus gravissimum periculum subeatur, ex quo contingit varios eripi.

91. *In non necessariis bonum spirituale alienum postponi potest proprio temporali.*

Denique fieri potest comparatio bonorum spiritualium proximi cum corporalibus propriis. Et quidem augmentum sanctitatis & gloriæ, utì non tenetur quis sibi procurare, sic nec proximo; quem proinde quoad ista bona potest quis postponere propriis bonis temporalibus. Sed quæstio movetur de proximis in necessitate salutis (extra necessitatem enim cessat obligatio) constitutis. Porrò necessitas proximi, alia est extrema, quando scilicet non potest à damnatione liberari, nisi tu succurras: alia gravis, quando potest quidem sine tuo auxilio, non tamen nisi ægrè seu difficulter; levis, quando id facilè sine tuo auxilio fieri potest.

*Necessitas spiritualis, alia extrema, alia gravis, alia levis.*

92. *Salus proximi præponenda bonis corporalibus, etiam vita propria.*

Regula itaque in generali apud omnes recepta est, salutem proximi præferendam esse bonis nostris temporalibus fortunæ & vitæ, eaque in necessitate proximi esse exponenda pro salutis ejusdem consecutione. Quod indicat Christus *Joan. 15. Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, id est, eodem modo, adeoque ut non solùm bona temporalia, sed & vita saluti proximorum postponatur. Idem apertè indicatur *1. Joan. 3. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*, id est, mortem subire, plus scilicet animam proximi, quàm corpus seu vitam nostram diligendo, juxta ordinem charitatis. Idem tradit *Augustinus l. de mendacio c. 6.* dicens: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Deinde subdit locum citatum *Joan. 15.* Et *l. 1. de Doctr. Christ. c. 27.* docet, quòd sit *amplius alius homo diligendus*, utique quoad animam, *quàm corpus nostrum.* Idemque dictat ratio, attentâ immensitate boni æternæ gloriæ, & irreparabilis ac incomparabilis mali damnationis, nec non parvitate seu exiguitate bonorum corporalium.

Unde juxta communem Doctorum sententiam hæc regula locum habet saltem in extrema proximi necessitate: gravior enim & magis peremptorius casus assignari nequit: unde aliàs præceptum esset supervaneum, si ne tunc quidem obligaret. Debet tamen moraliter constare de extrema necessitate proximi & indigentia mei auxilii, ac de utilitate ejusdem, ut certo discrimini quis se exponere teneatur. Estque diligenter conferenda magnitudo periculi cum certitudine fructûs. Unde si fructus sit incertus, v.g. dubium sit, an media adhiberi poterunt, vel an sint profutura, & periculum sit certum, non est necessariò adeundum. Si fructus sit certus & periculum certũ, vel utrumque æquè dubium, est locus obligationi: nam sicut in pari certitudine, sic in pari dubio salus proximi est promovenda & præferenda.

93. *Saltem in extrema necessitate.* *Qualiter de ea constare debeat.*

Hinc si infans esset moriturus sine baptismo, nisi tu eum baptizes, teneris eum cum vitæ periculo baptizare. Idem est si ebrius aut phreneticus in mortali constitutus à se aut aliis sit occidendus, teneris cum periculo vitæ impedire, si potes. Viget enim extrema necessitas, adeoque lex Charitatis præmissa.

94. *Corollaria.*

Multi alii casus à variis adferuntur, signanter à *Valentia d. 3. q. 4. p. 3.* sed ad rem præsentem non facientes, utpote in quibus non viget extrema necessitas; v. g. dum quis ex ignorantia vincibili (à qua utique liberare quis se potest, si sit vincibilis) exercet contractum usurarium, in quo creditur (quod utique certò non constat) perseveraturus, nisi tu succurras: dum filia contra voluntatem à patre prostitutioni traditur præ paupertate; quæ tamen potest à consensu abstinere, nec certò sciri potest perseveratura. Quòd si sermo instituatur de invasore, cujus ictum declinare non potes, nisi occidas, minor est apparentia extremæ necessitatis: invasor enim potest ab invasione abstinere, sicque potiùs est extrema malitia, quàm extrema necessitas.

*Varii casus recenseri soliti non constituunt extremam necessitatem.*

95. *Extra casum extremæ necessitatis non currit tanta obligatio in privatis.*

Extra casum extremæ necessitatis non est cogendus privatus pro salute proximi vitam exponere, juxta Doctores communiter. Obligatio enim ista foret gravissima, à paucis servanda, quam imponi non congruebat, præsertim cùm necessitates etiam graves sint satìs frequentes, & stet per ipsum proximum, quòd à necessitate aut damnatione se eximat, par sustinendo incommodum.

96. *Currit tamen in prælatis seq.*

Ad hoc nihilominus ex officio obligantur Episcopi, aliique Prælati & Parochi sive animarum curatores in gravi ovium sibi commissarum necessitate (quæ est tempore

*obligatiõ ex officio etsi sit solùm gravis necessitas.*

pore pestis, hæresis, persecutionis &c, quo multi aliàs sine Sacramentis moraliter necessariis ad salutem morerentur & damnarentur, ægrè aut vix se valentes juvare) quando locum habet illud Christi *Joan. 10. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

Ratio sumitur ex natura officii, juxta communem sensum ex pacto velut implicito, atque adeò jure divino exigentis, ut prædicti gregem pascant sibi commissum per se vel per alios & quidem cum vitæ discrimine, etiam extra necessitatem extremam; in qua etiam obligantur privati quatenus est cuique mandatum de proximo suo: cùm tamen plus & ad amplius indubiè teneantur prædicti ex officio. Propterea etiam accipiunt stipendia seu proventus. Quare nec poterit pastor necessitate occurrente, nisi idoneum suo loco relinquat, officio renuntiare; utì nec miles instante pugnâ renuntiare militiæ: alioquin id agendo liceret huic veniente inimico, isti veniente lupo fugere more mercenarii, contra Christi doctrinam. Immo aliàs nullus esset pastor obligatus assistere. Unde etiam privati non debent esse anxii in inquirendis proximorum spiritualibus necessitatibus, quasi non inquirendo peccent: id enim incumbit animarum curatoribus ex officio.

*Qui in illa non possunt renuntiare officio,*

97. *Quid censendum etiã de privatis in gravi necessitate communitatis.*

Quinimmo quando gravis est necessitas alicujus Communitatis, puta quando ipsa sibi non potest aliunde absque gravi difficultate providere, subveniendum esse à privatis, etiam cum periculo vitæ, eò quod talis necessitas sit longè gravior privatâ, nec sit absque extrema necessitate multorum privatorum, docent *Tannerus, Bonacina, Sylvius, Malderus* & plurimi alii, & probabile censet *Suarez d. 9. s. 2. n. 4.* quamvis (inquit) alii oppositum judicent.

98. *Ad quid teneatur privatus in gravi necessitate spiritualiproximi.*

Est nihilominus in gravi necessitate salutis proximi obligatio subeundi aliquod damnum temporale, ut liberemus eum à necessitate: dictat enim ratio & ordo Charitatis, ut aliquod dispendium patiamur in infimis, ad hoc ut proximus in necessitate gravi constitutus consequatur supremum bonum. Quantum autem exponendum sit, prudens judicabit spectatâ qualitate necessitatis patientis, auxilium præbituri, certitudinis de necessitate & fructu, & similibus circumstantiis. Qualiter denique tenemur non promovere, sed potiùs impedire peccatum proximi (qui utique propriè non necessitate, sed voluntate peccat) similiter prudenter ex circumstantiis dijudicandum est, & ex materia de Scandalo & Correptione fraterna petendum.

## QUÆSTIO VIII.

### *De Ordine Charitatis inter Proximos servando.*

99. *Inter proximos esse servandum ordinem dilectionis ostenditur.*

SUPPONENDUM in primis bonum publicum seu Communitatis præferendum privato proximi, quantumvis conjuncti, utì & bono proprio. Inter privatos proximos esse etiam servandum ordinem ex præcepto Charitatis seu misericordiæ, tradunt omnes Doctores cum *Hieronymo in illud Ezech. 44. Ad mortuum hominem non ingredientur, nisi ad patrem & matrem &c. Augustino l. 1. de Doctr. Christ. c. 28.* & alibi, *Glossa ordinariâ* in illud *Cant. 2. Ordinavit in me charitatem.* Et significat Apostolus *1. ad Timoth. 5. Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior;* utpote qui ductu naturæ curam solet habere suorum, id est, propinquorum, & maximè domesticorum, id est, sanguine proximorum, ut sunt parentes, fratres, filii, nepotes, quòd soleant domesticâ etiam habitatione conjungi; ut explicat *Estius ibid.* & favet contextus. Ratio est: quia cùm post Deum quisque se primùm diligere debeat, consequenter proximè post se diligere debet conjunctiores. Unde in pari necessitate indubitatum est, & ratio dictat, non posse negligi vitam, aut salutem parentis, curando interim aliquem extraneum ignotum.

100. *Quod non solùm de effectu sed etiam de affectu quoad apprætiationem intelligendum est. Explicantur quædam locutiones Augustini.*

Neque id solùm intelligendum est de majori dilectione quantùm ad officia seu effectus charitatis, sed etiam de affectu, qui hoc ipso est apprætiativè major, quo volo unum alteri in necessitate præferre.

Solùm difficultatem quamdam habet, quòd *Augustinus supra* dicat: *Omnes homines æquè diligendi sunt*; subdens dein disparitatem quantùm ad officia charitatis. Quod etiam facit *l. de vera Relig. c. 47. Cum itaque omnibus, quos pariter diligit, prodesse non possit, nisi conjunctioribus prodesse malit, injustus est.* Verùm (ut dixi) in hac ipsa voluntate præferendi conjunctiores involvitur major eorum apprætiatio. Solùm itaque vult *Augustinus* omnes pariter vel æqualiter diligendos, tum ex parte boni amati, scilicet salutis, & præcipuè quatum ad substantiam, & generalitatem dilectionis, quatenus nullus est ab affectu generali excludendus, non autem quantum ad modum actûs, seu intensionem vel apprætiationem.

101. *Variæ conjunctiones proximi nobiscum.*

Variæ porrò sunt conjunctiones proximorum cum diligente, nempe consanguineorum seu propinquorum, concivium, commilitonum, amicorum, consodalium ejusdem instituti religiosi, profitentium eamdem fidem, beneficiatorum ad benefactores, pœnitentium ad Confessarios, baptizato-

tizatorum & conversorum ad baptizantes & convertentes &c. Generaliter itaque loquendo in eodem genere conjunctionis & bonorum ac necessitatum, si (quod supponitur) omnibus necessitatem patientibus succurri nequeat, succurrendum est conjunctiori, v.g. proximiori consanguineo, majori amico ac benefactori &c. Si autem mutetur comparatio, magis teneor v.g. spirituali necessitati extranei, quàm pari necessitati corporali propinqui subvenire. Inter eos quoque qui diverso conjunctionis genere conjuncti sunt, præferendi sunt in rebus propriis singularum conjunctionum qui istam conjunctionem habent, v.g. cives in ordine ad res civiles, milites ad res militares &c.

*Conjunctior ceteris paribus in necessitate præferendus.*

102. *Quis sit ordo seu præferentia inter propinquos.*

In conjunctione autem naturali propinquitatis hic solet plerumque statui ordo, ut succurratur primò patri, secundò matri, tertiò prolibus, quartò uxori, quintò fratribus & sororibus, sextò ceteris consanguineis juxta gradum propinquitatis, septimò extraneis. Quamvis cùm Doctores de patre, matre, filiis, uxore non satis consentiant, excessusque proinde sit dubius aut levis, non sit præferentia alio ordine instituta gravis culpæ damnanda, immo facilè excusetur ab omni culpa, si quæ speciales rationes id agendi concurrant, v.g. in matre specialis piccas, opposita crudelitati patris, & sic de aliis.

*Inversio ordinis in quibus non gravis.*

103. *De præferentia Patris præ Matre.*

Præferentia patris fundatur in eo, quòd sit principalius principium generationis nostræ, qui proinde etiam arctius filio obligatur providere. Quamvis nonnulli matrem præferendam putent, quòd hæc probabiliter etiam ad generationem activè concurrat, ac insuper prolem in utero & extrà adhuc impotentem foveat, totamque pœnè materiam corpori præbeat, maximos denique labores & molestias pro ea sustineat; quam proinde etiam magis tenerè amat.

104. *Parentum præ prolibus, & horum præ uxore.*

Filii parentibus postponuntur, quia etsi excedant in hoc, quòd sint pars velut parentum, quorum proinde amor (qui descendere potiùs, quàm ascendere dicitur) magis in filios propendet, quibus etiam, saltem non emancipatis, arctiùs obligantur extra necessitatem providere, propter quod dicuntur 2. *Cor.* 12. debere thesaurizare filiis, non contrà: nihilominus in extrema necessitate prævalere appretiativè debet amor parentum, velut à quibus post Deum maximum beneficium, scilicet esse, habemus: *quoniam* (inquit Ecclesiasticus *c.* 7.) *nisi per illos natus non fuisses.* Unde etiam parricidium ac maledictio parentum gravius peccatum est occisione aut maledictione filii; & præceptum subveniendi parentibus ponitur primo loco post spectantia ad Deum. Denique *Glossa Ordinaria* in illud *Cantic.* 2. *Ordinavit in me charitatem* præfert amorem parentum amori filiorum.

Idem consequenter est, si fiat comparatio inter parentes & uxorem. Quamvis sit magis dubium & controversum, si fiat comparatio inter uxorem & filios; pluribus de uxore aliter sentientibus, quòd sit comprincipium prolium, & una caro cum carne viri. Quamvis id non multùm cogat; & prælegata de filiis non parum suadeant.

105. *Inter extraneos qui præferendi.*

Post propinquos sequuntur extranei: inter quos justi præ peccatoribus, fideles præ infidelibus sunt diligendi, conformiter ad illud Apostoli *ad Gal. 6. Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*, id est, congregatos per unam fidem in eadem domo Ecclesiæ. Quod addit juxta *Estium ibidem*, ut innuat (quod superiùs præceperat) multò magis esse benefaciendum illis, à quibus doctrinam fidei accipimus. Proinde in ordine conjunctionis spiritualis parentes quoque sunt præferendi. Quamvis si quis sit tibi filius spiritualis, non solùm generaliter quia est ad fidem per te conversus, sed etiam quia tuæ curæ pastorali commissus, videatur patri spirituali (qui tibi non est ita commendatus, sed tu potiùs ipsi) præferendus.

106. *An consanguineo cujusvis gradus possit interdum præferri extraneus.*

Dubitatur an consanguineo umquam possit præferri extraneus v.g. insignis benefactor & amicus? Et omnino censetur posse, quoad consanguineos extra primum gradum; immo etiam quoad fratres, qui jus fraternitatis violarunt. Sed & beneficia possent esse tanta, ut eum qui à morte corporis & animæ servavit, quem pater occidere dæmoniq́ue devovere statuerat, sine culpa præferri posse non improbabiliter multi censeant; debito gratitudinis prævalente pietati erga patrem impium. Aliàs conjunctio naturalis consanguinitatis juxta communem doctrinam est arctior & prævalens humanæ vel politicæ in amicitia similibusq́ue fundatæ; immo & spirituali, qualis est inter patrem & filium spiritualem, idq́ue etiam in necessitate bonorum spiritualium, quam utique conjunctio ista naturalis non excludit, sed potiùs comprehendit: etsi Varii quoad hoc secùs sentiant: quorum opinio posset habere locum in casu parentis injurioſi comparato patri spirituali, qui me è damnationis faucibus erutum spiritualiter genuit & educavit, præsertim non sine propriæ vitæ discrimine. Plura videri possunt apud *Coninck disp.* 25. *dub.* 9. *Suarez disp.* 9. *s.* 4. & alios.

*Conjunctio naturalis ceteris regulariter prævalet.*

107. *An vel quo sensu hinc magis diligendi videantur.*

Petes 1. Quo sensu meliores seu Deo conjunctiores sint magis diligendi? Resp. Non esse diligendos præ conjunctioribus nobis quasi in necessitate sint præferendi, ut apud omnes constat, & satis patet ex dictis. Aliàs sanè justum extraneum aut sanctiorem in extrema necessitate oporteret præferre proprio parenti extra statum gratiæ constituto vel minùs sancto, immo etiam

etiam nobis ipsis minùs sanctis, quod absurdum est. Quin potiùs conjunctiores nobis in hac vita magis appretiativè amare debemus etiam quoad hoc, ut ipsi non peccent vel damnentur, quàm ne id contingat melioribus. Ordo enim dilectionis proximi in hac vita ex conjunctione seu proximitate, & quasi unitate cum nobis ipsis juxta tenorem præcepti divini sumitur; non ex gradu conjunctionis cum Deo nobis ignoto, nec ita nos concernente ex jussione Dei, qui mihi magis conjunctum vult à me ipso magis diligi, quem tamen ipse minùs diligit. Hos equidem eatenus magis diligimus, quatenus iis consideratis secundum præsentem justitiæ statum, in quo sunt, debeamus velle majorem gloriam, quàm minus bonis, approbando scilicet divinam justitiam, & in eorum majori sanctitate complacendo; supposito scilicet quòd circa hanc rem actus nostræ voluntatis versetur. Non ita tamen, quin donec vita præsens durat, nobis ipsis & propinquioribus majorem sanctitatem & gloriam juxta ordinem charitatis desiderare & procurare possimus: quod tamen post hanc vitam cessat.

108. *An in patria manebit Ordo charitatis.* In patria itaque, ubi nimirum non restat locus crescendi in charitate & beatitudine, ubi cessant omnia pericula, indigentiæ seu necessitates, ubi erit certa securitas, & secura æternitas, & æterna citra variationem felicitas, cessabit quoque ratio præmissi ordinis charitatis: qui modò viget, dum est locus crescendi in bonis salutaribus, ac ab iisdem excidendi frequens periculum, adeoque multiplex proximi necessitas: eò quòd charitas consequenter dictet hîc potiùs curandos esse, qui in vita corporali sunt nobiscum conjunctiores ac magis veluti unum, eosque (si opus foret) esse præferendos. His proinde cessantibus cessabit hujusmodi ordo præferentiæ: ac perspecto quorumlibet Sanctorum gradu sanctitatis & gloriæ, fruentes Deo magis ex charitate Dei diligent eidem conjunctiores, veluti majori amore dignos, ideoque à Deo magis dilectos, ac in sanctitate & gloria excellentiores, eosdemque magis æstimabunt & honorabunt, ac singuli suo beatitudinis promeritæ gradu erunt contentissimi, de aliorum majori gloria veluti de propria lætantes, eamdemque illis, etiam majorem propriâ, ex animo desiderantes. Et quamquam beatitudo non excludat alias honestas dilectionis causas, his tamen prævalebit ratio diligendi ex majori cum Deo unicè dilecto propinquitate desumptâ. Ita communiter Doctores. Existimo tamen, quòd cùm gratia vel gloria non destruat naturam, remaneat ordo modernus charitatis quodammodo in radice seu actu primo, hâc ratione, quòd si necessitas per impossibile occurreret, qualis modò, conjunctior nobis foret præferendus: quemadmodum etiam *D. Thomas q. 26. ar. 13.* fatetur beatum eatenus magis diligere se ipsum, quàm alium magis beatum, quatenus hunc potiùs vellet (si per impossibile opus foret) à divino amore & beatitudine excidere, quàm se ipsum.

# DISPUTATIO DUODECIMA.

## *De Effectibus Charitatis, Præsertim Eleëmosyna & Correptione Fraterna.*

### QUÆSTIO I.

### *De Effectibus Charitatis, & Operibus Misericordiæ in Communi.*

1. *Sex solent recenseri effectus charitatis.* OMisso actu principali charitatis, qui est dilectio (de quo nil speciale super est dicendum) nec non omissis effectibus charitatis, quatenus ejus actus disponit ad justitiam, & habitus est forma justificans seu gratia (de quibus actum est in *Tract. de Gratia*) de sex effectibus charitatis agit *D. Thomas q. 28. usque ad 34.* qui sunt gaudium, pax, misericordia (quæ sunt effectus interni) beneficentia, eleëmosyna, & correptio seu correctio fraterna; quæ sunt externi.

*Quid gaudium.* Gaudium est passio consequens amorem: quia enim Deum ex charitate diligimus, de illius bonis, sive internis sive externis gaudemus; utì ex amore hominis fit, quod dum bene ei est, gaudeamus. Unde etiam potuisset accenseri tristitia, quæ ex amore Dei & odio mali divini nascitur, dum cernimus Deo ejusque honori malum inferri per peccata, juxta illud *Psal. 118. Vidi prævaricantes & tabescebam.*

2. *Quid pax & quotuplex.* Pax, quæ opponitur seditioni & bello, constitit in consensione appetitûs inferioris cum superiore, & utriusque cum voluntate Dei; nec non consensione ordinatâ cum voluntate proximi. Estque hæc absoluta pax, ex interiori (ad quam spectat prior pars) & exteriori (ad quam spectat pars posterior descriptionis) conflata. Unde vera *non est pax impiis, dicit Dominus. Isaiæ 48.* *Pax impii* defectu consensionis cum Deo & vero *fucata* bono.

bono. Quies enim & consensio in bono apparente fundata, apparens tantùm pax est.

3. *Quî charitas pacem generet.*

Charitas porrò pacem generat, quia facit, ut appetitus nostri, inferior scilicet & superior, consentiant, dum utrumque subjicit divinæ voluntati, cui per omnia placere quærit; nec non ut consentiant cum voluntate proximi ordinata, amando illum, & bonum optando sicut sibi ipsi. Quia nihilominus perfectissima consensio virium inferiorum cum superioribus, & utrarumque cum Deo non est hujus viæ, idcirco nec perfecta pax interna, qualis erit in patria. Quia etiam suppositâ ordinatâ voluntate hominis Deum diligentis, voluntas proximorum non semper est ordinata, fit non semper reperiri plenam cum voluntate proximi concordiam, sed interdum sanctam ex una parte discordiam seu bellum, dum malè aliquid volentibus non consentimus. Ex defectu enim veræ charitatis in uno vel utroque nasci solet externa discordia ac bellum.

*Non est perfecta in hac vita.*

*Cur non semper generet pacem cum proximo.*

4. *Misericordia unde sic dicta*

Misericordia sic dicta, quasi faciens miserum cor propter alterius miseriam, describi solet ex *Augustino* 9. *de Civit. c.* 5. *Aliena miseriæ in nostro corde compassio, quâ utique, si possimus, subvenire compellimur.* Quia nihilominus motus internus compassionis seu tristitiæ non convenit Deo vel beatis, in quibus tamen est misericordia, neque etiam exprimit principalem actum, generaliùs & magis propriè definitur: affectus efficax subveniendi miseriæ proximi.

*Ejus descriptio ex Augustino.*

*Alia generalior.*

Dicitur *proximi*: quia misericordia propriè loquendo respicit alterum, etsi quod ad rem spectat, etiam possimus compati & velle subvenire miseriæ propriæ. Unde dicitur *Eccli.* 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Ubi signanter *D. Thomas q.* 30. *art.* 1. *ad* 2. ait considerari animam tamquam quid distinctum, cujus malis tollendis debeat suppositum ipium humanum esse sollicitum.

5. *Respicit malum alienum,*

Debetque juxta *D. Thomam quæst.* 30. *art.* 1. respicere malum involuntarium: eò quòd miser aut compassione dignus dicendus non sit, qui nullo modo involuntariè patitur. Est nihilominus culpa aliena objectum misericordiæ, in quantum in ea reperitur multiplex ratio involuntarij; quamvis quatenus habet rationem mali voluntarii sit potiùs objectum justæ indignationis. Prout etiam passiones Christi & Martyrum nos movent ad compassionem, quatenus, etsi simpliciter voluntariè susceptæ sint, tamen adversantur appetitui naturali, nec nisi urgente præcepto aliâve causâ voluntariè susciperentur, sed refugerentur. Idemque est de projectione mercium in mare ex metu naufragii.

6. *Involuntarium.*

*Qui respiciat malum culpæ, passionem Christi & martyrum.*

Principalis causa misericordiæ est amor: qui sicut bonum proximi quærit, sic miseriis subvenire studet. In nobis autem dispositio quædam ad commiserendum est consideratio propriæ infirmitatis & miseriæ. Unde variis defectibus & miseriis subjecti v. g. senes, debiles, & tribulati magis compatiuntur alienæ miseriæ, quam in se quasi experiuntur aut experti sunt. Quam quidem dispositionem ad miserendum Christus in se misericorditer suscepit assumendo nostras miserias, discens ex iis, quæ passus est, utì obedientiam, sic & misericordiam: *Debuit* enim, juxta Apostolum *ad Hebr.* 2. *per omnia fratribus simulari, ut misericors fieret.*

7. *Causa misericordiæ, amor.*

*Quî consurgat consideratio propriæ miseriæ.*

Ex laudibus quoque misericordiæ *Matt.* 5. & alibi decantatis, ipsoque lumine rationis patet ipsam esse actum virtutis; utì immisericordia, in Scriptura *Jac.* 2. & alibi improbata, est non modicum vitium.

8. *Misericordia est actus virtutis.*

Et quidem *D. Thomas quæst.* 30. *art.* 3. & alii (& probabile dici posse censet *Wiggers ibid.*) putant esse virtutem specialem. Sed sine solido fundamento: nam eadem virtus charitatis, sive Theologicæ, sive moralis erga proximum, quæ principaliter inclinat ad volendum bonum, etiam inclinat ad aversionem mali oppositi, ex eodem motivo seu ratione formali. Quemadmodum etiam eadem charitatis virtus inclinat, eademque bonitas Dei movet ad eidem per dilectionem optanda bona, & avertenda mala opposita per odium peccati aut contritionem: ergo idem cum proportione dicendum est de virtute Misericordiæ. Pro cujus rei clariori intellectu.

*A charitate indistincta.*

*Probatur hoc ipsum.*

9. *Amplius idem declaratur considerando triplicitèr malum proximi.*

Adverte malum proximi considerari posse tripliciter. Primò, quatenus est disconveniens naturæ rationali; & sic voluntas illud tollendi spectat ad virtutem merè philosophicam, quâ quæritur debita convenientia partium cum toto, & earum quæ in natura sunt cum ipsa natura, nihil interim curando, an per hoc proximo bene sit, nec ne. Et de hoc non est in præsenti sermo. Secundò, quatenus malum proximi repugnat honestati specialis virtutis, v. g. malum ebrietatis temperantiæ, malum luxuriæ honestati castitatis, & sic de ceteris. Et hoc quoque modo constat non esse actum specialis virtutis, sed spectare ad varias virtutes, prout malum ipsum opponitur variis virtutibus. Tertiò potest malum proximi considerari, quatenus est miseria proximi, ex qua ei malè est. Et hic modus ordinariè cadit sub considerationem Christianorum in affectu & operibus misericordiæ exercendis; spectatque proximum quatenus sublevandum à miseria. Dicimus itaque chari-

charitatem ipsam, sive Theologicam, sive naturalem proximi, esse ipsam virtutem misericordiæ, vocarique nomine misericordiæ, quatenus respicit seu connotat miseriam proximi, ejusve sublevationem. Et de hoc procedunt præallegata à nobis & probata.

10. *Confirmatur.* Quibus accedit confirmatio ex auctoritate desumpta: nam Scriptura charitatem obligatoriam proximi inculcans eam regulariter exprimit quasi consistentem in affectu & operibus misericordiæ; ut patet 1. *Joan.* 3. & 4. *Jac.* 2. Ipseque Christus *Lucæ* 10. approbat judicium legis periti respondentis hâc ratione Samaritanum esse proximum incidenti in latrones, utpote *qui fecit misericordiam in illum.*

11. *Occurritur objectioni ex Apostolo desumptæ.* Nec obstat illud *ad Colos.* 3. *Induite viscera misericordiæ, benignitatem &c*; cui dein subditur: *Super omnia autem hæc, charitatem habete.* Nam ibi recensentur non tam diversi habitus, quam actus seu opera & exercitia novi hominis, quæ sunt affectus & opera misericordiæ, benignitatis, humilitatis, modestiæ, patientiæ, remissionis injuriarum. Super omnia verò perfectam charitatem commendat Apostolus, tamquam vinculum perfectionis, cum alia opera, etsi nonnulla charitatis, possint tamen esse sine charitate perfecta; fierique ex morali charitate erga proximum, vel imperfecta erga Deum.

12. *Quid beneficentia.* Beneficentia (de qua inter effectus externos Charitatis primo loco agit *D. Thomas quæst.* 31.) est ipse actus externus interioris benevolentiæ, quo nimirum quis proximo suo benefacit, sive propter Deum, & procedit ex benevolentia seu charitate Theologica, sive propter ipsum proximum ut ei bene sit, & procedit ex dilectione seu amicitia morali proximi. Unde constat non spectare ad distinctam aliquam à ceteris seu specialem virtutem. Ab effectis quoque seu operibus misericordiæ non distinguitur, si vocis rigorem & phrasim Apostoli ad *Hebr.* 13. ea comprehendentis nomine beneficentiæ (ut notat *Estius ibidem*) spectes (idemque est de opere gratitudinis alteri repenso) per hujusmodi namque quis alteri benefacit. Connotato tamen ab his distinguit illam *D. Thomas sup. art.* 1. quod beneficentia respiciat bonum amici, non considerando rationem debiti erga proximum, vel ejus miseriam.

13. *Quænam sint opera misericordiæ corporalia.* Effectus porrò seu opera externa misericordiæ assignari solent in Catechismis, etiam in Romano seu Pii V. septem corporalia & totidem spiritualia, ad quæ cetera facilè reducuntur. Priora continentur hoc versu:

*Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.*

E quibus tria ordinariè vitæ conservandæ necessaria sunt, scilicet *Cibo*, *Poto*, *Tego*, id est necessarium alimentum & tegumentum corporis. Rariùs extrema vitæ necessitas occurrit in visitatione infirmorum, redemptione captivorum, hospitio peregrinorum; etsi aliquando id fieri posset, v. g. si visitatione medici, seu alio obsequio, redemptione hominis de captivitate, vel hospitalitate, sit vita infirmi, captivi, vel peregrini servanda. Quæ omnia tamen possunt comprehendi sub eleëmosyna; vel ad eam reduci; de qua sola dejnceps in particulari agendum.

14. *Sepulturæ officium cur à Christo omissum.* Sepulturam mortuorum constat esse minùs necessariam; ideoque omittitur à Christo *Matt.* 25, vel quia apud Judæos non erat periculum defectûs, quin potiùs excessus in pompa funeris seu sepulturæ. Quem suo tempore vigentem (viget & hodie frequenter, ut magis interdum abundet superba vanitas, quàm charitas) redarguit *Chrysostomus Homilia* 84. *in Joannem.* *Excessum reprehendit Chrysostomus.*

*Esse alioquin opus pium ostenditur.* Alioquin quòd corpus donari honestâ sepulturâ sit opus pium, constans est apud omnes, & patet ex *Tobiæ* 12. ubi Tobias senior propter hoc laudatur. Et *Matth.* 26. laudatur Magdalena quod prævenerit Christi corpus ungere in sepulturam.

15. *Immo & opus misericordiæ.* Quòd etiam specialiter sit opus misericordiæ, similiter constat apud omnes, & probatur ex 2. *Reg.* 2. *Benedicti* (inquit David ad viros Jabes Galaad) *vos à Domino; qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum.* Ratio est: quia honor corporis redundat in animam, censeturque morali æstimatione quædam miseria & malum defuncti, si officium sepulturæ corporis negligatur; adeoque illud curare est opus misericordiæ. Unde extant plures Sanctorum apparitiones, & aliorum hominum ultimæ voluntates, qui sua corpora decenter sepeliri voluerunt. Deus quoque 3. *Reg.* 13. punivit, utique malum seu miseriam intentando, Prophetam inobedientem per hoc, quòd corpus ejus non poneretur in sepulchro Patrum suorum. Speciales quoque malefactores solent in pœnam (quæ non modica censetur) privari sepulturâ. Estque etiam in jure Canonico pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ quibusdam inflicta. In qua specialiter concurrunt suffragia, quibus juvantur animæ fidelium in locis sacris sepultorum.

16. *Mens Augustini exponitur.* Quòd verò *Augustinus l. de Cura pro mortuis cap.* 2. scribit, sepulturam non esse mortuorum subsidium, sed magis vivorum solatium; eatenus verum est, quatenus à sepultura non dependet præsens salus aut consolatio

consolatio animarum ( in quàm potiùs cedunt suffragia, quæ fiunt in sepulturis vel extra illas pro animabus ) & quatenus ex honesta sepultura accedere solet amicis quædam solatii complacentia. Non negat tamen, quin sepultura spectet ad bonum quoddam hominum, & quasi temporale adhuc bonum defunctorum.

17. *Quæ sint opera misericordiæ spiritualia.*

Opera misericordiæ spiritualia hoc versu comprehenduntur:

*Consule, Castiga, Solare, Remitte, Fer, Ora.*

Ubi ( ut notat *D. Thomas qu. 32. a. 2.* ) sub *Consule* comprehenditur consilium præbere, & docere; ut septenarius numerus habeatur. De quibus, exceptâ correptione fraternâ, non est specialis difficultas, quæ suis locis non tractetur, aut ex dicendis de correptione fraterna constare posset. Proinde de hac sola, quæ est quædam eleëmosyna spiritualis, & primò de eleëmosyna corporali, agendum restat.

## QUÆSTIO II.

## *Quid Eleëmosyna, cujus Vtilitatis, Qui eam dare possint, & Quibus?*

18. *Quid eleëmosyna.*

Eleëmosyna tam in vulgari sermone, quàm in sacris litteris, sumi solet pro objecto operis misericordiæ, seu pro ipsa re quæ datur indigenti, ut ejus miseria corporalis sublevetur. Hic autem accipitur pro datione talis rei, sive pro sublevatione talis miseriæ, sive opere alienam corporalem indigentiam sublevante. Estque adeò actus externus imperatus ab interno misericordiæ, eique proprius. Quamvis etiam possit imperari à virtute pœnitentiæ, quatenus adhibetur ad satisfaciendum pro peccatis, aut aliquâ aliâ. Quod quidem opus Scriptura & Patres mirificè extollunt. *Tobiæ 4. Eleëmosyna ab omni peccato, & à morte liberat. Eccli. 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis.* Et alibi. Plura Scripturæ & Patrum testimonia seu encomia ( quæ videri possunt apud *Valentia d. 3. quæst. 9. p. 4.* ) cöacervare in re obvia videtur superfluum.

*Est actus externus misericordiæ.*

*Cujus extat in Scriptura & Patribus insignia Encomia.*

19. *Non potest salvare habentem in peccatis seu sine pœnitentia.*

Non prodest tamen eleëmosyna ad justitiam & salutem, quamdiu quis in peccatis affectu volvetur, ut fides docet, & inculcat *Augustinus Enchiridii c. 77.* Patetque ex Apostolo *1. ad Cor. 13. Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Pœnitentia quoque, propositumque desistendi à peccatis semper fuit necessarium omnibus ad justitiam. Unde hæreticum est dicere ( quod olim quosdam dixisse refert *Augustinus 21. de Civit. c. 22.* ) quòd eleëmosynarii, etsi in peccatis perseverent, non damnentur, aut certè post aliquod tempus à damnatione liberentur. Nam universis non observantibus divina mandata, sed extra statum gratiæ (qui prærequirit desistentiam à peccatis & pœnitentiam ) perseverantibus, juxta fidem restat certa damnatio, à qua non est locus liberationi.

Nec obstat, quòd eleëmosynæ quasi per se sufficienti videatur tribui emundatio à peccatis *Luca 11. Verumtamen quod superest, date eleëmosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Nam ( omissis varijs expositionibus ) Christus Pharizæos, quos tamquam rapinâ & iniquitate plenos redarguerat, ad spem excitans, significat, superesse hoc remedium, seu summam rei consistere in hoc, quòd à rapinis desistentes, & rapta restituentes ( quod utique dationi eleëmosynæ præsupponitur, & in exemplo Zachæi publicani liquidò patet) dent eleëmosynam de eo quod superfluit, sicque eos mundos fore, ab iniquitate scilicet; non exclusâ tamen pœnitentiâ, quam fides & eleëmosyna impetrat.

20. *Exponitur illud Lucæ 11. Date Eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Habet itaque eleëmosyna ex motione Spiritûs S. procedens juxta Scripturam vim extinguendi peccata, non quidem immediatè instar Sacramenti pœnitentiæ (utì apud omnes Catholicos indubitatum est; cùm non sit unum ex septem Sacramentis, minùs Sacramentum mortuorum ) sed mediatè, quatenus pœnitentiam impetrat: habet enim specialem quandam vim & energiam impetrandi auxilia specialia, seu abundantiora gratiæ, quibus peccator facilè possit ( nisi malitiâ speciali obicem ponat ) ad pœnitentiam & peccatorum remissionem pervenire: etsi non semper & infallibiliter concedatur gratia efficax, & sequatur effectus. Quod sufficit ad generales locutiones Scripturæ & Patrum: sæpe enim generaliter seu indefinitè aliquid attribuitur, quod ut plurimùm sequitur, & ex se sequi natum est, nisi aliunde impediatur.

21. *Eleëmosyna extinguit peccata mediante pœnitentiâ, quam impetrat sed.*

Congruentia verò est, quòd misericordia singulariter moveat ad misericordiam, eamque mereatur. Unde *Matth. 5.* dicitur: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Præterea Deus ipse quasi sibi factam reputat misericordiam exhibitam egeno, adeoque specialiter inde inclinatur ad recompensam spiritualem; juxta illud *Proverb. 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Huc etiam faciunt preces & suspiria pauperum ad Deum pro benefactoribus: quorum clamorem Deus exaudit, utì è contra maledictiones pauperum contra immisericordes. Unde *Eccli. 29.* dicitur: *Conclude eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit* ( partim quatenus ipsa vim habet fortissimè provocandi divinam misericordiam, partim

22. *Id ex congruentia speciali.*

tim quatenus ipsi pauperes solent pro suis benefactoribus orare) *ab omni malo.* Inde autem nascitur in eleëmosynarijs singularis in Deum fiducia, juxta illud *Tobiæ* 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleëmosyna, omnibus facientibus eam.*

23. *Eleëmosynam qui generatim dare possint, qui non.*

Eleëmosynæ elargitio, veluti vera donatio, quâ dominium transfertur, per se solùm spectat ad dominum rei, ejusdemque simul liberum administratorem. Hic itaque potest pro libitu dare eleëmosynam, uti facere alias donationes; salvo quòd prospiciat suis, quibus arctiùs obligatur. Ceteri non possunt, nisi quatenus adest vel adesse præsumitur consensus quorum interest. Quibus verò competat dominium expeditum suorum bonorum, sive mobilium sive immobilium, ex *Tract. de Just. & Jure* petendum est. Vide ibi dicenda.

24. *Specialiter quid possint uxores.*

Hinc in primis uxor, si habeat aliquorum bonorum administrationem, potest de ijs dare eleëmosynas: aliàs verò non nisi parcas & moderatas juxta consuetudinem sui similium; in quod maritus bonorum administrator censetur & debet consentire, veluti usu receptum, & spectans ad decentem sustentationem uxoris, quæ utique non est mancipium, sed consors viri, immo pariter domina bonorum communium, etsi cum subordinatione rationabili in administratione. De cetero non potest donare, etiam in eleëmosynam, nisi de consensu saltem tacito seu præsumpto mariti, qui (ubi sunt pacifica conjugia) uxori discretæ non ponit frequenter modum circa pecuniarum usum. In casu tamen amentiæ mariti potest tamquam absoluta administratrix juxta dictamen suæ prudentiæ de eleëmosynarum largitione disponere. Idem est ob similem rationem in casu diuturnæ absentiæ; juxta *Lessium, Coninck* & alios. Quia tamen tunc administrat nomine & ex commissione mariti, contra ejus præscriptam voluntatem non posset uxor procedere hac in parte.

25. *Quid filii familias.*

Filii familias quoque de bonis paternis, aut peculio suo non liberæ administrationis (secùs est de castrensi seu liberæ dispositionis) cujus saltem usus fructus est pœnes parentes per loquendo nil possunt disponere in eleëmosynas, nisi ex consensu expresso aut tacito parentum, signanter patris. Censetur autem pater consentire, ut filius ex datis ad congruam sustentationem vel honestam recreationem aliquid subtrahat pauperibus donandum, more aliorum suæ conditionis. Idem est in necessitate præsertim extremâ proximi: tunc enim parens non potest rationabiliter esse invitus.

26. *Quid religiosis.*

Similiter Religiosis privatis nil est hac in parte licitum sine licentia Superiorum saltem præsumptâ. Quibus extra Monasterium existentibus censetur data licentia quoad ea quæ conceduntur ad viaticum aut honestam sustentationem; quorum datur libera administratio. Idem varii notant de pitantijs cibi & potus, quæ singulis conceduntur, & sibimet subtrahi ab ipsis possunt, etiam ut dentur egenis. Quamvis id possit ob inconvenientias interdum oriundas prohiberi; præsertim ut non per se distribuant, sed à curam habentibus distribuendas relinquant. Is quoque cui bonorum Monasterii administratio est concessa, potest de ijs, quæ supersunt decenti sustentationi communitatis, decentes eleëmosynas facere; utpote pertinentes ad rectam administrationem, in quas proinde communitas consentire debet.

*Quid gerentes curam communitatis.*

Pari modo Magistratus seu gerentes curam communitatis possunt de bonis communibus facere eleëmosynas, quæ rectæ gubernationi expedire visæ fuerint c. *cùm in cunctis, de his quæ fiunt à majori parte capituli.*

27. *Quid possint minorennes & pupilli, eorúmq; curatores.*

Præterea minorennes & pupilli defectu liberæ administrationis non possunt quoque excessivas eleëmosynas donare; sed possunt moderatas, quas solent alii ejusdem conditionis facere: nam quoad has censentur & debent consentire tutores seu curatores. Ipsi quoque tutores possunt moderatas ex bonis sibi commissis eleëmosynas præstare, cùm id pertineat ad rectam administrationem, cedatque in bonum pupilli, qui etiam rationabiliter nequit esse invitus.

*Quid denique famuli.*

Denique famuli, etsi ex bonis proprijs eleëmosynam facere possint, non tamen ex bonis dominorum, nisi rationabiliter præsumantur ratum habituri. Quidnam verò specialiter possint seu teneantur præstare Ecclesiastici seu beneficiati in materia de Justitia explicabitur.

28. *Eleëmosyna danda omni proximo egeno.*

Nunc explicandum restat, quibus danda sit eleëmosyna. Constat autem in generali esse dandam proximo pauperi, sive sit sanctus, sive peccator, sive amicus, sive inimicus: omnes enim comprehenduntur generali præcepto dilectionis fraternæ. Subtrahenda tamen est eleëmosyna à abusuris ad peccatum aut inimicitiæ fomentum; juxta illud *Augustini Epist.* 48. *ab init. Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat.*

*Eam non abusuro ad peccatum.*

29. *Danda est quoq; pauperibus voluntarijs.*

Intelliguntur quoque non solùm pauperes coacti, sed etiam voluntarii, qui propter Deum rebus sæculi abnegatis, soliqué Deo intendentes, verè egent, & eleëmosynis digniores sunt, quæ etiam sunt dantibus utiliores, veluti impensæ servis Dei, ijsque fideliter Deum pro salute dantium deprecantibus. In quibus verificatur consilium Christi datum divitibus sæculi *Luc. 16. Facite vobis amicos* (erogando scilicet eleëmosynas justis & sanctis, qui apud Deum abundant meritis) *De Mammona*

*mona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos*, secum videlicet, *in æterna tabernacula*. Quibus accedit labor spiritualis in Concionibus, Catechismis, Confessionibus, ægrotorum visitationibus & similibus obsequijs spiritualibus, pro quibus sustentatio corporalis meritò exigitur, danda præsertim per modum eleëmosynæ.

30. *Quid de mendicis validis censendum.*

Pauperes autem validi, qui possent se laborando sustentare, solumque mendicitatem exercent, ut desidiosè vivant, sunt indigni & privandi eleëmosynis (quibus abutuntur ad suam ignaviam, aliaque vitia) meritoque exterminentur à republica, cui talis hominum fæx est maximè nociva. Suppositâ tamen gravi vel extremâ necessitate præsenti contingere potest obligatio eam tollendi.

31. *Quid de extraneis.*

Extranei per se loquendo non sunt quoque à communi charitate in casu necessitatis excludendi. Quia nihilominus singulis communitatibus incumbit sua obligatio quoad indigenos, & ex promiscua extraneorum plerumque vagabundorum & vitijs abundantium mendicatione, nata sunt gravia sequi mala reipublicæ, varia circa hos & mendicantes validos providè sanxerunt Belgii Principes, quæ vide apud *Zypæum l. 11. Notit. Juris Belgici Tit. de Mendicantibus validis*, & in *Codice Belgico* V. *Aelmoessen &c.* Nec est periculum lædendæ charitatis, si salubres institutiones & fundationes rectè observentur. Quo in genere mirè elucet Respublica Antuerpiensis. Non sunt tamen facilè, seu sine fundamento sufficienti judicandi pauperes nobis occurrentes, quasi sint de genere vagabundorum, & eleëmosynis indignorum hominum; ne fiat eis injuria.

32. *An ficto paupertatis titulo eleëmosynam accipiens, eam faciat suam.*

Dubitatur autem, an qui ficto paupertatis titulo eleëmosynam accipiat, faciat eam suam. Affirmat *Lessius lib. 2. de Just. c. 18. num. 132. Coninck d. 27. dub. 6.* post *Sotum l. 9. de Just. qu. 7. art. 3. sub finem.* Etsi debeat talis juxta omnes insinuare deceptionem, vel saltem pecuniam restituere, ratione scilicet fraudis commissæ, non autem juxta ipsos directè defectu dominii. Communis nihilominus sententia *Scoti 4. d. 15. quæst. 2. art. 3. Angeli, Adriani, Navarri* &c. tenet talem nequidem suam facere eleëmosynam: eò quòd sit error in substantia actûs, consistentis non in nuda Physica positione pecuniæ v.g. in manu alterius, sed in manu pauperis; aliàs enim non est vera eleëmosyna, utpote non consistens sine paupertate accipientis; quæ tantùm intenditur, non autem alia aliqua donatio. Solùm itaque est putata eleëmosyna, apud Deum ratione affectûs æqualis valoris, quemadmodum si quis putans dare panem daret lapidem. Aliud est de simulatione sanctitatis, utpote non spectantis ad substantiam eleëmosynæ, uti spectat paupertas. Aliud item est de contractu matrimonii cum sterili v.g. quæ putatur fecunda: fecunditas enim non pertinet ad substantiam contractûs matrimonialis, sed mutua corpora habilia ad copulam per se generationi aptam. Debetque restitutio fieri, sive Domino (quod securissimum est) quoniam mansit res ipsius, sive (ut putat *Vasquez* & alii) alijs pauperibus, eò quòd voluntas Domini fuerit rem abdicare & pauperibus dare, in qua voluntate perseverare censetur.

33. *Quid incumbit executoribus ultimæ voluntatis in distributione facienda pauperibus.*

Petes, quibus pauperibus danda sit eleëmosyna, cujus distributio est commissa executoribus testamenti vel fundationis? Resp. servandum esse tenorem testamenti, seu ultimæ voluntatis. Unde si testamentum vel fundatio determinet pauperes certæ civitatis vel Parochiæ, vel pauperes certæ qualitatis, v. g. qui verecundi seu domestici dicuntur, vel accurrentes ad portam testatoris &c. non possunt assumi respectivè pauperes alterius civitatis vel Parochiæ, publicè mendicantes, existentes in hospitali &c. Si determinentur sex pauperiores, debent ijdem juxta dictamen syncerum facto examine seligi. Alioquin si nil sit determinatum, possunt seligi pauperes ad nutum, etiam sub his comprehendendo Monasteria, præsertim mendicantium religiosorum, immo secluso omni dolo ipsi consanguinei executorum verè pauperes. Quare consequenter etiam ipse distributor, si verè pauper est, potest sibi, sicut alijs pauperibus, eleëmosynam applicare; non solùm si paupertas sit testamento posterior, vel testatori fuerit ignota; sed etiam si præcesserit & fuerit nota. Alia pauperum personarum genera, quibus hujusmodi bona distribui possunt, citatis *Molina, Reginaldo* & alijs specifiat *Bassæus in Supplem.* V. *Eleëmosyna numero* 10.

## QUÆSTIO III.

## *An & Quando, Seu Qualiter obligeat præceptum Eleëmosynæ?*

34. *Eleëmosynam esse in præcepto ostenditur.*

Eleemosynam esse præceptam, in certo scilicet tempore vel circumstantijs, patet ex sententia Christi judicis, in ejus observantia deficientes damnantis, *Matth. 25. Ite maledicti &c. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Et 1. *Joan. 3.* dicitur: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* manere autem ipsa posset, si defectus non foret mortalis. Et *Eccli. 29. Propter mandatum assume*

*aſſume pauperem &c.* Idem tradunt & exaggerant Patres, ac Theologi. Radix autem hujus obligationis (quæ eſt juris naturæ) eſt præceptum diligendi proximum, utique in neceſſitate conſtitutum, non linguâ ſeu verbis, ſed opere & veritate.

35. *In extrema neceſſitate eſſe obligationem juſtitiæ, quo fundamento Nonnulli exiſtimaverint.*

Nonnulli inſuper (intet quos refertur *Cajetanus*, *Arragon* & alii) putant in extrema neceſſitate obligationem dandi eleëmoſynam eſſe de rigore juſtitiæ: tum quia Patres paſſim comparant peccatum hoc furto, ac rapinæ, aſſeruntque eſſe bona hujuſmodi aliena, ſcilicet ipſorum pauperum: prout inter alios pluribus exaggerat *Baſilius Homil. 6. ad Popul. in illud Lucæ 12. Deſtruam horrea mea.* Similiter tradit *Auguſtinus in illud Pſalm. 147. Confortavit ſeras portarum tuarum.* Tum quia in tali neceſſitate omnia ſunt communia, adeò ut in diviſione bonorum jure Gentium introductâ cenſeatur casûs iſte exceptus, in quo proinde poteſt indigens ea ſurripere, & judex à detentore auferre, pauperique tribuere.

36. *Eſſe obligationem ſolius charitatis, cum communi ſententia probatur, & aliorum fundamentum evertitur.*

Communis nihilominus ſententia (quam tenet *Joannes Medina*, *Navarrus*, *Lorca*, *Suarez*, *Vaſquez*, *Bonacina*, & alii paſſim obvii) aſſerit eſſe obligationem ſolius charitatis. Ratio eſt: quia etſi potuiſſet Deus concedere dominium rerum divitibus eà conditione, ut deſineret hoc ipſo, quo quiſpiam ijs extremè indiget, iſta tamen conditio non ineſt ex natura rei, ſed oriretur ex poſitiva Dei voluntate, de qua non ſatis conſtat, ſed ſolùm de obligatione charitatis. Hanc quoque conditionem fuiſſe in prima rerum diviſione appoſitam jure gentium, ſimiliter non conſtat; ſed ſolùm, quòd poſſidens obligatus ſit ex charitate impendere indigenti neceſſaria. Aliunde autem conſtat divitem eſſe abſolutè Dominum rerum tamquam ſuarum; quò ipſum per alterius indigentiam privari, foret clarè oſtendendum. Confirmatur: quia par eſt obligatio ſuccurrendi proximo extremè indigenti v. g. aliàs ſubmerſuro per actionem perſonalem, puta porrectionem manûs: & tamen id omittens non peccat contra juſtitiam. Neque enim amittit dominium actionum ſuarum, ſitque eatenus ſervus indigentis tamquam Domini. Accedit, quòd negligens dare eleëmoſynam non cogatur ad reſtitutionem.

37. *Locutiones quædam Patrum exponuntur.*

Patres autem per quamdam exaggerationem locuti ſunt, vocantes furtum, & rapinam, & alienum quod detinetur, cùm ſit alteri debitum ex charitate; ut inculcent gravitatem peccati immiſericordiæ. Unde etiam loquuntur indiſtinctè de gravi & extrema neceſſitate: cùm tamen in ſola extrema poſſet eſſe obligatio juſtitiæ. *Quo ſenſu* Quòd verò in extrema neceſſitate dicantur omnia communia, eſt, quia fas eſt pauperi uſus rerum proximi, eo, ſi obſiſtat, irrationabiliter invito. Propter quod judex poſſet nolentem cogere, utì & poteſt alias leges à juſtitia diſtinctas obſervandas curare. *In extremâ neceſſitate ſint omnia communia.*

Obligatio porrò præcepti eleëmoſynæ locum habet in ſola neceſſitate, ut apud omnes conſtat. Sed ut ſciatur, qualiter & in qua neceſſitate vigeat, diſtinguenda eſt in primis triplex neceſſitas. Prima eſt extrema, quando imminet periculum moraliter certum ſecuturæ mortis ex indigentia, niſi tu ſuccurras; eſto nondum adſit mortis articulus, in quo mali ſublatio eſſe ſolet ferè impoſſibilis. Cujus ſignum ſufficiens habetur; non ex ſolo teſtimonio mendicitati aſſuetorum (quod ſuſpectum plerumque eſt) ſed Paſtoris aut alterius fide digni, aſſerentis ſibi probè facto examine perſpectam eſſe familiæ inediâ tabeſcentis neceſſitatem. Secunda eſt gravis, quando eſt probabilis conjectura de periculo vitæ, aut (quæ neceſſitas vocari ſolet quaſi extrema) evidens periculum alterius notabilis incommodi, morte inferioris. Aliqui paulò aliter explicant. Tertia communis, quam communiter patiuntur pauperes, ſignanter mendici, qui non ſine aliqua difficultate alimenta, & tegumenta, quibus indigent, acquirunt. 38. *Neceſſitas corporalis alia extrema, alia gravis, alia communis.*

Diſtinguenda inſuper ſunt bona, dum quæritur ex quibus eleëmoſyna ſit facienda. Alia enim ſunt neceſſaria, alia ſuperflua. Priora, alia ſunt neceſſaria vitæ, quibus ipſi nimirum indigemus ad ſuſtentationem noſtram aut familiæ quoad alimenta & tegumenta: alia ſunt neceſſaria perſonæ ſeu ſtatui, ſine quibus non poſſumus vivere congruenter ſtatui noſtro. Superflua verò, alia ſuperfluunt naturæ ſeu vitæ, alia inſuper ſtatui conſervando. Quæ non conſiſtunt in indiviſibili, ſed more in moralibus conſueto habent quamdam latitudinem, ſic ut quis pluribus additis non cenſeatur habere ſtatui ſuperflua, etſi ijs detractis adhuc poſſet vivere quodammodò ſatìs decenter ſecundùm ſuum ſtatum, dummodo non habeat divitias proborum judicio pro ſuo ſtatu exceſſivas. Nec ſolùm ratio præſentis temporis, ſed & futuri ſeu imminentis eſt ſpectanda, v. g. ſuſtentatio, collocatio, dotatio prolium parvularum poſtquam adoleverint, providentia in futurum pro morbo vel ſenio, pro quo alioquin non ſufficerent ordinarii proventus ſpectatâ ratione ſtatûs. Immo juxta plures Doctores etiam ſpectari poteſt ſtatus altior (dummodo probabiliter ſit imminens) ad quem ordinatè quis aſpirat. Idem cum proportione dicendum eſt de ſuperfluis ad vitam. 39. *Bona alia ſunt neceſſaria vitæ, alia ſtatui. Similiter alia ſunt ſuperflua vitæ, alia ſtatui. Hæc qualiter quamdam latitudinem habeant.*

40. *Quæ cautela adhibenda.*

Cavendum tamen, ne in hujusmodi avaritia vel ambitio depravet judiciū; quod ne fiat, consultò auscultandum opinioni proborum indifferentium. Unde non est procedendum juxta abusum luxuriantium in divitijs & vanitatibus hujus corruptissimi sæculi, ubì quidquid libet, licet, & præ abundantia pecuniarum quisque excellere cupit; sed juxta morem eorum, qui in eodem statu honorabiles in ratione domestica & œconomica proborum judicio habentur, id est, qui nec excedunt, nec deficiunt in ijs, quæ ejusdem sortis homines judicio proborum facere solent. Aliàs sanè vix ullus reperiretur, qui habet conservationi status superflua, cuius splendorem & pompam plerique indiscretè ultra qualitatem dignitatis suæ adaugent, immo ultra facultatem virium suarum. His præmissis.

41. *Obligat præceptum Eleëmosynæ in extrema necessitate. Immo & in gravi.*

Constat in primis apud omnes obligare præceptum eleëmosynæ in extrema necessitate: si enim ne quidem tunc obliget, numquam obligabit, cùm numquam sit potior ratio obligandi. Idem cum communi sententia dicendū est de necessitate gravi: nam charitas dictat me debere quantum cōmodè possum avertere grave malum aut damnum proximi. Deinde Scriptura inculcans præceptum eleëmosynæ loquitur velut de re frequenter obvia, cujus neglectu plurimi in die judicii condemnationis sententiam referent: cùm tamen extrema necessitas sit rarior. Apostolus quoque 1. *Joan.* 3. statuit solùm hanc conditionem: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere*, utique etiam gravem, scilicet famis, indumenti aut alterius rei.

42. *Quando alius non creditur succursurus,*

Et quidem hæc obligatio non currit, quando omnino creditur alium fore necessitati succursurum. Quòd si tamen alii non faciant, aut facturi non præsumantur, tu teneris: immo in defectum aliorum quilibet tenetur, & si necessitas non tollatur, quilibet graviter peccat, uti cuique mandatum est de tali proximo. Neque ab hoc

*Nota.*

subsidio excusantur, qui Monasterijs aut templis eleëmosynas extra similes necessitates supererogatoriè & meritoriè distribuunt; quin præceptum hoc charitatis (quod operibus charitatis voluntarijs in quascūque pias causas factis præferendum) dum alius non est, qui de facto succurrat, implere debeant, succurrendo pro suarum facultatum qualitate. Unde S. Elizabeth vidua dicere solebat priùs esse providendum templis vivis (intelligebat egenos) quàm mortuis.

43. *Quis ordo inter indigentes in necessitate servandus.*

Inter ipsos quoque pauperes est servandus ordo charitatis, ut extremam necessitatem habens præferatur patienti gravem, & hic patienti communem: propinquior item præfertur remotiori, justus peccatori, fidelis infideli &c. conformiter ad dicta *disp. præced. quæst.* 8. Cessat præterea obligatio, quando succurrere non possum nisi cum æquali meo incommodo, puta si sim in simili necessitate, aut alteri succurrendo in similem inciderem.

Nec refert, quòd 3. *Reg.* 17. neque Elias petendo, neque mulier Sarephtana dando necessaria propriæ vitæ & filii peccaverint: sperabat enim illa, & futurum noverat Propheta, quòd non auferret sibi aut filio mater, quod Eliæ dabat, sed magis conferret.

44. *In extrema necessitate succurrendum pauperis de superfluis naturæ.*

Itaque proximo constituto in extrema necessitate est obligatio succurrendi de naturæ superfluis & statui necessarijs, quando, nisi tu succurras, præ inopia moreretur, ut censent Doctores passim. Tunc enim locum habet illud ex *Ambrosio* (in quo tamen non inveniri, sed apud *Anselmum*, advertitur in Notis ad canonem citādum) relatum c. *Pasce*, d. 86. *Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.* Ratio est: quia necessitas extrema naturæ præferenda est juxta regulam charitatis conservationi necessariorum ad statum. Unde id ipsum vellemus nobis præstari in simili necessitate constitutis. Ipsi quoque necessitate hujusmodi constricti possunt & tenentur necessitatem suam sublevare, etiam clam capiendo sibi necessaria, si aliàs habere nequeant.

45. *Discutitur signum dignoscendi extremam necessitatem.*

Advertit tamen *Malderus q.* 32. *a.* 6. *dub.* 2. *in fine* paupere in locis publicis ad mendicandum expositos, signaque extremæ necessitatis exhibentes, rariùs illam pati, sic ut teneamur de necessarijs ad statū subvenire; sive quòd frequenter necessitates hujusmodi ostententur cum nimia exaggeratione, & interdum etiam simulentur; sive quòd ab alijs citra hujusmodi incommodum juvandi esse præsumantur. Divina quoque pietas providit, ut rariùs occurrant eujusmodi extremæ necessitates, quibus non nisi cum detrimento necessarii statūs subveniri possit: paucis enim solet posse necessitati extremæ obviari.

46. *An sit obligatio succurrendi cum totali eversione status.*

Advertit etiam *Coninck disp.* 27. *dub.* 8. *n.* 134. & alii, excusari ab hac obligatione illum, qui non potest succurrere, nisi cum plena eversione sui status: eò quòd charitas non obliget respectū proximi cum detrimento proprio respectivè gravi; quale supponitur in præsenti, ob quod nec propriam vitam teneor conservare cum eversione statūs & subsequenti vitâ miserâ (propter quod nec opes omnes debet quis expendere in curanda propria infirmitate) aut etiam mendicitate mea vel meorum. Estque utilius reipublicæ, quòd Nobilis retineat statum, quàm quòd privatus pauper vitam aliàs ad breve tempus prolongandam finiat. Quod idem *Coninck n.* 143. extendit ad opulentas divitias v. g. aliquot aureorum millia danda pro lytro innocentis captivi, eò quòd hæc obligatio foret nociva reipublicæ. Aliàs sanè (quod communi

muni sensui repugnat ) pauperi infirmo, qui omnino crederetur hujusmodi impensis posse curari, esset obligatio taliter succurrendi. Vide *Coninck.*

47. *Non est quoq; obligatio circa eum, qui ex justa sententia talem necessitatem patitur.* Non est præterea obligatio succurrendi ei, qui in pœnam delicti patitur extremam necessitatem. Est enim æquè aut magis utile reipublicæ ut sontes puniantur; quos proinde non tenetur sive privatus sive judex liberare, immo nec ipsi sontes ad hoc tenentur, qui possunt utique se accommodare sententiæ, ac justam pœnam expetere vel amplecti.

48. *In gravi necessitate succurrendum de superfluis statui.* Quòd si proximus sit in gravi necessitate, obligor ei succurrere de superfluis statui, juxta communem ferè sententiam: his enim sine gravi incõmodo carere possum, adeoque charitas obligat, ut de ijs succurram constituto in gravi necessitate. Deinde præceptum eleëmosynæ obligat juxta præmissa etiam extra extremam necessitatem; non autem potiùs, quàm dum gravis est necessitas, & adsunt hujusmodi superflua.

Quin immo necessitas famis, nuditatis aut similis posset esse adeò gravis, etsi nondum extrema, ut juxta *VViggers q.32.a.6. n.38.* post *Victoria, Sotum, Canum, Bannez*, quos allegat, teneatur quis succurrere etiam de quodammodo necessarijs ad statum, quibus absque notabili diminutione potest carere, vel quæ potest aliunde brevi resarcire.

49. *An considerandus sit status præsens.* Et quidem juxta *Lorca, Suarez, Coninck*, & alios quos citat & sequitur *Castro Palao d.2. p.2.n.14.* attendendus est in gravi necessitate proximi status præsens, an scilicet absque notabili detrimento possit conservari, si succurratur proximo: eò quòd si attendatur status futurus altior, rari forent obligati ad eleëmosynas. Quod maximè locum habet in bonis Ecclesiasticis, utique non concessis, ut per illa pares viam ad statum altiorem. Et quidem horrendum judicium ijs Prælatis Ecclesiasticis fiet, quibus non est cura de angustiatis pauperibus, sed de augendo familiæ suæ & statûs splendore, cum maxima interdum vanitate & sæcularium scandalo.

50. *Laudabilis charitas postponit statum necessitati gravi pauperum,* Quamvis autem non obligetur quis in gravi necessitate pauperũ distribuere omnino necessaria ad decentiam sui statûs seu eum evertere: id tamen facere est valde laudabile, dummodo fiat sine præjudicio aliorum v.g. uxoris aut prolium. Est enim opus istud maximæ charitatis: quod adeò laudatur in S. Martino dimidiam partem chlamydis sibi ad decentiam vestitûs necessariæ eroganti nudo pauperi. Præclara ejusmodi facinora etiam prædicantur in S. Elizabeth, & alijs Sanctis eleëmosynarijs. Notabile valde, quod in vita S. Paulini Nolæ Episcopi legitur, eum, cùm ab eo posceret vidua, ut filium redimeret, consumptis rebus omnibus in officio pietatis, seipsum pro illo in servitutem tradidisse.

Quod denique attinet ad communes necessitates, est quoque juxta *Adrianum, Cajetanum, Bannez, Valentia, Bellarminum, Lorca, VViggers* & plurimos alios obligatio in ijs dandi eleëmosynas de absolutè superfluis, non ita quidem ut singulis subvenire teneamur (in quo hæc obligatio differt ab obligatione dandi in extrema vel gravi necessitate) sed ut pro qualitate facultatum interdum aliquas eleëmosynas faciamus, juxta monitum Tobiæ *cap.4. Ex substantia tua fac eleëmosynam .... quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Obligationem hanc judicant Patres, valde exaggerantes tenacitatem habentium superflua (quorum eos vocant dispensatores) & tamen non succurrentium indigentibus; quorum esse hujusmodi superflua asserunt: & quidem si attentè legantur, apparent generaliter loqui de necessitatibus etiam passim occurrentibus, quales sunt communes.

51. *In necessitatibus communibus danda interdum eleëmosyna de superfluo.*

Ratio est: tum quia necessitates communes faciunt unam gravem reipublicæ, quam quilibet pro sua parte tenetur sublevare: tum quia si necessitatibus communibus non succurreretur, fierent ut plurimùm graves vel extremæ; quod quisque debet avertere ex charitate, quando absque incommodo suo, quod meritò censeatur tale, id potest, prout supponitur in præsenti posse. Unde etsi possint aliqui pauperes sine peccato præteriri, quibus facilè posset eleëmosyna dari, tamen tempore & loco debent aliquibus dari, sic ut sine periculo peccati mortalis nequeat formari propositum numquam dandi eleëmosynam, nisi in extrema aut gravi necessitate. Idemque est, si consultò quis abstineat citra expressum propositum stabiliter ab omnibus hujusmodi eleëmosynis. Quare tales hominis sunt pijs exosi, & vulgò tamquam crudeles, inhumani & immisericordes audiunt; malumque exemplum ac scandalum præbent.

52. *Probatur ratione.*

Nec refert, quòd 2. *Cor.* 8. Apostolus solùm det consilium Corinthijs ut abundantia eorum suppleat inopiam aliorum pauperum. Nam petebat collectam eleëmosynariam pro fidelibus externis, existentibus scilicet Hierosolymis & in Judæa, quibus citra gravem saltem necessitatem non tenebantur Corinthii eleëmosynas dare, satisfacientes succurrendo pauperioribus concivibus de superfluis. Quamvis forsitan etiam ipsi non haberent passim superflua, sed solùm haberent abundantiam majorem respectivè ad majorem inopiam aliorum. Præterea consilium interdum datur ab homine, qui vel non vult, vel non potest præcipere, etsi alioquin sit res à Deo præcepta; sicut ægro consulitur medicina,

53. *Solvitur objectio petita ex 2. Cor. 8.*

dicina, quam ex lege naturæ tenetur sumere ad sui curationem. Etiam consilium erat, non præceptum præbendi tam longum subsidium, quale præstiterant Macedones, ibidem ab Apostolo laudati.

54. *An expediat modicum dare singulis & pluribus, an totum uni vel pauci.*

Observandum verò dum communis est necessitas, communiter modicum pluribus distribuendum. Qui modus plura secum adfert commoda in cõmunitate, ideoque præstat illum non aboleri, sed præferri sublevationi perfectæ necessitatis paucorum: quamvis optimum sit, si vires suppetant hoc facere, & istud non omittere. Ubi tamen extrema vel gravis necessitas plurium juvanda esset, nec modicum singulorum necessitates sublevare posset, melius est (ut notat *Marchant Tom. 2. Tract. 2. Tit. 4. sect. 2. quæst. 1. append. 2. prop. 5.*) uni dare quod prodest, quàm in plures dispertiri, quod non prosit. Id tamen prudentiæ largitoris relinquendum est.

55. *Non est obligatio inquirendi necessitates pauperum.*

Observandum quoque non esse generaliter divitibus in præcepto (quamvis quoad honestas (præsertim familias secretò interdum angustiatas, sit saluberrimum consilium, observatum à Sanctis & insignibus Eleëmosynarijs) inquirere necessitate pressos, quibus subvenire possint; qui potiùs debent per se vel per alios necessitates suas pandere, utì etiam communis praxis docet: nusquam enim aliud præceptum reperitur, quin potiùs si sonum litteræ spectemus, est sermo de necessitatibus visui seu sensui obvijs: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere &c. 1. Joan. 3.* Et in descriptione judicii *Matth. 25.* reprobis se excusantibus: *Quando te vidimus esurientem &c.* judex arguit, quòd satìs viderint ipsum esurientem &c. in pauperibus: *Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Unde *Chrysostomus Homil. de divite Epulone* ait: *Ideo jacebat*, Lazarus pauper, *ad januam, ne dives diceret: Non vidi, in angulo fuit, aspicere non potui, nemo mihi nuntiabat &c.* Insinuans tacitè aliàs habiturum fuisse rationem se excusandi.

*Limitatio quadam.*

Nihilominus juxta *Marchant Tom. 2. Tract. 2. Tit. 4. quæst. 1. append. de Eleëmos. dub. 1.* qui habent in republica officium providendi pauperibus & miseris, tenentur juxta officii sui rationem de eorumdem paupertate & miseria inquirere. Et quidem specialiter id tradit *Bannez quæst. 32. art. 6.* de Episcopis quoad pauperes sui Episcopatûs, veluti qui sunt ad amplius quàm reliqui de populo obligati, tamquam patres spirituales suorum subditorum, quorum salus sæpe patitur propter egestatem: quod (ut ait) non minus facilè potest fieri & cognosci per Parochos & alios pios ministros, quàm per fiscales cognoscantur delicta mulctis obnoxia, lucrumque apportantia. Certè ex Epistolis Pauli & alijs locis liquet, quàm fuerint Apostoli (quorum Episcopi sunt successores) solliciti de fidelibus pauperioribus adjuvandis. Videri potest *Bannez loco cit.*

Petes I. An sufficiat constituto in gravi aut extrema necessitate succurrere mutuum dando, dilatâ solutione vendendo &c? Asserit *Adrianus, Covarruvias, Navarrus, Toletus* apud *Castro Palao de Charitate disp. 2. p. 4.* Et accedunt *Vasquez Opusc. de Eleëmosyna cap. 1. dub. 8. num. 54. Lessius lib. 2. de Just. cap. 16. dub. 1. num. 11.* censentes sufficere saltem, si quis succurrat, per mutuum datum sub conditione restituendi, si pauper ad lautiorem fortunam devenerit.

56. *An re & spe pauperi sufficiat succurrere mutui, venditione dilatâ solutione &c.*

*Varii asserunt.*

*Nonnulli cum aliqua limitatione.*

Verùm *Suarez, Coninck, Wiggers, Bonacina, Castro Palao supra* & alii communiùs, meritò existimant requiri, ut eleëmosyna detur gratis re & spe egeno: nomine enim eleëmosynæ (quam Scriptura adeò præcipit & commendat) tantùm intelligitur donatio gratuita. Unde præcipit Scriptura, non vendere, mutuare, sed dare eleëmosynam, retributionem à Domino expectando, pecuniamque pendendo. Præstatur quidem mutuando aliqua gratia seu misericordia, sed non eleëmosyna propriè. Itaque debet subveniri necessitati modo debito juxta regulas charitatis, scilicet per eleëmosynam. Idem est sensus Patrum & piorum fidelium nomine eleëmosynæ præceptæ gratuitam donationem intelligentium. Unde Patres dicunt divites esse dispensatores bonorum superfluorum, veluti quæ sint pauperum. Deinde per eleëmosynam debet sublevari inopia pauperis, quæ potiùs augeretur per mutuum, aut venditionem creditò factam, dum re in necessitate consumptâ nil restaret præter onus novum reddendi quod acceptum est.

57. *Communior sententia negat.*

*Probatur.*

Imponere itaque obligationem reddendi ei, qui non sine magna difficultate seu necessitate poterit restituere (si possit jam non est re & spe pauper) est contra charitatem, quæ obligat, ut (quod sine gravi incommodo fieri posse supponitur) pauperis extremam aut gravem necessitatem patientis miseria sine nova afflictione seu onere sublevetur. Esset que prædicta obligatio inutilis, quam non tenetur subire alter propter opus equidem ex charitate sibi debitum.

Obligatio autem conditionalis in casu fortuito lautioris fortunæ (de qua non est spes) nimiùm sapit avaritiam, tollitque liberalitatem, quam Patres & fideles in eleëmosynæ largitione recognoscunt. Immo sic præceptum gratuitæ eleëmosynæ numquam obligaret (quod nec pium, nec practicè probabile affirmat *Suarez d. 7. sect. 5. num. 2.*) cùm onus istud conditionatum tollat rationem gratuitæ omnino donationis. Deinde frivola est & nulla obligatio, cui satisfaciendi nulla spes.

58. *Ne quidem obligatio cõditionata in casu fortuitæ lautioris fortunæ est imponenda.*

Ridicu-

Ridiculum quoque foret imponere restituendi obligationem pro rebus plerumque levibus, quæ communibus necessitatibus pauperum impenduntur, nec ab iis facilè restitui possunt. In hunc denique finem auctor naturæ dat bona temporalia, ut hoc modo indigentiis pauperum succurratur,

59. *Aliud est de eo, qui non est absolutè seu re & spe pauper.*

Secùs esset in casu, quo quis non est re & spe pauper, sed solùm pro hoc loco aut tempore aliquâ re indiget, habens alibi bona sufficientia aut certam eorum spem; prout quandoque existentes in alienis terris defectu cambiorum sunt in gravi necessitate. Hi enim non sunt simpliciter pauperes, aut absolutè indigentes, sed pro determinato tempore & loco: quibus proinde satisfit mutuo, venditione cum dilata solutione, similive modo. Prout Jacob fratri esurienti cibum vendidit *Gen.* 25. & Joseph Ægyptiis pro frumento tradito terras eorum accepit *Gen.* 41. & 42. & Tobias Gabelo sub chirographo nautuum dedit *Tob.* 4. qui nimirum aliunde bona habentes non erant absolutè & simpliciter pauperes. Præterea si indigentia non exigat dominium, sed tantùm usum temporalem rei, certum est sufficere concessionem, solum usum v.g. equi ad fugam necessariam &c.

*Si etiam solius usûs sit indigentia, sufficit hunc concedi.*

*Alia declaratio seu limitatio.*

Si denique alienatione rei donans incideret in gravem necessitatem, sufficit patienti extremam necessitatem rem mutuo dare; etsi proximus per hoc in gravem quoque necessitatem incideret, quo hac in parte potioris est alter conditionis: secùs si proximus reincideret in necessitatem extremam.

60. *In extrema necessitate licet surripere ea quibus quis indiget.*

Petes II. An constituto in extrema vel gravi necessitate liceat clam aut invito domino surripere sibi necessaria? Resp. in extrema necessitate ex communi Doctorum sententia id licere, quando saltem aliter nõ possunt necessaria haberi: idque ob strictissimum jus conservandi vitam suam, ratione cujus dominus non præsumitur, neque potest esse rationabiliter invitus; ratione cujus similiter in necessitate extrema omnia debẽt esse communia. Intellige semper in casu, quo alter non est, aut poperetur in pari necessitate.

*Præmitti tamen debet amicabilis petitio, si per illam possint obtineri necessaria.*

Nihilominus si amicabili petitione præviâ potest res necessaria obtineri, ipsa debet præmitti: non enim licet surripere aliena, quando propria possunt haberi per donationem. Meritò etiam dominus est rationabiliter invitus ob talem agendi modum. Neque illum modum necessitas extrema exigit, pro cujus solùm exigentia & terminis communia sunt temporalia bona. Quamvis si petitio omittatur, non sit juxta *Wiggers quæst.* 32. *art.* 6. *nu.* 51. onus restituendi, ob substantiam rei nihilominus debitam donari. Quamvis etiam omissio petitionis veluti continens inordinationem in solo modo non appareat *Lessio l.* 2. *c.* 12. *dub.* 12. *num.* 66. mortalis.

61. *An idem sit licitum in valde gravi necessitate.*

An autem in necessitate valde gravi v.g. famis, nuditatis &c. sit licitum aliena surripere invito domino, controversum est. Nec improbabiliter asserunt *Navarrus*, *Lessius*, *Coninck* & plurimi alii; eò quòd meritò videatur casus iste ob exigentiam rationis & boni communis in divisione bonorum tacitè exceptus seu non comprehensus: adeoque dives ipse supponatur obligatus esse tali casu eleëmosynam præstare, qui proinde si nolit, videri potest pauper sibi ipsi providere posse utpote divite irrationabiliter invito. Nec obstat *c. Siquis* 3. *de furtis* ubi imponitur pœnitentia furanti in gravi necessitate. Nam non constat esse sermonem de gravi, & non potiùs de communi necessitate; aut si de gravi, cui non potuerit debitâ petitione prævia succurri. Quo dato, non esset alia solutio, quàm quòd pœnitentia imponatur ob quamdam peccati similitudinem. Ut interim non omittam esse Canonem desumptum non ex Decreto alicujus Pontificis vel Concilii, sed ex Pœnitentiali Theodori Archiepiscopi Cantuarienſis.

62. *An vir honestus teneatur mẽdicare, si aliàs non possit nisi furripiendo necessitati providere.*

Observat tamen *Wiggers num.* 55. non censeri gravem vel extremam necessitatem, quàm diu mendicando potest accipi quantum sufficiat necessitati sublevandæ. Quod citatis *Titelmanno in Psal.* 36. *Navarro ad c. Quiescamus dist.* 42. *n.* 35. (quibus alii accedunt) extendit ad virum honestum, qui magnum sibi dedecus reputat mendicare, nec aliter quàm mendicando potest necessitati suæ providere: eò quòd pudor iste non videatur in tali casu sanctus & Christianus, sed potiùs (ut videtur æstimare *Navarrus*) vana superbia: cùm vir bonus cogitare deberet, non absque divina providentia (cui se conformare meritò oporteret) hujusmodi necessitatem obvenire, sive ad purgationem peccatorum, sive ad virtutis exercitium. Quamquam in delectu pauperum sublevandorum sit habenda ratio verecundiæ, quæ ingenuos prodit natales, quando nobis innotescit, ut ex *Ambrosio l.* 1. *offic. c.* 30. notat *Wiggers suprà*. Estque indubiè sanctum & salubérrimum consilium juxta præfatam doctrinam se in praxi gerere; & oppositum subjaceret periculis inconvenientiæ in republica. Quamvis *Bannez q.* 32. *art.* 7. & alii excusent talem necessaria surripientem; eò quòd videatur suæ necessitati posse providere, non incidendo in aliam gravem necessitatem, qualis censetur, si vir honestus seu nobilis cogatur mendicare. Aliis tamen non apparet tantum malum in hoc, quòd vir honestus secretò necessitates suas indicet & sublevari petat. Quod quidem hisce miseris temporibus à quàm plurimis fieri novimus.

QUÆST.

## QUÆSTIO V.

### Quid Correptio Fraterna, An, Quos & Circa Quod Objectum Obliget?

63. *Correptio fraterna cur sæpè correctio vocetur.*

CORREPTIO fraterna, inter eleëmosynas spirituales famosior, à Scholasticis sæpe vocatur Correctio, ratione scilicet finis seu effectûs Correptionis, qui est emendatio proximi, quam intendit, & quâtum in se est, facit is, qui corripit. *Debemus* namque *amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi*, ut rectè dixit *Augustinus serm.* 16. *de Verbis Domini.* Itaque fraterna correptio est admonitio (perinde, an verbo, scripto, aut aliis signis fiat) proximi ordinata ad ejusdem emendationem & salutem. *Quid ipsa sit.* *Quâ distinguatur à judiciali.* Distinguitur à juridica, quæ spectat justitiam vindicativam, & convenit habentibus jurisdictionem, cùm fraterna respiciat bonum & salutem ipsius proximi, competatque etiam privatis, tum in pares, tum in minores, tum in superiores.

64. *Cadit sub præceptum.* *Probatur auctoritatibus.* Correptionem fraternam cadere sub præceptum affirmativum, certum est apud omnes. Et colligitur ex *Matth.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Idem repetitur *Lucæ* 17. Et *Levitici* 19. dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, dissimulando exteriùs offensam & interiùs rancorem, *sed publicè* seu apertè *argue eum*, perducendo ita illum ad delicti notitiam & emendam, *ne habeas super illo peccatum*, negligêdo scilicet ejus peccatum, & non corripiendo. Similiter *Eccli.* 19. sæpè ingeminatur: *Corripe amicum, Corripe proximum.* Et c. *Tam sacerdotes* 24. q. 3. ex *Anacleto Papa Epist.* 3. refertur: *Tam sacerdotes, quàm reliqui fideles omnes summam curam habere debent de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur.* Consonant quoque Patres. Sufficiat nobis illud *Augustini Serm.* 16. *de Verbis Domini* c. 4. *Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, vel perisse, & negligis? Pejor es tacendo, quàm ille convitiando.*

65. *Et ratione.* Fundatur hoc præceptum in illo charitatis: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Te ipsum autem amare debes, procurando, ne animam perdas peccato. Similiter si vi præcepti charitatis seu misericordiæ tenemur, quantum commodè possumus, sublevare miseriam corporalem proximi, quâtò magìs spiritualem, quæ est peccatum, quod correptione supponitur velut unico medio avertendum. Denique ex charitate Dei debemus impedire & avertere offensam, & injurias alias, si commodè possumus.

Nec obstat, quòd peccatum sit miseria proximo voluntaria: nam ab hac ipsa voluntate debemus proximum, si commodè possimus, removere; præsertim cùm pravæ cupiditatis commodis anima adstricta nõ parvam patiatur difficultatem seu necessitatem, à qua desideramus absolvi, dum oramus: *De necessitatibus meis erue me Domine.* In necessitate corporali non tenemur succurrere de bonis nostris, si alter propriis non careat, cùm tunc nostris non indigeat: at in necessitate spirituali proximus ut emendetur, indiget nostris monitis, quæ proinde adhibere tenemur; præsertim dum ex ignorantia aut passione proximus peccat. Accedit Charitas Dei, quæ urget, ut ejus honori conservando intendamus. 66. *Occurritur objectioni.*

Ex dictis satis patet actum correptionis fraternæ, veluti eleëmosynam spiritualem, etsi possit imperari ex motivo diversarum virtutum, in quarum materia versatur peccatum corrigendum in proximo; propriè tamen & per se, ac velut ex natura sua esse actum virtutis charitatis seu misericordiæ, quæ inclinat ad sublevandam proximi miseriam. 67. *Correptio est actus charitatis.*

Patet etiam correptionem fraternam obligare ex virtute charitatis tum Dei, tum proximi, quæ urget, ut malum Dei & proximi impediamus & propulsemus, quantum commodè possumus. Estque communis Doctorum cum *D. Thoma q.* 33. *art.* 1. sententia: etsi pauci voluerint obligationem oriri ex virtute cui peccatum proximi adversatur, adeoque esse variam pro varietate peccatorum. Quod præterea refutatur: nam etsi virtus v.g. justitiæ me possit inclinare ad impediendum furtum proximi, virtus castitatis ad impediendam proximi fornicationem &c. non tamen ipsa me obligat, sed charitas. Ideoque communi judicio non est injustus, aut incontinens, qui præ timore aut negligentia prædicta peccata in aliis impedire vel corripere omittit, sed justus & castus manere potest. Nihilominùs cùm præceptum hoc sit de actu externo, constat per hunc obligationi satisfieri, etsi procedat ex alio motivo quàm misericordiæ: sicut satisfit præcepto jejunii, ex quovis motivo quis jejunet. In superioribus autem ratione officii est specialis obligatio, quam alii ex justitia, alii ex fidelitate oriri volunt: debetque hæc circumstantia in confessione explicari. Quod etiam solet extendi ad parentes, maritum &c. 68. *Et ex virtute charitatis obligat, sic ut ejus defectus sit propriè peccatum contra charitatem.*

Præceptum hoc obligat per se loquendo omnes ad corripiendum aptos, ex quorum scilicet correptione potest sperari emendatio proximi correptione indigentis: utì omnes concernit præceptũ dilectionis Dei & proximi, atque adeò avertendi mala utriusque. Nec est ratio aliquem excipiendi. Quare nec peccatores sunt excludendi, etsi alioquin minùs apti ad corripiendum, præsertim 69. *Quos obligat præceptum correptionis.*

sertim si ipsi iisdem vel majoribus delictis sint obnoxii. Quod tamen non currit in peccatoribus occultis, aut non notis ipsi corripiendo, quorum peccata proinde non possunt corripiendum retrahere ab emendatione. Peccatores quoque publici utiliter corripere possunt, si humiliter agnoscentes ac ostendentes suam indignitatem, moneant alios peccantes (qui sibi imputent, si se non emendent) frequens enim est, ut ex infirmitate peccent, qui ex misericordia cupiunt alios in similia aut dissimilia peccata non incidere. Quare non tenentur, ordinariè saltem, speciali titulo, præcepti scilicet correptionis, desistere à peccatis, seu pœnitere, ad hoc, ut sint idonei alios corripere (etsi teneri possint titulo scandali) accedente eo, quòd nullus teneatur divitias comparare, etsi antea prodigè consumptas, ad hoc ut eleëmosynam indigentibus tribuere possit. Prælati tamen, quibus ex officio incumbit saluti subditorum invigilare, arctiùs tenentur vi officii comparare scientiam, ac bonitatem requisitam ad fructuosam sibi cõmissorum correptionem, ad quam vi muneris sui obligantur; aut certè officium deserere.

*An etiam peccatores.*

*An hi idcirco specialiter obligentur à peccatis desistere.*

*Saltem si sint Prælati.*

70. In numero autem corripiendorum computandi sunt quotquot correptione indigent, etiam superiores, qui consequenter opportunè & prudenter corripiendi sunt, etiam ab inferioribus, exemplo Pauli reprehendentis Petrum *ad Gal.* 2. cùm invicem fratres sint naturâ & religione, seu fidei professione, adeoque fundamentum obligationis commune etiam hîc urgeat æqualiter, immo magis, quatenus Superiori tamquam patri spirituali debetur major dilectio, & quatenus ejus peccatum magis est nocivum communitati, quatenus denique is magis versatur in periculo, dum sæpiùs caret syncero correptore, non errens è contrà assentatoribus. Unde zelo Dei & boni animarum ac publici postponi debet timor potestatis Prælatorum delinquentium.

*Corripiendi, quotquot correptione indigent, etiam Superiores à subditis.*

71. Summa nihilominus cautela hic necessaria, ut nempe cum modestia & reverentia Superior moneatur, juxta illud Apostoli *ad Timoth.* 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Item ut corripiens sit spectatæ virtutis ac prudentiæ; aliàs adhibeat tertiam personam, quæ credatur profectum factura: ut expectetur tempus opportunum: ut denique monitio fiat privatim, non publicè, nisi in casu hæresis, vel publici scandali. Unde Prælati non sunt in publicis concionibus taxandi coram plebecula: ex hoc enim nullus fructus sperari potest (qui ex cordata & charitativa monitione secretò faciendâ potest expectari) absentibus iis contra quos est sermo; sed magis timenda mentis amaricatio, plebis offensio, superiorum vilipensio. Propterea *Clem. Religiosis, de Privilegiis* inhibetur Religiosis, ne in suis concionibus detrahant Prælatis Ecclesiarum. Et quidem frequens est, ut qui coram aliis in absentia maximè clamant, adulentur præsentibus, ut notat *Wiggers quæst.* 33. *art.* 4.

*Qua cautela ab inferioribus adhibenda.*

*Iudicium Auctoris.*

72. Dubitari autem posset, an quilibet proximus, etiam infidelis, sit corripiendus; eò quòd Christus *Matth.* 18. solius fratris, quem contra Ethnicum & Publicanum distinguit, mentionem faciat? Resp. indubitanter tenendum, quòd sic: fundamentum enim obligationis est charitas, se consequenter extendens ad omnes homines peccantes & correptione indigentes; etsi in infidelibus sit rarior obligatio, utì rarior spes emendationis, neque ordinaria cum ipsis communicatio. Christus itaque non fert novum præceptum positivum, sed in speciali circa fratres seu fideles jus naturæ, quo ordine sit servandum, declarat.

*Etiam infideles sunt per se loquendo corripiendi vi præcepti.*

73. Materia præcepti Correptionis fraternæ quatenus graviter obligantis sunt peccata mortalia. Quæ nimirum sunt grave damnum spirituale, & miseria seu necessitas gravis proximi. Id ipsum colligitur ex *Matth.* 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum,* utique aliàs pereuntem, peccato scilicet mortali. Hinc observavit *Augustinus Serm.* 16. *de verbis Domini.* Peccatum ob quod frater corripiendus est, esse tale, ut perituru sit, si istud non relinquat. Quare communi omnium sententiâ correptio de peccato veniali non graviter obligat, cùm peccatum veniale in suo ordine censeatur leve malum, ac levem adferre necessitatem.

*Materia præcepti correptionis quà graviter obligantis, sunt peccata mortalia.*

*Venialium correptio non graviter obligat.*

74. Immo recepta satìs Doctorum opinio (pro qua referuntur *Alensis, Paludanus, Bonacina, Saa, Azorius, Bannez,* & plurimi alii) simpliciter asserit, non cadere correptionem de venialibus sub præceptum, eò quòd per illa non perdatur homo, facileque tollantur, & prædicta obligatio sit nimiùm gravis. Et quidem ordinariè loquendo eleëmosyna hæc, satìs odiosa, non obligat in hac materia, ob defectum fructûs, aut difficultatem plerumque annexam, quæ non prævaleat spei fructûs: per se tamen loquendo videtur esse obligatio venialis id agendi: v. g. dum proximus, præsertim familiaris, assuevit juramentis vanis, mendaciis, & similibus malis moribus, præsertim iis, qui nisi corrigantur jugiter in deterius vergunt. Quod facilius usuvenit inter personas Religiosas seu perfectioni vitæ studentes, in quibus rarò, nisi in hujusmodi, offert se occasio invicem charitativè monendi. Et quidem (ut varii Doctores notarunt) ipsi Prælati possunt graviter esse obligati ad defectus veniales subditorum (quos ad perfectionem promovere

*Immo juxta plurimos simpliciter non obligat.*

debent) tollendos, quando ex nimia eorumdem tolerantia graviter labefactaretur bonum commune disciplinæ religiosæ; inde enim grave damnum ipsi communitati obveniret. Quæ tamen gravitas obligationis, non tam ex præcepto correptionis, quæ bonum spirituale proximi attendit, quàm ex obligatione officii superioris nascitur, vi cujus tenetur religiosam disciplinam conservare. Qui denique censent correptionem venialiũ non cadere sub præceptum, loquuntur de illis, ex quibus non timetur lapsus in mortale: aliàs enim posset esse obligatio gravis pro gravitate periculi.

75. *Cur Christus solum meminerit peccati à fratre commissi contra ipsum corripientem.*

Sed difficultas moveri potest ex verbis Christi *Matth.* 18. mentionem facientis solius peccati, quod frater in te commiserit, quia nimirum te aliquâ injuriâ, sive ex errore, sive ex fragilitate, sive ex malitia affecerit. Respondetur tamen hoc à paritate rationis ad quodlibet peccatum etiam commissum in alios, ipsumque Deum esse extendendum. Christus enim illic maximè frænum injicere voluit, ubi major vindictæ acerbitas & animi præcipitatio esse solet, & certior peccati notitia, ac efficacior charitas, læsi videlicet ad eum qui læsit. Quare dum remotiora Christus præcipit, censetur etiam viciniora voluisse includere. Deinde dum nobis videntibus Deus offenditur, etiam suo modo contra nos, qui filii Dei sumus, peccatum committitur. Unde *Augustinus suprà* censet peccari in te, quando te conscio & teste peccatur, & *si multis* (inquit) *audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos testes suæ iniquitatis effecit.*

76. *An correptio respiciat peccata præterita, an etiam futura.*

Petes I. An correptio respiciat propriè peccata præterita, an verò futura? Resp. Si vim vocis & phrasim Scripturæ spectemus, respicit propriè peccata præterita, in quibus proximus nostrâ correptione corrigendus seu emendandus est: correctio enim seu emendatio præsupponit culpam. Unde *Matth.* 18. Christus dixit: *Si peccaverit &c. corripe.* Manet nihilominus obligatio ejusdem rationis impediendi peccatum proximi imminens per monitionem (quam appellare si velis correptionem, per me licet) aut simile medium. Potestque in correptione propriè dicta considerari concurrere non solùm peccatum præteritum emendandum, sed etiam futurum cavendum. Immo potissima obligatio, in correptione considerandа, est de procuranda proximi emendatione, ob periculum recidivi, aut perseverantiæ in malo statu usque ad mortem, vel ultra tempus, ante quod currit obligatio pœnitentiam non differendi; quæ proinde obligatio non impleta causaret novum peccatum.

77. Petes II. An sit obligatio corripiendi peccantes ex ignorantia? Supple invincibili: si enim vincibilis seu graviter culpabilis sit, non est ratio dubitandi, quin sit obligatio. Resp. Aff. quando speratur fructus, nec timetur majus incommodum, præsertim in materia juris divini & naturalis. Ratio est: quia id videtur exigere reverentia legis: & quia ignorantia, juris præsertim divini & naturalis, est grave malum, quod quisque prudens meritò vellet à se averti: ipsaque peccata materialia sunt objectivè mala, & si sint præsertim contra legem naturæ, multùm inhonestant naturam rationalem: quæ insuper possent sæpè scandalum aliis generare, & postquam inolevit prava consuetudo, difficiliùs, accedente dein malitiæ notitiâ, omitti. Quando nihilominus prudenter timetur grave incommodum, possunt facilius, & sæpè debent hujusmodi in ignorantia relinqui, v. g. in bona fide valoris matrimonii à parte rei invalidi: cùm equidem revera supponantur actus à culpa excusati coram Deo. Unde etiam faciliùs excusatur quis ob aliquam causam se tenentem ex parte corripientis. Maximè autem in materia juris humani, veluti non cum tanto rigore etiam alios indirectè obligantis. Propter quod multi Doctores gravissimi, censent non esse ex obligatione corripiendum, qui ex oblivione aut ignorantia comedit citra scandali periculum carnes in die veneris, vel omittit sacrum die festo, & *Coninck d.* 28. *dub.* 4. *num.* 44. censet parum aut vix me obligari tunc ad corripiendum, eò quòd comestio ista per se non dedeceat naturam humanam, & materialis ista violatio juris humani videatur parvi momenti; præsertim si vel levis adsit ratio, cur non corripiam. Immo Nonnulli generaliùs loquuntur de omni jure positivo. *Bonacina* denique *d.* 3. *de Charit. quæst.* 4. *p.* 7. *num.* 10. id affirmat de qualibet invincibili ignorantia, modò non vergat in grave detrimentum ipsius delinquentis, vel tertii, nec adsit obligatio ex officio. Si enim quis ex officio obligetur, v. g. Episcopus, Parochus &c. Doctores satis consentiunt, adesse quoque obligationem instruendi ignorantes in observantia præceptorum.

*Peccantes ex ignorantia, an vel qui corripiendi.*

## QUÆSTIO VI.

### *Quæ sunt Conditiones, & quis Ordo Obligatoriæ Correptionis?*

88. *Prima conditio requisita ut correptio obliget est notitia sufficiens delicti.*

INTER conditiones in Correptione fraterna, ad quam obligamur, servandas, Prima est, ut moraliter certò constet de delicto proximi. Ulterior enim obligatio foret nimium onerosa, odiosa, & plurium

rium malorum causativa, proximo plerumque ægerrimè ferente, quòd quis ex suspicionibus, rumoribus, aliisque insufficientibus fundamentis ad ejus veluti criminosi correptionem procedat. Quare privatis dissuadenda quoque est cura superflua (quæ est plurimùm in communitatibus & familiis exosa, ipsis etiam bonis) in inquirendis iis, quæ de proximo circumferuntur: qui illam meritò relinquunt Superioribus ex officio obligatis ad invigilandum subditis suis; juxta *Proverb.* 24. *Ne quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus.* Sed potiùs quisque privatus invigilet studiosè sibi ipsi, repeturus utique sufficienter in seipso corrigenda. Inter familiares tamen utilis esse potest benigna monitio, & velut conditionata, ex confidentia charitatis procedens (quæ etiam in Superioribus usuvenire posset, prout prudens charitas attentis circumstantiis dictaverit) si probabiliter saltem constet de delicto: supponendo quòd confidentia hujusmodi sit futura grata, & si fortè peccatum subsit, fructuosa.

*Cura inquisitionis facilè nimia in privatis.*

79. Secunda conditio est, ut proximus sine mea monitione probabiliter non credatur tempore debito emendandus. Aliàs enim non indiget meâ correptione, ad quam proinde non obligor. Unde si proximus jam emendatus sit, frustranea esset correptio. Si etiam brevi putetur à se ipso, aut per alterius v. g. confessarii, parochi, superioris &c. monitionem emendandus, cessat obligatio respectu mei; utì necessitas proximi. Quare si adsit alius, qui commodiùs & acceptabiliùs possit & velit corripere, maneo ego excusatus. Excusor etiam ab adhibenda hoc tempore, si aliàs opportuniùs speretur posse adhiberi citra majus seu præponderans proximi detrimentum.

*Secunda conditio, ut mea correptio proximo supponatur esse necessaria.*

80. Tertia est, ut adsit spes, saltem probabilis fructûs, si non in hoc instanti, saltem in tempore futuro. Unde non tenemur ad correptionem, si fructus non speretur, quin potiùs major turbatio & contemptus timeatur, sive appareat proximum inde fore deteriorem: correptio enim inter privatos, si sit inutilis aut nociva, non obligat, aut etiam sit illicita. Prout interdum contingit, quòd si detrahens moneatur, detractiones suas confirmat; si alius delinquens corripiatur, indignatur tertio, odit, lites suscitat &c. Quod si sit spes fructûs, citra periculum nocumenti, obligat correptio, utpote probabiliter profutura, certò non nocitura. Sicut medicus tenetur ægro adhibere medicinam, dubiè profuturam, & certò non nocituram. Si utrimque sit dubium, v. g. tam timeatur grave nocumentum, seu sit periculum æqualis vel majoris mali, puta novi peccati gravis, vel obstinationis in peccato; quàm speretur emendatio, cessat quoque obligatio. Aliàs non curanda est tristitia vel levis ira, comparatione fructûs ex correctione sperati.

*Tertia, ut sit spes fructûs.*

In discrimine mortis nihilominus, quando aliàs proximus certò est periturus, tamen ex monitione affulget aliqua spes salutis, quatenus videlicet subest aliqua probabilitas vel dubium, num fortè profutura sit mea correptio, etsi quoque sit periculum etiam majus, ne noceat, obligor ad correptionem: tunc enim extrema hoc modo tentanda sunt, cùm gravius sit proximum certò æternaliter perire, quàm ex sua prava voluntate (quæ timetur) exponi periculo gravioris damnationis cum aliquali spe salutis. Unde & medici in morbis alioquin desperatis adhibent interdum medicinas periculosas, dubiè profuturas, juxta illud, quod veluti *Galeni* circumfertur: *In morbis desperatis interfice audacter.*

81. *Quid agendū in mortis discrimine, si sum dubia spe fructûs junctum majus deteriorationis periculum.*

Ex dictis colligi potest privatos, præsertim juniores, fragilioris sexûs, plebeios, frequentissimè excusari à correptione fraterna, sic præsertim, ut non graviter peccent, sive quia non satìs certi sunt de delicto, sive quia facilè persuadent sibi, nec sine fundamento, se nil profecturos, aut peccantem sine sua opera opportunè emendandum per se vel per alios, sive ex correptione sibi damnum proportionatum imminere. Qui nihilominus peccatum, quod ipsi tantùm norunt, per suam operam emendare non possunt, debent saltem curare, ut emendetur per monitionem aliorum.

82. *Qui facilè & frequenter excusentur ab obligatione corripiendi.*

Cessat porrò obligatio corripiendi, extra necessitatem correptionis extremam (quæ juxta *Villalobos* numquam vel rarò, juxta *Lorca* numquam contingit) si non possit fieri sine gravi damno seu periculo vitæ, famæ, vel bonorum fortunæ; eò quòd lex Christi seu charitatis non obliget cum adeò gravi difficultate & incommodo; utì relatis *Aragon, Valentia, Reginaldo, Bannez, Maldero, Navarro* notavit *Bonacina de Charitate disp. 3. q. 4. p. 7. num.* 11. & alii. Excipiuntur Prælati, seu quibus cura subditorum ex officio imminet, qui etiam cum notabili suo periculo tenentur correptionem adhibere in gravi necessitate: cùm ipsi ratione officii sint ad amplius præ privatis obligati: adeoque pro salute spirituali subditorum tenentur etiam in gravi necessitate vitam corporalem exponere.

83. *Qualiter excuset periculum gravis damni.*

Modus iste est in correptione servãdus, qui magìs profit bono & saluti proximi, & quàm minimè fieri potest, noceat famæ aut alteri bono ejusdem. Quod apertè dictat ratio. Simili modo medicus curat ægrotum mediis efficacioribus, & minùs nocivis aut periculosis. Quare debet correp-

84. *Correptio sit charitativa.*

tio esse charitativa: *Debemus enim amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi* juxta *Augustinum Serm. 16. de Verbis Domini.* Unde ut bona & utilis sit correptio, corripiendus est proximus in misericordia, non ex amaritudine, aut vindictæ cupidine.

85. *Opportuna.* Deinde debet esse opportuna, seu conditionibus præallegatis vestita. Unde *Augustinus 1. de Civit. c. 9. Si propterea* (inquit) *quisq; objurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit: vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant alios infirmos, & premant atque avertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio.*

86. *Et in peccatis secretis secreta.* Denique in peccatis secretis debet esse secreta, juxta illud *Matth. 18. Corripe eum inter te & ipsum solum.* Nimirum (ut rectè *Augustinus Serm. 16. de verbis Domini*) *intendens correptioni, & parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis facere correctiorem, facis pejorem.* Similiter *Hieronymus in d. locum* scribens ait: *Corripiendus est frater seorsim: ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato.* Quare *Augustinus supra* explicans illud *1. ad Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue: ut & ceteri timorem habeant*, ait: *Aliquando ergo scias corripiendum fratrem inter te & ipsum solum: aliquando corripiendum fratrem coram omnibus.* Nempe quia (ut subdit) *ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa verò corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs.* Aliàs enim (ut præmittit) *Si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor, atque adeò iniquus famæ violator.*

87. *In publicis publica,* Unde è contrà ex mente Apostoli & *Augustini* peccatores publicè publicè arguendi sunt, utpote carentes eatenus famâ, & cum quibus si dissimuletur quoad publicas correptiones, communitas offenditur ac scandalizatur. Quamvis interdum dictet prudentia parcendum esse publicæ peccantis (cujus peccatum non cedit in detrimentum aliorum) confusioni, si constet efficaciùs esse emendandum ex hac remissione, & pacata ac benigna monitione, qui aliàs fortè magis obduraretur; prout frequenter expedit etiam punitionis temperare rigorem, attentâ indole peccantium & aliis circumstantiis.

*Cautela quædam.*

88. *Ordo à Christo pro peccatis occultis præscriptus exigit, ut primò secretè,* Restat nunc declarandus ordo correptionis in Evangelio prælcriptus *Matth. 18.* qui est, ut in peccatis occultis, de quibus solùm ibi agitur, præsertim cedentibus in solius peccantis præjudicium, primò corripiatur peccans inter te & ipsum solum, seu inter quatuor (ut dicitur) oculos. Deinde si non sequatur aut speretur ex monitione hujusmodi fructus, adhibeantur (si spes sit profuturum, & non obfuturum) unus vel duo testes seu amici prudentes. Qui modus est paulò severior, &, si amici supponantur delicti non conscii (prout juxta receptam DD. sententiam supponi possunt, etsi nonnulli oppositum contendant, Christum scilicet agere solùm de adhibendis testibus rei conscius) cum aliquali detrimento famæ, sed postponendo ipsi bono animæ & facilè supplendo existimatione bona ex pœnitentia de peccato concipiendâ. *dein coram testibus fiat monitio.*

89. *Quorsum hi adhibuntur.* Testes porrò seu amici adhibentur, partim ut ipsi conformiter judicent fratrem verè peccasse, si fortè peccatum excusare velit: partim ut Ecclesiæ possit patere protervia correpti, si in malo persistat, & adimpletio officii charitatis ex parte corripientis, si fortè posthabitâ famâ deinceps cogatur dicere Ecclesiæ: partim & præcipuè, ut testes unà hortentur ad resipiscentiam, pluriumque velut arbitrorum, qui rei utiliùs peragendæ causâ adhibentur, respectu & monitis, indeque concepto pudore, efficaciùs convertatur ad cor.

90. *Post hæc denuntiatio facienda Ecclesiæ.* Post hæc restat gravior adhuc corripiendi modus, dicendo scilicet Ecclesiæ, id est, habentibus ejus curam, qui sunt Prælati, præditi clavium potestate. Si autem Pastores Ecclesiæ monentes, adstipulante populo, non audierit, restat (si consulta videbitur) ejectio ex Ecclesia, per excommunicationem scilicet, eò nihilominus fine adhibendam, ut infirmus frater sanetur (est enim pœna medicinalis) aut certè oves alias suo contagio non inficiat.

91. *Christus solùm declarat jus naturæ.* Non tamen fertur novum præceptum juxta communem Doctorum sententiam, sed apertiùs declaratur jus naturæ, quo quisque tenetur prospicere saluti proximi modo minùs famæ & honori nocivo. Qualiter prospicitur per ordinem à Christo præscriptum: si enim absque testibus possit corrigi frater, ad quid hi, delicto eisdem propalato, adhiberentur? & si unus testis sufficeret, ad quid adducerentur duo? si & testibus adductis emendaretur, ad quid denuntiaretur frater Ecclesiæ?

92. *An vel cur Ioseph accusaverit fratres suos monitione prævia.* Nec refert, quòd Joseph *Gen. 37.* accusaverit fratres suos, filios scilicet Balæ & Zelphæ, quibuscum morabatur, apud patrem de crimine pessimo, non præmissa monitione. Nam (ut taceam non constare de non præmissa monitione, quantumvis in Scriptura non exprimatur) Joseph sciens exosum se esse fratribus, prudenter judicabat monitionem suam nil apud eos profuturam; ut notat *Abulensis in c. 18. Matth. q. 97.*

93. *Intentio Christi qui* Itaque quotiescumque prudenter propter fratris aut communitatis bonum, ordo à Do-

*hic spectanda & servanda.*

à Domino præscriptus negligitur, nullum inde contrahitur peccatum: quia in hoc Domini præcepto sicut & in aliis pleriſque, magis attendenda est Domini intentio, quàm verba: intentio autem ejus hoc loco est, studiosè tentandum omnibus modis, ut vel frater peccans resipiscat, vel si id impetrari non potest, alii à contagio ipsius præserventur. Quod si vel pro altero, vel pro utroque horum, aliquid secùs fieri conveniat, quàm à Domino præscriptum est, id ex mente Domini fieri debebit; qui duo nobis conservanda proposuit, conscientiam fratris, & famam: si utrumque cõservari potest, optimè agetur, si non, semper conscientia famæ est præferenda. Ita communiter Doctores.

94. *Quid agendum superiori, dum omissâ monitione secretâ peccatum denuntiatur ei ut patri.*

Notat autem *Marchant To. 2. Tract. 2. Tit. 4. sect. 2. q. 1. append. de Corrept. Fraterna Reg. 1.* quòd dum omissâ secretâ monitione defertur causa à subdito ad superiorem tamquã patrem, hic debeat primò adhibere privatam monitionem, veluti succedens in locum & officium fratris, prout etiam primo loco facere deberet, si ipse Superior scius delictum fratris noviſſet. Quare etiam nequit exinde non convictum juridice condemnare, potest tamen reo invigilare, & perseverantiam in malo juridicè detegere ac punire. An autem possit peccatum priùs deferri superiori, non quidem ut judici, sed ut amico & patri à quo secretò moneatur, quàm testibus seu amicis coram quibus moneatur, variant Doctores, pendetque à variis circumstantiis tum personæ peccantis, tum superioris, ratione quarum potest nunc hoc, nunc illud esse magis consonum charitati, ut proinde non possit statui una regula pro omnibus casibus, sed eligendum sit, quod magis expedire videbitur charitati & bono corripiendi.

*An vel quãdo ad eum deferri possit, loco adhibitionis testium.*

95. *Qui in peccatis perniciosis omittendus ordo præscriptus.*

Præterea in peccatis, quæ vergunt in grave damnum seu perniciem communitatis seu innocentium, debet nocumentum impediri & præveniri, omissâ secretâ monitione, si (uti solet fieri in proditione civitatis, machinatione mortis, hæresi & similibus) per illam nequeat malum ejusque periculum certò & securè averti: bonum enim commune & innocentis ceteris paribus prævalet famæ nocere cupientis. Aliàs si certissimus moraliter essem hæreticum v. g. privatâ monitione emendandum, censet *Wiggers quæst. 33. art. 7.* non habere locum legem denuntiandi illum Inquisitoribus, quasi hæc exceptio exmatura rei & lege charitatis insit, etsi non expressa, veluti rara.

*Vitiosa occultatio charitate palliata redarguitur.*

Unde reprehendit *Marchant sup. post Reg. 4. in Corollario* velatam, immo abominandam charitatem, quâ quis peccata proximi in pernitiem patriæ, vel reipublicæ, scandalum statûs Ecclesiastici vel Religionis vergentia putat posse perfidâ fidelitate taceri, ne peccantes damnum aliquod corporale aut famæ incurrant: certum enim est posse & debere denuntiari potenti impedire, si aliter malum nequeat certò præveniri, ac ne ulteriùs serpat, impediri.

96. *An excuset rationabilis cessio juris ad famam ab ordine correptionis.*

His accedit casus quo quis rationabili ex causa cessit juri ad famam, cujus dominus est, contentus, ut sine prævia monitione fiat denuntiatio Superiori tamquam patri, ad majorem cautelam spiritualem præsertim, & animi humiliationem. Quod quidem potest laudabiliter aliquando fieri. Immo id generaliter fieri à Religiosis Societatis Jesu contendit *Conninck d. 28. dub. 12.* meritò videndus, & reliqui Scriptores Societatis: quamvis post *Lorca* non consentiat *Poncius*, qui contendit *3. dist. 30. in Comment. num. 72. & seq.* talem regulam in Constitutionibus Societatis non extare. Prædicta verò juris cessio, etsi indefinitè seu universaliter facta, juxta *Castro Palao d. 3. p. 9. num. 3.* fieri intelligenda est servato fine præcipuo fraternæ correctionis, qui est correctio & emendatio delicti, quem finem si certum sit per Prælatum non esse obtinendum ita bene ac per inferiorem, vel de illo dubium est (quod juxta ipsum raro cõtingere potest, præsertim in Societate) nequaquam tunc censetur quis cedere juri conservandæ famæ. Ita ille.

# DISPUTATIO DECIMATERTIA.

## *De Vitiis Oppositis Charitati.*

### QUÆSTIO I.

### *De Odio.*

1. *Quid odium, & quotuplex.*

ODIUM est quædam alienatio seu aversio voluntatis ab aliquo, quod apprehenditur ut malum. Solet-que dividi in odium abominationis, & inimicitiæ: etsi non omnes conveniant in modo explicandi; in quo sanè non alia, quàm de nomine, potest esse controversia. Odium itaque abominationis frequenter hoc simili-ve modo explicatur, ut sit aversio ab aliqua re seu persona, tamquam nobis malâ aut contrariâ & molestâ; est oppositum amori concupiscentiæ. Odium inimicitiæ (quod amori benevolentiæ opponitur) explicari solet per desiderium, quo desidera-

mus alteri malum, ut ei malè sit; quemadmodum per oppositum amorem desideramus alteri bene esse. Quod quidem desiderium nasci videtur ex aliquo anteriori affectu cujusdam voluntariæ aversionis ab altero, ex quo fit, ut quis nolit inimico bonum, & consequenter velit ei malum, desiderando, sive ut vel bonum præsens amittat, vel futurum careat; sive ut malum præsens teneat, aut futurum accipiat. Unde ulterius nascitur gaudium de malo aut boni carentia, tristitia de bono aut mali carentia. Quemadmodum è converso amor est quoddam vinculum cum re amata (quod odium disrumpit) & ex affectu quo persona placet nascitur desiderium ei bona volendi, & mala tollendi, gaudium de bonis, tristitia de malis.

2. *Creatura potest odisse Deum odio abominationis.*

Utrumque hoc odium reperiri potest in creatura rationali respectu Dei. Quamvis enim Deus sit in se & operibus suis summè bonus & amabilis, citra ullam rationabilem odibilitatem: perversi tamen interdum aversantur & abominantur eum tamquam sibi malum & contrarium, quatenus videlicet obsistit eorum illicitis voluptatibus & desideriis, ea prohibendo, & pœnas justissimas comminando ac intentando: unde eum tamquam auctorem similiũ effectuum odio abominationis prosequuntur. Accedit quoque interdum odium inimicitiæ, oriundum nõ rarò ex priori, quo in Deum tamquam inimicum exardescunt, eumque veluti persequuntur, dum ei malè esse volunt: immo interdum perimere vellent si possent, dum peccata quæ operantur, ideo faciunt, quia sunt Deo mala & ingrata, dum gaudent de propriis, & alienis peccatis (quæ etiam procurare studeant) quatenus Deo mala sunt, dum denique tristantur de eo, quòd quidquam gloriæ aut honoris Deo accedat. Quod quidem odium non est æquale in omnibus, sed intensius & extensius in uno, quam in altero. Estque maximum in dæmonibus & damnatis. Ut proinde constet satìs, etiam ipsum Deum posse terminare iniquum odium creaturæ; etsi effectus sint occasio, ex qua solet odium in hominibus contra Deum irrationabiliter excitari, cùm nimirum etiam secundùm effectus spectatus justissimus & amabilissimus sit. Quia nihilominus odium est desiderium aliquod positivum, necessariò debet pro motivo habere aliquam rationem boni, saltem apprehensi in hoc ipso, quòd proximo vel rei odio habitæ malè sit.

*Et inimicitia.*

*Effectus Dei sunt occasio accepta ad eliciendum odium ipsius secundùm se.*

3. *Utrumque Dei odium est gravissimum peccatum.*

Utrumque hoc Dei odium est peccatum gravissimum; ut ratio manifesta cuivis satìs obvia ostendit: ideoque Scriptura graviter insectatur eos, qui oderunt Deum. Immo odium inimicitiæ præsertim est ex genere suo gravissimum omniũ peccatorum; etsi in particulari possit peccatum aliquod reperiri gravius, sive quia præter malitiam odii habet aliam distinctam, sive quia est magis voluntarium. Ratio est: tum quia nequit assignari aliud æquè aut magìs grave, seu tam graviter prohibitum quàm odisse eum, qui præ omnibus aliis, cum infinita quidem distantia, est amore dignissimus: tum quia odium directissimè adversatur divinæ bonitati, nec non perfectissimo habitui & actui, scilicet amoris, qui est honestissimus: tum quia expressissimè & maximè directè avertit creaturam à Deo ejusque bonitate; alia autem peccata mortalia sunt, quatenus quodammodo de hac aversione participãt, cùm ratio peccati mortalis consistat in aversione à Deo. Quare nec datur in odio Dei levitas materiæ: sicut etiam peccatum veniale optando ex aversione à Deo, vel ut Deo malè sit, indubiè gravem deordinationem seu mortale peccatum committatur.

*Odium inimicitiæ est omnium gravissimum.*

Odium proximi similiter, aliud est abominationis, aliud inimicitiæ. Istud non est semper mortale, quando videlicet non præsupponit aut adjunctum habet affectum negandi aliquod officium ex gravi obligatione debitum, aut inferendi grave nocumentum. Quare cernitur in quibusdã quædam aversio naturalis & abominatio consortii alieni tamquam illis molesti aut ingrati, absque alio pravo affectu, sed potiùs cum voluntate benefaciendi tẽpore opportuno. Quin immo odiũ abominationis frequenter potest esse licitum & sanctum: cujusmodi erat in Davide *Psal.* 118. dicente: *Iniquos odio habui.* Meritò enim abominamur seu aversamur malè operantes, eorumque mala commercia devitamus. Tunc tamen odium tendit potissimùm in ipsa vitia, seu personam ipsam quatenus vitiis fœdatam. Quo modo etiam *Odio sunt Deo impius & impietas ejus. Sap.* 14. Aut adest motivum aliud rationabile, puta ordinatæ charitatis propriæ aut Dei, ob quod periculosa hujusmodi consortia abominemur.

4. *Odium abominationis erga proximum non est semper grave peccatum.*

*Immo sæpè est bonum.*

At odium inimicitiæ erga proximum est peccatum mortale, nisi imperfecta deliberatio, aut odii sive mali desiderati levitas excuset. Repugnat enim directè charitati proximi, & continetur gravis inordinatio in hoc, quòd quis velit proximo malũ præcisè ut ei malè sit, adeoque quamvis inde non aliud bonum seu commodum resultet. Immo est ex genere suo gravissimum peccatorum quæ contra proximum fiunt, quatenus directissimè & generaliùs voluntatem à proximo avertit (quamvis possint aliqua esse majora ratione nocumenti, puta homicidium & similia) alia enim peccata contra proximum sunt talia, quatenus ab aliqua maligna erga proximum voluntate procedunt, suntque adeò participatum quoddam odium. Quare se habet circa peccata cõtra proximum, uti odium Dei circa alia peccata commissa contra Deum. Et quidẽ sicut amor, sic & odium per se loquendo non habet certos limites, adeò ut dum amor est om-

5. *Odium inimicitiæ erga proximum est ex genere suo mortale.*

*An gravissimum inter respicientia proximum.*

est omnino absolutus, non constringatur ullius boni magnitudine, quod personæ amatæ, cujus bene esse quærimus, non optemus; similiter dum est completum odium, non sit malum tantum, quod non desideremus inimico, quale est odium dæmonum respectu Dei, & etiam nostrûm, quatenus sumus imago Dei & ad beatitudinem creati.

6. *Qui distinguatur ab injustitia interiori.* Distinguitur verò odium ab injustitia interiori, quòd istud ab hac præscindat: qui enim desiderat ex odio alteri mortem, præscindit ab hoc, quòd foret justè vel injustè à se vel ab alio inferenda. Quando tamen desiderium tenderet in mortem à se injustè utique inferendam, præter malitiam odii inesset malitia injustitiæ. Unde in effectibus odii externis, seu malis quæ ex odio inferuntur à nobis proximo, frequenter concurrit alia malitia, præsertim injustitiæ. *Quæ sæpè odio adjungitur.*

7. *An sint odia ejusdem speciei, etsi diversi generis mala proximo desiderentur.* Porrò juxta sententiam *Cajetani, Valentia, Bonacina* & aliorum, & probabile censet *Diana P. 1. Tract. 7. de Circumstantiis Resol. 3.* sunt odia ejusdem speciei, considerata quatenus formaliter odia sunt, etsi diversissima mala proximo desiderentur, idque ob eamdem rationem formalem, quæ est malum proximi ut tale. Ut proinde non sit opus in confessione exprimere, an odium versetur circa divitias, famam vel bona corporis; sed sufficiat dicere, se toties odisse proximum. Nihilominus *Suarez d. 6. sect. 2. n. 2. & 3. Sylvius q. 34. art. 6. quæsito 2.* & alii rectiùs contrarium tenent: nam afficere proximum injuriâ in vita, fama vel fortuna, sunt peccata contra justitiam specie distincta, propter moralem materiæ diversitatem; adeoque similiter sunt peccata odii specie distincta. Quare quod ad mores spectat, non dubitat *Suarez sup. n. 3.* quin talis diversitas sit aperienda in confessione. Alia enim morali judico apparet deordinatio, si desideretur proximo damnatio, alia si mors corporalis, alia si paupertas, alia si infamia. Clarius est, & apud Doctores admissum, si sit sermo de odio Dei & proximi, non sufficienter exprimi in confessione, nisi distinctè specificetur utrumque odium, veluti specie morali maximè distinctum, & diversimodè charitati Theologicæ oppositum.

8. *Malum proximi interdum licitè desideratur ex bono fine.* Advertendum autem licitè interdum desiderari proximo malum, ex alio motivo quàm odii. Nam possumus licitè, immo ex charitate desiderare infirmitatem & afflictionem peccatori, ut per hoc resipiscat; possumus desiderare mortem aut infortunia hostibus Ecclesiæ, hominibus scandalosis &c, ut nocere desinant; punitionem seu vindictam justam peccatoribus perversis, ex amore justitiæ & ad exemplum aliorum &c. Sic etiam ipse Deus vult peccatoribus in peccato morientibus pœnam æternam.

9. *An Deus erga peccatores habeat odium inimicitiæ.* Quiâ verò Deus vult peccatoribus pœnam quà talem, adeoque quà malum & doloriferum est ipsis, censent nonnulli, inter quos *Arriaga d. 37. sect. 3. subsect. 2.* ipsum habere odium inimicitiæ propriè dictum adversus peccatores. Quod quidem ad meram de nomine quæstionem spectat. Et saltem constat aliquo sensu peccatores esse inimicos Dei, & (ut *Tridentinum sess. 6. c. 7.* docet) per justificationem ex inimicis fieri amicos, atque Deum peccatores tamquam inimicos quodam sensu, scilicet jam præmisso, odio inimicitiæ prosequi. Alii nihilominus contendunt, non esse odium strictè dictum, eò quòd pœna referatur ad reparandum ordinem læsum per culpam, ut sic culpa ordinetur per pœnam, adeoque respiciat motivum divinæ justitiæ: quale non videtur odium, quod homo adversus proximum habet, ei cupiens malum quà tale, citra aliud motivum justitiæ, aut simile. Propter quod judex zelo justitiæ reum, præsertim aliàs dilectum, puniens non solet dici habere adversus ipsum odium inimicitiæ. Quod etiam solet distingui ab ira, quæ est appetitus vindictæ, & quidem licitus per se loquendo, si hæc justa ac moderata sit. Odium autem inimicitiæ censetur communiter esse intrinsecè malum. Sed est (ut dixi) quæstio de voce.

10. *Quæ origo odii.* Oritur odium aliquando ex concupiscentia, aliquando etiam ex ira, quâ initio appetimus malum proximi prout habet rationem vindictæ & compensationis delicti, sed postmodum dilabimur eò, ut malum proximi desideremus absolutè: aliquando & juxta *D. Thomam quæst. 34. art. 6.* ordinariè ex invidia de bono proximi. Supponitque ordinariè aliquam injuriam vel offensam verè vel apparenter illatam ab eo, qui odio habetur. Porrò DD. non *An sit vitium capitale.* recensent odium inter vitia capitalia, sic dicta, quòd ex iis tamquam fontibus nascantur ut plurimùm alia peccata; quæ proinde sunt quædam velut initia destruendæ virtutis) odium namque est potiùs extremum malum ex aliis ortum: quamquam eo jam generato, multa mala seu peccata ex ipso causentur.

## QUÆSTIO II.

### *De Acedia.*

11. *Vox Acediæ quid importet.* ACEDIA vocabulum origine græcum est, significans incuriam, seu torporem vel tædium, quod sic aggravat animum hominis, ut nil agere libeat. Quomodo latinus Interpres ipium reddidit *Psal. 118. Dormitavit anima mea præ tædio.* Quin & græcâ voce tamquam latinâ subinde usus est, ut *Eccli. 4. Libera eum, qui injuriam patitur: & non acidè* id est, tædiosè,

diosè, *feras in anima tua*. Et quidem interdum consideratur tamquam motus seu passio merè naturalis corpori ex complexione malè affecta originem ducens, quæ potest dici torpor & hebetudo quædam virium naturalium sub onere languentium; otiturque ex nimio æstu, sumptione cibi, vel humore aliquo prægravante. Neque est per se ullum peccatum; quin potiùs viriliter superanda, occasio est majoris meriti. Secundò potest considerari in sensualitate fuga quædam & displicentia appetitûs sensitivi de laboribus & difficultatibus. Et hæc quoque per se peccatum non est, esto sit peccati incentivum, & per rationem comprimenda; utì ceteri motus sensualitatis. Tertiò itaque consideratur in voluntate quædam nolitio seu displicentia, indeque consequens tristitia de bono spirituali, quatenus laboriosum & difficile est. Estque hæc acedia generalis, quæ nimirum non est speciale peccatum, sed per omnia vitia vagatur, diversisque virtutibus repugnat ratione materiæ, de qua quis particulariter dolet. Vitium namque quodlibet oppositum cuivis virtuti natum est generare tristitiam, quæ aggravet hominem in exercitio oppositæ virtutis.

*Interdum sumitur pro passione merè naturali corporis.*

*Interdum pro tristitia appetitûs sensitivi.*

*Acedia generalis quid importet.*

12. *Quale peccatum sit.*

Acedia porrò, quæ versatur hoc modo circa observantiam alicujus præcepti aut exercitium virtutis, non est juxta *Marchant To. 2. Tract. 2. Tit. 4. sect. 1. q. 3. in append. §. 2. de Acedia* peccatum, nisi ex ea sequatur transgressio præcepti, vel obligationis ad virtutem (supple, nec sit morale periculum transgressionis) estque mensurandum ex ratione transgressionis, immo est idem cum ipsa transgressione præcepti, adeoque dum ex apprehensione & tædio laboris quis resolvit v. g. non jejunare die præcepto, sola transgressio jejunii est confitenda. Si autem apprehendens difficultatem contristetur quidem propterea de jejunio, nihilominus præceptum adimpleat, etsi cum aliqua reluctantia seu displicentia non peccat juxta *Marchant* peccato Acediæ. Alii nihilominus in tristitia, quæ non de sola difficultate, sed ob illam de ipso opere obligatorio est, culpam proportionatam obligationi, utì in morosa de malo delectatione, agnoscere videntur. Si autem sit affectus conditionatus, attendenda est conditionis qualitas, & juxta eam est judicandum, an sit malus, vel qualiter, an verò bonus seu non malus.

13. *An licitum sit aliquem pœnitere assumpti sacerdotii aut monachatus.*

Unde seclusâ periculo transgressionis votorum aut obligationum religiosarum, non peccare, saltem graviter, quem tædet seu pœnitet assumpti statûs religiosi (idem est cum proportione de statu sacerdotali) sicut enim non tenebatur quis statum istum assumere, sic nec tenetur de assumpto lætari. Quamvis hujusmodi affectus non soleant cadere in bonos Religiosos, sintque ingrati animi argumentum, nec parum periculosi, atque adeò omnino dissuadendi.

Acedia, prout est vitium speciale contra charitatem, opponitur gaudio de bono divino ejusque amicitiæ (quod profluit à charitate) estque tristitia de hujusmodi bono divino, scilicet amicitiâ & statu filii adoptivi, ob tædium laborum & difficultatum. Quæ quidem communi Doctorum sententiâ est grave admodum peccatum, nisi excuset indeliberatio: eò quòd graviter repugnet rationi ob tantillas difficultates habere displicentiam & tædium de tantis bonis; non sine gravi injuria Dei & vili pensione divinæ amicitiæ. Hâc ratione acedios displicet, quòd sint ita à Deo creati, ut per exercitia laboriosa virtutum debeant pervenire ad beatitudinem, aliàs damnandi. Unde interdum vellent se non esse creatos, præsertim ad talem finem, neque esse cælum aut infernum, aut se esse animal irrationale, ut liberi à præceptis possent sine timore suis cupiditatibus aut otio indulgere. Quòd si solum sit quidam animi tepor, seu languor animi remissi respectu boni divini, importans meram negligentiam & quamdam diminutionem fervoris charitatis, constat non esse nisi veniale peccatum; veluti non repugnans charitati, sed cuidam ejus modo, scilicet fervori.

14. *Acedia specialis quid, & quale peccatum.*

Ex hujusmodi porrò tædiis & displicentiis in exercitio virtutum varia proficiscuntur vitia, ut propterea acedia vitium capitale vocetur à *S. Gregorio* & aliis. Nascitur enim ex tristitia quædam amaritudo & acedo, quâ exercitia spiritualia desipere solent: Rancor contra instigantes ad bona, & aversio à verbo divino ad bonum exhortatorio: pusillanimitas, torpor circa observantiam præceptorum Dei & Ecclesiæ, Evagatio mentis etiam circa illicita, otiositas, somnolentia, curiositas, inquietudo, tandem malitia quædam, quâ mens in omnem iniquitatem, divinis rebus contemptis, se præcipitat; inde desperatio de salute, tantaque vitæ displicentia, ut etiam tales frequenter violentas sibi manus injiciant. Vide *Gregorium, 31. Moral. c. 27. aliàs* 31.

15. *Qui Acedia sit capitale peccatum.*

Notandum autem ex *D. Thoma qu. 35. art. 1 ad* 4. vitium acediæ debere vinci resistendo, peccata carnis verò fugiendo: hæc enim sunt talia, ut assidua hujusmodi materiæ cogitatio præbeat incentivum peccati & concupiscentiæ: at quo quis magis seriò considerat bonum spirituale & divinum, eò magis accenditur mens ad amorem illius & excussionem torporis, qui nascitur ex eo, quòd acediosus non satis recogitet corde.

16. *Qualiter vincatur.*

QUÆST.

## QUÆSTIO III.

### *De Invidia.*

17. *Quid invidia.*

INVIDIA juxta Nonnullos sic dicta est, quòd invidens illiberiter alterum videat; juxta alios, quòd nimis videat alterius prosperitatem, ita ut inde tristetur. Describi solet ægritudo quædam animi seu tristitia vel displicentia de bono alterius, quatenus æstimatur diminutivum gloriæ & excellentiæ propriæ. Non omnis itaque tristitia de bono alterius est invidia: potest enim aliquis optare alteri malum, quia ei malum est, & tristari de ejus bono, quatenus ejus bonũ est, qui sunt formalissimi actus odii: quia ejusdem vitii est, velle alicui malũ, & nolle bonum. Secundò possum tristari de alterius bono, quatenus inde mihi sequi potest efficienter aliquod damnum, v.g. quia opprimet me, si fiat potens; & hic est actus timoris, potestque esse honestus; uti fit, dum tristamur de Hæreticorum felicitate.

*Qui distinguatur à variis tristitiis.*

18. *Signanter ab æmulatione.*

Tertiò possum tristari de bono alterius, non quia ipse illud habet, sed quia ego illo careo. Hæc tristitia non desumitur ex alieno bono, nisi occasionaliter, formaliter autem ex malo proprio: & quidem si sit de carentia virtutis, est honesta, & stimulus ad virtutem, vocaturque zelus & sancta æmulatio commendata ab Apostolo 1. *Cor.* 12. & 14. Similis æmulatio etiam in aliis bonis locum habet, estque sæpè peccatum ratione inordinationis, sed rarò mortale, & interdum nullum. Sic pauper videns aliorum affluentiam, si sit æmulus, non debet nè dolendo, quòd ipse quoque bonis ad sustentationem suam & familiæ opportunis careat, non autem quòd alii ista habeant, non peccat.

19. *Item ab indignatione seu Nemesi.*

Quartò potest quis tristari de bono alterius, quatenus ipse est eo indignus; & tunc dicitur Nemesis & indignatio, quæ per se nullum est peccatum. Sic indignamur apertè videntes officia & dignitates conferri indignis. Indignari autem de prosperitate temporali aliorum præcisè quia mali sunt, & hoc titulo indigni, apparet inordinatum juxta *D. Thomam quæst.* 36. *art.* 2. & ejus Interpretes (à quibus dissentit *Lorca ibidem* conatus interpretari *D. Thomam*) cùm bona hæc infima, quæ vix nomen bonorum merentur, rationabiliter à divina providentia tribuantur etiam peccatoribus, absque hoc, quòd subsit ulla ratio veri mali; adeoque non subsit ratio dolendi ex hoc præcisè, quòd justè ea citra aliorum nocumentum possidentes sint mali. Secùs foret, si abuterentur ad malos fines, & ob hanc aut ob similem causam rationabilem tristitiam conciperemus. Rarò tamen hujusmodi animi motus, etsi quodammodo sint contra charitatem, sunt peccata mortalia juxta *Wiggers quæst.* 36. *num.* 8. nisi ita increscerent, ut homo insurgat contra divinam providentiam, eamve arguat, aut inde abducatur ad deserendum studium virtutum. Gravius autem peccatum est, si quis indignetur, eò quòd cernat auxilia spiritualia gratiæ conferri peccatori indigno; de quo sanè potiùs lætandum esset, & gratiæ Deo à nobis agendæ.

Quintò itaque possum dolere de bono alterius, quatenus per illud formalissimè, nullo alio malo inde secuto, minuitur in me gloria & excellentia aliqua, quam habebam, v.g. quòd essem unicus in eo puncto. Si enim aliquis insignis concionator sit unicus in suo officio, summè æstimatur: si accedant alii æquales, eo ipso minùs æstimatur, & hæc tristitia sive dolor apud Theologos dicitur invidia. Ad quam etiam spectat gaudium de malo proximi, quando judico meum inde aliquo modo minuendum: ut cùm damnatus ad mortem gaudet aliquem secum damnatum.

20. *Propria ratio invidiæ in quo consistat.*

Latitudinem invidiæ declarat *Augustinus l.* 11. *de Gen. ad Litt. c.* 14. dicens: *Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet quòd ei coæquantur: vel inferioribus ne sibi coæquentur: vel superioribus, quòd eis non coæquetur.* Maximè autem versari solet inter aliquo modo similes & ejusdem conditionis; adeoque inter se, opinione saltem invidi, comparabiles: dum videlicet inferior æquatur, aut æqualis extollitur: non enim solet rusticus invidere regi, quasi hujus bonum offuscet seu diminuat bonum & excellentiam rustici; cùm ob nimiam disparitatem non soleat hujusmodi diminutio apprehendi, aut unum ad alterum comparari. Quamvis possit stulta superbia invidi sic ascendere, ut etiam cuivis se superiori invideat.

21. *Ordinariè inter quos dammodo pares versatur.*

Si autem quæratur quale peccatum sit invidia? Respondet *Lorca q.* 36. *art.* 3. *in Comment.* non videri ex ratione sua formali esse gravius inani gloriâ, quamvis ex effectibus & vehementia affectûs, quo quis procederet ad removendum bonum proximi injustè, esset mortale. Quemadmodum etiam avaritia, quæ est inordinatus amor divitiarum, non est mortalis, nisi adeò procedat, ut præferat amorem divitiarum charitati Dei, vel proximi, aut debito justitiæ. Nihilominus *D. Thomas* & alii Doctores communiter existimant esse ex genere suo peccatum mortale: tum quia inter opera carnis à regno Dei excludentia recensetur invidia, *ad Gal.* 5. tum quia repugnat charitati (quæ gaudet de bono proximi, uti de suo) tristari de bono proximi, seu illud nolle, ob solam vanæ gloriæ umbram citra ullam rationabilem causam. Sæpè nihilominus est peccatum veniale ob imperfectionẽ actûs sive deliberationis: tum etiam ob levitatem materiæ, prout contingit in pueris, & infimæ sortis homi-

22. *Quale sit peccatum. Opinio Lorca.*

*Communis opinio.*

hominibus modicum lucrum seu bonum invicem invidentibus. Et quoniam affectus invidiæ consistit in tristitia displicentia ex motivo præmisso conceptâ, non sufficit juxta *Arriaga d.47. n. 28.* ut sit mortaliter malus, ea materia, quæ in voluntate efficaci sufficit ad peccatum mortale, v. g. etsi furari unum florenum esset mortale, non ideo erit mortale alteri unum florenum invidere, etiam deliberatè.

23. *Æmulationes & invidiæ mercatorum discutiuntur.*

Sæpe etiam transit in æmulationem; & tunc non est per se peccatum. Sicut solent mercatores invidere, quòd vicinorum officinæ frequententur suis neglectis; non tam dolentes de alieno lucro (quod eis bene cupiunt) quàm quòd ipsi eo careant. Possent enim licitis modis emptores ad suam officinam invitare, & optare, ut eam frequentent, adeoque dolere de carentia lucri, præsertim si indigeant. Periculosum tamen id est: partim quia facilè detractionibus aliisve malis artibus utuntur ad emptores ab aliis divertendos; partim quia interdum dolent ac invident absolutè, sic ut quamvis non ideo magis frequentaretur officina ipsorum, mallent non frequentari officinam vicinorum, ut scilicet hâc ratione habeant socios calamitatis.

24. *Quid fraternæ charitatis invidentia.*

Supremum autem invidiæ peccatum est invidia fraternæ charitatis juxta *Marchant To. 2. Tract. 6. Tit. 2. quæst. 1. Adnotat. 2.* consistens in hoc, quòd dona sancti Spiritûs, fidei scilicet spei & charitatis doleamus proximo inesse: sive quòd apprehendamus inde minui æstimationem nostram: sive quòd diabolicâ malitiâ optemus nobis solis inesse. Inter hujusmodi peccata recensetur, quòd quis persequatur alium justum, eò quòd reputetur melior, aut magnifiat ob virtutum excellentiam, vel quòd vita illius videatur actiones nostras condemnare.

25. *An Invidia sit peccatū capitale, & quæ vitia generet.*

Invidia (quæ juxta *Augustinum sup.* est filia vanæ gloriæ seu superbiæ) est ipsa quoque mater plurium vitiorum, ideoque inter capitalia peccata recensetur à *Gregorio 31. Moral. c. 17. alias 31. D. Thoma*, & reliquis Theologis: generat enim odium, susurrationem, detractionem, exultationem in adversis proximi, & afflictionem in ejus prosperis, non quatenus præcisè minuunt propriam gloriam, sic enim sunt ipsamet invidia, sed quatenus eveniunt contra conatum invidi. Denique invidia etiam generat homicidium: prout invidia Cain occasio fuit fratricidii; similiter invidia filiorum Israel adversus Joseph tanta fuit, ut eum ad necem quærerent. Prout etiam Christum Judæi ex invidia tradiderunt Præsidi Gentili.

## QUÆSTIO IV.

### *De Discordia, Contentione & Schismate.*

26. *Quid discordia & quàm varia.*

QUEMADMODUM concordia est consensus animorum & voluntatum; sic discordia est discrepantia seu dissensio animorum seu voluntatum. Quæ quia ex diversis principiis vel causis oriri potest, aliquando potest esse justa, & actus virtutis, aliquando injusta & peccatum. Justa est discordia, quâ quis ab altero dissentit in hæresi, aut errore contra bonos mores. Item quâ non consentit alteri in voluntate malè faciendi. E contrà discordia alicujus, qui ex protervia dissentit ab eo, qui sanam doctrinam fidei & morum tradit, & qui per mandatorum observantiam Dei & proximi bonum promovere conatur, est iniqua & peccatum. Potest etiam dari discordia indifferens, ut si quis discordet ab alio, qui secum vult ire ambulatum. Fieri præterea potest, concordiam in bono per accidens tolli, ut quando duo syncerè intendunt honorem Dei vel bonum proximi, unus per actum, alter per ejus omissionem; unus quòd putet actum ad hoc esse utiliorem, alter ejus omissionem: & in his est consensio voluntatum circa finem, & dissensio opinionum circa media.

27. *Opponitur variis virtutibus.*

Discordia irrationabilis & peccaminosa interdum est contraria charitati, interdum aliis virtutibus, à quibus oritur obligatio consentiendi alterius voluntati. Sic tenetur subditus ex obedientia consentire voluntati superioris: unde si discordet, peccat contra obedientiam. Similiter tenetur debitor consentire voluntati creditoris, & certo tempore ei satisfacere; quod si non faciat, illa discordia est peccatum contra justitiam.

28. *Quando opponatur charitati.*

Hìc verò de illa sermo est, quæ opponitur concordiæ, quam facit charitas, quæ multorum corda conjungit in aliquod unum verè bonum, & consequenter quatenus opponitur charitati, est que dissensio voluntatum circa bonum, in quod ex charitate obligamur consentire. Est autem hoc peccatum grave ex genere suo, tum quia opponitur charitati: tum quia *ad Galat. 5.* inter mortalia opera carnis recensentur dissensiones: tum quia inter eos, quos odit singulariter Deus, statuit Scriptura *eum qui seminat inter fratres discordias Prov. 6.* Lædit hoc vitium pacem ex charitate servandam inter communiter in eadem familia aut communitate viventes, aut inter eos qui sunt in eodem collegio Consiliarii, Rectores &c. multumque impedit profectum & bonum com-

commune. Estque prudenter judicandum de gravitate mali ex charitatis obligatione vitandi, attentis circumstantiis.

29. *Contentio quid, quotuplex, an, quando & qualiter peccaminosa.*

Contentio generaliter sumpta significat quemvis vehementem conatum, communiter tamen significat concertationem, sive verbis, sive pugnis vel armis fiat. Hîc autem sumitur pro concertatione sive disputatione verbali, præsertim vehementiori. Hæc potest ex varia intentione fieri. Primò pro defensione veritatis. Secundò exercitii gratiâ: & hæc utraque est laudabilis, nisi per accidens per immodestiam vitietur. Tertiò assumi potest, ut veritas seriò oppugnetur; quæ si spectet ad fidem vel bonos mores, contentio illa est mortalis: aliàs non solet esse mortalis, sed peccatum veniale contra veracitatem, ut si impugnetur veritas aliqua Philosophica. Quartò ut alter irritetur, & publicè confundatur, ejusque auctoritas evertatur: & tunc est contra charitatem, nisi confundendus suâ auctoritate alios in errore retineat. Et generatim quando animorum discordia repugnat charitati, eidem repugnat correspondens contentio, velut actus quidam exterior discordiæ internæ. Quare Contentiones recensentur inter opera carnis *ad Gal. 5.*

30. *Quid schisma.*

Schisma vocabulum origine græcum, significans generatim scissionem seu divisionem, ex usu Ecclesiæ significat divisionem, quâ quis se voluntariè dividit seu separat ab unitate Ecclesiæ, servatâ Christiani nominis professione. Unde scindit unitatem Ecclesiæ schismaticus, quatenus se aliosve ab ea dividit, de reliquo tamen ipsâ universali Ecclesiâ in suâ unitate quoad membra, quæ continet, semper remanente.

31. *Potest esse sine hæresi, non contrà.*

Quia verò unitas Ecclesiæ exigit partim unitatem fidei, partim communionem membrorum in eodem externo cultu ac Sacramentis, & præsertim subordinationem ad idem supremum caput: ideo fieri potest schisma dividendo se ab unitate fidei, potest quoque fieri fide retentâ. Unde omnis hæresis habet conjunctum schisma, non contrà, ut rectè *Hieronymus in c. 3. ad Tit. Augustinus l. de fide & Symbolo c.* 10. qui enim retentâ fide recederet ex malitia plane ab obedientia Pontificis canonicè electi, & tamquam talis ab Ecclesia agniti, nec communicare vellet membris ei subditis, esset schismaticus, non hæreticus.

32. *Schisma inveteratum solet degenerare in hæresim.*

Quamvis schisma inveteratum soleat degenerare in hæresim, ut rectè notavit *Hieronymus sup.* dicens: *Nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Prout inductione posset ostendi.

*Donatistæ primi Schismatici.*

Signanter autem de *Donatistis* notavit *Augustinus Hæresi* 69. quòd postquam schisma tentantes, conatique intrudere in Cathedram Carthaginensem Majorinum loco Cæciliani (cui objiciebant crimina non probata) causâ coram Melchiade Papâ cecidissent, *pertinaci dissensione firmatâ schisma in hæresim verterunt*, contendentes Ecclesiam universalem periisse extra partem Donati, quasi pollutam contagione criminum Cæciliani eique adhærentium. Postea quoque lapsi sunt cum *Novatianis* in anabaptismum Catholicorum. De quo etiam videri potest *Baronius ad annum* 321. asserens primò ex Traditoribus Schismaticos, postea in deterius prolabentes hæreticos evasisse. Ut proinde ignorem quo fundamento dixerit *Arriaga d. 47. sect. 4. n. 36.* Donatistas virtualiter incepisse per hæresim (de qua tamen non notantur ab *Augustino* aut *Baronio*) negantem licere lapsos pœnitentes ad Ecclesiam recipere.

*matici, quàm hæretici.*

*Quidquid oppositum insinuet Arriaga.*

Similiter schisma Orientalis Ecclesiæ in varias hæreses degeneravit: ut proinde etsi Græci vulgò Schismatici appellentur, verè tamen non minus quàm alii hæretici nomine hæreticorum insigniri mereantur.

*Schismatici Græci sunt veri hæretici.*

33. *Schisma interdum condistinguitur contra hæresim.*

Frequenter autem solet schisma condistingui contra hæresim, prout etiam *Augustinus sup. Hieronymus sup. & in c. 1. Amos* & alii Patres distinguere solent inter Hæreticos & Schismaticos: & tunc in definitione Schismatis ponenda esset hæc similisve particula. *Retentâ ejusdem fidei Catholicæ professione.*

34. *Varii Schismatis modi declarantur.*

Potest porrò Schisma fieri per hoc, quod una pars se separet à sola unitate membrorum seu ab aliis Ecclesiæ membris, & non expressè à capite. Qui tamen modus rarus est in Ecclesia. Potest etiam per hoc, quòd se separet à capite, & non à membris. Potest denique, se separando ab utrisque. Perinde autem est, sive separatio verbis, sive factis, sive explicitè, sive implicitè fiat, ostendendo se nolle Ecclesiam, vel Pontificem qua talem recognoscere. Quare schismaticus est, qui formaliter non vult Pontificem recognoscere ut superiorem, sive tamquam tali obedire: qui eligit aut eligere tentat Pseudo-Papam, sive adhæret, ejusque sequacibus, segregans se ab iis qui Pontificem agnoscunt, & ab ejus obedientia alios abducens: qui Synodum generalem sine auctoritate Papæ congregare, aut legitimè dissolutam restaurare, leges universales Ecclesiæ præscribere, & similia facere præsumit.

35. *Varii à Schismate excusantur.*

Non est tamen propriè Schismaticus hoc ipso quo quis excommunicatur: non enim ipse se segregat à cœtu fidelium & obedientia Pontificis, sed ob aliquam culpam invitus ab Ecclesia ejicitur. Idem est de eo qui recedit ab obedientia particularis

cularis Prælati, etiam Episcopi aut Cleri, si cum aliis Ecclesiis & Pontifice communicet: utpote non sparans se ab unitate universalis Ecclesiæ. Est tamen ibi schisma imperfectum & inchoatum, quod perficitur & completur, quando quis propterea non vult communicare cum iis, qui communicant cum tali Episcopo, prout supponuntur communicare ceteri fideles, ipsumque fidelium caput. Similiter non est schismaticus, qui non vult ex malitia, ira, infirmitate aut simili ratione præceptis, præsertim aliquibus (quid ni etiam omnibus? quamquam id non sit natum fieri in eo, qui sincerè Papam recognoscit) Pontificis non obedire, ceteroqui eum tamquam caput recognoscens: uti neque, si conetur excutere jugum Pontificis tamquam Domini temporalis loci, aut si refugiat subire judicium Pontificis prætexendo partialitatem ejusdem. Idem denique est, si recedat ab obedientia Pontificis propterea, quòd probabiliter putet non esse Papam: cùm sanè etiam Ecclesiæ constare debeat legitima electio Pontificis, antequam teneatur eum pro tali agnoscere.

36. *An Papa possit fieri Schismaticus.*

Dubitatur verò ab aliquibus, an Papa possit esse schismaticus? Respondetur autem passim Affirmativè, quantum est ex natura Schismatis. Colligi potest, partim ex eo, quòd juxta receptam doctrinam possit fieri hæreticus; hoc autem non fiat sine schismate: partim quòd possit se velle separare à communione ceterorum Episcoporum & fidelium, ipso corpore Ecclesiæ in sua unitate permanente; quemadmodum ipsum in ea permanet Sede vacante: partim quòd possit nolle manere Pontifex, & tamen non velit subesse noviter eligendo, sed conferat se ad privata Hæreticorum aut Schismaticorum concepticula. Immo *Sylvius q. 39. art. 3. Coninck* & alii asserunt Pontificem excidere per Schisma, uti per hæresim à Pontificatu. Et favet *Cyprianus Epist. 52.* de Novatiano Pseudo-Episcopo Romano dicens: *Episcopatum tenere non posset, etiamsi Episcopus prius factus, à cœpiscoporum suorum corpore & Ecclesiæ unitate desciscaret.* Deus tamen avertet (uti confidimus) nequando legitimus Pontifex Schisma faciat; quin potiùs ipse est, qui hactenus ab aliis attentata compressit.

37. *Quale peccatum sit Schisma.*

Est porrò Schisma peccatum gravissimum charitati contrarium; adeò ut nunquam leve esse possit (seclusâ imperfectâ deliberatione) se ab universali Ecclesia sejungere, ejusque caput non recognoscere: sicut non datur levis fornicatio, homicidium, & similia peccata completa. Estque contrarium charitati, juxta sanctos Patres & Doctores, idque specialiter, quia dissolvit & lacerat unitatem Ecclesiæ, quam charitas facit ac præcipit. Quam quidem unitatem servandi tam arcta est obligatio, ut *Dionysius Alexandrinus* apud *Eusebium Hist. Eccles. l. 6. c. 35.* verè dixerit: *Oportuerit quidem etiam pati omnia, pro eo ne scinderetur Ecclesia Dei.* Præter peccatum contra charitatem potest adesse peccatum contemptûs potestatis Papalis, aut hæresis, si sit Schisma hæreticum, aliave circumstantia specialis.

38. *Prima Schismaticorum pœna, privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ.*

Pœnæ Schismaticorum sunt variæ. Prima (quæ desumitur ex *Cypriano* relato c. *Didicimus* 24. *q.* 1.) est privatio omnis jurisdictionis spiritualis, v. g. absolvendi, dispensandi, dandi indulgentias &c. Potestas tamen Ordinis (quæ jure divino adhæret characteri indelebili) manet, etsi impedita quoad licitum. Non sufficit autem juxta Variorum sententiam, ob majus bonum fidelium, delictum, etiam manifestum, ante sententiam Ecclesiæ, seu denuntiationem nominatim faciendam, saltem post *Concilium Constantiense* Extrav. *Ad evitanda*, saltem nisi ultrò ipsi manifesteque recedant ab eo officio, quod habebant, ad Hæreticorum aut Schismaticorum conventicula transeuntes. Quod addit *Sylvius sup.* eò quòd cùm Ecclesias suas deserunt, palamque ad Schismaticorum castra deficiunt, non videatur opus ullâ in ipsos sententiâ: Concilium enim loquitur de illis, qui & inter Catholicos versantur, & in officiis suis permanent. Ita ille.

*An ad hæc requiratur denuntiatio aut sententia.*

39. *Secunda. Excommunicatio.*

Secunda pœna est excommunicatio latæ sententiæ in Bulla Cœnæ. Etsi câ seclusâ fuerit satis controversum, an Schismaticis esset jure imposita excommunicatio plusquam ferendæ sententiæ; vide re est apud *Azorium* 1. *P. l.* 8. *c.* 20. *quæst.* 6.

40. *Tertia, inhabilitas ad beneficia.*

Tertia, inhabilitas ad beneficia obtinenda c. *Quia diligentia, de electione.* Quod etiam juxta sententiam *Bonacina, Sanchez* & aliorum passim (etsi varii contradicant) locum habet in Schismaticis per pœnitentiam emendatis, nisi accedat dispensatio Papæ, vel (dum delictum occultum est) Episcopi. Denique ordinati à Schismaticis suspenduntur ab usu ordinum per illos collatorum *c.* 1. *de Schismaticis*, ubi tales ordines irritantur, quatenus obstaculum ponitur licito usui. Privandus quoque est beneficio vel dignitate Ecclesiasticâ, qui illud à Schismaticis accepit *c.* 1. *de Schismaticis.* An autem hæc procedant, suppositâ denuntiatione, colligi potest ex statim dictis.

*Et suspenso ab usu ordinum per Schismaticos collatorum.*

QUÆST.

## QUÆSTIO V.

## De Bello.

### §. I.

### Quid, Quotuplex sit Bellum, & an licitum?

41. *Quid Bellum.*

BELLUM (sic dictum per antiphrasim, quasi minimè bellum, aut per se pulchrum: seu à belluis, quatenus belluarum more se mutuo laniatu homines interimunt) est discordia hostium vi & armis invicem nocentium, seu nocere profitentium. Et in actu velut secundo est ipse armorum conflictus. Differt à Seditione & Rixa, quòd bellum sit inter duos Principes supremos vel respublicas: Seditio sit inter subditos & Principem, vel inter cives & rempublicam: Rixa verò sit inter privatos & paucos.

*Qui distinguatur à Seditione & Rixa.*

*Aliud offensivum, aliud defensivum.*

Bellum, aliud offensivum (quod etiam aggressivum, & vindicativum appellatur) quod suscipitur pro satisfactione & vindicta injuriæ illatæ: Aliud defensivum, quo quis se tuetur contra aggressorem.

42. *Illicitum esse bellum, qui & quomodo dixerint.*

Bellum porrò semper esse illicitum dixerunt *Manichæi* apud *Augustinum l. 22. contra Faustum cap. 74. Erasmus* quoque, tum alibi, tum in *Annot. ad c. 3. & 22. Lucæ* censet esse illicitum in lege gratiæ, etsi Judæis à Deo permissum. Cui consentiunt *Anabaptistæ. Lutherus* denique inter alia paradoxa asseruit illicitum esse bellum, non quidem universim, sed Christianorum contra Turcas, ut patet ex *Artic.* 34. damnato in Bulla *Leonis X.* Etsi more solito sibi non constans *lib. de Visitatione Saxoniæ* planè contrarium scribat.

43. *Licitum aliquando esse fides docet.*

Verùm ex natura rei licitum esse bellum, modò debitis conditionibus (& quibus postea) vestiatur, nec solùm Judæis, sed etiam Christianis esse concessum, est fide. Nam ante legem scriptam Abraham bellum gessit, & partâ victoriâ benedictionem à Melchisedech accepit *Gen.* 14.

*Patet ex lege naturæ,*

*Ex Scripta.*

In lege scripta Deus varia bella etiam præcepit, contra Madianitas *Numer.* 25. Contra Amalecitas *Exodi* 17. & 1. *Reg.* 15. Contra alias Gentes *Numer.* 21. *Deuteron.* 3. & aliis locis Librorum Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon. Quin & ipse Apostolus *ad Hebr.* 11. laudat Gedeonem, Barac, Sampsonem & alios, qui per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.

44. *Ex monito Joannis Baptistæ.*

In Euangelio *Lucæ* 3. Joannes Baptista instante jam prædicatione Christi, & viam ad illam parans, dum rogaretur à militibus, quid facerent, ut fugere possent à ventura ira, dixit illis: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris. Nam* certè *si Christiana disciplina* (ut utar verbis *Augustini Epist.* 5.) *omnia bella culparet; hoc potiùs militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, sed, omnino militia subtraherent.* Et post: *Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Similia repetit *Epist.* 205. Vide etiam *lib.* 22. *contra Faustum c.* 74. Ex eodem etiam loco arguit *Bernardus Serm. ad milites templi c.* 3.

Urget etiam *Augustinus Epist.* 205. quòd Centurionis illius, qui *Matth.* 8. dicebat se habere sub se milites, fidem laudavit Christus, non militiæ desertionem præcepit. Quamquam *Arriaga d.* 48. *sect.* 1. *num.* 2. hanc probationem ut non efficacem rejiciat. Alter etiam Centurio, qui tamquam vir justus & timens Deum, ac visione Angeli dignatus fuit *Act.* 10. viam salutis à Petro edoctus, & Spiritu sancto repletus, non legitur accepisse præceptum militiam deserendi. Denique sufficit ad hoc quòd nusquam in novo Testamento bellum legitimis conditionibus vestitum legatur prohibitum.

45. *Ex aliis locis novi Testamenti.*

Consensus Patrum videri potest apud *Bellarminum lib. 3. de Laicis cap.* 14. Perpetuus idem fuit sensus Ecclesiæ: nam etiam tempore Gentilium Imperatorum plurimi Christiani (è quorum numero non pauci Martyres) militarunt, numquam ideo reprehensi. Ecclesia quoque Christianos Principes sæpè excitavit ad bellum Saracenis seu Turcis inferendum; prout fecit Urbanus II. Paschalis II. Eugenius III. & alii Pontifices. Nec non Concilia, etiam generalia Lateranense, Lugdunense, Viennense &c. idque propositis magnis indulgentiis. Extant etiam in Historiis monumenta insignium & portentosarum victoriarum singulari Dei auxilio, nec sine miraculo ab hostibus Ecclesiæ reportatarum.

46. *Ex consensu Patrum & sensu ac praxi Ecclesiæ.*

Ratione idem patet, quantùm ad bellum defensivum: quia cuilibet, etiam privato, jure naturæ fas est vim vi repellere, & à se injuriam defensione necessariâ propulsare; quantò magis reipublicæ? Estque id planè necessarium ad conservationem reipublicæ, ut non minùs extraneos, quàm internos hostes, possit à se suisque arcere; quorum utique defensio etiam ex officio incumbit reipublicæ, ejusve rectoribus. Idem probatur de bello offensivo: ejus enim gerendi facultas etiam est necessaria conservationi reipublicæ; quæ alioquin citra remedium ullum remaneret in materia reparationis damnorum seu injuriarum ab extraneis, præsertim superiorum terre-

47. *Denique ex ratione.*

num non habentibus, illasarum. Sicque esset pejoris conditionis, quàm privati, quibus adversus similia incommoda provisum est de ordinario remedio justitiæ publicæ, ad quam possunt per se loquendo refugere. Nec aliàs esse poterit injuriarum terminus, neque prospici in necessitatibus reipublicæ, si hoc fræno hostiles & extranei injuriatores (qui quodammodo injurias continuare censentur, quamdiu debitam satisfactionem exhibere detrectat) non possent compesci. Immo indemnitatem sibi commissorum promovere incumbit reipublicæ ejusve rectoribus ex officio.

48. *Nonnulla Scripturæ Loca opponuntur ac dissolvuntur.*

Objici I. solent variæ Scripturæ; quæ tamen vel continent solum consilium patientiæ perfectioris, vel prohibent vindictam privatam, non autem usum gladii ad defensionem, aut justam vindictam inferendam à publica potestate. Illud autem *Isaiæ 2. Nec exercebuntur ultra ad pralium*; de tempore Natalis Christi, qui toto orbe in pace (quæ satis diuturna fuit) compositio venit, intelligit *Hieronymus* & alii. Quidam alios sensus adhibent: quorum nullus favet adversarijs. Et planè cùm Isaias non reprobet aut prohibeat ibi bellum, & solùm prædicat illud non futurum tempore Christi aut novæ legis, potiùs inde videretur posse etiam contra Adversarios argui, Christum aut tempus legis novæ nondum advenisse.

49. *Loca Patrum explicantur.*

Objiciuntur II. varia loca Patrum: quæ dissolvit *Bellarminus sup.* vel enim dant consilium, vel agunt de militia, cui juncta sunt pericula gravia peccandi contra mores, aut etiam fidei professionem, signanter sub ducibus infidelibus, vel de ijs, qui ratione publicæ pœnitentiæ impediebantur. De quibus solet explicari *Leo Papa Epist. 92. cap. 10.*

50. *Specialiter dictum S. Martini ad Iulianum Apostatam.*

Solùm est observandum circa dictum S. Martini ad Julianum (teste *Severo Sulpitio cap. 3. vitæ*) *Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet*; quòd non velit militiam titulo præcisè Christianismi sibi illicitam (jam enim biennio ferè à susceptio baptismo militaverat teste *Sulpitio c. 2. vitæ*) sed titulo voti, propositæque vitæ Monachalis susciendæ. Vel certè non significat esse strictè illicitam, sed indecoram militiam sub tam impio apostata. Vel denique exordium vitæ est vitio Librariorum depravatum, juxta *Baronium ad annum* 351. ut non titulo Christianismi, sed temporis ordinarii completi petierit absolvi, velut qui 24. stipendia meruerat, & cùm dimissus fuit à militia annum ætatis quadragesimum attigerat. Vide *Baronium.*

51. *Explicatur Canon Concilii Niceni.*

Objicitur III. Canon 11. aliàs 12. Concilii Niceni, quo indicitur pœnitentia decennii redeuntibus ad militiam. Resp. sermonem esse de ijs, qui sub tyrannide Gentilium Imperatorum, signanter proximè præcedenti Licinii jussi balteum militare (quod honori ducebatur, deponere, aut idololatriam committere, militiâ se abdicaverant, & tamen eamdem postea gloriam cum abnegatione saltem implicita fidei ambiebant.

52. *Solvitur objectio desumpta ex belli incommodis.*

Objiciuntur IV. generalia bellorum incommoda. Sed Respondeo ea efficere, ut non facilè bellum sit assumendum, sæpeque sit illicitum, quando non speratur fructus prævalens, saltem attentis consequentijs; non autem probari inde, quòd ob hujusmodi incommoda per accidens subsequentia bellum sit ex natura rei & per se illicitum. Bellorum incommoda brevissimè perstringit *Damhouderius Rerum Criminal. praxi c. 82.* in principio, & qualiter confecto bello perseverent, rectè ostendit *cap. 151. num. 22.*

53. *Argumentum Lutheri de bello contra Turcas dissolvitur.*

Objicitur V. à *Luthero*, quòd per Turcam Deus castiget peccata Christianorum; cui proinde nequit resisti. Resp. etiam per pestem & morbos & famem & alia bella punire Deum peccata nostra, & tamen licitum, immo debitum est hujusmodi effectus fugere, ac eisdem per medicinas, & cibi procurationem, ac defensionem contra aliorum hostium incursus obviare. Permittit itaque Deus malam voluntatem Turcarum, volens etiam, tum ut nos emendemus, tum ut nos opponamus. Aliàs sanè Turca dudum totam Europam absorbuisset. Adhuc nihilominus locus est terrori & punitioni atque afflictioni, & consequenter debet esse locus emendationi, non obstante resistentiâ.

## §. II.

## *Quæ sint Conditiones justi & liciti Belli?*

54. *Tres licitii belli conditiones assignantur.*

TRES conditiones legitimi belli allegantur à Theologis & Jurisperitis communiter, nimirum auctoritas legitima in indicente, justa causa, & recta intentio. Cui additur à nonnullis, bonus in bello servandi modus. Qui tamen ad ipsum belli progressum spectat, & §. *seq.* examinabitur.

*Auctorium bellum indicendi ejus Pœnes Supremam rempublicam seu principem.*

Auctoritas indicendi bellum est, pœnes Rempublicam supremam, ejusve (si habeat principem; prout habent Regna Hispaniæ, Galliæ &c. Ducatus Brabantiæ, Geldriæ &c. non habent autem respublicæ liberæ. v.g. Venetorum, Genuensium &c. Idem insinuat. *Augustinus l. 22. contra Faustum cap. 75.* dicens: *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium pœnes principem sit.*

Ratio est: quia privati & Magistratus inferiores habent superiorem, ad quem lege ordinariâ confugere, & à quo injuriarum ac damnorum reparationem petere

petere possunt; hoc autem medium deest supremis Principibus & Magistratibus, quibus proinde, tum ad sui, tum ad sibi subjectorum indemnitatem, relinqui debuit medium aliud, belli scilicet, quod unicum restat; dum aliter satisfactio debita recusatur. Princeps proinde potest de se & suis esse quodammodo judex & vindex. Magistratus itaque & Domini inferiores seu vasalli limites suæ commissionis bellum indicendo excederent, jusque supremi Principis aut Magistratûs illegitimè usurparent. Aliâs quoque omnia essent plena seditionibus & turbis.

55. *Qui suscipere bellum sit aliis inferioribus licitum.*

Hæc tamen intelligenda sunt de bello offensivo: defendere enim se, quantum necesse est, contra invasores, cuilibet etiam privato licet. Quò etiam referri posset quædam (ut sic dicam) aggressio justæ defensioni necessaria, si v. g. invasor certo loco quiescens percutiatur, cui, si ulterius progredi permittatur, non erit resistendi locus: vel quando tanta esset principis malitia, aut supina inertia, ut casus censeatur exemptus, & potestas per bellum, quod ad se conservandum sit omnino necessarium, reservata. Posset etiam ex præscripta consuetudine fas esse alicui principi agnoscenti superiorem indicere bellum contra extraneos; prout nonnulla regalia quibusdam vasallis competunt de expressa, clarè præsumpta, seu tacita & legali supremi Principis voluntate. Potest insuper contra extraneos injuriam inferentes, etsi ab ea cessantes, respublica inferior se vindicare, si eos intra limites suæ jurisdictionis reperiat.

56. Advertit autem *Molina de just. disp.* 100. §. *dubium verò* & alii, auctoritatem indicendi bellum fore pœnes pagum aut familiam, præsertim numerosam, si quæ foret natio, in qua non sit communicatio cum aliis pagis aut familiis in ordine ad constituendum unum corpus reipublicæ perfectæ, sed singulæ Communitates seu familiæ forent supremæ, seu non agnoscentes superiorem. Qualis fuit familia Abrahæ, qui bellum gessit. Prout etiam olim plura oppida aut Regiones etiam modicæ habuerunt suos Regulos seu duces independentes, pœnes quos erat jus belli.

57. *An inter Christianos præquiratur licentia Pontificis.*

Petes, an ad bellum indicendum requiratur licentia Pontificis? Resp. Neg. Nam in temporalibus supremi Principes neminem agnoscunt: Potest tamen Papa tamquam dominus supremus sui territorii etiam indicere bellum. Posset etiam exigente id bono Ecclesiæ & fidei vi potestatis indirectæ in temporalia, bellum indicere, & per Principes Christianos gerere contra hostes Ecclesiæ. Posset denique interdum (ut notant Varii) ex causa aliqua necessaria Ecclesiæ, Principibus inhibere certum bellum, sesque inter-



ponere ad controversiam dirimendam aut sopiendam. Quod quidem semper paternis monitis per se suosque Nuntios sanctissimè ageret, ubi spes profectûs appareret.

58. *Justa belli in ejendi causa assignantur.*

Justa & sufficiens causa belli indicendi juxta Doctores communiter est gravis injuria reipublicæ illata, cujus satisfactio seu reparatio debita aliter obtineri non potest. Et consonat *Augustinus quæst.* 10. *in Josue*: *Justa bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est.* Unde ad vindicandas injurias seu contumelias Principi aut reipublicæ illatas, ad damnum illatum resarciendum, & terras seu oppida injustè ablata recuperanda, ad compescendos rebelles, seditiosos, hostes, eorum fautores aut quovis modo reipublicæ injustè nocentes, dum non suppetit alia via providendi, bellum geri potest.

59. *Quæ Exempla à Sacra Pagina petita confirmantur.*

Hujusmodi causas videre est in bello Israëlitarum contra tribum Benjamin ob injuriam factam uxori Levitæ, *Jud.* 20. In bello indicto per Davidem contra Hanon regem filium Ammon ob insignem injuriam suis nuntiis factam, 2. *Reg.* 10. In bello contra Amalech, 1. *Reg.* 15. In bello Davidis contra Seba filium Bochri, qui rebellionem intentabat, 2. *Reg.* 20. In bello indicto 4. *Reg.* 3. ratione rupti fœderis.

*Aliam Augustinus addit, Dei præceptum.*

His addit *Augustinus quæst.* 10. *in Josue* divinum præceptum de bello, in quo proinde homines non tam auctores, quàm ministri sunt judicandi juxta *Augustinum sup.* qui hoc titulo justificat bella per Moysen gesta 22. *contra Faustum cap.* 74. Indubiè enim justum est, quod præcipit justus Deus, ad puniendos scilicet malos, & humiliandos, Deique virtutem in ultione recognoscendam.

60. *Bellum præcedere debet petitio, nec obtenta satisfactio.*

Debet nihilominus priùs peti satisfactio; nec nisi negatâ justitiâ bellum indici. Prout fecerunt filii Israël *Jud.* 20. & monuit Deus Israëlitas *Deuteron.* 20. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem.* Bellum enim debet esse medium ultimatum: ejusque causa cessat, inæqualitate injustitiæ per compensationem sublatâ. Neque respublica una aut Princeps ullius est judex ordinarius alterius extraneæ reipublicæ aut principis, sed solùm vindex est in iram respectu suorum, respectu extraneorum verò in quantum id necesse est ad jura suæ reipublicæ conservanda. Unde *Augustinus Epist.* 205. *ad Bonifac. Comitem* docet, quòd *pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.*

Debet præterea gravis valde esse injuria,

 61.

*Injuriam valde gravem subesse oportet,*

ria, quæ sufficiat, non obstantibus tot belli incommodis, cisque æquivaleat. Est enim valde inordinatum exigere damni vel injuriæ reparationem velle tali medio, quod extrema mala alteri reipublicæ adducit, curare. Immo etiam propriis subditis solent bella graviora mala adducere; ut proinde respectu horum saltem (quidquid sit respectu extraneorum) etiam contram justitiam seu rationem officii sui delinqueret, si eos in graviorem malorum & damnorum tolerantiam injiceret pro inferioris damni aut levis injuriæ reparatione.

Quare dum mala belli attentiùs mente pertracto, mirari satis non possum (ut utar verbis *Damhouderii in Praxi rerum criminalium cap.* 151. *num.* 23.) quid mentis habeant nonnulli Principes nostri Christiani, qui interdum ob res tam leves, & tolerabiles, tam dira atque furiosa in fratrem Christianum non verentur suscipere bella; unde tantorum malorum oceanus in felicissima regna plerumque exundatione perrumpit. Profectò, de hujusmodi Principibus (pœnè perniciebus dixeram) eorumve consiliariis nil aliud divinare possum, quàm eos esse aut stolidos, aut insensatos, aut atheos (licet titulo, verboque tenus Christiani haberi velint) qui suis moribus testentur, se non credere Deum nusquam non præsentem esse suarum actionum inspectorem. Aut certè crediderim Deum eos tradidisse in reprobum sensum, ut tam obstinatè contra fraternam Christianamque concordiam militare, & infesta signa ferre non reveantur, seseque obcœcatis animis præbere flagella, quibus Deus ad suorum probationem, aut correptionem prorsus abuti videtur. Ita ferè ad verbum *Damhouderius suprà.*

62. *Nonnulla attentis cõsequentiis ingravãt ut in ordine ad justificandum bellum.*

Fatendum tamen, quod injuriæ, quæ primâ fronte in se non adeò graves videntur; v.g. incursiones aliquæ, aut parvorum locorum occupationes, possint attentis periculis majoris insolentiæ & pejorum consequentiarum esse graves & causa justa belli, si Princeps vel Magistratus extraneus admonitus, contemnat facere reparationem. Propterea attendenda sunt damna fidei seu reipublicæ Christianæ, quæ tanti ponderis esse possunt, ut Princeps Christianus obligetur damna politica suæ reipublicæ bono Ecclesiæ seu fidei postponere.

*Damna Ecclesiæ qui attendenda.*

63. *Non sufficit pro causa belli, amplitio finium, aut famæ celebritas.*

Absurda verò & planè contraria rationi est, & tamquam talis reprobatur ab *Augustino lib.* 22. *contra Faustum cap.* 74. existimatio illorum, præsertim Gentilium, qui jura regionum in armis posita crediderunt, licereque bellum pro famæ celebritate, & ampliatione regnorum: id enim non fit sine manifestissima aliorum, qui incæduntur, injuria. Unde *Augustinus* 4. *de Civit. c.* 6. rectissimè dixit: *Inferre bellum finitimis, & inde in cetera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum est?*

64. *Non invidia contra potentiorem, aut ejus, ne quando fortè noceret, suppressio.*

Huc etiam spectat ratio invidiæ, cujus stimulis excitati Principes inferre interdum præsumunt bellum potentiori, ne hic supereminear aut ut deprimatur. Item eò spectat alia ratio statûs, seu potiùs Machiavellismi in bello gerendo, imminutio scilicet potentiæ vicini Principis, ne eâ nimium excrescente, ipse quandoque fortè noceat: prout ex consideratione politica Rebuspublicis ingrata solet esse potentia Monarcharum, quos potiùs vellent in quodam æquilibrio contineri, ne quando ipsas opprimi contingat. Ratio est: quia non sunt facienda mala ut eveniant bona; malum autem est, innoxiè possidentem bona vexare per bella adeò plena incommodis quasi irreparabilibus, solo hujusmodi prætextu. Aliàs quoque mundus totus continuis bellis et simili prætextu (qui facilè præsumitur subesse) posset ardere. Daretur insuper citra ignorantiam bellum utrimque justum: cùm indubiè hujusmodi invadentes posset invasus justissimè repellere. Quare non restat principium, ex quo talia deduci possint, nisi atheum istud: *Quidquid apparet de re statûs mei licet, quantumvis inde alii innocentes, & quavis patiantur.* Unde æquè vel potiùs illicitum est, hujusmodi prætextibus subditos ad rebellionem incitare, aut rebelliones fovere.

65. *Bellum utrimque justum an dubile.*

Petes I. An possit dari bellum utrimque justum? Resp. Neg. reipsâ & materialiter loquendo, seu seclusâ ignorantiâ quæ posset utrimque efficere bonam fidem & excusare à formali peccato injustitiæ. Et videtur satis per se patere rem consideranti. Videtur tamen divinitus posse dari bellum utrimque justum, si videlicet Deus tamquam supremus Dominus daret licentiam aut præceptum aliquam nationem bellum impetendi, & simul daret populo invadendo facultatem se pro viribus defendendi. In hoc enim non apparet ulla repugnantia.

66. *Qualiter examinanda justitia belli.*

Petes II. Qualiter constare debeat de justitia causæ seu belli? Resp: cùm bellum sit res tam extraordinariis incommodis, tantique sanguinis, præsertim Christiani, & innoxii, effusioni obnoxia, indubiè examinandum esse seriò à Principe, & iis, quos in consilium adlegerit, an subsit justa causa belli; immo eâ suppositâ, an expediat indici præviâ semper postulatione justæ satisfactionis. Manente autem dubio præsertim in materia injuriarum, nequit indubiè bellum justè indici.

At si

67. *Quid agendum in dubio de jure regni ab alio possess.*

At sit dubium rationabile seu controversia facto examine maneat de jure regni, si quidem alter sit in possessione pacifica, non potest per bellum inde deturbari. Sed per nuntios eidem debet ratio dubii proponi, & examen unà cùm decisione causæ, aut rationabilis concordia postulari. Quod si renuat possessor, injuriam facit, potestque per Principem supremum bello impeti. Si neuter sit in possessione, & quæstio sit inter Principes supremos, non potest unus Princeps pro se & sua opinione sententiam ferre, & bello exequi, regnumque occupare (quidquid Nonnulli dicant, quorum doctrinam ne probabilem quidem credit *Poncius d. 32. in Comment. n. 75.*) quod quidem pari ratione faceret alter Princeps, æqualiter pro judice agnoscendus, ficque forent duæ sententiæ contrariæ justæ, & executioni simul mandandæ, utique singulæ tantùm pro parte, aut certè æquitas alterutrius majoritate virium erit probanda.

*Quid si neuter sit in possessione.*

68. *Rationabilior dicendi modus explicatur.*

Ratio itaque dictat iniri aliam viam, videlicet vel divisionis pro rata probabilitatis, aut compensationis, si res non patiatur divisionem; aut certè si hæc via litigantibus non placeat, standum erit judicio arbitrorum indifferentium utrimque nominandorum, aut potiùs (si non sit ratio suspectandi) judicio ipsius regni, pœnes quod originaliter residet judicium de controversijs regnum spectantibus, censerique potest hoc in institutione Monarchiæ reservatum. Quemadmodum etiam accedente dubio inter duos se pro Pontifice gerentes Ecclesia decîdit controversiam. Ferturque hic postremus modus tempore S. Vincentii Leyrinensis servatus in regno Aragoniæ, ortâ ibidem de successione controversiâ.

69. *Quale examen competat subditis militare volentibus.*

Ceteri verò, uti non possunt, sic nec tenentur scire aut examinare omnes causas belli; quas etiam sæpe non expedit omnibus propalari. Unde ordinariè subditi militiæ nomen dare volentes solent, dum non occurrit ratio eis dubitandi, resolvere, credentes Principem & Consiliarios, utpote viros prudentes & probos, non sine sufficienti titulo (qui etiam sæpe rudiori modo solet spargi) bellum fore indicturos.

70. *Aut jussione constribit.*

Magis autem id sufficit pro ijs, qui jussu Principis militare coguntur, aut jam antea erant stipendiarii: in his enim est specialis titulus obedientiæ, quo adstringuntur præceptum Principis adimplere, quando non constat de iniquitate: quemadmodum ministri justitiæ (quales sunt etiam milites) possunt & tenentur exequi sententiam judicis sine alio examine, dummodo non cõstet esse injustam. Accedit Principem esse in possessione mandandi, & pro eo, dummodo non constet de contrario, esse præsumendum. Unde idem videtur apertè docere *Augustinus l. 22. contra Faustum c. 75. dicens*, quod *vir justus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans: cui quod jubet, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrùm sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Ubì videtur etiam loqui de casu, quo dubia est militi justitia belli.

Herincx Sum. Theol. Pars III.

Qui autem injustus militat, & de justitiâ belli dubius hæret, indubiè nequit militiæ nomen dare; sed debet partem tutiorem amplecti, donec motivis belli meliùs indagatis, se prudenter resolvere possit. Quod à fortiori locùm habet in extraneis, quibus plurium Sententiâ ad elocandum operas suas in militia necesse est indagare causas belli, ut inde eliciant judicium prudens, cui se conforment. Verùm *Vasquez* & alii non distinguunt inter subditos & extraneos, secluso præcepto, adeò ut si possint isti citra aliud examen militare, credentes resolutioni Principis vel regni (nisi adsint specialia aut vehementia judicia & suspiciones injustitiæ) etiam hi idem ex eodem fundamento resolvere & agere possint. Affectus nihilominus facilè inclinat subditos magìs quàm extraneos in favorem sui Principis, cui etiam & propriæ reipublicæ propugnandæ magìs adstringuntur, quàm extranei. Nec possunt à culpa gravi excusari, & consequenter stante tali propositione nequeunt absolvi, qui cuilibet pro stipendio sunt militare parati, qualecumque bellum sit.

71. *Dubius de justitia non potest injussus militare.*

*An inter subditos & extraneos distinguendum.*

*Quid censendum de paratis ad omnem militiam.*

Petes III. An liceat Infideles in auxilium vocare, vel eisdem in bellis subsidium præbere? Resp. neutrum apparere generaliter & per se loquendo malum. Quare etiam Machabæi cum Romanis & Spartiatis inierunt reciprocum fœdus 1. *Machab.* 8. 12. & 14. Et Jonathas *c.* 11. misit Regi infideli Demetrio tria millia militum in auxilium. Prout etiam militare sub infidelibus Principibus non est generatim illicitum, uti exempla legionis Thebæorum, & aliorum militum Christianorum declarant.

72. *Infidelibus auxiliari vel eorum auxilium præstare an liceat.*

Verumtamen possunt prædicta admodum frequenter esse illicita. In primis, si (quod frequens est, hodieque experientiâ notum) infidelium auxiliares copiæ prævideantur nimium grassaturæ contra Ecclesias, loca sacra, personas Deo dicatas, innocentes &c. Secundò si subsidium præstetur hæreticis aut infidelibus in bello injusto, vel eversivo fidei Catholicæ: quale erat bellum Statuum Belgii confœderatorum contra Regem suum legitimum, ante eorumdem ab Regis obedientia emancipationem per fœdus pacis. Quid enim fœdius esse potest, quàm armorum Christianorum subsidijs opprimi Christianos seu Catholicos in exercitijs fidei & religionis, templa

73. *Quando non liceat.*

vastari, & falsarum sectarum exercitijs impendi, altaria destrui, Sacerdotes & Religiosos exulare, Monasteria extirpari, bona Ecclesiastica occupari, pias fundationes everti, in locis, in quibus antea semper & solùm viguit Christi vera religio, plantari Synagogam satanæ &c? Neque est locus diabolico effugio petito ex materia statûs politici; qui divino, salutis, justitiæ & religionis statui postponendus est. Neque etiam juvat effugium ex parte intentionis petitum, quasi Catholicus ista non intendat, nec attendere debeat, adeoque per accidens hujusmodi effectus se habeant. Intentio enim diverti nequit ab eo, quod (ut oculis nostris vidimus, aliàs vix credituri) infallibiliter connexum est, & quasi ante omnia fit, ac executioni mandatur ex intentione eorum qui bellum indicunt eique præsunt adeo ut si usquam effectus censeatur moraliter consequi per se, & non per accidens, certè id contingat in isto casu; aliàs nullum foret bellum religionis, quin hujusmodi prætextus obduci posset. Quin immo Status ipse politicus præfatorum Confœderatorum apparet à principio rebellionis fundatus super novitate religionis, veluti oportunâ firmandæ eidem rebellioni contra proprium Regem Catholicæ fidei pugilem. Ut modò nil tangam de evidenti injustitia ejusdem belli. Videri possunt, quæ fusè tractantur in opere intitulato *Mars Gallicus lib.* 2. Quare etiam milites in tali bello militantes non sunt in statu salutis. Nec favet oppositio abusui factum Davidis, qui Saüle illum persequente fugit ad Achis Regem Geth. Nam non pugnavit umquam pro Philistæis contra Israëlitas; etsi regem in hoc deluserit: ut patet Scripturæ textum inspicienti 1. *Reg.* 27. *&* 29. Tertiò, non est licitum militare sub infidelibus sive hæreticis; etiam in bello politico & justo, cùm præsenti seu morali periculo salutis & peccatorum mortalium: quale frequens est, defectu exercitiorum fidei, vel Ministri Sacramentorum in castris, ratione commerciorum periculorum cum infidelibus &c.

*David sub rege Achis non pugnavit contra Israëlitas.*

74. *Recta intentio qui ad bellandum requisita.*

Conditio postrema liciti belli statuitur recta intētio, quæ respicit pacem publicam obtinendam & stabiliendam, atque adeò reipublicæ bonū. Nam (ut dixit *Augustinus Epist.* 205. *ad Bonifacium*) *pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.* Et *l.* 22. *contra Faustum c.* 74. *Quid enim* (inquit) *culpatur in bello? An quia moriuntur quandoquidem morituri, ut dementur in pace victuri?* Dein subjicit motiva culpāda belli: *Nocendi cupiditas ulciscendi, crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia: hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur.* Si tamen aliundè subsit justus belli titulus, debitaque belligerandi auctoritas, prava intentio vitiabit quidem pro sua qualitate opus, non tamen reddet operantem restitutioni obnoxium; salvo semper, quòd ex immoderantia passionis Principis plebs ei subjecta (cujus bono & indemnitati tenetur ex officio prospicere) non exponatur damnis haud necessarijs.

75. *Inhibitum est Clericis militare.*

Petes, an stantibus legitimi belli conditionibus liceat cuilibet militare? Resp. Aff. si per ætatem & vires liceat, nec specialiter alicui sit interdictum. Prout interdictum est Monachis c. *Eos qui* 20. *qu.* 3. (quod est Concilii Chalcedonensis) Et clericis *eod. cap.* Item c. *Quicumque Clericus & C. clerici* & c. *Quicumque ex clero* 23. *q.* 8. quæ etsi non sint ex Conciliis generalibus desumpta, tamen hac in parte sunt usu Ecclesiæ recepta. Et c. *Sententiam, ne Clerici vel Monachi* prohibetur clericis copijs militaribus præponi. Idem supponitur c. *Ex multa §, fin. de voto.* Ratio est: quia prædicti sunt divino obsequio specialiter mancipati; à quo retrahit non parum militia sæcularis. Unde eis aptari potest illud Apostoli. 2. *ad Timoth.* 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* Ministris quoque præsertim propinquioribus, altaris congruit mansuetudo & lenitas, in Agno Dei (cujus occisio in Missa repræsentatur) adeò patenter exhibita; unde altaris ministerio dicati meritò removentur à sanguinario (ut sic dicam) officio: maximè cùm ipse sanctus David propterea fuerit prohibitus ab ædificatione templi, Salomoni pacifico reservatâ.

*Congruentia quæ prohibitionis.*

76. *Specificantur clericis interdicta aut licita in bello.*

Præfati itaque non possunt citra dispensationem legitimam propriâ manu pugnare, milites ducere, aciem instruere, tormenta in hostes dirigere, eave dirigentibus præesse. Et quidem ex gravitate materiæ, & pœnarum clericis transgressoribus inflictarum quibusdam Canonibus citatis, constat culpæ gravitas. Quamvis non sit eis interdictum, etiam citra specialem licentiam Episcopi (Religiosis necessaria est licentia juxta formam obedientiæ religiosæ) assistere ad celebranda divina, ministranda cum debita facultate seu jurisdictione Sacramenta, assistendum infirmis, excitandos milites in generali ad fortiter dimicandum, non obstante c. *Quod in dubijs, de pœnis*, ubi est sermo juxta Glossam de pugna injusta, vel (ut aliqui addunt) de incitatione ad occidendum aliquem in particulari. Alioquin excitare in generali licitum est ex communi sensu Doctorum & praxi, & colligi solet ex c. *Omni timore.* c. *Hortatu.* & c. *Præterea* 23. *q.* 8. Si quæ alia licentia particularis Prælati olim fuerit clericis necessaria (ut Nonnulli putant ex c. *Reprehensibile* & c. *Quo ausu* 23. *qu.* 8. sed non satis solidè) saltem hodie consuetudo contrarium præscripsit. Quando autem citra periculum irregularitatis licitum sit clericis in bello pugna-

re.

re. Vide *P. 2. Tract. de Legibus disp. 6. qu. 7. §. 8.*

77. *De quibus Clericis Canones loquantur aut intelligantur.*

Canones autem, etsi generali vocabulo Clericorum utantur, immo *Sententiam* immediatè addatur interdictum chirurgiæ cum incisione vel adustione, expressis solis Ordinibus sacris (quod non satis advertit *Arriaga d. 48. sect. 5.* cujus idcirco discursus ibidem factus ruit) *Covarruvias, Lorca* & alii Doctores passim intelligunt de Clericis constitutis in sacris, saltem attentâ consuetudine. Quæ facilè admittetur in ijs, qui velut sæculares vivunt, non gaudentes privilegio clericali, aut statum clericalem derelinquunt, utì si ducerent uxores, vel assumerent officium Prætoris. Alii tamen, præsertim beneficiati, privilegijs clericorum gaudentes, & instar Clericorum haberi volentes, variorum Doctorum judicio peccant, saltem venialiter, ob remotam conjunctionem cum altaris ministerio. Et planè congruentia idem postulat talibus militaria officia interdici.

78. *Clerici, simul sunt supremi Principes, possunt bellum indicere, & per alios gerere.*

Nihilominus Episcopi & Clerici, qui simul sunt supremi Principes, utì possunt in causis sanguinis per judices delegatos justitiam administrare c. *Episcopus, Ne Clerici vel Monachi in 6.* sic & bellum justum indicere, & per duces gerere.

## §. III.

## *De Modo Observando in Gerendo Bello.*

79. *Ad quod obligentur Principes in bello.*

IN primis Princeps est ex officio obligatus providere militiæ de idoneis Præfectis & Officialibus, secùs agendo est causa malorum & damnorum, quæ plerumque gravissima ex inexpertis ac inidoneis præfectis exercitui ac reipublicæ eveniunt. Tenetur etiam vi contractûs providere præfectis & militibus de stipendio, terminis elapsis. Secùs agendo peccat contra justitiam, estque causa damnorum, quæ ex necessitate inopiæ militum patiuntur, aut alijs inferunt.

80. *Ad quid præfecti & milites.*

Præfectorum belli & militum communis obligatio respectu Principis & reipublicæ est fidelitatis in custodiendo pacto, quantum ad observantiam secretorum, abstinentiam à proditione, protectionem & conservationem bonorum & dominiorum reipublicæ pro viribus, evitationem damnorum, etiam privativorum, ne videlicet sint in causa, cur bonum notabile non sit obtentum, stratagema non habuerit suum effectum: item quoad observationem suæ stationis, etiam cum periculo vitæ; quoad remansionem in militia, sic ut (nisi adsit causa per accidens excusans) citra licentiam non deseratur. Milites insuper obligantur ad obedientiam militarem suis præfectis, præfecti inferiores superioribus, omnes autem Principi.

Præterea tam Præfecti, quàm milites ex justitia obligantur servare regulam militibus viam salutis inquirentibus declaratam per Joannem Baptistam *Lucæ 3. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris.* Respectu denique hostium tenentur indubiè servare promissam fidem, legesque charitatis & mansuetudinis Christianæ, salvo jure & fine belli.

Ex his similibusve obligationibus resultat interminabilis seges peccatorum, quæ in militia, præsertim hodierna, frequenter committuntur. Omissis autem peccatis libidinum omnigenarum, rixarum, duellorum, ebrietatum, sortilegiorum, blasphemiarum & similium omnis generis peccatorum, quæ ibi abundare solent, radicale velut peccatum militiæ videtur defectus solutionis stipendiorum, unde fit non servari disciplinam militarem, sed omnia furta, sacrilegia, rapinas, extorsiones, incendia, latrocinia, & alia nefanda quasi impunè fieri. Quomodo igitur salvari possunt, quorum culpâ stipendia solvi dum possunt (an possint, conscientijs superintendentium, divinoque judicio committendum) non solvuntur, quique proinde tot malorum sunt causæ, ego non video; credo, quòd nec Deus ipse: sunt enim tales indubiè iturì in profundum inferni, pejus autem agunt, qui pecuniam familiæ augendæ aut alijs extravagantibus impendunt, militibus mendicare aut furari compulsis.

81. *Quænam peccata in militia occurrant.*

*Quis defectus radicalis.*

Peccant similiter Præfecti contra justitiam, qui in lustratione militum plures milites fictos supponunt; utì & alii huic fraudi coöperantes, & lustratores dissimulantes. Nec excusat titulus occultæ compensationis si Princeps sit eis debitor, ob periculum gravissimorum damnorum ex fraude hac ortiundorum, dum à parte rei est numerus longè inferior, & insufficiens finibus belli, qui in tabulis circumfertur multò amplior. Peccant similiter contra justitiam, si dum alicubi hospitari debent cum milite suo, loca vicina suspensa tenent, ut pondus pecuniarum extorqueant ab hospitia redempturis (quorum utique electio non potest ab eis fieri venalis) & alia loca deligunt in notabile sæpe eorumdem gravamen. Item quando expensas exigunt pro numero longè majori, scedulas & loca mortua cum proportione multiplicantes; nisi quandoque adsit rationabilis consensus Principis defectum stipendii ita supplentis. Quando sive præfecti sive milites rusticos & hospites suos injuriosè tractant, contundunt, pecunias extorquent, non contenti ijs, quæ jure aut consuetudine ordinarii hospitii eis debentur.

82. *Quæ peccata Præfectorum.*

*Qui peccent milites circa rusticos & hospites.*

Neque excusat defectus solutionis stipendii: tum quia illum supplere nullo juris colore debent rustici aut hospites: tum quia sæpe triplicatum, immo octuplicatum sti-

83. *Excusatio ex carentia stipendii peritæ discutitur.*

pendium seu valorem illius injuriosissimè extorquent, & quidem à miserioribus, expendendum deinde in luxus & vanitates. Secùs foret, si in extremam vel valde gravem necessitatem defectu stipendii conjecti sive conjiciendi (quibus succurri specialiter congruit) providerent sibi ab his & illis modo meliori, quo possunt, sobriè ad necessitatem sufficientia, eaque parcè expenderent; aut si ex urbanitate, gratitudine ratione scilicet alicujus officii præstiti, similive honesto titulo aliqua exigerent aut acciperent, etiam extra necessitatem.

Plura alia sunt peccata militum, & personarum ad militiam spectantium, ut Vivendariorum seu annonam præbentium, & similium, quæ propiùs inspicienti praxim militarem satis patent. Videri potest *Marchant Tom. 3. P. 2. Tr. 6.* per totum. Ex quibus luce clarius est, vitam militarem (qualis visa fuit hisce temporibus) esse periculosissimam in negotio salutis.

84. *Quæ liceat in belli progressu & post victoriam.*

In ipso verò belli progressu, atque etiam partâ victoriâ, generaliter loquendo ex communi Doctorum sententia, omnia illa licent Principi justum bellum gerenti aut justo victori, & ex ejus voluntate belli ducibus ac militibus, quæ aliquo modo necessaria sunt aut convenientia ad justum finem belli consequendum, scilicet ad reparandas injurias ac damna, & ad firmandam pacem & securitatem. Unde licet hostium bona usurpare, agros vastare, arces occupare, tributa imponere &c. si judicentur idonea ad prædictos fines. Similiter licet adhibere insidias & stratagemata bellica, exemplo Josue *c. 8.* ubi idem tradit *Augustinus quæst. 10. in Josue*; hæc enim consistunt in eo, quòd præoccupetur hostis, dissimulando coram eo intentionem & occultando veritatem, ac permittendo deceptionem: si autem adsit intentio fallendi, aut mendacium, erit veniale & officiosum. Unde hoc sensu verum est istud Poëtæ: *Dolus* (supple bonus) *an virtus, quis in hoste requirat?*

*De insidijs bellicis.*

85. *An possint occidi nocentes.*

Præterea possunt nocentes occidi tum in ipso congressu, tum (quando id esset æquum in pœnam peccati, terrorem aliorum, aut justam satisfactionem) postea, etsi se dediderint victori, nisi fortè sub promissione vitæ servandæ se tradiderint: standum enim est pactis. Plerumque tamen parcendum est multitudini, capitibus iniquitatis (ubi visum fuerit) in exemplum propositis; quia alterum nimis saperet crudelitatem; & cederet frequenter in detrimentum publicum.

86. *An etiam innocentes.*

Innocentes verò directè (aliud est de indirecta occisione, quæ per accidens, & præter intentionem sequitur ex directa invasione civitatis & nocentium) occidi numquam possunt juxta Doctores communiter. Estque manifestum *Sylvio q. 40. a. 1. Quæstio 6. Conclus. 2.* quidquid dicat *Poncius d. 32. in Comment. n. 84.* Generale enim est illud *Exodi 23. Insontem & justum non occides.* Unde nec pro culpa parentum filij possunt occidi. Quare non juvat, quòd sint partes reipublicæ nocentis: non enim potest hæc puniri in partibus innocentibus, nisi secundùm id quod subest aliqualiter dominio vel potestati reipublicæ, prout non subest vita innocentis. Unde parvuli Turcarum non possunt licitè occidi. Ideoque ob cædem innocentem Thessalonicæ factam Ambrosius ab ingressu Ecclesiæ Theodosium prohibuit. Nec refert, quod aliquando Israelitæ victores occiderint etiam parvulos: nam aderat tunc expressa jussio Dei omnium Domini; quæ modò non adest, immo adest jussio contraria.

*Qui nomine innocentium intelligantur.*

Nomine autem innocentium intelliguntur infantes, pueri, senes ad arma inidonei, Ecclesiastici, religiosi, legati, peregrini, mulieres (nisi fortè de quibusdam constaret, quòd in bello juverint) & similes.

87. *Bona eorum, signanter Ecclesiasticorum an prædæ exposita.*

Bona tamen innocentium, quantum necesse ad supradictos fines, potest Princeps occupare. Excipiuntur à Doctoribus (vereor ne non ita à militibus) bona Ecclesiæ & Ecclesiasticorum innocentium inter Christianos, etsi civitas daretur in prædam (quod fieri regulariter non decet) tum propter specialem exemptionem, tum quia censentur constituere corpus particulare, distinctum à populo hostili. Liceret tamen bona Ecclesiastica expugnare, si illis ut propugnaculis hostes utantur, neque aliter debellari possint.

88. *Mobilia bello capta cujus sint.*

Mobilia bello capta fiunt jure Gentium occupantis (nisi fortè aliquam distribuendi formam exigat specialis lex vel usus nationis) etsi excedant compensationem damnorum: ut habetur *Instit. de rerum Divisione §. 18.* & L. *Si quid bello 28. ff de captivis.*

89. *An hostes possint subdi captivitati, etiam innocentes & Christiani.*

Libertate quoque non minùs quam vitâ exui possunt hostes, exigente id vindictâ seu recompensatione injuriarum & damnorum, prout etiam L. *Si quid bello*, & alijs juribus habetur. Quod varii extendunt cum *Victoria, Valentia, Azorio* & alijs, ad innocentes, qui sunt pars reipublicæ hostilis, ex consuetudine jure Gentium introductâ, & quia censetur libertas inter bona fortunæ. Inter Christianos autem generaliter est præscriptum, ut quicumque ex ijs capti bello non possint effici mancipia, quamvis possint justè detineri, ut puniantur, si nocentes sint, & lytro redimantur. Quod eadem consuetudo extendi ad hæreticos, nomine Christianos.

90. *An represaliæ sint licitæ.*

Petes, an pacis tempore licitæ sint represaliæ, seu impignorationes? hoc nomine intelligitur occupatio bonorum pertinentium ad subditos alterius reipublicæ aut civitatis amicæ, in pignus satisfactionis debitæ

debitæ pro damnis, quæ respublica innocens in se aut cive suo ab alterius subditis perpessa est. Communis sententia contra *Lorca d.* 52. *n.* 15. asserit esse licitas, etiam respectu innocentium, quando alioquin commodâ ratione nequit compensatio obtineri: quemadmodum ratione delicti alterius reipublicæ solent arrestari merces subditorum ejusdem, & tempore belli pro satisfactione possunt occupari bona etiam innocentium, qui sunt pars reipublicæ nocentis.

91. *Quæ conditiones requirantur.*

Requiruntur tamen sequentes conditiones, scilicet ut apertè de gravi damnificatione constet, adsit concessio Principis, superior reipublicæ nocentis monitus nolit seu negligat procurare damnorum reparationem, nec plus damni inferatur reipublicæ nocenti, quàm sit necesse ad plenam satisfactionem, ac denique non concedatur in personas Ecclesiasticas innocentes, quæ sunt exemptæ adjectâ in contrafacientes pœnâ excommunicationis c. *Unico. de injuriis in 6.*

*Jura in contrarium allegari solita explicantur.*

Ad jura opposita sic responderi solet. Ad *Novellam* 52. *c.* 1. interdici ibi pignorationes inter membra subjecta eidem Principi, & quidem sine ejus licentia. Quâ ratione etiam contra æquitatem est, unum pro alterius debito molestari, quod ibidem & *L. un. Cod. Ut nullus ex vacaneis* improbatur; secùs si adsint conditiones præfatæ.

## QUÆSTIO VI.

### *De Duello.*

92. *Quid duellum.*

Duellum (quod & Monomachia dicitur) propriè est pugna duorum (interdum singuli assumunt secundum, ut vocant) ex condicto utrimque suscepta ad certum locum & tempus cum periculo occisionis. Unde in hoc est simile rixæ, quòd etiam rixa consistat inter duos vel paucos utrimque: differt autem in eo, quod rixa fiat subitò & citra praefatum actum, ex calore iracundiæ aliave passione. Abest etiam semper à rixa auctoritas publica; quæ posset in duello aliquando intervenire. Duellum porrò aliud dicitur solemne, quod nempe cum certis solemnitatibus, dato loco & fide securitatis ei qui secum occiderit, & adhibitis sponsoribus, quos patrinos vocant: aliud privatum (quod alio nomine diffidatio vocatur) carens scilicet solemnitatibus.

*Qui differat à rixa.*

*Aliud est solemne, aliud privatum.*

93. *Damnati ad mortem, an justè à principe duello licitè concertent.*

Duellum suscipitur ob varias causas seu fines, estque ferè semper illicitum, ut specificando singulas causas patebit. Primò itaque posset Princeps duobus ad mortem damnatis concedere, ut duello concertent, sintque in se invicem ministri justitiæ; qui quidem licitè decertabunt, præsertim si uni spes vitæ promittatur: quamquam non sit duellum ordinarium, ex mutuo scilicet condicto initum, sed potiùs executio justæ sententiæ. Superior quoque incongruè talem modum exequendi sententiam justam usurparet, non sine periculo animæ decertantium.

94. *An liceat duellum ad terminationem belli.*

Secundò (estque casus rarus) ad terminationem belli justi posset Princeps convenire de pugna duorum aut paucorum certo utrimque numero, dummodo victoriam non reddat per hoc magis dubiam, quàm deveniendo ad prælium universale, cum præjudicio reipublicæ; prout non facit, si v.g. videat se inferiorem viribus, & succubiturum. Non est enim ratio, cur talis pugna minùs liceat, in qua parcitur multitudini, quam pugna generalis ex condicto ineunda. Idem videtur de velitatione, aut pugna inter paucos etiam ex condicto (qualis nostro tempore solemnis fuit circa Silvamducis inter milites Regis & Statuum Confœderatorum) ad reprimendos animositates & impetus hostiles, & auferendos aliquos singulariter noxios. Sic etiam David licitè, etiam præscindendo specialem instinctum divinum (quamvis alioquin ex hoc quoque potuisset excusari) singulare inivit certamen contra Goliad.

*Aut reprimendos in eo impetus hostiles.*

95. *An ad vitæ defensionem liceat.*

Tertiò duellum potest suscipi ad vitæ defensionem, v. g. si inimicus armatus inermem inveniens velit cùm occidere, nisi arma sumat, & secum in duello pugnet, tunc quando non est alia evadendi via, potest juxta Doctores passim suscipi, immo & offerri duellum; eò quòd in re ipsa videatur justa defensio. Eademque videtur Doctoribus multis (nec improbabiliter juxta *Wiggers q.* 41. *art.* 1. *n.* 18.) ratio de invasione fortunarum, pro qua licitum est duellum, cùm alia ratio non suppetit; supposito videlicet quòd alioquin licitum sit occidere invasorem ad necessariam defensionem talium bonorum, de quo *Tract. de virtut. Cardinalibus.*

96. *Duella gladiatorum illicita.*

Quartò suscipi potest pro ostentatione virium vel artis gladiatoriæ, aut ad spectantium oblectationem (qualia olim erant duella gladiatorum in amphiteatris apud Romanos, quæ ita homines fascinarunt, & aliquamdiu etiam tempore Christianorum Imperatorum, etsi à Constantino interdicta, perseverarunt) vel ad vindictam. Estque indubiè illicitum, partim contra charitatem sic prodigendo vitam aut periculo exponendo citra causam, partim contra justitiam occidendo innocentem aut non condemnatum, vel occidendi illum periculo se exponere; quod ne quidem Magistratus (sine cujus auctoritate etiam illicita esset vindicta privata) concedere potest. Et quamvis ipse injuriantem condemnasset, talis tamen sententiæ executio esset illicita, veluti conjuncta periculo homicidii innocentis; qui etiam illicitè sic prodigeret vitam suam.

Quintò

97. *Similiter assumpta ad probationem vel purgationē criminis.*

Quintò juxta Doctores communiter illicitum est duellum, quod ad probandum, vel è contrà ad purgandum crimen suscipitur: tum propter canones *c. 1. de Purgat. vulgari* c. *Henricus presbyter, de Clericis pugnantibus in duello.* c. *Monomachia 2. q. 4.* tum, quia est medium ad veritatem indagandum inidoneum, immo junctum tentationi Dei; cùm æquè posset innocens, ac nocens occidi: tum quia accusatio etiam injusta non est sufficiens causa homicidii, adeoque nec duelli: tum quia est contra charitatem propriam.

98. *An licitum sit in casu injustæ accusationis, ex qua certò sequetur mors.*

Sed quæritur, quid dicendum, si certò sit ad mortem damnandus innocens ex injusta accusatione, præsertim si accusator ipse duellum offerat, sitque adeò spes aliqua evadendi? Plures graviſſimi Theologi (inter quos referuntur *Lyranus*, *Navarrus* & alii) asserunt licere, præsertim approbante vel mandante Principe. Sed negat *Sylvester*, *Soto*, *Malderus*, *Suarez* & alii. Et quidem si citra licentiam Principis suscipiatur, non poterit esse utile; cùm supposità victoriâ, potiùs sit augendum, quàm eluendum delictum in foro externo. Difficile etiam & malæ consequentiæ apparet posse occidi eum, qui non invadit propriè vitam, seu qui ei violentiam non infert, sed aliquem solis calumniis obruit, quæ veritatis ostensione debent propulsari, aliàs patienter tolerari. Alioquin etiam falsis delationibus inhians bonis fortunæ proximi poterit occidi, si possit occidi raptor & fur. Quod sanè foret radix infinitarum confusionum, nec impunè à Republica toleraretur. Unde saltem in praxi opposita doctrina non videtur probanda. Principis quoque seu Magistratus licentia non posset prodesse in casu, quo sine illa non foret justa & licita vitæ propriæ contra aggressorem defensio. Confirmatur: quia vel ei secundùm ordinem juris constat innocentia accusati; qui consequenter debet citra duellum & periculum vitæ in eodem absolvi, utì & si non satis probetur nocentia: vel constat sufficienter delictum, & tunc est puniendus potestate publicâ; ac insuper in duello exponeret tunc periculo vitæ accusatorem legitimum & justum quantùm ei constat ex ordine juris. Immo etsi judex ex privata scientia, nosset hunc esse calumniatorem, adhuc non posset ex ea condemnare, aut vitam illius non condemnati sic exponere.

99. *An prætextu defendēdi honoris licitè duellum suscipiatur.*

Sextò duellum suscipi solet prætextu defendendi honorem. Estque casus iste ordinarius inter personas nobiles & militares. Nec dubium est, quin sit illicitum ex parte offerentis seu provocantis: qui apertè agit personam privatam se vindicantis aut occidere injustè satagentis. Ex parte verò acceptantis difficultas moveri posset, eò quòd valde ignominiosum vulgò habeatur, si nobilis aut miles provocatus ad duellum, suscipere illud recuset. Quare hæc causa videtur aliquibus sufficiens; ut tacito Auctorum nomine refert *Bannez quæst. 64. art. 7. dub. 3. Castro Palao d. 5. punc. 7. n. 8.* etsi contrarium tenens. Quibus ex parte accedit *Marchant To. 2. Tract. 6. Tit. 3. q. 1. §. 5. dub. 2.* agens de casu, quo officium, militiam, vel gradum deserere ob infamiam aliàs quis deberet cum graviſſimo detrimento proprio aut familiæ.

100. *Communis sententia negans defendum.*

Nihilominus communis Doctorum sententia (quam ut veriorem amplectitur *Bassæus V. Duellum n. 6.*) etiam acceptantem condemnat: eò quòd renuere duellum divinis & humanis legibus prohibitum non sit verè, & apud prudentes ignominiosum, neque sufficiens ignaviæ signum, quin potiùs honorificum; & è contrà ipsi duellum inire est ignominiosum apud probos, & reddit duellantes ipso jure infames. Potestque provocatus, ut ostendat se non esse ignavum, respondere, se paratum fore ad defensionem sui more generosi viri, ubì & quandocumque invasus fuerit, nolle tamen acceptare iniquam provocationem, divinis & humanis legibus repugnantem. Quemadmodum non posset respondere provocanti ad æquales haustus, aut aliam rem malam, esto apud perditos homines idcirco haberetur derisui. Et si evadere hoc malum nequeat, potiùs habere debet patientiam, quàm peccare in Deum. Unde etiam tales puniuntur pœnis duellantium, & ratione præsentissimi periculi æternæ damnationis graviſſimè Deum offendunt. Estque adeò (ut graviſſimè dixit *Tridentinum sess. 25. c. 19. de Reform.*) *detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.*

101. *Edicta Principum Belgii contra duellantes summoperè renovantur.*

Debent autem Principes hujusmodi personas protegere, & abusibus his diabolicis obviare; prout præ aliis fecere Principes Belgii Albertus & Isabella edicto sæpiùs repetito caventes, ne quis alterum provocet ad duellum, sive intra ditiones, sive foras; verbotenus aut missis libellis: nemo nuntia aut hujusmodi libellos recipiat, sub pœna degradationis insignium & nobilitatis, famæ, privationis officiorum, pensionum, ac medietatis bonorum: quòd si qui de facto pugnaverint, seu ad condictum locum devenerint, mortis & confiscationis omnium bonorum. Et quoniam pleraque duella ortum habent ex falsa opinione, quasi degenere timore impediantur, qui manu sua injurias aut convitia non vindicant; declarant Principes falsam eam esse opinionem, honorem injurias passorum sub suam protectionem recipiunt, & ne quis eis exprobret, sub suæ indignationis & arbitraria pœna vetant. Insuper ne quis nuntia aut libellos provocationum deferat, in duellum cunctibus auxilietur quomo-

quomodocumque, aut comitetur, sub capitis pœna & bonorum; prout videre est apud *Zypæum in Notitia juris Belgici l. 9. §. De pugnantibus in Duello.*

102. *Quæ pœna Ecclesiastica contra duella statuta.*

Ecclesia quoque ad hunc abusum ex orbe Christiano exterminandum gravissimas pœnas sancivit adversus duella injusta, ac duellantes & consentientes; ut patet ex *Tridentino sup.* Nam primò principes concedentes duellantibus locum securitatis, sunt ipso facto excommunicati. Secundo, si locum aliquem, in quo vel apud quem duellum permittant, ab Ecclesia vel alijs feudi nomine obtinent, privantur jurisdictione & dominio, hocque redit ad dominium directum. Tertiò, duellum ineuntes, & eorum patrini sunt excommunicati, perpetuò infames, & ut homicidæ puniendi, eorumq; bona fisco addicta. Quartò, in duello occisi privantur Ecclesiasticâ sepultura. Quintò, qui auxilium vel consilium ad duella dederint, aut ea alicui suaserint, aut spectatores fuerint, excommunicantur. Quod intelligendum non esse de spectatoribus, qui casu illic transeuntes duellum vident, sed ex industria seu composito, & ita ut videantur consensisse aut ad pugnam incitare, adsunt duello, patet ex constitutione *Gregorii XIII. in Bulla* 78. quæ incipit: *Ad tollendum detestabilem*, ubi pœnas à Concilijs statutas pro duellis solemnibus, extendit etiam ad privata; idque etiamsi duellantes pugnam non perfecerint, si per ipsos non steterit. Eamdem Constitutionem *Clemens VIII. Constit. Illius vices*, alijs modis extendit, & excommunicationis absolutionem sibi reservat, à qua juxta decretum S. Congregationis Confessarii, etiam regulares, seu aliàs habentes potestatem in casus Papales, qui degunt in Italia extra Urbem, non possunt absolvere. Meritoque hæ Constitutiones sanctissimæ deberent ubivis mandari executioni, earumque viridis observantia procurari.

Varios casus, in quibus non censeatur verum duellum subjectum pœnis duellantium, adferunt Doctores, præsertim Casuistæ passim; apud quos videri possunt.

Restaret hic quoque agendum de Scandalo (de quo Doctores communiter hîc tractant) nisi de eo *P. 2. Tract. de Peccatis* actum fuisset.




TRA-

# TRACTATUS II.

## DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS, AC PRÆSERTIM DE IUSTITIA ET IURE

## PRÆFATIO.

1. *Quænam sint Virtutes Cardinales, & quare sic dictæ.*

VIRTUTES *Cardinales commendantur nobis* Sap. 8. *ubi de æterna Sapientia dicitur:* Sobrietatem & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. *Sobrietatis enim nomine hîc significatur temperantia, sicuti nomine Virtutis fortitudo, ut docet* Augustinus l. 1. Retract. c. 7. *& ex textu Græco satis clarè constat; ubi ponuntur nomina harum virtutum Philosophis usitata. Vocantur hæ Virtutes aliquando principales, ut patet apud* Ambrosium 1. Offic. c. 14. Prosperum l. 3. de Vita contemplat. c. 18. Gregorium 2. Moral. c. 27. *aliàs* 36. *Frequentiùs Cardinales, præsertim apud Scholasticos; prout etiam vocantur apud* Ambrosium lib. 5. in Lucam: *quia nimirum in earum exercitio post Theologicas omnis morum honestas firmatur ac quasi in cardine vertitur, eademq; sunt prima quædam ac principalia honestæ vitæ fundamenta. Cetera quoque Virtutes morales ijs sunt annexæ, tamquam partes potentiales (ut Doctores loquuntur) sive ob affinitatem ad illas reducuntur.*

## DISPVTATIO PRIMA.

### *De Prudentia, & Vitijs Oppositis.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid sit Prudentia, Quod ejus Officium, Quæve Partes?*

2. *Quid prudentia generatim.*

PRUDENTIA generatim sumitur pro omni notitia veri, præsertim quæ aliquo modo ad rectè vivendum pertinet, prout pertinet universim fides & notitia Theologica. Speciatim verò & propriè, ac ad sensum præsentis loci describitur ab *Augustino l. 1. de lib. arbit. c. 13. Rerum appetendarum & vitandarum scientia.* Ab *Aristotele 6. Eth. 5. Habitus agendi ratione verâ circa bona humana,* quæ scilicet sunt bona hominis, quâ talis: vel (ut alii ex eodem *Aristotele*) *Recta ratio agendorum.* Ex quibus alii hanc tamquam pleniorem & clariorem definitionem collegerunt, quòd scilicet Prudentia sit Virtus intellectûs, quâ in quovis negotio occurrente novimus, quid honestum sit, quid turpe, seu

*Quid stricte dicta.*

seu quid agendum, quidque fugiendum.

3. *Spectat ad intellectum.* *Quo sensu vocari possit virtus moralis.*

Unde patet Prudentiam spectare ad intellectum, essequè adeò virtutem intellectualem. Quamvis possit quoque dici virtus moralis hâc ratione, quòd sit proxima directrix actionum moralium voluntatis. Proinde est velut regula seu mensura actionum bonarum, facitquè directivè voluntatem rectam. Versatur autem Prudentia non nudè circa conclusiones universales morum, sed circa actiones singulas in particulari, dictans quomodo, & cum quibus circumstantiis, sint hîc & nunc exercendæ. Quæ actiones eatenus spectatæ idcirco sunt Prudentiæ tum objectum, tum effectus, tum finis. Debetquè in iis, earumque fuga considerari honestas aut turpitudo: ut proinde hâc consideratione secluså solùm impropriè & per quamdam similitudinem dicatur quis prudenter agere in iis quæ tantùm artis sunt. Neque solùm prudentia dictat quid boni particularis agendum, sed etiam quid vitandum: contrariorum enim eadem est scientia; nec potest esse perfecta notitia rectè vivendi, nisi sciatur, quid in moribus sit vitandum.

*Circa quid versatur.*

*An solum consideret honestum vel turpe.*

4. *An judicium prudentiæ possit interdum esse falsum.*

Difficultas moveri posset, quomodo Prudentia quatenus versatur circa singularia sit virtus intellectualis, cùm ei possit subesse falsum, dum videlicet rectè quis operatur ex ignorantia inculpabili; prout contigit in Jacob cognoscente Liam. Resp. tali casu conclusionem esse practicè verissimam, nimirum licitè attentis talibus circumstantiis accedi ad talem feminam; adeoque esse objectum judicii verissimi Prudentiæ, quo hoc ipsum judicatur esse licitum. Quòd si quis judicium tale formet (quod non est necesse) quatenus illatum ex una præmissa falsa, quæ inculpabiliter putatur vera, v.g. ex hoc, quòd ista verè sit uxor, fatendum quidem præfatum judicium fore speculativè falsum ex parte motivi inadæquati; conclusio tamen objectiva est verissima, ipsumque judicium est practicè verum, quatenus sufficit ad honestatem actionis & appetitum rectum. Unde sic operans est sufficienter certus de honestate actionis hîc & nunc exercendæ. Vide dicta *Tract. de Act. Hum. d.* 4. *q.* 2. *num.* 15.

5. *Dubitatio subsequens non inficit actum præteritum.* *Vide ipsum tractatum.*

Nec refert, quod postea interdum oriatur dubium de honestate præteritæ actionis. Nam dubium subsequens non potest inficere actionem, quæ dum exercebatur, judicabatur honesta, inquisitis & attentis iis, quæ occurrebant inquirenda & attendenda. Oritur autem dubium subsequens (si sit verum dubium, & non scrupulus; qui etiam consistit cum præsenti exercitio honestæ actionis) sive ex agnitione circumstantiæ antea ignotæ, sive ex oblivione alicujus antea cognitæ.

6. Cùm verò Prudentia versetur circa omnia agibilia in particulari, quæ quidem innumera ac disparatissima sunt, & quoad honestatem disparatissimis motivis seu fundamentis nituntur, censendum omnino cum *Scoto* 3. *d.* 36. *num.* 122. *Occam*, *Bassolis*, *Gabriele*, *Almaino*, quos sequitur *Lessius lib.* 1. *de Virtut. Card. cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 6. & plurimi Recentiores, contra *Thomistas*, *Vasquez*, *Tannerum* & alios, Prudentiam non esse unum simplicem habitum, sed multiplicem specie, adeoquâdam dumtaxat collectione unum, instar totalis scientiæ. Quemadmodum etiam ars non est una specie respectu omnium factibilium, sed multiplex. Ex quo ulteriùs colligitur non esse dicendum completè prudentem, sed in certa tantùm materia, qui circa nonnulla solùm agibilia prudenter judicat, & non circa omnia vel saltem pleraque, sed circa hæc imprudens est.

*Prudentia non est habitus specie unus, sed aggregatione.*

7. *Officia Prudentiæ quæ assignentur à D. Thoma.*

Officia seu functiones Prudentiæ numerantur à *D. Thoma quæst.* 47. *art.* 8. bene consultare, bene judicare, bene præcipere executionem; immo præcipere dicit esse actum principalem Prudentiæ. Verùm consultatio, quæ est quædam veritatis inquisitio frequenter necessariò prævia ad judicium prudenter formandum, non est propriè actus prudentiæ, quæ est habitus judicativus, seu rectè judicandi de consultatis. Potest tamen prudentia ipsam consultationem, ubi utilis vel necessaria est, præscribere, seu judicare esse adhibendam; ne aliàs temere quis in operando procedat. Quod igitur *Aristoteles* 6. *Ethic.* 7. de consultatione dixit, ipsam *prudentis maximè opus esse*, verum est, partim quatenus consultatio ad prudentiam concurrit velut conditio ad ejus actum prærequisita & pars potentialis, partim quia prudentia dictat consultationem esse adhibendam. Judicium autem dictans agenda hîc & nunc aut vitanda, propriè est ipse actus prudentiæ, qui propriè consistit in recto judicio circa actionem exercendam, quo nimirum quis judicat actionem hîc & nunc debere juxta regulas rationis tali modo fieri. Præcipere verò non est propriè actus prudentiæ, sed est quædam volitio, electio scilicet proximè movens ad executionem operis: at intellectûs non est imperare, sed dirigere; ut contra *Thomistas* habet communis & alibi probata doctrina *Scotistarum*, & aliorum Doctorum.

*Consultatio non est propriè actus Prudentiæ.*

*Quod judicium sit propriè Prudentiæ.*

*Præcipere nō est actus Prudentiæ.*

8. *Non solùm media, sed & fines Prudentia præscribere potest.*

Neque Prudentia solùm præscribit consultationem de mediis, aut dictat ipsa media, sed etiam præscribit frequenter ipsos fines, saltem in particulari; ut rectè docet *Scotus* 3. *d.* 36. *nn.* 18. *& seqq.* *Suarez*, *Vasquez*, *Arriaga* & alii passim contra *Thomistas*, *Valentia* & alios. Patet enim experientiâ, quòd non rarò propositis variis finibus, intellectus deliberet seu consultet, quis

quis illorum sit amplectendus, v.g. an hîc & nunc abstinendum, an verò comedendum quod delectabile apparet gustui, & sic de ceteris. Tunc autem rebus perpensis, prudentiæ est dictare præferendam v. g. esse abstinentiam ob honestatem quâ prædita est, & sic de ceteris, etiam non attentâ utilitate ulteriori: quamquam si Prudentia sit christiana, & meritorii operis regula, consideretur ultimatus finis, ad quem exercitium virtutum moralium tamquam medium dirigatur. Accedit, quòd actum virtuosum voluntatis necessariò præcedat dictamen prudentiæ; potest autem hujusmodi actus voluntatis indubiè circa ipsum finem v. g. honestatem hujus vel illius virtutis, & non tantùm circa media ad illam conducentia versari, adeoque per prudentiam dirigi. Deinde etsi Synderesis (quæ juxta Nonnullos est habitus superadditus, juxta alios autem ipse intellectus habilis & expeditus ad judicandum de objecto Synderesis, ut volunt *Nominales* tenente *Ponzio d.36. in Comment. Scoti num.115.*) versetur circa universalissima morum principia; tamen circa conclusiones practicas, aut actiones hîc & nunc vi illarum etiam circa ipsos fines exercendas (de quibus hîc agitur) ipsa non versatur, neque etiam aliæ virtutes intellectuales (ut indirectione cuivis eas noscenti obviâ patet) adeoque circa has versatur ipsa prudentia.

*Expenditur mens D. Thomæ.*

Unde rectè dixit ipse *D. Thomas* 1. 2. *quæst. 66. art. 3. Prudentia non solùm dirigit virtutes morales, in eligendo ea quæ sunt ad finem, sed etiam in præstituendo finem.* Est autem finis uniuscujusque virtutis moralis attingere medium in propria materia; quod quidem medium determinatur secundùm rectam rationem prudentiæ. Proinde ne hîc sibi contradicat *qu. 47. art. 6.* docens prudentiam solùm disponere de iis, quæ sunt ad finem, intelligi potest de officio ordinario prudentiæ, & fine universali seu communi, ad quem homo censeatur citra deliberationem jam satis determinatus.

10. *Octo partes integrales Prudentiæ enumerantur ac describuntur.*

Ad partes Prudentiæ quod attinet, *D. Thomas quæst.* 48. potissimùm ex *Macrobio* & *Tullio* octo enumerat partes integrales prudentiæ, videlicet Memoriam aliquando perceptorum, unde nascitur experientia magistra prudentiæ, quæ circa operabilia ut plurimùm contingentia versatur: Intellectum seu intelligentiam, primorum scilicet principiorum practicorum: Docilitatem, seu promptam facilitatem ad discendum ab aliis prudentibus & expertis; quò facit tum dispositio ingenii, tum studiosa sollicitudo: Solertiam seu Eustochiam à *D. Thoma* desumptam ex *Aristotele*, quæ est prompta & facilis conjectatio medii, sive mediantibus instructionibus, sive propria inventione: Rationem, quæ est promptitudo ratiocinandi, & unum ex alio simili, vel applicando principia generalia colligendi: Providentiam, quæ respicit futura hîc & nunc maximè à prudentibus consideranda, veluti jam agendis connexa: Circumspectionem, quæ respicit circumstantias præsentes undequaque occurrentes & considerandas: Cautionem, quâ quis advigilat, ne sub specie boni voluntas in eligendo seu determinando decipiatur.

11. *An sint omnes propriè partes illius, & invicem conditiona.*

Non omnes autem ex his sunt propriè partes vel actus Prudentiæ, etsi concurrant aut prærequirantur saltem ad ejus consecutionem & usum: ut patet in docilitate, quæ pariter prærequiritur ad alias scientias, uti & juvat proportionata memoria, intelligentia principiorum, solertia, promptitudo ratiocinandi. Cautio quoque à Nonnullis refertur ad circumspectionem, seu cognitionem circumstantiarum; cùm ipse *D. Thomas q. 49. art. 7.* necessitatem circumspectionis fundet in hoc, quòd cùm actiones humanæ maximè mutentur ex circumstantiis, sæpè contingat propter aliquam circumstantiam objectum esse malum & contrarium fini intento, quod ablatâ circumstantiâ poterat judicari bonum: hoc ipsum autem maximè spectat ad cautionem. Unde qui circumspecti, etiam cauti sunt & dicuntur. Providentia (quæ tamen aliter à Nonnullis explicatur, ut sit ordinatio mediorum in finem; quod est principale officium seu actus prudentiæ) locum habet in actionibus, quæ sunt illativæ in futurum alicujus effectûs, qui proinde in præsenti considerari debet. Eamque *Arriaga d. 50. sect. 2. num. 9.* non distinguit à circumspectione (quod spectat ad quæstionem de voce) à prudentia verò distinguit eam *num. 11.* tamquam inclusum ab includente, eò quòd prudentia etiam versetur circa actiones in quibus non consideratur honestas earum ex futuro, sed tantùm ex præsenti. Nihilominus generaliter spectat ad præditum Prudentiâ christianâ providere & considerare in omnibus actionibus futura post hanc vitam.

12. *Alius modus assignandi partes integrales Prudentiæ.*

Aliter possunt partes integrales prudentiæ vocari partiales habitus; partim numero, partim specie distincti, ex quibus conflatur una completa & totalis prudentia. Qui tamen partiales habitus, quatenus considerari potest prudentia instar generis aut universalis, possunt etiam censeri partes subjectivæ; quamvis hæ aliis nominibus soleant à *D. Thoma* & aliis Doctoribus recenseri.

13. *Quid significetur per partes subjectivas, quid per potentiales.*

Itaque partes subjectivæ (quo nomine species seu inferiora vocantur; uti nomine partium potentialium intelliguntur virtutes prudentiæ affines, ad quam proinde ratione

ratione cognationis magnæ reducuntur, eique annecti solent: quod pariter locum habet in temperantia, fortitudine & justitia) à *D. Thoma quæst.* 48. *art. unic.* assignantur prudentia personalis, quæ etiam solitaria & sui moderatrix dicitur: alia poliarchica, quæ etiam dicitur regitiva vel gubernatrix: illa respicit directionem cuique propriam in ordine ad suum bonum: hæc directionem multitudinis. Dividiturque ipsa ab *Aristotele 6. Ethic.* 8. in Oeconomicam, quâ quis novit quomodo gubernanda sit familia: Civilem seu politicam, quâ novit, quomodo regenda sit respublica: & legislatricem, quæ etiam nomothetica dicitur, quâ novit, quæ leges sint condendæ. Addit *D. Thomas q.* 50. *art.* 4. prudentiam militarem, quæ supponere videtur artem militarem, eique superaddere notitiam dirigendi milites ad functiones militares secundùm regulas virtutis, præsertim fortitudinis obeundas.

*Quæ partes subjectivæ prudentiæ.*

14. Attamen hæ omnes prudentiæ comprehenduntur revera sub prudentia personali: is enim, qui prudenter v. g. administrat familiam, facit quod & qualiter decet suam personam agere, & sic de cæteris quælibet prudentia in ordine ad quemlibet finem dirigit propriâ personam ad judicandum, quid sibi honestum sit ut agat: quamquam distinguantur secundùm actiones directas, earumque fines, quòd scilicet in prudentia merè personali sit finis privatus, in actionibus aliarum sit etiam finis communis familiæ aut civitatis aut regni. Et in tali consideratione rectè distinguuntur istæ prudentiæ, saltem sumendo prudentiam personalem exclusivè, ut scilicet intendat bonum proprium tantùm. Quâ ratione sunt multi simplices & unà prudentes personaliter, qui forent imprudentes in œconomia, politia, legislatione, militia.

*Qualiter omnes comprehendantur sub prudentia personali.*

15. Tres denique assignantur à *D. Thoma quæst* 51. partes potentiales prudentiæ, Eubulia, Synesis, & Gnome. Sed de sola Eubulia, quæ est habitus inclinans ad rectè consultandum, id potest sustineri. Synesis enim, quæ est habitus judicandi de particularibus operabilibus consultatis, idque juxta communes regulas, & Gnome, quæ est habitus rectè judicandi ex principiis quibusdam altioribus præter ordinarias regulas, seu contra tenorem verborum legis (quod fit per epykiam) sunt ipsamet prudentia, eamque integrant, uti diversi habitus circa diversas conclusiones unam scientiam totalem.

*Inter partes potentiales sola est Eubulia, non Synesis & Gnome. Quid sint singula.*

## QUÆSTIO II.

### *De Vitiis Prudentiæ Oppositis.*

OMNE peccatum est aliquo modo contra prudentiam, scilicet contra ejus dictamen: non tamen peccatur semper ex judicio imprudenti, sed quandoque ex indifferenti, quo scilicet aliquid judicatur non esse quidem honestum, sed tamen delectabile, in ordine ad ipsum agendum; aut esse quidem præceptum, tamen molestum, in ordine ad illud omittendum. Alioquin satis patet, quòd dum homo rectè & ex prudenti judicio operatur, etiam in materia præcepti, id agat liberè, potens, eâdem manente notitiâ, non agendo vel oppositum operando, peccare. Omnis tamen peccans est quodammodo imprudens & ignorans. Imprudens quidem, quia agit contra dictamen sive judicium prudentiæ: ignorans autem, quatenus vel ignorat, vel turpitudinem peccati ut par est non considerat: quamquam (licet rariùs fiat) simpliciter posset quis omnino considerans ex malitia pura peccare.

16. *Quo sensu omne peccatum sit contra prudentiam, quo non.*

Propriè itaque loquendo opponitur generaliter judicio prudentiæ ipsa imprudentia actualis, consistens in judicio non recto de opere hîc & nunc exercendo: prudentiæ verò habituali opponitur imprudentia habitualis inclinans ad hujusmodi judicium. In ea tamen non est per se speciale peccatum, nisi ad summum veniale, quatenus excludit scientiam: de qua non est speciale præceptum extra materiam fidei. At ratione operis præcepti aut vetiti, cujus omittendi vel agendi periculo quis se exponeret, est peccatum (supposito sufficienti voluntario) proportionatè ad qualitatem operis præcepti aut vetiti.

17. *Imprudentia opposita prudentiæ in quo consistat.*

Specialiter autem inter vitia per defectum opposita prudentiæ recenseri solent ex *D. Thoma quæst.* 53. & 54. Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, & Negligentia; utpote opposita ipsis prudentiæ regulis. Quarum una est, ut opus non aggrediaris cum impetu & accelerata determinatione, non prævia deliberatione seu consultatione congruâ, cui opponitur præcipitatio seu temeritas. Secunda, ut excluso accelerato impetu non feras iudicium, neglectâ attentâ consideratione qualitatum & circumstantiarum operis; cui opponitur inconsideratio. Tertia, ut post maturam deliberationem & consideratum judicium, non facilè ab eo divellaris, & ad sententias mutandas omni vento facilè movearis; cui opponitur inconstantia. Quarta, ut quod deliberatum & resolutum est, oportunè exequaris, cui opponitur negligentia consistens in defectu sollicitudinis & tar-

18. *Expenduntur vulgata vitia prudentiæ opposita per defectum Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, Negligentia.*

& tarditate præcipiendi quod consultatum & judicatum est fieri, juxta *D. Thomam quæst.* 54. *art.* 3. Verùm defectus iste non est intellectûs, aut prudentiæ (cujus solùm est dictare & judicare, non præcipere) sed voluntatis; ut proinde prudentia sit suis numeris absoluta, quando non temerè, sed considerate & constanter seu inflexibiliter judicat, quid hîc & nũc agendum vel omittendum est. Negligentia autem in volendo & exequendo opere tunc est solius voluntatis; estque opposita illi virtuti, in cujus materia versatur, v.g. negligentia in explendo prælati mandato, contra obedientiam; in colendo Deo, contra religionem, & sic de ceteris.

19. *Unde oriantur,* Porrò juxta *D. Thomam q.* 53. *art.* 6. oritur præcipitatio, inconsideratio, & inconstantia maximè ex luxuria; eò quòd passio luxuriæ animum absorbeat, & ad sensibilem delectationem trahat, adeoque maximè corrumpat æstimationem prudentiæ. Eædem proinde sunt filiæ luxuriæ juxta *Gregorium* 31. *Moral.* c. 17. aliàs 31. Nihilominus oriuntur satis frequenter aliunde, præsertim in materiis à luxuria omnino independentibus: Præcipitantia quidem ex cholera sive ira, ipsa quoque & Inconsideratio ex superbia, aliisve vitiis. Inconstantia similiter ex timida complexione & instabilitate animi, aliisve occasionibus originem frequenter trahit. Neque in hujusmodi defectibus est periculum gravis peccati per se; sed tunc solùm per accidens, quando ex illis omitteretur aliquod opus graviter præceptum, aut fieret aliquod graviter prohibitum, sive adesset periculum morale. *Qualia sint peccata.*

20. *Quæ vitia Prudentiæ opposita per excessum assignentur.* Præter hæc enumerant Doctores cum *D. Thoma quæst.* 55. nonnulla vitia habentia quamdam fucatam speciem seu similitudinem prudentiæ, tamquam eidem opposita per excessum, scilicet prudentiam carnis, astutiam, dolum, fraudem, sollicitudinem nimiam de temporalibus, & futuris.

*Quid Prudentia carnis, & quale peccatum.* Prudentia carnis dirigit opera carnis, seu facta secundùm instinctus naturæ corruptæ, sicut vera prudentia opera spiritûs; excogitatque idonea media ad opera mala seu carnis complenda: & quidem si opera, quæ dirigit, sint mortalia, est mortalis. De qua Apostolus *ad Rom.* 8. *Prudentia carnis, mors est.* Et iterum: *Sapientia carnis inimica est Deo.* Si venialia, est ipsa venialis. Tota enim ejus malitia est ex affectu quem conjunctum habet, eumque connotat: nam ratio ingeniosè inveniendi & assequendi ea, quæ carnis cupiditatibus serviunt, etiam potest cognosci à viris sanctis, sed non practicari; qui idcirco non dicuntur prudentes secundùm carnem, stylo, aut ex mente Scripturæ.

21. *Astutia diversimodè sumitur.* Astuti generatim dicuntur, qui norunt modos agendi non passim obvios, quibus vel alios decipiant, vel cavent, ne decipiantur. Et sic est quid magis commune astutia, quàm prudentia. Immo in Scriptura interdum nomine astutiæ prudentia intelligitur, *Proverb.* 1. *Ut detur parvulis astutia*, id est, circumspectio, ne facilè decipiantur. Et c. 13. *Astutus*, id est, prudens & circumspectus, *omnia agit cum consilio.* Hîc sumitur pro notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum cum affectu exequendi conjuncta. Sic sumitur ab Apostolo 2. *Cor.* 4. *Non ambulantes in astutia.* Continet artem simulandi & dissimulandi, habetque locum in functionibus proximum concernentibus: nemo enim sibi quid occultum cupit, sed proximo. Est denique species prudentiæ carnis latè sumptæ: nam videntur maximè secundùm mundum prudentes, qui modos norunt occultos obtinendi temporalia fallendo alios. *Quo sensu hîc sumatur.*

*Quid Dolus & Fraus.* Dolus generatim est astutæ executio, tum per verba, tum per facta; potissimum autem quæ fit per verba. Fraus est executio astutiæ per facta; adeoque quid minus commune ad dolum. Habent se ad prudentiam falsam, sicut pactiones justæ ad prudentiam veram: nam sicut hæ regulis prudentiæ, ita illæ regulis astutiæ diriguntur; adeoque hi modi agendi contra prudentiam non distinguuntur ab astutia sed sunt executiones, seu actus externi astutiæ.

22. *Sollicitudo temporalium & futurorum expenditur.* Sollicitudo temporalium & futurorum moderata laudabilis est, commendata *Proverb.* 6. & 10. Nimia reprobatur *Matth.* 6. *Lucæ* 12. & 1. *ad Timoth.* 6. estque ipsa radix malorum. Involvit autem nimiam temporaliũ cupiditatem, anxiam curam illa conservandi aut consequendi inde oriundam, & similiter nimiam circa illa mentis occupationem. Quare radicaliter & præcipuè, quatenus est vitiosa, in voluntate consistit. Unde est summè cavenda, etsi tantùm sit venialis, nisi dum quis idcirco violat aut violare paratus est præceptum graviter obligans. Vide effectus hujus vitii apud *Lessium lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 29. & 30.

Sollicitudo futurorum maximè circa temporalia versatur, & sic est species sollicitudinis temporalium. Aliàs etiam versatur circa honores, promotiones &c. prout quis similibus cupiditatibus est intricatus.

DIS-

# DISPUTATIO SECUNDA.

## *De Temperantia, ejusq; Partibus, & Vitiis Oppositis.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid sit Temperantia, & quæ Vitia Opposita?*

1. *Quid Temperantia generatim, quid specialiter dicta.*

TEMPERANTIA generaliter sumpta est virtus, quæ refrænat affectum hominis ab iis, quæ ipsum contra rationis præscriptum allicĩut. Specialiter verò sumpta, est virtus quæ moderatur voluptates gustûs & tactûs concernentes generationem & nutritionem.

*Hujus materia examinatur.*

Dico *voluptates gustûs & tactûs*: non enim versatur temperantia propriè & strictè sumpta circa oblectamenta aliorum sensuum: quia non solent homines dici temperantes aut intemperantes ex eo, quòd moderatè vel immoderatè delectentur pulchritudine rerum quas intuentur, aut suavitate vocum vel odorum quos auribus vel olfactu percipiunt: nisi velut secundariò & per accidens, in quantum scilicet objecta sensibilia istarum delectationum conferunt ad delectabilem usum rerum necessariarum ad speciei aut individui conservationem, sive ad generationem aut nutritionem. Sic versabitur temperantia circa voluptatem, quæ oritur ex pulchritudine & ornatu feminæ, quatenus confert ad delectabilem ejus usum &c.

Dixi etiam *concernentes generationem & nutritionem*: non omnis enim voluptas horum sensuum pertinet ad materiam temperantiæ: nam tactus non tantùm delectatur iis, quæ pertinent ad venerem, sed etiam aliis, v. g. mollitie, calore, & similibus.

Voluptas etiam gustûs si per se & solitariè spectetur, non est sufficiens materia temperantiæ: neque enim quis dicitur propriè intemperans ex eo, quòd suavitate saporis, seu ciborum deliciis plus æquo delectetur, sed inde potiùs dicitur delicatus. Unde excedere in voluptate gustûs, & præcisè ibi sistatur, & non accedat delectatio quæ est per sensum tactûs, non est actus intemperantiæ strictè dictæ, sed excedere in fruitione cibi & potûs, quæ fruitio fit per contactum, maximè dum cibus & potus trajicitur per œsophagum. Unde helluo quidam *Philoxenus Erixus* optabat collum longius collo gruis, ut diutiùs cibo uteretur teste *Aristotele* 3. *Ethic.* 10.

2. Materia igitur propria temperantiæ est appetitio esculentorum, poculentorum, & venereorum, & delectatio inde resultans; remotior verò est externus horum usus, remotissima ipsa objecta delectabilia: voluptates enim circa hæc objecta vehementissimæ sunt, maximeque alliciunt, ac hominem à se ipso, si ratio modum non adhibeat, abducunt. Unde sicut brutis nobiscum communes sunt, sic hominem quasi brutalem faciunt, non sic delectationes aliorum sensuum, quæ non sunt ita vehementes, aut rationi repugnantes, sicut delectationes gustûs & tactûs; adeoque pro his maximè necessaria fuit virtus earum moderativa juxta rationis præscriptum.

*Eadem determinatur.*

*Ratio statuenda specialis virtutis Temperantiæ assignatur.*

Non rectè tamen ad propositum hic allegatur, quòd delectationes aliorum sensuum non sint brutis communes nobiscum, quasi bruta eas non appetant, nisi in ordine ad tactum, sive nutritionem vel commixtionem, id est, quatenus alterutrius imaginationem ingerunt: quamvis enim id asserat *D. Thomas quæst.* 151. *art.* 4. *Lessius lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 1. & quidam alii, & verè ita interdum fiat: tamen sic semper aut necessariò fieri gratis omnino asseritur: non enim est ratio, cur bruta, in sensibilibus nobis similia, immo in nonnullis præcellentia, non delectentur objectis delectabilibus aliorum sensuum in iis sistendo, utì nos: cùm totum id sit intra sphæram potentiæ materialis seu sensitivæ. Neque aliquid urgens à posteriori potest in contrarium allegari. Immo experientia potiùs contrarium suadet: docet enim aves delectari sono characæ, cantu aliarũ avium, etiam masculorum, ac extra tempora coitûs. De odoribus idem probant *Conimbricenses* 2. *de Anima c.* 9. *q.* 5. *art.* 2.

3. *Quædam ratio rejicitur.*

*Vbi res examinatur, an bruta delectentur objectis auditûs &c. in iis sistendo.*

Vitia temperantiæ opposita duo enumerantur, Stupor videlicet, & Intemperantia. Stupor seu insensibilitas opponitur ei per defectum: ex parte nimirum materiæ, quatenus deficitur in delectabilibus (quamvis aliâ cõsideratione sit quidam excessus temperantiæ sive abstinentiæ) estq; vitium quo cavet & fugit quis delectationes gustûs & tactûs, ut nolit eis uti, quando, vel ubi, vel quantum secundùm rectam rationem oportet, quod vitium est satìs rarum, ut experientia docet. Est peccatum mortale aut veniale pro qualitate obligationis rei delectabilis repudiatæ. Unde graviter peccas, si idcirco debitum conjugale reddere, necessarium alimentum sumere detrectes &c. Ibi tamen concurrit obligatio alterius virtutis, puta justitiæ, propriæ charitatis &c.

4. *Quæ sint vitia opposita Temperantiæ.*

Intemperantia temperantiæ oppositа per excessum (quod intellige modo statim declarato) est vitium, quo quis in appetendis & fruendis delectationibus gustûs & tactûs antea explicatis excedit super rationis mensuram. Vitium hoc est maximè probrosum: in eo enim nihil latet ingenii, industriæ, generositatis, aut similium, quæ hominem decent, sed eum à rebus rationali creaturâ dignis avertit, bestiisque assimilat, ac luce rationis velut extincta mancipium ventris & gulæ reddit.

*Intemperantia Curvitium maximè probrosum.*

Partes temperantiæ integrales assignantur à *D. Thoma q. 143. art. un.* Verecundia & Honestas: Subjectivæ, Castitas, Pudicitia, Abstinentia in cibo, Sobrietas in potu: Potentiales, Continentia, Humilitas, Mansuetudo, seu clementia, modestia. De quibus & vitiis oppositis superest agendum.

*Quæ sint partes temperantiæ.*

## QUÆSTIO II.

### *De Verecundia, Honestate & Castitate.*

VERECUNDIA propriè est passio quædam, dolor videlicet vel timor probri ex consideratione rei vel facti turpis seu probrosi, unde scilicet probrum seu dedecus nascitur. Quare primariò fugit probrum, secundariò & consequenter etiam ea quæ sunt probro digna, cujusmodi maximè sunt peccata intemperantiæ. Et hâc ratione quodammodo conducit ad temperantiam, etsi non sit propriè virtus. Laudabilis tamen est passio, si sit moderata, seu non excedens aut deficiens. Excessus autem cernitur in iis, qui quasi pavidi ad quævis suffunduntur verecundiâ: defectus verò in impudentibus, qui non erubescunt, ubi verecundandum esset. Qui autem intra limites decentiæ verecundatur, laudabiliter verecundus est. Quòd si verecundia sumeretur pro actu voluntatis refugientis excessum ex consideratione turpitudinis, jam foret ipsissimus actus virtutis temperantiæ.

5. *Quid Verecundia.*

Honestas aliquando sumitur pro opulentia *Sap.* 8. ubi divitiæ indefectibiles dicuntur *honestas sine defectione.* Et *c.* 10. *Honestavit*, id est ditavit, *illum in laboribus.* Et *Eccli* 31. *Vigilia honestatis*, id est, juxta Septuaginta, *divitiarum.* Communiter verò honestas idem est quod decor seu pulchritudo quædam intelligibilis, coincidens cum bonitate morali; quæ mentem trahit suâ excellentiâ, etiam sepositо alio commodo aut utilitate. Tunc autem virtus singularius nomen honesti aut decori participat, quando exteriùs innotescendo exhibetur seu elucet decor & honestas animi in actionibus exequendis modo & circumstantiis debitis. Specialius verò statuitur esse pars temperantiæ, quatenus sumitur pro virtute retrahente hominem à maximè probrosis & inhonestis, seu brutalibus voluptatibus, scilicet cibi, potûs & veneris, & inclinat ad amandum decorum particulariter relucens in abstinentia ab illis. Estque ita præstantissima temperantia, amans honestum & declinans inhonestum oppositum.

6. *Quid Honestas.*

Castitas generaliter accepta significat puritatem animi ab omni inordinata delectatione & amore creaturarum: anima enim ex inordinata adhæsione erga res creatas, quasi contaminatur, quemadmodum per corporales immunditias corpus fœdatur. Propriè autem accepta castitas, de qua nobis hîc est sermo, est virtus quæ moderatur affectum & usum rerum venerearum. Dicitur quoque pudicitia, prout versatur circa oscula, tactus & similia prævia ad actum principalem. Quæ proinde non rectè enumeratur tamquam distincta virtus: cùm moderatio omnium hujusmodi affectuum & operum spectet ad eamdem virtutem.

7. *Quid Castitas.* *Quid Pudicitia.* *An distinguatur à Castitate.*

Idemque dicendum est de continentia; quæ (omissis pluribus acceptionibus, quas recenset *Sylvius q.* 155. *art.* 1.) interdum significat castitatem perfectam, sive affectum abstinendi ab omnibus venereis etiam licitis, estque continentia cælibum aut vidualis. Interdum sumitur pro virtute, quæ resistit insurgentibus contra rationem motibus carnalis concupiscentiæ. Et sic sumpta recensetur quidem à *D. Thoma. q.* 143. *art. un.* & *q.* 155. inter virtutes potentiales temperantiæ, revera tamen est ipsissima castitas seu temperantia inadæquatè concepta, quæ moderatur omnem affectum inordinatum venereorum, adeoque impeditur consensum in motibus inordinatis, coldemque reprimere studet. Vel si accipiatur prout generatim refrænat motus intemperantiæ, erit ipsa virtus temperantiæ. Ad summum cõtinentia sic sumpta connotat quamdam imperfectionem continentiæ, veluti subjecti hujusmodi motibus in parte sensitiva non perfectè edomitis, quam non ita connotat temperantia seu castitas; ut continens similis sit habenti feras agrestes cicurandas, temperans seu castus ei qui jam illas cicuravit: quamvis & hic frequenter non careat motibus contra rationem insurgentibus inæqualiter juxta diversitatem complexionis, occasionum vel divinæ permissionis ad majus meritum.

8. *Quid Continentia.* *Non recte numeratur inter partes potentiales temperantiæ.*

Dividitur Castitas in perfectam & imperfectam. Perfecta est, quæ ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis, quàm illicitis, perpetuò abstinere proponit. Imperfecta est, quæ vel solùm ad tempus id proponit, vel solùm ab illicitis abstinere & licitis moderatè uti; prout est in matrimonio, diciturque castitas conjugalis.

9. *Castitas alia perfecta alia imperfecta seu conjugalis.*

Castitas perfecta, alia est vidualis, quæ est in

10. *Perfecta,*

*alia Vidualis, alia Virginalis.*

est in iis, qui integritatem carnis per usum conjugii aliquando violarunt: cui affinis est in iis, qui deinceps castitatem perfectam proponentes, carnis integritatem etiam extra usum conjugii violarunt: alia virginalis, quæ solet virtus virginitatis vocari, & superaddit castitati perfectæ carnis puritatem seu integritatem voluntariam, sive voluntariè omni tempore amplectendam & studiosè conservandam. Ideoque *Augustinus l. de S. Virginitate c.* 13. eam describit dicens quòd sit *in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditata*; seu voluntas jugi periculorum meditatione indigens, perpetuò vitandi omne libidinosum mentis contagium & corporis corruptionem. Cui quidem sæpe accedit sanctum & meritorium ejus semper conservandæ votum; cujus violatio constituit sacrilegium. Ipsa tamen virtus aut ratio virginitatis hujusmodi votum non requirit; cùm nullo id fundamento doceri queat.

*Quid virginitatis virtus.*

*Non includit votum.*

11. *Solùm potest amitti voluntariè, etsi physica integritas etiam violentè.*

Unde virtus virginitatis non nisi voluntariè potest amitti: quamquam physica integritas, quæ inest à natura posset etiam virgine nolente violari per oppressionem, etsi non violetur pudicitia seu castitas, adeoque nec virginitas quatenus virtus; ut rectè *Augustinus l. 4. contra Julianum c.* 8. Et 1. *de Civit. c.* 18. ubi addit: *Obstetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans, sive malevolentia, sive insciti, sive casu, dum inspicit, perdidit.* Propterea S. Lucia dicebat: *Si invitam jusseris violari, castitas duplicabitur ad coronam.* Quare etiam involuntariè corruptas sua manet laureola virginalis.

12. *Violenter corrupta an possit recipere ab Episcopo velum consecrationis.*

An autem possint ab Episcopo recipere velum consecrationis dubitatur. Et quidem multi Doctores negant ducti auctoritate *Leonis* Papæ c. *Illæ autem* 32. *q.* 5. Sed ibi potiùs datur consilium, quàm præceptum; & sermo videtur de casu notorio, in quo ob suspicionem consensûs & externam indecentiam tales difficilè admitterentur. Aliàs autem admitti posse, tamquam non corruptas, supple voluntariè, uti in casu integritatis amissæ per imprudentiam obstetricis; est sententia satis probabilis.

13. *Quomodo amittatur virginitas, & an recuperabilis.*

Cùm itaque virginitas, de qua hîc, sit virtus castitatis perfectæ, amittitur per actus huic contrarios, etiam merè internos, immo per propositum nubendi & unà matrimonium consummandi. In hujusmodi enim deficit perfecta castitas. Quamuis manente integritate seu incorruptione corporis & statu velut physico virginitatis, recuperetur castitas perfecta, adeoque dum caro est integra, potest recuperari virginitatis virtus per pœnitentiam seu propositi immutationem. At si caro semel sit voluntariè corrupta, impossibile est virginitatem recuperari juxta illud *Hieronymi Epist. ad Eustochium de Custodia Virginit.* circa init. *Cùm omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam &c.* Nimirum, quia quod semel factum est, uti supponitur violata voluntariè integritas, (cujus contradictorium per virtutem virginitatis connotatur) infectum fieri nequit. Quocirca etiam perfecta innocentia, quæ connotat absentiam præsentis & præteriti peccati, reparari nequit.

Amittitur porrò carnis integritas per copulam carnalem. Et quidem feminæ vulgò & secundùm humanam æstimationem censentur virgines, donec claustrum virginale sit per copulam violatum. Unde etiam *Deuteron.* 22. viro conquerente se non invenisse uxorem virginem, judicabatur contra virum hoc ipso, quòd claustri integritas probata sit pro tempore, quo viro tradebatur. Quod proinde communi sententia etiam sufficit, ut stylo Pontificalis vocentur virgines, possintque accipere velum consecrationis vel virginalis (quod distinguitur à velo professionis) ab Episcopo (à quo solebat dari virginibus ætatis viginti quinque annorum) etsi aliis modis corruptæ; quæ idcirco ab Episcopo rogantur de carnis integritate. Secùs est communi sententia de voluntariè corruptis, etsi occultè: quamvis quidâ contradicant, quòd putentur, adeoque opinione humanâ sint virgines. Quod saltem in periculo gravis infamiæ aliàs incurrendæ potest admitti. Vide *Lessium l. 4. c. 2. dub. 16. num.* 117. Præterea amittitur carnis puritas, adeoque virginitas irrecuperabiliter, uti in viris, sic & in feminis servatâ claustri integritate per voluntariam pollutionem, sodomiam, immo etiam judicio plurium per turpes ac libidinosos tactus ex se pollutionis excitativos, etsi hæc per accidens non sequatur. Vide *Lessium l. 4. c. 2. dub. 16. n.* 121.

14. *Carnis integritas per virginitatem connotata quibus modis amittatur.*

*Quæ vulgò virgines dicantur, & velari ab Episcopo possint.*

Virginitatem denique mentis & corporis esse præferendam statui conjugali est fide certum, contra *Jovinianum* & Hæreticos recentiores, meritòque definitum à *Tridentino sess. 24. can.* 10. *de Matrimon.* Ipse enim Christus id patenter indicat *Matth.* 19. & Apostolus 1. *Cor.* 7. inter plura alia dicens: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* Idem habet perpetuus sensus Ecclesiæ, & (quod nec ipsi Hæretici diffitentur) unanimiter asserunt Patres. Videri potest *Cyprianus l. de Disciplina & habitu Virginum. Basilius l. de vera Virginit. Ambrosius l. 1. de Virginibus. Hieronymus l. 1. contra Jovinianum. Augustinus l. de Bono conjugali, & l. de S. Virginitate.* Ratio est: quia conjugium per se est officium naturæ, virginitas autem eximia virtus, ejusve objectum; in qua homines assimilantur angelis; ut taceam fœditatem, quæ inest actui conjugali, aliaque conjugio immixta, quæ à cælestibus mentè retrahunt. Unde non solùm apud Ethnicos ductum luminis naturalis sequentes,

15. *Status virginalis præferendus conjugali.*

sed etiam apud Christianos semper fuerunt Virgines in singulari æstimatione.

16. *Explodunt Hæretici existimantes virginitatem non posse servari.*

Ridiculum autem est dicere, rem esse impossibilem, quam exemplo Christi, Deiparæ, Joannis Baptistæ, Eliæ, tam numerosa Sanctorum utriusque sexûs examina servarunt, atque usque hodie servant. Quin & ipsi Hæretici utriusque sexûs sat sæpè frequenter connubium amplexi convincuntur eousque servatam ab ipsis, atque adeò servari posse virginitatem, utì & in statu viduali castitatem, utique non nisi conjugali officio violandam ex præcepto divino: aut certè convincuntur mandatum istud divinum impossibile asserere, seque interea libidinosos fuisse. Quòd si qui habeant in carne periculum labendi, quod aliis mediis non conantur vitare, melius est iis nubere, quàm uri: quamquam castitatem, si sit Deo promissa, servare debeant, & cum gratia Dei possint, tentationibus per alia à matrimonio præsidia superatis. Objectiones Hæreticorum sunt nullius momenti. Videri potest *Lessius l. 4. c. 2. dub. 15.*

## QUÆSTIO III.

### *De Vitiis Oppositis Castitati.*

17. *Quid luxuria,*

LUXURIA, prout communiter, & in præsenti sumitur, est vitium Castitati oppositum per excessum, inclinans inordinatè ad delectabilia in re venerea. Actualis autem luxuria est ipse usus inordinatus venereorum. Quæ quidem inordinatio consistit potissimùm in admissione venereorum extra statum & usum legitimum illorum. Estque peccatum mortale ex genere suo, ut patet ex Apostolo *ad Gal. 5.* recensente luxuriam inter opera carnis à cælo excludentia. Ratio sumitur ex eo, quòd sit defectus in re gravissima, propagationem scilicet humani generis concernente.

*Est peccatum mortale ex genere.*

18. *Et capitale,*

Est etiam peccatum capitale juxta *Gregorium 31. Moral. c. 17.* aliàs 31. Ex affectu enim venereorum homo multa alia vitia perpetrat, ac eam occasione illius in alia incidit. Numerantur autem octo filiæ luxuriæ, scilicet Cœcitas mentis, Inconsideratio, Præcipitatio, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentium, Horror & desperatio futurorum. Præter has filias, quæ internæ sunt, ponit *Isidorus* quatuor alias externas, Turpiloquia, Scurrilia, Lubrica, & Stultiloquia. Vide *D. Hieronymum in c. 5. ad Ephes.*

*Quæ ejus filiæ.*

19. *Quæ species vulgata luxuriæ, quæ propriæ.*

Vulgò autem recensentur inter species luxuriæ, fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, & vitium contra naturam: quia videlicet in his omnibus quæritur & locum habet delectatio venerea, adeoque in materia & per actum luxuriæ committuntur. Propriè tamen sola fornicatio, & vitium contra naturam sunt species distinctæ in genere luxuriæ. Nam adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium conveniunt quantum ad malitiam luxuriæ cum simplici fornicatione, seu personæ liberæ cum libera, cui superaddunt singula malitiâ specialem extra genus luxuriæ: adulterium quidem malitiam injustitiæ respectu conjugis, cùm sit copula supponens in utroque vel alterutro vinculum conjugii: incestus, malitiam contra pietatem debitam sanguine junctis: Stuprum, quod est violenta oppressio virginis.

20. *Oppressio Corrupta non est stricte stuprum. Quæ ejus pœna.*

Dixi notanter stuprum esse oppressionem virginis: nam violenta oppressio corruptæ non est propriè stuprum, etsi actus sit quoque graviter injuriosus, atque etiam ei infligatur pœna mortis; & quidem juxta Tabulas legum Brabantiæ anni 1312. in modo acerbior, ut scilicet ei, qui invitam virginem aut feminam stupraverit, assere cervix amputetur. Utì neque est propriè stuprum, aut specialiter mala, esto quodammodo gravior juxta *Lessium l. 2. c. 10. dub. 1. Suarez, Sanchez* & alios passim contra *Cajetanum, Navarrum, Medina* & alios defloratio virginis consentientis; quæ proinde circumstantia non foret per se loquendo in confessione explicanda. Est similiter contra justitiam; utì & raptus, qui est violenta abductio feminæ causâ libidinis explendæ facta. At hæc abductio, etsi injuriosa, non tam est copula, quàm medium & dispositio ad illam cum rapta habendam, quæ si postea consentiat, injuria in ipsa abductione erit completa.

*Quid censendum de copula cum virgine consentiente.*

21. *Qui omnis perfecta luxuria sit vel fornicatio, vel peccatum contra naturam. Quid hoc sit, & cur sic vocetur.*

Omnis itaque luxuria perfecta seu completa, vel fit cum non sua servato vase naturali, ex qua proinde sequi potest generatio (& quidem licitè, supposito jure conjugii) estque generaliter fornicatio, sive simplex, sive (si adsint extrinsecæ circumstantiæ) qualificata: vel fit extra vas naturale, & est peccatum contra naturam: ad quod spectat omnis actus perfectus luxuriæ, ex quo non potest sequi generatio humana. Quare hujusmodi actus habent in se deordinationem substantialem contra modum à natura præscriptum, nec per conjugium aut aliam causam honestari possunt; veluti repugnantia primario fini & ordini actûs seminationis à natura præfixo.

22. *Ejus divisio.*

Porrò etiam peccatum contra naturam triplex est, nempe brutalitas seu bestialitas, mollities seu pollutio voluntaria extra concubitum, & sodomia. Nam humana generatio postulat, ut sit conjunctio duorum, ejusdem naturæ, diversi sexûs, & ut vasa sint congrua; in quorum primo deficit mollities, in secundo brutalitas, in tertio & quarto sodomia. Deordinatio autem accidentalis, quæ est in solo modo & situ, etiam inter conjugatos, secluso periculo effusionis seminis extra vas, communiori

muniori sententiâ tantum est venialis.

23. *Simplex fornicatio est peccatum mortale juxta fidem.*

Reliqua verò esse semper peccata mortalia certissimum est. Et quidem de simplici fornicatione non est aliquatenus ambigendum, ut loquitur *Innocentius IV. Epist. ad Episcopum Tusculanum* apud *Bzovium ad annum* 1253. Estque idem de fide ex *Clem. Ad nostrum, de Hæreticis.* Immo expressum ab Apostolo 1. *Cor* 6. *ad Gal* 5. & *ad Ephes.* 5. & aliis Scripturæ locis. Ut meritò è Græcis Patribus dixerit *Chrysostomus hom.* 22. *in Epist.* 2. *ad Corinth. Quoties scortatus es, toties condemnasti te ipsum.* Et è latinis *Fulgentius Epist.* 1. *c.* 4. *Fornicatio numquam potest esse sine gravi crimine.* Ratio sumitur ex eo, quòd repugnet graviter ordini naturæ, quem Deus tamquam naturæ auctor ita instituit, ut nemo in corpus suum potestatem habeat, nisi per vinculum conjugii: ex copula enim cum non sua per se nata est non sequi bona educatio prolis, estò per accidens hîc & nunc non sequatur in sterili generatio, aut per divites præsertim provideatur rectæ educationi prolis. Rectitudo enim naturalis in similibus actibus consideratur ex iis, quæ per se ex illis nata sunt, sequi. Unde ratio planè execratur vagos concubitus, meretricium, concubinatum. An autem divinâ dispensatione possint fornicationes fieri licitæ, alibi dictum est.

*Ratio illius malitiæ unde sumatur.*

24. *Concubinatus quid superaddat simplici fornicationi. De pœnis illius remissivè.*

Porrò concubinatus fornicationi superaddit statum & perseverantiam in peccato; cùm sit continuata fornicatio cum non sua, quam veluti uxorem domi tenet; vel si foris habeat, ad quam ex consuetudine solet ingredi. De Pœnis concubinariorum vide quæ statuit *Tridentinum sess.* 24. *c.* 8. *de Reform.* quod etiam clericis *sess.* 25. *c.* 14. *de reform.* suspensionem comminatus.

25. *Peccata contra naturam esse mortalia ex Scriptura & ratione ostenditur.*

Nunc quòd peccata contra naturam sint mortalia, non solùm patet ex dictis de luxuria in communi, & de fornicatione (quâ sunt longè graviora, veluti repugnantia non soli educationi, sed ipsi generationi prolis) in speciali: [illegible] etiam de mollitie idem exprimitur 1. *ad Cor.* 6. Ubi etiam additur sodomia per vocabulum *masculorum concubitores.* Idem nefandum peccatum graviter culpatur *ad Rom.* 1. Et generaliter omnis immunditia exprimitur *ad Galat.* 5. & *ad Ephes.* 5. sub qua in primis continetur mollities, & alia peccata contra naturam; quæ alioquin saltem comprehensa censeri deberent sub clausula Apostoli *ad Gal.* 5. *Et his similia.* Ratio est: quia auctor naturæ sexum & vas legitimũ instituit ad generationem, quæ institutio cum suo fine evertitur per peccata contra naturam; quæ proinde ratione actûs sunt contra primarium finem & ordinem, quem natura ipsa postulat in actu seminationis. Confirmatur: quia mentiri est contra naturam, quia est contra finem, ad quem locutio est instituta; idem igitur est in præmissa prodigalitate seminis. Unde Onam filius Juda, qui introiens ad uxorem fratris sui sine liberis defuncti, semen fundebat in terram (quamquam ratione matrimonii ipsum adhuc gravius sit) percussus est à Domino, eò quòd rem detestabilem faceret, *Gen.* 38. Alias etiam terribiles hujus peccati pollutionis pœnas vide apud *Thomam Cantipratanum l.* 2. *Apum. c.* 30. Peccatum quoque sodomiticum adeò detestabile est, ut propterea funditus deleta fuerit regio Pentapolis.

Inter peccata autem contra naturam gravior est bestialitas seu cœitus cum bestia (indifferens autem, cum qua, quantum ad speciem moralem) quàm sodomia; & hæc ratione inordinatissimi concubitûs gravior longè simplici pollutione, quæ scilicet est voluntaria effusio seminis extra concubitum. Quare etiam adeò horrendæ pœnæ intentantur in republica bene ordinata duobus prioribus peccatis, non autem postremo. Unde pariter ingenio, opinione aliter sentientium non prævento, mox apparet diversa moralis malitia in tribus his peccatorum generibus, adeò ut in confessione sit diversitas ista communi Doctorum sententiâ contra Paucos explicanda. Quod ipsum existimo communi fidelium apprehensione posse firmari. Concubitus cum dæmone in varias formas se transfigurante (qui solet reduci ad bestialitatem) specialem insuper malitiam habet ratione communicationis cum dæmone, estque ceteris gravius peccatum. Quando verò pœnæ intentantur sodomiæ, eaque simpliciter reservatur, existimant Doctores passim esse sermonem de coitu consummato duorum ejusdem sexûs in vase præpostero. Quamvis alioquin possit à viro femina sodomiticè cognosci; utì & inter feminas copula in vase ordinario impropriè sodomitica attentari.

26. *Bestialitas gravior Sodomiâ & hac mollitie.*

*Sunt species morali distincta.*

*Peccatum cum dæmone quale.*

*Pœna Sodomiæ, de qua intelligenda.*

Ex dictis sequitur, quòd sicut nullâ causâ, etiam sanitatis aut vitæ conservandæ liceat mentiri, fornicari &c. sic nec voluntariè pollutionem procurare, utpote generaliter à Deo prohibitam & naturæ repugnantem juxta præmissa. Quibus accedit inordinata & mentem absorbens libido, quam non ordinat, nisi legitimus usus conjugii, adeoque generaliter inficit tam fornicationem, quàm alias effusiones seminis. Ad sanitatem autem tuendam convenit magis sobrietas, aliaque remedia, quibus naturæ superfluum non detur, vel certè tollatur. Unde gravissimè peccant Medici qui talem actum consulunt ob sanitatem. Similiter ad tentationem superandum sunt adhibendæ preces, vigiliæ, jejunia, exemplo Sanctorum. Alioquin tentationi ceditur turpiter; quæ per sancta remedia glorioſè superatur.

27. *Nullâ causâ vel casu licita est voluntaria pollutio.*

Constat nihilominus non esse culpabilem,

28.

*Involuntaria non est peccatum. An de ea gaudere liceat.*

lem, si non procurata, nobis in somnis aut vigilia omnino citra nostrum consensum eveniat. De ea tamen gaudere ob delectationem inde resultantem sine gravi peccato non possumus; etsi de bono effectu inde secuto, v. g. sedatâ tentatione, corporis sanitate gaudere, non sit malum. Immo juxta *Vasquez*, *Sanchez*, *Lessium*, *Layman* & alios est licitum ob illos effectus de ipsa pollutione naturaliter obveniente gaudere, seu de illa quatenus causâ talium effectuum; quòd hoc potiùs sit velle effectum, quàm causam. Hoc tamen difficultatem habet, & à Variis non sine gravi fundamento negatur. De quo quidquid sit, saltem dedecet hujusmodi affectus mentem castam.

29. *Qui debeat esse voluntaria in se vel in causa.*

Pollutio itaque ut sit graviter peccaminosa debet esse planè voluntaria, eoque vel directè volita & procurata, vel saltem volita & prævisa in sua causa, quam hoc nomine possumus & tenemur graviter evitare: prout sunt illæ causæ, quæ in genere luxuriæ sunt malæ, graviterque influunt in effectum hujusmodi; puta morosa delectatio, turpes imaginationes & aspectus, vel tactus, oscula impudica. Quòd si sit causa rationabilis aut necessaria, non tenemur illam, secluso periculo consensûs in ipsam delectationem, ex communi Doctorum sententia vitare, non obstante hujusmodi effectu, qui censetur per accidens sequi ex necessitate naturæ, vel infirmitate ejusdem, hominisque intemperie. Quare non tenemur idcirco abstinere à cibo & potu moderato, ab equitatione convenienti, ab accubatione honesta in lecto commodo (quamquam abstinere sanctum foret) à studio necessario vel utili rerum turpium, ab auditione earumdem in confessione (id qua valde delicatè similia tractanda & inquirenda sunt) à tactibus & aspectibus necessariis. Non est quoque pollutio mortalis, si causa sit quidem culpabilis, non tamen graviter in genere luxuriæ, ex qua censetur per accidens contra voluntatem subsequi, v. g. in somno ex immoderantia cibi aut potûs, vel ex cibo aut potu calidiori. Quod *Angelus* V. *Pollutio* (& consentiunt *Silvester*, *Sanchez* & alii) etiam extendit ad ortam in vigilia ex peccato veniali, puta cogitatione non morosa. Quando autem oritur in somno ex illusione dæmonis, præcavenda est, mediante præsertim oratione, quâ rogat Ecclesia hostem comprimi, ne polluantur corpora.

30. *Ad luxuriam incompletam spectat incontinentia & impudicitia.*

*Quale peccatum sit*

Speciebus luxuriæ perfectæ & completæ accedunt aliæ incompletæ seu inchoatæ; nimirum incontinentia, quæ est consensus in motus carnales seu venereos, quos virtus continentiæ frænat, estque peccatum ex genere mortale, etsi possit esse veniale ob imperfectionem actûs seu consensûs, & juxta Plurimos (Varii contradicunt) etiam ob levitatem materiæ seu ipsorum motuum. A quibus omnino oportet voluntatem esse remotissimam ob periculum ex parte naturæ corruptæ & materia adeo allectiva. Præter incontinentiam restant aliæ impudicitiæ consistentes in osculis, aspectibus, tactibus &c. De quibus nonnulla restant dicenda. Pro meliori autem dicendorum intellectu.

*incontinentia.*

*Impudicitia in quo consistat.*

Nota osculum triplici potissimùm fine adhiberi. Primò in signum amicitiæ. Secundò causâ delectationis concubitûs, ad quem tendit. Tertiò causâ delectationis ipsius osculi, præcisè secundùm se considerati. Idem dicendum de contactu alicujus partis honestæ, utì manûs aut vultûs. Similiter aspectus fieri potest ob causam honestam, quatenus v. g. est necessarius ad humanam conversationem, ad honestam urbanitatem, ad notitiam personæ consequendam, ad honestè & castè illam amandam &c. Secundò causâ voluptatis concubitûs. Tertiò causâ delectationis, quæ oritur ex intuitu personæ, absque omni ulteriori inhonesto motu vel desiderio. Denique contactus partis verecundæ potest fieri, vel ob aliquam necessitatem, vel ob voluptatem concubitûs, vel ob voluptatem quæ ex ipso tactu per se spectato nascitur. His notatis

31. *Oscula, aspectus, tactus triplici de causa fieri possunt.*

Satis in primis constat oscula, quæ fiunt causâ amicitiæ secundùm consuetudinem patriæ, esse per se licita, utì & delectationem inde consequentem: Sic enim tenent Doctores communiter. Et satis patet ex Scripturis, atque ex ipso usu generis humani numquam improbato. Idem est dicendum de tactibus, aspectibus &c. quando fiunt ex necessitate, aut ob causam honestam, secluso periculo morali consensûs in delectationem veneream. Quare Doctores consequenter id censent, etsi motus aliquis in parte sensitiva contra voluntatem illium patientis exurgat.

32. *Quanam sint licita.*

Similiter satis constat oscula, tactus, aspectus, quando fiunt causâ delectationis concubitûs, extra matrimonium, esse peccata mortifera & pertinere ad speciem illius actûs, ad cujus delectationem referuntur. Nam talis habet affectum & consensum in delectationem veneream copulæ. Unde verificatur hic illud Christi apud *Matth. c. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Quod verum est, sive adsit voluntas copulæ, ad quam hi actus velut dispositiones præviæ assumuntur, sive illa absit, & solùm sit delectatio de copula imaginata, ad quam persona velut amabilis & idonea mente fingitur.

33. *Si fiant causâ delectationis concubitûs sunt peccatum mortale.*

34. *Quid censendum de osculis & tactibus his nefariis partium factis in loco &c.*

Ulteriùs amplexus & oscula, aliique tactus honesti, v. g. manus, aut per manum faciei, si fiant ex curiositate, joco aut simili levitate vel motivo, secluso scandalo & periculo consensûs in venereum delectationem, non sunt peccatum grave, cum

cùm non appareat gravis in his inordinatio, juxta *Sanchez*, *Bonacina*, *Sylvium* & alios passim obvios. Quod *Navarrus c. 14. n. 42.* ad jocosum contactum mamillarum personæ honestæ, exclusâ omni pravâ intentione, extendit. Constat tamen in his esse non modicum periculum, ideoque tamquam inordinata studiosè caventur ab animabus castis; in quibus utique minus foret periculum: quod amplius est in aliis, in quibus verendum, ne, in amplexibus præsertim & mamillarum contactibus, mentiatur libidinis iniquitas sibi.

35. *Oscula causâ delectationis inde consurgentis fieri possunt dupliciter,*

Oscula, quæ fiunt causâ voluptatis sensibilis præcisè ex mutuo contactu corporum nascentis, absque periculo proprio vel alieni ulterioris mali, damnantur à multis simpliciter tamquam libidinosa & mortalia. Sed rectius adhuc distinguunt alii, significanter *Sylvius q. 154. art. 4. Concl. 4.* ipsas delectationes; unam, quæ oritur ex proportione cum organo tactûs, quatenus scilicet est res lenis, mollis &c. alteram, quæ non solùm sensualis, sed etiam venerea est, & commotionem spirituum generationi deservientium adjunctam habet.

*Priora censentur non libidinosa.*

Priori modo oscula (idem est de amplexibus) non sunt libidinosa, adeoque nec mortalia; unde & in iis quæ causâ honestæ amicitiæ fiunt, hujusmodi delectatio potest sentiri & approbari. Et de his loquitur *Wiggers Tract. de Temperantia c. 3. dub. 12. n. 66.* etsi non rectè pro ratione alleget parvitatem materiæ, quæ dari potest in materia luxuriæ: talis enim delectatio non est luxuriosa. Aliàs namque contra id, quod ibidem fatetur, non posset in osculis amicitiæ quis in illam, veluti luxuriosam, consentire. Sic solent matres, nutrices, ancillæ cum magna suavitate & affectu osculari infantium molles carnes, etiam citra peccatum.

36. *Secus est de posterioribus.*

Oscula posterioris generis sunt libidinosa, & ex communi sententia mortalia. Quæ maximè locum habet in osculis & amplexibus morosis ac fixis, utpote valde naturam excitantibus; ut alios foediores modos taceam. Difficulter tamen speculativè loquendo ostenditur gravis malitia in osculo obiter seu transeunter facto, ex quo non quæratur, aut oriri nata sit delectatio venerea, nisi admodum levis; suppositâ (quam Doctores gravissimi tradunt) materiæ levitate in genere luxuriæ. De quo videri potest *Arriaga d. 58. sect. 5.*

37. *Quid censendum de aspectibus præsertim inhonestis.*

Ad aspectum & colloquia cum personis alterius sexûs, quod attinet, non sunt grave peccatum, quando fiunt propter solam delectationem quæ oritur ex intuitu pulchræ personæ, vel ex gestibus aut grato alloquio, neque ulla venerea voluptas intenditur aut sese immiscet: hæc enim delectatio videtur magis spiritualis, & à carnalibus abstracta, quàm quæ ex osculis aut contactibus etiam partis honestæ capitur. Quamvis diligenter ab ejusmodi abstinendum sit: quia fragilitas humana magna est, actusque isti periculosi sunt, ac multos ad culpam mortalem ducunt. Aspectus autem partium inhonestarum personæ alterius sexûs censetur juxta Doctores impudicus, & regulariter mortalis, etsi prætendatur fieri non propter delectationem libidinosam, sed ex curiositate, aut prætextu stultæ ac diabolicæ mortificationis. Estque contra honestatem naturalem ac urgentissimus stimulus ad libidinem, maximeque periculosus. Ceterùm in prædicto turpi aspectu causâ curiositatis facto, Quidam hâc limitationem apponunt, nisi tam breviter fieret, ut non esset occasio magnæ commotionis in corpore, vel nisi ratione ætatis planè puerilis aut senilis, aut frigidissimæ complexionis abesset in aspiciente omne periculum carnalis, sive commotionis, sive delectationis. His enim positis, aspectum, tametsi ex se turpem, non esse mortalem probabiliter tradunt *Sanchez*, & *Bonacina*, ut inquit *Sylvius q. 154. art. 4. concluf. 8.* addens aspectus illos inter personas ejusdem sexus absente omni carnalitate ejusque periculo esse veniales, utì contingit interdum inter natantes: eò quòd hujusmodi aspectus non videantur tam inhonesti aut ad libidinem provocantes. Quod magis apparet in aspectu propriæ carnis ex levitate aut curiositate facto.

38. *An & quale peccatum sit Turpiloquium.*

Ad Turpiloquium quod spectat, ipsum, utì & cognitio rerum turpium, est per se indifferens: immo si fiat ad investigandam veritatem pro confessionibus vel concionibus, erit res bona. Idem est de scriptione, pictione, & auditione earum.

Colloquia verò lasciva facta ex levitate, sine ullo alio malo, sive periculo vel scandalo, non excedunt malitiam venialem: quamquam sæpissimè fiant mortalia, dum astantibus datur occasio delectationis morosæ, vel consensûs in turpia. Si autem locutio fiat de rebus turpibus animo sese oblectandi rebus ipsis narratis & objectis, tamquam præsentibus imaginationi, erit peccatum mortale vel veniale, prout ipsa objecta narrata sunt mortalia vel venialia. Ratio est: quia tunc habetur delectatio morosa, quæ est mortalis vel venialis juxta objectum, quo quis delectatur. Idem dicito, si locutio fiat animo se vel alios excitandi ad turpia, etsi desit animus perficiendi. Ita *Sanchez lib. 9 de Matrim. d. 46. num 39.* & alii. Hinc est, quòd inter conjuges ejusmodi verba liceant, quia ipsi actus illis licent. Si denique locutio fiat de rebus turpibus ob voluptatem, quæ præcisè oritur ex narratione talium rerum absque ulteriori intentione malâ, erit venialis juxta *Lessium l. 4. c. 3. n. 63. Sanchez* & alios. Ratio est: quia sicut delectatio quæ percipitur de cognitione rerum turpium non est per se mortalis, ita

nec

nec delectatio, quæ percipitur ex talium narratione.

39. *Quid censendum de tactibus inhonestis.*

Quod de aspectu pudendorum disparis sexûs dictum est, æquè aut à fortiori juxta Doctores censendum est, practicè præsertim, de contactu eorumdem, utpote ex se inhonesto; qui nēpe fit sine rationabili causa, etsi non ex affectu libidinis. Quamvis videatur variis Doctoribus dari posse adeò levis & subitaneus, ut absente, nec intentâ venereâ delectatione jocus seu curiositas non sit mortalis. Quòd in contactu remoto seu mediato faciliùs videtur posse admitti. Inter personas autem ejusdem sexûs, citra periculum carnalis delectationis verosimile putat *Sanchez lib. 9. de Matrim. d. 46.* esse solùm veniales prædictos tactus ex joco vel levitate factos. Quod etsi in iis, qui valde leviter & obiter fiunt, posset admitti, non tamen juxta *Sylvium q. 154. art. 4. concl. 3. in fine*, si levitas & jocus sit omnino deliberatus, ob nimiam turpitudinem & periculum. Saltem nemo non libidinosus tales fœditates admittit; & vix aut numquam sine libidine quæsitâ vel admissâ. Inter impuberes veneris expertes facilè similes levitates contingunt sine culpa gravi. Etiam posset tactus, uti aspectus, inhonestus fieri adeò ex improviso, ut sit nullum peccatum defectu voluntatis. Si quis denique se ipsum tangat in parte verenda, non quidem causâ delectationis venereæ, sed ex levitate aut curiositate, absente alio periculo (quod frequenter abest) censetur non esse gravis culpa.

40. *An contactum hunc teneantur virgines causa medendi admittere.*

Denique advertit *Lessius l. 4. c. 3. dub. 8. n. 60.* ex *Navarro*; quod etsi juxta præmissa, aspectus & contactus causâ medendi in partibus secretioribus adhibitus liceat, tam in aspiciente & tangente, quàm in aspectum & tactum admittente; nihilominus mulieres, præsertim virgines, non teneantur hunc medendi modum à viris admittere: eò quod nemo teneatur tale genus curationis admittere, à quo magis abhorret, quàm ab ipso morbo, aut etiā morte; prout multæ pudicæ virgines malunt morbum aut mortem, quàm à viris contingi. Deinde (addit *Lessius*) nemo tenetur admittere id, cui cōjunctum est periculum turpis motûs, aut delectationis carnalis, immo ad heroicum castitatis gradum pertinet malle mori, quàm permittere in se turpes imagines, aut sensum ullum libidinis. Ita ille.

## QUÆSTIO IV.

### *De Abstinentia, Sobrietate, Vitiisque Oppositis.*

41. *Quid Abstinentia.*

ABSTINENTIA (quæ interdum significat excellentiorem quemdam gradum temperantiæ in esculentis) hîc sumitur pro ea temperantiæ specie, quæ moderatur cupiditates & delectationes esculentorum. Moderatio verò debita tunc servatur, quando esculenta sumuntur, prout valetudini, & præcipuè officiis mentis congruit. Et quidem singularis abstinentia ob fines altiores interdum est laudabilis exemplo Sanctorum, etsi valetudo & corporis robur interdum minuatur: in quo tamen discretio est necessaria. *Quæ ejus regula.*

42. *Quid Sobrietas.*

Sobrietas (quæ aliquando latissimè sumitur: aliquando pro virtute temperantiæ in communi, ut *Sap. 8.* & *ad Tit. 2.*) hîc accipitur pro ea temperantiæ specie, quæ moderatur cupiditates & delectationes poculentorum seu potûs inebriare valentis. In qua quidem materia laudabile est servare mensuram, idemque specialem difficultatem habet ob passionem in hac materia vehementiorem. Quare excessus in potu non valente inebriare, v. g. aquâ saccaratâ, opponitur abstinentiæ, non sobrietati, ut supponunt Doctores, eò quòd hujusmodi potus afficiat appetitum, sicut esculenta strictè dicta. Estque virtus sobrietatis multùm commendabilis, præsertim Rectoribus & Judicibus, ac viris Ecclesiasticis, quorum functiones vigilem semper rationem, mentemque serenam exigunt. Quod pluribus stabilire, supervacaneum foret. *Quibus maximè commendanda.*

43. *Quæ vitia huic Oppos-ta.*

Omissis autem vitiis per defectum oppositis (quæ rarissima sunt, & nomine stuporis seu insensibilitatis *quæst.* 1. tractatæ comprehendi possunt) agendum restat de oppositis per excessum. Unum porrò oppositum abstinentiæ consistit in eo, quòd per ipsum excedatur in appetitione & usu esculentorum, & solet specialiter appellari gula: alterum, Sobrietati oppositum, consistit in eo, quòd per illud excedatur in appetitione & usu potûs inebriativi; & continetur etiam generali nomine gulæ, prout ipsa solet numerari inter vitia capitalia: specialiter autem vocatur ebrietas, tunc maximè & ordinariè, quando ex inordinata potûs appetitione proceditur usque ad violentam privationem usûs rationis.

44. *Gula vitium capitale varii, præsertim luxuriam, gignit.*

Est itaque vitium gulæ, præsertim generatim sumptum, juxta *Gregorium 31. Moral. c. 17.* aliàs 31. capitale peccatum. Cujus hæ numerantur ibidem filiæ, Mentis hebetudo, Inepta lætitia, Scurrilitas, Multiloquium seu garrulitas; & Immunditia tum corporis quoad vomitus & fœda excrementa, tum insuper mentis, quam saturitas generat. Nam etiam (quod sacræ Litteræ docent, & Patres passim inculcant) vitia carnis ex nimio ventris cultu nascuntur; adeò ut pro dispositione membrorum corporis, ventris scilicet & verendorum, sit similis ordo vitiorum, ut insinuat *Gregorius suprà*. Unde gravi frequenter periculo ex sensu Patrum, adstipulante experientiâ, exponitur

Ponitur castitas hominum hujusmodi vitio deditorum. Accedunt præterea incommoda gravia, quòd nimirùm plerumque ex immoderantia valetudo tollatur, vita abbrevietur, ut juxta Vulgatum plures occidat gula quàm gladius, impotentia solvendi creditoribus &c.

*Qua præterea incommoda.*

45. *Commoda Abstinentiæ & Sobrietatis quæ.*

E contra verò ex abstinentia & sobrietate nascuntur bona opposita. Abstinentia enim sive parsimonia cibi & potûs, non solùm rei familiari & valetudini cõservandæ, vitæ prolongandæ, justitiæque servandæ plurimùm opportuna est, sed etiam carnis rebellionem frænat, eamque spiritui subjectam reddit: neque sensus solùm, sed etiam mentem serenat, eamque ad quaslibet functiones, divinarumque rerum contemplationem, cõsumptis vaporibus caput replentibus, aptiorem reddit; indeque animam ad divinas illustrationes aliaque sancti Spiritûs charismata capessenda præparat. Et specialiter, præsertim abstinentia (ut alia commoda præteream) valet ad satisfaciendum pro peccatis, atque Dei misericordiam impetrandam, nec non merendum apud ipsum. Quod Patres, agendo in particulari de jejunio, pluribus confirmant.

46. *Quibus modis contra Abstinentiam & Sobrietatem peccetur.*

Committitur utrumque peccatum maximè per excessum in quantitate. Quamvis etiam in qualitate contra abstinentiam & sobrietatem juxta doctrinam *Gregorii* 30. *Moral. c.* 13. *alias* 27. communiter receptam à Theologis possit peccari, sic ut universim contra illas virtutes peccetur quintuplici modo, sequenti versu expresso:

*Præproperè, Lautè, Nimis, Ardenter, Studiosè.*

Indecentia tamen in acceleratione temporis, multiplicatione refectionũ, festinatione &c. potest ex causa honesta interdum tolli.

47. *Manducatio carnis humanæ tur illicita.*

De manducatione carnis humanæ cõstat apud omnes, ipsam, instar actûs ferini magis, quàm gulæ, esse graviter illicitam extra necessitatem, etiam loquendo de carne hominis jam interfecti (occidi nunquã posse hominem, ut inde alimentum sumas, certissimum est) nam illa non est concessa hominisi in alimentum, ut omnibus ingenita ratio dictat. Ob quod homines non barbari ex sua natura ab ea comestione tantopere abhorrent. Quamvis velut licita admittatur praxis Medicorum, quâ caro hominis unguentis condita instar medicamenti (quod Momiam Medici vocant) adhibetur velut efficax ad sanationem quorumdam morborum; eò quòd tali usu humana caro sic alteretur & præparetur, ut censeatur non sumi instar alimenti, sed medicinæ, à qua quidem natura non ita abhorret.

*Qualiter liceat ejus usum ad Medicinam.*

48. *An in extrema necessitate fas sit aut debitũ comedere carnem humanam.*

An verò in casu, & ratione extremæ necessitatis, quo aliàs fame pereundum est, permissum foret manducare carnem humanam hominis alia occasione mortui vel interfecti, necessitate abstergente inordinationem (prout & licita tunc est occisio invasoris, ac mutilatio proprii membri; ad conservandam vitam) variant Doctores. Affirmat *Abulensis, Navarrus, Saa, Toletus, Lessius* & alii passim, contra *Azorium, Victoria, Valentia* & alios; quamvis nemo sit obligatus vitam adeò extraordinario medio conservare; uti probat *Lessius l.* 4. *c.* 3. *dub.* 2. *num.* 12. à fortiori ex eo, quòd vitam quis non teneatur conservare comedendo mures, canes & similia animalia immunda, aut quærendo medicamenta extraordinaria, vel fugiendo terram minùs salubrem.

Difficultas restat, an vel quando peccatum gulæ & ebrietatis sit mortale. Estque communis sententia Doctorum cum *D. Thoma q.* 148. *art.* 2. peccatum gulæ solùm esse veniale ex genere suo. Unde Doctores passim inferunt, non fore mortale, etsi quis comedat ad saturitatem; immo etsi intendat aut prævideat vomitum in natura sana (quod addo: nam de natura debili seu infirmâ non est quæstio) vel (quod Nonnulli addunt) etsi vomat, ut iterum comedat, & delectationibus cibi fruendo ventrem iteratis vicibus repleat. Idemque censent de excessu in potu, secludendo læsionem usûs rationis. Loquuntur autem per se, & seclusô incommodo extrinseco, quale frequentissimè subest; puta incursio diversorum morborum, seu notabilis læsio valetudinis, & abbreviatio vitæ, indigentia gravis uxoris & prolium, destructioque familiæ, contractio debitorum insolubilium, aut impotentiæ non solvendi jam contracta, periculum morale incidendi in peccatum carnis, aliudve salutis periculum.

49. *Gula ex communi sententia est veniale peccatum ex genere suo.*

Quod tamen de gula communiter docetur, non modicã difficultatem habet: quia Apostolus *ad Gal.* 5. uti ebrietates, sic & comessationes (quæ propriè loquendo sunt vitium gulæ) enumerat inter opera carnis, quæ sunt mortalia. Quamvis plures Apostolum explicent, quasi per comessationes intelligat temulenta & lasciva ebriorum dicta & facta, conformiter ad vocem græcam; vel inhonesta & luxuriosa convivia, quæ scilicet ita aguntur, ut neminem pudeat inhonestè aliquid dicere vel facere (sed cõtrà facit, quòd impudicitias Apostolus suprà, & *ad Rom.* 13. à comessationibus distinguat) aut certè, quòd agat de conviviis, à quibus non recedunt convivæ, nisi postquam corpus & mentem plenè obruerint cibo & potu, ut comessationes sint quasi perfectio ebrietatis, uti homicidia sunt cõplementum iræ; ut videre est apud *A Lapide in d. locum ad Gal.* Deinde etiam intra limites ipsius gulæ apparet posse graviter transiliri præscriptum rationis contra ipsam tẽperantiam, quando nimirum censeri potest mõstrosa & bestialis ingluvies; qualis multis apparet, dum advertenter quis se ita ingurgitat cibis, ut natura valens necessitetur ad vomitũ, vel certè dum quis post ingurgitationẽ vomit, ut rursum se ingurgitet. Quod certè valde turpe & bestiale apparet, ut ait *A Lapide suprà.*

50. *Valde credibile est, gulam posse fieri mortalem in genere suo.*

51. *Perfecta ebrietas est peccatum mortale, Probatur ratione.*

Quòd verò attinet ad ebrietatem, ex communi saltem sententia omnium Doctorum, immo & sensu Fidelium, ac Patrum, voluntaria & perfecta ebrietas est peccatum mortale: gravis enim inordinatio est in hoc, quòd quis sciens & volens ita se ingurgitet potu, ut non tantùm usu rationis (quo etiam connaturaliter quis privatur per somnum) sed insuper potestate propinquâ utendi ratione, etiam in vigilia, violenter se privet. Idem patet ex Apostolo *ad Galat.* 5. ubi ponitur inter opera carnis excludentia à regno Dei. Quod intelligitur ab omnibus etiam de unico ebrietatis actu; uti intelliguntur cetera opera carnis excludere à cælo, etiam singula & semel commissa. Quare dum Apostolus 1. *ad Cor.* 6. utitur voce *Ebriosus*, etiam significat eum, qui semel se inebriat, uti per furem, qui semel furatur. Et vox Græca non solùm ebriosum quasi habitualem, sed etiam ebrium significat.

*Idem docet Scriptura.*

52. *Augustini dictum exponitur.*

Quod verò *Augustinus Serm.* 41. *de Sanctis* inter peccata letifera ponat ebrietatem, si sit assidua; id facit, non quasi putet alias non fore grave peccatum, si sit perfectè voluntaria; sed ut ostendat, se loqui de ea, quæ est perfectè voluntaria; prout plerumque non est in iis, qui rarò inebriantur, quia ignorant vim potûs, aut ebrietatem non præsident. Est autem voluntaria, quando vel directè intenditur; vel bibitur pro posse, non curando, utrùm ebrietas sequatur, vel non sequatur; aut quando advertitur inebriationis periculum, si pergatur in bibendo, & tamen non cessatur.

*Quando ebrietas censeatur voluntaria.*

53. *An licitum sit se inebriare metu mortis ab alio inferendæ.*

Alioquin *Augustinus* est vehemens insectator ebrietatis, tamquam gravis peccati, ut patet *Serm.* 231. & 232. *de Tempore.* Immo posteriori loco videtur satis apertè docere graviter illicitam fore inebriationem, etsi ea fieret metu mortis, quam tyrannus alioquin minatur. Quod etiam docet inter alios *Caietanus*, *Azorius*, *Wiggers Tr. de Temperantia c.* 2. *dub.* 3. contra *Lessium c.* 3. *dub.* 4. *n.* 37. & quosdam alios explicantes *Augustinum* de comminatione mortis in contemptum sobrietatis; sed non rectè, ut ex contextu ponderat *Wiggers suprà*. Ratio est: quia comminatio mortis non tollit inordinationem per se homine indignam, quæ est in ebrietate; sicut nec illam, quæ est in fornicatione.

54. *An saltem sit licitum ex præscripto medici.*

An verò ex præscripto medici causâ sanitatis licitus sit abundantior potus usque ad privationem usûs rationis, si non suppetat aliud sanationis remedium, dubitatur. Dato autem casu (cujus possibilitatem examinent medici; & saltem non apparet privationem usûs rationis per se necessariam esse posse ad sanationem) adhuc illicitum id fore censent *Angelus*, *Tabiena*, *Rosella* V. *Ebrietas*. Plures tamen cum *Sylvestro*, *Caietano*, *Navarro*, non improbabiliter oppositum censent; eò quòd homini sic constituto seu complexionato talis sumptio potûs non censeatur superflua, sed moderata, etiam attento proprio & proximo fine ipsius sumptionis. Secùs est, in casu comminationis mortis. Confirmari idem potest ex eo, quòd ob similem rationem non peccet peccato gulæ, qui judicio medicorum varia edulia copiosè ingerit ad vomitionem movendam; quia videlicet neque ob delectationem, sed sanitatem, id agitur, neque modus rationis respectu talis subjecti excedit.

55. *Quæ signa ebrietatis.*

Signa ebrietatis solent assignari, quòd quis postridie non meminerit præteritorum, v. g. quomodo domum venerit aut se quieti dederit; quòd aliqua fecerit, quæ mente integrâ non solet facere, v.g. turpia proferendo vel agendo, familiam turbando, cùm aliàs sit castus & pacificus. Non sufficit tamen grossûs titubatio, linguæ balbuties, capitis vertigo, visûs offuscatio, levis rationis perturbatio: quæ solùm sunt signa crapulæ venialis.

56. *An vel quando sit mortale peccatum vitium usurarium.*

Existimo nihilominus non requiri totalem privationem usûs rationis: sed sufficere gravem valde illius perturbationem, sic ut homo rationabiliter se ipsum in cōmunibus seu necessariis dirigere nequeat; ut cum aliis rectè *Marchant To.* 2. *Tr.* 7. *Tit.* 2. *q.* 2. ridiculum & viris doctis indignum esse exemplum asserens, quod Nonnulli affirmant, eum, qui crapulâ & vino velut sepultus jacet in platea, si signum possit dare, ut currus divertat, vel se submovere, ne super se transeat, ebrium non esse, quasi verò id etiam brutum naturali instinctu facere nō possit. Addo insuper cum eodem *Marchant suprà* esse mortalem excessum, quando temperantia enormiter læditur, servato usu rationis; prout enormiter læditur per bestiales illas & monstruosas helluonum quorumdam potitationes, quæ stylo Scripturæ vinolentiæ, immo & ebrietates dicuntur. Videntur enim hujusmodi excessus uti valde bestiales, sic graviter adversari rationi. Ideoque *Isaiæ* 5. dicitur: *Væ* (quod juxta regulam ab omnibus receptam non dicitur, nisi ubi est grave peccatum) *qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortis ad miscendam ebrietatem.* Quod specialiter de illis dicitur, qui à potu non tanguntur, sed mente integrâ potant & ingurgitant se, etiam miscendo potus diversos inebriativos; ut rectè notat *Sasbouth in d. locum.* Consonat etiam illud, quod ibidem paulò superiùs dicitur: *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, et vino æstuetis.* Item illud *Prov.* 23. *Cui væ .... Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis.* Prædictis consonant ea, quæ scribit *Estius in illud* 1. *Cor.* 5. *Aut ebriosus.* Hæc autem subijcio lubenter judicio aliorum, fortè meliùs, dum tamen sobriè, sapientium: noliens Eriticorum more receptas insignium

Docto-

Doctorum sententias stylo censorio notare, quas non notat S. Mater Ecclesia.

57. *Qui sit illicitum, provocare ad æquales haustus.*

Ex dictis colligi potest, esse inordinatum provocare invicem ad æquales haustus. Quod proinde reprobat *Augustinus Serm. 231. de Temp.* eos ebriis, etiam quoad culpam, æquiparans, qui *usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt, & ad mensuras sine mensura bibere. Majora enim* (subdit) *pocula providentur, certâ bibendi lege continentur: qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.* Ratio est: quia in tali modo bibendi ratio vel necessitas non statuitur regula bibendi, sed venter alterius, vel tota viscerum & venarum capacitas: unde utres vel lagenæ tales potiùs dicendi sunt. Seclusâ tamen intentione aut periculo perfectæ seu gravis inebriationis, propriæ aut alienæ, non erit peccatum mortale juxta receptam Doctorum sententiam. *Augustinus* quoque loquens de certamine potantium veluti gravi crimine, supponit consequi ebrietatem. Ejusmodi autem certamina graphicè delineavit & refutavit *Ambrosius lib. de Elia & Jejunio c. 13.* Vide etiam pulcherrimè de his differentem *Basilium Hom. 14. In ebrietatem.*

58. *An liceat inebriare alterum, ut sic impediatur à graviori malo.*

An licitum sit cauponibus propinare potum se inebriaturis, debet judicari ex regulis charitatis traditis in materia de Scandalo. An licitum sit inebriare alterum, ut hâc ratione à majori peccato impediatur, dubitatur à Nonnullis. Affirmat *Lessius cap. 3. dub. 4. num. 33.* Sed meritò negat *Bonacina, Layman, Wiggers, Castro Palao* & alii passim: quia non sunt appetenda aut procuranda mala, etiam minora, etsi permitti possint, ut eveniant bona. Aliud est, si cui consuleretur præcisè diminutio mali jam concepti, ne integrè committatur. An autem mala in ebrietate commissa sint peccata, vide *Part. 2. Tract. de Peccat. in communi disp. 5. quæst. 10.*

59. *Cur Ebrietas variis in locis minuta fiat.*

Si denique quæratur, cur à plurimis quarumdam regionum peccatum ebrietatis minoris fiat? Resp. partim ob affectū nimium ejga comessationes & potationes: partim ob frequentiam abusuum: partim quia apprehendunt amicitiam gulæ symbolis esse fovendam: partim quia ii, qui maximè exemplo suo deberent alios deterrere, frequenter ventri & potitationibus nimiùm dediti sunt.

60. *Opinio Autoris Neoterici de peccato Quæ referur.*

Pro fine paucis notanda venit nova Ethica *P. Francisci Bonæ Spei* in suo recèns edito *Tr. 1. de Jure & Just. d. 1.* ubi cùm *nu. 98.* asseruisset gulam seu excessum in cibo esse peccatum mortale, allegans inter alia illud *1. Cor. 3.* aliàs *6. Neque ebriosi regnum Dei possidebunt* (ubi tamen de sola ebrietate est sermo) restringit hoc ad casum, quo quis ob gulam paratus est transgredi aliquam legem graviter obligantem, aut sibi vel alteri grave nocumentum (interserit velut tale, privationem usûs rationis; etsi meo & cōmuni judicio ex gula non natam oriri) adferre; adeoque peccatum reduci ad diversa decalogi præcepta: at si hæc tollas, non satis apparere, quòd multum vel parum comedere vel bibere sit majus peccatum, quàm multū vel parum ambulare. Unde consequenter *n. 100.* in ingurgitatione cibi & potûs usque ad vomitum nō agnoscit peccatum, nisi ratione adjunctæ transgressionis alterius legis: quâ proinde realiter seperatâ, nullum est (ut inquit) peccatum.

*Inter alia idem asserit ingluviem usque ad vomitum non esse peccatum, seclusa alia transgressione.*

Quod quidem indubiè repugnat omnium sobriè sentientium judicio, & evertit proprium gulæ vitium seu malitiam. Caditque excessus iste sub gravissimam reprehensionem *Augustini Serm. 231. de Temp.* inter graviores & infames ebriorum deordinationes numerans: *Frequenter etiam usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt, & ad mensuras sine mensura bibere.* Quin & ipsa Scriptura *Isaiæ 28.* velut rem abominabilem refert: *Omnes mēsæ repletæ sunt vomitu.* Quòd verò addat hic Auctor, non dari casum, quo absit alterius legis transgressio, falsissimum est: cur enim quis se cibo vel potu ita ingurgitans, semper debeat, vel usu se rationis privare, vel jejunium frangere, vel creditoribus non satisfacere &c? Neque ex eo, quòd in parco amore sui, divitiarum, honorum, scientiæ &c. non sit inordinatio, sequitur hāc non esse in amore prædictorum inordinato. Idemque est in materia esculentorum & poculentorum; quæ sunt objectum propriæ virtutis, scilicet abstinentiæ & sobrietatis, & oppositi vitii (quod utique per se, & seclusis aliis ab omnibus Sanctis numeratur inter vitia) gulæ sive intemperantiæ. Secùs est de ambulatione. Neque ferēdum est, quod sibi objiciens: quid si quis cibum sumptum evomat, ut ex sumendo novam delectationem sumat? retorquendo respondeat: quid si quis à prima deambulatione cesset, ut ex aliis novam delectationem sumat? quasi verò res hæc sit isti pusquam bestiali comparanda.

*An necessariò adsit alterius legis transgressio.*

*Aliud ejusdem Auctoris dictum improbatur.*

Tandem tamen quia juxta ipsum vix umquam contingit, quin simul subsit aliud incōmodum, seu alterius gravis legis transgressio (quod falsum est, dic (inquit) simpliciter esse brutalitatis peccatum mortale. Egregium sanè argumentum, quo excessus præfatus concluditur esse peccatum brutalitatis ex eo, quòd vix umquā absit alterius legis transgressio (à qua malitiam desumi contendit) v. g. jejunii Ecclesiastici, non furandi, satisfaciendi debitis, nō lædendi propriā valetudinem &c. quæ specificaverat *n. 98.* quasi verò non jejunare, vel alias leges transgredi sit peccatum brutalitatis, aut inde excessus prædictus malitiam brutalitatis (si illam aliàs de se non haberet) accipiat.

62. *Aliud insuper dictum ejusdem refellitur.*

63. *Opinio ejusdem de malitia ebrietatis expenditur.*

Pari ratione pergit *num. 105.* ebrietatis gravem malitiam referre ad alterius legis transgressionē; juxta ipsum semper conjunctam, videlicet quod violetur dominium

Dei in usum nostræ rationis, quod nobis Deus non subjecit in ordine ad talem effectum, secùs in ordine ad medicinam vel somnum. Quare specialis malitia ebrietatis esset injustitiæ respectu Dei. Quod non credo conforme communi apprehensioni, etiam ipsorum peccantium. Malitia itaque consistit in vestiali inordinatione superiùs descriptâ.

64. *Alia de potationibus dicta ejusdem breviter reprobantur.*

Infert quoque *num.* 106. difficulter probari, quòd potitare etiam usque ad privationem usûs rationis, non delectationis, sed somni moderati conciliandi gratiâ, secluso aliis extrinsecis, sit magis peccatum quàm sit ipse somnus extra casum necessitatis; quod tamen subjicit examini aliorum: sed absque examine falsissimum apparet. Prout & hoc, quod *nu.* 107. subdit difficulter probari esse peccatum, si alterius legis transgressionem secludas, indies potitare, sine perfecta ebrietate: quasi verò cum imperfecta ebrietate similive excessu id agere nõ sit ullum peccatum. Idemque *num.* 108. respondendum censet de provocatione ad æquales haustus; quæ tamen ab omnibus improbatur tamquam inordinata, saltem venialiter, etiam secluså perfectâ ebrietate.

65. *An censendus sit se inebriasse, qui potitat cum nausea vini usque ad privationem usus rationis, præcisè ut satisfaciat amico.*

Non est denique probandum, quòd juxta ipsum *num.* 103. potitans usque ad privationem usûs rationis cum nausea vini præcisè ad satisfaciendum amico, dicendus sit potiùs se eo usque ingurgitasse, quàm inebriasse. Non enim dubitandum apparet, quin talis potitatio comprehendatur inter ebrietates juxta Apostolum excludentes à regno Dei, inter quas etiam ex professo recensetur ab *Augustino Serm.* 232. *de Temp.* Et meritò: cùm usus delectabilium gustûs inordinatus usque ad privationem istam nõ minùs sit vitium completum sobrietati oppositum, quàm fornicatio, pollutio &c. sint luxuria opposita castitati, etsi delectabilia hæc non propter delectationem, sed vel ob sanitatem, vel ob alios fines appetantur.

## QUÆSTIO V.

### De Iejunio Ecclesiastico.

66. *Quid significetur nomine jejunii.*

IEJUNIUM significat ciborum parsimoniam specialiter, sive quoad rariorem & parciorem usum, sive quoad victûs asperitatem majorem, quàm virtus abstinentiæ per se requirat. Quod diversimodè à diversis Sanctis omnis ævi practicatum est.

*Quodnam dicatur Ecclesiasticum.*

Dicitur Ecclesiasticum, quando fit modo per Ecclesiam præscripto, qui est, ut abstineatur à cibis certi generis, & pluribus refectionibus in die naturali, & servetur certa refectionis hora.

*Illud rectissimè indicit Ecclesia.*

Quod quidem Ecclesia ob maximas jejunii utilitates, causasque justissimas meritò certis anni diebus præcepit fidelibus: quidquid exemplo quorumdam antiquiorum Hæreticorum nostri Recentiores contradicant, satis refutati per consensum & usum omnium sæculorum, jam inde à temporibus Apostolorum. Immo ab his institutum esse, Ecclesiæque traditum jejunium quadragesimale, Patres passim testantur.

67. *Generales Hæreticorum contra Iejunium Cavillationes quæ.*

Varia porrò, quæ in jejuniis Catholicorum Hæretici arguunt, ex parte sunt generalia ad alias Ecclesiæ leges, opera meritoria & satisfactoria, ac denique opera supererogationis; quæ alibi refutantur: ut quòd sint contra libertatem christianam, spectentque ad servitutem judaicam; quòd adhibeantur ad mercedem & satisfactionem, quòd sit superstitiosum adhibere aliquid ad cultum Dei, quod non est ab eo præceptum. Quasi verò non sufficiat præcipi ab Ecclesia, aut à Deo commendari, prout jejunium commendatur *Tob.* 12. *Dan.* 10. *Joël.* 2. 2. *Cor.* 6. idemque laudatur in Anna vidua *Luc.* 2. Sanè obsequia spõtanea solent esse gratiora, certè non respuenda etiam in humanis.

68. *Quænam specialiter contra idem objiciantur ex Scripturis.*

Specialiter autem ad præsens institutum pertinet, quòd abstinentiam à certis cibis dicant esse vocatam ab Apostolo 1. *ad Timoth.* 4. doctrinam dæmoniorum, ubi rationem addit: *quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Deinde dicunt delectum ciborum pertinere ad Judaicas ceremonias; ac proinde Ecclesiam facientem talem delectum reincidere in Judaismum. Unde hoc redarguit Apostolus *ad Coloss.* 2. *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu.* Quare etiam *Matth.* 15. Christus dicit: *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*

69. *Eadem dissolvuntur.*

Verùm ad hæc respondetur Catholicos non abstinere à quibusdam cibis tamquam ex natura sua illicitis aut immundis; quo- ut fecerunt *Tatiani Manichæi, Priscillianistæ*, & quidam alii Hæretici, quos per prophetiæ spiritum prænuntiavit Apostolus aliquando venturos 1. *ad Timoth.* 4. Neque etiam abstinent Catholici à quibusdam cibis tamquam ob significationem aut ratione legis veteris adhuc immundis, quos reprehendit Apostolus *ad Coloss.* 2. Nam planè contrarium docet Ecclesia Catholica, ideoque tempore & loco quoslibet cibos percipere fidelibus permittit. Abstinent igitur Catholici certis diebus à quibusdam cibis, seclusa præcepto Ecclesiæ licitis, ac ex natura sua bonis, ob carnis mortificationem aliasque utilitates: quod bonum ac religiosum esse, satis probant Sanctorum exempla, etiam in sacris litteris commendata: sic Daniel à carne, vino & aliis delicatioribus per tres hebdomadas abstinuit *Daniel.* 10. Rechabitæ à vino *Jerem.* 35. Et Nazaræi ab omni quod inebriare posset *Numer.* 6. Sic etiam Joannis Baptistæ esca fuit mel sylvestre & locustæ *Matth.* 3. Idem à principio imitati sunt plerique maximi Sancti novi Testamenti.

*Ecclesiam vetat cibos tamquam immundos ex se aut vi legis veteris.*

*Quæ ratione id faciat.*

Ad lo-

70. *Expenditur illud Christi:* Quod intrat in os, non coinquinat animam,

Ad locum Matthæi dico Christum ibi non agere de delectu ciborum, sed docere id quod intrat in os, si videlicet sit cibus alioquin licitus, non coinquinare animam, nec fieri cibum immundum ex eo, quòd sumatur illotis manibus. Discipuli enim non reprehendebantur, eò quòd comederent cibos vetitos, sed tantùm quòd non lavarent manus: neque etiam Christus intendebat docere animas Judæorum non fore coinquinandas, si ipsi comedissent cibos lege tunc adhuc obligante vetitos, aut licitos quidem, sed intemperanter: id enim manifestè falsum esse etiam Hæretici fateri coguntur. Quod si tamen generaliter intelligere quis vellet sententiam Christi, intelligenda erit, quòd cibus intrans in os, secundùm se præcisè, & ex vi sua, non coinquinet hominem. Quo non obstante potest coinquinare ratione inobedientiæ, aut scândali, alteriusve circumstantiæ; ut manifestum est exemplo vetiti fructûs, qui utique ex natura sua non erat malus, cujus tamen comestione contra obedientiam factâ Protoparentes se & posteritatem perdiderunt.

71. *A quibus cibis sit diebus jejunii abstinendum. Usus ovorum & lacticiniorum quando & ubi permissus.*

Quod itaque attinet ad cibos, à quibus tempore jejunii Ecclesiastici abstinendum est, hi sunt primò & principaliter carnes (in quibus tamen potest, uti in aliis rebus, dari levitas materiæ) dein ova & lacticinia. In plerisque tamen Provinciis extra quadragesimam non est vetitus esus ovorum, aut usus lacticiniorum, ut notant passim Doctores, & consuetudo docet. Sed neque jure communi extra illud tempus esse vetitum, Varii notant. Immo in diversis locis, ut hîc in Belgio & Germania, permittit consuetudo usum lacticiniorum, etiâ in quadragesima, exceptis paucis aliquot diebus, quos Episcopi solent pro suo rationabili beneplacito designare; & quidem in hac Diœcesi Mechlinienſi assignati solent quatuor postremi dies hebdomadæ sanctæ, in aliis iidem, vel plures aut pauciores.

*Regula observanda.*

Quare pro abstinentia à certis cibis hæc esto regula, Abstinendum scilicet ab iis, quorum usum tali loco, talibusque jejunii diebus, Ecclesiæ consuetudo, alioquin in variis locis varia, non permittit.

72. *Abstinentiam ab ovis & lacticiniis an graviter præceperit Ecclesia.*

Quamvis autem *Fagundez* & pauci alii apud *Castro Palao* hic *disp.* 3. *p.* 2. § 1. (cui id ipsum videtur probabile *num.* 6.) existiment non obligare graviter abstinentiam ab ovis & lacticiniis. Oppositum tamen habet communis Doctorum consensus; quod etiam probat *Castro Palao sup.* Constat enim satis de prohibitione & dispensatione (quæ prohibitionem supponit) dari solitâ; adeoque gravis est obligatio, suppositâ saltem materiæ gravitate, quæ utique subesse potest (etsi facilè quoque subsit materiæ levitas) tum junctim, tum separatim, præsertim in ovis. Nec favet oppositæ sententiæ, quòd Gregorius ab Augustino Anglorum Apostolo rogatus à quibus ultra carnem in quadragesima esset abstinendum, solùm responderit (uti refertur c. *Denique, d.* 4.) *par esse*, ut à prædictis abstineatur. Nam ly *par* non indicat solùm congruum esse, ut abstineatur ab ovis & lacticiniis (aliàs ne quidem esset obligatio venialis) sed significat paritatem obligationis, q. d. par est, ut dum obligamur abstinere à carnibus, etiam obligemur abstinere ab ovis & lacticiniis.

*Sententia negantis fundamentum dissolvitur.*

Existimat nihilominus *Marchant To.* 2. *Tract.* 12. *Tit.* 3. *q.* 2. *concl.* 2. diebus paucis quadragesimæ, quibus juxta ipsum in memoriam velut primævæ obligationis, ex determinatione arbitraria Episcoporum abstinetur in Belgio à lacticiniis, non peccare graviter utentes butyro seu lacticiniis (non tamen ovis) quasi censeatur levis materia, neque tanti in Belgio æstimetur. Quod eatenus saltem verum puto, quòd non citò censeatur gravis materia; sæpè etiam adsit excusatio in carentibus oleo (quod in aliis regionibus abundat) aliisque cibis; quos tamen oportet laborare; similiter in lactantibus, oleumque non ferentibus, cui aliæ nationes assuetæ, difficiliùs uterentur butyro, quàm Belgæ oleo. Desiderandum tamen, ut vetus disciplinæ Ecclesiasticæ in jejuniis rigor, qui præscriptâ consuetudine adeò est relaxatus, postliminiò restitueretur.

73. *Sententia Marchantii circa lacticinia quoad Belgium.*

74. *Quid censendum de usu adipis.*

In pinguedine similiter seu adipe (qua diebus sabbatinis cibi conditi possunt in quibusdam locis; quorum usus spectandus) *Fagundez* & alii non faciunt difficultatem, quasi liceat iis diebus, quibus ova & lacticinia. Sed praxis & sensus communis, his præsertim in locis, contrarium docet: etsi fatear facilè posse subesse levitatem materiæ.

75. *Abstinentiam à pluribus refectionibus, secundo loco ad jejunium requiritur. Ubi nomine refectionis intelligitur sumptio cibi ad corpus alendum.*

Unde frequentior sumptio potûs, etsi possit esse contra legem naturalem temperantiæ, non tamen prohibetur lege Ecclesiasticâ jejunii, ut tradit *D. Thomas q.* 147. *art.* 6. *ad* 2. & alii communiter: quia potus ordinatur magis ad sanguinis refrigerationem, cibi distributionem, ac digestionem, quàm ut alat corpus. Et licet aliquo modo nutriat, id tamen est per accidens, nec est ejus finis, ac non alit tantùm, quantùm cibus. Unde Ecclesia ejus non habet rationem, ut consuetudo præsens declarat.

*Exigit lex Jejunii. Quid nomine refectionis intelligendum. Potus etiam immoderatus non frangit jejunium.*

76. *Argumentum Marchantii.*

Quamvis contradicat *Marchant Tract.* 12. *Tit.* 3. *quæst.* 1. hoc usus argumento, quòd immoderatus potus destruat genus jejunii, scilicet abstinentiam, adeoque ipsum jejunium; cùm genere sublato tollatur species. Verùm hic modus argumentandi nullus est: aliàs enim sequeretur frangi jejunium

chant oppositum sentientis dissolvitur.

nium ab eo, qui immoderatè bibaret sub refectione, veluti qui pari ratione destruit rationem abstinentiæ. Idemque esset de eo, qui immoderatè prandere. Immoderatus itaque potus tollit quidem sobrietatem, non tamen abstinentiam à cibo, qualem præcipit Ecclesia: quæ etiam non vetat gulositatem in comedendo, quàm à Deo supponens prohibitam, solùm præcipit, ut abstineatur à pluribus refectionibus, cetera relinquens regulis naturalibus abstinentiæ & sobrietatis.

77. An sumptio electuariorum solvat jejunium.

Præterea juxta *D. Thomam sup. ad 3.* non solvit jejunium sumptio electuariorum; quia non sumuntur ad nutritionem, sed ad digestionem, seu per modum medicamenti. Nisi quis hæc sumat in magna quantitate per modum cibi, in fraudem jejunii, ut ait *D. Thomas sup.* Similiter Ecclesia (ut ait *Sylvius quæst. 147. art. 6.*) non prohibet unum alterumve bolū panis sumere, quando bibendum est, modò eo solùm animo sumatur, ne potus noceat; eò quòd tunc modicum illud magis sumatur per modum medicinæ, quàm cibi. Idem est de modico quod sumeretur contra vertiginem capitis, aut similem causam; quod habet potiùs rationem medicinæ, quàm cibi.

An bolus panis sumptus, ne potus noceat.

78. Qui licita sit cœnula vespertina.

Usus nihilominus etiam inter probos, inspiciente & connivente frequentibus hominum necessitatibus Ecclesiâ, præscriptus, permittit cœnulam seu collationem vespertinam, non solùm ne potus noceat (prout olim fuit introducta) sed etiam alicujus alimenti causâ. Ejus autem qualitas & mensura determinanda est ex eodem usu, probato à timoratis in eadem regione seu loco.

Qualis esse debeat.

Prout in Belgio diebus, quibus lacticinia permittuntur, satis communiter offertur, præsertim inter sæculares (nos contentamur frusto panis) pro collatione butyrum & panis, aut etiam caseus, ficus, castaneæ, amigdala, & similes fructus. Immo plures Doctores non faciunt difficultatem in qualitate, sed in sola quantitate, permittentes etiam pisciculos, aut partem magni piscis, ut (omissis pluribus) inter Italos *Bonacina disp. ult. de Præceptis q. 1. p. 2. n. 3.* Inter Belgas *Marchant Tract. 12. Tit. 3. q. 3. dub. 1.* cùm enim (ut hîc arguit) Ecclesia eam indulgeat alicujus confortationis gratiâ; quid refert, quo cibo, si diei accommodus sit, ea confortatio habeatur, si æqualis sit?

79. Quanta esse possit.

Ad quantitatem quod attinet, debet cōmuni judicio esse modica (quamvis excessus, præsertim bonâ fide factus, non facilè sit mortalis) qualis utì in aliis rebus, sic & in præsenti censetur quarta vel quinta pars, ordinariæ scilicet refectionis cujusque; ut censet *Filiucius, Layman* & plures alii. Quāvis *Castro Palao sup. §. 2. n. 7.* credens quantitatem unius libræ sufficere pro communi refectione (ex quo sequeretur non posse in collatione sumi ultra tres vel quatuor uncias alimenti; quod durum est, ut ait) censeat, refellens alios Doctores, modicam esse quantitatem, quæ octo uncias non excedit. Ex quo sequeretur, posse sumi dimidiam partem communis juxta ipsum refectionis. Quod apparet satis laxum. Et alijunde refectio communis non est paris quantitatis in singulis, uti patet.

Notandum I. Refectionem, etsi physicè non continuatam, posse censeri unicam, si non sit moraliter interrupta. Unde qui jam inchoatam coguntur relinquere ob superveniens negotium, possunt illam ex intentione & circumstātiis eamdem seu unicam, negotio absoluto complere. Quantitas verò interruptionis, habitâ ratione negotii, temporis, & animi interrumpentis prudenti arbitrio definienda est. Secùs est, si absit causa. Tunc enim interruptio duarum v. g. horarum judicio *Sylvii sup. quæst. 1. concl. 2.* censetur non esse sine fractione jejunii; immo & horæ unius: etsi (ut addit) tunc fortè sit solùm venialis, cùm ea violatio non sit tam notabilis. Sic etiam juxta Doctores possunt Ministri mensæ in Monasteriis aliquid modicum præguſtare ipsâ horâ communis prandii postea ab ipsis perficiendi, sive tamquam præservativum ne deficiant, sive tamquam inchoationem secuturæ refectionis, quæ ex intentione subnixâ rationabili causæ censetur moraliter unica. 80. Sufficit refectionem esse unicam moraliter. Corollaria inde deducta.

Notandum II. Quòd etsi modici cibi sumptio extra tempus refectionis sit levis, possit tamen sæpiùs repetita effici gravis, & æquivalere comestioni notabili, tollereque difficultatem jejunii. Modica sumptio extra tempus levis, sæpiùs repetita gravis.

Notandum III. Quòd etsi certâ omnium sententiâ & praxi quælibet refectio, scilicet tam prima quàm secunda, tertia, & ulterior, in carnibus facienda, si sit notabilis, sit graviter inhibita lege jejunii; dubitetur tamen, an idem sit de tertia, & ulterioribus refectionibus in piscibus. Et quidem *Joannes Major, Medina, Covarruvias, Montesines* (quos citat *Castro Palao sup. §. 2. n. 8.*) Et sequitur *Sylvius sup. quæst. 3. Wiggers c. 1. dub. 4. n. 26.* censent, non sine fundamento notabili, quòd sic; eò quòd simpliciter prohibitum sit plusquam semel comedere, utì plusquam semel in die missam celebrare: quare sicut in tertia & ulterioribus celebrationibus graviter peccatur, sic & in tertia & ulterioribus refectionibus. Ac proinde, etsi impossibilis sit adæquata impletio præcepti semel violati, adhuc possibilis & debita manet pro parte restante. Quæ etiam ad finem præcepti non modicum cōducere potest, ut inter alios probat *Wiggers*, apud quem, & apud *Sylvium sup.* plura videri in hanc rem possunt. 81. Quilibet refectio in carnibus interdictis. Iuxta multos idem est de refectione in piscibus.

Fatendum nihilominus oppositam sententiam esse passim receptam, quam communem vocat & sequitur *Castro Palao sup.* Cujus non video melius fundamentum, quàm quòd Ecclesia accommodè ad humanam fragilitatem potuerit indicere hoc 82. Opposita sententia communiter recepta declaratur.

sensu

sensu legem jejunii, ut solum secundam refectionem (quâ plerumque sunt homines, exceptis mœchanicis, etiam extra diem jejunii citra notam abstinentiæ specialis, contenti) interdixerit seu præcisè prohibuerit transiliri limitem unicæ refectionis, sicut si inhiberet transiliri limitem alicujus loci; cujus transilitione sic censeretur violatum præceptum, ut de cetero non violetur ulteriori in refectionibus progressu. Quòd autem ita fecerit, suadet sensus cõmunis, & praxis, tum fidelium, qui numerum refectionum non explicant, tum confessariorũ, qui non interrogant. Quem admodum hâc ratione solet argui in materia Sacramentorum pendente ab institutione Christi. Quamvis mihi interdum incidat ratio admirandi, cur Ecclesia in similibus mentem suam (à qua cardo totius rei pendet) non manifestè declaret. Confirmatur: quia dispensati seu excusati à jejunio ob senium seu debilitatem aut laborem, censentur posse refici toties quoties, quamvis causa id non postulet; utique idcirco, quòd sensus communis sit jejunii lege prohiberi præcisè excessum ultra limites secundæ refectionis.

83. *Quædam illius limitatio discutitur.* Limitatur autem communiter hæc sententia à Doctoribus (quos refert *Castro Palao num. 9.*) ut non procedat in casu, quo ex ignorantia seu inadvertentia quis secundam refectionem sumpsit; utpote quæ non sit jejunii transgressio. Sed contrà facit, quòd juxta hos Doctores non nisi secunda refectio sit prohibita, adeoque observantia præcepti facta sit impossibilis, non obstante ignorantiâ. Quare ex hoc ipso posset proximè præmissa sententia impugnari; aut certè cum *Layman, Bonacina* (quos citat & sequitur *Castro Palao sup.*) consequenter non est prædicta limitatio admittenda.

84. *Quid faciendum ei, qui die jejunii manè bonâ fide jentaculum sumpsit.* Dubitatur, an qui manè jentavit, ignorans esse diem jejunii, vel ob iter pedestre, quod postmodum impeditur, possit horâ consuetâ prandere, seu se gerere ac si nil cõedisset? Affirmant Varii, & probabile censet *Sessius l. 4. c. 2. dub. 3.* Sed omnino censendum est talem, si absque gravi incommodo possit, debere jejunium servare, sive cõputando jentaculum pro collatione, si non fuerit nimis excessivum, & prandium differendo in vesperam; sive jentaculum, si fuerit justa refectio, computando pro prandio, & vesperi sumendo collationem. Suppositâ tamen notabili difficultate, non est æquum, ut talis fraudetur permissâ ceteris commoditate, aut plus iis gravetur. Fortassis etiam posset, quod justæ refectioni defecit in jentaculo, supplere in collatione abundantiori; uti ratio videtur dictare.

85. *Tempora jejuniorum specificantur.* Quod attinet ad tempora jejuniorum, quæ hodie cadunt sub præceptum, ea communiter satis nota sunt, videlicet dies quadragesimæ (exceptis dominicis, quibus abstinendum à cibis vetitis) quatuor temporum, Vigiliarum (quæ si venerint in Dominica, præveniuntur in sabbato) Natalis Domini, Assumptionis B. Mariæ, & omnium Apostolorum (exceptis Vigiliis SS. Joannis Evangelistæ, ac Philippi & Jacobi) spectato jure communi *c. 1. & 2. de observat. jejunior.* Quibus ex universali consuetudine jungendæ sunt Vigiliæ Pentecostes, SS. Joannis Baptistæ (cujus vigiliâ incidente in festum Corporis Christi, est jejunium die immediatè præcedenti anticipandum ex decreto Urbani VIII. Constit. *Cùm evenire*) Laurentii, & Festi omnium Sanctorum. Ex consuetudine verò particularium Ecclesiarum plura vel pauciora jejunia obligant.

86. *Quæ jejunia sint in Provincia Mechlinien. observanda.* Et specialiter in *1. Synodo Provinciali Mechlinien. Tit. de jejuniis c. 1.* non enumerantur pro Provincia obligantes vigiliæ Apostolorum jejunandæ, nisi SS. Petri & Pauli, Matthæi, Simonis & Judæ, atque Andreæ. De quibus & aliis Vigiliis ibidem adjunctis dicitur, quòd sint *ab universis ætatem habentibus, nec legitimè excusatis, sub periculo peccati mortalis jejunandæ.* Deinde hortatur Synodus Fideles, ut *in locis, ubi plura vel strictiùs observata fuerint, piam consuetudinem observẽt.* At *Synodus Mechlinien. II. Tit. de festis & jejuniis c. 3.* declarat esse jejunia per totam Provinciam servanda in I. Synodo Mechlinien. plenè enumerata, *ita tamen, ut in locis, ubi vel plura, vel strictiùs observata fuerint, mandet Synodus, ut pia consuetudo observetur.* Abstinentia à carnibus obligat in feriis sextis & sabbatis: præterquam quando Natale Domini in alterutram diem incidit. In Provincia quoque Mechliniensi est licitus usus carnium in sabbatis inter Nativitatem Domini & Purificationẽ Deiparæ inclusivè sumptam; quod tempus vocant puerperium D. Virginis. Oppositum tamen statuitur in *Synodo Buscoducensi Tit. 12. c. 11.* Ubi etiam *cap. 9.* pro locis ab Ultrajectensi & Leodiensi Diœcesi dismembratis declaratur obligatio juris communis, quoad jejunia in Vigiliis Apostolorum.

*In puerperio B. Virginis qui Belgũ liceat usus carnium in sabbato.*

87. *Quid statuendum de abstinentia in Litaniis Majoribus & Minoribus.* In festo S. Marci & Triduo rogationum non viget hodie saltem obligatio perfecti jejunii (esto videatur olim viguisse in Triduo prædicto ex *Concilio Aurelianensi* relato *c. Rogationes, de Consecrat. d. 3.*) sed imperfecti, scilicet abstinentiæ à carnibus, prout in sextis feriis. Esus tamen adipis, qui quibusdam locis permittitur diebus sabbatinis, non est ad istos dies extendendus, nisi suppositâ pariter in loco præscriptâ consuetudine. Horam etiam refectionis istis diebus prævenire, non est per se peccatum. Servanda tamen statuta Synodalia, & consuetudines speciales; prout *Synodus Mechlinien. I. sup. c. 2.* statuit, ut jejunetur usque ad prandium saltem. Quamvis hujusmodi consuetudines aut ordinationes non semper sint obligatoriæ, saltem graviter;

prout ex sensu ipsorum fidelium cognosci potest & debet.

88. *Qui possit per Episcopum aut Episcopali potestate præditus transferri dies jejunii.*

Notant autem varii Doctores Episcopum (idem est de aliis habentibus similem in suos jurisdictionem) posse ex causa legitima transferre pro sua plebe jejunium in alium diem, prudenter gerendo negotium Ecclesiasticæ legis, cujus sunt velut executores; ac præveniendo plura peccata in transgressionibus committenda: v. g. si incidat in diem dedicationis apud plebem magis festivæ, vel Bacchanalium.

89. *Quinam obligentur generaliter lege jejunii. Notanda circa adolescentes minores 21. annis, à jejunio excusatos.*

Lege Ecclesiasticâ jejunii, quatenus prohibente abstinentiam à cibis vetitis, obligari omnes fideles Christianos usu rationis præditos, certum est apud omnes Doctores. Quatenus autem prohibet plures refectiones, non adstringit pia Mater Ecclesia eos, qui necdum compleverunt annum ætatis vigesimum primum (quæ nimirum ætas frequentiore indiget alimento) utì quoque usus & sensus communis Doctorum indubitatum facit. Consultissimum tamen est, ut juvenes se ad jejunium exerceant juxta modum ætatis suæ, ac determinationem confessarii (quæ non est obligatoria, ut patet) præsertim ii, qui pubertatem excesserunt: ætas enim illa lasciviis carnis sæpè solet esse valde subjecta, quæ saluberrimè jejuniis constringûtur. Sic etiam paulatim assuescendo jejuniis, adveniente obligationis tempore faciliùs præceptum exequuntur.

*Possint ex voto adstringi ad jejunia, sunt-q; professi adstricti ad jejunia regulæ, non tamen omnia Ecclesiæ.*

Possunt tamen adolescentes juniores se per votum obligare ad arcta jejunia. Prout Franciscani in minori ætate professi obligantur ex Regula ad plurima jejunia, & ipsam quadragesimam Resurrectionis, etsi non ad cetera Ecclesiæ jejunia in Regula nequaquam expressa.

90. *Qui tituli excusent à jejunio. Quinam excusentur titulo impotentiæ.*

Causæ excusantes à jejunio solent reduci ad triplicem titulum, scilicet impotentiæ, laboris, pietatis. Quibus adjungi potest quartus, scilicet rationabilis dispensatio.

Titulo impotentiæ excusantur infirmi, item convalescentes & debiles, accedente præsertim judicio medicorum: insuper mulieres prægnantes & lactantes, & pauperes qui non habent justam refectionem. His annumerari solent senes: ipsa enim senectus morbus est, & quidem incurabilis. Alii porrò citiùs, alii seriùs senescunt. Fatendum tamen cum Doctoribus passim, sexagenarios, veluti in ætate valde deficiente, & mediâ senectâ constitutos, ordinariè saltem excusari à jejunio, ac præsumi eos nõ posse jejunare, illum contrarium non constat. Immo Doctores gravissimi & plurimi excusant omnes indiscriminatim, etsi videantur robustioris complexionis; cujusmodi nimirum vigor plerumque est fallax & incertus. Et pro hoc allegat *Marchãt To. 2. Tribun. Tr. 12. Tit. 3. q. 4.* ex *Hieronymo Llamas* generalem declarationem vivâ voce factam à Pio V. ob ea nimirum, quæ sunt per se, & ut plurimùm. Immo idem *Marchant sup.* & plures alii id extendunt ad jejunia Regulæ. Quod difficile videtur in casu, quo satis constaret de viribus & facultate jejunandi citra considerabile naturæ incommodum: prout interdum contingere posset.

*Quid censendum de Senibus.*

Laudabile valde (quod docet experientia) Sexagenarios nostros, immo Septuagenarios, ac usque ad decrepitã ætatem, si alia infirmitas non obstet, cum alacritate & spiritûs fervore magnam partem anni in Ecclesiasticis & Regularibus jejuniis transigere, solo frusto panis in collatione contentos. Superioribus tamen incumbit invigilare, ut discretè horum indigentiis (si quæ timeantur subesse) provideatur.

91. *Quinam excusentur titulo laboris.*

Titulo laboris excusãtur omnes, qui duriori labore suo victitant, cum quo scilicet non potest bene jejunium consistere. Tales sunt Agricolæ, Fabri ferrarii vel lignarii, Cæmentarii, Fullones, Coriarii, Prælum typographicum prementes, & plerique alii mechanici. Quod *Bonacina disp. ult. de Præceptis q. 1. pu. ult.* & alii, quos citat, extendunt etiam ad alios dies, quibus isti non laborant, v. g. dies festos intermedios, quando juxta prudens judicium id exigit labor præcedens vel secuturus. Nec refert, utrùm divites sint an pauperes: quia hoc ipso quòd ex officio laborant, possunt æquè diebus jejuniii ac aliis laborare, & consequenter tũc non jejunare, modò revera laborem subeant, ut declaravit *Eugenius IV.* teste *Sylvestro* V. *Jejunium q. 9. Navarro c. 21. n. 16.* & aliis. Aliqui tamen, quorum labor est levis (ut Sartores, Pictores, Barbitonsores, & similes) communi sententiâ non excusantur à lege jejunii: quidquid Nonnulli indiscriminatim excusent omnes artifices ob præfatam declarationem Eugenii IV. quæ nimirum, veluti rationabilis, censenda est aliorum Doctorum judicio respicere Mechanicos prioris generis; nisi adsit alius titulus, paupertatis v. g. unde deficiat justa refectio.

Excusantur similiter, qui damni vitandi, aut notabilis lucri gratiâ laborãt, etiamsi aliàs laborare non soleant; sicut quando mercatores ad nundinas proficiscuntur pedites, vel ad alia negotia, quæ saltem commodè differri non possunt. Censeturque cõmuniter sufficere iter quatuor aut quinque milliarium nostratium, quæ conficiunt duodecim vel quindecim milliaria italiorè: eò quòd labor talis itineris censeatur notabilis, & naturæ non modicum defatigativus. Quamvis Nonnulli statuant sincerum ac prudens arbitrium, attento hic & nunc naturæ defectu, pro regula.

92. *Qui excusentur titulo pietatis.*

Titulo pietatis excusantur, qui operibus misericordiæ spiritualibus vel corporalibus incumbunt, cum quibus non queunt jejunare. Item excusantur Concionatores, legentes in scholis, visitantes infirmos, Sacramenta

cramenta administrantes & similes, si suum officium cum jejunio bene exercere nequeant: Ecclesia enim ita præcipit jejunium, ut opera magis necessaria & præstantiora non velit impedire, quando cum illis non consistit jejunium. Cavendum tamen, ne quis laboris vel operis pietatis occasionem captet, dumtaxat in fraudem jejunii, ut locum non habeat illud *Psal. 26. Et mentita est iniquitas sibi.*

93. *Excusationes præmissa qui non respiciant cibos vetitos.*

Observandum verò, ea, quæ diximus de exemptione à jejunio, esse intelligenda potissimum quoad abstinentiam à secunda refectione, non ita quoad abstinentiam à cibis prohibitis. Quando tamen foret evidens necessitas, liceret quoque cibis vetitis uti; & quidem per se loquendo, absque alia superioris dispensatione. In dubio autem necessaria est dispensatio.

94. *Qui denique ratione dispensatio-vis.*

Titulus itaque postremus excusationis in casu quo aliàs quin lex obligaret, est dispensatio data ex rationabili causa. Eaque providè dari potest ad cautelam, si fortè causa se solâ (ut sufficere putatur) non sufficiat. Potestas autem dispensandi ob casus crebrissimos est etiam pœnes parochos, saltem in absentia Episcopi, & respectu Religiosorum pœnes Prælatos regulares, ut passim notant Doctores.

*Pœnes quos sit potestas dispensandi.*

Pro fine notandum, quibus esus carnium concessus est ob infirmitatem aut debilitatem, eisdem etiam censeri concessam secundam refectionem. Secùs si usus carnium concessus sit, eò quòd natura à piscibus abhorreat, vel quia pisces putantur nocere temperamento: tunc enim non subest ratio quare plures refectiones concederentur.

95. *An dispensatus in carnibus censeatur dispensatus in secunda refectione.*

## QUÆSTIO VI.

### *De Partibus Potentialibus Temperantiæ, Vitiisq; Oppositis.*

96. EXPUNCTA in antecedentibus continentiâ, & consequenter oppositâ incontinentiâ, ex hoc numero, veluti partibus integrantibus aut subjectivis castitatis & luxuriæ, restat mansuetudo, eique affinis clementia, & multiplex modestia.

*Quid Mansuetudo & quod ejus officium.*

Mansuetudo est virtus, quæ moderatur iram juxta rationis præscriptum. Unde facit, ut homo oblatis occasionibus irritantibus non irascatur, aut ut iram comprimat, ne prorumpat ultrà, quàm deceat. Facit etiam, ut ira excitetur dum ratio exigit, ut audacia proximorum coerceatur, delicta corrigantur, ne accrescant &c.

97. *Quid ira. Quando sit mala, quando bona.*

Ira enim, quæ definiri solet appetitus vindictæ, per se indifferens est ad bonam & malam, & vocari solet satellitium viri seu rationis; quod nisi adhibeatur in malo propulsando, sæpe eidem contra rationem cedetur. Unde est defectus iræ vitiosus, mansuetudini oppositus, qui dicitur nimia iræ vacuitas; quæ eatenus solùm est peccatum, quatenus defectu iræ non opponimus nos malo quando & quantum oportet. Quare si ira modum rationis non excedat, sed ei conformetur, est bona. De qua *Psal.* 4. dicitur: *Irascimini, & nolite peccare.* Et de Christo *Marci* 3. dicitur: *Circumspiciens illos cum ira.*

*Ira vacuitas quando peccatum.*

Neque omnem iram improbat Christus dicens *Matth. 5. Omnis qui iratur fratri suo, reus erit judicio.* Loquitur enim de ira, quæ tendit ad homicidium; utpote complens ibidem præceptum, *Non occides.* De qua etiam ibidem prosequitur dicens: *Qui dixerit fratri suo, racha &c.* scilicet ex ira, quâ mortem ipsius desiderat. Ita *Lessius c. 4. dub. 4.* ex *D. Thoma q. 158. art. 5. ad 3.* Si itaque ira modum excedat, dicitur iracundia, vitium capitale mansuetudini oppositum per excessum, ex parte iræ scilicet, quæ per mansuetudinem moderanda, limites excedit. Alioquin iracundus in mansuetudine potiùs deficere, quàm excedere videtur.

98. *Quæ ira graviter culpetur Matth. 5.*

*Iracundia, vitium capitale Mansuetudini oppositum, quo sensu per excessum.*

Dupliciter autem potest modus excedi. Primò, si appetatur injusta vindicta, v. g. punitio immerita vel nimia, vel contra, vel præter ordinem juris, v. g. inferenda à privato aut incompetente judice. Estque peccatum grave ex genere suo; etsi fiat veniale ratione imperfecti consensûs, aut levitatis materiæ. Quare ira recensetur inter mortalia opera carnis *ad Gal. 5.* Interdum autem irascitur homo etiam contra inanimata, quærens quasi vindictam, ubi vindictæ nullus est sensus, v. g. contra calamum malè scribentem quem collidit iratus; ut pulchrè observat *Augustinus Epist. 115.* Et *14. de civit c. 15.* Illic *tamen quædam* etiam quasi *ulciscendi libido est, & nescio quæ, ut ita dixerim quasi umbra retributionis, ut qui mala faciunt, mala patiantur,* uti loco posteriori ait *Augustinus*

*Dupliciter exceditur ira. Primò ex parte vindictæ.*

*Est ex genere suo peccatum.*

Secundò potest excedi ex parte ipsius commotionis, quæ nimia & inordinata sit, etiam independenter ab appetitu propriæ vindictæ. Sic enim plures animo, atque etiam exteriùs turbantur & commoventur ex occasione aliqua vera vel apprehensâ irritationis acceptâ. Quæ quidem inordinatio juxta receptam *D. Thomæ q. 158. art. 2. & 3.* sententiam est solùm peccatum veniale, si absit periculum scandali, graves contumeliæ, convitia, seu blasphemiæ &c. quod quidem regulariter admittendum est. Nihilominus excessus in quibusdam adeò enormis est, ut hominem sensu vel ratione privet, aut motus enormes in corpore excitet quoad spumas, membrorum contorsiones, & similia ferina symptomata, adeò ut nomen insaniæ aut furoris mereatur; estque supposito sufficienti consensu, etiam secluso gravissimis malis extrinsecis inde natis oriri, juxta *Marchant To. 2. Tribun.*

99. *Secundò ex parte commotionis.*

*Est regulariter veniale.*

*An aliquando mortale,*

bun. Tract. 6. Tit. 2. q. 2. Concl. 5. peccatum mortale; veluti hominem in feram convertens, non minùs inordinatè quàm ebrietas.

100. *Quæ filiæ iræ.*

Sex iræ filias numerat *Gregorius* 31. *Moral. c.* 17. *alias* 31. dicens: *De ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, & blasphemiæ proferuntur.*

*Quæ motiva temperandæ iræ,*

Motiva mansuetudinis exercendæ ac iracundiæ temperandæ sunt: mansuetudo Dei & Christi, grave nocumentum proprium; insuper propria in aliis offendendis fragilitas, qui tamen tibi sæpe non sunt irati: bona mansuetudinis, præsertim animi quies. Quibus accedit consideratio Thomæ Mori: vel bonus est cui irasceris, vel malus: si bonus, immeritò ei irasceris, quem Deus amat: si malus, vel talis erit in æternitate, & ita satìs miser erit, & compassione est dignus; vel non manebit talis, & tunc malè irasceris illi, qui in æternitate tibi erit amicitiâ devinctus. Vide *Lessium c.* 4. *dub.* 3. & 4.

101. *Quid clementia, quæve vitia opposita.*

Clementia exteriorem vindictam & punitionem mitigat, quantum ratio justitiæ patitur; adeoque moderatur affectum ostentandæ potestatis in punitione delinquentium. Unde supponit potestatem saltem putatitiam puniendi, minuitque ex animo leni vindictam, quantum lex justitiæ vindicativæ patitur. Defectus Clementiæ oppositus est nimia lenitas, quâ ex nimia facilitate animi & compassione remittitur aut minuitur pœna contra præscriptum rationis. Excessus eidem contrarius est crudelitas, sive austeritas animi ad infligendas pœnas supra meritum. Estque peccatum grave vel leve, prout malum fuerit grave vel leve, quod per crudelitatem infertur, vel ex nimia lenitate (quæ etsi plebeio more clementia vocetur, erga privatos, est tamen crudelitas quædam erga rempublicam, cui interdum non minùs nocet, quàm crudelitas) sequitur. Crudelitati affinis est feritas, seu sevitia, inferens mala aut tormenta proximo citra omnem culpam, solius voluptatis gratiâ, adeoque non per modum pœnarum: utì crudelitas; quæ ipsa tamen etiam solet interdum sævitia appellari.

*Hæc quale sit peccatum.*

*Quid feritas, & in quo à crudelitate distincta.*

102. *Quid modestia, & quotuplex.*

Modestus generatim dicitur juxta vulgarem loquendi modum, qui se continet inter limites sui statûs, ingenii & fortunæ, contentus suo modulo. Unde Modestia est virtus quâ quis hanc mediocritatem amat, cohibendo omnes motus, tam internos, quàm externos, ne in rerum apparatu, in rebus fortunæ & ingenii excedatur. Modestiæ quatuor sunt species, Humilitas, Studiositas, Modestia motuum externorum, & modestia cultûs seu externi apparatûs. Humilitas moderatur motus animi ad excelsa; Studiositas, desiderium sciendi; modestia morum, motus & gestus corporis, modestia cultûs, externum apparatum in vestibus, supellectili, conviviis &c.

*Quid Humilitas.*

Humilitas juxta *Bernardum l. de gradu Humilit. in princip.* est *virtus, quâ quis verissimâ sui agnitione sibi ipsi vilescit.* Sive, est virtus inclinans ad proprium contemptum, & ad profitendum signis & factis suam vilitatem. Humiles itaque sentiunt se nihil esse vel posse à se ipsis, omne bonum esse à Deo, ac idcirco in eum esse omnia referenda, ipsique omnem laudem deberi, nobis autem solum contemptum.

103. *Quod humilitatis fundamentum, & quanta ejus cum charitate conjunctio.*

Hinc patet in primis notitiam sui esse fundamentum humilitatis: cumque hæc notitia non possit esse perfecta sine notitia Dei (nævos enim sui corporis tunc clariùs quis detegit, cùm lumini solis exponitur) notitia autem Dei sit fundamentum charitatis, sequitur humilitatem & charitatem esse virtutes conjunctissimas. Unde pulchrè *Augustinus* dicere solebat: *Noverim te, noverim me, ut amem te, & contemnam me.* Et in ore Seraphici *Francisci* frequens erat illud: *Quis es tu Domine, & quis sum ego:* Indeque in his Sanctis ex humilitate prodiit tam ardens charitas.

*Non opponitur Magnanimitati.*

Patet II. Humilitatem non opponi Magnanimitati, sed cum ea optimè convenire; nam cùm verè humilis agnoscat se nil esse aut posse à semetipso, maximè nititur auxilio divino; quod cùm sciat esse efficacissimùm, neminique denegari, omnia ardua attentare audet, & maximè pollet virtute magnanimitatis, juxta illud Apostoli *ad Philipp.* 4. *omnia possum in eo, qui me confortat.*

104. *Qui involvat actum Religionis.*

Patet III. Humilitatem Christianam implicitè involvere actum religionis, & contrà: nam sicut actus humilitatis primariò continet professionem nostræ vilitatis, & secundariò seu ex consequenti professionem divinæ excellentiæ: ita actus religionis primariò continet professionem divinæ excellentiæ, & secundariò professionem nostræ vilitatis. Et hinc licèt professio nostræ vilitatis ut sic non habeat rationem virtutis, saltem eximiæ, illam tamen habet, in quantum consequenter per humilitatem profitemur omne bonum nostrum esse ex Deo, ei omnem honorem adscribentes cum Apostolo 1. *ad Timoth.* 1. dicente: *Soli Deo honor & gloria.*

105. *Varii Humilitatis actus recensentur.*

Varii sunt actus humilitatis. Primò humilis semetipsum contemnit. Secundò sine falsitate reputat se donis Dei indignum. Tertiò hinc non vult laudari, quia videt omne bonum suum esse Dei. Quartò desiderat etiam ab aliis vilis haberi & contemni quantum in se est. Quod addo: quia ratione officii vel fructûs spiritualis hoc aliquando non expedit: ideoque licet non possimus excedere in actibus humilitatis coram Deo, bene tamen erga proximum, quando videlicet id vergit in injuriam sui statûs, prælaturæ &c. Quintò, cùm

cum videt se ab aliis laudari, non attrahit sibi. Sextò conferendo se cum aliis quibuscumque reputat se deteriorem: considerat enim se secundùm id, quod ex se habet, alios autem secundùm id, quod habent ex gratia: quos existimat etiam fore gratiores, si beneficia tanta haberent. Quomodo se latroni postponebat humilis Franciscus, seque maximum esse peccatorem censebat, teste *S. Bonaventurâ c. 6. Legendæ*. Septimò subjicit se Deo tamquam vilissimum mancipium, vel potiùs tamquam terram figulo, ut faciat de se quidquid placet, tam in prosperis, quàm in adversis. Ideo si aliquando ab aliis lædatur, illos reputat instrumenta Dei. Octavò subjicit se hominibus propter Deum. Nonò in externis functionibus, quantum in se, amplectitur deteriora, ut locum humilem, consortium communium, officia minora &c.

106. *Humilitati quæ vitia opponantur.* Humilitati opponitur nimia sui abjectio, & maximè superbia, quæ est vitium, quo quis ex consideratione suarum perfectionum, junctâ inconsideratione imperfectionum & dependentiæ à Deo, seipsum pluris æstimat, quàm oportet, & consequenter æstimat se dignum & idoneum rebus magnis, suamque mensuram excedentibus, æstimatque se præ aliis, seipsum magnificiens, alios parvi. Ea tamen, quæ in vitio superbiæ concurrunt magis distinguentes, rectè dicunt actum superbiæ maximè in hoc consistere, quòd aliquis afficiatur ad se tamquam magnum, ac se æstimet ultra debitum, aliisque ultra debitum

*Quid superbia.*

*Quæ filia illius.* præferat. Actum autem, quo quis inordinatè appetit propriam laudem & famam vocant cenodoxiam seu vanam gloriam. Appetitum inordinatum dignitatum appellant ambitionem. Inordinatum affectum, quo quis intendit functiones suas vires superantes nominant præsumptionem. Unde hæc vitia formaliter à superbia distinguuntur, solentq; frequenter statui inter opposita Magnanimitati; & sunt cum multis aliis filiæ superbiæ: immo ipsa quodammodo est mater omnium vitiorum, sicut humilitas omnium virtutum.

107. *Est mortale peccatum. Præsertim si sit completa.* Superbia est ex genere suo peccatum mortale juxta *D. Thomam q. 162. art. 5.* adeoque inter eos, qui digni sunt morte recensentur etiam superbi *ad Rom. 1.* Quod maximè verificatur in superbia completa, quæ excludit subjectionem erga Deum; qualis est planè diabolica, quâ quis ita excellentiam suam amat, ut ne Deo quidem subesse velit, aut se Deo adæquet vel anteponat. Estque gravissimum peccatum, etsi minus, quàm odium Dei. Ad hanc etiam spectat, quòd quis bona quævis sibi attribuat tamquam à nullo accepta, idemve alios existimare velit, aut opere externo sic se habere velit, quasi non acceperit à Deo, sed habeat à se ipso, aut sic ea habere cupiat, vel tribuetur quòd ea sic non habeat. Simile est, si à Deo quidem, sed suis meritis & ex debito accepisse glorietur, conformiter ad aliquos ex mox enumeratis modis.

Aliàs quoque superbia deliberata, est 108. peccatum mortale, quando est cum notabili despectu superiorum aut proximi, aut transgressione præcepti graviter obligantis, seu quando quis sic amat suam excellentiam, ut propterea paratus sit transgredi grave præceptum. Immo *Sylvius q. 162. art. 5.* censet etiam esse mortale, quando in re magni momenti superbus arrogat sibi bona quæ non habet, aut vult plùs quàm deceat aliis præferri. Verùm si secludatur grave detrimentum proximi, Doctores communiter (ut videre est apud *Toletum l. 8. c. 4. Marchant, Lessium* & alios passim) existiman in solo appetitu alicujus vanitatis sistentes, quâ cupiunt estimari excellentiores quàm sint, & majores aliis, non peccare mortaliter. Quod in communiter occurrentibus verum est. Quamquam peccatum sit noxium & periculosum, tum quia multorum malorum radix, tum quia multorum bonorum spiritualium impeditivum.

*Quando præter. Quando sit peccatum veniale.*

Vana gloria, nisi sit de re graviter illicita, non est per se mortalis. Idemque est de jactantia. Ambitiosè similiter non est mortalis, nisi pravis mediis, aut cum injuria tertii quis aspiret ad honores vel dignitates, aut sit ad eas inidoneus.

*An vel quando Vana gloria, Iactantia, Ambitio sint grave peccatum.*

109. *Quid Studiositas.* Studiositas est species modestiæ, affinis quidem temperantiæ, quatenus refrænat appetitum, ne nimium feratur in delectationem studiorum: verùm affinis fortitudini, quatenus excitat animum ad ferendos labores studiorum, ne contra rectam rationem studia refugiat vel inquisitionem notitiæ necessariæ aut valde utilis.

Studiositati per excessum opponitur 110. Curiositas, quæ per se tantùm est venialis, *Quid Curiositas, & Negligentia, ac quale peccatum.* ratione tamen circumstantiarum, v. g. prohibitionis aut periculi potest esse mortalis, ut si quis legat libros vetitos; vel etiam ratione mali medii, ut si quis v. g. velit scire ope dæmonis, vel per eum qui tenetur ad secretum; item ratione malæ intentionis, ut quia vult alterum per hoc graviter decipere, aut propter curiositatem negligit alia, quæ sub gravi obligatione scire deberet. Per defectum opponitur studiositati negligentia: quæ etiam per se non est mortalis, sed tantùm quando ex præcepto vel aliunde tenetur aliquis quædam discere & scire: v. g. si Medicus, Advocatus, Parochus, Episcopus negligant ea discere, quæ suum cujusque officium attingunt. Addit *Lessius l. 4. c. 4. dub. 11. n. 85.* si studiosus negligat sua studia; supple, ad quæ aliunde obligatur. Prout juxta *Bannez q. 33. art. 3. dub. 3.* & alios possunt religiosi graviter peccare, qui ne-

qui negligunt studia necessaria ad scientiam requisitam pro administratione muniorum, ad quæ destinantur, seu quæ eis imponuntur.

111. *Modestia morum non consistit in indivisibili.*

Circa modestiam morum adverte illam non consistere in indivisibili, neque eamdem esse respectu omnium personarum aut occasionum: aliam enim tenentur observare religiosi, aliam sæculares, aliam senes, aliam juvenes, aliam pueri; aliam item, quando nullâ urgente speciali necessitate homo incedit per plateas, aliam si necessitas aliqua petat hominem vehementer accelerare gradum; aliam quando seriò incedit, aliam quando luditur; ut per se satis notum est. Distinguiturque juxta *Arriaga d. 56. sect. 2. n. 5. & 6.* ab affabilitate & amicitia, utpote servanda etiam independèter à commercio aut amicitia aliorum. Ea verò, quæ in ludicris decorum servat, vocari solet Eutrapelia. Vitia opposita non sunt per se gravia: prout sunt hinc morum ruditas; illinc nimia gravitas, mores aulici respectu religiosi, mores ficti seu nimis compositi, qui hypocrisim sapiunt &c.

*An ab affabilitate & amicitia distinguatur.*

*Vitia opposita quæ, & quale sint peccatum.*

112. *Excessus ornatûs mulierum contra modestiam cultus solùm est venialis per se loquendo.*

Circa modestiam cultûs est peculiaris difficultas de excessu ornatûs mulierum per pigmenta, novas vestium formas, comam appositititiam, per ornamenta aurea & gemmata: præsertim si iis utantur supra statum & præter consuetudinem receptam. Verùm breviter dico in hoc excessu per se solùm esse peccatum veniale juxta *D. Thomam* & alios Doctores communiter, contra quosdam. Ratio est: quia excessus in rebus indifferentibus (cujusmodi est cultus corporis) seclusâ malitiâ extrinsecâ, solùm est venialis, ut patet in usu divitiarum, honorum &c. Neque verum est, quòd per fucos adulteretur vel emendetur opus Dei; sed per artem suppletur defectus naturæ, vel juvatur opus naturæ quatenus natura est.

Auctoritates in oppositum allegari solitæ, vel continent saluberrimum consilium tempore Ethnicismi Christianis valde inculcandum, vel proportionatum materiæ præceptum, vel graviter damnant excessum ratione lasciviæ, scandali, aut similis pravi finis vel circumstantiæ. Potest enim excessus esse gravis ratione pravi finis, contemptûs proximi, impotentiæ solvendi debita, & quidem specialiter scandali &c.

*Mortalis autem per accidens.*

Qualiter autem scandalum hoc sit æstimandum vide apud *Castro Palao* hîc *disp. 3. p. 8. in fine.* Juxta *Lessium l. 4. c. 4. dub. 14. n. 112.* locum habet scandalum, si quis uteretur veste adeò tenui, vel ita conformata, ut per eam pudenda non satìs tegantur. Secùs est juxta *Cajetanum, Funum, Navarrum* & *Lessium sup.* in nudando pectore; præsertim ubì ea est consuetudo: eò quod pars illa honesta censeatur, nec natura aut pudor humanus absolutè postulet eam tegi. Addit tamen ibidem *Lessius*, & *Castro Palao sup.* grave peccatum esse, hujusmodi consuetudinem de novo introducere, veluti de re periculosa, & nocenti bono publico ac saluti proximi, & qui insolita magìs movent. Immo etiam ubi consuetudo recepta est, meritò ob periculum tamquam illicium libidinis esset abroganda, ut Doctores monent, inquit *Lessius.*

113. *Quando locum habeat scandalum.*

*Quid censendum de nuditate pectoris.*

Meritò etiam contra intolerabilem luxum in rhedis, & vestibus, velut seminarium paupertatis, aliorumque incommodorum reipublicæ, conderentur, & executioni mandarentur leges politicæ. Et quidem extant circa modestiam in vestitu proportionato statui varia Principum Belgii edicta, ut videre est in *Codice Belgico* V. *Habyten ende Kleederen*, & apud *Zypæum in Notit. juris Belg.* Tit. *Ad L. Juliam. de Adulteriis &c.* quæ tamen nequior usus obliteravit, iterum remedio indigens. Quamquam etiam credibile sit *Lessio sup.* pleraque leges civiles de hujusmodi, quæ variis locis habentur, esse solùm pœnales, & obligare tantùm ad mulctam.

114. *Leges politica contra luxûs quàm utiles.*

*In Belgio neglectæ.*

*An obligent ad culpam.*

Circa ornatum denique dissimulantem personam, puta dum mulier induitur veste virili, aut contrà, nonnulli specialem difficultatem faciunt, allegantes illud *Deuteron. 22. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste femineâ: abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Verùm ibi solùm continetur lex ceremonialis, nunc abrogata. Aliunde quoque, dum hæc simulatio non est perniciosa utenti aut aliis, non apparet continere gravem dehonestationem, ut indicat *D. Thomas q. 169. art. 2. ad 3.* Et cum aliis passim docet *Lessius sup. n. 114.* dicens, si vestis alterius sexûs assumatur, solùm esse veniale; si justa causa adsit, v. g. defectus alterius vestis, occultatio in necessitate, repræsentatio in tragœdia, esse licitum.

115. *Assumere vestem disparis sexus an per se mortale peccatum.*

DIS-

# DISPUTATIO TERTIA.

## De Fortitudine ejusq; Partibus, & Vitiis Oppositis.

### QUÆSTIO I.

### Quid sit Fortitudo, Quod ejus Officium, Quæ Vitia Opposita?

1. *Quid Fortitudo generatim sumpta.*

FORTITUDO sic dicta ex analogia ad robur corporis, aliquando generatim sumitur pro firmitate animi in bono honesto: & sic importat habitum innominatum, quo quis firmiter proponit omne bonum honestum; de quo alibi dictum est. Vel etiam quælibet virtus si perfecta sit, & in gradu heroico, dum efficit, ut animus firmiter suo objecto inhæreat, habet rationem fortitudinis generaliter sumptæ. Aliquando verò, & in præsenti fortitudo sumitur specialiter, & definiri potest, virtus quæ moderatur motus animi in rebus terribilibus, præsertim periculis mortis aggrediendis vel sustinendis. Difficillimum namque est in iis animum regere, & statum rationis retinere. Proinde statuitur à *D. Thoma q. 123. art. 2.* & reliquis Scholasticis specialis virtus, ut quis decorè & juxta rationis præscriptum motus animi moderetur, ac exteriùs se gerat. Sufficienter quidem id præstarent singulæ virtutes ex proprio quarumlibet fine, quando sunt in gradu heroico; in quo paucis singulæ competunt. Fortitudo autem id præstat ex motivo communi, quia videlicet per se decens & honestum est, virum fortem sic se gerere in tali peristasi. Quamvis alioquin distinctio virtutis specialis fortitudinis à ceteris difficultate non careat, quam fusè discutit *Arriaga d. 51. sect. 2.*

*Quid specialiùs sumpta.*

*An sit virtus specialis.*

2. *Moderatur timorem, audaciam & tristitiam.*

Motus porrò animi, quos fortitudo moderatur principaliter sunt duo, videlicet timor & audacia: quia fortitudo maximè elucet, quando malum adhuc est evitabile; quo casu locum habent timor & audacia. Moderatur tamen insuper fortitudo tristitiam ex malo inevitabili conceptam, ne nimium affligat, aut ex illa aliquid indecorè agatur.

*An versetur, uti & temperantia, circa passiones, an immediatè circa actiones.*

Observandum tamen, quòd etsi Philosophi morales vulgò asserant, fortitudinem & temperantiam versari circa passiones, justitiam verò circa actiones; id non ita intelligendum sit, quasi etiam illæ virtutes non immediatè versentur circa actiones eliciendas: cùm hæ ipsæ sint earumdem immediatus effectus, & iisdem solùm mediantibus versentur circa passiones; utique satìs moderandæ moderatis per actus contrarios actibus, ex quibus passiones ipsæ proximè nascuntur. Id itaque intelligi debet, quatenus fortitudo & temperantia causant actus moderativos passionum animi, quæ in materia fortitudinis & temperantiæ solent esse vehementiores, & ex quibus radicaliter potissimùm profluit difficultas per has virtutes superanda.

3. *Qui sint actus Fortitudinis.*

Actus itaque primarius & proprius fortitudinis est in magnis periculis, præsertim mortis, velle servare decorum, id est, illa pericula non plus fugere vel appetere, quàm recta ratio dictat. Secundus, est moderari internas passiones timoris, audaciæ & tristitiæ. Tertius, in eisdem periculis servare decorum in motu externo, gestibus, & faciei constitutione. Hi, inquam, sunt tres actus fortitudinis, si fiant ex ejus motivo, sive ob honestatem fortitudinis: si verò fiant ex alio motivo, videlicet quia id est necessarium ad implendam legem charitatis, obedientiæ &c. erunt formales actus charitatis, obedientiæ aut alterius virtutis, materialiter autem solùm actus fortitudinis. Quamquam passim in Scriptura, & Patribus simpliciter appellentur viri fortes, qui ex quavis causa honesta opus fortitudinis præstant.

4. *Martyrium qui sit actus Fortitudinis.*

Porrò inter actus fortitudinis maximè elucet martyrium, seu Baptismus sanguinis (de quo in *Tract. de Sacramentis* agitur) quia majus robur requiritur, ut quis ultrò se ingerat morti certæ sine ulla resistentia aut vindicta, quàm ut se exponat periculo mortis cum aliqua spe evasionis & conatu justæ vindictæ: impetus enim animi in hoc casu vix admittit mortis apprehensionem. Martyrium tamen etsi ex genere seu objecto actus fortitudinis, solet ex aliis motivis subiri, præsertim charitatis Dei. Ipsum etiam censetur simul externa confessio seu testimonium fidei, quatenus solet acceptari ad testandam fidei veritatem in se vel in opere virtutis relucentem.

5. *Quæ incitamenta Fortitudinis.*

Nota, moderationem hanc fieri mediante consideratione rationis, quâ in primis ostenditur mortem non esse tantum malum, utpote quæ à tot malis liberet, & verorum bonorum sit initium. Secundò melius esse generosè mori, quàm ignominiosè vivere. Tertiò proponendo exempla Christi & Sanctorum. Quæ considerationes moderantur timorem. Audacia autem, si nimia sit, comprimitur consideratione periculi, & quòd vita non sit sine causa abjicienda.

6. Vitia opposita fortitudini per defectum

*Ei per defectum opponuntur Timiditas & Ignavia, vitia invicem connexa.*

sunt timiditas & ignavia. Timiditas, est vitium, quo exceditur in timendo, videlicet tempore, modo vel quantitate, quâ non oportet. Ignavia, est vitium quo deficitur in audendo, videlicet non aggrediendo pericula, quando vel quomodo ratio dictat. Quæ vitia semper videntur simul concurrere; & ii in se ipsis sistant, nec ad alium pravum consensum impellant, sunt tantùm venialia; sicut excessus aliarum passionum, quæ non inferunt aliud detrimentum, quàm quòd mentem perturbent inutilibus curis & cogitationibus. Si verò impellant ad aliud peccatum, erunt mortalia vel venialia pro ipsius peccati conditione: v. g. si timore mortis paratus sis negare fidem, timiditas erit mortalis, contra præceptum confessionis fidei, & sic de ceteris.

*An sint grave peccatum.*

7. *Per excessum opponuntur Intimiditas & Temeritas.*

Vitia per excessum opposita fortitudini sunt Intimiditas seu Vacuitas justi timoris, & Temeritas. Intimiditas est vitium, quo deficitur in timendo, quia videlicet modo & tempore non timetur id, quod timeri oportet. Temeritas est vitium, quo exceditur in audendo vel aggrediendo pericula mortis, quando, vel quomodo non expedit; v. g. nimis citò, vel ob minus bonum.

*Vnde nascantur,*

Hæc vitia oriuntur ex contemptu propriæ vitæ, vel ex inconsideratione, quâ quis minoris æstimat vitam, quàm honorem, vanam gloriam, vel divitias. Secundò oriuntur ex superbia, quâ aliquis nimiùm sibi confidit, & alios contemnit, quasi ab illis lædi non possit. Tertiò ex animi stoliditate. Unde *Aristoteles* 3. *Ethic.* 7. vocat insanos & stupidos qui nihil timent. Hæc vitia sunt solùm peccaminosa, quatenus continent tacitum consensum periculi, & sunt causa illius: adeoque prout periculum, quod incurritur, est magnum vel parvum, & graviter vel leviter vitandum, erunt mortalia vel venialia. Quando autem sint grave peccatum, concurrit obligatio alterius virtutis, puta charitatis propriæ, qui cujus tenemur conservare vitam.

*Qualiter sint peccaminosa.*

## QUÆSTIO II.

### *Quæ sint Partes Fortitudinis, Quæve Vitia Opposita?*

8. *Quæ partes Fortitudinis.*

Fortitudini tamquam speciei infimæ, utpote respicienti principaliter pericula mortis, adeoque honestatem ejusdem rationis, non solent à Theologis attribui partes subjectivæ, sed potentiales, seu fortitudini affines, nimirum Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, Longanimitas, Perseverantia seu Constantia. Quibus aliqui jungunt Fiduciam, sine qua nec bonum arduum aggredi, nec malum contingens fortis superare poterit: & Securitatem, quæ pars fiduciæ est, & animum in virtute, exclusis inutilibus curis, tranquillum reddit.

9. *Quid Magnanimitas.*

Magnanimitas est virtus, quâ inclinamur ad omne arduum infra periculum mortis in omni genere virtutis, præcisè quatenus hoc est consentaneum animo magno & generoso. Dixi *infra periculum mortis*: quia circa arduum periculi mortis versatur virtus fortitudinis. Unde si magnanimitas & aliæ virtutes assignatæ considerentur quatenus versantur in propria materia fortitudinis, scilicet periculis mortis, non sunt partes potentiales, sed integrantes fortitudinis, concurrentes ad integrum fortitudinis officium. Dixi etiam *præcisè quatenus &c.* quia unaquæque virtus, si sit perfecta sive in gradu heroico inclinat ad magna opera in sua materia, quatenus illa continentur sub proprio objecto formali (quod in variis est varium) sed non inclinant in illa, in quantum præcisè sunt consentanea animo magno & generoso. Nil autem verè magnum, nisi virtus, in rebus humanis: ista enim hominem quà hominem perficit, æternùm manet, æternamque vitam conciliat. Terrena bona & corporalia parvi sunt momenti; adeoque parvi ea facit magnanimus, qui non nisi ad verè magna aspirat, indeque sic dictus est.

*Quâ distinguatur à ceteris virtutibus.*

*Æstimat arduitatem virtutis, ceteraq; spernit.*

10. *In quibus maximè eluceat.*

Unde patet hanc virtutem maximè reperiri in iis, qui spretis omnibus quæ in mundo sunt, Christi consilia sequuntur: magnanimitas enim maximè sita est in contemptu earum rerum, quæ vulgò maximè æstimantur, reverà tamen parvæ sunt; utì sunt honores, divitiæ & voluptates hujus mundi: & in conatu ad ea, quæ sunt maximè ardua ac cælesti honore digna; utì est observantia consiliorum Christi, & perfectio vitæ Christianæ.

*Qui versatur circa honores.*

Quia tamen illustria facta infestat & comitari solet appetitus honoris, eum respicit semotè magnanimitas, sicut fortitudo pericula mortis, moderando scilicet ne nimius sit, ne ejus intuitu actus fiant &c. Non autem versatur circa honores, eos propter se expetendo: id enim laudabile non esset, cùm sint res indifferentes.

11. *Quæ vitia ei opponantur,*

Vitia magnanimitati opposita per excessum solent numerari, præsumptio, quâ homo ex nimia virium confidentia aggreditur quod est supra vires, & Ambitio, quæ consistit in nimia appetentia honoris: ac Vana gloria, quæ consistit in nimia appetentia gloriæ seu opinionis & famæ. De quibus *disp. præced. q. ult.* breviter actum fuit. Per defectum ei opposita censetur Pusillanimitas, quæ consistit in quadam fuga magnorum operum, ex eo quòd quis nimis facilè existimet se esse imparem talibus operibus.

12. *Quid Magnificentia.*

Magnificentia (quæ est quædam inadæquata magnanimitas, seu pars integralis ejus) est virtus, quâ quis magnis sumptibus in materia externa aliquid magni efficit. In-

cit. Involvit vel supponit hæc virtus insignem moderationem affectûs erga pecunias: illa enim solet viros potentes (quorum hæc virtus est propria) à magnificis operibus, ac expensis, quas ratio dictat, impedire.

13. *Quæ vitia Opposita.*

Magnificentiæ per excessum opponitur vitium, quo quis ex industria auget sumptus suprà quàm res poscat, aut decorum patiatur: ut faciebat ille mercator, qui in hieme struebat ignem ex cinnamomo. Per defectum opponitur Parvificentia, quâ quis ex angustia animi parvos sumptus magno operi impendit: v.g. si monasterio magnifico, quod extruendum susceperat, apponi curet tectum stramineum. De quo ait *Aristoteles 4. Ethic. 2. Maximis factis sumptibus, in parvo perdit decorum.*

14. *Qualiter Patientia se habeat ad fortitudinem.*

Patientia, prout versatur in propria materia fortitudinis, est (ut paulò antè insinuavimus) ipsa fortitudo inadæquatè concepta, quæ maximè enituit in martyribus: prout autem versatur circa mala minora (ut sunt mors parentum, filiorum, amicorum, exilia, infortunia, morbi, contumeliæ, & similia) est fortitudo latè dicta, & pars potentialis fortitudinis strictè dictæ, aut certè distinguitur ab ea, sicut abstinentia heroica à communi. Estque virtus, quæ in prædictis malis animum confirmat moderando mœrores, ne ob hos à præscripto rationis recedat, sive in mentis æquanimitate servanda, sive in motibus externis corporis conformibus. Id enim per se bonum & honestum est, adeoque patientia eo modo est virtus specialis ab aliis distincta. Moderatio tamen illa frequenter fit ex affectu particularis virtutis, quæ per tristitiam oppugnatur: & sic quævis virtus, sicut amat honestatem sui objecti, ita vi illius resistit iis, quæ directè vel indirectè repugnant, atque animum in iis ferendis firmat. Hocque modo sumitur passim in Scriptura, Patribus & sermone vulgari: quicunque enim affectu alicujus virtutis moderatè fert afflictiones, patiens dicitur. Et verè patientia sic nobis saltem necessaria est in tot, quæ nos frequenter circumstant malis, ut reportemus promissiones.

*Quid sit.*

*Quid Longanimitas, & qui distincta à Patientia.*

Longanimitas (quæ est quædam patientia inadæquatè concepta) est virtus, quâ æquanimiter perfertur molestia quæ ex rei desideratæ (quæ est amotio præsentis mali, vel consecutio sperati boni) dilatione percipitur; adeoque est patientia, prout circa tale malum versatur.

15. *Quæ vitia Patientiæ opposita.*

Vitium patientiæ oppositum per excessum est Impatientia, quâ quis justum dolendi modum, quem patientia præscribit, excedit. Per defectum eidem opponitur Insensibilitas, quâ quis nec suis nec proximorum malis tangitur; hoc enim est inhumanæ duritiei signum, nec congruit amicitiæ & vitæ sociali. Hæc peccata per se, & secluso malo, quod ex impatientia provenit, sunt tantùm venialia.

*Qualiter peccaminosa.*

16. *Quæ Patientiæ incentiva.*

Patientiæ incentiva sunt. Primum patientia Dei, quâ tolerat defectus nostros, & differt vindictam, impertiendo dona misericordiæ. Secundum est patientia Christi. Tertium, exempla Sanctorum, maximè veteris Testamenti, qui sine exemplo patientes fuerunt. Quartum, utilitas patientiæ, per quam delentur pœnæ purgatorii & virtutes roborantur. Quintum, consideratio pœnarum inferni & purgatorii; quas qui pro peccatis se aliquando meruisse intelligit, facilè omnia incommoda hujus vitæ tolerabit: sicut is, qui evasit ingens malum, parvo malo non ita affligitur. Sextum, impatientiæ incommoda: nam per impatientiam non minuitur afflictio, sed augetur. Unde ipsa est maximum tormentum, ac insuper impellit ad omne malum.

17. *Quinam Patientiæ gradus.*

Patientiæ gradus ex parte malorum, quæ quis patitur, sunt. Primus, quo aliquis patitur æquanimiter detrimentum in bonis fortunæ: Secundus, quo in bonis famæ: Tertius, quo in corpore & vita ipsa. Ex parte causæ, ex qua oritur malum, gradus sunt: Primus, si patiamur ob propria delicta: Secundus, si sine delictis: Tertius, si etiã ab iis, quibus benefecimus. Ex parte modi tolerandi gradus sunt: Primus, tolerare sine murmuratione: Secundus, sine lamentatione & querimoniis: Tertius, cum gaudio; sicut *Ibant Apostoli gaudentes &c.* Quartus, expetere, & desiderare pati.

18. *Quid Perseverantia & Constantia.*

Perseverantia, seu Constantia hîc consistit in continuatione bonorum operum usque in finem; & per hanc superamus tædium ac molestiam, quæ in exercitio virtutum occurrere solet, idque ob peculiarem honestatem. Sæpè tamen sumitur alibi perseverantia pro speciali dono divinæ gratiæ, quo quis finaliter in gratia moritur.

*Quæ ejus materia.*

Materia principalis perseverantiæ, prout hîc sumitur, est bonum cujusvis virtutis, quod vult cõtinuare usque in finem, quem ratio præscribit: sive ille sit finis vitæ, sive certi negotii aut temporis. Continuationem voco, non quâ opus numquam intermittitur, sed vel non intermittitur, vel suis temporibus resumitur juxta rei exigentiam. Secundaria materia est molestia animi, quæ oritur ex diuturnitate rei laboriosæ & difficilis, & per perseverantiam moderatè fertur ac vincitur.

*Quæ vitia opposita.*

Per excessum opponitur huic virtuti pertinacia, quâ aliquis continuare vult, quod non debet. Per defectum verò ei opponitur mollities animi, & inconstantia.

# DISPUTATIO QUARTA.

## *De Justitia & Jure in Communi, ac Juris Speciebus.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid Iustitia & Ius?*

1. *Quæ utilitas præsentis materiæ.*

IUSTITIA virtus est latissimè patens, cui passim in omnibus negotiis humanæ communicationis suus est locus: adeoque ejus regulæ sunt cognoscendæ ab omnibus, maximè verò ab aliorum directoribus, judicibus, & similibus.

*Ratio ordinis doctrinæ.*

De ea, velut digniori, alii ante Temperantiam & Fortitudinem tractant: Nos contrà, tum ut ab imperfectioribus ad perfectiora procedamus: tum ut pauca, quæ de aliis dicenda erant, paucis absolventes, totum reliquum justitiæ tractandæ daremus: tum quia priùs virtutes ad se, quàm ad alterum tractandæ videbantur.

2. *Iustitia variæ acceptationes.*

Ex generali porrò ratione sua importat justitia quamdam æqualitatem & debiti rationem: omnes enim apprehendunt esse justum, quod debitæ suæ regulæ adæquatur. Et quidem generatim aliquando sumitur quasi collectivè pro omni virtute (cujus collectionis quælibet virtus est pars integralis) sive omnium mandatorum observantiâ; nimirum quia ibi reperitur adæquatio ad regulam, nempe legem, & debitum aliquod, faciendi videlicet quod legislator præcepit. E contrà verò, quia peccato debita æqualitas violatur, dicitur injustitia seu iniquitas, quasi non æquitas. Unde etiam justitia accipitur pro charitate (quæ continet videlicet observantiam legis divinæ) seu gratiâ habituali, quam qui accipiunt, justificari, qui habent, justi esse dicuntur, stylo Scripturæ.

Insuper aliquando sustinetur generatim pro virtute ad alterum: quo sensu justum esse dicitur, ut religio & cultus Deo, pietas parentibus, obedientia superioribus, gratitudo benefactoribus &c. exhibeatur.

3. *Quid justitia hic.*

In præsenti verò Justitia sumitur pro virtute, quæ inclinat ad servandum alteri jus suum. Et definitur ab *Ulpiano* (cujus definitio à Theologis communiter approbatur) *L. Justitia ff. de Just. & Jure, Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, id est, permanens & firma dispositio (quâ significatur ipse habitus virtutis) voluntatis, inclinans ad tribuendum cuique jus suum. Quod in exercitio fit, partim jus alterius relinquendo intactum, seu ei non contraveniendo, partim dando non habenti suum, seu, quantum sibi incumbit, procurando, ut illud ad æqualitatem habeat.

Quia verò justitia describitur juxta præmissa per ordinem ad ipsum jus in cujus explicatione difficultas manet satìs intricata, *Poncius disp. 23. Theol. q. 6.* existimans etiam quædam præmissæ definitionis particulas non esse necessarias, putat longè faciliùs justitiam explicari posse dicendo, quòd sit virtus seu habitus inclinans ad reddendum vel relinquendũ cuique suum. Porrò suum appellat, quod ita ad ipsum pertinet, sive ex natura rei, sive ex dispositione legum aut consuetudine, ut appareat malum hoc ipsi non reddere, vel ab ipso auferre, ex hoc præcisè quòd sit ipsius, vel quòd dispositio sic ad ipsum spectet, ut ipso invito alius non possit de eo disponere. Quod censet quadrare in sensum communem de natura justitiæ.

Inhærendo autem communi descriptioni, necesse est ante omnia explicare, quid sit jus. Pro quo

4. *Ius tripliciter sumitur.*

Notandum jus aliquando idem esse, quod justum. Hoc autem generatim idem est, quod commensum suæ regulæ, seu legi; & complectitur omne opus bonum. Speciatim autem, & in præsenti idem est, quod æquale, debitum alteri strictè. Secundò sumitur pro regula justi generatim sumpti, estque idem quod lex, inde dicta jus. Quod dividitur in naturale, divinum, humanum; hoc rursum in civile & canonicum. Tertiò (ut alias acceptiones omittam) & vulgatè sumitur pro jure quasi activo, quod consistit in certo titulo seu facultate, habetque sibi quasi correlativè respondens jus speciale primo modo sumptum, seu debitum rigorosum ad æqualitatem solvendum. Exactè autem sciri nequit, quid sit jure debitum, nisi sciatur quid sit jus postremo modo sumptum.

5. *Quid jus sumptum pro titulo seu potestate.*

Hoc itaque describi solet facultas legitima seu per leges concessa aut eis consentanea, aliquid agendi, habendi vel obtinendi, cui citra injuriã altero rationabiliter invito contraveniri nequit; sive potestas legitima ad rem aliquã obtinendam, vel ad functionem aut quasi functionem, cujus violatio injuriam constituat. Hæc autem potestas vel se habet per modum potentiæ activæ, quale v. g. est jus quod aliquis habet ad aliquid retinendum, vel agendum: vel se habet per modũ potentiæ passivæ, & tale est jus, quod habet quis, ut ab alio alatur, custodiatur, sibi serviatur &c. vel denique se habet per modum potẽtiæ resistitivæ; & tale est jus, quod habet quis, ne alius aperiat fenestrã aliquam in suo horto, ne ædificet hoc vel illo loco, vel tam altè, ut perdat suam libertatem vel lumen. Convenitque hæc potestas interdum ex natura rei, aut lege divina positiva, ut facultas sustentandi vitam, contrahendi matrimonium, percipiendi Sacramenta

menta Ecclesiæ &c. interdum autem oritur à legibus humanis, ut jus ad hereditates obtinendas &c. Et de jure sic sumpto (prout ordinariè sumitur) in sequentibus agitur, ubi de dominio & aliis speciebus illius.

6. *Discutitur vulgata descriptio Iuris, ipsumq; uberius declaratur.*

Notandum verò in præfata juris descriptione, etsi vulgata apud *Lessium, Wiggers, Castro Palao* & alios, contra regulas bonæ descriptionis poni injuriam, æquè ignotam; quæ non sine vitioso circulo postea definitur, juris alieni violatio. Ut proinde videatur in rigore omittenda, sitque facilius plerumque jura cum injuriis in speciali dignoscere, quàm generalem juris rationem assignare. Potestas itaque, quam jus importat, & per quam distinguitur à quavis alia facultate, debet intelligi peculiaris, cujus nimirum realis violatio constituit inæqualitatem restitutione reparandam. Quando autem id fiat, ex legibus, Doctoribus, & præsertim puro dictamine rationis naturalis est colligendum. Supponit verò potestas ista specialem connexionem subjecti cum objecto potestatis, ut hoc propterea censeatur quodammodo suum, suisque cõmodis servire debeat. Propter quod etiam potest hujusmodi de objecto immediato juris disponere, eoque rationabiliter invito, nemo alius. Qui insuper stringitur isti potestati non obviare, non præcisè quia sequeretur violatio virtutis, v.g. charitatis &c. sed quia hoc exigit per se ipsa potestas. Vi cujus competit quoque actio alterum compellendi, etiam independenter à potestate regitiva (qualis est in superioribus vel parentibus, qui eatenus compellere possunt subjectos, uti ad obediendum, sic & ad alios bonos mores, & eatenus ad præstandum superioribus, parentibus, uti & aliis honorem) quæ præterea respicit, non tam commodum regentium, quàm bonum ipsorum subjectorum vel communitatis: secùs est de potestate dominicali in servum; de quo tamquam suo dominus ad propria commoda disponit.

7. *Quodnam sit objectum formale justitiæ.*

Ex dictis colligitur I. Objectum formale justitiæ esse jus primo modo sumptum, seu potiùs honestatem, quæ relucet in servanda æqualitate debita. Justitia enim ex propria sua ratione inclinat in hoc, ut quod justum est, fiat, seu ut æquale juri sive potestati alterius, adeoque debitum alteri ad æqualitatem tribuatur; idque quia debitum est, ratioque particularis honestatis id exigit. Quod debitum ulteriùs fundatur in jure alterius; huic enim debetur quidpiam, eò quòd jus ad hoc habeat. Objectum autem materiale sunt actiones, quibus hujusmodi debita æqualitas ponitur, v.g. solutio pretii, redditio mutui &c.: harum autem actionum objectum seu materia sunt remotum & mediatum objectum justitiæ.

*Quodnam materiale.*

*Qui repetiatur specialis honestas in objecto justitiæ.*

In hoc ipso porrò est specialis & ab aliis distincta honestas, adeoque virtus specialis: consentaneum enim est rationi, ac laude dignum tribuere, quod jure alteri debemus, oppositumque est planè rationi dissonum, neque in aliis virtutibus eadem, sed diversa consonantia cum ratione reperitur.

Colligitur II. hanc virtutem esse ad alterum, ut satis patet. Unde sibi ipsi nil quisquam debet proprio aut stricto jure; neque actum justitiæ erga seipsum propriè exercere quis potest: honestas namque justitiæ consistit in hoc, quòd quis det alteri id, quod ipsemet debet. Quamvis desiderare aut consulere alteri, ut debitum solvat, & jus cuique adeoque mihi tribuat, ob honestatem justitiæ, possit reduci ad justitiam, & ab eodem habitu procedere; prout ex sententia *Scoti* (de qua *Tract. de Deo disp. 7. q. 7. num. 55.*) castitas secundariò inclinat, ut etiam alius in se medium castitatis servet.

8. *Nemo sibi ex justitia propriè quidquam debet.*

*Quid censendum de desiderio alterius justitia.*

Pro fine notãdum justitiam versari circa actiones peculiariori ratione, quàm fortitudo & temperantia: non enim, uti hæ, curat principaliter, ne nimium timeamus, irascamur, concupiscentias tactûs sequamur &c. sed ut statuatur aut servetur æqualitas debita. Quòd si prædictæ passiones hoc impediant (prout interdum passiones gulæ & similes sunt occasio, ne debita solvãtur &c.) sunt tollendæ, partim præsidio virtutum correspondentium, partim per accidens & secundariò per ipsam justitiam, quæ ex proprio motivo intendens servare æqualitatem, vult consequẽter media ad id necessaria seu opportuna, adeoque moderationem passionis impedientis æqualitatem intentam.

9. *Versatur circa actiones potiùs, quàm temperantia & fortitudo.*

*Qui versetur circa passiones.*

## QUÆSTIO II.

### De Divisionibus Iustitiæ & Iuris.

10. *Divisio Iustitiæ in Cõmutativam & Distributivam quæ ordinariè explicetur.*

CELEBERRIMA justitiæ divisio est in Commutativam & Distributivam. Quæ membra plerumque solent ita explicari, ut Commutativa respiciat æqualitatem rei ad rem seu dati & accepti, in commerciis præsertim & privatis rerum commutationibus (unde commutativæ nomen accipit) adeoq; ordinet unum privatum ad alterum: distributiva verò respiciat onera & bona communia inter partes ejusdem communitatis distribuẽda à Republica vel ejus rectore juxta quorũlibet qualitatem, adeoque spectatâ proportione eorumdem quoad paupertatem, divitias, vires, doctrinam, merita &c. ac proinde ordinet rempublicam, seu ejus rectores ut sic, ad privatos.

11. *Ista proportionem arithmeticam, hæc geometricam qui servet.*

Unde communiter dicitur justitiam cõmutativam respicere proportionem arithmeticam, in hoc consistentem, quòd quantum acceptum est, tantum detur, v.g. si centum mutuo data, centum reddantur, non consideratâ dignitate aut diversâ qualitate personarum. Justitia verò distribu-

tiva respicere dicitur proportionem Geometricam, quæ est similitudo inter ipsas proportiones; ita sicut qualis est proportio inter paupertatem, divitias, merita &c. personarum inter se ab una parte, talis sit proportio inter bona, officia &c. illis conferenda ex alia parte. Unde hæc forma servatur, si quædam bona distribuendo inter cives pauperes, uni detur plus, alteri minus, pro qualitate paupertatis: si distribuendo officia, capacioribus, & magis meritis majora distribuantur, aut hi aliis præferantur. Quare sicut arithmetica spectat, quis numerus alteri ex æquo respondeat, sic justitia commutativa, quid alteri ad æqualitatem præstandum. Sicut autem attendit Geometria proportionum inter se similitudinem, ut quæ est v. g. proportio inter duas bases, eadem sit inter duas columnas; sic distributiva justitia facit, ut quæ est proportio inter personas, eadem sit inter onera & bona communia.

12. *Distributiva non semper versatur circa plures personas.*

Nihilominus Justitia distributiva non necessariò semper respicit plures personas: etsi enim vacet unicum commune bonum v.g. beneficium, quod non est divisibile, adhuc circa illud uni conferendum versatur justitia distributiva; quantumvis non sit alius competitor. Quamvis tunc eatenus in radice locum habeat prædicta proportio, ut si plures concurrerent, dignior esset præferendus.

13. *Quomodo aliæ virtutes observent interdum proportionem Geometricam.*

Præterea observantia istius proportionis Geometricæ quando bona pluribus sunt distribuenda, non est peculiare munus justitiæ, sed in omni virtutum materia locum habere potest: nam & amicitia inter amicos, & observantia inter dignitate præditos, & pietas inter patriam & sanguine junctos, & misericordia, liberalitas, magnificentia, gratitudo inter beneficiarios, & veritas inter eos, quibus loquimur, & justitia legalis inter communitates, quibus instar partium obligamur, & commutativa inter creditores, quibus ratione accepti obstringimur, ac denique vindicativa inter eos, quos puniendi jus obtinemus, proportionem attendere potest; & quantum unus alium jure amicitiæ, dignitatis, cognationis, beneficii recipiendi, inquirendæ & scindæ veritatis, connexionis inter totum politicum & partem, commutationis dati & accepti, aut delicti reatu excedit, tantò plus reciproci amoris, honoris, reverentiæ, beneficii, scientiæ veritatis, civicæ fidelitatis, dati pro accepto impendatur, aut tanto plus pœnæ pro delicto infligatur.

14. *Idem magis specialim in ipsa justitia commutativa declaratur.*

Quod in justitia commutativa declaratur exemplo: si enim testator relinquat aliqua bona, sex v.g. determinatis pauperibus, pro rata paupertatis distribuenda, tenetur ex justitia commutativa plus pauperioribus quàm aliis cum proportione Geometrica dare. Si creditor nequeat omnibus creditoribus satisfacere, debet singulis aliquid pro rata dare, sic ut cum proportione geometrica plus accipiant, quibus plus debetur. Manet itaque observantiam hujus proportionis non esse propriam justitiæ, nec materiam specialis virtutis, etsi in justitia distributiva potissimùm locum habeat.

15. *An vel qua propria justitia distributiva honestas.*

Unde honestas propria justitiæ distributivæ sita est in hoc, quòd dignum sit ac debitū, ut qui reipublicæ curam habet, bona communia pro qualitate & capacitate ac meritis concivium distribuat. Verùm hoc debitum non est strictum seu juris respectū ipsorum civium. Ideoque si dignior non præferatur minùs digno, non tenetur collator officii ad restitutionem, sive ipsi digniori, sive etiam rei publicæ, cui stricto juris debito non se obligasse videtur, quantum ad omnia utiliora, sed tantùm ad necessaria pro communis boni conservatione procuranda. Si autem planè indignis bona hujusmodi distribuat, tenetur quidem ad damnorum reparationem respectu communitatis, & consequenter peccat contra justitiam commutativam respectu ejusdem, quatenus agit contra servitium ex justitia communitati, à qua stipendium accepit, præstandum. Attamen quatenus præcisè ipsius velut capitis & præcipui membri communitatis est bonum commune in alia membra influere, & non servat ordinem & proportionem, agit juxta *Smising Tract. 3. de Deo disp. 4. num. 75.* contra justitiam legalem (de qua statim) quæ sicut membra communitatis obligat & ordinat ad sua bona privata referenda in bonum commune, sic rectorem ad bona communia distribuenda membris communitatis.

*Ejus violatio præcisè non inducit obligationem restituendi.*

*Nisi quatenus junctur violatio commutativa.*

16. *Quæ ida est justitia specialis & propriè dicta.*

Unde justitia distributiva quatenus distincta à commutativa non est strictè dicta, sed tantùm analogicè justitia. Ita cum aliis solidè & doctè *Smising sup. num. 72. & seqq.* citans *Buridanum 7. Ethic. q. 7.* & probans non esse contra mentem Antiquorum, signanter *D. Thomæ & Scoti.* Ac proinde justitia commutativa sola est propriè dicta & specialis justitia, utpote sola respiciens strictum jus ad æqualitatem dandum, in quavis materia versetur, & sive inter privatos, sive inter privatam & personam publicam seu rectorem communitatis: quæ differentia per accidens se habet.

17. *Quid Justitia Legalis.*

Solet hîc præterea agi de Justitia Legali: quæ & generalis dicitur; Estque juxta *D. Thom. q. 58. art. 5.* virtus, quâ membra reipublicæ inclinantur ad curandum bonum totius. Quamvis hoc nomine videatur *Aristoteles 5. Ethic. 1.* intellexisse complexionem omnium virtutum, quibus quispiam legibus obtemperat, addens de ea in Proverbio dici, *Justitia in se virtutes complectitur omnes.* Quem tamen *D. Thomas sup. art. 6.* explicat de continentia virtuali, quatenus justitia legalis omnem virtutem ad bonum commune ordinat, & in eum finem actus aliarum virtutum imperare potest.

Justitia

*Qui distinguatur à justitia strictè dicta.*

Justitia porrò legalis distinguitur à justitia strictè dicta, utpote non respiciens strictum debitum ad æqualitatem, nec obligans (si violetur) ad restitutionem. Quòd si obligatio hæc adsit, erit ipsius justitiæ commutativæ, quâ v.g. obligantur privati non auferre bona spectantia ad communitatem.

18. *Qui à pietate,*

Distinguitur à pietate, quòd hæc inclinet ad reddendum vices patriæ tamquam secundario parenti (de pietate enim, quâ redduntur vices parentibus non potest esse quæstio) quia nos aliquo modo genuit, aluit &c, etsi de facto simus alteri reipublicæ incorporati. Justitia autem legalis præcisè spectat, quòd simus membrum politicum reipublicæ, sive in ea simus nati, sive non. Quare dum in alteram rempublicam quis est adscriptus, non obligatur legibus patriæ quoad personam (quoad bona ibi sita, potest habere aliquam subjectionem) adeoque ei non colligatur tamquam pars politica; & tamen semper manet ei unitus tamquam principio ortûs sui.

19. *Qui ab obedientia.*

Ab obedientia distinguitur, quòd hæc sit inferioris ad superiorem quà talem. Secus est de justitia legali, quæ aliàs non esset in Principe, in quo tamen dicitur esse principaliter: sed est partis ad totum seu universum corpus, ob quod universalis dicitur. Ex hac tamen obligatione justitiæ legalis (quæ juxta *Smising sup. q.4.* est specialis quædam fidelitas, unitiva plurium in unum corpus, seu unam societatem, dicitur-que ab ipso fidelitas socialis) oritur in partibus minùs principalibus obligatio obedientiæ ad partem principalem, seu caput corporis politici; ut notat *Smising sup. num.* 43.

*Justitia Vindicativa non est strictè dicta justitia.*

Prædictis Justitiæ speciebus accenseri solet justitia vindicativa: quam constat non esse similiter justitiam strictè dictam, nisi quatenus vindicationi potest immiscceri justitia cõmutativa. Quare etiam inter partes potentiales justitiæ recenseri solet; de quibus postea agetur. Videri potest *Smising Tract. 3. de Deo disp. 4. n. 77. & 78.*

20. *Jus aliud ad rem, aliud in re.*

Jus, sive potestas legitima, dividitur in jus ad rem, & jus in re. Quâ divisione utitur Pontifex *Clem. unic. circa finem, de Sequestr. Possess.* Jus ad rem dicitur, quo ipsa res nondum est affecta seu obligata. Quod proinde potest esse circa rem nondum existentem, fructus in fundo proprio nascituros. Estque jus obtinendi jus in re, solumque tribuit actionem personalem, seu in personã, ut tibi procuret rem ad quam habes jus. Tale jus est, quod competit alicui per electionem, præsentationem ad aliquod beneficium, collationem ante acceptationem, emptionem, donationem, stipulationem &c. ante traditionem.

*Prius declaratur.*

21. *Posterius explicatur*

Jus in re est, quod rem sibi devinctam seu obligatam habet. Unde non est nisi ad rem existentem; & tribuit actionem realem, seu in ipsam rem, quæ nimirũ transit cum onere, quo est affecta, sic ut judicialiter peti possit à quovis possessore *L. Officium 9 ff. de rei vindicatione.* Potestque hoc jure præditus de re (quatenus est juris ipsius) disponere, nec alius potest dispositionem impedire; nisi per accidens, quando v. g. foret dispositio noxia disponenti vel alteri. Tale est jus, quod quis habet ad rem per emptionem, aliosque similes contractus, secutâ traditione, ad beneficium per collationem secutâ acceptatione; ad hereditatem per testamentum aut successionem ab intestato, secutâ acceptatione seu traditione hereditatis. Quare patet hoc jus esse firmius jure ad rem, & hoc faciliùs amitti, ut observat *Wiggers c. 3. dub. 2. num. 5.* citans *Glossam* in *Clem. unic. de Clericis* conjugatis. Sed non est hic titulus inter Clementinas. Rectiùs citari potuisset *Gloss. in c. unic. h. tit. in 6.* Potestque jus in re acquiri non obstante jure alterius ad rem; prout contingit, dum equus duobus venditus, posteriori emptori (qui fit dominus) traditur; relictâ priori emptori solâ actione personali damni in venditorem (ut patet L. *Quoties 15. Cod. de rei vindicatione*) quæ dicitur condictio, uti actio in rem vocatur vindicatio *l. 4. Instit. Tit. 4. de Actionibus §. Appellamus.*

*cum suis effectibus.*

Juris in re variæ sunt species, scilicet Dominium, Usufructus, Usus, Habitatio, jus pignoris &c. De quibus in sequentibus.

*Quæ species juris re.*

## QUÆSTIO III.

## De Variis Speciebus Iuris.

### §. I.

### De Dominio.

22. *Quid dominium in generali.*

Dominium juxta communem apprehensionem habere censetur, qui aliquid habet de quo jure proprio seu citra alterius commissionem disponere, quodve gubernare pro nutu possit; quod proinde ideo ipsius esse censetur. Prout Deus habet perfectissimum, & inabdicabile omnium creaturarum dominium; de quibus consequenter ad nutum disponere potest.

*Quid dominium jurisdictionis.*

Dominium aliud dicitur Jurisdictionis, estque potestas gubernandi suos subditos; quos nimirum quis gubernat ut suos. Quo excluduntur satrapæ, gubernatores, proreges, & similes, qui ex alterius (qui dominus, princeps aut rex est) commissione regunt. Quæ hoc dominium concernunt, in *Tract. de Legibus* discussa sunt. Aliud dominium est proprietatis (de quo hîc sermo) jus nimirum seu potestas disponendi de re tamquam sua, adeoque in proprium commodum. Quare inter hoc & dominium jurisdictio-

*Quid proprietatis, de quo hic.*

*Quod inter ipsum & alterum discrimen.*

dictionis est discrimen, quòd posterius respiciat personas, prius verò potissimùm res, aut personas non liberas, quas dominus proinde possidet veluti res (ut patet in mancipiis) eis utendo in suum commodum; cùm tamen dominium jurisdictionis respiciat potiùs commodum subjectorum.

23. *Aliud est perfectum, aliud imperfectum. Hoc aliud directum, aliud utile.*

Dominium proprietatis, aliud est perfectum, quod tam rei proprietatem, quàm emolumenta importat: aliud imperfectum, quod vel solam dicit proprietatem (dicturque dominium directum) vel sola emolumenta (diciturque dominium utile) verbis facilioris traditionis gratiâ confictis, ad instar actionis directæ & utilis, ut citato *Duareno*, ait *Zoezius in Instit. l. 2. tit. 1. num. 2.*

24. *Quid dominium perfectum.*

Dominium perfectum (quod est potissima species juris in re) definitur à *Zoezio supra*. Legitima potestas de re liberè disponendi, nisi vi aut jure quis impediatur. Vulgata autem ejus definitio in re cum præcedenti coincidens, est: Jus in re extendens se ad omnem ejus usum & dispositionem, nisi lege prohibeatur. Ad rationem enim pleni & perfecti dominii pertinet, ut quis possit pro arbitrio re suâ uti, eam servando, donando, vendendo, destruendo &c.

*Quæ res corporales quæ incorporales.*

Nec est necesse hîc cum quibusdam Juristis adhibere distinctionem inter res corporales (quales sunt quæ tangi possunt veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & aliæ res innumerabiles, ut habetur *Instit. De rebus corporal. & incorporal.* & *l. 1. ff. de divisione rerum*) & incorporales: quales sunt, quæ tangi non possunt, ut hereditas, ususfructus, obligationes quoquomodo contractæ, servitutes, & similia jura, ut habetur locis citatis. Nam & censuum, ususfructûs ceterarumque servitutũ (quæ & vendi possunt) dicitur esse possessio ac dominium, & generatim omnis rei, quæ nostra est: est autem res incorporalis in bonis nostris ideoque Imperator *l. 2. Instit.* cum egisset de acquirendo dominio rerum corporalium, subjicit de incorporalium, inquit *Zoezius in ff. de acquir. rer. dom. n. 2.* Id tamen ad quæstionem de voce spectat: in qua perinde, sive dominio, sive quasi dominio (quæ vox rebus magis incorporalibus, ut officiis & beneficiis aptiùs quadrat, ut quidam volunt) prædicta possideri dicantur.

*Etiam in corporalibus est dominium.*

25. *Lege potest usus aliquis dominii impediri, v. g. in pupillo, bonis vinculatis, salvâ perfectione dominii.*

Quamvis autem dominium sit naturâ suâ potestas extendens se ad omnem dispositionem, quantum est de se, potest tamen lege impediri, ne in aliquos actus exeat: sicut non diminutâ potentiâ ambulandi, potest eadem impediri, ne in actum exeat, pedibus v. g. ligatis; quo tamen impedimento sublato manet expedita præcedens potentia absque accessu novæ. Pari itaque modo pupillus v. g. prohibetur res suas alienare usque ad debitum ætatis tempus, cùm tamen sit interim verus Dominus omnium juxta Apostolum *ad Gal. 4.* Item majoratus, fideicommissa, similiave bona, quæ vinculata dicuntur, possideri censentur perfecto dominio, & tamen legibus sic statuentibus non possunt domini ea validè alienare. Quod quidem leges statuerunt, ne pupillus v. g. facilè circumveniretur aut sua dissiparet, ne familiæ illustres deficerent, aut ob similes rationes. Hæc equidem inhibitio non tollit jus perfectum in re, sed alicui usui, vel aliquo tempore obstaculum ponit; quo cessante per lapsum temporis vel aliter expedita manet potestas alienandi citra collationem novi juris. Quemadmodum etiam posset domino per mandatum personale interdici rei alienatio; cujus nihilominus manet Dominus, ut priùs. Sicut prodigus, cui per legem interdicitur alienatio sive administratio, manet dominus. Accedit, quod nemo alius sit hujusmodi bonorum ligatorum dominus, prout tamen in feudis & Emphiteusi præter dominum utilem datur directus complentes perfectum dominium? Unde vel non habent dominum perfectum, vel ille est dominus, de quo est sermo.

*Opinio Lugo.*

Putat tamen *Lugo disp. 2. n. 6.* & alii, quòd si plena dispositio seu alienatio bonorum planè impediatur per totam vitam possidentis, saltem si id fiat ob utilitatem successorum (uti fit in fidei-commissis & similibus) rectè posse dici plenum istorum dominium non esse in uno aliquo, sed in rigore spectare ad familiam, seu simul ad omnes, quibus ea bona sunt vinculata; qui censeri possunt persona ficta.

26. *Dominium plurium in eamdem rem partiale dicitur: aliud totale seu in solidum.*

Dominium perfectum quantùm ad objectum, seu plenam dispositionem de re, interdum est partiale ex parte subjecti; quale est plurium heredum in hereditate indivisa: interdum etiam est totale ex parte subjecti, & solet dici in solidum.

27. *Ad dominium transferendum qui requiratur titulus & traditio.*

Transfertur (si de prima acquisitione rerum sub nullius dominio existentium agatur, requiritur apprehensio, quam priùs adhibens fit dominus) dominium ab uno in alterum, accedente ad titulum traditione: utrumque enim regulariter requiritur, nec alterutrum sufficit; ut patet *L. Traditionibus 20. Cod. de pactis.* Et L. *Numquam ff. de acquir. rerum domin.* Titulus quidem fundat jus, estque radix illius, puta emptio, donatio &c. At solum tribuit jus ad rem sine traditione, non quòd hæc ex natura rei requiratur, sed quia leges eam ordinariè requirunt ad vitandam incertitudinem dominiorum, litium seminarium: traditio enim solet evidentiùs posse probari, quàm nuda pacta, vel tituli, adeoque facit magis constare de translatione dominii. Unde Princeps, qui supra leges est, posset absque traditione velle transferre dominium per donationem aut simile pactum. De facto

etiam

etiam nonnullis casibus traditio non requiritur. Sic enim sine ea in beneficiis sufficit collatio & acceptatio, c. *Si tibi absenti, de Prebendis in 6.* In hereditate per testamentum vel ab intestato obveniente sufficit, ut adeatur hereditas; quod fit, dum verbo vel facto acceptatur, quo facto, etiam legatarius fit mox dominus sui legati. In donatione ad pias causas similiter non requiritur traditio; prout hæc & alia ex jure colligit *Lessius l. 2. c. 3. dub. 3. n. 16.*

## §. II.

## De Usufructu.

28. *Quid Usufructus.*

USUSFRUCTUS (ut habetur *Instit. de Usufructu*) *est jus alienis rebus utendi, fruendi, salvâ rerum substantiâ.* Quare non solum usum rei ad propriam commoditatem seu necessitatem involvit, sed etiam jus fruendi, id est, fructus ex re percipiendi, de iisque disponendi etiam ad proprium quæstum seu utilitatem.

*Quid nomine fructuum censeatur.*

Fructuum autem nomine censetur, quidquid ex re nascitur & percipitur, iterumque renascitur, ut percipiatur. Prout in homine sunt operæ, *L. hominis ff. de operis servorum.* Idem est de jumentis. In grege, lana, pilus, lac, fetus: in fundo fœnum, segetes, virgulta, & arbores seu silvæ cæduæ, quæ scilicet succidi & renasci solent (ut patet *L. Silva 30. ff. de Verb. Signific.*) adeoque annis consuetis cædi & vendi ab usufructuario possunt *L. 9. ff. de Usufructu & quemadm.*

29. *Arbores fructiferæ non computantur in fructu.*

Arbores fructiferæ non computantur in fructu; sed nec generatim omnes infructiferæ, quæ tantùm ad opera fabrilia destinantur. Grandiores etiam cædere non potest Usufructuarius; ut colligitur ex *L. 11. & 19. ff. de Usufructu & quemadm.* & in Belgio judicatum refert *Christinæus* apud *Zypæum Tit. de Usufructu*, & commendant Consuetudines Lovanienses & Antverpienses apud *Valerium Andream in addit. ad Zoezium in Instit. de Usufructu n. 1.* Demortuas tamen accipit Usufructuarius, & novas substituit; non vi ventorum ejectas, quæ cedunt proprietario. Aufert tamen ille si aliunde ligna non suppetant, quantum sufficiat usui villæ, servato semper priori usu patris familias. Quædam etiam silvæ sic habentur, ut non sint regulariter cæduæ, sed quot annis majores aliquot arbores; circa quas fructuarius potest servare modum consuetum juxta *Zypæum supra*, qui addit Beneficiarios quoque instar fructuariorum grandes arbores succidere non posse: si tamen sine accretione inutiliter senescerent, succisione subducendas esse periculis bellicis aliisque casibus, pretio in utilitatem Ecclesiæ, non in usum Beneficiariorum converso.

*Quid liceat Beneficiariis quoad hoc.*

Ad fundi fructus spectant etiam reditus aucupiorum, venationum & piscationum *L. 9. ff. de Usufructu & quemadm.*

Denique sunt fructus, qui dicuntur civiles, uti pensiones redituum, ædium, navium aliarumque rerum locatarum. Generaliter *igitur omnis fructus rei ad eum*, Usufructuarium, *pertinet, l. 7. ff. eod.*

30. *Fructuarius est dominus fructuum hoc ipso quo colligit; non adhuc pendentium.*

Porrò fructuarius hoc ipso quo fructus naturales colligit seu percipit (quod fit, dum eos solo separat *L. 13. in princip. ff. Quibus modis usufructus. &c.* Videri potest *Zoezius in D. Tit. n. 14.*) fit eorum dominus, colque transmittit ad heredes; aliàs etsi maturi sint, eo moriente, aut finito tempore usufructûs, cedunt proprietario fundi; cui adhuc adherentes censentur cum eo quid unum. Ita habetur *Instit. de rerum divis. §. 36. Is verò.* Quamvis heres expensas insumptas posset juxta *Peckium l. 5. de Testam. conjugum c. 24. in fine.* repetere à proprietario. In pensione civili v. g. mercede operarum locatarum servi, pro rata temporis fit divisio *L. 25. & 26. ff. de Usufructu & quemadm.* Quod circa fructus beneficiorum tamquam præmia servitii præstiti etiam faciendum censet *Zypæus supra* allegans decretum *Synodi Antverpiensis 1609. Tit. 18. c. ult.*

31. *Usufructus propriè in rebus usu non consumptibilibus consistit.*

Quia verò requiritur, ut salva maneat substantia rei, idcirco usufructus non constituitur propriè in rebus usu consumptibilibus. *Instit. de Usufructu.* neque potest res à fructuario destrui, sed debet ab eo instar patrisfamilias conservari. Immo requiritur præstatio cautionis idoneæ hac de re *Instit. de Usufructu.* si nimirum exigatur. Eam tamen dominus seu heres potest remittere: tametsi testatorem non posse relinquere usumfructum cum conditione, ne heres exigat cautionem ab usufructuario, tradat *Zoezius in D. Tit. Instit. n. 9.*

*Qui requiratur cautio.*

Unde fructuarius tenetur domum aliqualiter reparare, gregem, vineam, pomarium &c. (quæ censentur quid perpetuum) substituendo alia in locum animalis, vitis, aut arboris emortuæ vel inutilis redditæ servare; sic ut quod substitutū est, fiat statim proprietarii, alterum verò fructuarii. Si tempestate, aut simili casu fortuito, grex ejusve magna pars, domus &c. pereat, nil substituendum est. Idem est, si usufructus sit unius v. g. animalis, aut singulorum capitum, & citra fructuarii culpam pereant: nam substantia hujusmodi non censetur habere longiorem durationem. Quæ omnia jure statuta sunt.

32. *Ad quæ insuper fructuarius tenetur.*

Acquiritur usufructus, sive ex lege, prout competit patri in peculium adventitium filii, sive ex testamento, donatione, aliave pactione.

*Quibus modis acquiratur Usufructus.*

Amittitur usufructus primò morte usufructuarii, sive naturali, sive civili; quæ, jure saltem communi, non habet locum, quantum ad hunc effectum, in professione religio-

33. *Quibus modis amittatur.*

*Non extinguitur per professionem religiosam.*

religiosa; adeò ut usufructus non censeatur extinctus, sed ad professi vitam cedat monasterio capaci successionis; non proprietario, juxta *Glossam, Bartolum* & communem, ut refert & sequitur *Navarrus Comment. 2. de Regular. n.* 38. Secundò amittitur cessione domino facta; qui modus dicitur consolidatio, veluti solidans dominium accessione usufructûs. Tertiò cessat, si proprietas detur fructuario. Quartò si res pereant. Quintò lapsu temporis, pro quo concessus erat, aut cessante conditione, quæ erat adjecta. Sextò præscriptione bonæ fidei. Videri possunt Jurisconsulti in *Instit. Tit. de Usufruct. & in ff. Quibus modis Usufruct. Lessius c.* 3. *dub.* 5.

## §. III.

## *De Usu, Habitatione, Servitutibus, Pignore & Hypotheca.*

*34. Quid usus, & quò differat ab usufructu.*

USus communiter à Doctoribus definitur jus utendi rebus alienis, salvâ earum substantiâ. Differt ab usufructu, quòd in hoc sit plus juris, ut traditur *Instit. de Usu & Habitat.* Nam usuarius non potest fructus percipere, adeoque non potest (quod alioquin ad fruitionem seu fructus spectaret) ex re quæstum facere, eamve alteri vendere, locare, gratis concedere, sed tantùm re uti ad suam suorumque necessitatem. Unde usum v. g. ædium habens, ipse tantùm habitare potest, non exclusâ tamen conjuge, liberis, familiâ. Iisdem verò modis, quibus usufructus, constituitur & finitur usus. Vide plura, quæ habentur *Instit de Usu & Habitat.*

*Amittitur iisdem modis quibus usufructus.*

*35. Ei affinis habitatio quid.*

Usui valdè affinis est habitatio, adeò ut Veteres aliqui esse usum voluerint, donec *L. cùm antiquitas* 13. *Cod. de Usufructu* aliud fuit declaratum. Habitatio itaque est jus habitandi in ædibus alienis, salvâ earum substantiâ. Est usu & usufructu strictior, cùm tantùm versetur circa ædes; in hoc tamen usu ipso largior, quòd habitationem obtinenti hodie liceat non solùm ædes ipsi inhabitare, sed etiam aliis elocare instar usufructuarii *L. cit.*

*In quo ab usu differat.*

*36. Quid servitutum nomine generatim intelligatur.*

Servitus generatim est subjectio, quâ res aliena tibi tuisve rebus servire constringitur. Servire enim rem dicimus, quoties Dominus in ea aliquid pati vel non facere cogitur causâ commodi alterius *L. Quoties* 15. *ff. de Servitutibus.* Unde obligatio, quâ mancipium domino suo obsequi tenetur, non est servitus propriè: Dominus enim utitur eo tamquam re suâ. Sicut etiam non dicitur servitus, usufructus, quem dominus ex proprio prædio percipit. Si quis autem ex contractu vel ultima voluntate obligetur alteri cedere quædam obsequia à proprio mancipio præstanda, erit servitus meræ personalis, quâ mancipium servitio dominì non sufficit adeoque persona personæ alienæ subjicitur. Si autem servitus à re aliena debeatur immediatè personæ, dicitur mixta: qualis est usufructus, usus, habitatio: quæ etiam sæpe à Juristis servitutes personales simpliciter vocantur, tamquam immediatè personam respicientes. Earum servitutum causâ, non secùs quàm realium, competunt in rem actiones (quæ vocantur confessoriæ, eisque oppositæ dicuntur negatoriæ) *Instit. de Action. §.* 3. *Æquè si agat.*

*Alia Mixtæ, quæ etiam simpliciter Personales vocantur.*

Servitutes denique quibus res serviunt immediatè rebus, mediatè solùm personis, dicuntur reales, vel stylo juris servitutes prædiorum, & censentur simpliciter nomine generico servitutum, eo videlicet ad speciem contracto. Unde *Instit. de Usu & Habitat.* fusè servitutes contra usufructum, usum & habitationem distinguuntur. Describitur communiter post *Bartolum in L.* 1. ff. *de Servitut.* hujusmodi servitus jus quoddam prædio inhærens, utilitatem ejus adaugens, & alterius libertatem diminuens. Quam definitionem fusè defendit *Zoezius l.* 8. *Digest. Tit.* 1.

*37. Aliæ Reales seu Prædiorum, quæ simpliciter servitutes vocantur.*

Dividitur hæc servitus ratione diversitatis prædiorum, quibus debetur, in Urbanam & Rusticam. Prædium urbanum in jure vocatur omne habitaculum, etiam in villa situm, & hortus annexus causâ amænitatis. Rusticum, quodvis aliud, ut horreum, stabulum, ager. Servitutes igitur Urbanæ sunt, v. g. ut ædes tuæ non possint altiùs attolli, ne officiant vicini luminibus, ut in parietem tuum possit immitti tignum, veluti trabs, aut quid hujusmodi, à vicino. Rusticæ, ut liceat tibi per fundum alterius ire ad tuum, vel jumentum agere, vel aquam ducere, & similia: quæ optimè explicantur *Instit. de Servitut.* Et *Lib.* 8. *Digest. Tit.* 1. 2. 3. 4. qui sunt de Servitutibus. Videri etiam possunt Jurisperiti in *D. Tit.*

*38. Ex his alia sunt Urbanæ alia Rusticæ.*

*Quæ prædia Urbana, quæ Rustica qualis singulorum servitus.*

Extinguitur servitus confusione, si scilicet utriusque prædii idem fiat dominus: quia res sic nemini servit. Item lapsu temporis vel conditionis adjectæ. Præterea longo non usu: sic tamen ut in prædiis urbanis prærequiratur contrarium factum domini fundi servientis *L. Hæc autem* 6. & *L. Si quis* 30. *ff. De Servitut. Prad. Urban.*

*Quibus modis servitutes extinguantur.*

*39. Quid pignus, quid Hypotheca.*

Inter juris species etiam statui solet hypotheca seu pignus. Quæ nomina sæpe confunduntur: etsi etiam interdum & propriè distinguantur (sic tamen, ut nil interfit, quantum ad actionem hypothecariam) ut pignus sit rei mobilis à pugno dictum, quòd res manu vel in manum tradatur, hypotheca verò rei immobilis, quæ nudâ conventione obligatur creditori. Quamvis hæc differentia non sit perpetua: cùm etiam ex nuda conventione pignus constituatur *L. Si igitur* 1. *ff. de pignorat. act.* Et *L. Justo* 44. §. *Non mutat ff. de Usurpat. & Usucap.* idque cum actione hypothecaria contra quemli-

*Quamvis cogatur.*

quemlibet possessorem, *L. Si tib. 15. §. De pignore ff. de pactis.* & aliis apud *Valerium Andream lib. 4. Instit. Tit. 6. in Addit. ad Zoezium num. 29.*

40. Et quidem plerumque ipsa res, quæ in hypothecam vel pignus datur, interdum etiam jus inde resultans hoc nomine vocatur, quod jus hypothecæ vel pignoris dicitur, de quo in præsenti. Estque omnium jurium, quæ in rebus habentur, minimum, utpote nullum usum creditori præstans, sed facultatem tenēdi, ut sit ei meliùs cautum, & si ei non satisfiat, rem distrahendi; juxta *Regulam 25. ff. de Reg. juris: Plus cautionis in re est, quam in persona.* Quare jus pignoris seu hypothecæ est in creditore jus detinendi rem aliquam in securitatem debiti, & si debitor non solvat, inde accipiendi solutionem. Afficitque ita rem, ut detur eo nomine in alterum actio hypothecaria (quæ nil est, nisi quædam pignoris vindicatio) adeoque creditor illam habens sit potior aliis creditoribus in rebus ad pignus vel hypothecam datis. Quamvis jure Codicis Authent. *Hoc si c. de pignoribus, & Novellâ 4. c. 2.* creditor adversus extraneum possessorem rerum pignori obligatarum nequeat actionem hypothecariam intentare, nisi prius excusso debitore principali & fidejussore. Moribus quoque nostris (ut ex *Cujacio* & *Antonio Fabro* allegat *Valerius Andreas sup.*) sine traditione non datur actio hypothecaria circa mobilia; & tunc quidem adversus debitorem tantùm.

*Quale sit jus Pignoris seu Hypotheca.*

*Quam actionem pariat.*

41. Hypotheca contrahitur vel expressè: idque sive per contractum seu cōventionem partium, dicturque conventionalis, sive per decretum judicis, dicturque prætoria seu judicialis: vel tacitè, ex dispositione scilicet juris, dicturque Legalis seu Tacita. Utraque autem vel est omnium bonorum debitoris, & dicitur Universalis vel Generalis: vel partis tantùm, & dicitur Particularis. Universalis juxta *Lessium c. 28. dub. 6.* non impedit, quin debitor possit sua bona liberè vendere, eò quòd pretium succedat in locum rei. Hypotheca autem particularis afficit ipsam rem cuicumque vendatur, juxta Regulam Juris: *Res transit cum suo onere.*

*Hypotheca alia expressa, eaq; vel conventionalis, vel prætoria: alia Tacita.*

*Alia Generalis, alia Particularis.*

42. Expressa conventionalis (judicialis non ita est nostræ considerationis) statui potest in solis bonis seu juribus liberæ administrationis & alienationis (quibus accenseri potest ipsum pignus acceptum, quod potest ulteriùs in pignus dari *L. 1. & 2. Cod. Si pignus pignori datum*: soluto tamen debito, extinguitur posterior hypothecatio, resque redit libera ad debitorem) ut proinde locum non habeat in persona libera, rebus Ecclesiæ vel sacris, nisi in casibus, quibus vendi possunt. Liberi tamen homines possunt in obsides dari, maximè in causa belli, ut serventur pacta: quibus violatis sine culpa obsidum, ipsi non possunt à creditoribus malè tractari, v. g. occidi, mutilari, flagellari, sed tantùm in servitutem redigi, si Christiani non sint, aut bonis spoliari; sicut alii innocentes in bello. Hypotheca legalis seu tacita diversimodè juxe cæsareo contrahitur. Consuetudines tamen locorum sæpè variant. Videri potest *Molina à disp. 528. usque 539. Lessius suprà & dub. 7.*

*Conventionalis in quibus bonis constitui quat.*

## §. IV.

## An Usus possit separari à Dominio in rebus etiam uno actu consumptibilibus?

43. USus porrò (de quo cum Jurisperitis mox egimus) est usus juris (ut patet) cujus velut objectum est usus facti, usurpatio scilicet actualis rei, puta domûs, libri, equi &c salvâ ejus substantiâ. In rebus autem, quæ uno actu consumuntur, ut sunt esculenta & poculenta (idemque est de pecunia, cujus quâ talis usus est consumptio moralis, scilicet alienatio) usus actualis est ipsius rei destructivus, dicturque stylo juris, signanter à Joanne XXII. *Extrav. Ad Conditorem Canonum, de Verb. Signif.* rei abusus; quod ad quæstionem de voce spectat: & usu vulgato etiam conformi canonibus, c. *Exiit, de Verb. Signif. in 6. Clem. Exivi, de Verb. Signif.* actualis consumptio cibi v. g. dicitur ejus usus, utpote applicatio rei ad suum finem.

*Prater usū juris datur usus facti.*

*Qui in rebus uno actu consumptibilibus est ipsa earum consumptio.*

*Quæ dicitur abusus.*

*Rectè tamen etiam usus.*

44. De hujusmodi rerum usu quæritur, an possit distingui à Dominio. Potestque res uno actu consumptibilis considerari sive antequam consumatur, posteaquam est ad consumendum oblata; sive in ipsa actuali consumptione.

*Sensus quæstionis.*

Est autem communis sententia Doctorum contra paucos antiquiores (quos sequitur *Aragon & Sarmiento*) utrovis modo res consideretur, posse dominium separari à simplici usu facti, adeoque haberi & consumi illam licitè posse sine dominio. Atque ita de facto contingit in ordine Fratrum Minorum de Observantia & Capucinorum.

*Posse usum hujusmodi separari à dominio est communis doctrina.*

Quod patet in primis ex ipsa Regula (quæ veluti Apostolica, & à S. Spiritu inspirata, tot Apostolicæ Sedis oraculis est probata) *c. 6.* ubi dicitur: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem &c. Hæc est illa celsa sudo altissima paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos heredes & reges regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra &c.* Ubi omnis omnino proprietas rei pro quovis tempore excluditur ex mente S. Institutoris.

45. *Probatur ex Regula S. Francisci.*

Quam quidem mentem veluti sibi optimè perspectam habentes omnes ejus filii, ab initio usque modò Regulam hoc sensu constanter intellexerunt, ut censeatur omnis rei,

*Sensus religionis. Expositoribus Regulæ & Constitutionibus.*

nis rei, etiam quomodolibet consumptibilis dominium penitus abdicari, tam in communi, quàm in speciali. Quod proinde etiam expresserunt alii antiqui (inter quos *S. Bonaventura in c. 6. Regulæ*, Et *in Quæstionibus circa Regulam q. 24.* & alibi) & posteriores Regulæ Expositores: item variæ Constitutiones generales Religionis per S. Sedem approbatæ; ac novissimè per Urbanum VIII.

46. *Declaratione Gregorii IX. Nicolai III*

Eumdem sensum inter alios expressit Gregorius IX. S. Francisco admodum familiaris, apud *S. Bonaventuram Apologia Pauperum Resp. 4. c. 2.* Nicolaus item III. c. *Exiit. de Verb. Signif. in 6.* ut mordacibus mordendi vias præcluderet, cùm de sensu Regulæ & mente S. Francisci (super quibus cum nonnullis sancti viri sociis frequenti collatione tractaverat, & de quibus longâ experientiâ, postquam fuisset Ordinis protector & gubernator, informatus erat; utì præmittit) eumdem passum Regulæ declarans, dicit: *Porrò cùm ipsa Regula expresè contineat, quòd fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sitq; declaratum per Gregorium IX. & nonnullos alios, hoc servare debere, tam in speciali, quàm etiam in communi: quam sic arctam abdicationem venenosis obtrectationibus aliquorum insensata damnaverit astutia: ne fratrum eorumdem perfectionis claritas in talium imperitis sermonibus lacereretur: dicimus, quòd abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, non tam in speciali, quàm etiam in communi, propter Deum meritoria est & sancta &c.* Quod magis adhuc explicans distinguit, (usurpans ferè verba *S. Bonaventuræ suprà*) inter proprietatem, jus utendi, & simplicem facti usum, quo solo tamquam necessario egeat vita mortalium, ceteris potens carere; ideoque *nulla* (inquit) *potest esse professio, quæ à se usum necessariæ sustentationis excludit: Verùm condecens fuit ei professioni, quæ sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium sibi abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam ..... qui, inquam, usus non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantùm in utendo præbet utentibus, nihil juris: quin immo necessariarum rerum tam ad vitæ sustentationem, (ut est esca & potus) quàm ad officiorum sui status executionem (ut sunt libri &c.) moderatus usus (excepto pecuniæ usu) concessus est fratribus; quibus rebus fratres licitè uti possint, durante concedentis licentiâ.* Proinde exemplo Prædecessorum suorum assumit in se & Ecclesiam Romanam, Ecclesias, & omnia alia, quorum usus licitus est fratribus, & dominium donantes sibi non reservarunt.

47. *Clementis V. & aliorum Pontificum.*

Prædictis declarationibus per omnia cõsonat Clementina *Exivi, de Verb. Signif.* edita in Concilio Generali Viennensi (in qua idipsum expresè declaratur) & plurimorum aliorum Pontificum (apud *Waddingum ad annum 1322.*) sanctiones. Ut proinde contradictores, os seu calamum in tot S. Sedis oracula, in universam Religionem Minorum & Capucinorum (quæ non est infima portio gregis dominici) & quotquot in ea hactenùs fuerunt Sanctissimi pariter & doctissimi ponere convincuntur.

48. *Agitur de actu Ioannis XXII.*

Verum quidem est Joannem XXII. irritatum pravâ quorumdam suggestione, aut etiam quorumdam animositate, cõtra Religionem S. Francisci (quam adeò impensè noverat) editâ Extrav. *Ad Conditorem Canonum, de Verb. Signif.* dominium rerum fratribus concessarum (exceptis Ecclesiis, oratoriis, officinis & habitationibus, vasis, libris & vestimentis divinis officiis dedicatis & dedicandis) à se abdicasse, præmittendo fusam & subtilem ex jure civili disputationem, quâ conatur adstruere usum consumptibilium justum seu licitum non cõsistere sine dominio: hoc tamen eum non definivisse est manifestum ex contextu. Totus autem est in discurrẽdo instar Apologeticum scribentis, & rationes allegando pro indistinctione præfati usûs à dominio; ut abdicationi dominii à se intentæ (quæ erat penes ipsius arbitrium) viam sternat, & prætextum eidem rationabilitatis obducat. In quo erravit tamquam Doctor particularis, juxta *Bellarminum* & alios passim; etsi quidam conentur eum ad commodum sensum trahere. Duriores censuras Nonnulli addunt, signanter *Dominicus Soto l. 4. de Just. q. 1. art. 1.* dicens eum *neque legitimè, neque (si dicere fas est) justè fecisse, sed in odium &c.*

49. *Quæ per multos successores huius cassata, seu minus ante rioribus declarationibus Nic. III. & Clem. V.*

Nihilominus diversi Pontifices successores dominium prædictarum rerum ad se & Ecclesiam Romanam resumserunt, cõfirmando Nicolai III. & Clementis V. declarationes, ac expresè derogando Extraganti *Ad Conditorem Canonum*, & aliis Extravagantibus materiam prædictæ Extravagantis tangentibus; ut videre est in *Constit. Pauli IV. Ex Clementis Sedis dat. 1. Jul. 1555.* In qua Pontifex testatur iisdem Extravagãtibus derogatum fuisse per Martinum V. Eugenium IV. Nicolaum V. & Sixtum IV. Eamdem derogationem resumsit Gregorius XIII. *Bullâ 6. apud* Confettium. Idem dominium resumsit *Alexander VI. Constit. Uberes fructus dat. 10. Jul. 1494.*

50. *Quos ante indignationem ceptam ipse Ioannes probaverat.*

Quinimmo & ipse Joannes XXII. (qui ante offensam contra Ordinem, Nicolai III. & Clementis V. declarationes tamquam *salubriter editas, solidas quidem & claras, & lucidas, multâq; maturitate digestas* probaverat *Extrav. Quorumdam exigit, de Verb. Signif.* etsi postea nisus fuerit impugnare seu contorquere) ante mortem suam revocavit, tum quæ ùc animabus separatis quoad carentiam visionis facialis ante diem judicii, tum quæ de aliis non rectè dixisset aut scripsisset: ac (subdit) *prædicta omnia & alia quæ-*

*Quam revocationem fecerit.*

*quacumque dicta, prædicata & scripta per nos de quacumque materia ... submittimus determinationi Ecclesiæ & Successorum nostrorum.* Ecclesia autem in Prædecessoribus & Successoribus illius noscitur determinasse, quod hîc docemus. Revocationem prædictam refert *Waddingus ad annum* 1333. *n.* 14. Et ex authentico transumpto *Marchant in Fundamentis duodecim Tit.* 10. *Fundam.* 10. *§.* 4. *sub finem.*

51. *Idem probatur ratione.*

Ratio fundamentalis est, quòd non sit species repugnantiæ in hoc quòd Dominus det alteri licentiam simplicem & jugiter a suo nutu pendentem utendi re suâ aut eâ destruendi ex commissione & nomine ipsius, absque eo quòd alter censeatur Dominus ejusdem. Sic autem fit in rebus, quibus Franciscani, etiam cum cõsumptione utuntur de licentia domini. Quare talis non posset in judicio rem illam nomine suo vindicare, legare, alienare &c. prout possunt, qui dominium habent. Solùm itaque est eis fas utendi rebus nomine concedentis. Quemadmodum ceteri Religiosi singuli utuntur rebus monasterii, etiam cibis, eos consumẽdo, citra dominium aut notam proprietatis; sed tamquam rebus communibus seu non suis, & nomine ac licentiâ alterius. Sicut igitur usus particularium monachorum potest esse licitus citra dominium, quod manet penes communitatem seu personam fictam; cur non toti Ordini S. Francisci, ejusque membris poterit cõpetere, etli dominium sit penes personam extra ordinem constitutam, puta Pontificem?

52. *Verius idipsum declaratur.*

Porrò sicut facultas personaliter utendi, adeoque destruendi, nomine alterius & dependenter ab ejus nutu, non est dominium, neque est ejus signum; sic neque sequens actualis usus seu consumptio rei. Quæ si esset dominii inexistentis actus, deberet prævia potestas ad illam esse dominium. Immo ipsa destructio de voluntate Domini facta potiùs videtur actus dominii ipsius Domini, utì si ipsemet rem destrueret. Quemadmodum incendens domum, struem lignorum &c. de licentia aut jussu heri sui, non fit eo ipso Dominus rei quam destruit; sed herus in tali actione dominium exercet ac simul destruit. Similiter ergo in rebus unico actu consumptibilibus, potest consumptio stare sine dominio, uti & antecedens licentia consumendi. Confirmatur: quia per consumptionem (quæ est dominii destructiva) non accedit novus titulus, aut traditio; quæ tamen requiritur, ut dominium transferatur in eum, qui eo carebat. Confirmatur II. quia servus licitè comedit cibos domini, filius cibos patris, hospes cibos invitantis; & tamen non sunt eorum Domini. Præterea famulus emens aliqua pro Domino, & pecuniam sec. pretium alienans, utique nõ est dominus ejusdem. Non enim dicitur veraciter quis habere tam-



quam sua, quæ dispensat tamquam aliena, sed quæ possidet vel usurpat tamquam proprio juri mancipata; ut rectè *D. Bonavent. Apol. Paup. Resp.* 4. *c.* 1.

53. *Rationes similes præformata à S. Bonaventura. Cujus verba allegantur Expos. in c.* 6. *Reg.*

Sed juvabit audire pleniùs ipsum *S. Bonaventuram* suis verbis loquentem, qui rationes allegatas præformavit, & objectionibus tacitè occurrit. Nam in *Expos. in c.* 6. *Regulæ* dicit, *quòd duplex est usus rerum. Quidam enim utuntur rebus auctoritate propriâ, ut Domini; quidam alienâ, ut servi .... Quia ergo Fratres Minores pro Christo serviles effecti sunt, utuntur rebus, quas usu consumunt, nec tamen eis dominantur; & in hoc ipso Dominum imitantur, qui cibo vescebatur alieno, in alienis domibus continuè hospitando.*

54. *Item in determ. quæst. circa reg. q.* 24.

Et in *Determinat. quæst. circa Regul. q.* 24. *Videmus* (inquit) *in sæculo famulos dominorum panem, non suum comedere, tecto non suo congi, & rebus alienis, videlicet dominorum suorum uti: sic & alii sæpè concessis utuntur, tam vestibus, quàm aliis rebus de illorum voluntate, quorum res sunt. Sic & nos utimur rebus necessariis pro corpore, quas tamen, nec in speciali, nec in communi nobis appropriamus. Regula enim non dicit, nos nihil debere habere, sed nihil nobis appropriare. Unde usum rerum necessariarum habere possumus, non proprietatem, alioquin nec vestem, nec cibum, nec aliquid aliud in usum recipere deberemus; quod esset contra omnem rationabilem intellectum. Præsul enim Sedis Apostolicæ, qui est generalis omnium pauperum Ecclesiæ provisor, specialiter nostri Ordinis curam habens, omnium mobilium, quæ ordini conferuntur, proprietatem sibi assumpsit, exceptis his quorum dominium sibi conferentes retinuerunt, & nobis usum earumdem rerum solùm concedit, ut semper alieno victu, & vestitu, & tecto, & aliis utensilibus absque proprietatis jure, ex ipsius concessione utamur. Sicut familia patrisfamilias, quæ rebus Domini sui utitur, tam in absentia, quam ipsius præsentiâ corporali, secundum ipsius dispositionem. Et eleemosyna, quæ nobis à fidelibus datur transit in usum nostrum, & in illius dominium, qui est principalis Ordinis nostri dispensator; cui parati sumus omnia, quæ habemus, cùm jusserit, tamquam Domino, prout convenit, resignare, & nil juxta hoc proprietatis habentes, regulam nostram bonâ conscientiâ observamus.*

55. *Eamdem materiam ex professo tractat Apol. Paup. Resp.* 4. *c.* 2.

Idem S. Doctor *Apol. Pauper. Resp.* 4. *c.* 2. ex professo & fusè propugnat expropriationem totalem Ordinis, tam in communi, quàm in speciali, etiam quoad ea, quæ usu consumuntur, relicto simplici usu. Idque contra *Gyraldum de Abbatis Villa* adversarium Religionis Pauperum (qui paralysi dissolutus ac leprâ percussus interiit) quem dicit manifestè *non æmulatione Dei fuisse succensum, sed stimulatione illius, cujus invidiâ mors introivit in orbem terrarum*; dum nimirum (ut præmittit) *in totam Christi*

*Pauperum religionem venenatorum eloquiorum tela convertit.*

*Objectio Adversarii & Solutio S. Bonaventura,*

Et post plurima admodum solidè in hãc rem adducta, è quibus nonnulla in suam decretalem transtulit Nicolaus III. c. *Exiit, de Verb. Signif.* sibi objicit: *Nec obstat, quòd adversarius objicit de rebus, quæ usu consumuntur, quòd in eis proprietas non separetur ab usu.* Quod dissolvit exemplo filiifamilias, qui juxta leges Romanorum est patriæ potestatis. Deinde addit exemplum privatorum Monachorum dicens: *Quemadmodum Monachus vel quivis Religiosus utitur vestimentis, cibis* (dum scilicet actu istis induitur, aut hos, actu manducat) *ac ceteris, quæ usu consumuntur, ita tamen quòd nihil sibi appropriat quoad privatum dominium, nec propter talem usum efficitur proprietarius, quia proprietas* (donec res consumpta est) *semper collegio reservatur: sic & de collegio hujusmodi Pauperum summoq; Pontifice intelligere debet, quicumque de professione ipsorum sentire vult tam verè quàm piè.*

*Nota ejusdem dicta.*

Quod dein egregiè confirmat etiam ex legibus, tandemque concludit, quòd *Pontificalis auctoritas, quantumcumque usus & dominium in aliquibus rebus secundùm jus civile censeantur esse conjuncta, decernere poterit in aliquibus personis esse separata. Quod circa ordinem prædictorum Fratrum Minorum Christi Vicarius suâ auctoritate confirmans sic esse decrevit; cujus definitioni contraire nullatenus licet. Et hæc quidem dicta sufficiant ad cavillationes malignantium hominum revellendas.*

56. *Objectio ex jure civili petita dissolvitur.*

Nec obstat, quòd (ut sibi objicit Nicolaus III. c. *Exiit*, & ante eum *S. Bonaventura sup.*) jure cautum sit, usum seu usumfructum non posse perpetuò à dominio separari, ne hoc reddatur inutile & inane; ut patet *Instit. de Usufructu* §. 1. *L. omnium ff. eod.* Et *L. Antiquitas C. eod.* Nam in primis in lege civili est sermo de fare utendi, seu fruendi absoluto & irrevocabili, quod juxta leges statuitur in iis, quæ usu non consumuntur, & quorum substantia manet salva. Usus autem Ecclesiarum, ædificiorum, librorum & similium, etiam usu consumptibilium, qui Fratribus conceditur, non involvit jus præsertim irrevocabile, adeoque potest res Domino fieri etiã temporaliter utilis ad nutum ipsius, etsi pro sua libera & bona voluntate usum numquam revocet. Quod etiam in re usuconsumptibili locum habet, quousque supereſt, seu nõ consumpta est: tandem enim consumptione ipsa mirum nõn est dominium quà temporale reddi inane, utpote quod destruatur cũ ipsa re. Præterea, quidquid sit de lege civili, Pontifex, qui supra illam est, sancivit & declaravit id, quod diximus, pro filiis suis Minoribus, juxta *S. Bonaventuram sup.* Denique (ut idem respondet, & coincidit *Nicolaus III. sup.*) *retentio dominii hujusmodi rerum* (loquitur generatim de omnibus quorum usus Fratribus est cõcessus: de usuconsumptibilibus mox subdit specialem ex adversario objectionem, *n. prec.* propositam & solutam) *cum concessione usus facta pauperibus, non est infructuosa; cùm sit patri pauperum meritoria, & professioni filiorum Christo famulantium opportuna.*

57. *Consumptio rerum quæ fiat juste à Franciscanis citra dominium.*

Neque etiam ex præmissa veritate sequitur Observantes aut Capucinos injustè uti rebus quas consumunt, defectu nempe juris, ut arguit Joannes XXII. (cujus alias objectiones in passione aut æquivocatione fundatas omitto, Lectorem remittens ad ea quæ habet *Waddingus in Annal. Minor. ad annum* 1324.) Nam juxta *Hieronymum ad Nepotianum* (referẽte *S. Bonaventura suprà, Resp. §. c.* 1.) etiam *Christus cibo vescebatur alieno*; nec tamen injustè. Similiter ergo Frater Minor vescitur, & (ut utar verbis *S. Bonaventuræ Resp. §. c.* 1.) *sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio, sed alieno, piè tamen & justè, ab alio sibi pro sustentatione collato.* Excluso enim dominio & jure proprio sufficit ad hoc simplex licentia Domini; quo rationabiliter non invito, immo consentiente, alienus rem illius etiam destruens non est injustus.

58. *Non sequitur usuras fore licitas.*

Non sequitur etiam (quod Nõnulli Neoterici specialiter urgẽt, & mirum non fuisse usum à veteribus Religionis Pauperum adversariis; neque etiam à *Joanne XXII.*) usuras fore licitas, quando nimirum domino alteri vendente usum v. g. pecuniæ, sibi verò retinente dominium. Nam usura in primis involvit mutuum, in mutuo autem meum fit tuum, adeoque ex natura contractûs transfertur dominium, sicque mutuatarius necessariò utitur re suâ & nomine proprio. Deinde vendito usu foret emptor Dominus ipsius usûs, adeoq; acciperet jus absolutum ad utendum & destruendum seu alienandum; quale jus usûs communi etiam adversariorum doctrinâ non distinguitur à dominio in similibus rebus. Et de hujusmodi usu ejusque venditione agit *D. Thomas* (qui perperam in oppositum adducitur) *q.* 78. *art.* 1. concludens: *Unde in talibus non licebet seorsim computari usus rei à re ipsa, sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res: & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsim vellet vendere vinum, & seorsim usum vini, venderet eamdem rem bis.*

*Quæ hic de re mea S. Thomæ q. 78. art.*

59. *Ulteriùs eadem difficultas expenditur.*

Quòd si quis speculetur venditionem facultatis utendi revocabiliter, dependẽter & de voluntate alterius sibi retinentis, aut etiam alteri tertio vendẽtis dominium; esto ea concederetur, non potest facultas ista æstimari quanti res ipsa, nec ipsa cum dominio distinctè pluris vendi, quàm valeat res consumptibilis eidem absolutè vendẽda; adeoque non manet locus licitæ usuræ. De quo vide *Poncium d.* 23. *Theol. n.* 44.

Si denique spectetur ipsa actualis consumptio (quæ tamen non solet immediatè vendi,

vendi, sed venditionem facultatis consumendi subsequi) esto illa valeret quanti res ipsa, v. g. alienatio floreni pro merce valet floreno aut mercè æquivalente: ipsa equidem non potest vendi retento dominio; cùm ipsa cõsumptio sit dominii destructio. Non est tamen necesse, ut destructio fiat immediatè per illum qui est dominus: cùm famulus alienet pecuniam heri sui aliquid emendo & solvendo. Idemque est in destructione rei immobilis v. g. domus; quæ pariter fit altero quidem domino existente & consentiente, non tamen dominium retinente, sed per hoc ipsum amittente. Sicut Abraham immolando Isaac non fuisset dominus vitæ filii, sed tamen destructor ex licentia supremi Domini. Accedit, quòd admittant Adversarii dominium separari ab actuali usu rei non uno actu consumptibilis, qualis est vestis, calceus &c. & tamen in singulis usibus aliquid rei consumitur ac deteritur. Igitur si ne hujus quidem particulæ, quæ ipso usu teritur fiat, dominus religiosus aut Franciscanus qui re tali utitur: quid ni idem sit, etsi tota uno actu consumatur?

60. *Iudicium de doctrina cujusdam Neoterici.*

Novissimè incidi in Neotericũ quemdam *To. 5. Theol. Tract. 1. de Jure & Just. d. 2. dub. 3.* qui pleraque satis, ne dicam nimis strictim, hanc verò materiam fusè expendit, novam sibi visus adinvenisse distinctionem, stylo & menti Pontificum, Doctorum ac Religionis contrariam, per cujus latus ipsam quoque Pauperum Religionem impetit. Cujus etiam altissimam paupertatem discutiens *d. 7. dub. 4.* frivola quædam contra illam sibi objicit argumenta: ad quæ tamen non solùm frigidè, sed frivolè, nec sufficienter pro honore Religionis respondet. Non fert quidem brevitas nobis præfixa, & commodis nostræ Scholæ necessaria latiores digressiones: spero tamen fore, qui, si operæ pretium videatur, oportuno tempore faciat satis. Pro nunc, quantum ad præsentem materiam, per præmissa sufficienter (in quo judicium candidi Lectoris implоro) partim refutata, partim soluta sunt, quæ iste allegat, & quæ speciem alicujus difficultatis habere possent. Quòd autem verba Nicolai III. successoris Joannis XXII. sive auctoris *Extravag. Ad conditorē* (successorem appellat: alioquin fuit prædecessor, & quidem mediantibus septem aliis Pontificibus) alleget; mirandum sanè: cùm verba, quasi ipsissima sint ex *S. Bonaventura Apol. Panp. Resp. 4. c. 2.* desumpta; quem proinde pari, id est, nullâ ratione allegare pro se potuisset. Vide dicta *n. 56.* Quantum verò attinet ad ea, quæ posteriori loco sibi contra Paupertatem altissimam objicit, sufficientissima solutio peti potest ex iis, quæ Regulæ declaratores Pontifices, & ejusdem Expositores tradunt. Credo equidem virum non tam ex malevolētia, quàm ex ignorantia Statûs nostri (cui ut se in hujusmodi materia ingeret, nulla urgebat virtutis species, aut necessitas) similia scripsisse. Interim Deus, in viris Religiosis præsertim, augeat spiritum sanæ intelligentiæ & intimæ charitatis. De cetero nos mordendi alios, & maximè integras Religiones, consuetudinem non habemus: sed neque Ecclesia Dei.

## §. V.

## *De Possessione.*

INTER jura etiam solet recensèri possessio; etsi dari possit jure destituta, utpote à parte rei injusta. Varios saltem juris effectus habet, præsertim in ordine ad comparandum dominium. Unde de ea hîc non inutiliter Doctores tractant. 61.

*Possessionis etymologica ratio.*

Possessio juxta Etymologiam vocis dicitur quasi sedium (non rectè aliqui, pedum) positio, quasi possidere sit verbum compositum ex ponere & sedere. Rectiùs fortasse derivatur ex posse & sedere; quasi possidens sit potens sedere, utì dicitur quis compos vel impos mentis. Capitur autem aliquando pro ipsa re, cui insistitur, seu quæ possidetur: aliquando, & frequentiùs pro actuali insistentia rei. Definiturque communiter detentio rei (supple tamquam suæ) corporis, animi & juris adminiculo. *Ejus descriptio.*

Detentio hîc etiam comprehendit apprehensionem, quæ est inchoata quædam detentio. Potestque fieri tum per nos, tum per alios, qui nostras vices in eo suppleant, ut per servum, aut filium non emancipatum (etiamsi nos nec opere, nec animo rei incumbamus) per curatorem, tutorem, procuratorem seu mandatarium, colonum, depositarium, & res nostro nomine possidentes; qui proinde non nisi impropriè eas possidere censentur. 62. *Qui requirat detentionem s. c. per quos faciendam.*

Corporis autem adminiculo tunc detinetur res, quando ipsa secundùm se, vel secundùm partem aut aliquid in quo censetur contineri, corporaliter apprehenditur contactu, aspectu, ingressu, aut simili modo. 63. *Varii modi apprehensionis.*

Varii etenim sunt apprehensionis, atque adeo possessionis acquirendæ modi, scilicet apprehensio vera, ficta, & jurisdispositio. Apprehensio vera fit manibus vel pedibus. Hæc necessaria est ad acquirendam possessionem rei non habentis dominium, ut ferarum, gemmarum &c. Item quando quis vult vi possidere. Apprehensio ficta locum habet, quando res habet possessorem, & ab eo vel à judice traditur, absque vera tamen & reali apprehensione. Hujusmodi traditio fit variis modis. Primò, si antiquus possessor tradat claves domûs in cõspectu positæ, in qua sunt merces tradendæ: dum enim alter apprehendit claves, censetur res intus conditas apprehendere. Secundò, juxta *Lessium, Lugo* & alios, si tradat scripturam *Apprehensio vera, quæ, & quando necessaria. Apprehensio ficta quibus modis contingat.*

seu instrumentum, quo constet de titulo & jure quo rem possidebat, animo possessionem transferendi; & alter sic acceptet, eo ipso acquirit hic rei possessionem: secùs est juxta *Wiggers Tr. 1. c. 6. dub. 6.* spectato jure communi de traditione solius instrumenti contractûs, v.g. venditionis. Sed & *Wesenbezius ad ff. de acquir. possess. num. 6.* referens alios, censet possessionem non sufficienter probari instrumentis, etsi super traditione factis, quasi his solùm intelligatur facta apprehendendi potestas. Tertiò, si eminus vel cominus ostendat fundum, dicatque se tradere possessionem, & alter dicat se acceptare: oculi enim sunt velut longæ manus, quibus res visæ quasi contrectantur. Quartò, quando post contractum consentiente venditore apponitur custodia nomine emptoris, vel novi possessoris. Quintò, quando venditor vel dator constituit se ipsum possessorem rei absentis nomine emptoris vel donatarii. Quod Juriperiti vocant tradere & acquirere possessionem per clausulam Constituti. Sexto, quando venditor constituit se conductorem rei venditæ, censetur emptorem eo ipso statuere possessorem. Eadem apprehensio ficta habet locum in bonis incorporalibus, quæ stylo Jurisperitorum dicuntur quasi possideri, v.g. servitutes, beneficia &c. Sic beneficii possessio capi solet per installationem in choro; alia jura, per eorumdem exercitium.

64. *Iuris dispositione confertur possessio sine apprehensione alterutra.* *Vsus Belgii.*

Juris dispositione denique confertur possessio sine apprehensione vera vel ficta in casibus à jure præscriptis; qui maximè dependent à cujusque patriæ consuetudine. Prout usu Belgico possessio mortui censetur continuari in quovis herede, juxta *Valerium Andream in Notis ad Instit. de heredum qual. & diff. num. 5.* Contendit quidem *Aretinus* non acquiri possessionem sine vera vel ficta apprehensione. Contra quem insurgit *Covarruvias lib. 3. Var. Resol. cap. 5.* sed notat *Wiggers c. 6. dub. 6.* videri quæstionem de nomine, eò quòd *Aretinus* inter actus fictos apprehensionis etiam ipsam Legis constitutionem comprehendere velit. Sed hic modus loquendi est minùs usitatus; etsi nil falsi contineat.

*Controversia nominalis de hac re.*

65. *Qualiter requiratur animi & juris adminiculum.*

Animi præterea adminiculum adesse debet: ubi enim non est animus retinendi rem tamquam suam, non est propriè dicta possessio, v.g. colonus non possidet propriè agrum alienum, quem pro alio colit. Additur in descriptione *juris adminiculo*, non quòd jus approbare debeat detentionem nostram tamquam justam, cùm etiam injusta detentio rei alienæ, etenim fur verè possidet bona furtiva, animo eam sibi appropriandi possit esse vera possessio (quam proinde *Bartolus ad L. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess.* non rectè definit esse jus insistendi rei tamquam suæ) sed quod jus debeat non obsistere tollendo ab apprehensione corporali rei cum animo retinendi ut suam energiam, sive rationem possessionis; prout impedit ne detentio rei sacræ, et loci religiosi, facta à laico, censeatur possessio. Quare detentio rei, solùs corporis aut etiam corporis & animi adminiculo, non autem juris, est possessio merè naturalis (in qua tamen distinguenda à civili non omnes consentiunt, ut videre est apud Jurisconsultos & Theologos) non civilis.

66. *Qui Effectus possessionis.*

Porrò multum emolumenti fert secum possessio civilis. Nam in primis, si sit bonæ fidei, parit præscriptionem, id est, facit ut res quæ non est tua, elapso certo tempore fiat tua, & omnes fructus percepti. Secundò, si oboriatur dubium de rei dominio, adhibitâ morali diligentiâ, & tamen remanente adhuc dubio, melior est conditio possidentis. Tertiò, in judicio parit ordinariè præsumptionem dominii. Unde possessor regulariter non debet probare rem esse suam, sed is qui eam repetit: qui nisi sufficienter probet, nihil contra possessorem obtinebit. Quartò, potest ex jure communi possessor vi suam possessionem tueri, *L. 3. ff. de Vi, & de Vi armata.* Immo etiam sibi ereptam armis, potest per arma recuperare, modò id faciat statim, & non ex intervallo (ut habetur *L. cit.*) id est, quàm primùm potest, spectatâ rei difficultate & aliis circumstantiis.

67. *Qualiter ipsa probetur.*

Forma probandæ possessionis varia est. Puta ex perceptione fructuum aut pensionum, censuum & collectarum solutione, aliorumque possessionis actuum demonstratione, viciniæ scientiâ, testibus, qui deponunt vidisse possideri, & aliis modis, de quibus *Wesenbezius in ff. de acquir. vel amitt. possess. num. 6.* & alii Jurisconsulti, quos citat.

68. *Quibus modis amittatur.*

Amissio possessionis secundùm jura diversimodè contingit: rei quidem mobilis per furtum, rapinam aut fraudem, vel per fugam, si sint animalia insueta redire, vel per alienationem, si res in domo non inveniatur: immobilis verò seu soli, per violentam occupationem, etiam nobis absentibus, si reversi aut repellamur, aut vim metuentes sponte cedamus. Amittitur præterea possessio, si per inundationem occupetur res: si fiat res sacra aut religiosa: si prætor aut judex possessionem auferat, vel alium in eam mittat: si quis absit longo tempore: si quis alieno nomine se possidere constituat, similive facto proprio alteri possessionem tradat seu relinquat: voluntas enim cujusque in similibus rata habenda est. Denique ex variis aliis causis, utì acquiri, sic amitti possessio potest. Videri possunt Jurisconsulti *in ff. de acquir. vel amitt. possess. Lessius l. 2. c. 3. dub. 12.* & alii Theologi.

In ma-

69. *Loco interdicti uti possidetis in Belgio est manutenentia.*

In materia possessionis jure Cæsareo *Instit. de Interdictis* varium erat genus interdictorum, sive ad adipiscendam, sive ad retinendam, sive ad recuperandam seu redintegrandam possessionem contra spoliatorem possessionis; quæ spoliatio ante omnia est restituenda, priusquam de principali seu petitorio agatur. Moribus nostris, si de possessione controversia oriatur, peti solet & cōcedi mandatū retinendæ possessionis, quod manutenentiā vocant, & respondet Interdicto *Uti possidetis*, de quo *Instit. sup.* Ad quod proceditur summariè, & sine strepitu judicii, inspecto actu possessionis. Parte verò se opponente proceditur ad judicium possessorium plerumque (quod & ordinarium) in quo servato ordine juris diligētiùs expenduntur omnia, adhibitâ plenâ causæ cognitione, & quis in possessione potior esse debeat definitur, adjudicatâ ei possessione, ac relictâ libertate procedēdi ad petitorium, in quo de proprietate agitur. De quibus plura vide apud *Valerium Andream in Notis ad Instit. de Interdictis.* Ubi in fine quærit, an possessorium possit cumulari cum petitorio, id est, utrumque simul uno libello proponi, & peragi. De quo etiam *Zoezius in ff. ad Tit. de Judiciis num.* 7. & *seq.*

*Ordo ibidem procedendi in possessorio.*

70. *In causis signanter beneficialibus.*

Mores porrò Belgii non admittunt, teste *Zypæo in Not. Jur. Belg. Tit. de causa possess.* ut possessorium alibi tractetur, quàm apud Regios judices, & in beneficialibus pendente ibidem possessorio, non potest coram Ecclesiastico de petitorio cognosci: sed demum lite ibi finitâ, & plenè executioni mandatâ sententiâ. Attamen in materia civili in consiliis, possessorium retinēdæ, totumque jus proprietatis nonnumquam simul deducitur. A sententia etiam possessoria ad supremum usque tribunal regium provocatur, non tamen à momentanea, quam recredentiam vocant. Ita *Zypæus.* Mos autem Ecclesiastica quoad possessorium in tribunali sæculari tractandi, à *Covarruvia* reprobatur, ab aliis admittitur. Vide *Zoezium sup. n.* 81.

## QUÆSTIO IV.

### *Quibus Generatim competat dominium, & in Quæ?*

71. *Sola natura intellectualis est capax dominii.*

DICO I. Soli naturæ intellectuali potest competere dominium. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est: quia intellectus & voluntas libera sit radix dominii, eoq; carentes ex natura sua nequeunt exercere actus juris seu dominii, v. g. disponere pro nutu de rebus, quæ sub dominium cadunt, alienare seu donare, exigere aliquid tamquam sibi debitum, vindicare rem contra injustos invasores; quos à justè procedentibus non nisi intellectualis natura discernit &c. Unde præfecturam hominis super cetera animalia fundari in prædicta naturæ intellectualis excellentiâ, colligitur ex *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* (quæ in intellectu & voluntate fundatur) *& præsit piscibus maris &c.*

72. *Usus actualis rationis non requiritur ad dominium sed ad ejus usum.*

DICO II. Non requiritur tamen usus actualis rationis ad dominium: etsi requiratur ad dominium expeditum seu ad usum illius. Prima pars patet: quia parvuli seu infantes, amentes, dormientes, ebrii sunt aut manent domini bonorum: carentia enim ista usûs rationis per accidens se habens, non impedit ea, quæ naturæ insunt per se. Secunda pars patet: quia actus dominii exigunt libertatem, ut patet ex præmissis. Utrumque hoc satis clarè exprimitur *ad Gal. 4. Quanto tempore heres parvulus est, nihil* (quoad usum scilicet) *differt à servo, cùm sit Dominus omnium*, quantum ad proprietatem.

73. *Dominium inabdicabile in omnes creaturas qui Deo competat.*

DICO III. Deo competit essentiale, inabdicabile, & absolutissimum dominium in omnes creaturas. Nam ratione creationis & conservationis potest gubernare, & disponere de quavis re tamquam sua, sic etiam ut nullum possit à suo dominio emancipare, utì nec à sua creatione, conservatione & gubernatione. Quare *Psal.* 113. dicitur: *Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum*, ita scilicet hanc eorum dispositioni relinquendo, ut ipse maneat supremus Dominus etiam terræ, & omnium quæ in ea sunt, juxta illud *Psal. 23. Domini est terra & plenitudo ejus: orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.* In quo fundatur, quòd Deus non possit debito justitiæ strictè dictæ obligari alicui creaturæ ad aliquid tribuendum vel non auferendum. Vide dicta *Tract. de Deo, Uno disp. 7. quæst. 7. num.* 58 & 59. & *Tract. de Incarn. disp. 2. q. 4. §. 5.*

74. *Quorum dominium competat Angelis.*

DICO IV. Angelis competit dominium in suos actus liberos, de quibus utique disponunt tamquam de re sua. Ita Doctores communiter. Meritò his additur dominium in famam & honorem: habent enim dominium in illum non minus quàm homines. Atque esto quòd non, saltem habent sine dubio jus, ne lædatur, sicut injustus esset, & ad restitutionem teneretur, qui detraheret famæ vel honori Angelorum.

Quantum tamen attinet ad res corporales, non constat aliud, quàm quòd sint administratorii Spiritus in ministerium missi à Deo; cujus veluti delegati administrant, tum cælestia, tum sublunaria. Quamvis non repugnet, quo minus Deus illis concesserit (quod cum feciſſe nullo indicio constat) dominium in hæc præsertim sublunaria, dominium (inquam) velut altum; quod consistat cum dominio inferiori hominum ad se invicem com-

comparatorum. Prout etiam sententiâ valde communi competiit Christo quà homini. De quo in *Tract. de Incarnat. d. 2. q. 6. n. 101.*

75. *Homo non est dominus vitæ & membrorum,*

Dico V. Vita humana, sive propria, sive aliena (idem est de membris) non subest dominio hominis, qui proinde solùm est vitæ & membrorum custos & velut usufructuarius, quatenus potest iis utì sui, salvâ substantiâ seu integritate vitæ & membrorum. Est certum apud omnes Christianos, & receptum etiã apud Ethnicos Philosophos: è quibus *Pythagoras* (teste *Cicerone l. de Senectute*) dixit: *Nemini fas est injussu Imperatoris summi De de præsidio & statione vitæ recedere.* Etsi *Stoici* senserint, fas esse, se ipsum occidere, cùm tædium vitæ obreperet. Probatur Conclusio: quia dominium in vitam & membra nusquam apparet à Deo concessum. Quin potius à principio sui alteriusve innocentis occisio (sub qua etiam prohibita censetur mutilatio) gravissimè à Deo vetita legitur. Natura quoque abhorret ab hujusmodi tamquam actionibus sceleratissimis: pro quibus etiam habentur & puniũtur in republica terrena. Quare specialiter de Deo dicitur *Sap. 16. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem. Deuteron. 32. Ego occidam, & ego vivere faciam.* Congruentia allegatur, quòd vita sit radix quodammodo & fundamentum dominii, nec acquiratur per nostram industriam. Quamvis his non obstantibus posset Deus homini jus in vitam propriam & alienam concedere: qui illud nunc sibi reservavit in recognitione quamdam, quòd ipse sit primum hominis principium & finis ultimus.

76. *Occurritur quibusdam objectis.*

Nec refert, quòd liceat privato occidere invasorem vitæ, & reipublicæ malefactores. Nam id non fit ex dominio in vitam alienam, sed ex jure se conservandi & bonum commune; in ordine ad quem finem concessa est etiam à Deo Magistratibus potestas gladii velut vicaria divinæ potestatis.

Nec refert etiam, quòd homo possit redigi in servitutem, adeoque fieri peculium & res Domini: hoc enim intelligitur quoad operas serviles & utilitatem temporalem, non quoad vitam. Nam certè dominus nequit pro libitu suo occidere vel mutilare servum, immo neque ita castigare. Unde *Exodi* 21. dicitur: *Qui percusserit servum suum vel ancillam virgâ, & in manu ejus mortui fuerint, criminis reus erit.*

77. *Actiones liberæ sunt in hominum dominio,*

Dico VI. Sub dominium humanum cadunt actiones propriæ liberæ. Patet: quia sunt liberi earum auctores, longè perfectiùs, quàm artifex sui artefacti; ergo actiones istæ sunt suæ, de quibus proinde ad nutum disponitur.

78. *Nec non fama,*

Dico VII. Sub dominium hominis cadit fama & honor. Ita communiter Doctores, & clarè indicat *D. Thomas quæst. 73. art. 4. ad 1.* contra *Caietanum.*

Probatur 2. quia homo famam, utì res ceteras sibi acquirit & auget per actiones proprias, quarum est dominus; ergo est etiã dominus illius. Confirmatur: quia fructus (qualis est fama respectu actionum humanarum) ex natura rei sequitur rem, debeturque dominium illius, cui debetur dominium rei: quod enim ex re nostra nascitur, nostrum est. *Probatur diversimodè.*

Probatur II. quia nisi homo esset dominus suæ famæ, non posset restitutionem illius condonare; quod tamen eum facere posse, apud omnes constat. Nec refert, quòd condonare quis possit mutilationem membri, cujus tamen non est dominus: nam cõdonatio non respicit ipsam restitutionem membri (quæ si esset possibilis, non posset utique à nobis condonari defectu dominii) sed illatam injuriam, & jus vindictæ, aut compensationem pecuniariam damnorum ex defectu membri consequentium.

Probatur III. quia ex humilitate, ad petendum consilium, quando alium injustè diffamavimus, & aliter non possumus illi famam restituere, aliisque multis casibus possumus nos infamare, quòd tamen aliàs non liceret: sicut ob istos fines non licet seipsum occidere vel mutilare, quia non sumus vitæ aut membrorum domini.

79. *Quam tamen illicitè prodigimus, maximè dum & proximo necessaria.*

Non possumus tamen absque justa causa famam prodigere, sicut nec bona externa prodigere possumus, præsertim quando illa proximis esset necessaria, quod vult *Augustinus Lib. de bono Viduitatis c. 22.* dicens, conscientiam nobis esse necessariam, famam proximo, ac proinde crudelem esse, qui famam negligit. Est autem fama proximo subinde necessaria, quia videlicet fama proximi dependet à nostra, v.g. ex fama Religiosi honor monasterii, similiter ex fama superioris pendet ejus directio. Et in his casibus tenetur quis conservare famam, idque ex multorum opinione ex justitia, eò quòd per ejus neglectum alteri simus injuriosi, aut debito fraudamus officio.

80. *Sub dominium hominum cadunt bona externa, quæ fortuna dicuntur.*

Dico VIII. Sub dominium humanum cadere possunt bona, quæ vocantur fortunæ, seu bona externa, quæ usibus humanis subsunt; qualia sunt sublunaria, ut fundi, domus, animalia, aurum, aliaque metalla & similia. Est certum apud omnes Doctores, & universi Orbis sensu ac praxi confirmatum, utì & ipso jure. Sed & Scriptura hujusmodi dominium primis parentibus, & consequenter posteris fuisse concessum, apertè indicat, *Gen. 1. Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Et *Psal. 8. Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas &c.* Et *Psal. 113. Terram autem dedit filiis hominum.* Ratio est: quia homo potest de prædi-

ctis disponere pro libitu, alternando, alienãdo &c. dixi *Sublunarium*: astrorum enim seu cælestium non est dominus, sed tantùm aliquorum effectuum, puta luminis vel caloris.

81. *Deus in naturæ institutione non fecit divisionem dominiorum. Quæ in statu innocentiæ divisa non fuissent.*

Notandum tamen I. Deum sic tribuisse humano generi dominium rerum externarum sublunarium, ut non divisérit singulis hominibus suam partem. Nam primis quidem parentibus dedit pariter dominium universorum. Quod communi Doctorum sententiâ in posteris durante innocentiæ statu mansurum fuisset commune. Ex hac enim communitate bonorum (quæ alioquin magis rationi per se congruit) in natura integra non fuisset secutum aliquod inconveniens, stante perfectâ concordiâ, & absentibus inordinationibus naturæ lapsæ. Unde Clemens Papa scribens fidelibus exemplo Apostolorum vitam communem sectantibus, & refutatus *c. Dilectissimi* 12. *q.* 1. communem vitam omnibus, maximè vitam Apostolicam imitari volentibus, necessariam esse, probat dicens: *Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit. Sed per iniquitatem* (id est, occasione iniquitatis) *alius hoc suum esse dixit, & alius illud: & sic inter mortales facta divisio est.* Quod autem postea addit: *In omnibus autem sunt sine dubio & conjuges*, est sine dubio ab aliquo corruptore adjectum, intelligendo ut sonat, de communitate uxorum quoad officium conjugale: quamquam *Glossa* interpretetur de communitate quoad domestica & alia servitia. Vide *Scolion ad D. Can.* Quæ quidem bonorum communitas adhuc quâdam ratione cernitur in Religiosis vitam perfectiorem sectantibus: quamquam ibi restringatur dominium ad collegium, quod est instar personæ privatæ & fictæ.

82. *Post peccatum divisio dominiorũ licita.*

Notandum II. Post peccatum licitè & rationabiliter fuisse factam bonorum divisionem (quæ fieri potuit, sive partitione capitum generis humani, sive sorte, sive conventione, sive occupatione; uti & hodie, quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis, jure Gentium) prout consentit orbis etiam Christiani confirmat, contra Hæreticos, dictos *Apostolicos*, qui dixerunt Christianos, nisi sequentes Apostolorum pauperiem & expropriationem, salvari non posse. Verùm non solùm ante Christum fuere sancti Patriarchæ, & Reges, aliique viri divites, sic ut *Eccli.* 31. dicatur, *Beatus dives, qui inventus est sine macula &c.*: sed etiam in novo Testamento plurimi divites, iique sancti sunt, ac fuerunt, & ab Ecclesia etiam ut tales declarati. Nec ullibi extat præceptum contrarium: quin potiùs Christus solùm consilium dedit Evangelicæ paupertatis tamquam viæ ad perfectionem *Matth.* 19. Contrarium præterea omnino fuisset bono generis humani lapsi, si non foret bonorum divisio, quoad ea saltem, quæ labore & curâ indigent (ut consideranti patet) sic ut ratio dictet hujusmodi divisionem bono universi esse plane necessariam. Aliud est de quibusdam, quæ etiamnum manent communia; id potiùs exigente seu suadente ratione & bono communi. Pro quo.

*Immo necessaria fuit.*

83. *Quæ differentia inter bona Communia, Publica, Universitatis & Singulorum.*

Notandum III. *Instit. de rerum divisione* diversa bonorum humani juris genera recenseri, scilicet Communia, Publica, Universitatis, Singulorum. Communia omnium mortalium sunt mare. Publica unius populi sunt flumina. Universitatis, sunt bona oppidi vel pagi, veluti forum. Ex quibus quædam directè pertinent ad utilitatem civitatis, ex consequenti tantùm ad utilitatem singulorum, ut sunt vectigalia, armamentaria; quædam verò etiam directè singulis prosunt, ut nemora & pascua communia. Singulorum bona censentur, quæ ad privatas personas aut familias pertinent. Quò etiam spectant bona aliquarum societatum, non communia omnibus civibus.

*Quæ in jure dicantur nullius*

Prædictis adduntur *Instit. sup.* res nullius, quæ scilicet sunt divini juris, ut Ædes sacræ, altaria, res consecratæ. Sed hæ revera habent inter homines dominium, quãtum ad ea, quæ sunt pretio æstimabilia: etsi usus earum sit restrictus juxta exigentiam rei sacræ. Verè autem nullius sunt feræ, volucres silvestres, pisces fluminum &c. quæ possunt occupatione fieri singulorum.

84. *Maris & littoris dominium quæ sibi Principes hodie vindicent.*

Ad mare etiam reducitur littus, quod est continens seu circumjacens mari terræ, quatenus æstu maximo (qualis est hibernus) operiri solet, estque similiter commune. Hodie tamen (ut refert *Tuldenus in Instit. h. t. c.* 7. Veneti maris Adriatici, Baltici verò Rex Daniæ dominium sibi vindicant, tamquam diuturnâ possessione ex communi publicum fecerint. Et (ut refert *Valerius Andreas in Notis ad Instit. de rerum divis. n.* 5. quem vide) Principes hodie ferè vindicant jus in mare, quâ parte ditionibus suis adjacet, ac in littus maris. Unde etiam (ut præmittit) hodie ex edictis Principum Belgii ædificare in littore maris aut alio loco publico permissum non est, nisi accedat auctoritas Principis vel reipublicæ. Uti nec permissum est in littoribus, seu dunis (ut Nostrates vocant) pecora pascere, ligna, sentes, tribulos, gramen præscindere, venari, & effodere cuniculos in littore maris. De quibus *Zypæus in Notit. Jur. Belg. l.* 11. *Tit.* 1. *de Naviculariis* &c.

Plura alia de dominio fluminum, riparum, insulis in iis natis, piscatione, vectigalibus seu portoriis, & similibus, accommodè ad mores nostros tractata, videri possunt apud *Valer. Andr. in Notis ad Instit. de rerum divis.*

## QUÆSTIO V.

### *De Peculio Filiorumfamilias & Servorum.*

85. *Peculii etymologia qua. Ejus à pecunia distinctio. Quid significet generatim.*

PECULIUM & pecunia à pecoribus, in quibus substantia veterum omnis consistebat, & quorum figurâ nummi signabantur, dicta sunt. Pecunia quidem (quæ modò denarios vulgò denotat) majus patrimonium: peculium verò (quod generatim quoque significat quævis bona alicui peculiaria, etiam bona patrisfamilias) pusillam pecuniam, sive pusillum quid & modicum patrimonium filiifamilias vel servi, quod separatim permissu patris aut domini ab eis habebatur, significabat.

86. *Filiifamilias qui.*

Nam filiifamilias (quo nomine intelliguntur filii & filiæ & nati deinceps ex filiis, non item ex filiabus) ad instar servorum olim erant sub patria potestate, ultra terminos juris naturæ & Gentium, jure Romanorum decretâ (quæ legitimatione vel adoptione etiam in alios, quàm legitimos filios acquirebatur; morte patris, etiam civili, emancipatione &c solvebatur, ut videre est apud Juristas *ad Instit. l. 1. Tit. 9. & 12.*) ut quidquid ipsis acquirebatur, aut ipsorum erat, ad patrem pertineret, utì quidquid erat servi, ad dominum. *Quomodo olim jure Romano erant sub patria potestate, instar servorum.* Cum ea differentia, quòd filium vendere non erat patri permissum extra necessitatem extremam; & tunc quidem eâ lege, ut emptor illum semper liberare cum ingenuitatis recuperatione cogeretur, restituto dumtaxat pretio; quòdque in commerciis quoad extraneos esset inter utrosque nonnulla diversitas. De quo *Gudelinus de Jure Noviss. l. 1. c. 13. n. 8.* Unde est in jure Romano emancipatio seu relaxatio patriæ potestatis coram competenti judice, denotans filium quasi patris mancipium fuisse. *Qua inter utrosque differentia.* Verumtamen res hæc circa filios postmodum temperata, ut aliquod peculium habere, etiam tamquam proprium, possent. Pro cujus intellectu.

*Postmodum hac temperata circa filios.*

87. *Quadruplex nunc eorumdem peculium.*

Distinguendum est quadruplex peculium filiorum, quod scilicet habent separatum à patrimonio patris, Castrense, quasi Castrense, Adventitium, & Profectitium.

*Quodnam peculium Castrense, & qualiter sit filiorumfamilias.*

Castrense dicitur, quod in militia sæculari vel ejus occasione comparatur. Hoc pleno jure quoad dominium & usumfructum (de quo proinde potest completâ pubertate disponere per testamentum) competit filiisfamilias, ac si essent patresfamilias; quibus id solum remansit, ut intestatorum bona eis deferantur, non tam jure hereditatis, quàm peculii (quæ est meri tituli differentia, non rei) *L. 2. ff. de Castrensi Peculio.* Huc spectant mobilia, etiam à parentibus donata proficiscentibus ad militiam, stipendia, prædæ hostiles, donativa ducum, lucra inde comparata; seu generatim quidquid filiusfamilias non erat sine militia accepturus *L. Castrense 11. ff. de Castrensi pecul.*

88. *Quodnam quasi castrense & qui spectet ad filios.*

Quasi castrense dicitur, quod ratione militiæ sacræ vel togatæ acquiritur. Clericatus enim est velut spiritualis militia. Idemque est de officiis publicis non Mechanicis, puta advocati, notarii publici, judicis, professoratus artis liberalis &c. Bona proinde prædicta ob quamdam similitudinem quasi castrensia dicuntur, & gaudent iisdem omnino privilegiis, quibus castrensia; ut apud omnes Jurisconsultos & Theologos est in Confesso. Unde quidquid provenit ex Beneficiis Ecclesiasticis seu officio Clericali, spectat jure & usu pleno ad Clericos: immo quidquid non profectitium acquiritur post clericatum *Auth. Presbyteros & Diaconos C. de Episcop. & Cleric.* Similiter quidquid ex officio publico provenit, aut ejus intuitu datur, puta libri ad professionem exercendam, spectat ad ejusmodi filios. Hinc non potest pater de bonis castrensibus aut quasi castrensibus filii quidquam sibi usurpare, nisi pro alimentis filii, quando ipsum de suis alit: aliàs tenetur ad restitutionem si filius velit; qui si non speret futurum ut parens restituat, potest juxta *Lessium l. 2. c. 4. d. 3.* uti occultâ compensatione, vel certè mortuo patre exigere à coheredibus. Quod notandum est, præsertim pro adolescentioribus Canonicis; qui id etiam videntur debere petere, nisi sit res parvi momenti, aut parentes vel coheredes sint pauperes.

89. *Quid censeatur peculium adventitium.*

Peculium adventitium dicitur, quod extra militiam armatam, togatam vel sacram filiisfamilias advenit aliunde quàm à patre, aut respectu ad patrem, veluti ex proprio labore & industria, prospera aliqua fortuna, v. g. inventione thesauri, hereditate maternâ, testamento, donatione cognatorum (nisi facta foret principaliter contemplatione patris; quod in dubio non præsumitur) aut simili modo.

90. *Quidnam censeatur profectitium.*

Peculium profectitium dicitur, quod ad filium pervenit seu proficiscitur ex re patris, vel ejus causa, veluti quæ parentes concedunt filiis ut ea administrent, vel donantur filiis intuitu parentum, seu ob horum obsequium & amicitiam.

*Hujus jure communi pater est Dominus, filius usufructuarius.*

Utrumque hoc peculium (quod communi nomine Pagamum dicitur) jure veteri erat totum patris quoad proprietatem & usumfructum, ratione patriæ potestatis. Postea tamen placuit Profectitium pleno jure spectare ad patrem (cùm juxta Imperatorem *Instit. Per quas personas &c.* non sit occasio invidendi in eo, quòd ad patrem revertatur id, quod ex ejus occasione profectum est) Adventitium verò quoad proprietatem seu dominium directum spectaret ad filiumfamilias, qui idem præ ceteris post mortem patris sibi totum vindicat

dicat, *ne* (ut inquit Imperator *supra*) *quod ei suis laboribus vel prosperâ fortunâ accesserit, hoc in alium perveniens, luctuosum ei accedat*. Patri nihilominus in his relinquitur usque ad mortem suam ususfructus; cujus dimidium retinet, filio emancipato. Vide *Instit. cit.* & *L. 4. c. 6. C. de bonis quæ liberis.*

91. *Quibus casibus pater nō competat ususfructus in adventitiis filii.*

Sunt autem casus, quibus peculii adventitii nequidem ususfructus cedit patri, quod eatenus induit conditiones peculii Castrensis. Prout illud, quod donatur Filio familias à Principe est in peculio quasi castrensi; quod etiam pertinet ad feminas. *L. 7. C. de Bonis quæ liberis.* Similiter quod eâ lege obvenit filio, ut hujus, non patris sit ususfructus; *Authent. Excipitur eod. Tit.* Eadem est ratio hereditatis, ad quam filius unà cum patre admittitur: nam visum est satis, hoc casu patrem habere consortium proprietatis *Novellâ 118. c. 2.* Idem est, si pater usumfructum remittat *L. 6. §. 3. C. de Bonis quæ liberis.* Item si iniqui divortii culpa (idem de hæresi in pœnam ordinatum colligit *Lessius lib. 2. c. 4. dub. 3. ex c. 2. §. fin. de Hæret. in 6.*) indignum patrem usufructu reddat *Auth. Idem est C. eod.* Idem denique est quoad hereditatem, quam adire filium pater vetuit *L. fin. sub. init. C. eod.* Non est enim æquum, ut parens commodum reportet ex eo, quod ipso nolente filio obvenit.

92. *Quale peculium censeatur lucrum industriæ filii ex pecunia patris.*

Si quærat aliquis, quid censendum de lucro industriæ filiorumfamilias negotiantium, pecuniâ à patre acceptâ, etiam furtivè? Respondet *Molina disp. 234.* fieri peculium adventitium, adeoque filiorum quoad proprietatem; patris quoad usumfructum, si negotientur proprio nomine & periculo: eò quòd sit fructus industriæ; veluti si eâdem pecuniâ negotietur extraneus, aut si filius alterius extranei pecuniâ etiam furto acceptâ lucrum faciat. Si autem nomine & periculo patris negotietur, censebitur agere ejusdem procuratorem, adeoque lucrum esse peculium profecticium. Ita *Molina.*

93. *An filiofamilias censeatur adventitia merces operarum extraordinariarum.*

Si ulteriùs quis petat, quid censendum de labore seu operis extraordinariis filiisfamilias, excrescentibus valorem eorum, quæ pater insumit alimentationi? Respondet *Lessius l. 2. c. 4. dub. 3. & 7.* filium, si non insinuet se cupere lucrum, censeri illud concedere amori parentum, nec postea exigere posse: secùs si lucrum seu mercedem specialem se velle (de qua videtur posse pacisci cum patre) ostendat. Quod proinde cēseretur adventitium filii; & post mortem patris præcipuum (ut jura loqui solent) seu ultra ordinariam portionem præ ceteris heredibus obtinendum. Et consonat *Instit. Per quas personas §. 1. in fine.* Videri etiam potest *l. 6. C. de bonis quæ liberis.*

94. *Mores hodierni qui.*

Observandum prædicta omnia procedere secundùm jus commune. At moribus nostris Castrensia quidem & quasi Castrensia (idemque est de profecticiis, quà talibus) sequuntur regulam juris communis juxta *Valer. Andr. in Not. ad Instit. Per quas personas.* De adventitiis non est eadem ubique consuetudo. Nam in Gallia generali consuetudine non competere in his patri usumfructum refert *Joannes Papon*: oppositum autem in patria consuetudinaria judicatum, refert *Chassaneus* apud *Valer. Andr. cit.* addentem moribus Germaniæ plerisque in locis etiam matribus competere usumfructum in filii bonis; ut pateat non provenire ex jure patriæ potestatis civilis, quæ in matribus nulla erat, & modò hic locum non habet.

Solùm enim manet ex parte filiorum observantia, obedientiaque in rebus ad mores & familiæ gubernationem spectantibus, patri & matri ex æquo debita: in his autem potestas quædam custodiæ, tutelæ, & curæ liberorum, item correctionis, & moderatæ punitionis (quæ juxta *Molina* etiam senioribus interdum convenit, & præsertim propinquis, circa pueros delinquentes in absentia seu defectu parentum, & maximè tutoribus seu curatoribus, vide *Lugo disp. 5. n. 5.*) & bona eorum, saltem minorum, administrandi. Quibus quoad hereditates aliunde obvenientes interdum à testatore aut Magistratu pupillari jungitur alius curator.

95. *An vel quâ hodie vigeat patria potestas.*

Soluto toro conjux superstes retinet plerisque in locis dominium medietatis conquestorum & mobilium, alicubi proprietatem omnium mobilium, & immobilium defuncti usumfructum, alicubi ex his solum dœrium, ut vocant, aut certam partem, sive ex lege, sive ex contractu antenuptiali; ceteris ad proles sui juris sive agnatos, sive alios heredes scriptos plenariè devolutis. Qua in re spectandæ locorum singulorum consuetudines, aut etiam pacta. Notatque signanter *Peckius l. 5. de Testam. Conjugum c. 6. n. 6.* usufructuario conjugi onus alendorum, dotandorumque filiorum incumbere; quod (inquit) Lovanii, & in aliis Brabantiæ locis videmus.

96. *Soluto toro quid competat superstiti.*

Servatur denique circa filios quædam adhuc emancipationis (quæ tamen magis abdicatio quædam est) forma, quatenus parentes, potissimùm ne umquam teneantur ex factis liberorum, eos mittunt è pane, ut vulgò loquuntur. Quod & matres (quarum tamen potestas magis apparet soluto matrimonio, quo stante potestas principalis est penes virum, qui caput est etiam mulieris, viro quoad gubernationem & correctionem subjectæ) faciunt; ut signum sit non fieri vi patriæ potestatis civilis. Solvitur præterea hæc potestas patria per vitam monasticam, sacerdotium, majorennitatem, matrimonium etiam minorennis (unde non sunt nepotes hîc umquam in potestate avi) magnam dignitatem. Vide

97. *Emancipatio hodie qualis etiā Matri competit.*

*Quomodo præterea potestas patria solvatur.*

*Valer.*

*Valer. Andr. in Not. ad Instit. quib. mod. jus patr. potest. solv.*

98. *Quid intelligatur nomine servorum.*

Servi (quo nomine etiam servæ seu ancillæ intelliguntur) opponuntur liberis, quibus est plena potestas hominibus à natura concessa agendi in licitis pro arbitrio. Quâ potestate seu libertate servi carent, utpote dominio alterius subjecti, qui de illis veluti de sua pecunia disponit, etiam vendendo, adeò ut omnis utilitas & commodum servorum ceda domino; cùm cuique res sua fructificet.

99. *Servitus opposita libertati non est à natura inducta.*

Quæ quidem servitus oppositа libertati (ut excludantur servitutes personales & prædiorum, de quibus antea) non est à natura inducta: omnes enim nascuntur conditione pares, quantum est de per se. Nec fuisset in statu innocentiæ. *Itaque* (ut ait *Augustinus 19. de Civit. c. 15.*) *nomen istud,* servi scilicet, *culpa meruit, non natura.* Inducta igitur servitus post peccatum, etiam usitata fuit in veteri Lege, in qua frequens est servorum mentio; uti etiam in Epistolis Apostolicis. Inducebatur autem captivitate in justo bello (unde mancipia, quasi manu capta) condemnatione (qui servi pœnæ dicebãtur (venditione sui factâ à libero majori viginti annis ad pretium participandum; & nativitate, ex ancilla videlicet. Ingenui enim sunt, qui ex libera matre (sufficit si tempore partûs vel conceptionis, vel intermedio aliquo libera fuerit, *Instit. de Ingenuis*) hæc enim liberum parit. Servi autem nati in domo domini, dicuntur vernaculi ejusdem. Libertati servi donabantur per manumissionem, quæ est è manu & potestate missio, adeoque ipsa libertatis datio. Iidem dicebantur Libertini. Plura de his in *Instit. L. 2. Tit. 3. & seqq.* & apud Jurisconsultos. Videri potest *Lexicon Juris Joannis Calv.*

*Nec fuisset citra peccatum.*

*Nota est in Scripturis.*

*Quot modis inducatur.*

*Qui ingenui, vernaculi libertini.*

*Quid manumissio.*

100. *Servitus inter Christianos utrimque exoleverit.*

Hodie inter Christianos utrimque nulla servitus propriè dicta. Quo præcisè tempore exoleverit, non exactè constat juxta *Valer. Andr. in Notis ad Instit. de his qui sui.* At *Tuldenus ad eumdem Tit. c. 4.* dicit jam ab anno 1250. in usu esse apud Christianos desiisse. Adscriptitiorum seu Colonorum, qui glebæ seu terræ addicti, nonnulla imago supereſt in iis, quos Germani *proprios homines* appellant; quales reperiuntur nonnulli in quibusdam Belgii locis, & plures per Westphaliam & finitimas regiones. Eorumque conditio annuâ inter vivos pensione, & in mortuis honorario (quod Cathalli optimi nomine apud nonnullos Flandrorum venit) redempta est, inquit *Zypæus Not. Jur. Belg. l. 6. Tit. de Servis.* Sed pleniùs eorum opera & conditiones describit. *Val. And. in Notis ad Instit. de his qui sui.* meritò videndus.

*Adscriptitiorum gleba nonnulla variis in locis manserе vestigia.*

101. *Servi in Gallia & Belgio an fiant liberi beneficio regionis.*

Quin immo in Gallia servos beneficio regionis liberos fieri, pluries judicatum refert *Charondas* apud *Zypæum sup.* qui addit eumdem usum apud Belgas constare judicio Parlamenti Mechlinienſis; quod aliquando libellum domini requirentis servũ fugitivum rejecit, eò quòd nimirum regiones nostræ modò personalem servitutem ignorent. De quo etiam videri potest *Gudelinus de Jure Noviss. l. 1. c. 4.* Solùm sunt famuli conductitii, qui salvâ libertate operas suas adcompus elocant, ut inde quæstum faciant. Unde hìc ferè cessat hodie omnis de servis, & consequenter postliminio, Juris scripti prudẽtia, nisi quatenus inde probabilis ad alia argumentatio deducitur; de quo *Tuldenus ad Instit. de his qui sui vel alieni c. 4.* Generalis quoque notitia utilis est intelligendis sacris Scripturis, & veterum monumentis.

*Sunt ibi soli conductitii.*

*Iurisprudentia de servis ad quid ibidem utilis.*

102. *An servi de rigore juris civilis habeant aliquarum rerum dominium.*

De servis porrò dubium est apud Theologos, an ullius rei dominium habeant. Et omnino videtur quòd non, loquendo de perfectè servis, ac secundum jus cæsareum. Probatur ex *Instit. Per quas personas §. 3. Item vobis*, ubì expresè dicitur, servos quidquid acquirunt quâvis causâ vel occasione, acquirere dominis: *Ipse enim servus* (ut subditur) *qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest.* Eadem habentur *L. Acquiruntur 10. §. 1. ff. de acq. rer. dom.* Refert etiam *Lessius c. 4. dub. 4.* & *Wiggers Tract. 1. c. 3. dub. 7.* verba aperta ex *L. Id vestimentum. 25. ff. De peculio:* quæ tamen ibi non reperiuntur. Proinde *Gudelinus in Syntagm. de Reg. juris c. 4. n. 12.* certissimum dicit, eum, qui verè servus est, nihil suum habere posse. Adeò ut etiam peculium, seu pusillum velut patrimonium servi, quod administrat, & in quo negotiatur, reverà domini sit, ab ejusque voluntate pendeat, & adimi servo quandocumque possit: ut nulla in eum, veluti nil habentem, quod præstare, aut solvere queat, obligatio cadat: ut nihil possideat, veluti ab altero possessus: in summa, ut jure civili pro nullo atque mortuo habeatur; prout juribus allegatis tradit *Gudelinus l. 1. de Jure Noviss. c. 3. & in Syntagm. Reg. Jur. c. 4.* Unde est sententia vulgata ac teste *Navarro Comm. de Reddit. q. 1. Monito 10.* in praxi & theoria recepta (quam ex *Innocentio* scribente in *c. Cum olim de Privil.* citant *Lessius*, *Wiggers* & alii, etsi ibi *Innocentius* non faciat mentionem de servis) *Servum & monachum in eo esse pares, quòd neuter alicujus rei dominium habeat.*

103. *An ex consuetudine, & voluntate domini.*

Consuetudine tamen potuit rigor iste quoad servos mitigari, & verò judicio multorum mitigatus videtur in locis, in quibus servi adhuc reperiuntur, ut aliquid proprium ei possidere liceat. Ubi tamen consequenter recessum est à conditione perfectæ servitutis. Prout etiam ab ea receditur, si permissu dominorum habeant aliquid proprii; prout ab eis permitti posse, uti totam servitutem manumissione tolli, censet *Poncius d. 50. q. 2. n. 10.* Videri possunt plura de dominio Servorum apud

*Lugo*

*Lugo disp. 3. sect. 3. Lessium & alios*

## QUÆSTIO VI.

### *An vel Quorum Religiosi Habeant Dominium?*

104. *Religiosi professi sunt incapaces dominii, etiam imperfecti.*

DIco I. Religiosi professi in particulari sunt incapaces omnis dominii, sive perfecti, sive imperfecti, puta feudi, emphiteusis, ususfructûs, juris possidendi, omnisve alterius juris bonorum temporalium. Est certum apud omnes. Et patet ex c. *Cùm ad monasterium, de statu monachorum*, & alijs juribus. Inter quæ *Franciscus Bonæ Spei Tr. 1. d. 3. dub. 4. n. 73.* refert c. *cùm olim. 2. de Privil.* Sed ne verbum ex iis, quæ allegat, neque aliud quidpiam ad propositum ibi habetur. Unde verba Innocentii Canonistæ *n.* 111. alleganda pro verbis Decretalis ab ipso supposita sunt.

105. *In quo fundetur hæc incapacitas.*

Ratio conclusionis sumitur ex voluntate Ecclesiæ, quæ Religiosos professos reddidit ita incapaces; quod alioquin votum paupertatis (ut patet in non solemni, aut emisso extra Religionem approbatam) facere non posset, nec quodvis propositum nostrum: quantumvis enim proponeremus & voveremus, voluntate mutatâ validè acceptaremus dominium. Immo solemnitas voti ex parte consistit in hac incapacitate, tum etiam in incapacitate matrimonii contrahendi (cui accedit effectus præcipuus voti solemnis, scilicet potentia dissolvendi contractum ratum) ac stabilitate votorum & quasi cõtractûs, cui non solùm Religiosus, sed & Religio non potest renuntiare, & quæ vota etiam Papa nõ solet (quidquid sit de potetia absoluta) ralaxare. Posset tamen incapacitas dominii etiam extra professionẽ solemnem in aliquo casu dispensari per mandatum aut legem Civilem seu Ecclesiæ; prout de facto Coadjutores (quos vocant formatos) in Societate Jesu citra solemnem professionem habent hujusmodi incapacitatem ex Statuto Sedis Apostolicæ, juxta *Lessium c. 4. dub. 5. n.* 23.

106. *Quî peccent hi contra votum paupertatis.*

Ex quibus patet Religiosos peccare contra votum paupertatis exercendo actus alicujus dominii seu proprietatis, quos omnes cum ipso dominio abjecerunt per professionem. Unde peccant recipiendo, retinendo, alienando aliquid contra vel citra consensum saltem tacitum superioris, vel abscondendo ne superior sciat vel auferat, vel rem habendo nomine suo, eam nolendo permittere dispositioni superioris, aut conquerendo quasi de injuria, si aliquid auferatur, aliisve modis: de quibus in materia de Paupertate Religiosa. Videri potest *Bassæus V. Paupertas Religiosa*, & alii passim obvii.

107. *Quid com-*

Nihilominus Religiosi Beneficiarii, ut Abbates, Priores, Præpositi, Commendatores, & similes habentes beneficia regularia vel sæcularia, habent durante isto statu, vi juris, & consuetudinis, non quidem dominium, sed potestatem administrandi fructus suorum beneficiorum, tum ad congruam sustentationem, tum ad pias causas; nisi in aliquibus forsasse obstet speciale statutum Ordinis. *petat Prælatis & beneficiariis Regularibus.*

Quod etiam extendit communis quasi sententia contra *Sotum, Vasquez, Michaelem Medina, Angles* & alios ad Religiosos factos Episcopos, utpote manentes verè religiosos & incapaces dominii proprii; qui proinde solùm sunt administratores ad honestos usus. Ita *D. Thomas, Cajetanus, Covarruvias, Navarrus, Molina, Sanchez* & alii passim, relati à *Castro Palao de Charitat. disp. 2. p. 8. n.* 3. Ut proinde tales prodigè disponentes res Ecclesiasticas peccent juxta *Lessium, Sanchez, Coninck* (quos citat & sequitur *Castro Palao sup. n.* 5.) contra justitiam, & accipientes teneantur ad restitutionem, nisi Ecclesia remittat. 108. *Quid assumptis ad Episcopatum.*

Observanda quoque est constitutio *Tridentini sess. 25. c. 2. de Regular.* decernentis, ut *nemini Regularium liceat bona immobilia vel mobilia, tamquam propria, aut etiam nomine conventûs possidere, sed statim ea Superiori tradantur, conventuiq; incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem ad solos Officiales ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilq; superflui in eo sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur.* Quæ Constitutio ad litteram observanda, & ubi non observatur, ad viridem observantiam reducenda est: quia ejus observantia est necessaria ad vitam communem, quâ nil antiquius Religiosis Congregationibus debet esse, utpote quæ est fomentum charitatis & stabilimentum ac ornamentum vitæ religiosæ, virtutumque religiosarum. Et planè experientia docet, eâ servatâ nil deesse necessariorum quibusvis Religiosis: quibus proinde sollicitè provedere pro posse debent Superiores de necessariis, ne (quod assolet) eorum defectu mõstra peculiorum renascantur. Si quoque zelus & unitas debita non desit, facilè erit perfectam vitæ communionem introducere; dum videlicet singuli sic solliciti fuerint pro conquirendis eis, quæ in commune conferenda forent, sicut solent pro privatis peculiis & commodis procurandis esse solliciti. 109. *Notanda constitutio Tridentini circa peculia Regularium personarum.* *Quam utilis & necessaria illius, ac vitæ communis observantia.*

Non est tamen quæstio, quin (quod praxis probata docet) possit permitti moderatus usus censuum vitalium, revocabilis ad nutum, hâc ratione, ut sit pecunia, ejusque tamquam boni communis & monasterio incorporati dispositio penes Superiores, & admi- 110. *Quæ praxis probanda.*

administratores Monasterii, ad quos causà existente regularis persona humiliter recurrat.

*An Tridentinum statuat jus novum.*

Sunt præterea varii Doctores, cum *Navarro* existimantes *Tridentinum* non statuere jus novum. Sed communior doctrina omnino contradicit, asserens ad tollendos & cavendos abusus, ac vitandam omnem speciem proprietatis vetuisse concedi Religiosis peculium, non quidem ad præsentaneum usum, sed ad usum accessu temporis contingentem, quantumvis nomine conventûs, & exclusis iis, quæ votum paupertatis in rigore excludit: quâquam juxta *Castro Palao Tr. 16. de Statu Religioso disp. 3. p. 7.* consuetudo pluribus in locis rigorem *Tridentini* temperaverit.

111. *Communitati Religiosorum competit dominium.*

Dico II. Communitas hujusmodi Religiosorum regulariter loquendo potest habere verum dominium, & de facto habet. Est communissima, & sensu ac praxi omnium recepta sententia, contra *Navarrum Comment. 2. de Regular. n. 3.* & alibi, asserentem penes Congregationes Religiosorum esse solam administrationem, dominium penes Christum.

*Probatur Iure*

Probatur in primis: quia *Tridentinum sess. 25. c. 3. de Regular. Concedit omnibus Monasteriis & domibus tam virorum, quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat*; utique tamquam verè sua, prout possessio juris, neque in ignorantia fundata importat. Deinde Pontifices, signanter *Nicolaus III. c. Exuit, de Verb. Signif. in 6.* tamquam quid Fratribus Minoribus, eorumque Congregationi peculiare tradunt & declarant, eos nullius rei immobilis aut mobilis habere dominium, etiam in communi, sed hoc pertinere ad Papam; qui proinde pro suo arbitratu potest de rebus eis concessis disponere. Supponunt igitur aliis Congregationibus Religiosis competere dominium rerum temporalium. Quod etiam supponit dictum commune desumptum ex *Innocentio* in c. *Cum olim* §. *Præterea, Verbi Dederat, 2. de Privil.* ibi: *Monachus quidquid acquirit, Monasterio acquirit*; utique tamquam Domino.

112. *Et ratione.*

Ratio est: quia dominium hujusmodi non excluditur à Congregationibus Religiosis, sive ex ordinatione Ecclesiæ (quæ nusquam apparet) sive ex intentione voventium (quæ etiam eò se non extendit) sive ex intentione piorum donantium, qui dominium transferunt in donatarios, alioquin capaces; utì congregatio est capax: quemadmodum dominium aliarum eleemosynarum transfertur in pauperes capaces. Ecclesia verò dispositionem de bonis Monasterii certis limitibus restringendo non tollit dominium, sed reddit minùs expeditum; prout aliàs dominus potest lege quandoque impediri in aliqua bonorum dispositione.

113. *Excipitur Congregatio etiam universalis Minoritarum.*

Excipiuntur à conclusione Franciscani (quos solos etiam excipit *Tridentinum supra*) quorum paupertas altissima excludit omne omnium temporalium, etiam mobilium dominium, tam in speciali, quàm in communi; eamque velut sanctam & meritoriam commendat *Nicolaus III. c. Exuit, de Verb. Signif. in 6.* de qua ante *Nicolaũ III.* dixerat *Innocentius V. Alta paupertas est habere pauca propria propter Deum; altior, quæ nulla habet propria, tamen habet in communi; altissima, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in proprio nec in communi.* Eamdem ad cumulum sive etiam culmen Evangelicæ perfectionis pertinere, atque adeò illam esse majoris perfectionis, quàm quæ possessiones admittit, ex professo contra contemporaneos Religionis adversarios Parisiis exortos, ac à Sede Apostolica repressos, propugnat solidè *S. Bonaventura Opusc. de Paupertate Christi q. 1. art. 1. Apolog. Pauper. Resp. 3. c. 1. & Resp. 4. c. 2.* Et *D. Thomas Opusc. 17. contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a Religione c. 15.* Et *Opusc. 19. contra Impugnantes religionem c. 6.* quo priori loco doctrinam asserentem id non pertinere ad perfectionem, meritò vocat *vanam, immo pestiferam & Christiana contrariam.*

*Quorum paupertas indubitanter est altior & perfectior.*

114. *Quid secundum dicta juribus ad bona altiora vel spiritualia.*

In hac nihilominus expropriatione continentur sola temporalia, quorum possessio scilicet vel jus ad illa confert ad divitias. Adeoque non continentur bona animi, vitæ, membrorum, famæ, honoris; circa quæ Franciscani, uti & ceteri particulares religiosi cum sæcularibus sunt pares in jure. Jura etiam spiritualia possunt omnes habere, v. g. ad electionem activam aut passivam, administrationem Sacramentorum, prædicationem Verbi Dei, sepulturas fidelium &c. Ad fructus tamen temporales inde provenientes Franciscani jus seu civilem actionem non habent, sed ex eis velut eleemosynis aut laborum stipendio juxta Regulæ tenorem possunt recipere necessaria pro sustentatione.

115. *Possessio immobilium vi Tridentini libera etiã pauperibus Clarissis, etsi privilegium non acceptarint. Cui etiam renuntiavit Societas Iesu quod domos professas, cum quadam exceptione.*

Attento verò tenore *Tridentini* permissum est ceteris Religiosis, etsi constitutiones obstarent, possidere in communi etiam immobilia. Ut proindè id liberum foret vi *Tridentini* etiam pauperibus Dominabus seu Clarissis primæ Regulæ; etsi amore paupertatis altissimæ privilegiũ hujusmodi non admittant: quod eis liberum erat. Prout etiã domus professæ Societatis Jesu non possident juxta constitutiones & decreta Pontificum bona immobilia in communi, præter ea, quæ ad usum proprium & habitationem opportuna sunt. Unde horum, uti & mobilium ad usum prædictum pertinentium, habent dominium. Privilegio autem *Tridentini* cessit Societas, cum hujusmodi paupertate

pertate & incapacitat. postea confirmata à *Pio V.* & *Gregorio XIII.* ut habet *Suarez To. 4. de Relig. Tr. 10. l. 4. c. 9. dub. 2.*

116. *Potest consistere Status religiosus cum dominio in particulari.*

Dico III. Potest cum dominio in particulari consistere Status religiosus cum tribus votis simplicibus emissis in communitate per Sedem Apostolicam approbatâ, cui quis tradit se gubernandum juxta regulam ab eadem S. Sede approbatam: atque ita de facto consistit in Scholasticis & Coadjutoribus emittentibus vota simplicia in Societate Jesu post biennium probationis. Estq; in comperto ex Constitutione *Gregorii XIII. Ascendente Domino* eâ de re edita. Ratio est: quia non obstante dominio, manet in iis tam ipsum dominium (quod ad arbitrium superioris debent relinquere) quàm illius usus, dependens continuò à nutu & voluntate superioris, perinde ac si dominium non esset; ut proinde eo non obstante pariter peccetur usu, si adsit consensus superioris expressus vel tacitus.

*Patet ex declaratione Ecclesiæ circa Societatem Jesu.*

*Ratio allegatur.*

117. *An in hujusmodi consensus superioris sit necessarius ad valorem.*

Immo *Lessius c. 4. dub. 5. n. 28.* censet dispositionem in alium per donationem, testamentum vel aliter absque consensu superioris esse invalidam. Quod tamen negat *Lugo disp. 3. s. 4. n. 79.* & alii Doctores Societatis: eò quòd nō proferatur hactenus lex irritans. Et quidem planè constat, dominium se extendere validè ad omnem dispositionem, nisi lege impediatur; cùm itaque in præfatis Religiosis sit dominium, consequenter ipsum se extendit validè ad omnem dispositionem, quousque sit aut proferatur lex non solùm simpliciter prohibens, sed & irritans. Ut proinde non habeat per omnia locum comparatio pupilli.

118. *Solvitur objectio desumpta ex c. Cùm ad Monasterium de Statu Monach.*

Nec obstat Conclusioni c. *Cùm ad Monasterium, de Statu Monach.* ubi dicitur nec Papam in eo dispensare posse, quòd quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. Nam non potest in primis citra gravissimam causam. Deinde non potest stante solemni professione monachali, quæ eatenus incapacitatem dominii involvit; etsi non status religiosus ut sic seu in communi. Præterea loquitur de possessione proprietaria respiciente simul usum proprietatium, quæ non consistit cum natura religionis.

## QUÆSTIO VII.

### *An Clerici Sæculares Habeant Dominium, præsertim Fructuum Beneficii?*

119. *Clerici sunt absoluti & liberi Domini patrimonialium.*

NOn est quæstio, quin Clericis non minùs quàm laicis competat dominium bonorum patrimonialium, quæ nimirum acquirunt tamquam laici, puta hereditate, donatione, emptione, industriâ, aut simili modo. Ex nullo enim capite restringitur in similibus eorum libertas & capacitas. Constat idem apertè ex *Alexandro Herincx Sum. Theol. Pars III. tr. 1. c. 1. Quia nos, de testamentis*, & communi sensu ac praxi.

*Et quasi patrimonialium.*

Idem satis constat ex communi Doctorum sensu & praxi de quasi patrimonialibus, quæ scilicet acquirunt clerici ministeriis propriis clericorum, non autem ex beneficio; puta stipendiis quæ habent ex celebratione missarum, cantu chorali, auditione confessionum, vicariâ temporali: dantur enim hæc ipsis per modum justi stipendii laborum, absque intentione expressa vel tacita restringendi ipsorum potestatem; quam etiam donantes restringere meritò non possent. Sanè si pauper fiat dominus eleemosynæ quam accipit sine onere; quidni clericus justi stipendii? Idem est de iis, quæ dantur alicui clerico ad sustentationem à Prælatis Ecclesiæ.

120. *Pœnes quod sit dominium immobilium & supellectilis Ecclesiæ.*

E contrà est apud omnes in comperto bona immobilia Ecclesiarum, ut sunt agri, prædia, jus decimarum &c, itemque sacram supellectilem (quæ sunt bona merè Ecclesiastica) non spectare ad dominium privati alicujus clerici aut etiā prælati, sed eorum dominium esse pēnes ipsas Ecclesias, etiam particulares, spectatas in capite & membris, sive (utì loquitur *Less. c. 4. dub. 7. n. 51.*) pēnes cœtum Ecclesiasticorum, uti bona monasterii penes cœtum monachorum.

121. *Clerici sunt domini fructuum beneficii etiam quoad superfluum sustentationi.*

Quod verò attinet ad proventus beneficiorum (qui etiam nomine bonorum merè Ecclesiasticorum intelliguntur) seu ea, quæ præcisè obveniunt ratione beneficiorum, spectatâ modernâ Ecclesiæ dispositione, sunt beneficiarii simpliciter eorumdem domini, etiam quoad superflua honestæ sustentationi; de quibus proinde citra injustitiam possunt disponere, etiam ad causas non pias, quamvis habeant obligationē ex genere suo gravem ea expendēdi in pauperes seu pios usus. Ita communiùs Doctores contra *Navarrum, Covarruvias,* & quosdam alios graves Auctores, præsertim Canonistas.

122. *Declaratur.*

Declaratur assertio: nam olim quidem ante divisionem bonorum Ecclesiæ factam tempore Simplicii Papæ (qui sedit circa annum 470.) Episcopi, utì modò in monasteriis Abbates, bona communia per se, vel per alios dispensabant, prout congrua singulorum clericorum sustētatio requirebat, quibus si quid supererat, censebatur quasi non distributum. De superfluo etiam providebāt pauperibus, quorum singularem curam habebant. At charitate refrigescēte, ad rixas & varia incommoda evitanda, mensæ Episcopali certa est assignata portio, fabricæ sua, clericis quoque singulis sui sunt dati proventus, obventuri ex bonis annexis titulo cujusque præbendæ, quorum quidem bonorum sunt singuli instituti administratores, ut deinceps de fructibus tamquam suis, neque ampliùs communibus, honestè semetipsos sustentent, relictâ tamen obligatione de superfluo non ditandi amicos, sed pauperibus tribuendi, vel in alias

pias causas expendendi, eò magis, quòd portio quæ in divisione pauperibus designanda erat juxta Canones 12.*q.*2. non appareat passim separata fuisse.

123. *Vulgata quædam probatio expenditur.*

Nunc quòd Clericis simpliciter competat in fructus dominium, probari solet ex c. *Unic. de Clericis non resid. in* 6. ubi statuitur, recipientes distributiones aliter quàm juxta modum ibi præscriptum, non fieri earum dominos. Simile quid habetur in *Tridentino sess.* 22. *c.* 3. *de reform.* Sed etsi inde colligatur dominium distributionum, non tamen efficaciter colligitur id quod fructus præcisè beneficiorum: eò quòd sententia satis communis (ut videre est apud *Lugo d.* 4. *sect.* 3.) statuat distributiones inter bona quasi patrimonialia, veluti stipendium laboris & assistentiæ choralis. Sicut propterea portio redditui, quæ extrahitur ex aliqua præbenda, ut sit merces Cantoris, vel Magistri Grammaticæ, transit in liberam dispositionem & quasi patrimonium.

124. *Aliter probatur.*

Aliter probatur ex juribus frequenter statuentibus, ut clerici seu beneficiati non faciant fructus suos, si quid fecerint, vel facere neglexerint, v. g. si ultra bimestre distulerint professionem fidei, *Trid. sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* Si Episcopi citra causas approbatas ultra trimestre abfuerint *Trid. sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* Si beneficiati non recitent officium divinum *Pius V. Const.* 135. *Ex proximo.* Immo in *Tridentino sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* privandus decernitur pro prima vice medietate fructuum *quos fecit suos*, pro secunda vice omnibus, *quos illo anno lucratus fuit* Canonicus absens ultra trimestre. Supponuntur ergo fructus omnes alioquin esse sui, seu sub dominio beneficiatorum.

125. *Confirmatur idipsum primò.*

Confirmatur I. quia erectio beneficiorũ sic fieri potuit, factam autem ita esse, colligitur non solùm ex præmissis, sed etiam ex eo, quòd Ecclesia numquam invalidaverit alienationes non factas in pias causas, aut ad restitutionem compellat, neque hoc prætextu umquam lis legatur intentata. Et sanè Ecclesia, quæ in minoribus obligationes restituendi declarat, v. g. circa absentes ab officio aut residentia, vel omittentes horas, deberet talem obligationem in præsenti declarare; quæ aliàs non est imponenda.

126. *Confirmatur secundò.*

Confirmatur II. quia ex nullo capite colligitur pauperes habere strictum jus ad superfluum, prout neque habebant ante divisionem, ante quam utique si administratores reservassent superfluum in depositio Ecclesiæ, non tenebantur ad restitutionem ipsi aut etiam Ecclesia, cui simpliciter censebantur oblationes & bona donata (esto donantes confiderent Ecclesiam ejusque ministros non defuturos in subvenien-

*Nil juris competit etiam olim pauperibus in proventu Ecclesiasticos.*

dis pauperibus, quorum specialem haberi curam cernebant) quorum proinde fiebat proprietaria, uti pauperes privati eleemosynarum eis donatarum. Quare non censetur Ecclesia per divisionem imposuisse Clericis novam justitiæ erga pauperes obligationem.

127. *An sit Clericis interdictum testari de bonis Ecclesiasticis.*

Nec refert, quòd Clericis interdicatur testari de bonis Ecclesiasticis. c. *Quia nos, de testam.* Nam etiam interdicitur impuberi, qui tamẽ est dominus. Consuetudine etiam ferè generali contrarium est præscriptum. Unde potiùs sumitur argumẽtum pro nostra assertione. Ratio prohibitionis erat, quòd par sit superfluum bonorum relinqui Ecclesiæ, quodque ita avertantur clerici studio accumulandi, & incitentur ad benefaciendum in vita sua.

128. *Quo sensu ea vocantur patrimonium Christi, res pauperum &c.*

Non refert etiam, quòd multi Patres & Pontifices dicant bona Ecclesiæ esse patrimonium Christi, res Dei, bona pauperum, Clericos esse procuratores & dispensatores; ut videre est 12. *quæst.* 1. & 2. Nam sunt patrimonium Christi & res Dei, quatenus Dei, Christique famulis ad honorem ejusdem donata, & ad honorem & cultum Dei etiam ab Ecclesia destinata: sunt bona pauperum, quatenus superflua eis donanda, & quidem speciali ratione, spectando scilicet destinationem & ordinationem Ecclesiæ: quo modo cum quadam exaggeratione loquens *Bernardus Epist.* 42. invehitur in prodigos Clericos veluti bona pauperum effundentes. Loquendo autem de tempore præcedenti divisionem (de quo varii loquuntur) sunt specialiùs bona pauperum, quatenus ipsimet Clerici erant pauperes, omnia in communi possidentes, & necessariâ ex iis sustentatione contenti. Quando etiam solùm erant dispensatores & procuratores, qui administrationem habebant.

129. *Non expendens superflua in pias causas, restituere non tenetur.*

Hinc patet Clericos superflua non expendentes in pauperes seu pias causas non obligari ad restitutionem; cùm non contraveniant legi justitiæ. Sicut dives non tenetur ad restitutionem, si omittat dare eleemosynam præceptam. Confirmatur: quia non est imponẽda talis obligatio, nisi constet rem esse alienam aut alteri ex justitia debitam; quod in præsenti non constat, neque Ecclesia declarat.

130. *Etsi graviter peccet.*

Nihilominus ex canonibus (quos *Navarrus Comment. de Redditibus q.* 1. *Monit.* 21. *& seqq.* allegat) satis compertum est, clericos graviter esse obligatos ad superflua expendenda in pias causas; uti apud Doctores communiter est indubitatum. Eam enim obligationem antea velut indivisam censentur ex mente Ecclesiæ singuli in se pro rata assumpsisse. Quam Ecclesiæ constantem mentem ac sensum declarans *Tridentinum sess.* 25. *c.* 1. *de reform.* interdicit Episcopis (quod ibidem extendit etiam ad Cardinales & quosvis Clericos) *ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant: cum & Apostolorum*

*Allegatur & declaratur Constitutio Trident ini ea de re.*

*canones*

*canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ius, ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent eorum causâ.* Possent autem donare consanguineis, si de iis, utì patrimonialibus, possent ad usus indifferentes disponere. Loquitur verò *Tridentinum* de bonis potissimùm mobilibus; quæ utique sola possent dare consanguineis pauperibus; quibus etiam non solent reditus, sed proventus distribui; de quibus insuper secundùm abusum à *Tridentino* correctum Episcopi suos locupletare solebant; in quibus denique tantùm solet esse abusus ceterorum beneficiariorum, qui utique non præsumunt de ipsis immobilibus suos augere.

131. *De subtractu congrua sustentationi quid censendum.* Intelligitur nihilominus hæc obligatio juxta Doctores satìs communiter de sola portione sustentationi congruæ superfluâ; ut proinde de portione huic non superflua sit fas disponendi quasi de patrimonialibus, si circa se parcioribus aliquid supersit, aut etiam sustentatio ex patrimonialibus accipiatur, servatis proventibus beneficii: sicut enim de portione ista possunt disponere pro libitu in usus proprios, sic etiam videntur posse disponere in alienos honestos. Ita passim Doctores. Non sim tamen auctor, ut hujusmodi de parcitate speciali præcisiones, quarum Canones non meminerunt, quis in praxi adhibeat.

132. *Iusta sustentatio qualiter taxanda.* Justa porrò sustentatio, utì justum pretium rerum venalium, non consistit in indivisibili, neque certâ regulâ definiri potest, sed relinquitur judicio timoratæ conscientiæ. Cui quidem prudenter formando deservire potest praxis non improbata aliorum ejusdem gradus & tituli, qui vulgò habentur pro timoratis.

133. *Quæ censeatur hìc materia notabilis.* Advertit quoque *Coninck d. 27. de Virtut. Theol. dub. 11. n. 193.* & alii, notabilem summam hìc vocari, non quæ furto sublata sufficeret ad peccatum mortale, sed quæ posset dici pars aliquo modo notabilis redituum superfluorum ipsius beneficiati, ut si quis horum tertiam, quartam aut quintam partem in res profanas expenderet.

134. *Considerandа in pia expensione superfluorum.* In expendendo superflua habenda etiam est ratio Ecclesiæ in qua est beneficium, & pauperum, qui in illa sunt: sic ut horum graves indigentiæ præferri ceteris paribus debeant aliis. Extra necessitatem autem sufficit impendere superfluum in quascumque pias causas. Nec tamen condemnanda est citra necessitates pauperum graves sollicitudo aliquorum moderata thesaurizandi pro futuris necessitatibus, & præsertim pia fundatione; dum tamen caveatur frequens periculum, ne ea quæ pararunt, postea fiant propinquorum.

135. *An hæc obligatio oriatur ex* An verò præmissa adeo stricta obligatio seclusâ gravi necessitate proximi oriatur ex natura rei, nimirum ex obligatione religionis, quæ vetet res Dei (quales sunt bona Ecclesiastica, utì in ordine ad præsentem materiam ponderat *Tridentinum sup.*) applicari usibus profanis seu non piis, an verò solùm ex præcepto positivo Ecclesiæ, controversum est apud Doctores. Primum censet *Lugo d. 4. s. 2. n. 16.* & alii. Secundum *Lessius c. 4. dub. 6. n. 47.* & alii; ad quòd nil solidum allegetur, quod sepositio præcepto Ecclesiæ gravem inordinationem urgeat. Quare non dubium, quin annuente Ecclesiâ sic possent fideles fundare beneficia (incertum est *Poncio d. 40. q. 4.* an de facto sic aliqua fundata sint, & videri posset quòd in Germania, ut ait; de quo mihi non satìs constat, ut præter communes regulas judicem) ea Deo dicando (prout & dicantur, quæ piis pauperibus offeruntur propter Deum, cui ipsi serviunt) cum expressa facultate liberrimè disponendi de superfluis, utì de patrimonialibus. Quemadmodum etiam de parte sustentationi respondente, si quæ per parcitatem servetur, sic possunt beneficiarii juxta alios disponere, quæ tamen pars ejusdem est cum ceteris conditionis. Quemadmodum quoque (ut plura omittam) juxta ipsum *Lugo sup. s. 3. n. 32.* referentem ex *Azorio To. 2. lib. 7. c. 9. q. 12.* ita decisum à Rota, possunt Pensionarii, etiam titulo clericali, v. g. ratione resignationis aut permutationis, de fructibus pensionis liberè disponere; quamquam reverà id non satìs constet, & ab aliis negetur, præsertim de pensione clericali.

*natura rei, an verò ex ordinatione Ecclesiæ.*

## QUÆSTIO VIII.

### *De Variis Modis Acquirendi Dominium.*

136. *Quorum dominium occupatione comparetur.* Dominii acquirendi varii sunt modi, qui brevitatis causâ revocari possunt ad Occupationem, Accessionem, Traditionem & Possessionem. Occupatio, à qua rerum dominium per divisionem cœpisse creditur, est justa rei apprehensio. Hæc locum habet in iis potissimùm, quæ nullius sunt, & tamen sub dominium cadere possunt: illa enim jure Gentium fiunt primò occupantis, tamquam potioris. Dico *potissimùm*: nam ad occupationem etiam spectant capta ab hostibus in justo bello, quæ etsi alterius sint, cedunt victori capienti, juxta dicta in materia de Bello.

137. *Dominium qui acquiratur.* *Feræ igitur bestiæ* (quæ venatione capiuntur) *& volucres & pisces* (quæ aucupio vel piscatione occupantur) *simul atque ab feranum aliquo capta fuerint, jure Gentium statim illius esse incipiunt. Nec interest feras bestias & volucres utrum in suo fundo quis capiat, an in alieno. Potest tamen aliter à Domino prohiberi, ne ingrediatur fundum.* Ita habetur *Instit. de rerum divis. §. 12. Feræ.* Si domino

mino invito vel prohibente fiat, ejus prohibitio dat quidem actionem injuriarum, & ad damnum, si quod datum per ingredientem, non tamen ad feram, quæ nullius est.

138. *Quousque retineatur.* *Quidquid autem eorum ceperis eo usque tuum esse intelligitur, donec tuâ custodiâ coercetur. Cùm verò tuam evaserit custodiam, & in libertatem naturalem sese receperit, tum esse desinit, & rursus occupantis sit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cùm vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio.* Ita habetur *Instit. sup.*

Si quæ non censeantur in naturali libertate, sed pro occupatis habentur, inclusæ certis locis, puta vivariis, piscinis, hortis recreationum, saltu circumsepto non adeò magno, censentur esse sub dominio illius, in cujus custodia detinentur. *L. 3. §. Item feras ff. de acquir. & amitt. possess.*

139. *Venatio alicubi reservata, sub pœnis.* Solent nihilominus Principes aut domini venationem multis in locis sibi aut certo generi personarum reservare (quamvis æquitatem hujusmodi edictorum, secluso assensu populi, quidam in dubium revocaverint) contravenientibus intentâdo pœnas (quæ utique non debent esse corporales seu capitis, ut rectè etiam Jurisconsulti passim tradunt, signanter *Wesenbezius in ff. de acquir. rer. dom.*) quas luendo satisfacere censentur ordinariè transgressores, si deprehendantur, præsertim in Belgio, etiam attentis edictis Principum, & sensu communi. Incumbit equidem Principibus curare, ne ferarum multitudo damnum inferat agris privatorum; quibus durum nimis foret, adeoque iniquum, omni tam juris, quàm occisionis ferarum remedio contra damna destitui.

*Quæ nequeunt esse corporales.*

*An per hoc quod deprehensi luant, satisfiat.*

*Damnis pradiorum cavendum.*

*Nota.* Notat tamen *Zypæus in Not. Jur. Belg. Tit. de jure Fisci* bona sylvis proxima alicubi eâ lege in emphyteusin data, ne possessores feras sylvis egressas invadere, aut eis nocere, fructus quamvis depascentibus, possint: sed cornu tantùm, ære, aliove sono aut strepitu depellere. Additque procul dubio ea pacta servanda esse, & rei sub eo modo datæ possessorem obligare.

Graviter præterea peccare possunt venatores, etiam Principes, & ad restitutionem teneri inter venandum conculcando segetes, & gravia damna privatis inferendo. Rectè verò leges condunt circa modum, instrumenta & tempora venandi aut piscandi. De quibus Jurisperiti in *Instit. de rerum divis. & ff. de acquir. rer. dom.*

140. *Venatio qui clericis interdicta.* Notandum quoque venationem speciali interdictam Clericis *c. 2. de Clerir. venatore*, intellige clamorosam & cum strepitu, quæ vix sine scandalo fit. Alioquin rarò venari non est gravis culpa; & quidem si modestè ad recreationem fiat, nulla, ut Varii notant. Qua in re Clerus Belgii est observantior: etsi alibi abusus graviores, ac si lex non foret, quam etiam usu abrogatam nonnemo contendit, cui obsistit *Zypæus in Analysi Jur. Pontif. Tit. de vita & honest. Cleric. num. 11.* Vide eumdem *Tit. de Cler. venat.*

Quæritur ordinariè, quid censendum de fera laqueo intricata (idemque est de piscibus nassæ conclusis) an sit ponentis laqueum, ut plures volunt, an verò eximentis, ut alii. Rectiùs autem dicitur, per se loquendo esse tendentis laqueum, si ita sit intricata, ut expedire se non possit: nam eo ipso apprehendisse videris, aut certè potius apprehendendi jus accepisse: nihil enim interest, manu, an instrumento apprehenderis. Unde *L. In laqueum 55. ff. de acquir. rer. dom.* (quæ citatur in contrarium, verè tamen nobis favet, dicitur eum, qui dimittit talem feram in suam naturalem laxitatem, teneri mihi in factum, quia rem meam dimiserit. Ibidemque dicitur meam esse, si in potestatem meam devenerit, prout tali casu venit, dum scilicet laqueum tetendi in fundo proprio, vel de consensu domini in alieno: qui alioquin impunè removere potest, quidquid mei eo invito positum est: quo invito non potuit alius etiam fundum illius ingredi. Et hoc intendit distinctio inter fundum proprium & alienum, inter consensûs domini obtentionem & carentiam; quæ habetur *L. In laqueum.* Circa cujus intellectum videndus *Masius Singular. opin. l. 6. c. 2. Tulden. ad Instit. de rer. divis. c. 25.*

141. *Fera laqueo inextricabiliter inhærens an & quando sit ponentis laqueum.*

Idem habet usus, teste *Glossâ in L. 5. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* de vulnerante & persequente feram, quam pariter instrumento suo quasi captam idem certâ spe tenet: quâvis inspectâ *d. L. 5.* & *Instit. de rer. divis. §. 13. Illud quæsitum*, videretur contrarium dicendum; ubi ratio allegatur, quòd multa sæpè accidere soleant, ut eam non capias.

142. *Ad quem spectet fera vulnerata.*

Quod attinet animalia naturâ suâ domestica & mansueta, uti sunt oves, boves, equi, porci, gallinæ domesticæ, & similia, non sunt occupantis, etsi evaserint tuam potestatem; suntque tua, tibique restituenda, ubicumque oberraverint *Instit. de rer. divis. §. 16. gallinarum.* Immo si à fera bestia sint capta, & ab alio exempta, quidquid carnis supereat, tibi restituendum est, soluto eximenti pretio operæ seu industriæ. Vide *L. 44. ff. de acquir. rer. dom.*

143. *Quid censendum de animalibus domesticis.*

Animalia denique cicurata seu usu mansuefacta, sunt nostra, quousque habent consuetudinem redeundi, uti sunt pavones (qui tamen in his regionibus videntur quasi domestici) columbæ, apes, cervi, & similia, quæ pastum eunt & redeunt, seu avolare & revolare solent. *Instit. de rer. divis. §. 15. Pavonum.* Idemque est de falconibus, aliisque avibus, aucupio & receptui ad aucupis manû assuefactis. Illicitum tamen est illecebris structis columbas alterius ad tuum columbarium allice-

144. *Quid de cicuratis.*

*Notanda circa columbas.*

allicere. Supponit equidem *Lessius, Wiggers* & alii passim eas fieri tuas, si sponte eò advolantes deinceps assuescant, etsi delinitæ liberaliori quo quæ fruuntur alimento vel commodiori hospitio. Quod tamen (si usus secludatur) difficultatem habet: cùm per hoc non restituantur naturali libertati, possintque in alieno columbario à Domino accipi perinde ac in proprio, uti si gallinæ ad domum alienam divertant: jus quoque videatur intelligi posse de amissa consuetudine redeundi, quatenus deinceps maneant silvestres, utì ceteræ feræ. Immo *Val. Andr. ad Instit. sup. in addit. num.* 17. generaliùs loquens, & *Grotium* referens, censet nō amitti per se dominium ferarum per hoc, quòd custodiam nostram evaserint, sed ex probabili conjecturâ, quòd ob difficilem persecutionem eas pro derelictis habere credamur; præsertim ab aliis non dignoscibiles. Quod in columbis à fortiori locum haberet. Circa hoc itaque, & quatenus licita sint columbaria, est attendenda timoratorum praxis passim tolerata, & probata.

145. *Quid censendum de examine apum.*

*Examen apum, quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio ejus est: alioquin occupantis fit. Instit. de rer. divis. §. 14. Apum quoque.* Occupantur autem inclusione alvei, non per hoc quòd arbori alicujus insederint. *Instit. sup.* Attendenda tamen locorum consuetudo, quæ passim alia: cùm alibi dominus arboris, alibi qui signat arborem, in Regno Franciæ Domini terrarum acquirant dominium examinis apum in suis locis reperti; ut habet *Valer. Andr. ad Instit. h. tit. in addit. n.* 22.

146. *Inventio quid postulet,*

Ad occupationem quoque spectat inventio (quæ non consistit in nudo aspectu, sed quem apprehensio subsequitur *L.* 1. §. 1. Et *L.* 3. §. *Neratius ff. de acquir. vel amitt. poss.*)

*Inventa & derelicta cujus sint.*

rerū quæ nullius sunt, ut lapillorum, gemmarum, conchiliorum, & similium in littore maris repertorum. *Instit. de rer. divis.* §. 18. *Item lapilli.* Idem est de derelictis, quæ scilicet dominus abjicit, vel fluctibus abrepta non curat, nolens deinceps habere ut sua: nàm enim fiunt communia seu nullius, adeoque occupantis, utì communia fiunt occupatione nostra. *Instit. sup.* §. 47. Secùs est de

*Quid de ejectis metu naufragii.*

ejectis timore naufragii, non obstante quorumdam tyrannide, quæ afflictionem afflictis addit, *Authent. Navigia C. de furtis.* Et *L.* 1. *C. de Naufragiis.* Estque excommunicatio in Bulla Cœnæ contra sic usurpantes bona Catholicorum. Videri quoque possunt, quæ Carolus V. justissimè circa hæc statuit, apud *Zypæum in Not. Jur. Belg. Tit. de jure Fisci.* Ad occupationem etiam referri possunt (quæ tamen ad traditionem similiter referri possent) missilia tempore inaugurationis, aut aliàs interdum à Principibus jactari in vulgus solita; quorum ea est conditio, ut quantum quisque capit, tantum habeat. *Instit. sup.* §. 46. *Hoc amplius.*

*Missilia principum qui sunt nostra.*

Possent huc quoque referri bona vacantia eorum, qui sine herede, qui saltem acceptare velit hereditatem, discedunt. Verùm hæc jure communi devolvuntur ad fiscum *L.* 1. & 4. *C. de Bonis vacant.* Et *L.* 1. *ff. de jure fisci.* Mobilia tamen peregrinorum, qui in hospitali intestati decedunt, sunt in pias causas per Episcopum distribuenda, deficientibus nimirum heredibus *Auth. Omnes peregrini C. Communia de Successionibus.* Si verò, ubi successiones ab intestato in duo dividi latera mores habent (utì hic multis in locis) ab uno latere nullus appareat consanguineus, partem hanc accedere alterius lateris consanguineis, cum exclusione fisci justius videtur *Zypæo sup.* (quem vide) etsi diversimodè sæpiùs judicatum referatur.

147. *Vacantia bona ad quos spectent.*

*Quid si heres ex uno tantùm latere desit.*

Ad inventionem, etiam spectat thesaurus, qui est vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, sic ut ipsa dominum non habeat *L. Numquam* 31. §. 1. *ff. de acquir. rer. dom.* de eo (qui alioquin similiter foret occupantis, utì cetera, quæ nullius sunt) jure Cæsareo statutum est, ut totus cedat invenienti in suo, etsi datâ operâ; non quidem ut fructus (nam cùm non renascatur, in fructu esse non potest) sed ut tum loci, tum fortunæ seu Dei beneficium. In alieno inventus, cedit medietas inventori, altera proprietario loci, cujus est beneficium, idque ante sententiam *Instit. de rer. divis.* §. 39. *Thesauros.* Si tamen fortuitò inveniatur: nam datâ operâ quærens, jubetur totum cedere domino per modum pœnæ *L. un. C. de Thesauris*, quæ tamen non obligat ante sententiam, more pœnarum. Prout nec ante sententiam cedere fisco debet medietas inventoris per malas artes.

148. *Quid sit thesaurus, & cui cedat inventus.*

Inventus thesaurus in ædibus emptis sequitur emptorem, ut apertè colligitur ex *L. A tutore 67. ff. de rei vindicat.* Nec oberit scientia prævia de thesauro, utpote qui non ante apprehensionem censetur inventus; nec à priori domino ignaro censetur fuisse possessus. Sufficitque juxta receptam sententiam (quam sequitur *Lessius, Zoesius, Wiggers* & alii) pretium commune, eò quòd thesaurus latens pretium non augeat, quòd ex communi æstimatione sumitur. Ad quod etiam adfertur parabola *Matth.* 13.

149. *An sequatur emptorem pradii conscium thesauri.*

*An pretium commune sufficiat.*

Hæc tamen non procedunt in recenter perditis, quæ nomine thesauri in jure non veniunt, & perdenti sunt restituenda *L. A tutore 67. ff. de rei vindic.* At domino non comparente, ex piorum usu, & Doctorum satis recepta sententia sunt distribuenda in pauperes aut pias causas. Quamvis non appareat ex natura rei talis obligatio, usuque prædictus sententiâ *Soti, Petri Navarra* & aliorum non censeatur multum obligatorius. Si quæ tamen forent statuta municipalia hac de re strictè obligantia, forent observanda.

*Quid de inventione recenter perditorum.*

150. *Quid censendum si locus thesauri sit emphyteuticus aut feudalis.*

Si locus sit emphyteuticus vel feudalis, medietas una debet dividi inter dominum directum & vasallum aut emphyteutam, juxta *Lessium c.5.dub.15.n.61.* *Wiggers Tr. 1.c.4.dub.8.n.24.* At rectiùs *Zoezius in ff.de acquir.rer.dom.n.6.7.* censet vasallos & emphyteutas esse in hoc potiores, veluti ad quos dominium utile, omneque rei commodum spectat, domino solùm obtinente jura feudalia seu emphyteutica. Qua in parte sunt etiam potiores usufructuario, utì & creditore habente pignori oppignoratum; cùm thesaurus non sit fructus fundi, & ut esset, non tamen fructus cedit creditori. Ita *Zoezius sup.n.28.* citans *Glossam, Fabrum & Garsias.* Quid verò de thesauro invento in loco communi aut publico, vel sacro cèlendum ex jure, quoniam casus rari sunt, videri potest apud alios Auctores.

151. *Quid mores statuãt.*

Moribus harum Regionum (ut ex *Elberto Leonino* refert *Valer. Andr. ad Instit. de rer. divis. in addit. n.71.*) thesaurus inventus in loco privato plerumque distribuitur secundum jus Cæsareum; inventus autem in loco publico solet vèdicari à Dominis territoriorum in solidum, instar bonorum vacantium seu adespotorum. Adespota tamen, seu aliàs derelicta dicit *Zypæus sup.* moribus hodiernis cedere fisco, addens se non dubitare, quin naturaliter fiant apprehendentium, etsi eis in foro externo auferrentur.

152. *Minoralia quorum sint.*

De argenti & aurifodinis denique censendum eas quidem spectare ad dominum fundi, utì venæ lapidum & fontium: nisi leges speciales aut consuetudines aliud decernãt. Prout venas auri & argenti plerumque Principes per leges sibi reservant, sive ex toto, sive ex parte, ad onera publica. Neque adeò irrationabiliter: non solùm quia venæ hæ sunt majoris momenti, quàm ut debeant instar accessorii sequi fundum, sed etiam quia videntur à natura non tam ad usus privatorum, quàm ad bonum publicum concessæ ac destinatæ, ut bene *Sotus l.5.q.3. art.3. ad 2.* Circa alia quoque mineralia, puta ferri, plumbi &c. (quæ magis solent cedere ex toto dominis fundi) spectandæ sunt leges locorum.

153. *Accessione qui dominium acquiratur, sive sit naturalis,*

Secundò accessione seu adjectione res fit nostra, quatenus rei nostræ alia accedit, quæ ipsam velut accessorium sequitur. Quæ potest esse naturalis; quæ fetus animalis nostri fit noster, sic ut cujus sit venter, ejus sit & partus *L. Idem Pomponius §. Idem scribit 2. ff.de rei vindic.* Et *L.Partum 7.C.de rei vindic.* Prout etiam fructus sequitur jus soli, non seminis, *L.Qui scit 25. §.1.ff.de Usur.*

*Quæ varia.*

Idem cernitur in alluvione, quâ aliquid agro nostro adjectum est, & in insula nata in flumine. De quibus vide *Instit. de rer. divis.* & *ff.de acquir. rer. dom.* ac Interpretes ibidem.

*Sive industrialis,*

Accessio altera est industrialis, exigens videlicet operam nostram vel artificium. Quæ contingere potest intexturâ, v.g. si aurum alienum quis vestimento suo bonâ fide intexat. Itemsi implantatione, insitione, inædificatione, si v.g. alienam arborem in suo fundo plantet, aut suam in alieno; semen alienum in suo, aut suum in alieno agro serat; ex materia aliena in proprio, aut ex propria in alieno solo ædificet: quidquid enim in solo alieno plantatur, seritur, ædificatur, solo cedit *L.7.de acquir. rer. dom.*

*multipliciter contingere declaratur.*

*Quam etiã*

Idemque obtinet jure Cæsareo (An & hodie obtineat vide *Valer. Andr. ad instit. sup. in addit.n.58.*) in litteris, etiam aureis, alienæ chartæ, quantumvis vilissimæ, inscriptæ. *Instit.sup.§.33. Litteræ quoque,* & *L. Quâ ratione §.1.ff.de acquir.rer.dom.* Et quãvis ratio idem dictare videatur de pictura, singulariter tamen jure *Instit. de rer.divis. §.34. Si quis in aliena* cautum est, ut tabula cedat picturæ; cujus apud Veteres magnus honor.

154. *Inscriptum alienæ chartæ cujus sit.*

*An idem de pictura facta in aliena tabula.*

In implantatione verò hoc singulare, quòd eruta alicubi planta, ubì in alieno solo radices egerit, ne quidem à pristino domino vindicari queat. *Instit.sup.§.31. Si Titius*; quòd ratio non permittat alterius intelligi plantam, quàm ejus, in cujus fundo alitur. Moribus tamen alibi licitum est colono, expirante conductione, plantatas à se arbores eruere & asportare, ut decernitur in *Consuet. Mechlin. Tit.8.art.13.*

*Notanda circa implantationem.*

Ad accessionem præterea spectat conjunctio diversorum corporum: quæ dicitur commixtio, quando corpora non mutant speciem, ut frumenta, metalla &c; eaque non mutant dominium, cùm facilè separari queant. Vide *L.Idem Pomponius sup.* dicitur autem confusio, si species mutetur, ut cùm vina diversæ speciei miscentur. Eaque si facta sit communi consensu, ortum ex confusione fit pro rata commune, si ultra communem consensum bona fide fiat, fit confusionem facientis.

155. *Quid censendum in Commixtione & Confusione.*

Sic ex re aliena bonâ fide novâ speciem exstruens (quod dicitur specificare) non reducibilem ad pristinam naturam, fit ejus dominus, v.g. coquens cerevisiam ex alieno hordeo, vestem texens ex aliena lana. Secùs videtur, si ad eamdem materiam reverti possit, utì scyphus ex auro meo factus, qui meus manet. Actio quoque indemnitatis alteri salva manet, qui dominium rei suæ his modis citra culpam amittit.

156. *Traditione quis comparetur dominium.*

Tertiò & principaliter acquiritur dominium traditione *L.Traditionis 20. C.de pactis,* quæ supponit in tradente potestatem, & voluntatem absolutam tradendi, in altero acquirendi dominii (hâc enim viâ dominium transfertur voluntate domini; quod meritò non acquiritur invito aut non volenti) ac prævium titulum v.g. empti, donati, legati & similis. Dixi *absolutam*: si enim conditio etiam tacita involvatur, non operabitur hunc effectum; ut patet in traditione mercis venditæ non soluto pretio,

*Quid si conditionata sit.*

neque

neque fide habitâ emptori: quæ dum non habetur, subintelligitur conditio, Si pretium solveris, aut aliter mihi satisfeceris, dato v. g. pignore vel fidejussore. *Instit. de rer. divis. §. 41. Venditæ verò res.* De quo vide *Zoezium sup. num. 92. & 93.* Videri etiam possunt à nobis dicta de Traditione *§. 3. §. 1.* quomodo sine vera traditione interdum transferatur dominium; quando stylo Jurisconsultorum ad *Instit. de rer. divis. §. 44. Interdum etiam.* & ad *ff. de acquir. rer. dom.* dicitur intervenire ficta traditio. Quibus adde ex *Valer. Andr. Instit. de rer. divis. in addit. n. 76.* interesse inter traditionem rei mobilis & immobilis. Nam res mobilis traditur manu, immobilis per inductionem in fundum seu in possessionem fundi.

157. *Dominium immobilium qui transferatur in Belgio.*

At moribus nostris (de quibus sunt Placita Principum Belgii in *Codice Belgico V. Goedenissen*, & apud *Zypæum l. 3. Not. Jur. Belg. Tit. de rei vindicat.*) non aliter proprietas rei immobilis per venditionem vel donationem transferri solet, quàm abdicatione illius à domino, per exhereditationem, ut vocant, & inhereditationem novo domino factam, idque publicè coram Magistratu seu judice competente ejus loci, ubi bona sita sunt. Eaque est vice traditionis, & aliquid facti requirit: solet enim fieri (ut refert *Valer. Andr. ad Instit. de rer. divis. in addit. n. 76.*) per manûs appositionem ad baculum seu fustem, quàm vulgò *effestucationem* dicunt.

158. *Qui possessione bonæ fidei comparetur dominium fructuum.*

Quartò denique dominium acquiritur per possessionem. Nam bonæ fidei possessor fructus, quos perceperit, vel etiam alius aliquis eos à solo separaverit, facit suos. *Instit. sup. §. 35. Si quis à non domino. L. Bonæ fidei 48. ff. de acquir. rer. dom. L. Certum 22. C. de rei vindic.* eò quòd possessor bonæ fidei sit penè loco domini, quod attinet ad fructus. Quod non solùm de civilibus (quales sunt, qui occasione rei obveniunt v. g. pensiones rerum locatarum) sed etiam de naturalibus, qui ex ipsa re nascuntur; idque sive ex natura & per se (prout ex arbore poma, nuces & similia) qui dicuntur strictè naturales, sive accedente facto nostro & industriâ, ut sunt segetes, qui industriales. Quibus jungi possent fructus meræ industriæ: de quibus non est quæstio, quin sint & maneant possessoris. De civilibus patet ex *L. Usuræ 34. ff. de Usuris.* De industrialibus quoque est apud omnes in comperto ex juribus citatis.

159. *An etiam strictè naturalium.*

De strictè naturalibus quidem est controversia. Sed rectiùs ne hi quidem excipiuntur *Arg. L. 48. cit. ff. de acquir. rer. dom.* ibi: *Bonæ fidei emptor non dubiè percipiendo fructus, etiam ex aliena re, suos interim facit, non tantùm eos qui diligentiâ & operâ ejus pervenerunt, sed omnes.* Idemque videtur de donatario, qui æquiparatur emptori *Instit. sup.* quòd autem ibi dicuntur *ejus esse pro cultura & cura*, nempe adhiberi solitâ, non refert: quia ad fructus naturales saltem cura est adhibenda. Deinde ratio potissima acquisitionis est possessio bonæ fidei, quæ quantum ad fructus est instar dominii; adeò ut propterea plus juris circa eos competat bonæ fidei possessori, quàm fructuario, cui tamen fructus etiam naturales competere dignoscuntur *L. Qui scit 25. §. 1. ff. de Usuris.*

Nec obstat, quod *L. 45. ff. eod.* fructus ex re à conjuge donata quæsiti facto seu operis donatarii eidem attribuantur, non naturales, sicut hi *nec cujuslibet bonæ fidei possessoris* fiunt. Nam sensus non est, quòd nullius, sed quòd non omnis fiant, at alicujus, scilicet possidentis cum titulo de jure valido *arg. L. 48. de acquir. rer. dom.* quo destituitur donatio inter conjuges, veluti legibus interdicta, solumque toleratur quantum ad prædictum effectum. *Objectio dissolvitur.*

160. *Domino rem vindicante restituendi sunt, citra usucapionem extantes, non consumpti.*

Apparente autem domino, & rem suam vindicante, fructus extantes (de consumptis agere non potest *Instit. sup.*) etiam industriales, detractis operis seu impensis, sunt restituendi; cùm de extantibus id generalim & indefinitè dicatur *L. Certum 22. C. de rei vindic.* quamquam Donellus id detorqueat ad solos naturales, teste *Tuldeno ad Instit. sup. c. 49.*

Excipe tamen Usucapionem, quæ etsi non habeat locum circa rem suam, ut quis eam acquirat, locum tamen habere potest, ut eam irrevocabiliter teneat, elidendo alterius actionem ad repetendum. Perficiturque stylo juris Cæsarei triennio, veluti circa mobilia.

161. *An consumpti saltem in quantum quis est factus ditior.*

Si ratione consumptorum sit factus locupletior, eatenus restitutio est necessaria, juxta *Zoezium ad Instit. sup. num. 69.* & *ad ff. de acquir. rer. dom. num. 73.* quasi censeantur extare in æquivalenti. Id tamen alii negant: quibus favere videtur praxis tribunalium, quæ ubique ferè (si credendum *Pinello*, ex quo refert *Vinnius*, & ex hoc *Valer. Andr. in addit. ad Instit. sup. num. 66.*) observat, ut de fructibus ante inceptum judicium perceptis possessor non teneatur, nec tractetur de consumptis, sitne ex iis factus ditior, an non. Accedit, quòd perceptorum sit factus dominus per leges, adeoque non teneatur restituere, nisi quatenus leges ordinant, quæ de solis extantibus loquuntur *L. Certum 22. C. de rei vindic.* consumpti autem minùs propriè extat. Et alioquin extra rem esset, quòd *Instit. sup.* ratio, cur de consumptis agi non possit, statuatur, eos fuisse possessoris: cùm etsi non fuissent illius, adhuc agi non posset de illis, nisi quatenus factus est ditior. Quo posito consequenter talis ditatus foret, utì in casu usucapionis, de proprio, nec cum detrimento alterius iniquo; de quo procedit *L. 14. ff. de Condict. indebiti.*

162. *Quid statuium circa*

Circa possessorem universalem seu hereditatis specialiter statutum est *L. 22. &*

25. *ff. de petit. hereditat.* cum non fieri dominum fructuum, debereque restituere in quantum factus est ditior; adeoque ut repetitâ hereditate etiam fructus repeti censeantur, veluti qui nomine hereditatis, quam augent, continentur.

*Quid censendum de possessore malæ fidei.*

Quoad possessorem malæ fidei constat eum non facere fructus suos, adeoque teneri restituere perceptos, aut etiam pretium cōsumptorū, immo & eos, quos non percepit, & dominus percepisset. Secusque in taxatione fructuum ex decreto judicis restituēdorum attendi in Belgio ex Edicto Principum (ut refert *Zypæus tit. de fruct. & lit. Expensis*) valor, qui quotannis in locis, ubi publicæ sunt nundinæ, legistris, quæ magistratus servare teneantur, inscriptus fuerit: Fructus tamē meræ industriæ manent possessoris cujuscumque, ut DD. admittunt.

Alius modus acquirendi dominium per possessionem spectat ad Usucapionem seu Præscriptionem; de quo ob varietatem dicendorum erit quæstio specialis.

## QUÆSTIO IX.

## *De Usucapione & Præscriptione.*

163. *Quid Usucapio, Est hodie velut synonymum cum Præscriptione.*

USUCAPIO *L. 3. ff. de usurp. & usucap.* describitur *Adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti.* A qua hodie solo ferè nomine differt præscriptio, consonante etiam stylo juris, præsertim Canonici, quod usucapionis nō meminit. Præscriptio quidem generaliter significat: Exceptionem, quâ reus petitionem agētis repellit, allegatâ causâ, ob quam non debeat admitti, non obstante eo, quod à petente allegatur. Estque alia dilatoria, ut si reus opponat incompetentiam judicis: alia peremptoria, ut si dicat se mandato Principis fecisse, aut simile quid alleget; ut patet *ff. de Except. & Præscript.* Hîc verò sumitur propriè pro exceptione peremptoria seu jure excipiendi, cujus rigore eliditur petitio pristini domini rem repetentis, eaque jam usucapta retinetur tamquam propria. Unde est velut effectus usucapionis. Quāquam præscriptio detur etiam ubi non est propriè usucapio seu possessio; puta dum præscribitur contra alterius actionem personalem aut jura servitutum. Ubi tamen potest quoque spectari quædā quasi possessio præscribentis, veluti qui in sua libertate mansit eam quasi possidendo, dum alter jure suo non est usus. Unde nos pro iisdem seu synonimis utroque vocabulo utemur.

*Quotupliciter sumatur præscriptio.*

*Quid hic significet & quid ab Usucapione distinguatur.*

164. *Per illam transfertur dominium, etiam in foro conscientiæ.*

Cùm verò ex legibus apertè constet per possessionem iisdem præscriptam acquiri dominium, utique simpliciter, adeoque tam directum quàm utile, non est quòd de hujusmodi legum justitia dubitetur: maximè cùm sint per ipsos Canones probatæ, præterquam quoad præscriptionem malæ fidei; ut videre est 16. *quæst.* 3. c. *Sanctorum & alias Tit. de Præscript.* Exigente enim bono publico, potuit per auctoritatem legum transferri dominium, etiam citra voluntatem prioris domini. Bonum porrò commune id exigebat, ne videlicet dominia semper manerent incerta, & interminatæ forent de iisdem lites. Ad quod accedit negligentia domini, sive tollenda sive punienda. Quamvis hæc ratio minus principalis sit; ut proinde locum habeat effectus usucapionis, citra negligentiam prioris domini.

*Citra obligationem restituendi postea detecto errore.*

Unde consequenter & rectè Doctores, tum Theologi, tum Jurisconsulti communiùs censent, perfectâ præscriptione posse rem detineri, etsi postmodum deprehendatur fuisse aliena.

165. *Qui detur restitutio in integrum majoribus.*

Ex causa nihilominus justa competit restitutio in integrum, etiam majoribus, puta causâ rei publicæ absentibus, captis, & generatim ex prætoria seu judicis æquitate juxta clausulam: *Si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam*; ut habetur *L. 1. ff. Ex quibus causis majores &c.* Sub qua etiam comprehendi posse probabilem ignorantiam, dum tamen plenissimè probata sit, communis satìs habet opinio Doctorum. Quæ etsi praxi forensi consona, tamen veluti juri minùs consona rejicitur à *Zoezio l. 4. Digest. tit. 7. n. 6. & seqq. Fachinæo, Castro Palao* & aliis: eò quòd hujus causæ nusquam in jure fiat mentio, & aliunde contra ignorantes noscatur currere præscriptio, eisque nocere, ratio quoque inducendi præscriptionem etiam in casibus ignorantiæ (cujus intuitu tempus inter absentes duplicatur) locum habeat, & per ipsam plena securitas firmumque jus præscribenti tribuatur, quod aliàs satìs infirmum foret. Et quamvis ignorantia facti non noceat ignoranti *L. 8. ff. de juris & facti ignor.* id intellige, ubi aliud boni publici causâ non est statutum. Ut proinde clausulam *L. 1. cit.* ad casus ibidem expressis similes referendam censeat *Castro Palao p. 22. §. 17.* Auctores quoque diversæ opinionis dissentiunt inter se, an hæc restitutio locum habeat in præscriptione longissimi temporis. Similiter etsi juxta receptam *Baldi* sententiam quadriennium, alioquin à die finitæ præscriptionis computandum, non curat ignoranti, tamen in casu ignorantiæ *Covarruvias ad Reg. possessor p. 3. §. 3.* censet illud etiam ignoranti currere.

*An etiam ratione ignorantiæ.*

166. *Quibus restitutio competat Minoribus.*

Minoribus præterea etsi (ut *Covarruvias* & reliqui tradunt) scientibus contra se præscribi, & agere valentibus, consideratione debilioris ætatis datur restitutio *l. un. C. Si adversus usu cap.* per quadriennium scilicet ab inchoata majorennitate, quæ quidem inchoatur, ex quo vigesimi sexti anni prima dies illuxerit *L. fin. C. de temp. in integr. rest.*

*Item Ecclesiis & piis locis.*

Similiter ante lapsum quadriennii, à tempore completæ & cognitæ præscriptionis compe-

competit privilegium restitutionis Ecclesiis & piis locis *c. 1.* (ubi Ecclesiæ comparatur minoribus) *& 2. de in integ. restitut.*, etiam adversus alteram Ecclesiam *c. 3. eod. tit.* Immo (ut notat *Maldegus Tr. 1. c. 8 dub. 8.*) Ecclesiæ subducitur tempus, quo vixit prælatus, qui indebitè res alienavit. Ratio est: quia leges dominium transferentes, illud ita revocabiliter transferre potuerunt, specialibus de causis potestatem revocandi sibi reservantes, prout de facto reservarunt.

167. *Requiritur ad præscriptionem possessio continuata.*

Ad hoc porrò, ut præscriptione transferantur dominia, requiritur in primis possessio: nam *sine possessione præscriptio non procedit*, ut habetur *Reg. 3. Juris in 6.* Possessionem intellige propriè dictam seu civilem: corporalis enim seu merè naturalis rei detentio, cui non adest animi juriſque adminiculum minimè sufficit; ideoque colonus, depositarius, tutor &c. non præscribunt bona proprietarii, deponentis, pupilli &c. *L. 1. C. Communia de Usucap.* Quòd si possessio interrumpatur, etiam interrumpitur præscriptio, denuo inchoanda.

168. *Titulus.*

Secundò requiritur titulus, scilicet bonâ fide existimatus seu probabiliter præsumptus *L. Diutina C. de Præscript. longi temp.* & alibi. Alioquin nequit possessio rei tamquam suæ bonâ fide (quæ requiritur) inchoari. Hujusmodi est stipulatio, emptio, donatio, permutatio, testamentum &c. De Titulis variis usucapionis agitur *ff. Pro soluto, Pro emptore & seqq.*

169. *Ignorantia juris communi sententiâ obstat præscriptioni.*

Sufficitque præsumptio seu opinio validi tituli orta ex inculpabili ignorantia facti, juxta Doctores communiter, & *L. Juris ff. de jur. & facti ignor* Idem indicatur *L. Error. eod.* Secùs est juxta Doctores communiter contra *Joannem Medina* de ignorantia juris: eò quòd de ea sic leges disponant, à quibus tamen translatio dominii nascitur. Quò faciunt leges citatæ, & *L. Numquam 31. ff. de usurp. & usucap.* ubi dicitur: *Numquam in usucapionibus juris error possessori prodest.* Intelligùt autem id Doctores de ignorantia juris clari; eò quòd si jus ambiguum aut controversum ignoretur, perinde valere videatur, ac si esset in facto. Unde non præscribit contrahens usurariè, putans usuras moderatas esse licitas, vel accipiens aliquid ab eo, quem scit Religiosum aut pupillum, putans eum posse alienare sine consensu superioris, aut tutoris vel judicis.

170. *Limitationi varia.*

Varii tamen apud *Lessium c. 6. n. 15.* censent *arg. L. Sed etsi 25. §. Scire 6. ff. de petit. hered.* sufficere ignorantiam inculpatam juris clari ad præscribendos fructus, quòd eatenus videatur error facti, quo putat possessor se illos recipere ex re sua, indeque credat esse suos. Immo plures censent simpliciter eam sufficere ad præscriptionem longissimi temporis, utpote ad quam titulus non requiritur, adeoque parum referat, an putetur ex ignorantia juris subesse, qui non subest. Sed & *Lessius sup. n. 17.* existimat sententiam *Joannis Medina* non esse improbabilem in foro conscientiæ quoad præscriptionem ordinarii temporis; eò quòd leges fundentur in præsumptione malæ fidei; quæ pro foro conscientiæ tali casu cessat. Quòd si etiam possessor probet se fecisse quod potuit, ut jura cognosceret, admittendam etiam in foro externo prædictam sententiam, censet idem *Lessius* non improbabile. Vide ipsum & *Castro Palao p. 22. §. 8.*

171. *Titulus an in præscriptione tricennali aut longioris temporis necessarius.*

Notandum verò titulum signanter exigi in præscriptione ordinaria aut brevioris; adeoque ejus probationem incumbere præscribenti *L. Nullo C. de rei vindict.* L. *Diutina C. de præscript. longi temp.* Ex communi tamen sententia tradit *Covarruvias ad Reg. Possessor. p. 2. §. 5. n. 2.* ordinariè non requiri titulum sive ejus probationem in præscriptione longissimi temporis seu 30. annorum, vel etiam diuturniore: in tali enim titulus adfuisse præsumitur, & novus per ipsam præscriptionem creatur. Facilè enim contingit in tanto tempore hominem reddi immemorem tituli seu causæ, per quam res ad ipsum devenerit. Dixi *ordinariè*: si quando enim jus resistat possessioni seu præsumptio juris sit contra præscribentem, non sufficit nisi possessio immemorialis sine titulo, ut tradit idem *Covarruvias l. 1. variar. c. 17. n. 7.* & reliqui Doctores ex *c. 1. de Præscript. in 6.*

172. *Bona fides qui requiratur jugiter.*

Tertiò requiritur bona fides sive illæsa conscientia: quæ exigit prudès judicium de licita vindicatione seu possessione, supponens ab initio rem fuisse suâ vel nullius: unde oritur prudès existimatio, quâ quis rem, quam possidet seu occupat esse suam credit: Nam *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*; ut habet *Reg. 2. Jur. in 6. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ*; prout statuit *Magnum Concilium Lateranense* relatum *c. fin. de præscript.* corrigendo hac in parte jus civile, approbans præscriptionem, etiam longi temporis, bonâ quidem fide inchoatam, sed malâ continuatam.

*Correctum hac in parte jus civile*

173. *Quid agendum superveniente dubio.*

Quod si dubitatio superveniat, diligentia est adhibenda in inquisitione veritatis, & si non appareat veritas, sed dubium perseveret, currit præscriptio bonæ fidei, utì licita permanet possessio, ejusque lite motâ defensio: quia *in pari potiorest conditio possidentis*, ut habet *Reg. 65. Jur. in 6.* Ita Doctores communiter. Secùs esset, si dubitare quis pergeret (etsi infundatè) de eo an licitè possideat: jura enim non fovent peccatum, neque intendunt suffragari ei, qui possidet, quod sibi per leges existimat non licere. Colligitur apertè ex *L. Si fur. 32. §. 1. ff. de usurpat. & usucap.* quam vide.

Estque

174. *Bona fides requiritur in præscriptione etiam immemorabili.*

Estque hæc bona fides necessaria etiam in præscriptione centenaria, aut immemorabili, ut contra nonnullos Iurisconsultos tradit *Glossa in c. 1. de Præscript. in 6. Abbas, Covarruvias*, quos citat & sequitur *Castro Palao de Iust. in genere p. 22. §. 6. n. 3.* & reliqui Theologi: nullo enim tempore possessor malæ fidei præscribit juxta *Reg. cit.* nec ullâ antiquâ dierum possessione juvari potest, *c. 5. de præscript.* Ratio quoque corrigendi jus civile allegata *c. fin. cit. Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari* (ob quam statuitur, *ut nulla valeat absque bona fide præscriptio*) currit pariter in centenaria, aut immemorabili præscriptione.

175. *Vel quæ sit contra obligationes seu actiones personales.*

Idemque est de præscriptione contra actiones seu obligationes personales, ob generalem definitionem juris Canonici, & rationem ejusdem *c. Fin. cit.* quæ etiam ibi currit. Unde qui elapso termino legibus definito prudens & sciens non solvit debitum, censetur omnino tamquam possessor malæ fidei non eximi ab obligatione; etsi creditor non moneat, dies enim seu obligatio monet pro homine.

176. *Edicta nonnulla post silentium certi temporis denegantia actiones, concernunt merè forum externum.*

Hinc etiam edicta seu statuta, quibus denegatur famulis venditoribus rerum minutarum aut aliis post silentium v. g. biennii aut triennii petitio debitorum, solùm generant contra illos exceptionem in foro externo, quatenus in judicio compelli non possunt debitores; quibus, si sint malæ fidei seu debitum non ignorent prædictum silentium in conscientia non prodest. Ita *Covarruvias, Molina, Lessius, Castro Palao sup. n. 4.* quibus consentit *Tuldenus ad C. de Præscript. 30. vel 40. ann.*

177. *Reus præscribens scienter cõtra actionem fisci non est in mala fide.*

Dices, saltem reus extra casum hæresis præscribit contra fiscum malâ fide, utpote sciens bona sua ei propter delictum esse addicta seu debita. Resp. N. Ass. Nam ibi verè non est mala fides (quamquam Iurisconsulti interdum sic loquantur) sed bona fides, utì illæsa conscientia (cui prospectum voluit Ecclesia *c. Fin. de Præscript.*) non quâ judicet bona manere sua pleno & irrevocabili jure, sed quâ judicet se licitè ea retinere, donec fiscus auferri curet; ex cujus negligentia, non autem ex actione aliqua præscribentis hæc præscriptio procedit. Ita *Covarruvias, Molina, Lessius* & alii.

178. *Idem passim DD. tradunt de præscribente libertatem à servitute rustica, cui prædium novit subjectum.*

Idem est juxta *Molina, Lessium, Lugo, Castro Palao* & alios in præscriptione libertatis à servitute rustica per hoc, quod sciens quis tolerat alium non uti suo jure servitutis: quo ut utatur, non tenetur eum præscribens monere, aut ad id inducere. Unde in præscribente uti est illæsa conscientia, sic bona fides, quâ scit se nihil omittere eorum, ad quæ obligatur. Quamquamis non præscribat jus aliquid agendi circa rem alterius, sed extinctionem juris positivi, quod alter habebat, & per non usum certi temporis amittit. *L. 10. & 18. ff. quemadm. servitutes amittantur*, & *L. Hæc autem 6. ff. de servit. præd. urban.* In quo servitutes rusticæ distinguuntur ab urbanis, quòd hæ non aliter amittantur, quàm si & factum contrarium domini servientis fundi intervenerit *L. 18. & L. Hæc autem cit.* Unde in præscribenda libertate contra urbanam servitutem requiritur, ut factum servituti contrarium procedat à bona fide, quâ putetur servitutem non subesse. Ita *Covarruvias, Molina, Lessius, Zoesius L. 8. Digest. Tit. 6.* & alii passim.

*Differentia quoad hoc inter Rusticas & Urbanas servitutes.*

179. *Bona fides an in præscribente præsumatur.*

Bona nihilominus fides per se loquendo adesse præsumitur: quilibet enim præsumitur bonus per se loquendo, nec præsumitur delictum. Ut proinde onus probandi malam fidem incumbat adversario, nisi eum liberent circumstantiæ, ex quibus oritur interdum præsumptio malæ fidei. De quo Iurisconsulti videndi sunt.

180. *Ad præscriptionem requiritur tempus legale. Pro mobilibus quidem cum titulo triennium, etsi sint Ecclesiæ. An Romanæ competat hac in parte privilegia. Sine titulo requiruntur 30. anni.*

Quartò ad præscriptionem requiritur tempus legibus statutum; quod in variis est varium. Nam mobilia (quæ olim anno usucapiebantur, utì immobilia biennio) præscribuntur triennio cum titulo *Instit. de Usucap. §. 1.* etsi sint bona Ecclesiæ *Authent. Quas actiones C. de Sacros. Eccles.* quæ est recepta ab Ecclesia *can. penult. 16. q. 3.* Immo juxta *Molina Tr. 2. d. 68.* & alios passim, contra *Panormitanum, Lessium* & quosdam alios, innixos *Authent. Quas actiones C. de Sacros. Eccles.* etsi sint Ecclesiæ Romanæ, veluti non privilegiatæ circa mobilia. Sine titulo requiruntur 30. anni, idque à fortiori *Arg. L. 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* ubi etiam de immobilibus privatorum ita statuitur. Unde cum circa immobilia non sint Ecclesiæ privilegiatæ, sequitur eodem tempore ea citra titulum præscribi.

181. *Pro Immobilibus contra privatos decennium inter præsentes, vicennium inter absentes. Qui tales censeantur.*

Immobilia contra privatos præscribuntur longo tempore scilicet decennio inter præsentes, vicennio inter absentes cum titulo *Instit. de usucap. §. 1.* Et *L. Cum in longi C. de præscript. longi temp.* sine titulo autem vicennio L. *Sicut in rem*, L. *Si quis emptionis C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Præsentes censentur (ut colligitur ex L. *Cum in longi cit.*) qui in eadem provincia domicilium habent, sive res præscribenda in ista provincia sita sit, sive non. Si alter partim sit absens, partim præsens, soli absentiæ anni duplicandi sunt, juxta *Auth. Quod si quis C. de præscript. longi temp.* Quando autem jus commune vel præsumptio malæ fidei obstat præscribenti, requiruntur quadraginta anni cum titulo, vel tempus immemoriale (cujus scilicet initium

*Majus tempus quando requiratur.*

nitium excedit memoriam hominum, qualis censetur, quæ centum annos superat, cujusque initium positivè non constat) ut scilicet ex ostensione tituli aut possessionis tanti temporis (quæ loco tituli est) præsumptio malæ fidei elidatur. Patet ex *c. 1. de præscript. in 6.*

182. *Contra immobilia Ecclesia currit præscriptio centenaria, si spectent ad Romanam; quadragenaria, si ad alias.*

Immobilia Ecclesiæ Romanæ præscribuntur non nisi centum annorum spatio; *c. Ad audientiam c. cum vobis, de præscript.* Immobilia aliarum Ecclesiarum præscribuntur, sive ab alia Ecclesia, sive à privatis, quadraginta annis *c. De quarta. & Illud autem, c. Ad aures eod.* Quòd si res immobilis inchoatâ præscriptione, v. g. ad medietatem, sit translata v. g. ad Ecclesiam, restans dumtaxat temporis medietas lege præscriptionis Ecclesiis competente est mensuranda. Ecclesiis æquiparantur alia loca pia, ut monasteria & hospitalia. Vide *Auth. Quas actiones C. de Sacros. Eccles.* ubi præscriptio centum annorum ex *L. Ut inter 23. eod.* communis locis piis, restringitur ad Romanam Ecclesiam, & pro ceteris ad annos quadraginta reducitur.

*Idem est de aliis locis piis.*

183. *Quorumdam specialia privilegia.*

Ex speciali nihilominus privilegio per Eugenium IV. concesso Benedictinis (teste *Lessio c. 6. dub. 8.*) & per consequens communicantibus eorum privilegia, non præscribitur contra eorum bona immobilia nisi spatio annorum sexaginta. Immo *Rodriguez To. 3. q. 35. art. 2.* & ex eo *Portel V. Præscriptio* referunt, Benedictinis extra muros Romæ degentibus concessum ab eodem Eugenio IV. privilegium præscriptionis centenariæ. Inter bona autem præscriptionis capacia etiam numerat idem *Portel* privilegia.

184. *Quæ censeantur immobilia.*

Notandum nomine immobilium etiam censeri jura & actiones ad illa: item census seu reditus Ususfructus, Beneficia, jus patronatus &c. quæ instar immobilium sunt fixa & commoditatem adferunt *Less. c. 6. dub. 8.*

185. *Bona Principis quomodo præscribuntur.*

Bona, quæ Princeps ut privatus possidet, præscribuntur instar aliorum, veluti non specialiter privilegiata; utì nec privilegiata sunt patrimonialia clericorum. Ita *Baldus, Covarruvias, Molina, Lessius* & alii passim obvii.

*Corona annexa.*

At coronæ annexa, ut prædia, urbes, castra &c. non nisi centum annorum spatio præscribi, censent Doctores *Arg. L. fin. C. de Sacros. Eccles.*

186. *Debita in recognitionem supremæ potestatis.*

Immunitas autem & exemptio ab iis quæ debentur Principi in recognitionem supremæ potestatis; ut sunt census & tributa (secùs de collectis impositis ratione belli aut alterius rei, quarum præscriptioni locus est tempore quadraginta annorum cum titulo, vel immemorabili sine titulo) præscribi nequeunt juxta *Panormitanum, Decium, Covarruvias, Lessium c. 6. dub. 12. n. 41. Wiggers Tr. 1, c. 5. dub. 7.* & alios Doctores, & habetur *L. competit C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Præscriptio enim ex legibus Principis nascitur; quem non est verosimile tolerare leges, quibus subditi à recognitione supremæ potestatis eximantur.

Idem est de præscriptione exemptionis ab obedientia & correctione principis juxta *Covarruvias, Lessium, Wiggers* & alios. Quamvis hi concedant posse præscribi exemptionem à Jurisdictione Principis (excipitur Pontifex, cui omnes jure divino noscuntur subditi) non manentis talis, prout varii Principes videntur sese exemisse à jurisdictione temporali alterius v. g. Imperatoris. Quod tamen nõ probat *Castro Palao p. 22. §. 14. n. 4.* ex ratione, exemplisque mox allegatis; ut proinde exemptionem prædictorum Principum censeat viâ contractûs, aut aliâ quàm præscriptionis esse obtentam.

*Alia ei propria, non tamen adeo intrinseca.*

Ea denique quæ principi proprie conveniunt, non tamen adeò sunt ejus dignitati intrinseca, v. g. indicere vectigalia, instituere tabelliones, legitimare &c. juxta Doctores communiter præscribi possunt, utì subditis à principe communicari; etsi quia præsumptio juris obstat possessori tamquam malæ fidei, requirantur quadraginta anni cum titulo aut tempus immemoriale sine titulo arg. *c. 1. de præscript. in 6.*

187. *De actionibus personalibus, legatis &c.*

Debita & actiones personales ex *L. Sicut in rem C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* præscribuntur tricennio contra creditores, scilicet privatos: nam contra Ecclesiam & loca pia censent Doctores requiri annos quadraginta. Legata & fideicommissa non præscribuntur longo tempore *l. fin. §. 3. C. Communia de legatis* quando nimirum obtinentur à traditore malæ fidei, aliis tradere obligato, sed præscribuntur etiam fideicommissa tricennio, secundum *Covarruvias ad Reg. Possessor. p. 3. §. 3.* qui id ex plurimorum sententia tradit.

Variæ actiones præscribuntur breviori tempore: v. g. actio ad accusandum adulterium in ordine ad pœnam, lapsu quinquennii *l. 5. C. ad L. Juliam de adulter.* Actio fisci ad bona ipso facto commissa seu ei addicta ob non solutum vectigal, lapsu quinquennii *l. 2. C. de Vectig. & Commissis* Et (omissis aliis videndis apud *Less. dub. 11.*) actio injuriarum lapsu anni *L. Si non convitii. C. de injuriis* sive ex injuria verbali nascatur, sive ex reali. Quod & mos, & praxis hodierna passim observat, juxta *Valer. Andr. ad Instit. de Injuria in addit. n. 20.* ubi nonnullas exceptiones addit. Annus porrò intelligitur utilis, qui proinde currit, non computando à die illatæ injuriæ, sed à tempore scientiæ. Quæ sententia etiam prævaluit in supremo Imperii judicio, teste *Mynsingero* apud *Valer. Andr. loc. cit.*

Alia sunt quæ præscribi non posse dicuntur non rarò stylo juris; supple, tempore ordinario: alia quæ nullo modo, ex ejusdem juris dispositione; quæ fusè à Doctoribus

tum

tum Theologis (inter quos *Lessius c. 6. dub. 13. Silvester V. Præscriptio* 2.) tum Jurisperitis in casûs contingentia consulendis discutiuntur.

188. *Res meræ facultatis non præscribuntur.* Solùm observandum, non dari præscriptionem in rebus meræ gratiæ, seu facultatis, ut rectè cum ceteris *Henricus Kinschotius Resp. 52. n. 11. & Cancell. Kinschotius Resp. 38. n. 56.* post *Covarruvias ad Reg. Possessor p. 2. §. 5. n. 6.* Aliud de juribus, v. g. patronatûs, beneficiorum, aut de jurisdictionibus. Et quidem specialiter circa beneficia notandum est, contra illa currere præscriptionem longi seu ordinarii temporis. In quibus etiam necessariò semper intervenit titulus, utpote sine quo non potest institutio canonica obtineri. *Secùs est de jure patronatus vel beneficiis.*

189. *Triennalis pacifica possessio quid in beneficiis conferat.* Circa quæ & hoc notatu dignum, quòd triennalis & pacifica beneficii possessio cum bona fide, & absque ingressu simoniaco excludat in foro externo omnem actionem cujusvis competitoris, juxta *Reg. Cancellariæ de trienn. possess.* Sed an ex vi hujus possessionis acquiratur titulus beneficii, qui reddat possessorem in conscientia securum, cognitâ nullitate tituli, non est satìs compertum. Affirmant enim *Navarrus, Rebuffus* asserens ita judicari in Parlamentis Galliæ, *Garcia, Lessius, Wiggers* & alii, fundantes se in aperta potestate Pontificis, & conjectata voluntate ex negata actione impetitoribus. Negant *Covarruvias, Molina, Castro Palao* & alii: eò quòd privilegium prætensum tamquam derogans juri communi ac odiosum requirat manifestam expressionem; quæ non subest in hoc, quòd ob vitandas lites & præsumptionem legitimæ obtentionis, concedatur possessori, ne possit ab aliis molestari. Hac de re videplura apud *Lugo d. 7. sect. 7.* ubì sententiam priorem satis tutam & probabilem putat, & fusè hanc Regulam Cancellariæ discutit.

190. *Mores nostri in materia præscriptionis.* Notandum præterea moribus nostris (qui & alibi, præsertim in Gallia obtinent) abolitâ præscriptione longi temporis, præscriptionem esse ferè tricenariam, sive de immobilibus, sive de mobilibus, aut actionibus sive personalibus, sive realibus quæ pro iis dantur, sæpe sit, juxta *Christinæum ad Consuet. Mechlin. Tit. 20. art. 1. Zypæum in Not. jur. Belg. Tit. de Præscript.* sine præjudicio tamen præscriptionis quadraginta annorum statutæ per canones contra bona Ecclesiæ; quam, uti & alias (inquit *Christinæus sup.* loquens in specie de consuetudinibus Mechlinienſibus) quæ majora de jure temporum intervalla requirunt, statuentes restringere noluerunt. Excipit autem *n. 14. & 28.* quosdam casus, quibus currit minoris temporis præscriptio.

191. *Quid de pretio rerum minutatim vendita-rum salaria famulorum advocatorum &c. statuum.* Et signanter notandum est, edicto Caroli V. edito anno 1540. die 4 Octob. statui (intellige pro foro externo, politicæ quietis gratiâ) ut pretia mercium minutatim ad consumptionem venditarum, salaria operariorum, famulorum, advocatorum, medicorum &c. de quibus non extat chirographum seu obligatio, intra biennium operæ præstitæ, aut mercis traditæ judicè exigi possint, non autem post lapsum biennii: si chirographum extet, non post decennium, idque contra principalem debitorem, alioquin post mortem intra biennium contra heredem, postquam mors creditori iunotuerit: sic ut post lapsa hæc tempora non detur actio. Pragmaticis tamen, Advocatis, Procuratoribus, qui ultra biennium officia continuant, incipit currere præscriptio à latâ sententiâ definitivâ in causa principali & dependentibus terminatâ, ex declaratione facta per Edictum latum anno 1549. die 14. Febr. Prætrea ex edicto 1611. 12. Julii art. 29 determinatum est tempus restitutionis in integrum, adeò ut omnes rescissiones & annullationes contractuum fundatæ super læsione quamcumcumque magna, fraude, circumventione, metu, vi majori, præscribantur lapsu decennii continui à die actûs aut cessantis impedimenti. *Restitutio contra lesionem qui hic præscribatur.*

192. *In Hollandia & Zelandia, quo tempore præscribat præscriptio.* Alibi tempus ordinariæ præscriptionis definitur spatio tertiæ partis centum annorum, ut in Hollandia, vicinisque provinciis. Alibi (ut apud Zelandos) retentâ distinctione inter præsentes & absentes, res soli præscribuntur viginti vel triginta annis respectivè: ut refert *Valer. Andr. ad Instit. de Usucap. in addit. n. 5.* subdens ex *Damhoudero in Praxi rerum Civil. c. 137. n. 9.* neque hìc titulum desiderari multorum locorum moribus, modò quieta & continuata non desit possessio.

193. *Præscriptio turbatur tripliciter. Quando dicatur non procedere. Quando dormire.* Notandum denique tripliciter præscriptionem turbari. Primò, quando dicitur non procedere, seu non currere, ob suppositam à principio causam vel defectum conditionis, v. g. bonæ fidei, vel possessionis, non valens incipere. Secundò, quando dicitur dormire, dum videlicet, jam aliquo tempore incepta cessat, sic tamen ut postea continuetur cum tempore priori; prout contingit tempore belli, aut pestis, hominibus diffugientibus, aut alias, quando in contra quem præscribitur agere non valet, v. g. pupillus: nam non valenti agere non currit præscriptio. Nec aliam ob causam quiescere ipsam tempore belli censet *Tuldenus in Cod. L. 7. Tit. 40.* citans *Deckherum*, adeò ut si judex adiri potuerit, ne quidem in integrum restitutioni locus sit, subditq; ita apud nos judicari. Tertiò, quando dicitur interrumpi, dum nempe ita cessat, ut etsi revivìscat, non continuetur cum tempore priori, sed denuo sit inchoanda. *Quando interrumpi.* Interrumpitur autem naturaliter per supervenientem defectum conditionis requisitæ, v. g. possessionis, aut bonæ fidei. Civiliter interrumpitur, quando per litis contestationem; immo juxta *Christinæum sup.* & alios per cita-

per citationem legitimam aut libelli oblationem interpellatur. Hæcque interpellatio stylo juris dicitur usurpatio *L. 1. ff. de usurpat. & usucap.* quæ denotat actum usucapioni contrarium, quo ejus continuatio interpellatur.

*Quid Usurpatio.*

194. *Qui continuetur usucapio accessione possessionis.*

Quando demum res bonâ fide possessa transfertur in alterum bonæ fidei possessorem, censetur possessio in ordine ad præscriptionem continuari per accessionem ut loquũtur Jurisperiti. Quæ accessio seu continuatio in ordine ad præscriptionem locum habet juxta doctrinam *Lugo d. 7. sect. 5. num.* 64. etiam in casu, quò succedens in possessione alterius bonâ fide cœptâ dubitat in principio, an res sit aliena, dubiumque veritate inquisitâ perseverat, quasi bona fides præcedentis prosit tali successori possessionem in ordine ad præscribendum continuanti, quemadmodum dubio postmodum exorto potuisset ipse prædecessor possessionem continuare: qui proinde sicuti jus possessionis non deserendo potuerat sibi etiam dubitanti servare, sic & in alium transferre, eatenus adhuc bonæ fidei futurum, quatenus illæsâ conscientiâ judicat se posse loco, & instar præcedentis possessionem bonâ fide ab ipso cœptam continuare.

*An eatenus bona fides auctoris prosit successori.*

# DISPVTATIO QVINTA.

## *De Injuria & Restitutione in Communi.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid Injustitia sive Injuria?*

1. *Injustitia generatim sumpta quid.*

INIUSTITIA (quæ interdum significat quemvis defectum commensurationis cum lege seu regula, adeoq; quodvis peccatum, quod proinde phrasi Scripturæ injustitia & iniquitas, quasi non æquitas dicitur) hîc sumitur pro vitio opposito justitiæ speciali: cui subjacet, qui alienũ aufert vel destruit, aut alteri suum non tribuit. Coincidit́que cum injuria, si sumatur pro actu. Alioquin injustitiæ vitium habituale est dispositio quædam habitualis in hujusmodi actum inclinans.

*Quid significet in præsenti.*

2. *Quid injuria.*

Solet autem Injuria definiri violatio juris alieni; supple, permanentis. Aliud est enim jus auferre (quod sæpe licitum est) aliud ipsum permanens lædere seu violare.

*Dupliciter contingit.*

Contingit verò hæc violatio dupliciter, videlicet iniquâ acceptione seu ablatione rei alienæ; ut quando quis rem alterius furatur, domum alienam incendit, famam aut vitam proximi tollit: vel iniquâ detentione rei alienæ, etsi eam ab altero non acceperit, aut saltem non iniquè acceperit; ut quando quis non solvit debitum, aut non reddit suo tempore depositum.

*Potest esse vel formalis, vel materialis, vel utraque simul.*

Porrò injuria oriri potest, vel ex parte inferentis tantùm, ut si v. g. alter cesserit juri suo circa rem, quæ ab alio hoc ignorante occupatur: vel ex parte patientis tantùm, ut si quis inculpabiliter jus alterius violet (quo casu melius dicitur facere injustum, quàm injustitiam seu injuriam) vel denique ex parte utriusque, si videlicet quis sponte violet jus alterius renitentis. Primo modo est formalis tantùm, secundo, materialis tantùm, tertiò, formalis & materialis simul.

3. *Nemo facit injuriam, nisi volens, nec patitur, nisi nolens.*

Est autem advertendum neminem posse facere injuriam propriè, nisi volentem, quia injuria formaliter involvit volũtarium, saltem indirectè & interpretativè. Similiter nemo patitur formaliter injuriam, nisi invitus seu nolens: eo ipso enim, quo est contentus cedit juri suo, tribuitq́ue alteri potestatem sic agendi; adeoque jus ipsius non læditur. Et hinc est famosa illa *Regula 27. juris in 6. Scienti & consentiẽti: non fit injuria, neque dolus.* Quòd tamen intelligendũ est de volente & consentiente omnia sponte; secùs si ex metu aut necessitate, adeoque cum involuntario, ut patet in solvente usuras, dante lytrum prædonibus &c. Neque enim tales verè cedunt juri suo, nec consentiunt, ut usurarius aut prædo justè accipiat, vel retineat, quod offertur. Sicut nec ille, qui optat furem aliquid accipere, ut deprehensus luat, vult illud ipsum accipi citra injuriam aut verum furtum. Unde consentiunt quidem tales in traditionẽ rei, sed non juris.

*Qualiter quodammodo volenti fiat injuria.*

4. *An volenti fiat injuria dum is nequit juri suo cedere.*

Sed dubitatur, an hæc regula locum habeat in ijs quorũ alter non habet dominium; prout sunt vita, membrum, corpus cõjugis? Respondent Doctores passim affirm. cum *D. Thoma*, prout citat & sequitur *Lessius c. 7. n. 13. Viggers Tr. 2. c. 1. dub. 2.* contra nonnullos. Et consonat *Philosophus 5. Ethic. 9.* ubi præmisso exemplo interficientis matrem volentem, ostẽdit neminem pati injuriam, nisi invitum, etiamsi possit sponte lædi & injusta pati. Idemq́ue apparet magis consentaneũ usitato sentiendi & loquendi modo; nemo enim qui volens percutitur, aut dat conjugem alteri violandam, apprehendit, aut dicit sibi factam propriè injuriam, aut de hoc meritò conqueri poterit; prout tamen communi sensu potest, qui verè & propriè injuriam patitur. Quare etiam in simili materia graviùs peccat, nolentem damno afficiens; quàm consentientem. Propter hoc denique nemo sibi ipsi propriè injuriam facit, etsi occidat se aut mutilet.

*Opinio communior negat.*

Nihilominus Nonnulli, signanter *Dicastillo*, aliter sentiunt seu loquuntur, eò quòd

5. *Fundamen-*

*tum opinionis affirmantis discutitur.*

cum tali casu jus, cui cedi nequit, maneat, consequenter illud ipsum occisione, adulterio &c. lædatur, adeoq; aliqualem inæqualitatem & injuriam volenti fieri appareat. Ad quod tamen respondere poterit priori sententiæ adhærens, propriè non lædi jus, cùm nemo jus habeat, ne volens lædatur, sed ne quid fiat se rationabiliter invito. Quare videtur posse cedere juri in tantùm, quantum sufficit, ut ipsum strictè & vulgatâ in ceteris ratione nõ violetur, dum eo uti non vult. Quamvis non ita possit cedere, ut alteri jus seu fas agendi dare queat se invito.

Difficile tamen apparet, cur non fiat læsio juris, quod integrum manet, cessione ejus existente invalidâ, adeoque quasi nullâ seu non existente: ut proinde pupillo etiam consentienti fiat quodam sensu injuria, uti contra ipsum committitur peccatum injustitiæ seu furti. Esto specialis quædam ratio injuriæ appareat in dissentiente seu invito, sicut & in violentiam passo.

6. *Actio externa an fiat injuriosa ex interiori affectu.*

Dubitatur præterea, an actio externa secundùm se non injuriosa fiat talis, si procedat ex animo nocendi seu damnificãdi? Affirmant nõnulli, quibus favet *Scotus* 4. *d.* 15. *q.* 2. *nu.* 40. *ad ult.* Qui tamen satìs explicatur de actione fraudulenta, seu quæ fraudem involvit (ut videre est in *Scholio Cavelli*) ideoque *qu.* 3. *in fine* intentionem damnificandi (utique fraudulentam) opponit intentioni consulendi sibi sine fraude. Proinde verius videtur id negari cum *Poncio d.* 32. *q.* 2. *n.* 8. & alijs pluribus: nam proximus non habet jus, ne talis actio externa fiat; sed solùm fit ei injuria per internam intentionem, adeoque jus habet, ne ponatur actio ex tali affectu; quod idem est, ac si dicatur jus habere, ne talis internus affectus adsit. Unde non tenetur ad restitutionem: cùm ea non sit annexa injuriæ merè internæ, sed quæ junctam habet exteriorẽ, seu actum externum, qui citra injustitiam fieri nequeat. Damnum autem sequitur ex actu interno injurioso mediãte actu externo, ad quem ponendum talis habet jus; adeoque ex actu interiori non sequitur, nisi eo modo, quo sine obligatione resarciendi inferri talis poterat, scilicet per actum externum non injuriosum.

7. *Objectio ex jure desumpta solvitur.*

Nec obstat *L.* 2. §. 9. *ff. de aqua & aquæ pluviæ*, ubì ait *Laleo*, alteri vicino non esse actionem, *Si vicinus flumen, torrentem averterit, ne aqua ad eum perveniat, & hoc modo sit effectum, ut vicino noceatur*, quod ut verius approbatur, *si modo non hoc animo fecit, ut tibi noceat, sed ne sibi noceat.* Cui consonat *L.* 1. §. 12. *ff. eod.* dictum *Marcelli: cum eo qui in suo fodiens vicini fontem avertit, nihil posse agi nec de dolo actionem*, approbatur, *si non animo vicino nocẽdi, sed suum agrum meliorem faciendi fecit.* Non obstat, inquam: nam sermo est de animo nocendi, qui colligitur ex actione externa injuriosa, dolosè & injustè intentata in damnum proximi, citra necessitatem aut utilitatem agentis (quæ dum âdest, non censetur in jure fieri animo nocendi) contra actionem autem iniquam) in qua etiam interior animus apertè relucet, dari indubiè potest actio.

Dubitatur denique an impediens proximum è consequendo beneficio, legato, aut alio emolumẽto sperato, faciat ei injuriam? Resp. si aliter non habebat jus, & impediatur citra vim vel fraudem, per preces v. g. promissa &c. interposita apud patronũ, testatorem vel benefactorem, constat non fieri injuriam; cum non appareat, in quo jus alterius violetur: etsi possit lædi charitas, vel, si prohibitio specialis subesset, obedientia. Secùs, si jam habebat jus v. g. per collationem ad beneficium, & impediatur à possessione, ad quàm consequenter jus habet. Quòd si per vim vel fraudem alter impediatur à bono sperato, ad quod immediatè jus non habet, fit ei injuria: jus enim habet, ne spes sua per vim aut fraudem evertatur, seu ne vis aut dolus fiat: adeoque est obligatio restituendi ei, quanti æstimabilis est spes per dolum aut vim ei erepta.

8. *Impediens alterum quò minùs consequatur bonum sperratum, an faciat injuriam.*

Potest autem injuriosa actio exerceri directè circa ipsum sperantẽ, v. g. intercipiendo litteras, impediendo ne sollicitet, aut collatorem seu testatorem adire possit, aut impediẽdo vi vel fraude Notarium vel nũtium ab altero missum ad testatorem vel collatorem. An idem sit, si ex litteris injuriosè apertis, attamen non detentis, sed tempestivè missis, discat quis vacare beneficium, indeq; excitetur ipse ad sollicitandũ, & beneficium præ alio impetret; non satìs in confesso est. Censet quidem *Lessius c.* 12. *dub.* 18. solam apertionem, non autem usum scientiæ subsequẽtem esse injuriosum, eò quòd sit dominus suæ scientiæ, etsi per injuriam (quæ non nisi desistendo à coactione, aut petendo veniam resarciri potest) acquisitæ, quâ proinde utens non facit injuriam alteri, sicut utẽs lumine accenso de lumine alterius, hoc invito. Oppositum nihilominus tradit *Lugo d.* 18. *sect.* 5. *n.* 104. eò quòd damnum sequatur ex actione injusta, quæ facit injustam esse sollicitationem aliasque actiones subsequentes alteri dãnosas. Quemadmodum idcirco talis obligaretur ad restitutionem, si ex illius injusta apertione litterarũ fieret, ut aliquis terius sollicitaret & obtineret beneficium.

9. *Duplicitèr potest hæc injuria exerceri Primò.*

*Secundò.*

Potest II. versari fraus seu vis circa ipsum testatorem, collatorem vel benefactorem, ne testamẽtum condat, aut mutet, ne Notarius aut consultor vocatus accedat, ne collator beneficium cõferat, ne dives eleëmosynam tribuat. Et tunc quidem fit huic indubiè injuria, quæ per oblationẽ violentiæ vel fraudis est reparanda. Sed etiam injuria juxta communissimam Doctorum sententiam fit ipsi speranti, qui jus habet, ne voluntas testatoris, collatoris vel benefactoris vi vel fraude aliò inflectatur, adeoque jus habet velut conditionatum in libera illius voluntate.

QUÆ-

## QUÆSTIO II.

### Quid Restitutio, Quàm Necessaria, & ex Quo capite?

10. *Quid restitutio.*

RESTITUTIO sic dicta quasi rei in statu pristino statutio; est actus justitiæ, quo præstamus ut alter iterum habeat rem suam, quæ penes nos est, vel cujus ablationis nos causa fumus; habeat, inquam, in se, quantum fieri potest, aut, si id fieri nequeat, in alio simili.

*Spectat ad solam justitiam commutativam.*

Dicitur *actus justitiæ*, scilicet commutativæ; hæc enim jus suum cuique ad æqualitatem tribuit, ac per consequens cavet ne æqualitas ista violetur, aut si violata fuerit, eam reparari curat; quod fit per restitutionem.

Quod si aliquando justitia distributiva læsa debeat restitutione reparari, id est per accidens, quatenus nimirum contingit in actibus distributionis simul etiam lædi justitiam commutativam. Minùs oritur obligatio restitutionis ex charitate (idem est de ceteris virtutibus ad alterum) cujus officium negligens, non tenetur damnis secutis, v.g. ex morte, aut infirmitate proximi, cui in necessitate constituto succurrere neglexit.

*Sufficit aliàs hanc fore ladendam.*

Non necessariò tamen prærequirit restitutio justitiam commutativam actu fuisse læsam, sed satis est, quòd saltem lædenda foret, nisi tempore & loco adhiberetur restitutio, quia videlicet versatur circa rem alterius, quæ illi reddi debet: sic v.g. depositarius debet loco & tempore reddere depositum, ubi tamen non præcessit injuria seu beneficium.

11. *In quo differat à satisfactione.*

Differt in primis restitutio à satisfactione, quòd hæc propriè respiciat personam læsam, seu ejus voluntatem, dum quis præstat id, quod alteri satis est, etsi non sit æquivalens debito. Restitutio autem respicit rem, dum exhibetur res ipsa ablata in se, aut quando id fieri nequit, in æquivalenti. Deinde satisfactio magis propriè respicit injurias illatas, abstrahendo à damnis realibus, si quæ fortè conjuncta sint: & inde dicimur Deo pro peccatis nostris satisfacere, non autem facere restitutionem. Satisfactio tamen completa & omnino propria includit restitutionem, quia non plenè ex justitia satisfacit, nisi qui voluntati personæ læsæ, & juri violato reddit æquivalens.

12. *In quo à solutione.*

Secundò differt à solutione, quòd restitutio propriè sit exhibitio rei, quæ est alterius, sic ut inde nascatur obligatio dandi illud ipsum, quod restituitur, adeò ut si alia res similis aut æquivalens substituatur, id sit per accidens, eò quòd res in se, quæ est, aut fuit domini, haberi nequeat. Res verò, per quam fit solutio, non potest esse, nec debet fuisse alterius, sed creditor tantùm habet actionem in personam debitoris, ut certam rem juxta debiti qualitatem ei præstet. Unde qui reddit depositum dicitur illud restituere, non solvere: & contrà, tribuens pretium rei emptæ, dicitur solvere, non ita propriè restituere. Frequenter tamen Theologi capiunt restitutionem tam generaliter, ut etiam comprehendat solutionem, sitque idem, quod actus quo alteri præstatur res, quæ ei ex justitia debetur.

*Restitutio generatim etiam solutionem complectitur.*

Porrò restitutio est ad salutem necessaria, necessitate nimirum præcepti propriè loquendo, quando facultas suppetit: qui enim non restituit, dum potest, voluntariè nocet, & facit injuriam proximo, impediendo eum ab usu & possessione rei suæ. Unde *Augustinus Epist.* 54. *versùs finem* quæ est ad Macedonium, ait: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, pœnitentia non agitur, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Includitur hoc præceptum restituendi in præcepto negativo *non furtum facies*: ejusdem enim rationis est furari, & detinere alienum, dum potest reddere: adeoque dum præcipitur non furari, præcipitur quoque non detineri alienum; quod fit, dum illud restituitur. Propriè autem loquendo præceptum restituendi est affirmativum, utpote quo præcipitur aliquid fieri, redditio nempe debiti ad æqualitatem. Ideoque non obligat pro semper, & ad semper: redditione enim completâ, cessat obligatio seu præceptum restituendi, manente tamen præcepto negativo non detinendi alienum invito domino, quod ad semper, & pro semper obligat.

13. *Est ad salutem necessaria ex præcepto.*

*Contento in hoc: Non furtum facies.*

*An præceptum restituendi sit affirmativum.*

Dixi, *quando facultas suppetit*: nemo enim obligatur ad impossibile. Unde quando deest facultas, requiritur & sufficit propositum restituendi, dum possibilitas aderit.

*Impossibilitas qui excuset.*

Obligatio restitutionis contrahitur ex duplici capite, videlicet re acceptâ, & injustâ acceptione, juxta Doctores communiter. Ratione rei acceptæ cõtrahit obligationem is, apud quem res aliena existit, etiamsi eam non abstulerit, sed vel à domino ut depositam aut commodatam accepit, aut ab injusto possessore per emptionem aut donationem, sive bonâ sive malâ fide, obtinuit: tametsi enim sic subinde nullam injuriam intulerit, habet tamen plus quàm suum, & verus dominus habet tantumdem minùs quàm suum. Ratione injustæ acceptionis tenetur restituere, qui per injuriã rem proximo abstulit, sive illam sibi servet, sive alteri tradat, sive auferendo destruat aut perdat, ut si quis res alterius furatur, domum incendit &c: per hujusmodi enim violatur æqualitas quã postulat justitia commutativa, quæ proinde per restitutionem debet reparari. Quòd si res ablata extet apud injustè auferentem, tenebitur is utroque titulo, & ratione injustæ

14. *Oritur ex re accepta.*

*Vel ex injusta acceptione.*

*Vel ex utroque.*

injustæ acceptionis, & ratione rei acceptæ.

15. *Quid censendum de titulo contractûs.*

Petes, quo titulo teneatur emptor v. g. præstare pretium rei emptæ, mutuatarius mutuum &c? Non enim ratione injustæ acceptionis, ut patet, non etiam ratione rei acceptæ: nam potest fieri, ut hæc non extet apud ipsum, ut si fortuito perierit. Resp. I. ex his contractibus non oriri propriè obligationem restituendi, sed solvendi aut satisfaciendi actioni, quàm habet venditor v. g. aut mutuator in personam emptoris aut mutuatarii, non autem in ipsam rem, quam proinde jure repetere non potest, etiamsi adhuc extaret; restitutio verò requirit reddi rem, quantum fieri potest, eamdem. Resp. II. generaliùs accipiendo restitutionem, posse addi tertium titulum, unde contrahatur obligatio, scilicet contractum: per hunc enim acquiritur etiam jus ad rem, quæ proinde tribuenda est, ne justitia violetur: ideoque in exemplis propositis erit obligatio restituendi ex contractu.

## QUÆSTIO III.

### *Ex Qua culpa oriatur Obligatio Restituendi Damnum?*

16. *Damnum casu ortum an quis præstare debeat.*

Jurisperiti triplicem statuunt causam damni, dolum scilicet, culpam & casum. Et quidem damno, quod in re aliena oritur ex casu (fortuitò nimirum, quia prævideri aut impediri non potuit, adeoque accidit nihil eorum omisso, quæ humanitus adhiberi, vel facto eorum, quæ omitti debuissent) certum est neminem per se loquendo obligari, sed rem ita pereuntem domino perire; quando nimirum is, apud quem perit, detinendo non est in culpa, aut mora culpabili, & præsertim quando non intercessit pactum, sive gratuitum, sive oneroſum, de præstandis etiam casibus fortuitis.

17. *Dolus quid.*

Dolus censetur committi, utì *l. 1. ff. De dolo malo* explicatur, quando aliud agitur, aliud simulatur; vel quando adhibetur calliditas, fallacia, vel machinatio ad alterum decipiendum seu circumveniendum. Qui quidem est dolus occultus, & frequenter censetur etiam à Theologis nomine fraudis aut doli. Sed ad præsens propositum loquendo juxta stylum juris, committitur dolus etiam ubi deceptio seu simulatio abest, minimeque tegitur consilium nocendi; veluti malo dolo dicitur facere qui metum infert, qui rapit, vel aperto marte occidit *L. 2. §. doli mali 8. ff. de vi bonor. raptor. L. 14. §. 13. ff. Quod metûs causa.* Ut proinde aptiùs dicatur generatim consistere in machinatione injustè damnificandi facto vel omissione, consultò & scienter adhibitâ; ut tradit *Gudelinus in Syntagm. Reg. Juris c. 17. nn. 2. & seqq.* Estque dolus in omni negotio præstandus damnum passo, juxta omnes.

*Est semper præstandus.*

Culpa juridica seu stylo juris interdum etiam dolum complectitur. Hic verò solet à Juristis contra dolum distingui, quòd careat consultâ & intentâ machinatione mali, sed potiùs consistat in quadam incircumspectione seu negligentia damnosa, quatenus vel fit aliquid quod debuisset omitti, vel omittitur quod fieri debuisset. Dividiturque in Latam, Levem, & Levissimam. Culpa lata contingit, quando fit vel omittitur, quod quilibet facilè advertit non fieri vel non omitti debuisse, ideoque non cadere solet in homines passim circa res proprias. Unde *Lessius, VViggers* & alii vocant omissionem diligentiæ ab hominibus ejusdè sortis passim adhiberi solitæ. Quare *L. Latæ 223. ff. de verb. signif.* dicitur *Latæ culpæ finis est, non intelligere id, quod omnes intelligunt.* Quæ quidem non consistit in indivisibili, ut proinde una possit esse altera latior. Hæc tamen differentia non deservit præsenti proposito sed potissimùm concernit judicem, quatenus juxta modum culpæ latæ pœnam determinet. Et *L. Magna 226. ff. eod.* dicitur: *Magna culpa, dolus est*; quatenus nempe in jure dolo comparatur *L. 1. ff. Si mensor &c.*

18. *Culpa quid.*

*Culpa lata.*

*Aliter ab aliâ latior.*

*In jure comparatur dolo.*

Levis culpa stylo juris (ut videre est apud *du Bois ad Reg. 23. juris civil. cap. 5.*) est, quando diligentia, quæ adhibetur, non est exacta, quantam scilicet adhiberet rebus proprijs prudens & diligens paterfamilias; seu (ut *Lessius, VViggers* & alii loquuntur) quando omittitur diligentia, quam diligentiores in ista hominum sorte adhiberent. Levissima, quando prædicta quidem diligentia adhibetur, non tanta tamen quantam adhiberet diligentissimus. v. g. culpa lata est, si quis noctu domum relinquit apertam; Levis, si non clausis fenestras altiores, quàm ut de plano per eas intrari possit: Levissima, si fenestras versus publicum remotioresque à locis, in quibus domestici dormiunt, non munivent ferreis perticis, de his plura vide apud *Du Bois ad Reg. 23. cit.*

19. *Levis culpa.*

*Levissima culpa.*

*Exemplum singularum.*

Culpa juridica potest dari sine culpa formali, seu in conscientia; quæ Theologica dicitur, quatenus est offensa Dei; Philosophica quatenus est deliberata actio vel omissio contra dictamen rationis. Si enim omissio diligentiæ debitæ fiat ex naturali oblivione vel inadvertentia, erit quidem culpa juridica, non tamen Theologica vel in conscientia. Estque nunc videndum, quomodo, & ex qua culpa quis teneatur ad resarciendum damnum per illam illatum.

20. *Culpa Juridica qui differat à Theologica, sive Philosophica.*

Et in primis quidem communiter ab omnibus admittitur, teneri hominem circa res alienas adhibere cõmunem diligentiam, qualis solet adhiberi in proprijs; sic ut liberè & advertenter illam omittens teneatur

21. *Damnum ex culpa gravi juridica oriatur, tenetur, & natum præstare tenetur.*

teneatur præstare damna secuta. Ideoque ex culpa lata cogetur quis à judice ad reparationem damnorum. Nec solet in foro externo credi prætendenti suam innocentiam in foro conscientiæ, fundatam in defectu advertentiæ; quam quisque facilè prætexeret.

22. *Non tamen in foro conscientiæ, si nulla subsit culpa Theologica seu Philosophica.* Quòd si tamen reverà in illatione damni, etsi gravis, omnis culpa in conscientia, adeoque formalis injustitia absit, v.g. si sequatur incendium, ex quòd fuerit omissa per puram oblivionem & inadvertentiam extinctio candelæ, communis Theologorum sententia tradit, secluso contractu, non oriri in conscientia obligationem reparandi damnum cum proprio saltem incommodo, non obstante etiam culpâ juridica latâ. Probatur: quia non est obligatio ratione rei acceptæ; quæ supponitur non extare, saltem in potestate damnificantis. *Probatur.* Non ratione injustæ acceptionis, utpote quæ formaliter non est injuriosa, defectu advertentiæ, adeoque libertatis. Quare sicut propterea stultus aut dormiens non tenetur in conscientia præstare damna, sic nec is, qui ab injuria formali excusatur, eò quod non fuerit similiter voluntaria seu libera.

23. *Probationes cujusdam Neoterici examinantur.* Probat id ipsum *Franciscus Bona Spei Tr. 1. d. 17. dub. 4. nu. 40*, ex *c. Fin. de injuriis*. Sed potiùs hic canon faceret difficultatem in oppositum (ut infrà patebit) ut multum sit, si bene cum nostra doctrina concilietur. Neque Pontifex apertè significat (quod idem ait) excusari à restitutione, qui ne damnum inferret, nil omisit, quod in conscientia adhibere debuit, quasi (quod solum faceret ad præsens intentum) sufficiat nil esse omissum cum culpa formali, sed cum *qui de contingentibus*, quæ scilicet per se & à parte rei adhiberi debuerant, *nil omisit*.

Probat præterea ex hoc, quòd juxta *L. 3. ff. ad L. Aquiliam* oporteat esse factum injuriâ; quæ *L. 5. ff. eod.* negatur esse in infantibus & amentibus, quia proculdubio culpâ philosophicâ & theologicâ carent: ergo (inquit) consequenter non est ad restitutionem obligatio in eis, qui hac culpâ carent. Sed nimis aberrat à scopo Legum, in quibus agitur de culpa juridica, quâ utique hi non carent, etsi careant infantes & amentes. Unde injuria *L. 5. cit.* dicitur, *quod non jure factum est, id est, contra jus &c. Igitur injuriam hîc damnum accipiemus culpâ datum, etiam ab eo qui nocere noluit.* Ideoque actione legis Aquiliæ tenetur quis non solùm ex dolo & culpa lata, sed etiam ex levi, immo juxta *L. 44. ff. eod.* ex levissima. Videri possunt exempla, quæ allegantur *Tit. cit.* & *Instit. de L. Aquilia*, & *Zoezius ad ff. eod. tit. n. 5.* & *Tulden. ad Instit. de L. Aquilia c. 2. & 3.*

24. *Quid si* Dixi *cum proprio saltem incommodo*: nam si absque eo posset damnum facto meo illatum restitui, ratio postulare videtur, ut restituatur, veluti moraliter adhuc in potestate mea extans. *absque incommodo posset damnum reparari.* Unde si quis inculpabiliter crimen alienum alicui detexit, bonâ fide existimans esse publicum, tenetur famam, si commodè possit, reparare, etiam ex justitia, ut tradit *Lessius c. 11. dub. 22.* & alii passim.

Dices *ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Et *ff. de noxalibus actionibus*, datur actio contra dominum ex damno illato per mancipium vel pecus suum, teneturque vel ipsum damnum resarcire, vel rem quæ damnum intulit noxæ dedere, id est, pro noxa seu damno dare damnum passis, ut ex corporibus mancipiorum vel pecudum, quæ nil à se distinctum habent prætio æstimabile, damnum sibi compensent. Quod non solùm est conforme Legi Mosaicæ *Exodi* 21. sed etiam approbatur à Gregorio IX. *c. fin. de Injuriis* dicente: *Quòd si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum.* Similiter *ff. ad L. Aquiliam* datur actio ex culpa juridica, etiam ubi non est culpa in conscientia. Quod iterum probat *Gregorius IX. sup.* dicens: *Si culpâ tuâ datum est damnum &c. jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.* Quare tandem eum solum excusat, *qui ut non accideret, de contingentibus nil omisit.* 25. *Variæ objiciuntur ex jure.*

Resp. Leges istas respicere forum externum, & quamvis non sint propriè pœnales, esse tamen quasi pœnales, supponereque culpam saltem juridicam in mancipio damnificante, aut noxam in pecude, adeoque juxta doctrinam *Petri Navarræ* & aliorum non obligare ante sententiam, neque aliter esse usu receptas: homines enim passim has leges, aut aliam earum obligationem ignorant. Proinde *Gregorius IX.* agens de noxa datâ per animalia nostra, etiam intelligi potest de obligatione in foro externo, in quo vel reparatione damni, vel animalia noxæ dando quis liberat se ipsum ab actione impetitoris (à qua etiam per mortem, aut fugam animalis liberatur dominus; quod ipsum tamen ex naturâ rei non magis obligatum manet pro noxa, quàm statua ænea, quæ casu lapsa, aliquem læsit, maneat obnoxia) aut certè non est aliter usu receptum. Quamvis propter hoc sententia contraria multorum doctorum quoad hoc sit probabilis juxta *Lessium c. 9. dub. 17.* Idemque est de actione *L. Aquilia*, si culpa in conscientia absit, scilicet eam solùm respicere forum externum, & quid agendum post sententiam judicis: Etsi contradicat *Covarruvias*, quem citat & sequitur *Zoezius in d. tit. num. 6. Gregorius* autem se reflectens ad jus Civile, loquitur de satisfactione, 26. *Responsio.*

quam eodem jure dare oportet, scilicet in foro externo, & post sententiam; vel certè loquitur de ignorantia vincibili, adeoque de culpa in conscientia. Unde manet doctrina communis de exoneratione damnificantis sine peccato quoad forum conscientiæ à restitutione. Si tamen legibus positivis aliud statueretur boni publici causâ, earumque in conscientia obligatio satis innotesceret, consequenter esset juxta illas etiam in foro conscientiæ procedendum, manente eo, quòd ex natura rei talis obligatio non adsit. Quæ tamen videtur adesse in quantum ex noxa data per animal dominus factus est ditior, v. g. parcendo pascuis proprijs.

27. *Mores hodierni.*

Hodie autem indistinctè obtinuit juxta *Valer. Andr. ad Instit. Si quadrupes pauperiem in addit. nu.* 4. pecus in alienis pascuis extra tempora permissa deprehensum includere, & loco pignoris detinere liceat domino seu colono prædii, donec ei pro damno dato satisfiat: Noxales præterea servorum actiones hodie apud nos nullæ sunt, adeò ut & nomen illarum à foro nostro exularit; eò quòd mancipia hîc nulla sint, sed homines servientes quidem, liberi tamen, qui ipsi ex suis delictis tenentur, non autem dominus, regulariter loquendo. Vide *Valer. Andr. ad Instit. de Noxal. act. in addit. num.* 4.

28. *Damnificatio deliberata obligat pro sui qualitate ad reparationem.*

Quòd si sit damnum datum cum perfecta advertentia, etiam in materia levi, constat apud omnes esse obligationem damno proportionatam: quemadmodum si grave sit damnum ita voluntariè illatum nascitur indubitanter gravis obligatio resarciendi totum.

*Quid censendum, si interceſſerit deliberatio imperfecta seu venialis.*

Sed difficultas est, si culpa sit imperfecta in ratione formalis injustitiæ, puta quia fuit imperfecta advertentia excusans quidem in conscientia à culpâ gravi, & perfecta injuria formali, non tamen ab omni, saltem levi, in conscientia. De qua nihilominus *Soto, Navarra, Saa, Henriquez, Sanchez, Lessius, VViggers* & plurimi alii censent etiam excusare in foro conscientiæ à reparatione damni idque ob imperfectionem actûs in ratione injuriæ, unde videtur non posse consurgere obligatio restituendi, saltem perfecta seu gravis: quæ planè abstraheret homines ab immiscendo sese rebus proximi cum præjudicio humanæ societatis, si ex veniali negligentia seu inconsideratione, quæ facilè obrepit, oriretur adeò gravis & difficulter tolerabilis obligatio. Immo nec imperfectam seu sub veniali oriri obligationem probatur ex eo, quòd mirum videretur obligari aliquem ex jure naturæ ad restitutionem gravissimæ materiæ, v. g. centum mille aureorum, sub solo veniali, à quo proinde aliàs non possit absolvi. Nec facilè inveniretur, qui id præstaret: ut proinde modicum hæc obligatio emolumentum adferret damnum passo, & maximum onus uni forte inter myriades, qui illud subiret. Quòd si asseratur obligatio venialis restituendi quid leve v. g. 10. stuferos; etsi hæc minus incommodi habeat, quid tamen ipsa in tanta summa seu damno juvabit? Confirmatur: quia juxta communem sententiam nemo tenetur ex voto aut contractu, nisi perfectâ deliberatione inito. Nihilominus hæc doctrina non est certa, varijs obligationem restituendi etiam gravem ex culpa veniali oriundam, sive ad totum damnum, sive ad partem pro qualitate culpæ agnoscentibus, veluti ab æquitate non alienum aut ex ea debitum. Proinde ad securitatem conscientiæ serviret, si aliqua moderata transactio fieret, ac damnum passo aliquousque fieret satis.

29. *Ex contractu qui nasci possit debitum præstandi culpam, etiam leviſſimam.*

Præmissa sunt intelligenda secluso contractu seu quasi contractu. Hinc enim oriri posset obligatio in conscientia citra omnem injustitiam formalem ex culpa juridica, etiam levissima, si id in justum pactum, sive gratuitum, sive onerosum, fuerit deductum, prout sanè interdum deduci posset, utì & præstatio casûs fortuiti.

*Quid juri naturæ ſufficiat.*

Quamvis alioqui lege naturali justitiæ sufficeret in rebus alienis adhiberi consuetam, & in rebus proprijs adhiberi solitam, adeoque ab ipso rei domino adhibendam diligentiam. Ut proinde leges amplius statuentes superaddant id rigori justitiæ, ut rectè *Lessius cap.* 7. *dub.* 8. & alii passim docent. Honestas quidem seu gratitudo exigit, ut circa alienas res, quibus nostri gratiâ utimur, simus magìs circumspecti, non tamen ex natura rei id exigit justitiæ rigor. Quod non parum confirmatur ex eo, quòd juxta *L.* 8. §. 3. *ff. de precario* dumtaxat dolum, & culpam latam (quæ ibidem dolo proxima dicitur) præstare teneatur precariò accipiens, eò quòd precarium sit ad nutum concedentis jugiter revocabile, secùs quàm commodatum, ad certum scilicet usum vel tempus, in quo tenetur commodatarius præstare etiam culpam leviſſimam *L. Si ut certo ff. depositi*, & *L. Un. de Commodat.* Et tamen satìs patet differentiam istam in sola congruentia (quæ etiam cessat, dum tempus commodati expiravit, & res de præsumpta domini licentia adhuc detinetur, cum onere præstandi culpam levem, ut arguit *Lugo d.* 8. *sect.* 8. *n.* 104.) fundatam, non sufficere ad hoc, ut ex natura rei & legibus justitiæ præcisè, ex precario sola culpa lata, ex commodato etiam leviſſima sit præstanda.

30. *Quæ culpa ſecundùm leges præſtanda, dum res aliena eſt penes nos ex certis generibus contractuum. v. g. ex*

Legibus itaque positivis statutum est, ut) nisi aliter conventum sit: nam *in singulis contractibus hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim contractus dedit, L. contractus* 23. *ff. de reg. juris*, ubì excipitur, si conveniatur, ne dolus præstetur) si res alterius sit apud me vi contractûs cedentis in mei solius commodum, ùtì fit regulariter in commodato, nempe citra pretium

(hoc

*commodato, vel precario.* (hoc enim interveniente miscetur conductio) tenear de culpa etiam levissima. Excipitur precarium, juxta præmissa *n. præced.* Si cedat contractus in gratiam alterius dumtaxat, utì in deposito, teneor solùm

*Ex depositio &c.* de dolo; supplè cum *Glossa* & omnibus Doctoribus, vel culpâ latâ, quæ *dolo proxima, dolum repræsentat*, prout dicitur *L. 1. §. 2. ff. Si is qui testamento.* Unde etiam si commodatum detur gratiâ solius alterius, v.g. ad excipiendum ejus amicos, solùm præstatur dolus & culpa lata. Excipiuntur in jure quidam contractus, ut mandati, tutelæ, negotiorum gestorum, ob rationes speciales, quæ legislatorem impulerunt. Denique si contractus cedat in commodum utriusque, ut fit in pignore, con-

*Ex pignore, conductione &c.* ductione &c. teneor de culpa lata & levi, non tamen levissima. Vide *L. Si ut certò ff. Commodati, L. Contractus 23. ff. de reg. juris, Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio.*

31. *Quam culpam præstet nauta, cauponæ &c.* Nautæ nihilominus, Caupones, & Stabularii, qui res hospitum, eorumque qui venhuntur, custodiendas receperunt, levissimam culpam præstant *L. 3. §. 1. ff. Nauta, Caupones, Stabularii.* In contractu quoque societatis, etsi in utriusque bonum cedente, præstanda non est levis culpa adeò exactè, sed ad modum quo quis rebus suis

*Quæ culpa præstanda ex contractu societatis.* utitur, etsi parum in ijs sit negligens, quasi sibi imputare debeat adhibens socium non adeò diligentem *L. 72. ff. pro socio.* Idemque est de ijs, inter quos citra societatem res aliqua v.g. hereditas, est communis *L. 25. §. 16. ff. Familiæ erciscundæ.* De quibus plura videri possunt apud Jurisconsultos, signanter *Du Bois ad reg. 23. juris Civil.* Attendendæ quoque locorum consuetudines,

*Consuetudines Mechlinienses circa depositum.* quæ variari possunt. Sic enim *Consuetudines Mechlinienses Tit. 8. a. 15.* Statuunt; depositarium, etiam citra mercedem, suscipere rem suo periculo, tenerique ad omnem damnum, excepto casu inevitabili & vi majori.

32. *Leges hæ, an obligent ante sententiam.* Quia verò prædictis juribus statuitur id quod æquitati consonum est, & cavendis fraudibus ac negligentijs opportunum, censetur juxta receptam Doctorum opi-

*Opinio asserens.* nionem (quam sequitur *Lessius c. 7. dub. 8. VViggers Tr. 2. cap. 1. dub. 7.* & alii passim) eorum dispositio in conscientia & ante omnem sententiam judicis obligare, & in conditionem talium contractuum transire, adeò ut v. g. commodans censeatur imponere, & commodatarius acceptare onus diligentissimè rem custodiendi.

33. *Opinio nec tuta cum suo fundamento.* Oppositum nihilominus censet *Soto, Saa, Henriquez*, alios referens, *Ledesma* & alii, ac probabile censet *Lessius sup. Filiucius, Diana* & alii, ut refert *Lugo disp. 8. sect. 8.* in hoc ipsum valde propendens, quantum ad præstationem culpæ levis & levissimæ. Ratio assignari potest, quòd leges istæ, etsi potuerint strictius obligare, non tamen id satis constet; & aliunde videatur sequi conditionem legum pœnalium, quatenus supponunt culpam saltem juridicam, adeoque non obligent ante sententiam: aut certè quòd non sint in alio rigore usu receptæ pro foro conscientiæ, hominibus passim existimantibus se ex justitia non debere majorem adhibere diligentiam in custodia pignoris vel rei venditæ, quàm dominus ipse adhibere soleat. Idemque videri potest in commodato: etsi id cautiùs custodiant ob notam inhonestatis aut ingratitudinis cavendam. Nec minorem apprehendunt custodiam precario, quàm commodato deberi. Utrumque autem etiâ calu destructum sæpe ex honestate præstant. Cùm ergo in obscuris minimum sit sequendum, denegari nequit huic sententiæ nota probabilitatis, donec legislatores apertiùs mentem declarent. Fatendum saltem adesse obligationem in conscientia post sententiam, cui veluti justè omnino parendum.

Ad contractum revocari solet officium, quo quasi ex contractu censentur Officia-

34. *Ex vi officii qua culpa præstanda.* rii obligati ad ea, quæ muneris sui sunt. Ex qua verò culpa teneantur, Varii variè sentiunt. Sententia nihilominus plurimorum (quam sequitur *Vasquez, Lessius*, ut citat & sequitur *Lugo disp. 8. sect. 7.* dicens esse jam communem) est, eos non teneri etiam ex culpa levi; eò quòd oppositum censeretur onus gravissimum, quale homines in se non agnoscunt, neque creduntur velle suscipere, dum officium suscipiunt: quòd etiam respublica non videatur plus ab ipsis sub gravi obligatione exigere, quàm ut eam diligentiam adhibeant, quam ceteri prudentes in eo officio adhibent. Et consonat praxis: nam ut testatur *Julius Clarus* adferens alios Auctores (teste *Lugo sup. nu. 92.*) judices & alii Officiales hodie non accusantur, nisi de dolo & culpa lata. Quamvis (ut notat *Lugo*) in ijs aliquando æstimetur culpa gravis, quæ in officio carentibus censeretur levis, utpote non excedens communem diligentiam hominum istius sortis seu officii. Immo probabilem censet idem *Lugo sup.* sententiam *Soti* (quam ait multis Recentioribus doctissimis placere) asserentis, neminem ex officio teneri in conscientia ad damnum solvendum etiam ex culpa lata, nisi foret simul theologica, & quidem gravis.

Plura de coöperantibus ad damnum, & alijs, quæ restitutionem in communi quodammodo spectare videntur, commodiùs agendo de restitutione bonorum fortunæ (in quibus potissimùm usuveniunt & specificari solent) tractabimus. Itaque ad injurias in particulari, & restitutionem correspondentem nunc descendendum. Variæ porrò sunt iujuriarum species, utì bonorum, in quibus ipsæ versantur; nimirum in bonis animi, corporis, famæ & honoris, ac tandem externorum seu fortunæ.

*Variæ injuriarum, utì bonorum, species recensentur.*

# DISPVTATIO SEXTA.

## De Injurijs in Bonis Animi & Corporis, Ac Restitutione Necessaria.

### QUÆSTIO I.

### De Injurijs in Bonis Animi, & Restitutione.

1. *Varia animi bona.*

BONA animi quædam sunt naturalia, ut ingenium, libertas, scientiæ naturales &c. quædam supernaturalia, ut jus ad sacramenta, status gratiæ, innocentia vitæ &c. Certumque est hominem in similibus non minùs posse pati injuriâ & damna, quàm in bonis inferioribus. Sic etenim qui philtro vel aliter privat hominem v.g. sensu vel usu rationis, gravissimam injuriam cum damno ei infert; quamquam ob impossibilitatem reparandi in se aut æquivalenti, excusetur à restitutione, sitque satis, ut pœnitentiam coram Deo agat, & veniam pro injuriâ petat, si auctor noscatur. Pro damno nihilominus temporali quod inde sequitur, tenetur facere compensationem, v.g. si artem lucrosam deinceps non valeat obire. In quo est paritas inter illum & mutilantem. Soletque in hujusmodi quoque intervenire læsio organi corporei.

*In quibus est locus injurijs ac damnis.*

*Privans aliquem usu rationis ad quid teneatur.*

2. *Qui peccet & ad quid teneatur inducens alterum ad malum per vim vel fraudem.*

Similiter qui alterum vi seu metu & minis, vel fraude retrahit à virtutibus, aut inducit ad peccatum, vel errores contra fidem aut mores, peccat indubiè non solùm contra virtutem in cujus materia versatur peccatum alterius, sed etiam contra justitiam: cùm hujusmodi vis & fraus sit apertè ei injuriosa, non minùs quàm in alijs materijs, ratione sibi congenitæ libertatis & juris ad illam. Quocirca obligatur talis ex justitia vim tollere, errorem fraudemve dejicere. Et mala quæ interim alter facit, esto per ignorantiam excusaretur, imputantur tamquam voluntaria ipsi impostori. Adeò verum est illud *Hesiodi*: *Malum consilium, consultori pessimum.* Immo etiam damna spiritualia, si quæ ratione hujus injuriæ alter patitur, tenetur injuriosus, quantum possibile est, in rigore reparare.

*Quid si vis & fraus abfuerit.*

Quòd si verò nulla vis vel fraus intercesserit, consequenter non subfuit vera injuria, adeoque nec injusta damnificatio, quæ sit restitutioni obnoxia: nisi peccatum ad quod alter inducitur sit tertio injuriosum, v.g. si suadeatur alteri, ne debitum solvat. Quocirca pertrahens aliquem sine vi vel fraude ad malum, manet solùm ex charitate obligatus invendere correctioni scandalizati. De quo in materia de Scandalo actum est.

Hinc etiam qui per preces vel promissa sine falsis suggestionibus avertit adolescentem vel Novitium à Religione, non est obligatus ex justitia sive Religioni sive Novitio, cùm non sit commissa injustitia.

3. *Quid si absque vi vel fraude avertatur à Religione Novitius Aut etiam professus.*

Idemque censet *Lessius c.8. dub.3.* si ita persuadeatur fuga professo, quòd scilicet non tantùm non fiat injuria fugitivo, sed neque Religioni, quantum ad operas religiosi temporaliter utiles, quibus exinde caret Religio, cui nimirum non erant ab ipso (qui est principalis) ex justitia debitæ; ut proinde suasio fugæ, esto quà talis esset injuriosa Religioni ratione juris acquisiti per professionem in religiosam personam, non tamen quatenus respicit otium, quod etiam expressè ei persuadendo, non fieret strictè injuria: quæ citra vim & fraudem non est in cooperatione, quando non est in ipso principalis agêtis opere. Quemadmodum idcirco suasione solâ flectens alterum, ne leget petro pecuniam, non facit huic injuriam; eò quòd nec ipse principalis injuriam committat, si legatum non facit. Quare præter *Lessium* sic sentit *Sanchez, Soto, Ledesma, Aragon, Navarra* apud *Lugo d.9.s.3.n.41.* qui & ipse ei ut probabili acquiescit.

4. *Quid si ea cauſatum sit abhibita vi vel fraus.*

Quando verò per violentiam aut fraudem quis avertit alterum ab ingressu vel perseverantia in Religione, tenetur ex justitia vim seu dolum tollere, eidemque persuadere reditum, ut docet *Soto, Sanchez* & alii, & omnino verum videtur *Lugo d.9. s.3. nn.28.* qui addit etiam teneri ad detrimentum, sive temporale, sive spirituale, quod ea de causa alter est passus, reparandum, si fieri possit.

Addunt præterea plures Doctores, *Scotus dist.15. qu.3. in fine, Antoninus, Paludanus, Gabriel, Sylvester, Adrianus* & alii, quos ex *Sanchez* refert *Lugo sup. n.29.* oportere ex justitia procurare, ut si alter redire nolit, alius æquivalens intret; alioquin ipsum damnificantem debere intrare. Quod postremum tamen non habet *Scotus.* Et negatur utrumque à *Soto, Sanchez* & alijs passim, ut citat & sequitur *Lugo nn.30. & seqq.* eò quòd in foro externo non soleat talis obligatio imponi, immo nec teneatur ad alterutrum, qui religiosum occidisset. Credo saltem (quidquid sit de rigore) Religionem facilè censeri hujusmodi compensationem non exigere, quæ non videtur moribus recepta.

Ad emolumenta temporalia sperata, ad quæ Religio necdum jus habebat, & quæ valde

valde per accidens seu remotè ipsam tangunt, probabile censet *Sanchez* non extendi onus restituendi. *Lessius* quoque *c.8.dub. 3. num. 15.* probabile censet non teneri ad compensanda damna monasterii, si seductus restituatur libertati, dum adhuc ei est integrum (prout frequenter non est) redire, quasi deinceps solus novitius suâ liberâ voluntate censeatur horum damnorum causa. Sicut qui fraudem tolleret antea resoluto facere Petro legatū, si fraus tollatur re integrâ, ad nil tenetur Petro. Nihilominus si occasione fraudis vel vis illatæ mutarit Novitius seriò animum, deceptor videtur causa damni, ut inquit idem *Lessius sup.* Eumdem ad restitutionem obligari, communis quoque aliorum doctrina apud *Lugo n.33.* (qui illam sequitur cum quâdam limitatione) tenet: quemadmodum ad restitutionem tenetur impediens alterum per vim vel fraudem à consecutione legati vel beneficii. Quod facilius cernitur in casu singularis metus & industriæ candidati, aut etiam quando certò moraliter expectatur pinguius legatum. De cetero operæ temporaliter utiles compensantur ordinariè per alios citra præjudicium, quod apud Religionem in considerationem veniat.

5. *Quid denique si id fiat circa professum.*

Si professum quis extraxerit à Religione vi vel fraude, debet hæc in primis ex justitia auferri, detrimentaque quæ inde passus est, reparari, & reditus procurari, quantum possibile est. De substituendo alio ex jam dictis patet quid dicendum. Damna temporalia, quæ ea de causa Religio incurrit, debent similiter compensari, utpote orta ex violenta seu fraudulenta extractione professi. Compensatio autem ista debet fieri attentâ spe lucri, deductisque expensis faciendis. Vide plura apud *Lugo sup. Lessium sup.* & alios.

## QUÆSTIO II.

### *An licitum sit Occidere vel Mutilare Seipsum?*

6. *Suicidium propriâ auctoritate semper illicitum.*

DICO I. Illicitum est, cujusvis mali carendi cavendive causâ, occidere propriâ auctoritate directè seu ex intentione seipsum. Est indubitatum apud omnes contra quosdam ex *Donatistis* dictos *Circumcelliones* apud *Augustinum Hæresi 69.* qui per mortes varias seipsos necare consueverant; adeoque veri erant diaboli martyres. Assertionem pulchrè tradit idem *Augustinus 1. de civit. c.17. & seqq* Et signanter *cap.22.* ostendit suicidium non tam esse signum fortitudinis, quàm formidinis. Vide etiam *c.26.* & alibi.

*Probatur auctoritate.*

Probatur ex præcepto decalogi simpliciter lato & semper intellecto: *Non occides.* Quo omnis hominis, adeoque à fortiori sui ipsius occisio prohibetur. Ubi proinde (ut notat *Augustinus sup. c.20.*) non fuit additum *proximum*, uti in illo: *Non loqueris adversus proximum tuum falsum testimonium.* Quamvis nihilominus satis censeretur fuisse inhibita occisio sui, uti & prohibitum censetur falsum testimonium contra seipsum; nimirum quia nemo sibi seipso propinquior. Unde cùm ob propinquitatem majorem parricidalit sceleratior simplici homicidâ, *sine dubio* (inquit *Augustinus l. de patientia c. 13.*) *pejor est, qui se occidit: quia nemo est homini seipso propinquior.*

*Et ratione,*

Ratio fundamentalis est: quia nemo habet jus in vitam propriam, sed solus Deus; cujus proinde concessio foret ad suicidium necessaria: quæ adeò non subest, ut potiùs subsit strictissima prohibitio. Estque idem judicium naturæ non obcœcatæ naturaliter insitum. Immo (ut ait *Josephus lib.3. de Bello Judaico cap.14.*) *propriâ manu perire à communi omnium animalium natura discrepat, eoq; modo in creatorem nostrum Deum summum scelus admittitur. Nullum enim est animal, quod ex industria vel per se moriatur.*

Dixi *propriâ auctoritate*: jussu enim & auctoritate Dei indubiè id liceret. Sic excusatur factum Sampsonis ab *Augustino 1. de civit. cap. 21.* Immo *nec Sampson aliter excusatur* (inquit S. Doctor) *quòd se ipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Eodem modo excusari potest factum Eleazari occidentis elephantem, cujus se mole noverat opprimendum *1. Machab. 6.* Sic quoque communiter excusatur factum famosum S. Apolloniæ, & ab *Augustino 1. de civit. c.26.* factum simile aliarum virginum pro custodia pudicitiæ se nihilominus à tyrannis necandas occidentium; quæ ab Ecclesia pro martyribus coluntur. Quæ nihilominus (ut notat *Lessius c.9.dub.6. nu.24.*) censentur martyres, quatenus propter fidem Christi ad hoc quodammodo fuerunt compulsæ, sic ut moraliter censeantur ab ipsis persecutoribus occisæ. Possent tamen quarumdam virginum se pro tuenda pudicitia occidentium facta præter modum ex *Augustino* præmissum excusari per ignorantiam inculpatam; quæ facilius potuit in hujusmodi simplicioribus interveniisse: cùm & ipse *Hieronymus in cap.1. Jonæ circa finem* id licere, satis apertè insinuarit dicens: *In persecutionibus non licet propriâ perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur.* Alterutro quoque horum modorum excusatur factum Clarissarum apud *VVaddingum in Annal. Minor. ad annum 1291. n. 1.* quæ omnes hortatu & exemplo Abbatissæ sibi nasos abscideruntsive etiam varijs ictibus facies deformarunt, ut horrori effectæ Saracenis urbem Ptolemaidam invadentibus, ab eisdem non prostituerentur; à quibus

7. *Licitum illud facit Dei jubentis auctoritas.*

*Per quam excusantur facta Sampsonis, Eleazari, Apolloniæ, & quarūdam aliarum virginum.*

*Cur hæ uti martyres colantur.*

*Ignorantiâ possent quoque facta quarumdam Virginum excusari.*

*Factum notabile Clarissarum Martyrum Ptolemaidæ.*

à quibus nihilominus glorioso Martyrio decoratæ sunt. Prudenter tamen examinandum, an dum prætenditur divina inspiratio; nullo ipsa (ut monet *Augustinus supra*) nutet incerto, & non potiùs ille, qui se transfigurat in angelum lucis, sub specie melioris vitæ callidè ducat in miserrimam.

*Cautela.*

8. *An justè condemnatus auctoritate judicis possit se occidere.*

Petes, an auctoritate judicis justè damnatus ad mortem, possit eo jubente vel committente, esse minister justitiæ se ipsum occidendo? Affirmat *Poncius d. 52. q. 4. num.* 18. Quod magis videri posset admittendum; si morte leviori v.g. sumptione veneni per se exequendâ vitaretur longè acerbior justè aliàs infligenda. Quamvis autem ex ratione naturali fortasse difficulter id posset falsitatis convinci, admittendum tamen non videtur: tum quia repugnat communissimæ omnium Doctorum sententiæ, quam *VViggers Tr. 2. cap. 2. dub. 14. num. 96.* censet indubitatam, & à qua in re tanti momenti ob plausibilem aliquam rationem non est facilè recedendum. Tum quia *quasdam exceptiones divina fecit auctoritas, ut liceat hominem occidi. Sed his exceptis .... quos lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet* (inter quos non legitur casus prælens) *quisquis hominem, vel seipsum vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*, ut ait *Augustinus 1. de civit. cap. 21.* & refertur c. *Si non licet, 23. quæst. 5.* Tum quia nemo censetur idoneus minister justitiæ in se ipsum, utì nec in proprium patrem: ut proinde talis modus suicidii videatur non esse à Deo concessus; qui idcirco etiam numquam adhibetur: solùm enim damnatur quis ut mortem patiatur, non ut illam sibi inferat. *Proinde quia omnis, qui sine ulla legitima potestatis auctoritate hominem occidit, homicida est, quisquis* (infert *Augustinus Epist. 61.*) *seipsum occidit, non sit homicida, si non homo est.*

*Sententia affirmans.*

*Communissima negans probatur.*

9. *An condemnato liceat statuti veneni sumptio.*

Unde inferunt Doctores communiter contra nonnullos (inter quos solent referri *Victoria*, & *Aragon*) damnato ad mortem non licere sumptionem veneni per seipsum, etsi is possit aperire os ad alterius infusionem: eò quòd primum censeatur occisio sui, utì sumptio plumbi liquati, applicatio gladii vel ignis &c.

*An damnatus ut fame pereat abstinere possit à cibis oblatis.*

Aliud censet *Lessius cap. 9. dub. 6. num.* 29. citans *Henricum* & *Sotum* de condemnato ut fame pereat, si respuat cibos oblatos; utpote qui justa de causa, nempe ut se conformet justæ sententiæ, solùm vitam non conservat, permittens calore interno illam absumi. Nihilominus id negat *Victoria*, *Aragon* (quod mirum est, inquit *Lessius* suprà attentâ doctrinâ eorumdem statim præmissâ) *VViggers sup. dub. 16.* & plures alii, consonatque *D. Thomæ quæst. 69. art. 4. ad 2.* Ratio est; quia talis se non conformat justæ sententiæ: cùm judex non præcipiat, neque præcipere legitimè possit, ut reus non comedat, sed ne quis ei cibum adferat. Unde cùm aliunde non comedendo censeatur moraliter seipsum necare, videtur potiùs dicendum, eum non posse à cibo oblato abstinere.

10. *Discrimini aperto mortis justa de causa se licet exponere.*

Dico II. Justis de causis licitum est multa facere vel omittere, ex quibus indirectè creditur mors etiam certò secutura. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia non præcipitur omni casu & modo vitam propriam servare, nec periculo mortis se exponere; sed ne quis directè seu ex intentione vitam sibi velut exosam auferat, nec sine justa causa ejus amittendæ periculis se exponat. Unde potest & tenetur miles, non obstante certo mortis discrimine pugnare, stationem periculosam non deserere &c. Reus certò interficiendus potest non fugere, carcere etsi aperto: immo potest zelo justitiæ, ut sua peccata vindicentur, ad aliorum exemplum se potestati judicis tradere, desiderando nempe passionem mortis meritò à judice inferendæ, non se occidendo. Prout quidam ex homicida factus monachus fecisse legitur in Prâto Spirituali. Præterea deficiente omni alimento, præter carnem humanam, potest fame emori. Ad conservandam Principis vitam potest se telo objicere. Horrendâ item mutilatione non tenetur vitam conservare; cùm non sit digna tanto dolore salus.

*Variæ exempla allegantur.*

11. *Exilire à turri flagrante licitum.*

Similiter juxta Doctores posset concluſus in domo seu turri flagranti se causâ evadendi incendium è fenestra seu turri præcipitare cum evidenti mortis discrimine: quod natura etiam animantia irrationalia docuit. Non tamen posset in se gladio confodere; hoc enim esset directum suicidium, quale semper est, dum mors intenditur tamquam finis aut medium. Prout hîc contingeret: mors enim hîc est medium necessarium ad evadendum vivi comburium: Secùs quam in eo, qui se præcipitat, ex quo si fortè mors non sequeretur (utì interdum fit) adhuc evaderetur incendium.

12. *An licita suffossio turris, vel combustio navium in prælio.*

Potest quis similiter suffodere turrim cum periculo oppressionis. Si tamen pro omnino certò sit & sciatur secutura oppressio, difficile est excusare à directa occisione: utì & injectionem ignis in pulverem tormentarium, unde navis cum inexistentibus pereat. De quo proinde ita sentit *VViggers sup. dub. 18.* & alii, & consonat *Augustinus* loquens de facto Sampsonis, tamquam inexcusabili citra jussionem Dei. *Lessius* nihilominus *cap. 9. dub. 6.* respondet, alios hic nullam talem jussionem censere necessariam (addunt aliqui fundari necessitatem in intento directè suicidio

cidio conformiter ad illud *Jud. 16. Moriatur anima mea cum Philistym*) excusans proinde praxim militum communi consensu navem incendentium seque mari committentium, ne ipsi & navis veniant in hostium potestatem cum publico reipublicæ Christianæ damno, certò nihilominus ab hoste occidendi. Idem docent plures alii; & in hoc magis inclinat *Lugo d. 10. sect. 1. sub finem* agens etiam de injiciente ignem in pulverem tormentarium cum certissima sui absumptione ad evertendam turrim hostilem, adferensque exempla, in quibus licitum est impetere directè nocentes, etsi innocentes unà pereant: quidni ergo liceat, etsi unà pereat ipse, qui impetit?

13. *Sui mutilatio extra necessitatem illicita.*

Dico III. Illicita est per se loquendo seu extra necessitatem sui mutilatio per se vel per alium adhibenda. Est certum apud Doctores unanimiter. Idemque reductivè censetur prohibitum præcepto: *Non occides.* Ratio est: quia nemo est membrorum suorum dominus, sed custos & fructuarius, adeoque citra necessitatem ea destruere non potest. Quare seipsum abscindere seu castrare inhibetur expressè *can. 22. & 23. Apostol.* ubi id agentes dicuntur sui homicidæ, scilicet partiales. Similiter *can. 1. Concilii Niceni* vetantur tales ad clerum admitti.

14. *Non licet castratio ad superandas aut vitandas carnis tentationes.*

Neque excusat ullâ verisimilitudine prætextus vitandi aut superandi tentationes carnis, aut alias peccati illecebras: cùm sanctiora sint ad earum (quibus non nisi liberâ voluntate succumbimus) victoriam remedia. Ideoque passim à Patribus graviter improbatur factum *Origenis*, qui (ut ait *Hieronymus Tom. 2. Epist. ad Pammachium & Oceanum de Erroribus Origenis*) *zelo Dei, sed non secundum scientiam ferro truncavit genitalia.* Quin immo (si credimus *Chrysostomo hom. 63. in Matth. Basilio lib. de Virginit. circa finem*, & *Epist. 87. ad Simpliciam*; & indicare videtur *Augustinus lib. 6. contra Jul. cap. 14.*) castratione, in ætate præsertim virili factâ, concupiscentia non fit mansuetior, sed potiùs molestior. Quare *Eccli. 20.* dicitur, *Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam.* Et *cap. 30. Videns oculis & ingemiscens, sicut spado complectens virginem & suspirans.* Ubi satis indicatur, Spadones singulariter concupiscentijs carnis esse obnoxios.

*Factū Origenis improbatur.*

*Concupiscentia inde non mitigatur.*

15. *Dicta Christi explicantur.*

Monitum verò Christi *Matth. 18. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscide eum & projice abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* Sic intellige cum Patribus, si quis homo sit tibi conjunctus, utilis aut necessarius sicut pes, manus aut oculus, & sit tibi scandalo, projice à tua conversatione. Quemadmodum & illud, quod *Matth. 19.* de eunuchis seipsos castrantibus propter regnum cælorum dicitur, de spirituali castratione per voluntariam perfectæ castitatis custodiam debet cum Patribus intelligi.

Quare etiam non est toleranda quorumdam doctrina (cujus patronum agit *Casmuel in Theol. Fundamentali*, & quam probabilem asserit *Thomas Tamburinus l. 6. in Decal. ca. 2. §. 3. n. 4.*) permittentium castrationem pro obtinenda suavitate vocis tamquam licitam. 16. *Nullatenus licita est castratio ad retinendam vocis suavitatem.*

Nec obstat præmissis exemplum S. Marci abscindentis sibi pollicem, ne ordinaretur sacerdos. Nam Marcus iste (ut ostendit *Baronius ad annum 45.*) non fuit Evangelista, sed Anachoreta; cujus tamen sanctitas facit præsumere in ipso bonam fidem seu inculpatam ignorantiam. Nisi quis credat adfuisse divinum impulsum. Qui autem Spiritum sanctum habent impulsorem, communi lege non tenentur; neque id trahi potest in exemplum. 17. *Marcus abscindens sibi pollicem, non fuit Evangelista.*

Dixi in conclusione, *extra necessitatem*: hæc enim mutilationem excusat, quæ videlicet fit ad conservandum totum, aliàs gangrænâ v.g. periturum. Ratio autem dictat partem posse pro totius (ad quod ordinatur) salute exponi seu negligi. Ideoque vita numquam potest occisione sui tolli, cùm id numquam possit esse necessarium ad salvandum aliquid ipsâ vitâ præstantius. Idemque ob eandem rationem est, si totum sit periturum ex causa extrinseca physica: puta si non nisi divulsâ & mutilatâ manu alligatâ rei quæ comburitur, queam evadere incendium. Immo *Lessius cap. 9. dub. 14.* & alii passim contra *Sotum* censent probabiliùs posse idem fieri jubente tyranno sub interminatione mortis, etsi injustè inferendæ, dummodo non in contemptum Religionis: eò quòd censeatur Deus concessisse potestatem in membra, quantum necesse; ut totum salvetur; adeoque perinde sit, sive sint physicè noxia, sive tantùm moraliter ex mala alterius voluntate. Quare à pari aut fortiori idem liceret ad mandatum Judicis, aliàs morte justâ reum punituri. Quamquam (ut ex *Maldero* notat *VViggers sup. dub. 19.*) judex id non possit rectè legitimè præcipere; qui consequenter non obligatur præcipienti obedire, neque etiam tam duro remedio vitam redimere. 18. *Mutilatio licita est, ut salvetur totum.* *Etiam ex causa periturum extrinsecâ, si physica sit.* *Quid si moralis, v.g. jussio tyranni.*

QUÆ-

## QUÆSTIO III.

### *An Licitum sit Occidere Proximum Innocentem?*

19. *Innocentis directa occisio semper illicita.*

DICO I. Numquam licet per se & directè interficere innocentem. Est communissima Theologorum & juxta *VViggers cap. 2. dub. 13.* certa doctrina. Fundatur in generali prohibitione: *Non occides*; seu (ut *Exodi* 23. legitur) *Insontem & justum non occides.* A qua non legitur facta esse ulla exceptio; ut proinde omnis casus censeatur contentus juxta regulam *Augustin. 1. de Civit. 20.* Ex quo sumitur ratio conclusionis: non potest enim quis de re non sua disponere illam destruendo sine concessione, immo contra voluntatem domini, qui respectu vitæ est solus Deus.

*Nequidem ad avertendum reipublicæ excidium.*

Unde etsi tyrannus minaretur certum reipublicæ excidium, nisi caput innocentis amputatum sibi mittatur, illicitè hoc respublica patraret: quidquid contra torrentem omniũ Doctorum ex mera congruentia plausibili senserit *Poncius d. 52. num. 25.* Quemadmodum nec unicum peccatum fornicationis committi posset jubente tyranno, ut reipublicæ imminens excidium impediatur. Quidni autem pari ratione conjectari posset, Deum in tali necessitatis articulo concessisse dominium seu potestatem utendi corpore non suæ? Itaque Deus, qui discrimini sui peculii seu reipublicæ præsens adest, quique facilè potest salvare, si velit, omnes, rationabiliter non vult id fieri per occisionem innocentis; contra cujus voluntatem nemo potest id attentare, etsi omnes reliqui perirent, Domino sic volente. Plura etiam oppositio semel dato nascerentur incommoda, & casus multi facilè pari ferè fundamento fingerentur contra bonum naturæ. Et sicut posset occidi unus, quidni viginti, centum, mille &c. ut major pars servetur? Quidni interdum ad diuturnos ac intolerabiles cruciatus vitandos, item periculum sequentium peccatorum &c. licebit occidere seipsum? Et in præsenti quidni ipse innocens possit occidere seipsum ad bonum reipublicæ tuendum?

20. *Innocens tamen tenetur se discrimini exponere.*

Ipse nihilominus innocens teneretur ex officio subditi & partis se discrimini mortis exponere pro republica, seque tyranno præsentare, & ad se mitti occidendum postulet. Et consequenter *Lessius c. 9. dub. 7. VViggers sup.* & alii passim contra *Soto l. 5. qu. 1. art. 7.* & alios censent posse nolentem cogi à republica, & mitti ad tyrannum, non intendendo occisionem innocentis ab eo patrandã, sed suam liberationem. Quamvis injustè agat, tum tyrannus, tum ejus ministri, quibus in innocentem, etiam ad capiendum ac tyranno tradendum, nullum jus competit, nec à republica tribuitur, aut à tyranno tribui potest. Objectiones & Solutiones vide apud citatos Auctores.

*Potestis etiam invitus tyranni dispositioni permittis.*

21. *Indirecta innocentium occisio quo licita.*

DICO II. Per accidens & velut indirectè quibusdam casibus licitum est occidere innocentem: Sic nimirum ut mors illius non intendatur, sive tamquam finis, sive tamquam medium, sed alius immediatus & bonus effectus, qui sit prævalens aut æquivalens, quem proinde prosequi fas est, non obstante occisione seu morte annexâ innocentis, v.g. licitum est dirigere tormentum in turrim hostilem, in qua innocentes sunt ligati, ad avertendam inde impugnationem. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia jus directè impetendi turrim non perditur ob periculum innocentium ibi per accidens & invito impetitore existentium; ad quorum proinde incommodum (quod non tenetur cum tanto suo præjudicio vitare) censetur se permissivè habere, solùm adhibendo (quod potest) media ad victoriam necessaria. Confirmatur: quia alioquin posset hostis contra omnem impetum instar valli objicere innocentes, sicque eludere jus alterius, & se reddere insuperabilem.

*Casus.*

22. *Varii alii casus.*

Allegantur passim à Doctoribus diversi alii casus affines. Ut quòd licitum sit defendere se contra invasorem injustum, etsi præter voluntatem sequatur mors innocentis, quem invasor objicit instar clypei, quatenus retro eum latitans securus occidat, eò quòd per innocentis interpositionem non eripiatur jus se defendendi à natura concessum, ut proinde prædicta aggressionis repulsa veluti licita & necessaria, non reddatur per damnum innocentis, per accidens annexum nec intentum, illicita. Ita *Corduba*, *Petrus Navarra*, quos citat & sequitur *Lessius cap. 9. dub. 9. VViggers cap. 2. dub. 8.* citans etiam *Malderum.* Item *Rodriguez*, *Bonacina*, *Diana*, *Silvius*, ut refert & sequitur *Bassæus V. Homicidium 1. num. 15.* & alii. Item quòd liceat fuga vitæ necessaria per angustam viam, etsi proterendus sit innocens v. g. claudus vel infans (nisi certò perimendus decederet sine baptismo) ibi incautiùs jacens in angustijs viæ. Ita *VViggers sup.* referens *Corduba* & *Malderum*, qui idem dicit, si fugiens probabiliter speret, quòd transitu suo innocentem non occidet. Secùs est juxta *VViggers sup.* quando innocens occidendus ultrò modo incedens per viam fugienti cedere nequit: quemadmodum nequit in naufragio eripi tabula ab alio jam occupata, ut te salves.

23. Petes, an pro conservatione vitæ prægnantis liceat præbere pharmacum, quo fœtus intereat? Resp. cum communissima doctorum

*procurare abortum fœtus animati.*

ctorum sententia in primis id non licere, dum pharmacum directè tendit ad extinguendum fetum, seu procurandum abortum; idque sive fetus sit animatus (tunc enim est directa occisio innocentis, ut alius servetur) sive necdum animatus: nam & hunc extingui, secundariò vetatur præcepto: *Non occides*, juxta *Tertullianum c. 9. Apologetici* dicentem: *Nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere nasci.* Quare sicut impediens lucrum proximi peccat contra præceptum *Non furaberis*; sic & impediens ne homo conceptus nascatur, peccat contra præceptum *Non occides.*

*Immo & inanimati Probatur ex præcepto, Non occides,*

24. *Accedunt aliæ auctoritates Patrum & Conciliorum.*

Aliæ quoque Auctoritates gravissimæ damnant procurationem abortûs, non distinguentes inter fetum animatum & inanimatum; ut videre est apud *Augustinum Serm. 244. de temp.* quem de utroque se velle intelligi, etiam inde non parum colligitur, quòd ibidem vel sola venena sterilitatis procurantes homicidii arguat. *Hieronymus* similiter *Epist. ad Eustochium de Custodia Virginit.* inter alia, virgines corruptas procurantes abortum (quod ordinariè fit ad vitandam infamiam) vocat *filii necdum nati parricidas.*

Videri etiam possunt varia Concilia, *Ancyranum can. 20. Quinisextum*, etsi illegitimum, *can. 91. Guarmacense*, aliàs *Wormacense* (ut citat *Burchardus*) relatum c. *Si aliquis, de homicidio.* Præterea *Sixtus V. Constit. 87.* quæ incipit: *Effrænatam*, contra procurantes abortum fetûs, sive animati, sive non animati, statuit omnes pœnas constitutas contra veros homicidas. *Gregorius XIV. Constit. 8. Sedes Apostolica*, reducit quidem Constitutionem *Sixti V.* ad terminos juris communis, quâtum ad abortum fetûs non animati; hunc ipsum tamen vocat *gravissimum scelus & nefarium flagitium.*

25. *Denique probatur ratione.*

Accedit & illa ratio, quòd secundùm omnes non liceat procurare pollutionem ob sanitatem, aut vitæ conservationem; ergo neque abortum: cùm hoc non minus, immo magis directè & propinquiùs adversetur naturæ generationis quàm alterum: sicut fetus, etsi nondum animatus, vicinior est animæ humanæ, quàm semina nondum coràmixta. Si tamen partus esset corruptus, tunc liceret directè materiam illam abigere pro matris sanitate; quia non habet ampliùs rationem fetûs, sed malignæ cujusdam massæ.

*Ad vitandam infamiam id licere, probabile non est.*

Unde toleranda non est aliquorum opinio, qui dixerunt, aut etiam probabile existimarunt, licitum esse procurare abortum ad vitandam infamiam, aut pœnam mortis. Quam proinde damnatam fuisse in Congregatione S. Officii se audivisse refert *Diana P. 6. Tract. 8. Resol. 37.*

Dices cum *Sanchez* (qui *l. 9. de Matr. d. 20. n. 9. & 10.* cum nonnullis docet licitè matri periclitanti dari pharmacum tendens ad faciendum abortum fetus non animati) tali casu fetus est aggressor vitæ matris, causans ei periculum, utì humores pravi invadunt naturam: ergo instar humoris exundantis poterit expelli; dùm inde non sequitur incommodum majoris momenti. Confirmatur: quia fetus inanimatus est pars matris *L. 1. §. 1. ff. de inspiciendo ventre*, pars autem potest abscindi pro conservatione totius. Resp. non magis invadere fetum, quàm semen, cujus exundantis retentio morbum causat; hoc tamen non ideo potest directè pelli. Immo fetus animatus potiori ratione invadit, naturamque offendit; nec tamen directè expelli potest, ut proinde non censeatur subesse aggressio (cujus periculo per actum generationis se mater exponit) quæ destructione directâ possit depelli, in qua etiam gravissimũ non deest incommodum, ut ex præmissis patet. Accedit pharmacum expulsivum fetûs tantum plerumque suâ operatione nocere periclitanti matri, quâtum prosit liberatio à fetu. Ad confirmationem. Resp. fetum etiam inanimatum non esse propriè partem matris. Neq; *L. 1.* citatâ id asserit, sed loquens apertè de fetu etiam animato ait, quòd sit, quodam scilicet loquendi modo, portio matris vel viscerũ ejus.

26. *Fundamentum Sanchez censentis licere abortum fetûs inanimati, ut gravida moritura sanetur.*

*Dissolvitur.*

Resp. II. Matri periclitanti in defectum alterius remedii licitè datur medicamentum per se & directè tendẽs ad curationem morbi, etsi putetur abortus futurus, si fetus nondum sit animatus. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia mater habet jus adhibendi remedia necessaria & per se ordinata ad conservationem vitæ, quod non amittit per conceptionem prolis: neque etiã impeditur per charitatem, cùm proles nondum sit animata, adeoque nec capax æternæ vitæ vel mortis. Non est tamen licitum matri præbere aut sumere simile phatmacum cum notabili periculo fetûs, quando creditur animatus, & certò vel probabiliter existimatur vivus in lucem edendus. Ita quoque Doctores communiter. Ratio est: quia quisque ex charitate tenetur salutem animæ proximi præferrè propriæ vitæ corporali. Si tamen nulla sit spes prolis vivæ edendæ, etiamsi mater à medicamento abstineat, & magna sit spes sanitatis matri reddendæ si utatur medicamento, quod directè tendat ad cõservationem matris, tunc non apparet ratio, cur ipsa nequeat illo uti. *Sanchez* quidem *suprà n. 17.* putat spem vitæ prolis moraliter & quasi citra miraculum non esse, si antea mater moriatur vi morbi. Sed contrarium docet frequens sãtis experientia. Esto enim vix supervivat diu, sæpè tamen pro tantillo tempore, quantum necesse ad baptismum.

27. *Indirecta procurari abortûs an vel qui liceat.*

28. *Quo tempore animetur fetus.*

Quo verò tempore fetus animetur, dissentiunt & dissentiunt Medici (etsi notitia

hujus rei etiam Cõfessariis utilis esse queat) convenientes in hoc contra *Fienum* (qui falsò credidit id fieri tertio die à cõceptione) quòd id contingat tempore, quo fetus est formatus seu effigiatus; prout etiam clarè supponitur *Exodi* 21. juxta versionem *Septuagintæ*, & docetur à *Tertulliano l. de anima c.37.* dicente: *Ex eo fetus in utero homo, à quo forma completa est. Nam & Moysi lex tunc abortûs reum talionibus judicat, cùm jam hominis est causa, cùm jam illi vita & mortis status deputatur.* Hæc porrò formatio perficitur in maribus die trigesimo, in feminis quadragesimo aut quadragesimo secundo, juxta *Hypocratem*. Nimia differentia est dupli aut majoris tẽporis, quam quidam statuunt inter mares & feminas; prout nonnulli dies quadraginta pro maribus, octoginta pro feminis statuũt. Vide *Fromondum Philos. Christianæ l.1.c.2.ar.2.* & *l.2.c.6.ar.16.*

*Vulgata probatio examinatur.*

## QUÆSTIO IV.

### *An & Qualiter Liceat Occidere Malefactores, Tyrannum, vel Patri aut Marito deprehensos in Adulterio?*

29. *Malefactores morte punire auctoritate privatâ non licet.*

RESP. I. Certum esse apud omnes DD. non licere id privatâ auctoritate, defectu potestatis divinitus non concessæ, nisi Principi seu Magistratui, ejusque Ministris. Unde qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur: & tantò amplius, quantò potestatẽ sibi à Deo non cõcessam usurpare non timuit; ut rectè *Wiggers Tract.2.c.2. dub.3.* non rectè tamen referens ut verba *Augustini 1.de Civit. c.16.* ubi nihil ad propositum. Alibi tamen *S. Doctor* id quoad substantiam tradit, & signanter *c.* 17. dicens: *Non licet privata potestate alicui hominem occidere vel nocentem.*

30. *Licet publicâ, dum id suadet delicti qualitas.*

Resp. II. Publicâ nihilominus auctoritate, quãdo delicti gravitas id exigit aut permittit, est indubiè licitum mutilare aut etiã occidere malefactores; ut habet omnium etiã Christianarum Nationũ sensus & praxis, immo & Ecclesiæ, decernentis hæreticos supplicio extremo afficiendos. Ratio est: quia potestas meritam pœnam, atque adeò etiam mortem infligendi, est superioribus hujus sæculi à Deo concessa. Unde *ad Rom.* 13. dicitur: *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit.* Quem locum putat *Poncius d.* 52. *q.* 5. non satis probare. Sed immeritò: gladium enim judex portat non sine causa, utique non ad arcendas muscas, sed ad terrendos & puniẽdos per illum, etiam usque ad internecionem, malefactores, ut rectè Interpretes, signanter *Sasbouth* & *Estius*.

*Probatur.*

*Locus* ad Rom. 13. *an rectè probet.*

31. Facilius calumniæ pateret vulgata probatio, quòd pars sit propter totum, pro cujus proinde cõservatione potest ipsa resecari, uti exscindi membrum putridum, ne cetera inficiat. Inter totum enim physicum (in quo forma hãc vel illam partem informat ob bonum totius, ut ipsum posset debitè subsistere & operari) & morale seu politicum, quale respublica, non est per omnia eodem modo discurrendum: cùm sanè non liceat ob exigẽtiam totius politici amputare membrum innocens, seu directè occidere innocẽtem; sicut tamen amputari potest membrũ physicum ob minas tyranni, juxta plures.

32. *Absurda opinio Scoti non rectè adscripta.*

Solùm hîc notanda venit littera difficilis *Scoti 4.d.15.q.3.* ob quam ei absurda, ac veluti satiræ fidei minùs conformis doctrina adscribitur à Nonnullis, signanter *Wiggers c.2.dub.2.* quasi doceat occidi non posse malefactores, nisi in veteri Lege expressos, seu (ut *Franciscus Bonæ Spei d.19. dub.2.* locum *Scoti* malè citans ex *dist.5.* & pejus addens, ipsum nimis periculosè sequi *Waldẽses* Hæreticos) nisi casibus, in quibus Deus dispensare legitur. Sufficisset pectori Christiano legisse *Cavellum ibid. in Scholio*, ut mens Doctoris sanè intelligeretur & explicaretur.

*Ejus mens explicatur.*

Itaque Doctor verbis *S. Augustini* (quem vide *1.de Civit.* 21. & pariter explica) asserit non posse occidi, nisi adsit lex justa generalis (qualis est, quæ derivatur ex lege Dei, vel ei concordat, aut certè non discordat, uti etiã verbis *S. Augustini* subdit) vel Dei specialis jussio. Unde quod ex *Augustino suprà* subsequẽter adjungit, requiri exceptionem Dei à lege prohibẽte homicidium, intellige non de exceptione per legem positivam, præsertim veterem (quam dudum cessasse, ac non obstãte cessatione leges humanas de pœna mortis justè statui posse, ibidem apertissimè *Scotus* præmiserat) sed sive per hanc, vel specialem jussionem, sive per ingenitum lumen rectæ rationis, quo constat de obligatione, & interpretatione præcepti naturæ de non occidendo, adeoque de gravitate culpæ & demerito pœnæ mortis. Quare dum *num.6.* ait legem talionis contra homicidas esse confirmatam in Evangelio *Matth.26. Omnes qui acceperint gladium gladio persibunt*, non vult, quòd Christus ibi legem ferat vel instituat, aut det facultatem occidendi homicidas contra præceptum *Non occides* (ut malè ipsum intellexit *Wiggers*) sed quòd ibi declaret, quid homicidæ rationabiliter mereantur, ut proinde justè talis lex per communitatem seu rempublicam posset institui; prout litteram *Scoti* inspicienti est manifestum.

33. *Quid Scoto, & alii cum ipso, de occisione simplicium furum.*

Supponens autem *Scotus* non ita constare de gravitate simplicis furti (quod inter mortalia est parvum) urget non constare etiam de aliqua exceptione per legem expressam, immo in veteri Lege (quæ tamen rigorosa erat) fures simplices non potuisse occidi. Non solus autem *Scotus*, sed & alii gravissimi Doctores apud *Cavellum suprà*

*suprà* censent pœnam mortis, solis gravioribus criminibus inferendam, esse supra demeritum talis culpæ. Ut proinde *Castro* asserat oppositum nimis crudele, *Sotus* reprehendat *Baldum* tamquam auctorem occisionis furum, apud *Cavellum supra*. Quin & *Novellâ* 134. *cap.* 13. Justinianus sanxit: *Pro furto nolumus omnino quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter eum castigari.* Ratio autem, quam *Glossa* addit, *quia suspendantur risu*, quàm refutatione dignior est. Unde etiam *Marchant To. 2. Tribun. Tr. 6. Tit. 3. qu. 1. §. 2. dub. 1.* fatetur id esse verum, spectata inæqualitate rerum, scilicet vitæ & bonorum fortunæ, adeoque per se. Si tamen considerentur aliqua furta vergere in gravem perniciem reipublicæ, non negavit *Scotus*, quin puniri possent morte. Prout hodie suspendio necantur fures qualificati, aut famosi, prævia in his cæsione virgarum pro prima vice, additoque stigmate pro secunda. Quamvis consuetudines locorum varient, quas practicè damnare durum apparet. Ad confirmationem præmissorum videri possunt, quæ habet *Tulden. ad Cod. de Furtis n. 11.*

*Lex Cæsarea illam vetat.*

*Qui excusari queat præxis hodierna.*

34. *Tyrannus usurpatione tituli an possit à privatis occidi.*

Resp. III. Tyrannum usurpatione tituli posse ordinariè juxta Doctores communiter à quovis occidi, exemplo Judith trucidantis Holofernem, Jahel Sisaram &c. Contra hunc enim habet respublica titulum justi belli, etsi non audeat ob defectum virium congredi cum oppressore; adeoque præsumitur (nisi sufficienter constet de contrario) executionem committere cuilibet, præsertim suorum subditorum, conformiter ad illud *Tertulliani Apol. c. 2. In reos majestatis, ac publicos hostes, omnis homo miles est.*

35. *An similiter tyrannus ratione solius regiminis.*

Aliud est communi sententiâ (quam confirmat *Concilium Constantiense sess. 15.* damnans articulum, quo asseritur oppositum, cum aliis tamen clausulis erroneis articulo adjunctis) de tyranno, ratione iniqui regiminis seu administrationis; qui nihilominus manet superior, cui obtemperandum in licitis. Cujusmodi erant Principes Gentiles Ecclesiam persequentes; quibus nihilominus obtemperandum juxta Apostolum *ad Rom. 13.* & *1. Petri 2.* Nam verissimum est, quod (uti *Wiggers sup. dub. 4.* citat ex *Augustino propos. 73. in Epist. ad Rom.* ubi tamen verba ista non reperiuntur) *ex tyrannis bonus subditus laudem habeat, vel eos lucrando, vel patienter tolerando, non eos occidendo.* Si tamen omnino intolerabilis fieret, posset legitimè exauctorari, & publicus reipublicæ hostis per eamdem seu Status regni declarari, adeoque diffidari; & tunc velut contra privatum seu nō ampliùs Principem poterit attentari. Vide *Lessium c. 9. dub. 4.*

36. *Adulterum seu adulteram in flagranti delicto occidere illicitum.*

Resp. IV. Illicitum est in foro cōscientiæ patri occidere filiam & adulterum in delicto deprehensos, vel marito adulterum deprehensum cum uxore adulterari; quamvis utrumque jure cæsareo *l. 20. & quatuor seqq. ff. ad L. Juliam de adulteriis* & *Novellâ 117. c. 15.* servatis certis conditionibus (quas vide apud Jurisconsultos *in ff. cit.* & *Lessium c. 9. dub. 5.* asserentem non fuisse permissum uxoricidium; quod tamen per legem Lōgobardicam impunè licebat, quæ olim vigebat in Italia, & de qua consultus fuit *Nicolaus I. Inter hæc 33. q. 2.*) id fuerit permissum.

Fundatur in primis in communi sensu Theologorum, à quo in re tanta non facilè recedendum; deinde leges hujusmodi solùm serviunt ad impunitatem in foro externo, ut inter Jurisperitos *Zoezius in ff. ad L. Juliam de Adulteriis* 17. & alii fatentur, quatenus indulgent justæ indignationi, & commotioni patris aut mariti. Quòd si plus vellent, saltem catenus non videntur per canones approbatæ, seu receptæ. Quod satis indicat de simili casu consultus *Nicolaus I. sup.* ad quem respondit: *Sancta Dei Ecclesia mundanis numquam constringitur legibus: gladium non habet nisi spiritualem: non occidit, sed vivificat.* Similiter *Augustinus l. 2. de adulter. conjug. c. 15.* (& refertur *c. Si quid 33. quæst. 2.*) ejusmodi occisionem asserit secundùm legem Christi non licere.

*Leges civiles solùm concedunt parenti vel marito impunitatem.*

*Aut certè non sunt ab Ecclesia probatæ.*

*Eadem improbat ita Augustinus.*

Accedit, quòd sub hoc prætextu multæ innocentium cædes possent impunè committi; quodque per se loquendo sit locus puniendi secundùm ordinem debitum juris (qui citra inevitabilem boni publici necessitatem non est omittendus) esto per accidens interdum deficeret probatio: quòd denique sine necessitate boni publici sic occidendi exponantur præsentissimo periculo æternæ damnationis.

37. *Accedit ratio.*

Addi etiam posset, quòd privato non liceat occidere malefactores. Sed posito, quòd per leges non tantùm impunitas, sed perfecta licentia & facultas daretur, responderi facilè posset, id non privatâ fieri potestate, sed publicâ, cujus prædicti censeri possunt ministri: prout jure veteri in filios & servos delinquentes extendebat se ad necem usque patria & dominica potestas. Prout etiam ad diffidatos v. g. Banni-tas occidendos, id exigente reipublicæ bono, data interdum est cuilibet privato potestas; uti & militibus occidendi inimicos vel transfugas.

*Ratio quorundam examinatur.*

## QUÆSTIO V.

### *An Liceat Occidere Injustum Invasorem?*

38. *Negarunt pauci.*

NEQUIDEM injustum invasorem vitæ ad necessariam defensionem posse occidi, censuisse refertur *Augustinus de Ancona* apud *Lessium c. 9. dub. 8. S. Augustinus*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Dubitasse videtur Nonnullis Augustinus.*

quoque, ab humanis cædibus valde alienus, *l. 1. de lib. arbit. c. 5.* videtur hæsitasse, an aliqua in hoc culpa lateat ex occulta Dei lege, ut fatetur *Wiggers c. 2. dub. 6. num. 29.* Et consentit *Hazeor To. 2. Anatom. ad d. locum*, addens inter alias solutiones *Augustinum* censuisse id non licere ex lege, quam ibi impugnat, permittendi scilicet minora peccata ad evitandum majora. *Lessius* autem *c. 9. dub. 8. n. 51.* dicit ipsum loqui de periculo excessus odii, iræ & debitæ moderationis. Quem inordinatum affectum ob *Augustino* damnari censet etiam *Hazeur supra*.

*Opposita doctrina cō munissima probatur ex Scriptura.*

39. Sed oppositа doctrina est communi Doctorum ac plebis sensu receptissima. Colligiturque in primis ex Scriptura *Exodi 22.* ubi dicitur non esse reum sanguinis, qui furem nocturnum occiderit, quia nimirum (ut docet *Augustinus q. 84. in Exodum*, & refertur c. *Si perfodiens, de Homicid.*) discerni nequit, an tantùm ad furandum, an etiam ad occidendum venerit.

*Ex utroque jure.*

Patet idem ex jure, tum civili, tum canonico. Nam *L. 3 ff. de Just. & Jure* dicitur: *Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur.* Et *Alexander III. c. 3. Si verò, de Sentent. excomm.* dicit, quòd *vim vi repellere omnes leges, omniaq; jura permittant.* Quod repetit *Innocentius III.* c. *Significasti 18. de homicidio*; addens quòd *id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ.*

*Immo occidens nequidem incurrit irregularitatem ex jure.*

40. Denique juxta Clem. *Si furiosus, de homicid. nullam irregularitatem incurrit, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Quamvis (ut refert *Scholiastes* ad locum *Scoti* mox citandum) *D. Thomas q. 64. art. 7. ad 3. Scotus 4. d. 25. q. 1. num. 10. Glossa in c. Sicut dignum §. Clericus de Homicid.* attento jure antiquo c. *De his clericus 6. d. 50.* lecto de irregularitate senserint. *Lessius* nihilominus *c. 9. dub. 8. num. 52.* verius credit, ne quidem jure antiquo subfuisse irregularitatem. *Tridentinum* quoque *sess. 14. c. 7. de reform.* indicans in casu homicidii ad defensionem sui patrati subesse irregularitatem, supponit non fuisse moderamen inculpatæ tutelæ, utì & culpam in homicidio casuali. Vide Declarationes & Remissiones in d. locum.

*Accedit ratio.*

41. Accedit ratio naturalis apertè dictans in tali peristasi debere jus se defendentis esse potius, ut proinde se conservare queat, etsi cum destructione alterius, qui eum per vim destruere conatur. Quare prædicta habent locum, etsi Princeps vel Episcopus vel pater invaderet proprium subditum aut filium.

*Insania invasoris non tollit jus naturale defensionis.*

Jure quoque naturalis defensionis non privatur quis ob alterius v. g. insaniam, ut proinde juxta receptam Doctorum sententiam invasorem injustum, à culpa tamen ratione furiæ aut ebrietatis excusatum repellere possis cum occisione illius, si necessaria sit, neque fugas tibi queas consulere; ad quam utique fores obligatus, quæ tunc non est probrosa, quin potiùs ignominiosum est velle tunc contra hujusmodi reluctari.

*Quisnam gladii usus in Scriptura reprobetur.*

42. Neque Scriptura alicubi reprobat usum gladii ad necessariam defensionem, sed indebitum ejus usum puta ad privatam vindictam, vel ex malevolentia. *Omnes enim qui sic acceperint gladium, gladio peribunt* (ut ait Christus *Matth. 26.*) nempe quia id merentur, & quia ordinariè ita accidit paratioribus ad gladii usum.

*Salus invasoris cur non præponenda vitæ defensionis.*

Non obstat etiam, quòd debeamus priùs mortem temporalem oppetere, quàm proximum in æternam præcipitare. Nam ipsemet invasor se in illam præcipitat ex sua malitia, potens se periculo, si velit, subducere. Itaque in extremâ necessitate currit obligatio mortem pro salute proximi tolerandi. Deinde invasus non est securus seu certus de suo bono statu & salute: neque invasor certò ita occidendus, ut post vulnus non queat pœnitere.

*Moderamen necessarium inculpatæ tutelæ in quo consistat.*

43. Moderamen porrò inculpatæ tutelæ (quod *Innocentius III. supra*, & ipsa ratio postulat) consistit in ea moderatione, quæ necessaria est, ut vis injuriosa propulsetur seu avertatur: majorem enim vim adhibere non licet, ex obligatione non tantùm charitatis, sed etiam justitiæ, v. g. desistentem aut fugientem percutere vel lædere: quod enim ultra fit, non deservit arcendæ injuriæ, utpote jam illatæ, nec per hoc tollendæ, sed eidem vindicandæ. Unde c. *Significasti cit.* dicitur fieri debere, *non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.*

*An in defensione liceat intendere occisionem invasoris.*

44. Hinc peti potest solutio vulgatæ quæstionis, an videlicet liceat in defensione sui intendere occisionem vel periculosam vulnerationem invasoris: si enim ea sit necessaria ad sui defensionem, intendi potest, cùm concesso fine, concessa sint & intendi queant media necessaria. Aliàs non, eò quòd tunc non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ: ut proinde defensio facienda sit quàm minimo possibile est aggressoris periculo & damno. Ad praxim verò quod attinet, defendens non debet multùm ratiocinari, an hìc vel ibi tangere liceat invasorem; ne talibus occupatus facilè causâ cadat.

*Quis censeatur invasor.*

45. Porrò ut aliquis dicatur invasor, non est necesse, ut actu gladio vel armis me impetat (quatiter invadentem licitè repelli, etiam cum occisione, si necessaria sit, dubium esse nequit) sed satis est ut accedat cum armis vel aliter ad me occidendum: tunc enim si aliter evadere nequeam, possum prævenire, neque teneor expectare, donec ictum acceperim, & me fortè defen-

defendere non poterò; ut tradunt Doctores communiter. Si absque periculo meo fugere possim, & occasionem declinare, tenebor: nisi fortè fuga foret multùm dedecorosa v.g. viro militari & nobili (secùs est de clericis, rusticis, viris togatis & similibus) quam talis non tenetur capessere, ut proinde possit jus suum loco manens (à quo cum notabili probro seu ignominia non tenetur ob alterius malitiam recedere) tueri viâ meræ defensionis, juxta communem Doctorum sententiam.

*An invasus teneatur sibi fugâ consulere.*

46. *An parans se ad invadendum censeatur interdum invasor.*

Immo si aggressor nondum accedat, tamen instructus est, aut se instruit ad invadendum, v.g. arcum tendat, sclopetum paret &c. possum eum prævenire, si alia via evadendi non suppetat, ut iidem Doctores tradunt, & *Navarrus cap.15.num.3.* ubi ponit exemplum (quod tamen magnâ consideratione ac prudentiâ indiget, ob abusus inde sequi natos, & spem mutandi in marito animi in melius) de marito, qui pugionem condidit sub cervicali, ut uxorem, quam tenet in cubiculo conclusam, interficiat, quem uxor id secretò sciens potest antevertere, si aliter nequeat subterfugere. Simile est, quod docet *Cordub. l.1.q.38.* de eo, qui alteri paravit venenum, quòd scilicet possit illud in simili necessitate aliter inevitabili ab innocente converti in auctorem.

47. *Varii casus non probandi, saltem in praxi.*

Idem docet *Bannez* 8 quidam alii Recentiores (teste *Lessio c.9.dub.8*) de occisione ejus, qui per famulum seu sicarium statuit alterum occidere, adeoque per alium conatur invadere. Sed ob varias causas id nequit admitti, in praxi præsertim, tum ob pericula frequentiorum abusuum, tum quia vix fieri potest, ut non suppetat alia ratio evadendi, v.g. interponendo auctoritatem superioris; tum quia periculum sic facilè augebitur, sicariis nihilominus animatis ad exequendum mandatum, & vindicandam mortem mandantis.

Multò minus probandum, quod quidam dixerunt de occisione quasi licita invasoris vitæ per calumnias apud judicem. Idemque est de testibus & judice. Hoc enim in republica bene ordinata nullatenus toleraretur. Et meritò: cùm sic aperiretur via lata injustis cædibus & assasinatibus. Estque alia se defendendi via ordinaria, juris scilicet, pro tali, qui viâ juris impetitur. Planè cùm secundùm receptam sententiam occidi possit invasor etiam materialiter injustus, sub hoc prætextu non erit satis provisum judicibus, testibus, actoribus, patronis causarum etiam bonâ fide procedentibus. Maximè si doctrina prædicta ad res quoque familiares & honorem extendatur.

Temerarium denique videtur in re tot abusibus, falsisque suspicionibus obnoxiâ, tantum indulgere privatis seu plebi, ut liceat egregiè percutere veneficam per signa magica assiduè nocentem, donec maleficium tollat, si absque novo maleficio credatur tollere posse. Vide *Wiggers c. 2. dub. 6.*

Quod attinet ad defensionem honoris, qui præ bonis tẽporalibus æstimatur, probabile censet *Wiggers sup.dub.12.* licere viris sæcularibus, qui ratione statûs vel nobilis familiæ solent & æstimãtur excellere in armorum contrectatione & fortitudine bellica, quibusque illa quodammodo sunt debita inesse, licere repellere aggressorem etiam cum illius occisione, qui ignominiosè illos invadit, v.g. pugnis vel baculo, si aliter ejus ictus avertere nequeant: neque eos obligari ad fugam, quamvis se possint per fugam ab ejus invasione eripere. Probat partim auctoritate cõmuni omnium penè Doctorum, tum Theologorum, tum Jurisperitorum, quæ in hujusmodi re morali magni est facienda: partim quia talis quemadmodum ignaviter permittendo se percuti, sic & fugiendo honorem & existimationem suam deperderet.

48. *Honor ab cum invasoris occisione defendi possit.*

Quòd autem id aliqui extendant ad injurias verbales, meritò non admittitur à reliquis Doctoribus, neque etiam admitteretur in foro fori. Sufficere debet eas verbis, aut aliter, præsertim per judicem, posse repelli & tolli. Aliud quoque esset perniciosum nimis reipublicæ.

49. *Varii id agendi modi rejiciuntur.*

Nullatenus quoque licet sub prætextu defendendi honoris repercutere percussorem facti pœnitẽtem, & satisfactionem offerentem: ibi enim esset aperta vindicta. Similiter non licet aggredi ex intervallo percussorem jam quietè agentem, si fortè occurrat læso.

Immo nec fugientem percussione factâ licet persequi, verberaque sufficientia ad reparationem honoris infligere (quidquid nonnulli dixerint) nam & ibi vera est vindicta, non defensio honoris. Videri potest *Wiggers sup.* ubi addit secùs dici posse, si adhuc insultans & ignaviam exprobrans subsistat: eò quòd de illo videatur idem, quod de eo, qui percutiendo nititur timiditatis & ignaviæ vitium impingere. Meritò nihilominus adjungit esse id valdè obnoxium periculo animi vindicativi; & vix umquam necessarium ad defensionẽ honoris: si enim nulli adsint, non minuitur æstimatio apud alios: si autem aliqui adsint, poterit verbalis invasor contumeliosus apud judicem accusari, & per hũc ad reparationem honoris debitè compelli. Quare simpliciter id videtur non probare infra *num.73.* præciso saltem periculo superaddendi ab altero novos ictus ignominiosos. Immo satis rarò, si umquam, occurrit casus, quo licitum sit occidere alterum præcisè ad defensionem honoris, utpote aliter, quàm tali viâ cõservabilis aut recuperabilis, vel certè non sufficientis momenti ad eum tali viâ conservandũ: ut non omittatur

50. *Non licet fugientem persequi & percutere.*

bonum commune reipublicæ aliàs lædendum, quod tamen in determinandis limitibus licitæ defensionis non parum est considerandum.

51. *Detrahere volentem an liceat occidere.*

Accedit, quòd simili ratione prætendetur licita occisio alterius, qui minatur famam detractione convellere. Unde hanc *Francisci Amici* doctrinam, *licere clerico vel religioso calumniatorem gravia crimina de se vel sua Religione spargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non suppetit*, cancellari seu expungi jussum est per Censuram Romanam. Hujusmodi enim doctrinæ prætextu via aperitur planissima occultis & injustis cædibus. Unde non est tutum licentiosas in hac materia doctrinas admittere, minùs publicare hominibus plus justo ad pugnas & cædes propensis. Possetque meritò per rempublicam interdici sub gravissimis pœnis quarumdam praxis, quidquid foret de speculativa ex ratione probabilitate: cui præjudicent alii liberiores censores.

52. *Invasor pudicitiæ potest occidi, si ipsa aliàs non possit defendi.*

Quantum ad pudicitiæ defensionem necessariam, ea juxta communem doctrinam (ut testatur & sequitur *Lessius c. 9. dub. 12. Wiggers c. 2. dub. 12.* etsi *Augustinus 1. de lib. arb. c. 5.* dubitativè loqui videatur) licita est etiam cum occisione invasoris: eò quòd pudicitia sit longè majus bonum, quam facultates externæ, inferius quidem vitâ, tamen quod ab animo casto non imprudenter vitæ præfertur, adeoque juxta modum præmissum defendi potest, si aliter salvari non possit: accedente præsenti peccati & consensûs periculo, quod etiam violenta corruptio adfert, ut propterea mori potiùs, quàm vel invitè violari castus animus meritò desideret. Idipsum videntur. Ethnici quoque intellexisse: nam apud *Ciceronem Orat. pro Milone sub init.* laudatur adolescens interfector tribuni pudicitiæ illius vim inferre conati, qui & à Mario Imperatore exercitûs absolutus fuit. Accedit, quòd juxta *L. 1. §. 4. ff. ad Legem Corneliam de Sicar.* dimittendus sit, qui inferentem per vim sibi suisque stuprum occiderit.

53. *Invasor nocturnus bonorum fortuna potest occidi,*

*Vi & diurnus, si unà personam invadat.*

Quod denique ad facultates externas attinet, communis quoque doctrina tradit eas, si sint notabilis momenti, posse defendi contra furem aut raptorem non tantùm nocturnum (de quo habetur *Exod. 22.* & in Lege XII. Tabularum, ut patet ex *L. 4. ff. ad Legem Aquiliam*) sed & diurnum, sive simul invadat personam, res suas defendere furemque propulsare satagentem (quod saltem exprimitur c. *Interfecisti, de homicid.* & consonat *L. citata* agens de fure se telo defendente) sive non, donec saltem quietè res possideat, si eas aliter recuperare quis non possit: ut proinde communiori Doctorum sententiâ liceat in tali casu quoque fugientem cum rebus tuis eminus sclopo petere. Quamvis postremum neget *Covarruvias in Clem. Si Furiosus P. 3. §. un. n. 6.* cujus Doctrina satis est charitati conformis, & laudabiliter practicatur, ut ait *Wiggers c. 2. dub. 10.*

*Aliàs non, opinione quorumdam.*

Colligi solet ex jure Canonico, ubi simpliciter approbatur defensio talium rerum contra invasores c. *Olim, de restit. Spoliat.* ubi *Innocentius* III. approbat factum Episcopi & Capituli Tridonensis (aliàs Terdonensis) de possessione deturbantis Templarios Lombardiæ ex incontinenti, vimque vi repellentis. Et c. *Dilecto, de sent. excomm. in 6.* approbatur factum Decani Aurelianensis contra Ballivum bona violenter occupare præsumentem se defendentis, & in subsidium temporalis gladium spirituale censuræ, jungentis, his verbis: *Cùm omnes leges omniaq; jura vim vi repellere, cunctisq; sese defensare permittant, licuit utique ipsi Decano contra illius violentiam injuriamq; se tueri &c.* Quibus locis de clericis (de quibus contra Nonnullos etiam intelligitur prædicta doctrina) est sermo.

54. *Contraria nihilominus colligitur ex c. Cum olim, de restit. Spol.*

*Ex c. Dilecto, de Sent. excomm. in 6.*

Denique c. *Interfecisti, de homicid.* etiam de nece expressiùs agit: *Si te tuaq;* (intelligunt Doctores plerique cum *Felino* non copulatim, sed copulativè, seu alternativè, quasi alterutrum sufficiat, utì indubiè sufficit seorsim prius membrum; prout etiam colligi potest ex antecedentibus, & arg. c. *Verum, de jurejurando* ubi in verbis, *Pro vita & rebus suis*, intelligunt Doctores conjunctionem simili modo) *liberando, hujusmodi diaboli membra interfecisti ..... si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, & eleemosynam fac largiter.* q.d. consultò id feceris, etsi à pœnitentia in rigore immunis. Ideoque in principio capitis tunc demum pœnitentia injungitur, si *interfecisti furem aut latronem, ubi comprehendi poterat* (adeoque res recuperari à fure, & persona liberari à periculo contra latronem) *absque occisione.*

55. *Item ex c. Interfecisti, de homic.*

Probatur ratione: quia ex certa omnium sententia licitum est reipublicæ sua bona temporalia defendere per bellum necessarium. Deinde bona temporalia sunt vitæ honestè ducendæ subsidiaria aut necessaria. Non est igitur æquum, neque id charitas postulat, ut earum jacturam quis patiatur propter conservandam vitam violenti aut iniqui latronis, non in necessitate (in qua tantùm cura nobis esse de illo debet) sed in pessima voluntate constituti. Aliàs sanè nil foret rerum nostrarum contra iniquos tutum; ut proinde idem postulet ratio boni communis.

56. *Accidit ratio.*

Nec obstat, quòd c. *Suscepimus, de homicidio*, Monachis (quorum unus erat sacerdos) latrones etiam nocturnos occidentibus injungatur pœnitentia; adeoque non videatur huic saltem generi personarum, scilicet Clericis vel Monachis permissa hujusmodi defensio. Nam potuissent hi sibi ablata salvare citra occisionem, si cum istis se subtraxissent, aut latrones aufugere permisi-

57. *Objectio ex c. Suscepimus de homicid. assumpta solvitur.*

misissent: adeoque non servarunt inculpatæ tutelæ moderamen; dum ita (ut canon ponderavit) exarserunt ob res viles.

58. *Aliæ auctoritates explicantur.* Non obstat etiam, quòd *Exodi* 22. juxta mentem *Augustini q.84. in Exodum* relati *c.3. de homicid.* Et *L.4 ff. ad L. Aquiliam* & *L.9 ff. ad L. Cornel. de Sicariis* inquatur, non aliter furem occidi posse, quàm si etiam adsit periculum personæ. Nam ista loca accipienda sunt de fure diurno, qui præsumatur more furum timidus rebus salvis fugari posse, quique cognoscatur, ut res ab eo possint recuperari. Ipsa etenim Lex Exodi veluti judicialis maximè perficiebat forum externum, in quo locus præsumptioni. Idemque est de aliis legibus. Alioquin si res recuperandi spes non supersit, non est cur defensioni locus esse nequeat.

59. *Debent bona fortunæ esse notabilia,* Dixi *Si sint notabilis momenti*: nam si leviores sint, est adminus contra charitatem pro earum defensione sanguinem hominis ad imaginem Dei creati fundere. Unde *L. 52. §. 1. ff. ad L. Aquiliam* culpabilis declaratur tabernarius, qui lucernam eripere volenti effodit oculum. Vide *Lessium c. 9. dub. 11.*

60. *Defensio sui cum occisione invasoris, an obligat.* Petes I. An teneatur quis se defendere cum occisione invasoris? Resp. regulariter loquendo Neg. quinimmo erit plerumque opus magnæ charitatis permittere se potiùs occidi, ut invasori æternaliter perituro locus certior detur pœnitentiæ. Nisi tamen & ipse invasus sit in malo statu, à quo hîc & nunc vereatur, se non posse satis securè per contritionem liberari: aut nisi aliis, puta familiæ, sit vita illius necessaria. Si tamen invasor sit amens, non videtur cur æquitas postulet, aut multùm dictet, hujus vitam propriæ esse præferendam: nisi quòd ipse actus horrendus homicidii videatur non esse medium obligans ad sui conservationem.

61. *An similiter licita sit defensio proximi.* Petes II. An vitam seu bona proximi sui liceat similiter defendere? Resp. Aff. Est enim id cooperari proximo ad opus ei licitum. Quin immo erit actus heroicæ charitatis. Proximus quoque habet jus, censeturque habere voluntatem se defendendi, etiam per alium. Unde c. *Dilecto, de Sentent. excomm. in 6.* dicitur, quòd *liceat cuilibet suo vicino vel proximo pro repellenda ipsius injuria suum impertiri auxilium: immo si fieri potest, & negligit, videatur injuriantem fovere, ac esse particeps ejus culpæ.* Non licet tamen prætextu defendendi honorem proximi repercutere illius honori alapæ inflictione deroganti: quia medium hoc non est conservando alterius honori idoneum seu opportunum.

## QUÆSTIO VI.

### *Quæ Restitutio Necessaria ratione Homicidii, vel Mutilationis?*

IN primis pro damnis spiritualibus, puta meritis & satisfactionibus, à quibus occisus per mortem injustè acceleratam impeditur, juxta communiorem Doctorum sententiam, ut citat & sequitur *Lessius c. 9. dub. 25. Wiggers c. 3. dub. 7. n. 19.* nil est restituendum; eò quòd merita sint irrecuperabilia, nilque substitui possit eis respondens ad æqualitatem. Satisfactio autem pro peccatis aut pœnis, etsi reparabilis seu compensabilis sit per suffragia vivorum, incertum tamè est damnum defuncti, cùm ætate procedente debitum satisfaciendi potiùs augeri soleat: accedente eo, quòd particularia ista, quæ sunt futuri sæculi, sint occultiora, quàm ut ex iis res humanæ & civiles mensurari hîc debeant. Fatentur tamen salubrimum esse consilium, & æquitati valde consonum, ut homicidæ satisfactiones pro occiso adhiberi curent, eæque per modum pœnitentiæ etiam à confessariis injungantur. Quinimmo si satis constaret de damno reverà orto quantum ad satisfactiones, probabilissimum est quod *Scoto 4. d. 15. q. 3.* & aliis tribuitur, esse obligationem strictè justitiæ ad eas compensandas, à quibus nimirum per injuriam fuit impeditus ab occisore.

62. *An pro damnis spiritualibus sit aliquid restituendum occiso.*

Secundò pro vita & membris seu integritate eorum juxta communem quasi Doctorum, etiam Jurisperitorum sententiam (quam tenet *Navarrus, Lessius, Lugo* & alii, passim obvii contra Nonnullos, inter quos referri solent *Soto, Sylvester* & quidam alii) nil est ex rigore justitiæ restituendum: Esto enim restitui ipsa deberent, si possibile foret, ratione juris, quod habet homo ad ea possidendum & fruendum, cessat tamen per se hæc obligatio ratione impossibilitatis.

63. *Pro vita & membris an aliquid restituendum.*

Probatur: quia non debet compensari inæqualitas, quando est posita in re, quæ ex natura sua nequit ab homine reddi in se aut præcisè æquivalenti. Etsi enim darentur idecentum millia, non redderetur vita ipsa aut membrum, nec aliquid toti aut parti æquivalens, maneretque occisus aut mutilatus in statu, in quo foret sine datione pecuniæ, nisi quatenus ipse aut heres foret ditior; prorsus autem non appareret, quòd statuere ipsum in statu ditiori sit proportionata restitutio pro vita aut membro. Vita etiam omnium est æqualis, adeoque æqua deberet esse in seu pro omnibus restitutio. Neque prudenter æquivalentia taxari potest. Neque est, cur non sit obligatio, aut facultas compensandi damnum vitæ per bona honoris & famæ procuranda, si-

*Probatur ratione.*

da, sicut contenderetur esse obligatio compensandi per pecuniam.

*Confirmatur.*

Confirmatur: quia aliàs damnificante ante hanc restitutionem naturaliter defuncto, tenerentur hæredes illam facere pro vita aut membro; quod est contra communem sensum & stylum. Deinde damnificàs alterum in rebus fortunæ non satisfecit compensando aliquid alteri in honore seu fama, neque ad hoc obligabatur, si in eodem genere bonorum compensare non possit. Quemadmodum nec tenetur ex justitia compensare per orationes aut bona spiritualia, quæ utique pro temporalibus commutari nequeunt.

64. *Favet praxis tribunalium.*

Huc accedit, in tribunalibus numquam solere (quod cur non fieret, non subesset ratio, si in conscientia subesset obligatio) exigi aut adjudicari compensationem pro ipsa vita aut membro, velut ex se inæstimabili respectu eorum, quæ in humanos contractus veniunt, sed solùm pro damnis temporalibus, adjunctâ pro arbitrio judicis, aut legum seu statutorũ municipalium dispositione, mulctâ pecuniariâ ratione injuriæ in mutilatione præsertim aut vulneratione: in homicidio enim locum habet pœna mortis, nisi quod dum remissa fit per Principem, etiam soleat taxari mulcta, ultra satisfactionem seu compositionem initam cum amicis occisi, sine qua non solet dari nostris moribus remissio seu veniæ codicillus: immo (ut addit *Zypæus in Analysi juris Pontif. Tit. de homicidiis*, citans Edicta Principum Belgii) nec induciæ vel salvus conductus.

65. *Denique favent Leges.*

Est denique id conforme ipsis Legibus. Nam *L. fin. ff. de his qui effud. vel dejec.* dicitur: *Cum liberi hominis corpus ex eo, quod dejectum effusumve quid erit, læsum fuerit, judex computat mercedes medicis præstitas, cetera q; impendia, quæ in curatione facta sunt; præterea operarum, quibus caruit aut carituras est ob id, quòd inutilis factus est. Cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Idem habetur *L. 3. ff. Si quadrupes pauperiem &c. Instit. de obligat. quæ quasi ex delicto nasc. §. 1.* Consonat etiam lex vetus *Exodi* 21. Quòd si nihilominus ex cicatrice seu deformitate sequatur damnum temporale, puta quòd virgo idcirco potiri nequeat æqualibus nuptiis, locum habet compensatio damni.

66. *Damna temporalia compensanda.*

Solùm itaque damna temporalia seu pecuniaria sunt restituenda ex justitia, etsi charitas seu æquitas saltem dictet, dandam esse pecuniariam aliquam satisfactionem heredibus, si pauperes sint, nec aliter putentur mœrorem deposituri. Pro injuria autem in bonis corporis illata superest satisfactio danda per veniæ petitionem, aut simili ratione. Soletque juxta præmissa hîc exigi in casu homicidii, antequam remissio seu abolitio obtineri possit, pacificatio cum proximioribus consanguineis occisi, quibuscum transigitur pro homicida remissam petente (quo mortuo cessat hæc actio) sæpe mediante mulctâ conventionali & pecuniariâ. Quæ quomodo facienda, quibus cedat, an obnoxia creditoribus, aut saltem expensis in medicos, vide apud *Christinæum ad consuet. Mechl. Tit. 2. art. 32. 34. & seqq.*

*Quid ratione injuriæ agendum.*

*Pacificatio cum propinquis occisi,*

*ad quid necessaria.*

Inter damna autem corporalia non sunt computandi sumptus funeris, utpote faciendi, etsi morte naturali obiisset, nisi fortè circumstantia loci auxerit expensas, eatenus, seu quoad augmentum istud consequenter compensandas. Computandæ proinde veniunt expensæ factæ in medicos seu ad curationem vulneris. Item operæ amissæ seu lucrum cessans, quanti videlicet prudenter spes lucri valebat, si quæstum officio vel artificio faciebat, detractis expensis alioquin consumendis. Patet ex *L. cit.* Et ratio est: quia talis per injuriam est alteri efficax causa damni, & impedit eum à lucro: adeoque non minus tenetur restituere, quàm qui auferendo instrumentum operarii impedit illum à lucro. Quod cessat, si occisus v.g. nobilis lucrum non faciebat: ut proinde tunc restent expensæ in medicos, si quæ factæ.

67. *Pro Expensis funeris an aliquid restituendum. Compensanda expensæ in medicos. Item operæ amissæ.*

Æstimationem quoque laboris detrahendam censuit *Major 4. d. 15. q. 19.* apud *Lessium c. 9. dub. 19.* Sed oppositum tenent Doctores communiter. Et meritò: nam aliàs plerumque tota quasi evaneſceret compensatio lucri, utpote quod in plerisque operariis, qui multum laboris, parum industriæ adhibent, adæquatè quasi respondet ipsi labori. Deinde impediens alterum injustè à lucro diurno tenetur idem resarcire, non detracta parte pro labore, quem ipse totum voluisset insumere ad habendum totum lucrum. Neque hujus detractionis ulla fit mentio in Legibus citatis. Si nihilominus operarius facultatibus non carens, laborem libenter redimi passus fuisset parte lucri, posset juxta *Wiggers Tr. 2. c. 3. dub. 2.* non improbabiliter ea pars detrahi, quasi carentia lucri quà parte compensatur carentiâ laboris, non censeatur ei involuntaria. Id ipsum tamen difficultate aliqua non caret: cùm tunc non videatur carentia lucri ita voluntaria, quando simul aufertur per actionem iniquam potentia laborandi & per laborem lucrandi.

68. *An detrahenda labo. ris impedendi æstimatio.*

Lucri porrò cessantis & damnorum æstimatio optimè relinquitur judicio prudentum arbitrorum, pensatis omnibus circumstantiis formando: alioquin si res ad forum deducta sit, relinquetur justo arbitrio judicis, qui etiam damnificanti adjudicabit onus expensarum litis, quam interessatus debuit sustinere, ad quas utique tenetur ipse damnificans.

69. *Qui facilè damnorum æstimatio.*

Damna autem realia mortuo occidente, mutilante aut vulnerante, transeunt ad obligationem heredum, juxta vires hereditatis:

70. *Damna realia trã*

*eunt ad heredes damnificantis.*

ditatis: res enim transit cum suo onere, cui subjacere debet, qui commodum sentire desiderat. Ita communiter Doctores ex c. *fin. de Sepult.* Et c. *In litteris, de Raptoribus.* Immo ad hæc teneretur ipse fiscus, si succederet *L. Non possunt, L. In summa 17 ff. de Jure fisci.* Secùs est de mulctis, quæ non transeunt ad heredes lite non contestatâ *L. Ex Judiciorum 20. ff. de accusat.* Restitutio quoque interesse seu damnorũ realium, quorum obligatio jam erat contracta respectu læsi ante mortem illius, quæque directè ipsum concernunt, respicit heredes, etiam non necessarios: heres enim quicumque succedat in jura defuncti, cujus personam repræsentat, uti & in onera ejusdem.

*Secùs de mulctis. Restitutio præmissorũ etiam facienda heredibus damnificati.*

71. *Damna aliis ex morte occisi obvenientia an restituenda.*

Immo multi Doctores (teste *Lessio c. 9. d. 26.*) sentiunt compensari debere damna, quæ ex morte occisi patiuntur, non solùm uxor & liberi, sed & alii, puta creditores, vel illi, quos occisus ex liberalitate alebat. Ipse nihilominus *Lessius sup. Malderus Tr. 3. c. 3. dub. 8. Wiggers c. 3. dub. 8.* & alii passim consentiunt, creditoribus in primis regulariter nil esse specialiter compensandum: eò quòd illi non habeant jus in debitorem, nisi in quantum se extendunt bona præsentia vel verosimiliter futura: dum igitur homicida restituit heredibus, in quos obligatio defuncti transfertur, ea quæ ipse putabatur lucraturus, non facit injuriam creditoribus, qui possunt hæc ab heredibus petere. Neque videtur alia obligatio usu aut communi sensu hominum recepta, juxta *Lessium suprà.*

*Puta creditoribus.*

72. *Famulis.*

Idemque censent Doctores passim, & consonat communis apprehensio de famulis, qui alebantur intuitu servitii, quod alteri poterunt impendere, à quo sustentationem mereantur, si heredes eos dimittant.

*Propinquis, pauperibus.*

Item de fratribus, cognatis vel pauperibus, quantum ad ea quæ ex liberalitate defuncti solebant percipere: sive quia occisio illis non est ut plurimùm, sed merè per accidens damnosa: sive quia commoda illa non censentur ex voluntate defuncti diutiùs eis ex parte sua esse præstanda, quàm donec ei vitâ naturaliter aut violentè defuncto contigerit. Secùs censent iidem Doctores de

*Parentibus, Uxori, proli.*

parentibus, uxore & prolibus defuncti; quatenus eis occisus alimenta necessaria præstabat: tum ob spem propinquam, à qua tales ob injustam actionem dejiciuntur: tum quia censentur quodammodo una cum defuncto persona.

73. *Judicium Auctoris.*

Quæ eatenus potissimùm admittenda videntur, quòd ordinariè præsumatur homicida saltem confusè, & sufficienter ad contrahendam obligationem restitutionis, cognovisse, se fortè damnum inferre parentibus, uxori, & præsertim prolibus occisi; adeoque ordinariè his teneri ad damna eis oriunda, non ita aliis, quorum damnum veluti merè per accidens, & nec prævisum neque intentum, censeatur esse fortuitum & casuale, ut quantum ad illos non censeatur homicida commisisse formalem & culpabilem injustitiam. Alioquin si & horum damna prævideat, videtur non incredibile, etiam ipsum his obligari, quibus est injusta causa damni occisione injustâ benefactoris, eos impediendo à bonis, sicut tenetur alteri, quem vi vel fraude, etiam circa collatorem beneficii adhuc viventem adhibitâ, impedivit à collatione beneficii illi faciendâ. Et sic fortasse dissentientes quodammodo sententiæ possent conciliari.

Excusat tamen à restitutione heredibus aut aliis faciendâ condonatio læsi; quantum ad ea, de quibus justè disponere poterat. Damnorum tamen condonatio, veluti distincta & separabilis à condonatione injuriæ, in dubio non satis censetur contineri in pace ab ipso cum lædente initâ, adeoque eorum compensatio peti poterit, nisi inter partes plenissima sit facta remissio, juxta *Covarruvias, Julium Clarum,* & alios communiter, ut refert & sequitur *Christinæus ad Consuet. Mechl. Tit. 2. art. 31. n. 11.* addens *n. 12.* Præterea in transactione injuriarum, quando etiam transigitur de damnis & interesse, debere id nominatim exprimi.

74. *Condonatio injuriæ seu pacificatio an contineat condonationem damnorum.*

Condonatio itaque plena ipsius læsi cessare facit, juxta *Lessium c. 9. dub. 26. Wiggers sup. c. 3. dub.* 8. & alios passim, actiones aliorum, veluti qui non læduntur injuriosè in bonis fortunæ, nisi quatenus principalis læditur contra suam voluntatem; qui si jus suum condonet, non remanet aliis titulus justitiæ petendi compensationem ab homicida. Videtur tamen opus distinctione, quam adhibet *Lugo Disp. 11. sect. 3.* nam si condonatio fiat post lethalem vulnerationem, non videtur obligatio jam eo ipso immediatè contracta respectu aliorum, qui quantum ad spem juniquè damnificati forent, posse per læsum remitti: sicut collator beneficii, ipso jam alteri collato, adeoque extra potestatem facto, nequit condonare mihi obligationem compensandi tertio, quem vi vel fraude ab ejus consecutione impedivi. Secùs est de condonatione antecedente, qualis tacitè fieri censetur, juxta *Lessium* & alios passim per hoc, quòd occisus alterum provocet ad duellum seu pugnam, cui eo ipso tribuit potestatem contra se agendi usque ad necem.

75. *Condonatio plena læsi quid operetur.*

Non excusat tamen à restitutione interesse seu damnorum per se & in rigore loquendo pœna talionis: quæ nimirum in vindictam sceleris & terrorem aliorum, non in damnorum compensationem à judice infligitur. Quemadmodum non cessat per suspendium furis obligatio restituendi damna seu res furto ablatas. Quamvis valdè probabile censeat *Lessius, Wiggers* & alii, heredes homicidæ sic puniti non teneri, nisi heredes injustè occisi exigant, qui, si hone-

76. *An excuset pœna talionis.*

honestiores sint, exigere tunc compensationem non solent, sic ut ordinariè sumpto de homicida supplicio alii conquiescant. Certum saltem esse censet *Lessius dub.* 22. referens *Scotum* 4. *d.* 15. *q.* 3. heredibus occisi nihil tali casu deberi pro vita illius, esto alioquin compensanda foret: quasi per pœnam talionis damnum vitæ censeatur abunde compensatum. Quod etiam docent, qui pro damno vitæ alioquin restitutionem exigunt.

77. *Quid censendum, si vulneratus moriatur, vulnere non existente lethali.*

Ulteriùs hîc observandum in primis si mors sit secuta non ex vulnere, sed ex negligentia læsi vel medici, non esse obligationem restituendi in qualitate homicidæ sed vulnerantis; cùm mors subsequens censeatur hîc vulneranti fortuita. Nisi ratione loci & temporis, ob defectum medicorum censeatur vulnus lethale, ex quo proinde non obstante diligentiâ læsi hîc & nunc sequatur mors.

78. *Ad quid teneatur occidens alterum nihilominus certò moriturum.*

Observandum II. juxta *Lessium*, *Wiggers* & alios passim, quòd si equidem quis naturali vel aliâ justâ mortè certò erat è medio tollendus, injustè præveniens non tenetur ad restitutionem; utì non tenetur incendens segetes alterius, nihilominus certò per diluvium aut alio modo naturali mox perituras. Si tamen erat injustè interficiendus ab altero, indubiè præveniens etiam in se præoccuparet obligationem restituendi.

79. *Ad quid teneatur invasus si occidendo excedat moderamen inculpatæ tutelæ.*

Observandum III. Invasum, si occidat iniv asorem non servando moderamen inculpatæ tutelæ, usque ad gravem injustitiæ culpam, teneri ad restitutionem, ratione injuriæ & damni per illum illati. Quamvis dum excessus, etsi mortalis, non tamen omnino atrox fuit, æquitati naturali consonet, ut sicut occisus priùs invadendo quodammodo sibi causam necis & incommodorum dedit, sic & partem eorum ferat juxta prudens arbitrium: quantumvis alioquin restitutio non tam gravitati peccati, dummodo saltem mortalis, quàm damni proportionetur.

## QUÆSTIO VII.

### *De Injuriis in corpus Proximi per Stuprum & Adulterium, Ac Necessaria Restitutione.*

80. *Stuprum quid, & quotuplex. Quid virgo hic*

PRo prima quæstionis parte supponendum, per stuprum intelligi defloratione virginis. Quo nomine hîc intelligitur illa, quæ non cognovit virum. Aliud est voluntarium, aliud violentum. Quod postremum magis propriè seu strictè stuprum dicitur. Hoc supposito.

81. *Stuprator citra vim aut fraudē*

Dicendum in primis, quòd si virgo liberè consenserit, utì per defloration em non fit virgini consentienti injuria, sic nec deflorator seclusis promissis (quibus alioquin veluti justis & rationabilibus standum est) ei ad aliquid teneatur. Neque etiam fit injuria parentibus: cùm hi non habeant verum jus in corpus puellæ seu in ejus integritatem virginalem, sed hoc sit penes ipsam filiam. Mæror autem parentum, aut dedecus familiæ per accidens sequitur ex evulgatione facti (quod potest manere occultum) & pariter sequi potest ex fornicatione cum corrupta. Quæ nihilominus incommoda debet (an ex justitia, non ita contendiunt Doctores) primo loco cavere ipsamet defl orata. Confirmatur: quia post factum potest virgo condonare obligationem compensandi damnum etiam stupri violenti vel dolosi: ergo similiter per liberum consensum in copulam potest obligationem compensandi damnum prævenire.

*ad quid teneatur.*

82. *Si vis vel fraus intercedat, tenetur defloratam ducere & dotare, juxta sententiam.*

Deinde si absque promissione matrimonii fiat virginis defloratio per vim vel fraudem, in foro externo Ecclesiæ compellitur deflorator eam ducere & dotare; prout conformiter ad legem veterem *Exodi c.* 1. & 2. *de adult. & stupro* statuitur. Quod tamen jus veluti pœnale ultra terminos obligationis juris naturæ non constringit conscientiam ante sententiam judicis. Sistendo itaque in jure naturæ & foro conscientiæ sufficit reparare damna puellæ inde consequentia (quæ indubiè cadunt sub obligationem restituendi, veluti per injustum stuprum causata) quatenus scilicet impeditur à nuptiis æquè commodis, aut ab alio statu v.g. Religioso, ut addit *Poncius disp.* 52. *n.* 40. Pro ipsa autem pudicitia non est digna auri ponderatio. Quamvis varii gravissimi Doctores, utì de vita, sic & de pudicitia censeant esse locū pecuniariæ compensationi. Juxta quorum sententiam posset pecunia in pactum deducta retineri. Quod etiam de pacto defl orationi præmio facilè alii admittunt. Prout usura corporis solet non raro pro pecunia concedi.

*Ad quid teneatur in foro conscientiæ.*

83. *Non sufficienter fit semper compensatio per matrimonium.*

Damnum itaque temporale æquè commodi matrimonii potest compensari per matrimonium cum deflorante. Non tamen semper (etsi quidam generaliter loqui videantur) cùm interdum potuerit puella adipisci longè digniores nuptias: fierique insuper possit, ut stuprat ore citò moriente, ipsa adhuc juvenis impediatur propterea à secundis nuptiis æquè commodis, quibus alioquin potita fuisset. Quod tamen potest largiori dote, testamento, similive modo compensari. Non etiam tenetur deflorata matrimonium cum adeò iniquo stuprat ore admittere, potestque ideo aliam compensationem exigere.

*Quod deflorata non teneatur alio mittere.*

Alia itaque compensatio pro damnis subsequentibus restat pecuniaria, quæ defectum pudicitiæ suppleat.

84. *Si damnum non sequatur cessat obligatio*

Notandum tamen si virgo post defl orationem æquè commodis nuptiis sit potita, ita ut nil detrimenti acceperit, stupratorem ad nihil teneri. Ita *Navarrus c.* 16. *n.* 17. &

*compensandi, nisi periculum fuerit in pactum deductum.*

17. & 19. Patet: quia etsi periculum damni sit pretio æstimabile, si tamen ante pactum initum cessaverit periculum, nemo tenetur periculum compensare, in quo alterum constituit. Eo tamen non obstante potest aliqua compensatio deduci in pactum, priusquam se quis periculo exponat, aut dum adhuc perseverat, ad quod postea tenebitur paciscens, etsi nullum detrimentum sequatur, quia videlicet alter periculum in se suscepit.

85. *Defloratus sub promissione matrimonii, ad hoc tenetur.*

Si denique sub promissione matrimonii quis impetrarit usum corporis virginis, tenetur eam ducere. Ita Doctores communiter. Et patet: quia promissio hæc facta est ad modum contractûs, quem virgo ex sua parte implevit; adeoque debet etiam compleri ex parte promittentis.

86. *Variæ exceptiones discutiuntur.*

Excipiunt Doctores nonnullos casus. Primò, si ex circumstantiis v.g. verbis ambiguis, inconstantibus, nimis exaggerativis, facilè deprehendi poterat, defloratorem non sincerè agere; quasi tunc censeatur puella non tam decepta, quàm deceptionem fingere, ut ait *D. Thomas* 4. *d.* 28. *art.* 2. Nihilominus si revera decepta sit, nec fictionem adverterit, censent Varii defloratorem quamquam mendacem circumventorem teneri ad damna, quorum per injuriam est causa. Secundò, si defloratus sit longè ditior & nobilior. Ita plures Doctores cùm *Lessio* simpliciter docent. Sed in primis si defloratus id ignoraverit, tenetur alter eam (quæ pacta est corpus pro corpore, & pactum ex sua parte implevit) ducere, secundùm *Petrum Navarra*, nihil faciente hac inæqualitate, seu disparitate qualitatum extrinsecarum. Immo nisi aliunde constet de fictione, putat absolutè *Poncius d.* 52. *n.* 41. disparitatem hanc non sufficere: cùm eâ non obstante, possit nobilior verè & validè promittere, ut alii sæpissimè faciunt. Quare & sponsalia absoluta inter sic disparès valida sunt. Tertiò, si aliquod impedimentum dirimens supervenerit, aut grave damnum seu scandalum ex tali matrimonio timeatur: tunc enim sufficit damnum resarcire. Quartò, si defloratæ postmodum fornicetur cum alio, extinguitur simpliciter obligatio promissionis ex parte alterius id scientis, sic ut (nisi aliter conventum sit) hic ad nil teneatur; quemadmodum etiam in sponsalitia promissione hujusmodi conditio tacitè involvitur. Quintò, si quæ putabatur virgo (aliud est, si sciebatur non esse) deprehendatur corrupta: prout similis causa sufficit ad dissolvenda sponsalia. Immo, juxta *Sanchez l.* 1. *de matrim. d.* 10. *n.* 11. nec tenetur alter tali casu ad aliam compensationem, veluti qui non nisi ex promissione matrimonii (quæ cessat) obligatur. Quod tamen ex *Maldero* negat *Wiggers c.* 4. *dub.* 2. si non fuerit deceptus ex verbis puellæ.

87. Si ficta sit promissio, adhuc eâ tenetur defloratus, juxta Doctores passim. Et quidem in foro externo facilè præsumeretur contra promittentem. Alioquin, si ad cõtractum requiratur internus consensus, non tantùm debitus, sed verus, apparet in fictione hac subesse quidē gravem injuriam, adeoque obligationem sublatâ fraude restituendi modo sufficienti damnum consequens, seu quanti interest, contractum à decepta non fore impletum, non tamen videtur esse in foro conscientiæ obligatio standi promissioni quà tali, utpote defectu consensûs invalidæ.

*Quid si defloratus promissionē interiùs finxerit.*

Petes, quid faciendum defloranti virginem sub promissione matrimonii post emissum votum Religionis? Idem est de voto castitatis. Resp. Si virgo fuerit voti ignara (si fuerit conscia, constat ob malam utrimque fidem urgere obligationem voti) *Azorius*, *Lessius*, *Wiggers*, *Bonacina* & alii plerique Doctores censent debere ipsam duci in uxorem, ratione obligationis justitiæ erga puellam, quæ contractum ex sua parte implevit, nec aliam tenetur compensationem admittere, utpote non obligata subire infamiam defloricationis factæ extra statum matrimonii. Votum autem non obligat cum notabili damno proximi in materia justitiæ. Quemadmodum qui post votum erogandi omnia in pauperes, incendisset alterius domum, tenetur executioni voti præferre reparationem damni ex justitia strictiùs obligantem. Ut proinde, etsi consultum, non necessarium sit defloratos petere dispensationem in voto Religionis (votum castitatis obligaret in quantum compatibile cum debito matrimonii, citra dispensationem) veluti per se extincto, seu potiùs sopito.

88. *Quid si defloratus fuerit obstrictus voto Religionis.*

*Adhuc teneri ad matrimonium plerique docent.*

Nihilominus hæc doctrina non aliter est vera, quàm quatenus damnum puellæ illatum non est aliter reparabile. Alioquin eo secluso (quod non semper subest) placet doctrina *Navarri*, *Rodriguez*, quos citat & sequitur *Dicastillo de matrim. disp.* 1. *dub.* 32. *n.* 446. & alii, manere per se loquendo obligationem voti. Promissio enim matrimonii subsequens est invalida. Damnum quoque potest abesse, si videlicet defloratio maneat occulta, puellaque æquè commodis nuptiis vel statu potita sit, aut potiri queat. Ad quas meliùs obtinendas etiam potest constitui dos pinguior. Si ipsamet indebitè rem publicavit, seque infamavit, imputet infamiam sibi. Compensatio ad summum dotis tunc est penes defloratorem. Si hujus culpâ, seu citra puellæ culpam res sit facta publica, tenetur honori ejusdem consulere per matrimonium, cùm aliter non sit damnum hoc reparabile.

89. *Opinio Auctoris.*

90. *Pro injuria per adulterium commissa qualis debeatur satisfactio.*

Ad secundam quæstionis partem quod attinet: in primis pro injuria præcisè conjugi illatâ debetur solùm satisfactio per veniæ petitionem, & alia signa doloris: quia pro injuria ab omni damno separata nihil debe-

debetur, nisi satisfactio. Hæc autem cùm consistat in placatione animi exacerbati, non obligat, ubi ignoratur injuria. Quando autem illa injuria cognoscitur, obligat hæc satisfactio in conscientia, etiam ante sententiam, juxta Doctores communiter, si existimetur fore grata & acceptanda: qui enim verbo vel facto injuriosè alterum læsit, tenetur competenter læsionem reparare.

91. *An pecuniaria.*

Ex hac conclusione sequitur adulterum non teneri dare pecuniam pro injuria illata, quamquam maritus illam exigeret: tum quia injuria illa non est pecuniâ æstimabilis: tum quia jura prohibent conventionem pro injuria adulterii *L. Transigere* 18. *C. de Transactionibus*, & *L. Miles* 11. *ff. ad Legem Juliam, de adulteriis.* Quod idcirco prohibitum est, ne maritus videatur suæ uxoris lenocinium facere. Hæ tamen leges maximè spectant ad judices, ne videlicet concedatur actio in foro externo ob præsumptionem lenocinii; adeoque si maritus sine scandalo convenisset cum adultero, & pecuniam recepisset, non teneretur ad restitutionem.

92. *Partu secuto qua sit obligatio.*

Secundò, partu secuto tenetur adulter ex justitia restituere ea, quæ in alimentum prolis expensa sunt post annum tertium. Nam juxta c. 2. *de conversione Infidel.* mater tenetur alere prolem usque ad annum tertium inclusivè, & pater deinceps usque ad illud tempus, quo proles possit sibimet alimenta conquirere.

*Debet moraliter constare, quòd sit adulterina.*

Debet moraliter esse certum (sufficiens certitudo frequentissimè deest) quòd proles sit adulterina, sic nimirum ut indicia id existimandi excludant oppositi probabilitatem: in dubio enim stat præsumptio possessioque pro matrimonio, quòd scilicet eo stante censeatur proles esse mariti, adeoque legitima: adeò ut juxta *L. Filium* 6. *ff. de his qui sui vel alieni juris sunt* decernatur, non esse ferendum, quòd maritus nolit agnoscere partum uxoris, cum qua assiduè versatus fuit, seu suppositâ præsentiâ & potentiâ. Neque tenetur quis aliquid solvere, aut re quam possidet spoliare, nisi constet de debito. Quòd si de duobus adulteris dubitetur (idem est de casu prolis fornicariæ) cujus proles sit, cùm sit certum esse alterutrius, dividenda, juxta receptam Doctorum sententiam *Vasquez, Molina* & aliorum, est obligatio, utpotè certa, nec potiùs uni, quàm alteri est adscribenda: utì & si, cùm duo sunt vulnerantes, dubitetur, ex cujus vulneratione læsus obierit, singuli obligantur pro rata, & in solidum, deficiente alterutro: nisi forte aut aliâ conventione dubium dirimatur. *Lugo* nihilominus *d.* 13. *sect.* 2. *dub. incident.* fusè hanc rem tractans aliter discurrit: quem vide. *Poncius* quoque *d.* 52. *q.* 7. *concl.* 5. statuta communi sententia dubitare videtur, an si mulier possit congruenter sustentare de suo non teneatur ad totum, in pœnam dubii per ipsam injustè dati.

*Quid si de duobus dubitetur, cujus sit.*

Tertiò, tenetur adulter compensare damnum, quod legitimis provenit ex suppositione illegitimi, sive suppositionem suaserit (quando est res certa, ratione manifestæ coöperationis injustæ ad illam) sive illam non suaserit, ut contra *Soto*, *Henriquez* & alios, quos citat & sequitur *Diana p.* 2. *Tr.* 3. *Miscell. Resol.* 55. communis tradit sententia, à qua ad favendum in re adeò nefaria adultero cum gravamine solius adulteræ non est facilè recedendum. 93. *An teneatur adulter compensare damna legitimis illata. Etsi suppositionem non suaserit adultera.*

Ratio communiter allegatur, quòd adulter eo ipso, quòd prolem excitat, moraliter ipsam marito supponat; cujus censetur proles esse hoc ipso, quòd stante matrimonio gignitur: ut proinde dum supponitur in utero adulteræ, veluti in causa supponi incipiat in familia mariti, perinde ac si in ea proli, insciis parentibus ablatæ, substitueretur aliena. Quæ tamen ratio non videtur universaliter efficax *Lugo d.* 13. *s.* 2. *n.* 13. cùm in casu, quo adultera facilè posset prolem extra domum alere citra periculum damnorum consequentium suppositionem, hanc ipsam potiùs censeatur facere adultera suâ libertate, quàm constricta necessitate per actum adulterii. Quo casu proinde *Vasquez de Restitut. c.* 5. *§.* 1. *in fine* censet locum esse opinioni contrariæ. Contra quam idcirco *Lugo sup. n.* 14. generaliùs argui censet ex eo, quòd adulter censeatur proximè cooperari ad damna, sicut mater; utpote quatenus uterque permittit prolem manere in domo putatitii patris, & reputari tamquam legitimam, quam tamen ipse adulter alere tenetur.

94. *Damna legitimorum qui teneatur cavere adultera.*

Quartò, si partum adulterinum suppositum fuerit adultera, tenetur omni modo moraliter possibili adlaborare, ne legitimis inde damnum generetur, utpote cujus per injuriam ipsa esset causa. Unde deberet de bonis paraphernis, id est, præterdotalibus, si quæ habeat, legitimis specialiter benefacere, utì & de aliunde conquisitis per industriam vel laborem, si possit, vel suadere notho religionis (ad quam capax fuerit) ingressum.

95. *Rarissimè tenetur crimen patefacere.*

Alioquin rarissimè tenetur, jam præviis iniquis actionibus, crimen suum patefacere. Nam in primis frequentissimè subesset periculum gravioris mali, puta vitæ propriæ, aut perpetuæ persecutionis ac implacabilis inimicitiæ, vel gravissimæ infamiæ; quod excusat arg. *c. Officii 9. de Pœnit. & remiss.* Et de periculo vitæ omnes admittunt, veluti quæ non debet exponi, ut res pecuniaria restituatur. Idemque de periculo famæ, veluti non comparabilis cum divitiis, plerique docent. Quod saltem admittendum, quando fama, quæ periclitatur est talis, comparatione hereditatis, ut hujusmodi censeatur meritò non posse detegere veritatem absque notabili respe-

respectivè incommodò in bono, altioris ordinis. Secùs Doctores censent, quando adultera non est honestæ conditionis aut famæ; cujus proinde infamia censeretur non causare ei notabile incommodum. Idem Varii censent, si revelatione (quæ secreta esset, & maneret) faciendâ marito, aut proli spuriæ putaretur omnino impediendum malum, absque periculis aliorum malorum. Sed iidem notant esse rarissimum, ut pericula hæc absint: & quamvis ipsa abessent, ut saltem sit spes certa damni avertendi; eò quòd filius juxta Doctores parisim non teneatur credere matri (quæ ut antea in libidine, sic nunc in odio potest excedere) etiam juranti, etsi in articulo mortis, ipsum esse spurium; prout nec Judex ejus assertioni, aliis apertis probationibus ex absentia aut infirmitate mariti desumptis destitutæ, deferret arg. *L. 6. ff. De his qui sui vel alieni juris sunt.* Alleganti quoque suam turpitudinem non debetur fides, ut habet vulgatum Jurisperitorum actioma; quando scilicet id cederet in præjudicium tertii. Et quamvis filius in corde crediturus speraretur, non propterea constaret ipsum cessurum hereditate, ac non potiùs litibus seu controversiis turbaturum familiam.

*An spurius teneatur credere matri ejus defectum affirmanti.*

Pro fine adverte, quòd 1. proles adulterina exponatur (quod quidem gravissimè & meritò jura vetant, atque judices puniunt; esto juxta *Bassæum* V. *Adulterium n.* 9. referentem *Caietanum, Navarrum, Tolletum, Lessium, Bonacina* & alios, incommoda gravissima & alias inevitabilia in foro conscientiæ id licitum faciant, adhibitâ cautelâ pro vita & salute prolis) teneri parentes, si divites sint, restituere hospitali expensas alimentationis. Ad quod primo loco tenetur pater (cujus tamen defectus supplendus per matrem) veluti ad quem de jure spectat alimentatio prolis, demptis alimentis factis, quando hæc mater commodè præstare potest, prout in casu non potest. Ita Doctores citati, & alii communiter, ut citat & sequitur *Bassæus suprà.*

96. *Exponere prolem an vel quando liceat.*

*Exponentes ad quid teneantur ipsi hospitali.*

# DISPUTATIO SEPTIMA.

## *De Injuriis in Fama & Honore, ac Necessaria Restitutione.*

### QUÆSTIO I.

### *De Iudicio Temerario.*

1. *Quid fama, quæve ejus radix.*

NOTANDUM famam bonam esse opinionem multorum de alicujus excellentia. Quæ præcipuè oritur ex sapientia & virtute, seu sanctitate, ac functionibus inde procedentibus. Secundariò autem ex ingenio, eloquentia, nobilitate, robore, opibus &c. quæ homines æstimant, ac de iis famam seu opinionem aliorum quærunt. Quæ opinio dum exit in opus externum, præsertim per verba, dicitur laus; sicuti contraria dicitur vituperium. Honor autem est testimonium excellentiæ alterius: qui proinde supponit bonam existimationem, quam honorans de honorato habet; alioquin enim esset illusio. Non prærequirit tamen existimationem multorum de excellentia honorati, sicut requirit fama; sed potest vel ab unius bona opinione procedere. Estque etiam internè magis in ipso honorante, quàm in honorato, cujus excellentiæ, ac existimationis de eadem, ab altero testimonium datur.

*Quid laus & honor.*

*Quî honor supponat famam.*

2. *Fama læditur, sive per internum*

Priùs itaque videndum, quomodo lædatur fama, seu bona existimatio honori præsupposita. Et quidem dupliciter ipsa lædi potest. Primò per actum merè internum, qui consistit in judicio temerario, quo existimatio alterius lædatur in nobis ipsis. Secundò per actum externum, scilicet per detractionem; quâ læditur in aliis. De priori modo hâc quæstione nobis agendum.

*judicium sive per exteriorem detractionem.*

Judicium porrò temerarium censetur, quo absque sufficienti fundamento aliquod malum, seu boni defectum, de proximo judicamus. Quod quidem si firmum & omnino deliberatum sit, est peccatum mortale ex genere suo, quando scilicet est circa grave malum proximi, spectando præsentem ordinem bonorum, famæ nimirum; idque ex doctrina omnium Theologorum.

3. *Iudicium temerarium quid.*

*Est ex genere mortale peccatum.*

Quæ colligitur communiter ex Scriptura vetante hujusmodi judicium privatum condemnatorium, *Matth. 7. Nolite judicare, ut non judicemini.* Simile quid repetitur *Luca 6.* Et *ad Rom. 2. & 14.* reprehenditur judicans proximum suum. Quod etiam fit *Jacobi 4. Tu autem quis es, qui judicas proximum?* Ibidemque præmissum fuerat: *Qui detrahit fratri*, scilicet verbis, *aut qui judicat*, temerariè scilicet, *fratrem suum, detrahit legi & judicat legem*, ista scilicet prohibentem. Lex verò prohibens judicium temerarium videtur (ut rectè etiam advertit *Lugo d. 14. s. 2. n. 11.*) esse illa decalogi: *Non loqueris contra proximum tuum falsum*

4. *Probatur ex Scriptura.*

*Quo decalogi præcepto inhibeatur.*

*sum testimonium.* Nam ibi primariò prohibetur falsum testimonium publicum, dein privatum; accessoriè autem quoque judicium temerarium, quo inscitè de falsum veluti loquimur de proximo, dum crimen, de quo non satis constat, ei impingimus, tamquam si de eo constaret.

*Accedit ratio.* Unde sumitur ratio naturalis communis doctrinæ: nam id agere apertè repugnat rationi, immo justitiæ: cùm proximus habeat jus, ne absque sufficientibus indiciis sinistram de eo existimationem formemus; quod proinde jus contrafaciendo violatur, non sine gravi culpa, ubi est gravis temeritas, gravisque materia.

5. *Defectu advertentiæ est nullum aut leve peccatum.* Potest nihilominus fieri, ut peccatum non sit grave. Nam juxta *Wiggers Tr. 6. c. 1. dub. 3.* & alios communiter, quàm diu homo non advertit se malè judicare aut sentire de proximo, non est peccatum formale; cùm autem id cœperit advertere, saltem semiplenè, est peccatum veniale: ante plenam verò advertentiam numquam est mortale; ut patet ex regulis communibus traditis in Tractatu de peccatis in communi. Ex quo plurimi, præsertim timorati, frequenter excusantur à gravi culpa in simili materia, dum præsertim abest malevolentia in corde erga proximum.

*Vnde plures frequenter excusantur.*

*Excusat etiã à gravi culpa levitas materiæ.* Secundò, excusat levitas materiæ pariformiter, uti in casu detractionis, quando nempe versatur judicium circa rem levis momenti, vel quam proximus leviter curat.

6. *Si absit temeritas, nulla est culpa.* Tertiò, nullum est peccatum, si firmitas judicii sit proportionata exigentiæ motivorum: tunc enim non est temerarium, sed prudens judicium, adeoque non malum. Quo modo rectè judicamus mala, quæ coram videmus fieri, nec ullam excusationis umbram habent, ut rectè *August. Propos. 79. in Epist. ad Rom.* Si verò firmitas indicii sit quidem excessiva, tamen excessus non sit notabilis, non est quoque juxta Doctores passim culpa gravis regulariter loquendo, uti nec gravis injuria. Unde frequenter seu ordinariè opinio formidolosa de malo proximi non est graviter mala, etsi indicia non sint plenè, sed saltem aliquousque, vel ferè sufficientia. Immo plerumque Doctores per judicium temerarium intelligunt, quo quis ex levibus conjecturis firmiter assentitur rei tamquam certæ moraliter scilicet. Unde *Wiggers sup. num. 24.* pro dignoscendo, an judicium subfuerit, assignat ex *Cajetano* regulam, quòd censeatur judicium quãdo assentiens rogatus responderet, se habere illud pro re humanitus certa, seu indubitatâ moraliter, (quantumvis non ita semper, ut patet nullam falsitatem omnino posse subesse) Suspicio verò, si responderet, se ita quidem putare, sed posse falli.

*Si non notabilis, est culpa levis.*

*Prout frequenter reperitur in opinione formidolosa.*

7. *An semper.* Nihilominus non possum probare generaliter, quod quidam asserunt, in opinionibus formidolosis non esse culpam gravem, perinde quasi essent ex genere suo leves. Videtur enim omnino, quòd interdum gravis fiat injuria proximo, si opinio circa malum grave versetur, nec modica sit temeritas: v. g. si de Episcopo aut persona gravi ex frivola conjectura, quis habeat hujusmodi opinionem temerariam, quòd sit hæreticus, sodomita &c.

8. *Quid censendum de meris suspicionibus.* Immo idem dicendum censeo cum gravissimis Doctoribus de dubitatione, vel gravi suspicione (quæ propriè loquendo est quædam inclinatio in assensum, adeoque assensus velut inchoatus, quatenus probabiliter judicatur subesse aliquod opinandi fundamentum, ut explicat *Lugo d. 14. s. 2. n. 28.*) temerariâ, quando nempe ex nullis aut levissimis indiciis quis non ex humano errore, sed malevolè & pertinaciter suspicaretur aut dubium putaret grave scelus de viro gravi & boni nominis. Quãvis plurimi Doctores simpliciter asserant in suspicionibus esse tantùm culpam levem. Quod quidem ordinariè & regulariter de iis verum esse non diffitentur etiam alii Doctores, signanter *Wiggers sup.* citans *Cajetanum, Soto, Navarrum, Turrianum.* Exigitque idem *Wiggers* ad culpam gravem in suspicione (per quam videtur ipse, uti alii plures intelligere, seu sub ipsa comprehendere opinionem seu assensum formidolosum, etsi propriè loquendo hæc duo distinguantur) pertinaciam, & plenissimam advertentiam, tum ipsius suspicionis, tum tantæ temeritatis ejusdem; addens id esse conformius doctrinæ *Augustini Tract 90. in Joann.* ubi de hujusmodi indiciis & suspicionibus agit, & inter alia dicit: *Quid tam humanum, quam non posse inspicere cor humanum, & ideo non ejus latebras perscrutari, sed plerumque aliud, quam quod ibi agitur suspicari? quamquam & in his rerum tenebris humanarum, hoc est, cogitationes alienarum, etsi suspiciones intelligere* (Aliqui legunt, *vitare*) *non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est, definitas firmasq; sententias, continere debemus, nec ante tempus quidquam judicare &c. Quando ergo non erratur in rebus, ut recta sit approbatio vitiorum, virtutumq; probatio, profectò si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio.*

9. *An vel qua restitutio debeatur in judicium temerarium.* Restitutionem externam, defectu illationis exterioris damni, non exigit judicium temerarium; sed solùm ut proximus quantum ad æstimationem in animo nostro reponatur loco pristino, non obstantibus levibus, fundamentis formati sinistri iudicii aut opinionis.

10. *An vel quomodo dubia sint in meliorem partem explicanda.* Petes, an vel quomodo dubia sint in meliorem partem interpretanda? Resp. Dubia circa res non esse interpretanda in meliorem partem: cùm in iis non sit periculum injuriæ, laboreturque rationabiliter, ut ad notitiam veritatis perveniatur.

Dubia

Dubia verò circa personas seu actiones proximi, sunt interpretanda in meliorem partem juxta Doctores communiter, non quòd positivè debeamus judicare verum esse, quòd favorabilius, sed quia non possumus judicare positivè quod pejus est; ut docent communiter Doctores, & egregiè tradit *Augustinus l.2. de Serm. Domini in monte cap.*18. ubi allegans illud Christi *Nolite judicare, ut non judicemini*, inquit: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Quo sensu etiam verificatur vulgatum illud: *Omnis homo præsumitur bonus, nisi probetur malus.*

11. *Quid consultissimè fiat.*

Quare in dubiis rectissimè divertitur intellectus, suspenditurque judicium, ut alterutrum judicando non temere procedatur. Quamvis enim parum periculi sit in hoc, quòd judicemus semper subesse quod melius est, idque practicandum sit (ne fiat proximo injuria) posito, quòd determinatè judicemus; tamen hoc ipsum judicium potest saltem esse temerarium, seu imprudens. Unde *Augustinus sup.* de factis, quæ ignoramus quo animo fiant, ait: *Temerarium est judicare, maximè ut condemnemus*, propter injuriam scilicet in hoc admixtam. Nihilominus si damnum aliquod timeatur, seu periculum mali subsit, prudentis erit citra judicium de persona, cujus conditio non rectè scitur, judicare cavendum sibi ab ea, ac si mala esset, v.g. claudendo ostia & cistas &c. In quo etiam vigilare debet superiorum circumspectio quantum ad subditos; præcavendo rationabilem contristationem, & periculum ingerendi aliis suspicionem mali de personis.

*Cavendum judicare possumus, quem non licet judicare malum.*

## QUÆSTIO II.

## *Quid & Quale Peccatum sit Detractio?*

12. *Quid detractio.*

DIco I. Detractio, est alienæ famæ occulta & injusta violatio, juxta illud *Eccles.* 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Debet autem esse occulta, saltem ex intentione dicentis, qui enim in præsentia alterius intendit famæ illius detrahere, non est simplex detractor, sed contumeliosus. Describitur namque contumelia esse alieni honoris aperta seu in faciem ablatio. Quare ceteris paribus contumelia est gravior detractione, sicut rapina est gravior furto: Contumelioſus enim abjectâ omni reverentiâ instar raptoris vi aufert famam & honorem alterius scientis & renitentis: Detractor autem adhuc creditur aliquatenus revereri eum cui detrahit; quamquam sæpè magis noceat, eò quòd alter ignorans nequeat se defendere.

*Quid contumelia.*

*Quid ex hu gravius,*

Affine quoque detractioni vitium Susurratio, graviter in Scripturis reprehensum, ab ipsa differt, quòd Susurro proximos occultè mordeat, ut amicitiam honestam inter illos solvat, discordiasque gignat; detractor verò famam laceret. Unde susurratio repugnat charitati: quamvis etiam frequentissimè repugnet justitiæ, quatenus detractionem involvit, dum susurro illum imponit, aut occultum delictum revelat, vel aliam injustitiam, doli, fraudis aut apertionis secreti. Estque peccatum hoc ex genere suo grave. Unde susurrones, uti detractores, recensentur *ad Rom.* 1. inter eos, qui morte digni sunt, & (ut addit *Wiggers Tr.* 4. *c.*1. *dub.*3.) Deo odibiles. Quamvis ly *Deo odibiles* rectiùs cum *Sasbouth*, *Estio* & aliis seorsim legatur, uti alia vitia, q.d. Deo odibiles seu quibus Deus est horrori & odio, esse, uti alios ibi enumeratos, morte dignos. Plura de Susurratione vide apud *Basjaum* V. *Susurratio.*

13. *Qui differat à Susurratione.*

Differt similiter detractio à diffamatione (quæ ut in malam partem sumitur, est juxta *Marchant To.2.Tr.4.q.1.concl.2.* fama alienæ vel propriæ indebita & publica ablatio sive dissipatio) quòd hæc sit publica: quòdque etiam circa propriam famam locum habeat, cùm & seipsum possit quis diffamare, non tamen propriæ suæ famæ detrahere. Posset tamen detractio, quatenus alienam famam concernit, bono sensu etiam diffamatio dici, & è contrà.

14. *Qui differat detractio à diffamatione.*

Pestilentissimus verò diffamationis sive detractionis modus consistit in libellis famosis, qui sunt scriptum institutū ad alium diffamandum: quia infamia latiùs manat, & diutiùs vivit litterarum beneficio. Quod edens, aut inventos divulgans, morte punitur *L.un. C. de famosis libellis*, cum hac tamen (inquit *Valer. Andreas ad Instit. de injuria in addit. n.*16. *in fine*) restrictione, si in libello famoso capitale aliquod aut aliud grave scelus, ad creandum alicui periculum, sit objectum; secùs, si non capitale. Legem tamen cōsuetudine mitigatam ait *Tuldenus ad Cod. de famosis libellis*, additq; ipsam alioquin locum habere, etsi nominatim profiteatur se auctor: eò quòd crimē non excusetur impudentiâ & audaciâ. Neque ex libello famoso instituī inquisitionē posse, vult idem *Tuldenus sup.* eò quòd inde famam lædi non velit Imperator *L.un. cit.* Ad quod etiam facit c. *Inquisitionis §. Tertiæ dubitationis, de accusat.* Specialiter Edicta Principum Belgii apud *Zypæum Tit. de famosis libellis* sub pœna patibuli & confiscationis bonorum vetant libellos famosos, sive contumeliosa scripta, adversus Religionem, salutem publicam, majestatem & jura regia, eosque qui ad gubernacula reipublicæ sedent. Canones flagellationem minantur scripta, si repertus fuerit, non probanti c. *Qui in alterius 5. quæst.*1. & anathema c. *fin. ibid.* Infamiam perpetuam irrogat *Gregorius XIII.*

15. *De libellis famosis.*

*Constit.* 4. *Ea est*, confirmans etiam alias pœnas impositas à *Pio V. Constit.* 147. *Romani Pontificis.*

16. *Detractio fit directè quatuor modis.*

Porrò committi potest detractio directè quatuor modis; scilicet imponendo crimen falsum, amplificando crimen verum, manifestando crimen occultum, & ministrè interpretando alterius factum, juxta vulgatum versum:

*Imponens, Augens, Manifestans, In mala vertens.*

*Indirectè totidem.*

Totidem quoque modis committi potest indirectè, scilicet negando rectè facta vel dotes alterius, extenuando, tacendo eo tempore, quo alii nostram taciturnitatem interpretabuntur esse tacitam vituperationem, ac denique frigidè vel simulatè laudando, quando id censetur esse quoddam vituperium juxta illud *Phavorini* apud *A. Gellium l.* 19. *noctium atticarum c.* 3. *Pejus est frigidè laudare, quàm aperte reprehendere.* Hi quatuor modi exprimuntur hoc versu:

*Qui negat, Aut minuit, Reticet, Laudatq; remisse.*

17. *Generaliter & injustè fit impositione falsi, aut evulgatione occulti criminis.*

Generaliores verò detrahendi modi sunt duo, scilicet imponendo crimen falsum (quod manifestissimè repugnat justitiæ) & manifestando occultum, quod absque ratione facere, similiter juxta communem & satis certam Doctorum sententiam non licitum est contra charitatem, sed etiam contra justitiam: quamdiù enim crimen est occultum, retinet proximus jus ad famam. Unde sic infamatus tutâ conscientiâ potest diffamantem in judicio cogere ad satisfactionem si crimen probare non possit, ut patet ex praxi.

Nec refert, quòd quilibet sit dominus suæ scientiæ: non potest enim quis uti re suâ cum alieno detrimento, v. g. non potest incendere suum stramen, si inde secuturum prævideat incendium domûs vicini.

18. *Ad correctionem proximi qui possit adverti peccatum illius.*

Non est autem detractio, quando quis servato ordine correptionis fraternæ proximi peccatum detegit, ut ipse emendetur: quia non est injusta læsio famæ, cùm pro bonis superioris ordinis licitè exponantur bona inferiora, ut pecunia pro vita, & fama pro salute. Quin potiùs talis exercet opus fraternæ charitatis præscriptum à Salvatore nostro.

19. *Detractio est ex genere suo mortale peccatum.*

Dico II. Detractio est ex genere suo peccatum mortale. Probatur ex Apostolo *ad Rom.* 1. ubi inter eos, qui morte digni sunt, recenset *susurrones & detractores.* Qui & aliis locis graviter reprobantur. Ratio est: quia contrariatur virtuti justitiæ, & quidem in materia graviori, quàm furtum. Fama enim, quæ per detractionem tollitur, est bonum longè majus, quàm pecunia aliave bona temporalia. Nam juxta Sapientem *Proverb.* 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Intelligitur autem conclusio, non tantùm quando quis per expressam intentionem vult alterius famam lædere, sed etiam quando implicitè id intendit, faciens id unde ista læsio per se sequitur; uti dum ex quadam loquacitate refert peccata seu vitia alterius: in moralibus enim voluntas expressa & interpretativa non distinguunt species peccatorum, quãdo versantur in eadem materia. Poterit tamen hujusmodi detractio subinde esse venialis, non solùm ex parvitate materiæ, sicut detractio prioris modi, sed etiam ex indeliberatione seu inadvertentiâ, quæ ita non habet locum, quando læsio famæ expressè intenditur.

*Quamvis ex mera loquacitate procedat.*

*Etsi tunc locum habere possit imperfecta advertentia.*

Quare signanter in conclusione dixi, detractionem esse peccatum mortale *ex genere suo*, eò quòd levitas materiæ in peccatis injustitiæ, & generaliter indeliberatio excuset à mortali. Ceterùm materia gravis hîc rectè statui videtur omnis & solus defectus graviter probrosus respectu personæ lædæ.

20. *Quæ uti levitas materiæ excusat à gravi culpa. Quæ censeatur materia gravis.*

Unde ad materiæ levitatem censentur pertinere in primis veniales defectus proximi, quos proinde narrare non est mortale; nisi essent tot aut tales, qui personam de qua referuntur notabiliter dehonestarent. Sic enim si de viro gravi aut Religioso diceret quis eum esse mendacem, seu crebro mentiri, graviter ejus famam læderet. Deinde huc pertinent quædam peccata mortalia, quæ, spectatâ conditione personæ, non censentur notabiliter ejus famam lædere: ut si quis de milite narret, quòd fuerit fornicatus, ebrius &c. de Nobili, quòd commiserit duellum: de adolescente mundano, quòd sit deditus amoribus. Idem est de iis, quæ alius non curat occultari, aut de quibus se solet jactare. Immo fieri posset, ut divulgando, quòd præfectus v. g. cohortis duellum recusaverit (quod quidem sanctè fecit) graviter quis peccet, quatenus inde sequeretur militum inobedientia & contemptus.

21. *Qui defectus sint veniales, & inter dum mortales, seu levis materia.*

Tertiò, ad materiæ parvitatem referuntur peccata sub quibusdam generalibus nominibus relata, ut si quis dicat aliquem esse superbum, avarum &c. Hæc enim nomina ordinariè accipiuntur, ut solùm denotent naturalem inclinationem, vel veniales defectus; non autem ut importent peccatum mortale in talibus materiis esse commissum. Ubi autem id locum non habet aliter dicendum est: unde non sine mortali diceretur de viro, qui habetur probus, quòd sit fornicarius &c.

22. *Quid censendum de peccatis generalibus expressis.*

Quartò, pertinent eò defectus naturales, sive corporis, sive animi; ita ut eorum revelatio non sit ordinariè peccatum mortale, nisi inde aliquod notabile damnum proximo eveniret: ut si quis dicat alterum esse ignarum, parvi judicii, claudum, cœcum &c. Ob similia enim, quæ natura negavit aut non dedit, non censetur quis infamis.

23. *Item defectibus naturalium.*

Idem

*signanter natalium.*

Idem per se loquendo, ac rem secundùm se considerando locum habet in defectu natalium: ut si quis dicat aliquem esse filium sacerdotis, natum ex adulterio: quia ob id talis persona non est vituperio digna, atque ita in se non diffamatur, dum ipse rectè se gerit, ac parentes non imitatur: per accidens tamen, quia similia probrosa vitia parentum aliquibus in locis cõmuni hominum æstimatione generant probra etiam in filiis, qui idcirco habentur quodammodo infames, & apud omnes contemptibiles, poterit esse mortale similes defectus jam obliteratos vel occultos ibidem manifestare.

24. *An liceat revelare crimen suppressâ personâ.*

Petes I. An liceat referre crimen occultum subticendo personam: & quomodo peccet, qui refert se audivisse hunc vel illũ commisisse aliquid, quod adhuc occultum est, non tamen asseverando ita esse.

Resp. ad primum Affirm. modò non possit deveniri in notitiam vel suspicionem personæ. Qua in re opus est magnâ cautelâ, cum facilè ingeratur suspicio, & sequatur notitia personæ. Cavendum etiam præjudicium v.g. Collegii vel Monasterii, ne ipsum nominetur.

25. *An liceat sine asseverazione audita referre.*

Ad secundum respondeo, si talis id faciat intendendo læsionem famæ proximi, peccat mortaliter peccato detractionis: utì & si prævideat, aut facilè prævidere possit, ex vi & modo suæ narrationis ejusmodi læsionẽ secuturam. Si autem referat coram iis, quos verosimiliter existimat ex sua levitate credituros, etiamsi modus narrandi non sufficiat ad prudenter generandam fidem, peccabit mortaliter saltem contra charitatem: nam quilibet tenetur impedire ex charitate malum proximi quando commodè potest, præsertim si occasione tui eveniret. Communis tamen penè opinio habet, eum non peccaturum contra justitiam, quia non est vera & per se causa damni, sed tantùm per accidens & occasionalis: narratio quippe ejus non erat talis, ut esset idonea fidem facere; sed quòd alii credant, oritur ex eorum malitia aut levitate. Si denique referat crimen, ita ut ei probabile non sit, ullam inde infamiam secuturam, ut quia alii non sint credituri, non peccat mortaliter: cùm inde proximo non obveniat notabile damnum, etiamsi fortè levis aliqua suspicio in animis audientium suboritura sit. Excipe quando peccatum foret valdè grave, v.g. proditio, libido præpostera &c. nam etiam levis suspicio vel dubitatio de simili crimine non reputatur leve malum personæ honestæ.

26. *Revelare crimen proximi uni vel alteri an mortale.*

Petes II. An sit peccatum mortale revelare uni vel alteri viro bono & prudenti grave peccatum proximi?

Suppono in primis id non esse illicitum, si subsit aliqua justa causa, v.g. si indigeam consilio alterius vel auxilio. Immo etiam juxta varios Doctores, signanter *Petrum Navarra, Marchant, Lessium cap. 11. dub. 12.* non erit peccatum saltem grave, si id fiat solatii ab amico accipiendi, aut doloris mitigandi gratia: est enim nimis grave, ut quis cogatur injurias acceptas sotis in silentio concoquere. Quin potius jus habere videtur, ut dolorem sibi injustè illatum depellat: quod autem hoc fiat (dum aliter non potest) cum aliquali læsione famæ injuriantis, ipse sibi imputare debet, qui dolori causam dedit. Qui etiam satis novit hujusmodi effectum injurias consequi solere, nec curat propterea ab iis abstinere. Cavendum tamen ne mendax sit, falsaque relatio, neve intentio detrahendi, aut cupiditas vindictæ occultè sese immisceat, ac (ut Varii addunt) ne nominetur persona delinquens, aliquidve aliud dicatur, quando id ad consilium, auxilium aut solatium non est necessarium.

*Excusat justa causa.*

27. *Damnum grave extrinsecum facit id esse mortale.*

E contrà satis constat peccatũ fore mortale, si absque justa causa narretur defectus etiam uni soli, si inde damnum notabile proximo emergeret in alio genere, v.g. si is cui revelatur idcirco sit repulsurus alterum à publicis officiis aut beneficiis. At eatenus non foret mortale præcisè in genere detractionis.

28. *Immo etiã hoc secluso ex. mortale detractio.*

Solùm igitur difficultas est, an qui grave crimen proximi ex levitate aut loquacitate, vel ex amicitia familiari, aut saltem absque justa causa uni vel alteri manifestat, peccet mortaliter, etsi non sit periculum ulterioris divulgationis, & absit omnis alia circumstantia vitians?

*Probatur.*

Resp. omnino videri quòd sic. Ita communiùs Doctores, contra *Caietanum* & quosdam alios. Ratio est: quia possidere bonam existimationem in animo viri probi & prudentis, est simpliciter notabile bonum (nihil enim uni bono, quàm decem malis probari) adeoque gravem injuriam ei infert ille; qui eum tali bono injustè spoliat. Quod confirmatur: quia juxta omnes temerariè proximum judicans in re gravi peccat mortaliter; ergo etiam crimen occultum uni soli revelans: nam per judicium temerarium similiter tantùm amittitur existimatio apud unum. Neque levitas seu temeritas judicii foret mortalis, nisi magnum bonum censeretur, quod amittit is, qui temere judicatur; ideoque quando est levis res, etiam temere judicans solùm leviter peccat. Accedit, quòd consequenter posset auditor detractionis apud se factæ citra periculum gravis culpæ ipsam permittere aut promovere, cogitans se prudentem & taciturnum.

*Confirmatur.*

29. *Occurritur objectioni.*

Nec difficultatem habet, quod quidam dicunt, non auferri famam, utpote constantem opinione multorum: nam ipsam notabiliter lædit, eamque ex parte notabili aufert,

aufert, ſcilicet opinionem ſeu exiſtimationem in aliquo, ex qua & ſingulis ſingulorum aliorum opinionibus fama totalis integratur. Præterea in definitione detractionis per famam rectè intelligitur exiſtimatio, præſcindendo à multitudine: nam certè qui apud unum detrahit, ſaltem venialem detractionem committit, adeoque famam aufert ſeu lædit. Plura vide apud alios, ſignanter *Wiggers Tr. 4. c. 1. dub. 4.*

30. *Qui peccet auditor ad detractionem inducens.*

Petes III. Qualiter peccet auditor detractionis? Reſp. I. qui ita audit, ut interrogando, animando aut ſimili modo inducat ad detrahendum, æquè, immo magis peccat, quàm ipſe detractor: quia non tantùm peccat affectu detractionis, ut ille, ſed etiam peccato ſcandali, quatenus eſt alteri cauſa detrahendi. Et hinc peccat quoque contra juſtitiam tamquam efficax cauſa injuriæ, & tenetur ad reſtitutionem in defectum detractoris, ſi videlicet ejus inductio vel animatio putetur hîc & nunc moviſſe detractorem, adeoque in damnificationem efficaciter influxiſſe.

31. *Vel qui de ipſa lætatur.*

Reſp. II. Qui audiendo detractionem lætatur, etſi non inducat, neque ad continuationem excitet, peccat mortaliter contra charitatem, utpote gaudens de gravi malo proximi. Immo etiam ſuo modo contra juſtitiam, quatenus complacet ſibi in actu injuſto detractoris. Non tenetur tamen ad reſtitutionem, quia non eſt cauſa damni. Non peccaret autem mortaliter, qui ſolùm delectaretur eloquentiâ ſeu gratiâ detractoris: aut etiam juxta *Leſſium ſup. dub.* 4. curioſâ cognitione factorum proximi, modò ipſam detractionem nec probet nec deſideret. Quod poſtremum tamen non probat *Wiggers Tr. 4. c. 1. dub.* 15. eò quòd hæc cognitio ſit ipſa famæ diminutio in animo audientis, aut ſaltem illam neceſſariò cauſet, adeoque non ſatis appareat, quomodo poſſit quis gaudere de auditione quatenus cauſâ cognitionis, non probando famæ diminutionem connexam, quatenus de proximo nunc concipit malam opinionem.

32. *Vel qui non impedit.*

Reſp. III. Qui nec inducit, nec lætatur, non impedit tamen, quando abſque notabili incommodo poteſt, peccat mortaliter contra charitatem, quando detractio eſt gravis, & non eſt alius, per quem videat eam impediendam. Lex enim charitatis obligat, ut quando commodè poſſumus, avertamus notabile damnum proximi, quod ipſe invitus patitur.

33. *Quanam excuſent audientem.*

Dixi *quando abſque notabili incommodo poteſt*: nam ſi ex magna verecundia vel puſillanimitate non audeat reſiſtere, ordinariè non peccabit mortaliter: quia nemo tenetur ordinariè cum magna ſua difficultate damnum proximi impedire. Si tamen infamia foret valde atrox, & communi bono contraria, teneretur verecundiam & puſillanimitatem excutere. Similiter excuſabitur non impediens, quando ſibi timet aliquod aliud magnum incommodum, ut verbera, contumelias, aut quid ſimile. Idem apparet, ſi dubitetur ſeu non conſtet audicti, an res narrata ſit publica, ſive an juſtè vel injuſtè narretur: cùm in dubio non debeat præſumi loquentis iniquitas. Idem quoque eſt, quando putat, vel auditores non credere detrahenti, vel ſuam monitionem non profuturam; ut ſi ſit famulus aut inferioris conditionis, aut aliàs nullius auctoritatis: tunc enim non tenetur contradicere, vel reprehendere, vel poſitivè pro fama alterius defendenda agere, ſed ſufficit ut quovis modo nolentem ſe exhibeat, aut oſtendat dicta ſibi non placere, prout opportunum videbitur. Ad quod juvat hilaris quædam digreſſio, ſeu ſermonis diverſio, aut vultûs quaſi averſantis exhibitio, juxta illud *Proverb. 25. Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Immo quia experientia docet, aliud agendo detractorem magis excitari ad plura dicenda, eaque confirmanda, cenſet ſimpliciter *Marchant To. 2. Tr. 11. Tit. 4. q. 6.* auditorem, niſi ſit ſuperior vel perſona reſpectivè gravis, ad amplius non teneri. Adde, interdum melius conſuli proximo, dum permittitur progreſſus inceptæ detractionis; cujus dein falſitas melius oſtenditur. Mala detractionis & modos illam vitandi vide apud *Chryſoſtomum Homil. 3. ad Populum Antiochenum.*

34. *Defuncti etiam retinent jus ad famam.*

Pro fine quæſtionis notandum, famam communi judicio, etiam poſt mortem moraliter poſſideri, adeoque peccari poſſe revelando occulta crimina defunctorum, etſi inde heredibus ſeu amicis nullum damnum obveniat; in quos tamen frequenter etiam redundat hujuſmodi infamatio. Immo poſt mortem maximè celebrantur opera laudabilia, quando non imminet elationis periculum. Quo ſpectat illud *Eccli. 7. Mortuo non prohibeas gratiam*; intellige, ſepulturam, ſuffragia, ac etiam nominis eorum honorificam defenſionem. Quare ſicut laudis & honorificæ recordationi, ſic & obtrectationis ſunt defuncti capaces; quorũ, veluti ſe defendere non valentium, obtrectatores dixerunt Philoſophi cum lævis pugnare. Metus quoque infamiæ poſt mortem eſt multis frænum coercens à peccatis, utì ſpes famæ ſtimulus ad virtutes, doctrinam &c. Immo ipſi damnati (in quibus naturalia manent integra) non privantur jure ad famam; etſi quidam contrarium ſentiant: ut proinde falſa præſertim crimina iis imponere foret grave peccatum. Hinc patet non eſſe excuſandos Hiſtoricos, qui valde infamia mortuorum crimina, ſed omnino occulta, ſcriptis evulgant. Quamquam ob hiſtoriæ integritatem, communem utilitatem, publicam eruditionem, & terrorem aliorum pluſculum Hiſtoricis indulgeant quidam Doctores in prodendis criminibus

*Immo & damnati.*

*Hiſtorici qui excuſabiles.*

minibus defunctorum non omnino occultis. Ita *Soto*, & *Molina To. 5. disp. 28.* & alii.

## QUÆSTIO III.

## An, vel Quando Liceat Imponere sibi Crimen Falsum?

35. *Infamatio sui non est contra justitiam. Quando licita sit, vel non.*

SUPPONO infamationem sui non esse contrà justitiam, utpote destructionem rei, quæ est sub nostro jure seu dominio. Immo ad confusionem propriam, vel ob aliquam rationabilem causam, v.g. ad evadendos torturæ cruciatus, respondendum judici legitimè interroganti, satisfaciendum pro criminibus, etsi mors sequatur secundùm ordinem juris, interdum est licita. Aliàs saltem est temeraria prodigalitas boni, adeò ad vitam honestè ducendam opportuni. Immo grave posset esse peccatum, si fama sit officio & justitia rectè administrando necessaria, si infamans inde fiat magis effrænatus ad peccata repetenda, si aliis inde detur scandalum seu occasio sequendi, si inde alii incurrant malam notam vel dedecus, si causâ jactantiæ de gravi malo id fiat. Aliàs per se loquendo non est grave peccatum, utì nec prodigalitas bonorum fortunæ; ut tenent Doctores passim: etsi Varii agnoscant gravem culpam contra charitatem, ut videre est apud *Wiggers Tr. 4. c. 1. dub. 12.*

*An per se loquendo sit grave peccatum.*

36. *Ne ad evadendam mortem possit quis sibi falsum crimen imponere.*

DICO I. Non potest quis citra peccatum, saltem veniale (ut habet communis & certa doctrina) sibi falsum crimen imponere, ad evadendos quoscumque cruciatus, aut etiam mortem, aliàs intentandam; prout v. g. juridicè, esto per falsos testes, adeoque verè innocens, convictus de hæresi apud Tribunal Inquisitionis, si fateatur delictum & emendationem spondeat, liber evadit; si neget, morte plectitur. Ratio est: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; malum autem semper est mendacium. Ut proinde innocens & animandus mortem potiùs per quoddam velut martyrii genus pati, amore virtutis & spe cumulatissimi præmii, quàm mentiendo Deum offendere.

*A quo abstinendo sanctissimè agat.*

37. *Esto neque graviter peccaret agendo.*

Dixi *citra peccatum saltem veniale*: etsi enim Nonnulli censeant oppositum esse peccatum grave, communis tamen Doctorum sententia id negat, quando confessio falsi criminis non cederet in præjudicium grave Religionis, familiæ, communitatis, vel in scandalum; eò quòd mendacium istud censeatur tantùm officiosum, quatenus mentientem à morte liberat, etsi cum famæ (cujus dominus est, quamque pro conservatione vitæ perire patitur) præjudicio. Quòd verò *Augustinus 1. de Civit. c. 20.* dicit: *Falsi testimonii non minùs reus est, qui de se ipso falsum fatetur, quàm si adversus proximum hoc faceret*; intellige, quia utrumvis agat, est reus falsi testimonii, etsi non æqualis utrobique sit culpa; utpote graviter injuriosa proximo, non autem sibi ipsi; ut explicat *Wiggers sup.* Deinde in certis circumstantiis, quando scilicet testimonium est pernitiosum propriæ vitæ aut alteri bono necessario, est quoque grave crimen; etsi non in omni casu, quod *Augustinus* etiam non asserit.

*Locus Augustini Explicatur.*

38. *Ad evadenda levia tormenta graviter est illicitum imponere sibi crimen, ob quod est morte mulctandus.*

DICO II. Ad evadenda tormenta, sive levia, sive quantumvis gravia, aut etiam ipsâ morte intolerabiliora, non licet absque gravi peccato sibi imponere, seu confiteri falsum crimen, ob quod est morte plectendus. De tormentis levibus res est satis clara: eò quòd teneatur quis mortem non commeritus sub gravi culpa vitam suam conservare, neque morti aliàs ei tamquam causæ moraliter imputandæ exponere, non obstante aliquarum pœnalitatum sustinentiâ.

39. *Si gravissimi sunt torturæ cruciatus varii excusant à culpa gravi. Fundamentum.*

De gravibus torturæ acerbissimæ cruciatibus, res est controversa inter Theologos. Nam *Angelus, Silvester, Toletus, Lessius c. 11. dub. 7. n. 41. Bonacina de Restit. in part. d. 2. q. 4. p. 10. n. 6.* & alii censent non esse culpam gravem (levis culpa ratione mendacii non potest negari: nisi quòd quidam per viam restrictionis mentalis omnem culpam tollere referantur) eò quòd mendacium istud appareat non esse perniciosum, sive respectu vitæ propriæ, cùm confessio ista solùm tendat directè ad evasionem è tormentis, ipso confitente justis de causis permissivè se habente ad suam mortem: sive respectu judicii, eò quòd judex non habeat jus, ut reus cum tantis tormentis ei probet suam innocentiam; propter quod etiam nemo judicum sibi per hoc injuriam fieri queritur, sed potiùs commiseratione movetur re cognitâ. Ut proinde hæc opinio videri queat præferenda, non solùm quia verior, sed etiam quia saluti miserorum, aliàs frequenter etiam quoad animam pereuntium, saventior.

40. *Opposita nihilominus sententia refertur.*

Nihilominus conclusionem tradit inter alios *Covarruvias, Navarrus, Molina*, quos citat, & tamquam veriorem sententiam sequitur *Wiggers sup. dub. 13.* Similiter *Lugo d. 14. sect. 10. n. 174.* etsi oppositum censeat probabile, & posse ab eo, qui voluerit, in praxim deduci. Probatur ex eo, quòd talis censeatur sciès cooperari, & injustè causam præbere mortis suæ (etsi judex inde justè moveatur, excusatus à formali injustitia per ignorantiam; quæ non prodest scienter falsum confitenti, & errorem in judice causanti) adeoque censeatur falso contra se ipsum testimonio quodammodo suicida; sicut censeretur alium occidisse, qui ex simili falso testimonio per judicem neci adjudicaretur. Contra quem idcirco nec tali casu, talive de causa, potest quis falsum testimonium loqui. Non magis autem est do-

*Probatur.*

minus vitæ propriæ, quàm proximi: quidquid sit de fama. Ut proinde in talem etiam quadrare videatur solemne dictum *Augustini* 1. *de Civit. c.* 26. urgentis, *neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales* (prout talis facit) *ne incidat in perpetuas.* Et 19. *de Civit. c.* 6. *Si enim secundum istorum* (Philosophorum scilicet Gentilium, mortem sibi inferri posse censentium, contra quos superiùs egerat) *sententiam delegerit ex hac vita fugere, quàm diutiùs illa sustinere tormenta, quod non commisit, commisisse se dicit.*

41. *Confirmatur ex S. Hieronymo.*

Ad idem facit *Hieronymus Epist. ad Innocentium de muliere septies ictâ*, ubi refert duobus falsò accusatis de adulterina copula, cùm præ tormentorum vi juvenis falsò confiteretur crimen, muliere eum constantiâ superante, miserrimi juvenis ad primum statim ictum amputatum esse gladio caput, mulieris autem caput etiam septimo ictu amputari non potuisse. De isto autem præmittit: *Infelicissimus juvenis volens compendio mortis longos cruciatus vitare, dum in suum mentitur sanguinem, accusavit alienum.* Ubi apertè asserit, talem iniquè & perniciosè mentitum esse in proprium sanguinem; etsi præterea peccaverit accusando alienum sanguinem innocentem. Subditque verba mulieris, in tormentis Deum testem invocantis, *non ideo se negare velle, ne pereat, sed ideo mentiri nolle, ne peccet.*

42. *Objectio.*

Dices, potest quis confiteri crimen verum, etsi propterea sit occidendus à judice, absque eo quòd censeatur seipsum occidere, seu morti suæ coöperari, ad quam potiùs censetur se permissivè habere: ergo similiter id censendum est in casu præsenti. Respondet *Molina To.* 5. *d.* 37. *n.* 18. Neg. Cons. eò quòd in casu præsenti per falsam cõfessionem ponatur quasi in esse, quantum ad justam judicis opinionem, causa demeritoria & causativa mortis ob eam inferendæ, at confessio criminis veri solùm sit conditio, sine qua non operatur mortem causa illius meritoria, scilicet ipsum crimen commissum, cujus subticentia interim erat quoddam remedium contra causam mortis positam, sed latentem.

*Responsio prima.*

Sed contrà facit, quòd etiam in casu criminis veri accusator legitimus censeatur citra culpam causa mortis subsequutæ per executionem subsequentis sententiæ judicis, ideoque incurrat irregularitatem ob defectum lenitatis; ut proinde differentia non videatur ponenda inter confitentem crimen verum, & confitentem falsum, quantum ad rationem causæ. Quare aliter.

43. *Responsio secunda.*

Respondetur, utroque casu posse quodammodo censeri reum cooperari suæ neci, sed uno injustè, altero justè. Neque enim omnis cooperatio ad necem justè ab alio auctoritatem habente inferendam est mala, quin immo hanc licet procurare, petendo & desiderando rationabili de causa eam ut inferendam ab alio auctoritate prædito: at cooperari ad mortem reverà injustè inferendam innocenti, nullatenus licitum est, etsi per accidens excusetur judex ratione erroris per ipsum reum scienter causati. Plura vide apud *Wiggers* & *Lugo* locis citatis.

44. *An teneatur innocens falsam confessionem revocare,*

Petes, an falsò crimen proprium confessus teneatur adhuc sub mortali ad revocationem? Respondent Auctores opinionis mox refutatæ Neg. si timeatur prudenter renovatio tormentorum; idque non obstante perjurio fortassis commisso, quod jam transiit & pœnitentiâ coram Deo delendum est non retractatione. At inhærendo jam traditæ doctrinæ, respondendum est Affirm. quando videlicet per revocationem posset tolli aut impediri causa mortis iniquè posita, quam alioquin censetur voluntariè continuare. Secùs, si inutiliter seu absque prædicto effectu id fieret: tunc enim non est amplius in potestate causa mortis ejusque operatio. Quamvis juxta *Molina* sit consultum, fierique solitum, ut nihilominus in articulo mortis publicè innocentiam suam metu tormentorum falsâ confessione perditam occidendus testaretur. Quod etiam posset esse obligatorium in casu, quo ex falsa confessione sequebatur præjudicium famæ vel aliud damnum aliorum. Ita *Lugo sup. n.* 186.

## QUÆSTIO IV.

### *Quomodo liceat revelare crimen proximi ad malum proprium vel tertii evitandum?*

45. *Ad vitandam mortem licet patefacere crimen proximi, etiam secretò cognitum, non obstante infamia.*

Dico I. Ad evadendam mortem aut gravia tormenta licitè detegitur occultum alterius crimen extraconfessionaliter cognitum a casu aut per commissum secretum, dum inde non sequitur, nisi ad summum detrimentum in bono famæ proximi. Ita *Soto, Navarrus, Molina, Lessius* & alii passim.

*Probatio Lessii dicti.*

Probari solet ex *Lessio c.* 11. *dub.* 8. quia non tenetur quis cum tanto suo malo conservare occultatione veritatis famam proximi (idem est à fortiori de bonis fortunæ) uti nec abstinere à demonstrandis pecuniis alterius, quas apud se occultatas habet. Sed difficultas est, quòd in præsenti casu non tantùm non servetur, sed positivè tollatur fama proximi, quæ non nisi detectione criminis tolli potest.

46. *Vera ratio.*

Itaque contra *Lessium* facendum id quidem, sed ulterius dicendum, quòd fama licitè tali casu tollatur, adeoque citra detractionem, sicut dum id fit ad impediendas iniquas alterius machinationes, similibusve justis de causis. Cujus ulterior ratio est, quòd in casu criminis veri & occulti

jus ad

jus ad famam non sit ita strictum & illimitatum, sed justis & debitis de causis juxta dictamen rectæ rationis tolli frequenter possit. Sic autem est similiter in præsenti. Rationabile enim omnino est, ut tam gravia mala possit quis à se avertere tali medio; immo irrationabile esset, id fieri non posse. Alioquin inter pecunias & famam est disparitas, quòd illæ seu bona fortunæ, secùs quàm bona famæ, originaliter communia, per divisionem sic facta sint singulorum, ut conditio primæva quodammodo pro casu extremæ necessitatis revivisat in ipsis; cùm tamen fama alterius inviti citra injustitiam nequeat destrui per falsi criminis impositionem.

47. *Secretum non tam arctè obligat.*

Quantum ad violationem secreti commissi, non videtur istud acceptatum sub tam arcta obligatione, ut ne quidem tali de causa posset aperiri, sed sub obligatione moralis cujusdam & humanæ illius custodiæ: seclusâ videlicet expressiori stipulatione, aut quæ ex circumstantiis meritò colligi queat. Aliàs secùs censendum foret: si enim intentio se obligandi fuisset adeò generalis, esset consequenter obligatio observandi, utpote de re licita, & proveniens ex pacto mutuo.

*Limitatio.*

*Alia limitatio.*

Intelligitur autem conclusio de secreto, & consequenti commodo particulari: si enim sit secretum reipublicæ vel exercitûs, unde pendet bonum notabile aut pernicies ipsius reipublicæ, potiùs moriendum foret, juxta Doctores communiter.

43. *Idem censendum, etsi infamando simile malum immineat.*

Dico II. Præmissa sunt licita ad evadendam mortem aut graves cruciatus, etsi alteri ex detectione criminis immineret similis mali periculum. Ita Doctores passim. Ratio est: quia non tenetur cum tanto suo incommodo occultare veritatem, cujus notitiam sine cujusquam injuria comparavit: eique periculo alter (qui justam non habet causam conquerendi) committendo crimen, aut communicando secretum (nisi arctius silentium sit stipulatus) se voluntariè exposuit; præsertim quando (utì ordinariè) secretum non fuit ipsi in utilitatem ejusdem communicatum.

49. *An hæc locum habeant, si notitia criminis sit injuriosè exterta.*

Major autem difficultas est, an præmissa locum habeant in casu, quo per injuriam, v.g. vi vel fraude, cognovit quis alterius occultum crimen vel secretum?

*Sententia affirmans probatur.*

Asserit *Petrus Navarra, Lessius*, & alii: eò quòd tametsi injuria sit ab aliquo commista in extorsione secreti, scientia tamen comparata sit in dominio illius, qui proinde jus habet illâ utendi in sui defensionem. Confirmatur à simili: nam equo furtivo licitè postmodum in casu necessitatis uti possum.

*Instantia in contrarium.*

Sed contrà facit, quòd injustitia præterita non semper purgari videatur per subsequentem necessitatem; prout fit in bonis fortunæ, quæ sicut posses in necessitate extrema etiam per vim auferre, sic censetur præsens ablatio per supervenientem necessitatem purgari, quæ facit bona fortunæ communia. Quin immo meritò videtur alter de te conqueri, tam quòd vi & injuriâ priùs secreta ejus scrutatus sit, quàm quòd nunc illa in ejus perniciem vertat, ut se liberet, sicque novam injuriam addat præcedenti.

*Sententia negans præfertur.*

Quare oppositum apparet satis regulariter æquitati consonum. Idemque tenet *Soto, Navarrus, Molina* & alii, quorum Nonnulli expressius agunt de solo periculo vitæ alteri imminenti, quasi (ut indicat *Molina, Navarrus*, prout citat & sequitur *Wiggers c. 1. dub. 14. in fine*) dum solùm esset periculum in rebus fortunæ, adhuc licita esset detractio, dummodo detegens sit paratus resarcire omne damnum.

50. *Regula Cardinalis de Lugo notanda.*

Nec displicet regula *Cardinalis de Lugo sup. n. 101. & seqq.* docentis tunc demum revelationem licere, quasi nimirum injuria non præcessisset, quando reductus es ad talem statum, in quo propter præsentem necessitatem posse eamdem notitiam quovis modo, etiam aliàs injuriosè, v.g. interceptione litterarum &c. comparare. Ad quod utique non sufficit quævis causa me concernens, ob quam possem alioquin occultum crimen aperire (ne lata porta aperiatur inquirendis quâvis methodo alienis secretis contra publicam quietem) sed quando ipse dominus secreti me vel alium innocentem iniquè vexat, aut ipse teneretur illud manifestare, aut quando id necessarium esset ad bonum reipublicæ. Quibus casibus non putem facilè ab aliis Doctoribus negandum id posse fieri.

51. *Ad impediendum malum proximi quando licita sit detectio criminis alieni.*

Dico III. Potest quis manifestare crimen occultum proximi, quatenus hæc manifestatio est necessaria ad impediendum notabile damnum, sive temporale sive spirituale, inde alioquin innocenti impendens, v. g. novi Petrum esse furem, possum monere eos quibus cohabitat, ut sibi caveant. Deinde possum patefacere homicidam, si innocens esset condemnandus; immo ex charitate crimen manifestare teneor.

Ratio est: quia potest quis se & innocentem servare indemnem per moderatam defensionem, etiam cum detrimento invasoris in vita & membris; ergo multo magis in fama? ad quam suppositâ veritate criminis jus satis limitatum possidet. Deinde quisque habet jus proferendi in lucem, quod in sua cognitione abditum tenet, si ex illius occultatione aliis malum immineat: si enim id possit, ut sua, cur non ut proximi mala avertat, quem sicut se ipsum diligere debet? Unde ipse Salvator *Matth. 16. & Luca 12.* occultam Pharizæorum & pernicioſam hypocrisim discipulis manifestavit, quatenus sibi ab eorumdem fermento caverent. Similiter Apostolus 2. *ad Timoth. 4.* scribit: *Alexander æarius multa*

*multa mihi mala ostendit; quem & tu devita.* Sic & instrui possunt fideles, ut sibi caveant ab uno aut pluribus occultis hæreticis, vel suspectam & perniciosam in fide aut moribus doctrinam tradentibus; uti Christus *Matth.* 7. monet attendendum à falsis Prophetis, qui extrinsecùs apparent oves, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. Quantitas autem damni, quod timetur, prudenti judicio æstimanda est, an videlicet hîc & nunc sufficiat aperiendo crimini.

52. *Si plus quàm necesse revelatur, contra charitatem delinquitur; immo & contra justitiam.*

Dixi in conclusione *quatenus hæc manifestatio est necessaria ad damnum impediendum*: alioquin enim constat fore contra charitatem, quæ requirit vitari incommodum proximi, quando convenienter potest. Imm. & juxta Doctores communiùs tunc erit contra justitiam, sicut contra illam peccat occidens invasorem, si eum stringendo ensem, aut leviter percutiendo satìs repellere possit. In dubio, an malum alterâ viâ possit averti, licebit uti modo securiori, & crimen patefacere: quia causa innocentis in dubio est magìs favorabilis, seu est plùs ei favendum. Idem est in dubio, an sit revelatio profutura: si enim constaret quòd non, frustra fieret criminis revelatio.

53. *Objectio.*

Dices, non tenetur invasus ex justitia fugere, etsi sic possit evadere vim invasoris; quem proindè moderatè se defendendo occidens vel mutilans non facit contra justitiam: ergo licet aliter possit malũ averti, non tamen etiam injustum erit id facere tali viâ, scilicet aperiẽdo crimen. Admittunt

*Responsio quorumdam.*

Quidam totum, quando criminosus habet se per modum invasoris mei aut proximi, rerumve ejus. Aliàs admittunt & ipsi fore contra justitiam; v. g. si revelo aliis crimen alterius, ut per ipsos emendetur, quem ego ipse emendare possum. Verùm Resp. Neg. Cons. quia prior habet jus in tali loco manendi (saltem seu præcipuè si concurrat justa honoris defensio fugam vetans) neque ob malitiam alterius tenetur ex justitia eum deserere, aut à jure isto recedere. Quare defendere illud & se ibi potest moderatè. In casu autem consequentis potest utrovis modo malum tollere, absque eo, quòd cogatur discedere à jure suo sibi antecedenter ad invasionem competenti: quia non videtur magìs ab aliquo jure suo discedere, quando se per declinationem fori defendit, quàm si per exceptionem contra testes, pandendo eorum crimina occulta, si utrovis modo securè se eximere possit.

*Alia responsio.*

54. *Simulatio innocenti nociva licitè detegitur.*

Dico IV. Licitum est detegere simulationem ejus, qui fictis virtutibus famam comparavit, quando cedit in aliorum detrimentum, ad illud scilicet impediendum, aliàs nequaquam licet. Prima pars satìs constat ex allegatis conclusione præcedenti. Unde si quis verbositate vel astu comparaverit nomen periti advocati vel medici, si mihi certò constet contrarium, potero id aperire iis, qui alioquin passuri sunt damnum in bonis vel corpore. Similiter possum manifestare pauperes simulatos, qui ex sua simulatione convertunt ad se eleëmosinas cum detrimento illorum, qui verè pauperes sunt.

*Corollaria.*

Secunda pars probatur: quia eadem videtur ratio de similibus hypocritis, quæ de occultis criminosis. Quod confirmatur: quia etsi fictè virtuosus non habeat jus, ut positivè judicetur esse probus; habet tamen jus, ut non judicetur esse improbus, aut non virtuosus, quàm diu hoc exteriùs non patet, ac nemini nocet. Adeò ut Doctores passim contra *Adrianum* idcirco existiment esse non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam (quæ obligat non detegere, dum abest utilitas ad proprium vel proximorum bonum) detegere talem hypocritam, v. g. mulierculam verè pauperem, quæ simulat pietatem, ut obtineat eleëmosynas. Vide *Lessium c. 11. dub.* 10, ubì tamen oppositam *Adriani* sententiam probabilem censet.

55. *Secùs si simulatio nemini nocet.*

Petes, an pro lucro consequendo liceat alienum crimen pandere, v. g. si aliquot milleni aurei promittantur? Resp. Neg. Nam ut lucrum etiam longè excedens faciam, non possum alienum auferre, aut damnum alteri inferre: hoc enim maximam in universo perturbationem gigneret, dum quisque spe amplioris lucri aliena raperet. Et sic mercator magìs industrius posset ab aliis quælibet rapere ad suæ negotiationis lucrosum exercitium.

56. *Probabile non licet detegere crimen proximi.*

## QUÆSTIO V.

### *An Publicitas Criminis excuset à Peccato Detractionis?*

57. *Quid publicum jure vel facto, quidve famosum.*

NOTA publicum, aliud esse jure tale, aliud facto. Illud dicitur, de quo constat per confessionem aut convictionem Rei, vel per sententiam subsecutam. Quando autem per probationes aut sententiam condemnatoriam solùm constat seu declaratur esse de crimine suspectus, tunc hæc ipsa suspicio est jure publica. Publicum facto dicitur, de quo evidenter apud non paucos constat esse factum, sic ut prudentis arbitrio nullâ possit tergiversatione celari. Huic accedit publica præsumptio, quando nempe non quidem de facto, sed de vehementibus seu sufficientibus indiciis sic constat. Quod factum alii famosum vocant. Tunc autem censetur juxta *Molina Tr. 4. d. 31. n. 4.* res alicubi publica, adeoque fama in communitate amissa, quando ita limites secreti & occulti excedit, ut attentâ qualitate communitatis & hominum conditione moraliter sit prudentis arbitrio ulteriùs diffundenda. His notatis.

58. *Publicum*

In primis publicitas juris tribuit juxta commu-

per sententiam ubivis publicare licet.

communem sententiam facultatem ubique diffundendi notitiam criminis, quando de eo constat per sententiam publicam. Nam hæc facultas & infamia consequens est quasi pars pœnæ, ac deservit bono publico. Ideoque solent judicia publicè agi, sententiæque solemnissimè publicari ac executioni mandari. Quare ipsæ etiam possent publicè ubique affigi, ac typis mandatæ ubivis distrahi, uti per judicem, sic & per alios.

59. Quid si publicum sit per confessionem vel probationes legitimas.

Quæ ratio cùm non habeat locum in sola confessione vel probatione criminis, censet *Lugo d.14. sect.6.n.72.* circa has procedendum, uti circa facta, adeoque ni censeatur de iis satis publicè constare, posse propalari, uti alia quæ habent præcisè facti publicitatem: qualis plerumque non deest in hujusmodi; cùm interrogationes & confessiones fiant sæpe coram omnibus, nec ordinariè possint moraliter latere, quæ sic jure aguntur. Ideoque *Lessius c.11. dub.13.* & alii de his, uti de ceteris publicis per sententiam aut facto, sine discrimine loquuntur.

60. Quid si anticipetur paululum divulgatio justa futura.

Quòd si quoque moraliter constet, sententiam condemnatoriam paulò post ferendam, brevis anticipatio divulgationis non censeretur graviter mala, uti nec graviter præjudicativa; prout idem *Lugo* censet *n.79.* & rursum *n.90.* referens *Molina*, *Lessium*, & alios communiter sic sentire, sive instet evulgatio per sententiam, sive per famam, sive alio modo: nisi fortè ex illa anticipatione sequerentur interim gravia damna extrinseca, v.g. in divitiis, officiis &c. quæ proinde forent compensanda ab eo, qui sic anticipat, uti credit idem *Lugo sup.* Atque ita interdum fit de expresso vel præsumpto proximi consensu, ut etiam falsum aliquod crimen de ipso ad lepidam tertii deceptionem mox tollendam dicatur citra gravem culpam, dum scilicet abest periculum omne remanuræ pravæ opinionis alteriusve mali. Sic etiam nonnulli explicant factum Christi prædicentis certò & proximè instans Petri & Judæ peccatum. Verùm Christus habebat famæ alienæ dominium: nec deerat illi causa gravissima, quòd scilicet constaret discipulo ipsius Christi divinitas, præscientia, & spontanea passio.

61. Sententia limitatè publica non tribuit facultatem ulteriùs divulgandi.

Dixi notanter *per sententiam publicam*: quandòque enim condemnatio & punitio non egreditur certos limites, etiam ex voluntate judicis aut punientis; prout fit in familia, collegio, Religione. Unde crimen v.g. Religiosi etiam condemnati, qui non ejicitur ab Ordine, propalari extra Religionem, si extra illam non fit aliâ viâ publicum, est contra justitiam; ut notarunt *Molina sup. disp.33. n.7. Lugo sup. n.73.* & alii.

62. Publicitas absoluta facti etiam excusat divulgantem alterius crimen publicum, juxta receptam Doctorum sententiam. Nam taliter criminosus amisit jus ad famam; utpote fundatam aliàs in occultatione, jam cessante. Quin immo videtur ipse suam famam prodegisse, jurique ad illam cessisse, in talibus circumstantiis crimen perpetrando. Idemque confirmat communis hominum apprehensio, quorum nemo censet se iniquè agere, referendo facta publica, aut etiam ad alia loca scribendo. Unde in novis publicis imprimuntur, & ubique divulgantur quævis & ubivis facta publica. Idemque faciunt Historici à nemine propterea improbati. Quare sine injuria juxta receptam Doctorum sententiam contra Nonnullos, refertur crimen publicum alicui personæ ibidem id ignoranti, etsi fortè numquam postea didicisset, eò quòd v. g. sit ab hominum consortio penitus semota. Quæ utique habet fas discendi & audiendi quæ sunt publica. Idemque censent de extraneis ad locum adventantibus.

absoluta facti qui excuset.

Notant tamen varii Doctores (estque indubiè saltem saluberrimum consilium) abstinendum esse à relatione criminum alibi publicorum in locis remotioribus, ad quæ facilè non esset notitia perventura defectu commerciorum; quasi id foret saltem contra charitatem, si delinquens ibi sit, & putetur mansurus bonæ famæ (quæ est utique divisibilis) immo (ut Nonnulli addunt) etiam contra justitiam. Quod tamen plures negant, ob absolutam carentiam juris ad famam. De quo vide *Lugo d.14. sect. 6.* fusè excusantem hujusmodi narrationes, ubivis fiant.

63. Publicitas secundum quid v.g. in Collegio nõ excusat.

Aliud est de crimine publico secundùm quid & limitatè, v. g. in Monasterio vel Collegio: nam ibi publicum non potest etiam extraneis ad monasterium v. g. accedentibus referri (uti tamen possunt referri extraneis Lovanium v. g. accedentibus, quæ sunt ibi publica) nam communitas ista, veluti quædam persona ficta, retinere censetur notitiam istam unquam propriè dictum secretum respectu aliorum. Sicut etiam Senatus potest habere quædam inter Senatores publica, respectu aliorum secreta.

64. Quid si infamis bonâ vitâ infamiam obliteraverit.

Quòd si antea infamis, postea bene vivendo famam bonam recuperaverit, censent Doctores plurimi, non posse crimen præteritum revelari, etiam sine injuria: etsi *Lessius* & alii dicant solùm repugnare charitati. Ratio assignatur: quòd per hoc non tantùm destruatur fama vetus, sed & præsens, quam de jure pudet, eaq; velut inutilis reddatur. Secùs fortè videri posset, si fama noviter acquisita posse trelinqui intacta; vel si crimen necdum esset obliteratum. Alioquin supposità perfectâ oblivione, censet omnino *Lugo sup. n.85.* crimen rursum redire ad pristinum statum occulti; veluti si Deus illius memoriam è cordibus hominum

minum miraculosè abstulisse; quo casu propalans, videretur injustè agere. Excipit tamen crimen publicum per sententiam, etiã quoad ipsam personam (secùs si persona v.g. larvata esset punita publicè) eò quòd facultas divulgandi per judicem semel concessa adhuc irrevocata maneat.

65. *An factum injustè publicatum ulteriùs citra injuriam spargatur.*

Petes I. An si crimen proximi per injuriam factum sit publicum, possit ulteriùs spargi citra injuriam? Resp. Si falsum sit crimen, indubiè non posse, sed quemvis teneri ad restitutionem, cùm jus innocentis ad suam famam maneat integrum quoad omnes & singulos. Si verum sit crimen, adhuc non posse citra injuriam alterius spargi, censent *Petrus Navarra* & alii, eò quòd videatur primæ injuriosæ infamationis consimilis propagatio & continuatio. At rectiùs *Lessius c.11. dub.13. Lugo d. 14. sect. 5.* & plures alii contradicunt, eò quòd suppositâ publicatione quâcumquè cesset jus ad famam, utpote sepositâ innocentiâ fundatum in eo, quòd crimen sit occultum: quo titulo cessante procedit jus aliorum discendi publicam veritatem, & statum seu qualitatem alterius, ne decipiantur, & ut sciant, qui se cum eo gerere debeant. In praxi saltem non solet ad distinctionem istam attendi, sed solùm an sit publicum; immo quâ ratione publicatum sit, plerumque posteriores divulgatores ignorant.

66. *An infamis de uno crimine possit infamari de alio.*

Petes II. An infamis in una materia possit ulteriùs infamari in aliis? Resp. I. citra gravem culpam posse infamatum de crimine principaliori ulteriùs de minùs principali, vel de crimine ordinariè annexo infamari, v.g. dicendo de ebrioso, quòd fuerit rixatus cum uxore, quòd sit incurius circa familiam &c. quia non censetur nova aliqua infamia irrogari. Attendendum tamen an tale crimen ita sit cõnexum, ut non censeatur notabiliter infamiam augere. Ita *Lessius sup. dub. 14. Malderus Tr. 7. c.1. dub.7.* & alii.

Resp. II. Infamatum de uno crimine infamare de aliis non connexis, est non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia fama non est quid simplex, sed constat pluribus velut partibus diversæ rationis, quarum una sine alia retineri potest. Unde si amiserit jus ad famam in uno genere virtutis, non ideo amisit in alio. Si quis tamen foret tam scelestus & infamis, ut appareat eum esse vacuum omni timore Dei & honestate, non videretur grave talem infamare de aliquo crimine, saltem inferiori; talis enim velut per omnem virtutis materiam amisit famam suam, ideoque ex relatu alicujus inferioris criminis vix censeretur ejus infamia augeri.

## QUÆSTIO VI.

### *De Restitutione Famæ.*

CERTUM est etiam in bonis famæ locum habere per se loquendo dictum *Augustini, Epist. 54. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Et patet ex apertis principiis justitiæ commutativæ, quæ exigit, ut quisque ad æqualitatẽ habeat, quod sibi injustè ablatum est. Immo non est improbabile aliquid judicio prudentis debere specialiter restitui pro eo, quòd alter tanto tempore caruerit odore bonæ famæ, & subjacuerit fœtori infamiæ; eò quòd videatur damnum hoc æstimabile, nec satis per restitutionem famæ compensatum. Communis tamen sententia & praxis hanc obligationem non agnoscit, neque videntur infamati hujusmodi compensationem exigere. Videri potest *Molina Tr.4.d.42. Lessius c.11. dub.17. Lugo d.15.sect.2.*

67. *Obligat restitutio famæ.*

Neque solã damna famæ, sed etiam alia damna interdum falsam infamationem, adeoque actionem iniquam consequentia sunt integrè reparanda, juxta Doctores communiter. Non quidem quanti officium v.g. vel beneficium jam obtentum valeret (nisi quis fortè obtento ideo privatus fuisset) sed quanti valebat spes obtinendi. Idemque eadem de causa Doctores passim censent, & verius putat *Lessius c.11. dub.19.* de injusta patefactione criminis veri (quod tamen non reddat ipsum officio indignum seu inidoneum) nam qui dat causam damni, damnum ipsum dedisse videtur: etsi *Soto* apud *Lessium sup.* (qui putat non improbabile) censeat solùm partem compensandam arbitrio boni viri, eò quòd damnum carentiæ officii non tam proveniat à manifestatione, quàm ab ipso crimine. Verum manifestans moraliter est causa, cur hîc & nunc ratione criminis consequantur damna; cùm alioquin crimen occultum sit, quasi non esset.

68. *Et damnorum injustam infamationis consequentium.*

*An etiam dum verum est crimen.*

Obligatio porrò restituendi famam locùs est de damnis realibus, si quæ consecuta sint) votati merè personalis instar obligationis voti, non afficit heredes; qui similiter non tenentur reparare honorem ascrius à defuncto læsum. Ad heredes enim solùm transeunt jura & bona externa, solaque debita in illis. Unde etiam si ipse heres defunctum infamasset, teneretur non obstante beneficio, vel jure successionis famam reparare: neque possunt heredes super jure defuncti ad famã transigere. Quamvis sicut actionem injuriarum à defuncto cœptam possunt prosequi, aut etiam inchoare, sic possit infamãs ad redimendam vexam cum ipsis transigere dato pretio pro desistentia ab actione in foro externo. Si autem heredes ex infamatione defuncti etiam forẽt injustè passi in sua fama, eatenus his quo-

69. *Obligatio infamandi an afficiat heredes.*

*An heredes infamati possint super transigere.*

his quoque deberetur separatio. Denique iisdem facienda compensatio damnorum realium, si quæ secuta sint, & infamatus jam obierit.

70. *An infamatio citra formalem culpam facta obliget ad restitutionem.*

Concernit etiam obligatio restituendi, si absque notabili incommodo proprio fieri possit, illum, qui inculpabiliter alterum detraxit, v. g. inadvertenter, aut supponens esse certum & publicum; idque non solùm ex officio charitatis, sed probabiliùs quoque ex justitia; veluti quis adhuc detinès rem alienam, seu in sua potestate constitutã. Quemadmodum etiam qui ex errore dixit falsum testimonium, tenetur, si commodè potest, ex justitia, errorem deprehensum revocare; aliàs censebitur injurius, & in foro exteriori punibilis. Adde infamiam jugiter sœpere instar incendii: tenetur autem quis causam incendii inculpabiliter positam, postquam adverterit, ex justitia amovere, si commodè possit.

71. *An superior teneatur ad restitutionem famæ per subditum injustè ablatæ.*

Quæritur etiam specialiter, an superior in defectu subditi teneatur restituere famã per subditum injustè ablatam? Est autem verior respõsio negativa, non solùm si absente, sed etiam si præsente nec impediente superiore fiat detractio, dummodo tempore suo infamantem cogat ad restitutionẽ debitam, aut infamato conquerenti jus dicat, infamatoremque puniat. Et quamvis ex justitia vel officio teneatur superior hîc & nunc impedire peccatum detrahentis subditi; id tamen intellige, in bonum spirituale ejusdem, non autem in bonum famæ infamati. Si tamen infamia redundaret in notabilem propriæ communitatis infamiam, admittunt Doctores passim teneri illam ex justitia impedire, & non impeditam in defectum principalis reparare; utpote non minùs famam, quàm bona externa suæ communitatis ex officio obligatum conservare.

72. *Restitutio famæ quàm rara.*

Verendum nihilominus, ne restitutio debita sit justo rarior. Immo monet *Marchant To. 2. Tr. 11. Tit. 4. q. 5.* quòd quamvis universum genus hominum hoc pessimo vitio linguæ sit plenissimum, paucissimi sint, qui debitè illud æstiment, pauciores qui debitè de illo conterantur, vix ullus, qui famam restituat.

73. *Quis restituendi modus in crimine vero.*

Modus autem restituẽdi famam pro foro conscientiæ relinquitur judicio prudentis viri aut confessarii, attentis omnibus circumstantiis formando. Et quidem si detractor vera imposuit, non debet dicere se esse mentitum, ut Doctores passim notant. Proinde assignant Doctores alios modos, v. g. dicẽdo se malè & iniquè dixisse, proindeq; rogare, ut malam opinionem deponãt (quod apud simplices usuvenire, apud alios nocere posset) vel extenuando veritatem dictorum, quòd nempe non sit facilè fides similibus relationibus, plerumque falsis, adhibẽda; vel læsum aliunde laudando, beneficioque, promotione honorificâ, aut simili officio contrario præveniendo. Quibus addi potest æquivocatio seu amphybologia prudenter miscenda. Quòd si congruus restituẽdi modus non appareat, impossibilitas excusat à restitutione.

74. *Quis in crimine falso.*

Si crimen falsum fuerit impositum, per se loquendo opus est revocatione, etiã (si opus) probandâ per testes, aut juramentum; ut scilicet nimirum efficaciter tollatur damnũ datum, ad quod justitia obligat. Quare etiam cum famæ propriæ (nisi fortè excessus valdè notabilis obligationem suspendat) præjudicio tenetur quis famam alterius sic ablatam restituere. Rectè autem facit detractor, si imponderãda restitutionis obligatione & modo cõsideret, quid secundùm rationẽ vellet sibi fieri ab alio, si ab eo in simili rerum statu & circumstantiis læsus foret. Hæc enim regula est cõformis, uti charitati, sic justitiæ. *Nota.*

75. *An restitutio facienda etiam apud auditores mediatos.*

Et quidem debet fama per se loquendo (etsi moralis impossibilitas excusare possit) restitui juxta communem sententiam non tantùm apud immediatos auditores, sed in horum defectum etiam apud alios, quibus hi crimen præsertim falsum manifestarũt, veluti causa moralis mediata etiam istius damni famæ, nisi fortè stipulatio silentii prævia fuerit, aut moraliter certò supposuerit referens auditorem non divulgaturum, quasi damnum istud tunc censeatur non prævisum sed fortuitum. In qua inadvertentiâ, vel ulterioris divulgationis consequentis ignorantiâ, aut in impossibilitate morali, aut quia supponitur, reparatione facta apud auditores, hos in se suscipere munus ulterius reparandi apud auditores suos, fundari potest praxis conformis oppositæ sententiæ, quam è nostris tenent *Faber 4. d. 15. q. 3. d. 53. c. 1. n. 37.* (ut refert *Lugo d. 15. sect. 2.*) *Poncius disp. 52. q. 8. n. 46.*

76. *An facienda cum jactura in bonis alterius ordinis.*

Non tenetur tamen in bonis altioribus pati jacturam v. g. vitæ aut membrorum; ut satis patet. Idemque Doctores passim censent de jactura bonorum inferioris ordinis, scilicet fortunæ: quemadmodum pro vita non debent restitui aliqua bona famæ aut pecuniæ. Et videtur consonum praxi. Varii nihilominus cẽsent locum esse pecuniariæ (quam circa pauperes suadet æquitas) compensationi. Quare à fortiori locus esset hujusmodi transactioni in ordine ad redimendã obligationem restituendi (quod etiam admittit *Lessius c. 11. dub. 25.* quando scilicet restitutio est possibilis; ad impossibile enim nõ est obligatio) utì & pro cessione actionis injuriarum (si illa competat infamato) posset quis aliquid pacisci.

77. *Excusantia à restitutione.*

A restitutione excusat in primis, si reipsâ non sit damnum famiæ subsecutum, v. g. quia infamator erat nullius fidei (quod sæpè accidit) vel quia audiẽtes similia sciebant, sic ut infamia non sit moraliter aucta. Item si crimen aliunde factum sit publicum citra detractoris influxum; vel si fama aliunde sit recuperata; vel infamia prudenter existimetur abiisse in oblivionem.

*An idcirco refricanda memoria, si delictum sit oblivioni traditum.*

Ubi advertendum tali casu plerumque nocere potiùs refricationem criminis manifestati, præsertim si verum sit. Ut proinde criminis veri memoria plerumque renovanda non sit. Quia tamen periculum esse potest reviviscentiæ, prudens arbitretur, quid fieri expediat hic & nunc, præsertim si falsum fuerit crimen impositum. Præterea excusat restitutionis impossibilitas; aut si fieri nequeat sine periculo vitæ. Addit *Lessius c.11. dub.26.* referens ita sentire *Covarruvias, Soto, Cordoba, Toletum* & alios, periculum amittendæ famæ, quæ sit longè majoris momenti. Quod tamen negat *Wiggers c.2. dub.4.* eò quòd debitum pecuniarium ex delicto sit etiam cum longè majori detrimento restituendum (etsi possit ad tempus differri) si non sit spes aliter ipsum posse restitui. Item excusat justa condonatio, facta nimirum ab eo, cujus infamia non redundat in alios. De quo vide *Lessium sup. dub. 24.*

78. *Compensatio quæ excusat.*

Denique excusat compensatio; ut si ab eo, quem infamasti, sis pari modo infamatus juxta *Lessium dub.25.* & alios passim; eò quòd etiamsi per reciprocam infamiam non tollatur damnum per te illatum, sicut per incensionem domûs tuæ non reparatur damnum à te illatum per combustionem domûs alienæ (secùs quàm debitum pecuniarium tollitur per alterius reciprocum & æquale debitum) tollatur tamen debitum satisfaciendi, propter compensationem, donec nimirum alter velit suum quoque damnum reparare. Ut proinde hîc suo modo locum etiam habeat quòd (ut dicitur c. *Tua fraternitas de adult.*) *paria crimina compensatione mutuâ deleantur.* Quamvis si absit mutuus consensus seu conventio, peccet, qui ex sua parte non vult restituere dum potest. Quamvis item propter infamiam tibi irrogatam, non sit fas, utique te ipsum vindicando & malum pro malo reddendo, alterum pariter infamare (utì nec incendere ædes alterius, qui tuas incendit) nisi fortè defectûs alieni exceptione possis te, & non aliter, ab infamia protegere, seu illam avertere.

## QUÆSTIO VII.

### *De Restitutione Honoris.*

79. *Quibus modis læditur honor.*

Honor læditur conviciis, improperiis, irrisione, illusione, subsannatione, inflictione alapæ, similibusque signis contumeliosis seu vilificativis, sicut enim per signa excellentiæ protestativa alterum honoramus, sic per opposita, quibus vilitatem, nostrumque erga alterum contemptum testamur, eumdem inhonoramus. Improperium superaddit convicio, quòd defectus alteri in faciem objiciatur, cùm convicium (quod alioquin variè sumitur) possit etiâ in absentia proferri, alterum v.g. appellando furem, nequam, spurium, gibbosum &c. Irrisio est, quando quis risui aut ludibrio exponitur, sive in præsentia, sive in absentia. Quæ si fiat motu membrorum corporis, puta nasi vel capitis, dicitur subsannatio. Ludibrium denique deceptivum dicitur illusio; quam passus est Christus velatus à ministris eum cædentibus ac dicentibus, *Prophetiza &c.*

*Quid Convicium, Improperium, Irrisio, Subsannatio, Illusio.*

*Honorem ladere & non exhibere, qui distinguantur.*

Aliud autem est lædere alterius honorem seu dignitatem, aliud omittere honorem alteri debitum: illud enim est contra justitiam, hoc autem per se tantùm est contra observantiam. Dico *per se*: quia si puræ omissioni conjuncta sit contumelia interpretativa, erit etiam contra justitiam; ut si aliis honorantibus prælatum prætereuntem, unus sine ullo honoris signo eum impudenter respiciat.

80. *Ejus reparatio qui necessaria.*

Quando itaque contumeliæ sive inhonorationi juncta est diminutio famæ seu existimationis, ipsa indè est redintegranda. Immo quamvis existimationi apud alios nihil decesserit, neque aliud damnû sit illatum, v.g. quia occultè fuit honor læsus, adhuc est communis doctrina, esse obligationem restituendi; abstrahendo à quæstione de nomine, an sit dicenda restitutio (ut Plures loquuntur) an potiùs satisfactio, ut alii. Ratio assignari solet, quòd ex inhonoratione præterita censeatur damnum remanere, donec satisfactio præstetur, aut per vindictam legitimam compensetur. Labes enim quædam per contumeliam dignitati alterius irrogata censetur eo usque permanes, ob quam proinde inhonoratus interea contristatus & offensus manet. *Molina* tamen *Tr.4. disp.46.* contendit, non relinqui peractâ inhonoratione propriè aliquod damnum restitutioni obnoxium; supposito quòd existimatio mâserit integra. Nihilominus reparationem, quam alii Doctores specificant esse necessariam, ipse *Molina* non negat. Neque negare potest: nam esto aliud non remanserit damnum, saltem est verè illata injuria; quæ saltem satisfactionem postulat, si nolis vocare restitutionem.

81. *Qui modi reparandi.*

Fit autem hæc restitutio seu satisfactio per quamdam reverentiæ exhibitionem, ac debitam alterius excellentiæ recognitionem, per quam censeatur ipsa restitui loco pristino. Estque ille modus adhibendus, quo prudentis judicio censeatur satisfactum honori violato. Qui quidem modus juxta diversas conditiones offendentis, offensi, ipsiusque offensionis est diversus. Unde plures solent assignari, nempe honorifica & amica salutatio, invitatio ad mensam, cessio loci honorifici, aut expressior culpæ recognitio, veniæque petitio. Qui quidem est efficacissimus satisfaciendi modus respectu superiorum, & interdum pro exigentia injuriæ etiâ respectu æqualium adhibendus, videturque saltem regulariter sufficiens in foro conscientiæ, si fiat coram illis, coram quibus irrogata est contumelia, tametsi offensus veniam negaret.

Posset

82. *Specialior humiliatio an interdum debita ante sententiam judicis.*

Posset nihilominus injuria viro v.g. nobili illata esse tam atrox, ut major humiliatio, v.g. veniæ petitio flexis genibus, aut fune ad collum ligato, censeatur necessaria ad æqualitatem satisfactionis, ut fatetur etiam *Lessius c. 11. dub. 27.* etsi censeat ad hunc non obligari alterum ante sententiam judicis, quasi jure Gentium receptum sit, non teneri quemquam sponte etiam pro gravissimis injuriis, nisi ad veniæ petitionem cum signis doloris. Hoc tamen universim acceptum negat *Rebellus*, ut citat & sequitur *Lugo sup. num. 57.* eò quòd satisfactio ad æqualitatem debita ex natura rei, non exigat sententiam judicis. Ad veniam tamen petitionem non tenentur saltem ordinariè superiores respectu inferiorum (idem solet dici de nobilibus respectu omnino plebeiorum: qua in re attendendus quoque usus locorum & sensus communis) sed iis satisfacere possunt aliis modis præmissis juxta prudens arbitrium. Unde *Augustinus Epist. 109.* Monialibus præscribens regulam docet, non exigi à superioribus modum correctionis in verborum duritia excedentibus veniæ petitionem, *ne dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*, ut idem *Augustinus* ait.

83. *Sumptio vindictæ an excuset priùs offendentem.*

Pro fine nota, quòd si ipse offensus vindictam sumpserit, v.g. vulnerando in facie eum, à quo alapam acceperat, juxta communem opinionem & hominum usum (teste *Lugo disp. 15. sect. 4. n. 59.*) priùs offendens ab ulteriori satisfactione est liber, sive quòd offensus videatur hanc remittere, ac pro ea vindictam illam acceptare, sive quòd patiens toleratio hujusmodi vindictæ censeatur in priùs offendente sufficiens signum recognitionis prioris culpæ.

# DISPUTATIO OCTAVA.

## *De Injuriis in bonis Fortunæ ac Restitutione.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid Furtum, An & Quando sit grave Peccatum?*

1. *Quid Furtum,*

DIco I. Furtum est occulta acceptio rei alienæ, invito domino; subintellige, rationabiliter. Unde non committit furtum, qui in extrema necessitate aufert rem alienam, licet dominus dissentiat: quia est rationabiliter invitus. Sub acceptione etiam hîc comprehenditur detentio, quæ est instar acceptionis: quia acceptio & accepti detentio moraliter censentur eadem actio. Per hanc partem excludi potest damnificatio, quam absque proprio commodo quis alteri infert; ut dum quis domum alterius, etsi occultè, incendit: quia non est tam acceptio, quàm destructio rei alienæ. Unde nec talem solent nominc furis homines appellare.

*Damnificatio citra commodum damnificantis improprie furtum.*

2. *Quid Rapina.*

Debet autem acceptio esse occulta, scilicet ex intentione accipientis. Unde si quis rem alienam auferret domino quidem vidente, sed hoc auferens ignoraret, committeret furtum, non rapinam. Rapina siquidem est violenta acceptio rei alienæ domino invito, videlicet sciente & vidente ipso, & quantum in se est reluctante. Et hinc excluduntur injustè accipientes per usuram & alios iniquos cõtractus, qui propriè non vocantur furta, etsi in re nihilo sint meliores: in iis enim non intendit contrahens auferre aliquid domino nesciente, etsi non cupiat injustitiam contractûs advertì, sed rem domini sibi vendicet sub specie justitiæ, eum fraude circumveniendo. Unde hos contractus quidam vocant furta fraudulenta, sicut rapinas furta violenta. Furtum autem propriè & simpliciter dictum vocant occultum.

*Iniqui Contractus qui differant à Furto.*

*Sic dicuntur furta fraudulenta, Rapina, violenta; propriè dicta, occulta.*

Suntque omnia (sicut & quævis alia dãnificatio injusta in bonis proximi) prohibita per præceptum Decalogi: *Non furtum facies*; ubi prohibetur quælibet injusta ablatio rei alienæ invito domino, omnisq; damnificatio proximi in bonis fortunæ, juxta communem interpretationem; signanter juxta *Augustinum q. 71. in Exodum* dicentem: *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit; sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur.*

3. *Omnia prohibentur per illud:* Non furtum facies.

4. *Quis Plagium, & quî differat à Furto.*

Petes, quomodo differat Plagium à furto? Resp. crimine plagi teneri, qui dolosè liberum hominem invitum rapiũt, emunt, vendunt, celant, vinctum habent; aut etiam servum alienum sive ancillam dolo malo abducunt, vendunt, emunt, celant, retinent, coercent, ut viuere est *ff. ad L. Fabiam, de plagiariis.* Unde non coincidit cum furto: cùm hominis liberi, veluti non habentis dominum à quo possideatur, non sit furtum. Crimen tamen plagiatûs commissum circa servum vel ancillam, cùm is censeatur pecunia domini seu heri, & possideatur veluti bonum fortunæ, est verum furtum, dum scilicet abducitur animo illum lucrificiendi, seu causâ utilitatis temporalis, quæ utique ad dominum spectabat.

DIco II. Furtum est ex genere suo pec-

*Furtum est ex genere suo mortale,* catum mortale. Patet ex 1. *ad Cor. 6. Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt;* & aliis Scripturæ locis.

*Levitas materiæ facit, ut sit veniale.* Dixi *ex genere suo*: nam parvitas materiæ excusat à mortali, non tamen ab omni peccato. Unde furtum cujuscumque rei levis est veniale, si revera furtum sit, id est, si fiat domino rationabiliter invito: estque restituenda res, si præsumatur dominus id velle, ipsaque possit sine magno sumptu vel molestia restitui.

*Nota pro praxi.* Frequenter tamen fit, ut committentes parva furta habeant animum majora committendi, si adesset occasio: ideoque subinde, immo sæpè pœnitentes de hoc examinandi sunt: nam ratione malæ intentionis tunc peccant mortaliter, parati ac desiderantes auferre tantum, quantum invenire aut accipere potuerint.

6. *Quæ gravis materia Furti.* In determinanda autem gravi materia furti seu sufficienti ad mortale, mirè variant Doctores, qui in duas classes generales dividi possunt. Unus est eorum, qui satis probabiliter censent taxationem istam esse faciendam attendendo solùm, quæ quantitas in bonis fortunæ communi & morali judicio æstimetur notabilis, sine respectu ad diversa genera personarum, sed nudè & simpliciter, eò quod gravitas peccati in furto propriè dicto æstimanda sit ex affectu possidendi rem alienam, utique notabilem, domino simpliciter invito, sive is parvum, sive magnum incommodum inde sentiat. Quòd autē dominus rei dives sit, vel pauper, non facit ad gravitatem injuriæ, sed ad majorem læsionem charitatis.

*Prima opinio refertur & probatur.*

7. *Varii eam defendendi modi.* Quo posito censet *Wiggers Tr. 3. c. 1. dub. 2.* improbabile, esse mortale furtum medii regalis (Regalis autem apud Hispanos est, quod apud Italos Julius, apud nos Solidus, vulgò schellingus) aut integri, aut unius cum medio, aut duorum regalium (quod Varii variè senserunt) eò quòd talis summa non possit censeri simpliciter & sine respectu ad miseriam personarum quid notabile in bonis fortunæ. Quare consentit illis Doctoribus qui existimāt ad notabilem quantitatem in furto requiri duos vel ad minus unum aureum (quod postremum non omnino displicet) seu scutum italicum, aut tres florenos brabanticos, vel aliam rem istius valoris, in locis, ubi ea est pecuniarū abundantia, qualis hodie in nostris & vicinis regionibus; moraliter, non præcisè id accipiendo, ut non censeatur mutari quantitas, etsi forsan aliquot stuferi sint minus. At ubi foret ea raritas, qualis etiam olim hîc fuit, dum modius frumenti æstimabatur regali cum medio, vel duobus regalibus, potuisset sufficere etiam unus regalis. Unde Auctores similibus temporibus seu locis scribentes, non tam improbabiliter, ac primâ facie apparet, regalem, aut etiam medium pro materia gravi furti posuerunt.

*Opinio statuens aureum.*

*Opinio statuens flore-* Multis tamen taxatio unius aurei apparet nimis excessiva: quibus proinde placet non improbabiliter taxatio mercedis diurnæ honesti operarii, vel unius floreni: eò quòd similiter res notabilis videatur, quâ mediante potest honesta persona sibi providere de victu diurno. *num vel mercedem diurnam operarii honesti.*

Fatentur quoque omnes, furem (nisi inculpabiliter non prævideri) graviter sæpè delinquere, auferendo res etiam minoris aut quasi nullius pretii, si dominus pauper inde conjiciatur in magnas angustias, v. g. famis, vel in alio genere damnificationis externæ, si auferendo à mechanico v. g. acum, subulam, vel aliud instrumentum necessarium, faceret eum dictas suas perdere. Unde si fuisset imposita excommunicatio, aut reservatio contra mortale furtum, talis non tenetur censurâ aut reservatione, veluti qui non commisit grave furtum propriè loquendo. 8. *Qui graviter interdum delinquit qui possit etiam ablatione rei minimæ.*

9. *Secunda opinio principalis.* Secunda classis eorum est, qui cum *Joanne Medina* probabiliter sentiunt materiam gravem furti statuendam esse prudentum judicio pro varia personarum, locorum, & temporum qualitate ac singularum rerum æstimatione: eò quòd in genere illa materia sit gravis, cujus ablatione immediatè, seu seclusis extrinsecis, censeatur inferri nocumentum notabile domino rationabiliter invito: nocumentum autem & consequenter dissensus domini sit non idem in omnibus. Quod consequenter specialiùs determinando plures statuunt pro materia gravi unum aureum (aliqui duos) respectu hominis prædivitis, quatuor regales respectu mediocriter divitis, duos respectu mechanici, unum denique, vel medium regalem respectu pauperis. *Lugo d. 16. sect. 2. n. 28.* assignat aureum respectu magnatum, sex vel septem argenteos respectu divitum, quatuor respectu artificis, ordinarium stipendium diurnum fossoris respectu pauperum. Alii denique non improbabiliter statuunt valorem victûs ordinarii & decentis unius diei comparativè ad personam à qua quis furatur. Quod enim quisque impendit decenter in sustentationem propriæ personæ censetur respectu ejusdem notabile, meritoque graviter sensibile, si auferatur. Quamvis autem videri possent pauci aurei esse quid modicum respectu regis potentis, tamen consideratis illius oneribus meritò censetur quid grave. Esset que ei valdè perniciosum in tanta furum (qui Reges deplumant) multitudine, si singuli citra gravem culpam possent aliquot aureos à regibus furari. *Varii modi illam explicandi.*

10. *Quid hic extendendum pro praxi.* In hac sententiarum varietate, ac rei obscuritate, in qua quilibet in suo sensu abundat, difficile est determinatum judicium. Ipsi quoque fures diversam sæpè conscientiam formant: quæ videtur in hac dubietate non parum attendenda.

*Quid circa furta filiorum.* Circa furta filiorum quoque advertunt Doctores passim, requiri materiam majorem: quam aliqui duplo majorem statuunt; aliqui

aliqui respectivè ad qualitatem seu facultates parentum. Et quidem *Lessius cap. 12. dub. 13.* censet filium à patente prædivite duos vel tres aureos accipientem non esse condemnandum peccati mortalis, præsertim cum parens sæpè non sit multum invitus, eique potiùs modus, quàm substantia displiceat. Faciliùs autem præsumi potest non exigere restitutionem; præsertim dum filius aliqua subripit, necdum habens peculium sui juris.

11. *Parva furta coalescunt etiam quoad subtracta diversis.*

Petes I. An vel quando quis graviter peccet furando modica? Resp. cum communi Doctorum sententia peccare mortaliter, tam eum qui intendit paulatim minutis furtis notabilem summam sive ab eodem, sive à diversis eripere, quàm qui ex occasione talia furta committit, quando advertit se jam ad notabilem summam pertingere. Prior enim intendit accipere, posterior autem incipit detinere rem alienam in notabili quantitate domino vel dominis invitis; hoc autem sufficit ad constituendum furtum mortale; quidquid sit de incommodis, quæ aliis inde obveniunt. Dein, etsi, dum illa parva furta fiunt à diversis, nemo in particulari, ipsa tamen communitas graviter læditur; adeoque multis inferre parvum damnum, perinde est, ac uni inferre magnum. Quare plures damnificati constituunt moraliter communitatem graviter damnificatam. Et planè nisi hoc simileve modo sentiamus & loquamur, aperietur plurimis aditus dilescèdi ex alieno sine scrupulo peccati mortalis; quod utique rationi nimis dissonum, genericque humano nimis perniciosum esset.

12. *De quibus specialiter idem confirmatur.*

Confirmatur specialiter de furtis minutis, quæ ab uno fiunt quoad diversos (idemque à fortiori evincitur de iis, quæ fiunt ab uno & eodem respectu ejusdem domini) quia communi hominum judicio graviter peccant caupones vel mercatores, qui utuntur mensuris aut stateris dolosis, etsi modicum quid singulis vicibus defraudent, & quidem à diversis. Unde *Deuteron. 25.* dicitur: *abominari Dominus Deus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Et *Prov. 11.* dicitur: *Statera dolosa abominatio est apud Dominum.* Vide etiam *Levit. 19.* & *Micheæ 6.*

13. *Evasioni quidam occurritur.*

Nec dici potest cum *Poncio d. 52. q. 9. n. 50.* (ubi cum paucissimis censet furta minuta non coalescere in unum grave, dum modica diversis surripiuntur) stateram dolosam usurpari non sine gravi peccato, eò quòd ex natura rei quilibet sit expositus ad perdendum aliquid grave, quia videlicet periculum est, ne iidem emptoribus sæpè redeuntibus paulatim subrepta fiant quid grave. Nam certè Scriptura vel sensus communis non considerat præcisè istud periculum. Neque enim dubium, quin graviter peccaret, qui pro solis peregrinis frequenter adventantibus, & vix redeuntibus uteretur stabiliter mensurâ vel staterâ dolosâ: aut à singulis & frequentissimis viatoribus extraneis exigeret pro prima vice injustum pedagium.

14. *Differentia inter auferentem modica ex occasione, & ex intentione.*

Notanda verò differentia est inter eum, qui ex prava intentione, & eum qui ex mera occasione, plura modica furatur, quòd prior ob pravam suam intentionem peccet mortaliter ab initio, & quodlibet ejus minutum furtum, etsi intrinsecè veniale, fiat mortale denominatione extrinsecâ, quatenus procedit ab intentione mortali, estque ejus partialis executio: posterior autem solùm peccet mortaliter, quando committit ultimum furtum, non præcisè quatenus illud secundùm se consideratur, sed quatenus habet ordinem ad alia præcedentia, sicque advertenter (quod notandum) detinere incipit alienum in notabili quantitate. An autem mortalis culpa consistat in ipsa ultima acceptione quà moraliter junctâ præcedentibus, in quantum acceptio est (utì plures non improbabiliter censent) an in quantum præcisè detentio (ut alii) vix ad praxim conducit.

15. *Quæ requiratur major materia.*

Notant tamen Doctores communiter majorem requiri quantitatem ad peccatum mortale, quando quis furatur minuta à diversis, quàm quando ab uno: item dum longis intervallis per parva furta alicui sua tollit, quàm dum brevi tempore: rursum quando id facit per occasionem & quasi fortuitò, quàm dum ex industria: minùs enim domini tunc sunt inviti, neque pro tam injuriosa ablatione eam reputant. Cumque domini sæpè talia furta, rebus nimirum consumptis, nolint sibi compensari, non semper sunt ejusmodi fures urgendi sub gravi peccato ad restitutionem, præsertim si indigentiores sint, ut ait *Molina Tr. 2. disp. 689.*

16. *Furta famulorum.*

Addunt insuper Doctores furta esculentorum, & poculentorum, quæ ab ancillis seu famulis committi solent, non esse ordinariè peccata mortalia, etsi sensim perveniant ad notabilem quantitatem, modò sint talium, quæ non solent accuratè concludi, & cantùm auferant, ut ea ipsi consumant: domini enim tunc non sunt omnino inviti, potiusque eis displicet accipiendi modus, quàm ipsa acceptio: multoque minùs cèlentur velle restitutionem. Secùs est, si ea auferant ut divendant, aut cum aliis dilapident. Vide *Lessium c. 12. dub. 8.*

17. *An tollendæ gravi culpæ sufficiat restitutio materiæ quâ parte est gravis.*

Petes II. An quantitate gravi completâ sit gravis obligatio restituendi totum ablatum; an verò solùm pro ea parte, quæ concluditur intra terminos materiæ quatenus gravis, v. g. an si materia gravis physicè infima esset florenus, sufficiat ad tollendum grave peccatum (de levi non est dubium: cum usque ad apicem debeat restitui alienum volente domino) restituere unum stuferum, vel illam præcisè quantitatem, quæ facit, ut materia non maneat

gravis? Resp. posteriùs sufficere: quia materia inferior sicut posset restituta de novo auferri sine gravi peccato, sic ab æquali vel fortiori ablata non restitui. Non debet tamen materia gravis considerari præcisè respectu unici furti, sed respectu omnium, quibus aliquis est implicatus: ut proinde qui suntus esset à sex diversis, & quidem à singulis summam gravem in infimo gradu, sit graviter obligatus tantum singulis restituere, ut tota summa residua, habitâ consideratione pluralitatis damnificatorum, non sit materia gravis furti.

18. *Qualiter peccent plures quorum singuli ab eodem modicum furripiunt.*

Petes III. An quando plures uni per minuta furta grave damnum inferunt, v. g. dum multi vineam prætereunt, & singuli unum vel duos botros carpunt, singuli peccent mortaliter? Resp. si id faciant communi consilio peccant mortaliter, & tenentur singuli ad restitutionem in solidum, saltem si sine eorum vel aliorum simili consilio damnum illatum non fuisset: quia singuli non tantùm exequuntur damnum secundùm partem, sed etiam cooperantur ad totum. Si autem id casu fiat, ita ut alter alterius non sit conscius, singuli solùm venialiter peccant, & sub veniali tenentur restituere: nam singuli sunt tantùm causa parvi damni. Immo ob eamdem rationem hoc probabiliter juxta *Less. c. 12. dub. 9.* & alios verum est, etsi sciant alios accipere, modò non sint illis causa capiendi suâ adhortatione vel exemplo: eò quòd singuli non nisi modicum damnum inferant citra mutuam cooperationem. Nec scientia præmissa magis facit gravem esse injustitiam, quàm in eo, qui sciens ab aliis ablatos novemdecim, auferret vigesimum nummum, seu modicum, quod compleat junctum ceteris gravem materiam. Unde etiam sequeretur graviter peccare, quicumque modicum aufert à Rege, utpote à quo novit plura per alios auferri. Res tamen difficultate non caret, ut videre est apud *Wiggers c. 1. dub. 5.* ubi cum aliis oppositum uti verius præfert & probat.

19. *An fur continuò peccet, donec restituat.*

Petes IV. An fur teneatur restituere, peccet continuò, donec restituat? Resp. Affirmando continuando scilicet prius peccatum, eò quòd continuò lædat proximum, detinendo rem ipsius, ac impediendo, ne eam possideat. Quemadmodum cõtinuò peccat homicidii peccato, qui hominem carcere constringit, ut fame enecet, donec adhuc viventem liberet, dum potest. Confirmatur: quia etiam restitutione factâ, manet peccatum habituale furti, donec pœnitentia justificativa adhibeatur; ante restitutionem verò peccat aliter, quàm post ipsam, nondum deletâ maculâ peccati. Quî autem interrumpatur per somnum, per alias occupationes naturalem inconsiderationem causantes, per propositum restituendi, colligi potest ex dictis in *Tract. de Act. Hum. disp. 5. de Peccato in communi q. 7.* ubi de distinctione numerica peccatorum. Vide *Lessium c. 12. dub. 3. Wiggers c. 1. dub. 7.*

Petes V. An liceat occultè rem suam sibi vendicare? Resp. si quis rem suam, aut sibi certò ex justitia debitam occultè recuperet, non tenetur quidem ad restitutionem, quia non detinet alienum, aut alteri ex justitia obstrictum: peccat tamen, nisi certæ conditiones adsint, quia facit præjudicium publicæ potestati (quæ ad hoc constituta est, ut jus cuique suum tribuat) dum juris ordine prætermisso ipse sibi usurpat rei suæ judicium. 20. *Occulta compensatio qui valida, qui illicita.*

Dixi *nisi certæ conditiones adsint*: his enim positis licitum est rem suam occultè recuperare, & pro debitis compensatione uti. Conditiones sunt, ut res moraliter certò tibi sit ex justitia debita, ac injustè ab altero detenta, nec eam possis aliter adipisci, saltem sine notabili molestia vel expensis, aut amissione benevolentiæ & favoris, caveatur quoque periculo iterandæ solutionis, ac denique non sit periculum scandali aut infamiæ, ne videlicet tamquam fur habearis & puniaris. Non oportet autem esse facilem ad occultas cõpensationes ingerendas aut practicandas: tum ob incommoda & periculum frequentis abusûs (persæpè enim prætexitur, dum non adest, certitudo debiti justitiæ, aliæve conditiones) tum quia talis compẽlandi modus est in jure valdè odiosus. Estque consultum, ut simili compensatione uti cupientes, seriò ac sepositis affectibus conscientiam suam coram Deo interrogent, num in simili occasione illam cuperent circa semetipsos ab aliis fieri. 21. *Qui licita. Cautela.*

Petes VI. An domino liceat interdum per vim recuperare rem suam ab iniquo detentore? Resp. Neg. quando suppetit alius recuperandi modus; immo juxta *Soto* & alios (estque suadendum regulariter in praxi) etsi non suppetat, puta defectu testium, ob malitiam judicis &c. nisi fortè (quod etiam *Soto* admittit) respublica sit adeò perturbata, ut nemini pateat via justitiæ. Itaque si ob reipublicæ perturbationem non possit aliter recuperari res tua in specie extans (hoc enim necessariò requiritur juxta *Lessium c. 12. dub. 11.*) non improbabiliter licitum est juxta eumdem *Lessium* vi factâ domum ingredi, adeoque cistam aperire, indeque rem tuam extrahere, ad quam recuperandam jus habes. Quod etiam licitum censet *Malderus Tr. 4. c. 1. dub. 6.* quando res aliter per magistratum recuperari nequit, si id fiat absque turbatione reipublicæ & scandalo, absitque periculum majoris incommodi. 22. *An rem suam per vim recuperare liceat.*

QUÆST.

## QUÆSTIO II.

### Quo modo Debeat fieri Restitutio Ratione Furti?

23. *Restitutio sic facienda, ut perfecta indemnitas sit domino.*

DICO I. Fur generaliter loquendo tenetur eâ ratione restituere, ut dominus ex iniqua acceptione nullum patiatur detrimentum, sed per restitutionem accipiat sine diminutione quod ablatum est; aut si non extet in specie, solvatur æquivalens vel pretium, in quo nimirum quantum tunc fieri potest perfectissimè id quod ablatum fuerat, reddatur. Patet: quia sic, & non aliter tribuitur injuriâ passo jus suum ad æqualitatem, qui ex inde nil minus habet in bonis suis, ac si damnificatio vel injustitia non præcessisset.

24. *Qualiter fur teneatur præstare casus fortuitos.*

DICO II. Ordinariè tenetur fur restituere pretium juxta Doctores communiter, etsi fortuitò & sine omni nova culpa res furtiva apud eum pereat; idque ratione iniquæ acceptionis, quæ facit, ut semper sit in mora, casusque fortuitus ei imputetur. Si tamen moram purgasset, offerendo scilicet rem domino, qui commiserit ei custodiam usque ad aliud tempus, non teneretur ex casu fortuito, sed quomodo depositarius.

25. *An teneatur, si res certò simili casu erat apud dominum peritura.*

DICO III. Si res aliena perierit apud injustum detentorem, sic ut iniqua acceptio ne quidem occasionem dederit, quia videlicet certò apud dominum erat simili casu, aut justâ hostium incursione peritura, v.g. equus moritur morte naturali, eâdem certò apud dominum moriturus, domus malè possessa tangitur à fulmine, destruitur incursione hostili, inundatione &c. juxta communem satis *Petri Navarra, Lessii, Malderi* & aliorum Theologorum doctrinam, non tenetur fur saltem in foro conscientiæ seu ante sententiam ad restitutionem: eò quòd moraliter loquèdo non fuerit causa istius damni per iniquam acceptionem, neque ex ea dominus quidquam novi detrimenti patiatur. Quo facit L. 14. *ff. Depositi*, ubi pro ratione decisionis allegatur, *æquum esse, naturalem interitum ad actorem pertinere, utique cùm interitura esset ea res, etsi restituta esset actori.*

*Opinio communior negat.*

26. *Quæ non procedit, si non erat certum apud dominum rei interitus, vel si per injuriam erat peritura.*

Quòd si res non erat certò sic peritura apud dominum, melior est conditio innocentis, cui in dubio debet restitui pretium, juxta omnes. Si etiam non erat peritura apud dominum, nisi per injuriam, fur præveniens indubiè tenetur, sitne teneretur alter, per cujus injuriam res alioquin periisset; cujus obligationem aliàs secuturam in se prior assumpsit, qui causam obligationis, videlicet damnum injustum, prior posuit. Dixi etiam *in foro conscientiæ*: nam juxta *Covarruvias ad Reg. Peccatum p. 2. §.* 6. *num.* 1. aliùd est receptum in foro exteriori, nempe in pœnam peccati.

*Neque etiàm in foro externo.*

27. *Immo variorum opinione nequidem in foro conscientiæ.*

Nonnulli tamen etiam in foro conscientiæ contrarium censent verius, ut nofter *Poncius d. 52. num. 2. Wiggers Tr. 3. c. 1. dub. 8.* referens *Paludanum*, furem scilicet teneri nihilominus ratione damni antea causati per rei ablationem, cui adhæret obligatio restituendi: quemadmodù tali casu teneretur nihilominus emptor (qui non debet esse pejoris conditionis) solvere pretium. Ad quod tamen alii respondent, rem perire emptori velut domino. Sed contrà instat *Wiggers*, non esse æquum, ut jus natum in furem vi furti, ad rem vel pretium ab eo recuperandum, magis pereat, quàm jus ad pretium ega emptorem vi emptionis. Ad quod alii respondere possent Neg. Ass. eò quòd æquum videatur, ut res pereat suo domino, nisi pereat per injuriam vel occasione acceptionis injustæ; eò quòd alias cessat causa damni.

28. *Quid si culpâ furis res pereat certò citra culpam peritura apud dominum eo loco & tempore.*

Petes, quid censendum, si res pereat culpâ furis, certò apud dominum eo loco & tempore citra culpam peritura, v.g. si eam negligentiâ suâ perdiderit, vel vastaverit, sive consumpserit? Respondent *Malderus, Lessius* & alii non teneri similiter ad restitutionem, eò quòd res in tali statu considerata domino nullius sit pretii, non infert eam perimendo damnum efficaciter domino, aut saltem tam exiguum, ut pro nihilo reputari debeat; non secùs, ac si bovem jam moriturum mactet, incendat segetes, quas videt mox eluvione evertendas, projiciat merces in mare equidem naufragio perituras, occidat equum certò à justo hoste abducendum &c. Fatetur etiam *Wiggers sup.* eum qui aufert, consumit, vel destruit rem, quam videt certò perituram domino, non exercere actionem injuriosam: eò quòd præsumi possit dominus tunc non esse invitus, aut dici non rationabiliter invitus; adeò ut posset secluso odio, invidiâ vel complacentiâ de malo proximi, id fieri citra gravem culpam. Secùs censet in casu, quo destruenti justè imminens rei excidium non constabat. Quod etiam censet *Petrus Navarra* citatus apud prædictos Auctores: eò quòd non minùs ex natura rei teneatur fur, quàm ratione contractûs depositarius, hic autem teneatur ex culpa, etsi res certò fuisset apud dominum peritura. Ad quod tamen respondet *Lessius c. 12. dub. 15.* depositarium ex contractu, adeoque ex justitia teneri ad salvandum depositum pro posse, etiam alio transferendo, non autem si constet interitum rei caveri non potuisse.

29. *Quomodo teneatur fur, si factus sit ditior.*

Nihilominus omnes fatentur teneri furem restituere domino in quantum factus est ditior ex consumptione vel alienatione rei; eò quòd eatenus censeatur adhuc ipsa

ipsa extare in æquivalenti, quod in locum rei successisse censetur, nec fur possit ex alieno ditescere. Si etiam fur peremerit rem alio loco vel postea, ubi vel quando citra culpam aliàs non periisset, tenebitur ad compensationem; ut si vestis vicini percat apud furem post conflagrationem domûs dominæ, in qua vestis fuisset simul combusta, nisi forte esset sublata: quia quãdo periculum transiit, si res exstet, incipit iterum domino valere, quia ipsius manet, ergo si casu periit, fur tenetur, cùm fuerit in mora: si enim restituisset, quando debebat, dominus eam salvam recepisset, nec apud ipsum periisset.

*Vel alio loco aut tempore rem destruxerit.*

30. *Res apud furem meliorata est tota domino restituenda.*

Dico IV. Si res sit meliorata apud furem, & adhuc exstet, tota est domino reddenda juxta omnes Doctores. Res enim crescit & melioratur suo domino, cujus est res ipsa cum toto suo incremento, & meliore statu. Unde si fur abstulerit pullum, qui factus est equus, vel bovem macilentum, qui factus est pinguior, debet reddi, sicuti extat in specie. Nihilominus in foro conscientiæ deducendæ sunt expensæ meliorationis & pretium industriæ (si hanc dominus non adhibuisset) etsi in foro externo id non permittatur in pœnam furti, quæ non ligat ante sententiam. Ut proinde ante sententiam (secùs est, post illam, utpote justam & rationabilem) dominus teneatur impensarum habere rationem, detractâ quoque è contra æstimatione damni, quod dominus passus est ratione carentiæ rei, ejusque usûs (nisi fortè fur sponte cedat domino rem cum sua melioratione, ne per judicem curet dominus eam ita sibi adjudicari) cùm alioquin ultra æqualitatem fieret restitutio.

*An deductis expensis.*

1. *Corollarium.*

Hinc sequitur, si fur rem vendiderit (idem est, si aliter consumpserit) quando est meliorata extrinsecè, puta quia pretium illius auctum fuit, omnino teneri domino refundere, non solùm eam æstimationem, secundum quam domino erat valitura, sed totum pretium, quantumvis dominus eam fuisset servaturus in aliud tempus, quæ pretium decreverit. Ratio est: quia ipsum totum est pretium æquivalens alienæ mercis, in cujus proinde locum succedit, quæque accrescit suo domino, sive intrinsecè, sive extrinsecè augeatur. Hoc enim spectat ad bonam domini fortunam: sicut enim idcirco pretium rei venditæ à fure debetur domino, etsi apud ipsum res periisset, sic & incrementum. Neque potest quis ex alieno ditescere; uti hîc fieret.

32. *Quid agendum, si res manserit in eodem statu.*

Dico V. Si res manserit in eodem statu, sufficit ipsam sic restitui; compensato tamen lucro cessante vel damno emergente, v.g. si apud dominum fuisset meliorata (quod detractis expensis insumendis æstimandum est) sic enim redditur domino ad æqualitatem, quod suum est.

33. Dico VI. Si res sit casu aut citra culpam deteriorata apud furem, sic ut iniqua acceptio nullam occasionem dederit, puta quia similiter erat deterioranda apud dominum, qui illam eousque servaturus fuisset (v.g. si equus sanus fiat morbidus, pretium frumenti vel pecuniæ decrescat) sufficit illam reddere, prout modò est; compensatâ domino carentiâ tanti temporis, damnoque alio, si quod emerserit. Sic enim videtur tota inæqualitas reparata. Et videtur conforme communi hominum æstimationi, & Doctorum sententiæ, quantum ad deteriorationem saltem extrinsecam, seu decrementum pretii, ut refert Wiggers c. 1. *dub. 9. n. 68.* etsi secùs censeat *n. præc.* de intrinseca deterioratione. Neque adeò infundatè, supposito quòd apud dominum fuisset pariter deteriorata ex ejus neglectu: cùm hujus arbitraria incuria circa rem suam non debeat prodesse furi, ut eam citra injustitiam restitutioni obnoxiam deterioret. Alioquin videtur de rei deterioratione eadem ratio, quæ de interitu seu destructione, inhærendo terminis Conclusionis tertiæ. A deterioratione quoque extrinseca potest argui ad intrinsecam. Ratio insuper generalis est, quòd incrementum modò non extans medii temporis, fuerit quidem domini, sed ei quasi inutile, neque deteriorationis moraliter censetur fur esse causa: quare si restituatur prout modò est, nullum ex iniqua acceptione dominus patitur damnum. Secùs est, si dominus rem in meliori statu alienasset: tunc enim æstimatio secundùm illum est facienda. In dubio quoque forum externum præsumeret pro domino: etsi ob incertitudinem, quæ æstimationem minuit, proportionatæ diminutioni probabiliter locus sit in foro conscientiæ.

*Quid si deteriorata*

34. *Fructus percepti qui non sunt mera industria, sunt restituendi.*

Dico VII. Fructus, qui ab ipsa re procedunt, quamquam interveniat humana industria, ut sunt fructus omnium rerum, quæ habent usum locabilem, sunt domino refundendi. Ita communiter Doctores. Dixi *qui ab ipsa re procedunt*: nam fructus nudæ is industriæ juxta communem Doctrinam non sunt reddendi: v.g. lucrum, quod fur fecit negotiando cum furtiva pecunia, aut utendo alieno instrumento, v.g. penicillo. Sed solùm compensari debet domino damnum emergens & lucrum cessans, si quod intervenerit ratione carentiæ pecuniæ. Ratio conclusionis est: quia fructus rei, eo ipso quo producuntur, cedunt in dominium domini istius rei, ut patet *Instit. de Rerum divis. §. Is verò*: ergo non minùs sunt domino restituendi, quàm res ipsa, deductis tamen laboribus & expensis, quas etiam dominus facere debuisset.

35. *Etsi dominus eos non fuisset percepturus.*

Et hoc verum est, etiamsi dominus illos fructus non fuisset percepturus: v.g. etsi dominus rem, quam fur elocavit, non fuisset elocaturus, atque adeò nec pretium elocationis percepturus, quando saltem

talis est

talis est res, quæ elocari consuevit. Quod addo: nam aliàs potiùs pretium illud ad fructum industriæ, quàm ipsius rei referri videtur: ut si fur elocet nummos furtivos ad ostentandum. Idem de pretio elocationis torquis aurei docet verisimiliter *Navarrus c. 17. n. 25.* Sed cùm torques aurei, uti vasa argentea, satìs usitatè elocentur pretio, videtur pretium illud inter fructus rei enumerandum, adeoque domino reddendum. Sententia tamen *Navarri* locum habere poterit, quando dominus est vir dives, qui ejusmodi pretia putetur reputare tamquam vilia. Similiter restituendi sunt fructus non percepti, si eos dominus suâ curâ fuisset percepturus, ut patet ex c. *Gravis, de restitut. spoliat.* Ratio est: quia fur seu iniquus possessor suâ injustâ detentione est domino causa lucri cessantis.

*Vti & non percepti à fure, sed percipiendi à domino.*

36. *Quantumvis hic non melioraſſet rem, à fure circa fructus negligentiore meliorata.*

Petes I. Quid si fur suâ industriâ rem fecerit meliorem, quàm dominus fecisset, suâ tamen negligentiâ perceperit pauciores fructus, quàm dominus re tum sibi restitutâ fuisset percepturus? Resp. in rigore verius est teneri ad ampliores illos fructus domino restituendos: quia fur non restituendo rem melioratam, quando debuit, est causa damni, quòd scilicet dominus non perceperit fructus ex re sua, quos erat percepturus.

37. *Qualiter ſit reſtituëndum damnum illatum in re creſcente.*

Petes II. Ad quam restitutionem teneatur qui intulit damnum in re crescente, v. g. vastavit segetem nunc æstimatam centum, valituram in messe ducentis florenis; occidit pullum equinum nunc valentem viginti, post biennium valiturum centum? Resp. non teneri amplius restituere, quàm res judicio prudentum spectatis circumstantiis tunc valebat. Nam restitutio damni tantùm est facienda secundùm æqualitatem prudentum judicio taxandam: seges autem vastata v. g. omnibus consideratis tunc tantùm valebat centum florenis, ergo solùm centum restituendi sunt.

Nec obstat, quòd dominus intenderet rem servare quousque perfecta esset, neque illam eo pretio vendere voluisset: inde enim non sequitur majus esse damnum, sed majorem injuriam, pro qua secluso damno, non debetur restitutio.

## QUÆSTIO III.

## De Cooperantibus ad Furtum vel Damnum, ac Obligatione consequenter Restituendi?

### §. I.

### An peccent Cooperantes, & quot sint?

38. *Cooperantes ad in-*

COOPERANTES ad grave furtum vel injustam damnificationem graviter peccare, ratio naturalis satìs dictat. *Quoniam* (ut utar verbis Apostoli quæ *ad Rom. 1.* subdit post varia vitia enarrata) *qui talia agunt digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, adeoque cooperantur operantibus. Unde alibi Scriptura graviter redarguit, currentem cum fure *Psal. 49.* Socios furum *Isaiæ 1.* Et *Proverb. 29.* dicitur: *Qui cum fure participat, odit animam suam.*

*juſtam damnificationem graviter peccant.*

Novem autem sunt modi cooperandi ad actionem aliquam, signanter injustam; quorum sex priores sunt positivi, tres postremi autem negativi seu privativi, sequentibus versibus comprehensi.

*Novem modi cooperandi recenſentur.*

*Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,*
*Participans, Mutus, Non Obſtans, Non Manifeſtans.*

### §. II.

### De Mandante.

MANDANS, sive expressè opus v. g. famulo injungendo, sive tacitè & implicitè, dicendo v. g. gratum mihi obsequium fieret, utinam quis id pro me faceret &c. est indubiè causa damni injusta, si inde alter moveatur, & exequatur opus injustum. Si autem damnum reipsâ non sequatur, peccat nihilominus mandans, sed non tenetur ad restitutionem.

39. *Mandans quì peccet & teneatur ad reſtitutionem.*

Utì etiam si mandatum in opus subsecutum non influxerit, puta quia alter non fuit motus à mandato, sed sponte suâ perfectè determinatus, mandato neglecto, opus fecit, dicendo v. g. Non curo mandatum tuum, non indigeo &c. sic enim mandans non est causa efficax seu efficiens damni præsentis, etsi affectivè, seu quantum est ex parte affectûs conetur ipsum causare. Idemque est secundùm Doctores communiter, si mãdatum tempestivè & seriò revocetur, atque adeò revocatiotãquam seria mandatario innotescat: eò quòd mandatum non moveat aut influat, nisi quatenus ligat & veluti stringit mandatarium; quod totum tollitur per revocationem. Si tamen revocatio mandatario non innotescat, aut sit oblivioni tradita, aut aliter credat non esse seriam, sed curialem, & ad satisfaciendum nonnullis simulatam, manet causa damni priùs data, cum obligatione eadem.

*Quid ſi in damnum non influxerit mandatum.*

*Quid ſi ſit revocatum.*

Petes, an teneatur in qualitate mandantis, qui ratum habet opus, v. g. homicidium, incendium &c. suo nomine factum, arg. *Reg. 10. jur. in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari?* Et consonat *Reg. 60. ff. de Reg. jur.* Resp. cum communi sententia Neg. quia verè non influxit talis in damnum; quod non potest à subsequentis ratificationis influxu pendere. Regula autem juris respicit

40. *Ratum habens malefitium ſuo nomine patratum non tenetur in qualitate mandantis.*

spicit, quantùm ad præsens applicata, forum externum, in quo talis puniretur, quasi qui mandavit maleficium. Aliàs fictione juris respicit præteritos v. g. contractus, & quædam alia, quæ ratificari interdum juxta dispositionem jurium (de quibus Juris periti) possunt per consensum subsequentem, vi cujus tunc quasi de novo fiunt: non autem respicit naturalem obligationem restituendi damnum præteritum. Si autem nomine proprio alter opus fecisset, ratihabitio subsequens, quâ quis ipsum approbet alieno nomine factum, multò minùs censeri potest causa damni obnoxia restitutioni: nam *ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*, ut habet *Regula 9. juris in 6.* Neutro etiam casu irregularitas ob homicidium ratihabitum incurritur: etsi absolutè potuisset Ecclesia illam jure inflixisse, & de facto inflictam in priori casu nonnulli fuerint arbitrati contra plerosque alios.

*Multò minùs, si factum non fuerit nomine ipsius.*

*An sequatur irregularitas in materia homicidii.*

41. *Objectioni satisfit.*

Dices, sicut præcedens mandatum, sic prævisa & sperata ratihabitio movit voluntatem delinquentis, ut nomine alterius homicidium v. g. committeret: ergo alter utrobique est causa moralis homicidii. Resp. Neg. Cons. Nam si sufficeret ratihabitio sperata objectivè delinquentem movens instar causæ finalis, eadem sufficere deberet, etsi non subsequeretur; cùm nihilominus in spe & intentionaliter proposita moverit delinquentem. Requiritur igitur actio libera & concursus in ratione principii moralis ipsius actionis alienæ, ut hæc mihi imputetur tamquam causæ efficaci damni & restitutioni obnoxiæ. Alioquin etiam secutura fortè approbatio delicti ab aliquo etiam nomine proprio patrati posset similiter objectivè excitare delinquentem; nec tamen idcirco consequens approbatio constituit cooperationem ad delictum præteritum restitutioni obnoxiam.

## §. VII.

## De Consulente.

42. *Consulens quomodo teneatur ad restitutionem.*

Consulens (quò etiam spectat promissa faciens, animans, obsecrans, instruens &c.) tenetur, sicuti mandans, quando scilicet ex consilio dato quis movetur & facit opus injustum; aliàs non. Quòd si consilium tempestivè revocetur, censet *Petrus Navarra* & alii idem de hoc generatim dicendum, quod de mandato.

*Consilio revocato quando non teneatur.*

Quæ sententia, etsi *Lessio c. 13. dub. 3.* & aliis non improbabilis videatur, & locum queat habere, quando consilium fuit falsum seu falso fundamento, solive auctoritati extrinsecæ consentientis innixum, sinceritasque revocantis ac veritas ipsa sufficienter innotuit (cùm tunc cesset omnis influxus poni cœptus à consulente, sic ut ejus consilium deinceps non possit alterum movere, sed mera malitia) nihilominus ex communiori Doctorum sententia (quam tenet idem *Lessius*, *Wiggers*, & alii passim) quando datum est consilium verum, ostendendo v. g. utilitatem consequentem &c. non sufficit ostendi malitiam operis, sed debet alter persuadere, ne, non obstante priori consilio, procedat: eò quòd aliàs videatur manere influxus prioris consilii, veluti motivum operandi id, quod per consilium fuit suggestum, adeoque opus subsequi ex vi prioris consilii: deberetque prævidere consultor periculum, ne postea non foret in potestate sua tollere causam damni semel datam. Simili modo non liberatur ab onere restitutionis, qui alterum docuit artes nocendi, dedit instrumenta ut noceat &c. etsi postea significet se facti pœnitere, si nihilominus alterum reipsâ à malo non avertat.

*Quando è contra teneatur.*

Aliud apparet in mandante: nam ratio mandati consistit in sola auctoritate mandantis, & gratificatione ei faciendâ per opus ejus nomine patrandum, adeoque mandato revocato nil manet ex parte mandantis in mandatario: quod non ita appareret in consilio.

*Differentia inter mandatum & consilium.*

43. *An certus de damno, dubium consilium datum influxerit, teneatur ad restitutionem.*

Petes I. an teneatur ad restitutionem, si re examinatâ sit dubium, an consilium (idem est de mandato, aliove concausâ injustâ) influxerit in ipsum opus v. g. furti aut homicidii? Resp. si dubium sit, an sit datum consilium, vel an opus malum perpetratum, v. g. homicidium cum effectu sit secutum, satis constat nullam esse obligationem. Si autem constet de consilio, & simul de corpore delicti subsecuti, adhuc non teneri consultorem, veluti in possessione contra dubiam damnificationem constitutum, censent plurimi *Joannes Medina*, *Petrus Navarra* & alii ex *Dicastillo* relati apud *Franciscum Bardi disceptat. 6. de Consc. dub. 6. §. 13.* Verùm plures cum Canonistæ, tum Theologi, signanter *Covarruvias*, *Sanchez*, *Lessius c. 13. dub. 4. in fine* (etsi in prima Editione oppositum tenuisset) & alii apud *Bardi sup.* Valde probabiliter oppositum tradunt: cùm enim de delicto, & sufficientia causæ datæ constet, præsumptio est contra consulentem, qui incumbit onus probandi contrarium: neque etiam præsumitur alter (nisi intentio malè faciendi aliunde constet) malum facturus secluso consilio. Dum autem latet veritas, recurrendum est, etiam in foro conscientiæ ad præsumptionem fori externi. Ob quam etiam moraliter delictum ipsum in possessione esse videtur contra consultorem. Unde consequenter in tali dubio de homicidio consultor censendus esset incurrisse irregularitatem. Censet tamen *Bardi sup.* ex æquitate minuendum ex parte pro rata dubii onus restituendi, eò quòd quæ ex præsumptione procedunt, sint minoris efficaciæ; ut idcirco etiam in foro externo delicta in præsumptio-

sumptionibus fundata non puniantur pœnâ ordinariâ, sed minori seu extraordinariâ.

44. *Non requiritur generatim, ut consulens sit causa sine qua non damni.*

Petes II. An consulens (idem est de mandante & aliis) teneatur ad restitutionem, etsi non sit causa sine qua non damni? Resp. indubiè quòd sic, quando hîc & nunc efficaciter influit in damnum, etsi noverit ipso non suadente, forè alium, qui suasisset; ipso non mandante, fore alium, qui mandasset &c. Quia enim prævenit damnificationem, prævenit consequentem obligationem restituendi. Et verè talis est causa, sine qua, aut alia simili supplente locum & vices, damnum non fuisset illatum. Similiter id patet in causis physicis: nam si duo independenter ab invicem infligant singuli simul Petro vulnus lethale, singuli tenentur, etiam in solidum, in defectu alterius: aliàs enim neuter teneretur ad restitutionem; quod est absurdum. Quemadmodum etiam ignem applicans domui est causa incendii, obligaturque ad restitutionem, etsi non sit causa sine qua non; puta quia alius non defuisset.

45. *Si alter ut planè determinatus ad damnum, an tenearis ad restitutionem.*

Si verò sine tuo consilio vel mandato alter jam aliunde erat determinatus ad damnum inferendum, quod æquè ac eodem modo intulisset, est communis sententia Doctorum & certa (intelligendo nempe illam conformiter ad rationem subjunctam) ut inquit *Lessius c. 13. dub. 2.* te non teneri ad restitutionem; eò quòd tunc mandatum vel consilium tuum inefficax sit, & solùm concomitanter se habeat.

*An tenearis si moveris, ut propterea citiùs, animosius &c. fieret. Opinio affirmans probatur.*

Secùs censent plurimi, præsertim Recentiores, cum *Cajetano*, *Joanne Medina*, *Soto*, *Petro Navarra* apud *Lessium sup.* (qui id ipsum valde probabile, & in praxi ordinarie sequendum censet) si tuum consilium vel mandatum moverit, ut citiùs, vel animosiùs, vel atrociùs fieret: eò quòd tu verè & efficaciter influas in damnum.

46. *Opinio negans cum suo fundamento.*

Nihilominus oppositum censent multi graviſſimi Doctores pro quo referuntur *Alensis*, *D. Thomas*, *Richardus*, *Antoninus*, *Gabriel*, *Silvester*, *Navarrus* & alii. Ob quorum auctoritatem id probabile censent passim alii Doctores, notanter *Lessius sup.* & quia tunc censeris moraliter non tam causa damni quoad substantiam (ad quam causa damnificativa jam erat determinata) quàm quoad circumstantiam, adeoque non tenearis substantiam damni reparare. Unde etiam alii passim admittunt, quòd non teneatur ad restitutionem, qui volenti furari hodie, suadet, ut furetur cras; volenti furari centum, suadet ut furetur viginti: immo quòd parato ad furandum centum suadens, ut furetur ducentos, non teneatur ad restitutionem, nisi istius præcisè excessûs.

47. *Contra*

Sed huic Doctrinæ multùm obstat, quòd revera consulens & mandans influat in ipsam substantiam damni, si executor, etsi antecedenter ex se aut ab alio determinatus, per me novo motivo excitetur, sic ut vi hujus meæ motionis fieret, quamvis aliàs antecedenter determinatus non fuisset. Quod frequens est in moralibus, ut scilicet determinatus ad aliquam actionem, accedente novo motivo denuo determinet se ad eamdem, ipsam operaturus, etsi prius motivum deesset. Secùs est, si consilium vel mandatum meum non movit, adeoque non influxit. Si ipsum etiam verè non moverit neque influxerit in substantiam, sed præcisè in ipsam damni circumstantiam, verè non teneretur, nisi in quantum circumstantia ista est specialiter damnosa. Unde quia dum quis suadet furi, ut furtum differat, ordinariè saltem (interdum posset oppositum contingere) non censetur fur inde moveri ab substantiam furti, sed ad solam dilationem, quæ specialiter non est damnosa, immo plerumque utilis damnificando, censetur suasor ordinariè non teneri ad restitutionem. Similiter non tenetur, qui suadet, ut furetur viginti, cùm aliàs furaretur centum: censetur enim suasio abstinendi à majori, etsi non ab omni, à quo supponitur non posse averti. Quin immo talis gerit utiliter negotium domini, eique beneficium potiùs, quàm injuriam præstat. Idem est de eo, qui determinatum ad occidendum fustibus, movet ad occidendum gladio. Qui autem determinatum ad furandum minus suadet ad amplius, v. g. volenti furari equum suadet, ut furetur quoque ephippium & capistrum, ordinariè non videtur similiter nisi ad excessûs restitutionem teneri: cùm illius consilium non ita feratur aut moveat ad substantiam damni, quàm ad istum excessum.

*hanc arguitur.*

*Ad quid teneatur suadens furti dilationem in crastinum.*

*Quid censendum de eo qui suadet auferri minus.*

*Vel qui è contra suadet auferri aliquid amplius.*

Petes III. An volenti furari amplius à Petro, liceat suadere, ut potiùs furetur minus à Paulo? Resp. in primis licitè id fieri, quando Paulus vir opulentus creditur fore aut rationabiliter debere esse contentus modicum quid pati, ut gravius damnum Petri pauperis impediatur. Idem est, si fieret animo procurandi Paulo compensationem damni minoris. Item si fur determinatus erat furari ab utroque, licitum est suadere, ut abstineat saltem à furto majori. At si cogitans de utroque anceps hæreat, communis satis Doctrina asserit non posse consuli, ut damnum Paulo inferat, quod minus est: eò quòd non liceat innocentem juvare cum gravi damno alterius innocentis, qui tantum juris habet ad suum, quantum alter ad suum, etsi hoc foret majoris pretii. Varii nihilominus censent posse in genere consuli, faciendum esse minus malum: quod tum demum admittit *Wiggers c. 2. dub. 4. in fine*, quando fur interrogaret, quodnam sit minus

*An volenti furari magis licitè suadeatur ut furetur minus à tertio.*

*Quid si fur hæreat anceps inter utrumque.*

*An saltem in genere possit ingeri*

*minora mala potiùs facienda.*

minus malum, volens id ipsum facere; quasi aliàs moraliter censeatur inclinare furem ad damnum Pauli, qui furi ancipiti inter utrumque, proponeret assumptum & subsumptum discursûs, nempe: faciendum potius, quod minus est, atqui hoc est minus.

49. *Omnio Lugo & Poncii.*

Quamquam *Lugo disp. 19. sect. 2. §. 2.* non putet esse illicitum, ut simpliciter tali casu insinuetur veritas, & consulatur furtum minus; eò quòd alter non possit propterea esse rationabiliter invitus. Additque noster *Poncius d. 52. q. 9. n. 56.* voluntatem conditionatam, quâ suadens cupit à fure potiùs fieri, quòd minus malum est, non esse alteri injuriosam, veluti cujus emolumentum divino honori est postponendum. Quando autem fur de Paulo non cogitabat, non posset & ei ingeri juxta *Lugo sup.* & alios communiter. Quod tamen *Poncius sup.* ob rationem præmissam honoris divini negat in casu, quo aliter non posset malum majus averti. Existimatque, cum eodem *Lugo* posse in casu æqualis mali prospici amico, rogando furem determinatum ad furandum à Petro vel Paulo centos, ut parcat Paulo amico. Videri potest *Lugo sup.*

## §. IV.

## De Consentiente.

50. *Consentientes quomodo peccent ac teneantur ad damna præstanda.*

Consensus exterior in opus injustum est obnoxius restitutioni, quando verè est causa damni, aliàs non. Ut proinde consensum interiùs aut exteriùs præbentes in opera injusta, quæ ab eorum consensu nullatenus pendent, aut in quæ ipsorum consensus non influxit, etsi graviter peccent, etiam contra justitiam; non tamen teneantur ad restitutionem ex hoc capite: quamvis ratione animationis, consilii &c. possent teneri, si eatenus consensum aliorum causent. Quod si verè sciam non defutura suffragia v. g. pro injusta sententia, pro iniqua gabella, electione indigni &c. indubiè teneor ad restitutionem, si suffragium prior feram, utpote unà constituens causam efficacem damni, nempe majorem partem suffragantium, sicque præveniens obligationem, quam alter contraxisset.

51. *Quid censendum de suffragantibus post sufficientem numerum suffragiorum.*

Secùs censent Doctores communiter, ut refert & sequitur *Lugo d. 19. s. 2. n. 17.* contra *Wiggers Tr. 3 c. 2. dub. 5.* de suffragantibus post numerum suffragiorum completum, seu prævia majori parte suffragantium, eò quòd horum præcisè suffragia sint efficax causa damni; sic ut ipsum æquè sequeretur, etsi posteriora suffragia deessent: cùm è contrà deficientibus prioribus, aut aliis similibus horum locum supplentibus damnum non fuisset illatum. Nec obstat, quòd decretum seu sententia formetur, & proferatur etiam nomine posteriùs suffragantium; nam pariter formatur & profertur nomine totius congregationis vel Senatûs, etsi hi non dedissent suffragium, consideratâ solùm pluralitate suffragiorum. Videturque Cardinali *de Lugo* (qui refert *Molina*) contra plures consequenter idem dicendum, etsi suffragia fuerint occulta, si postea constet tuum suffragium sufficientia inveniſſe. Ignorantia enim prior facit solùm, ut puteris, non ut verè fueris efficax causa damni. Communior tamen & facilior est doctrina in casu, quo suffragia sunt publica, & posteriores cernentes priorum suffragia vicisse, atque ita sua nil profutura, ceteris accedunt. Quod etiam fatetur *Sylvius q. 62. art. 7. §. De Consentiente*, rectè quidem addens, quod adhuc peccent mortaliter, sed malè, quòd non contra justitiam: indubiè enim illam violant, etsi damnum efficaciter non operentur.

52. *Limitatio quadam.*

Præmissa nihilominus intelligenda sunt in casu, quo priora suffragia sunt irrevocabilia, aut saltem certò non revocanda; prout interdum quando in Consiliis suffragia publicè dantur adjunctis motivis, eorum consideratione habitâ priùs suffragantes retractant opinionem suam, & ex justitia debent. Immo *Lugo sup. n. 18.* existimat sufficere, quòd sint revocabilia; eò quòd aliàs damnum necdum sit illatum, adeoque sequatur ex omnibus suffragiis, sicut si simul omnes irrevocabilia suffragia dedissent. Dum autem irrevocabilia sunt, posteriores jam inveniunt damnum datum absque ipsorum opera.

## §. V.

## De Palpone & Receptatore.

53. *Palpo quomodo teneatur.*

Palpo sive adulator ad restitutionem tenetur, quando adulatione, laudibus, exprobratione ignaviæ, irrisione &c. movet alterum ad damnum inferendum, vel ad non reparandum illatum; perinde ac dans consilium.

*Receptatores obligati quinam sint.*

Recursus seu receptatio similiter obligat receptatorem, quando influit in damnum, ut fiat, vel factum non reparetur. Hujusmodi sunt, qui malefactores occultè intertinent, protegunt, securitatem præstant ad damna inferenda aut non reparanda, qui prædas servant, vel aliter se habendo censentur moraliter ad eorum malefacta concurrere.

Hinc etiam Principes, domini, parentes &c. si non compescant vasallos, famulos, filiosfamilias &c. quos norunt confisos in ipsorum potentia injustè agere, indeque animatos, & sub patrocinio ipsorum tutò receptos delicta committere, eadem in seipsos transumunt.

Notant

54. *Qui excusantur.* Notant tamen varii Doctores, quòd ex metu gravi excusentur interdum receptantes fures in suis domibus, eisque alimenta præbentes, prædas custodientes, easque furi reddentes. Qui etiam absque expressa vel tacita addictione receptaculi, post furtum patratum, furem ad necem quæsitum, ne comprehendatur & occidatur, occultat, haudquaquam censetur receptator: hoc enim velut casu & per accidens fit, supponiturque non dari furi in posterum spes similis refugii vel adjutorii: tunc namque si postea fur vias suas repetat, damnum istud non censetur causatum, sed merè per accidens sequi opus præfatum misericordiæ. Quamvis revera dissuadenda sit, & interdum peccaminosa hujusmodi justitiæ impeditio in mali genii, spei & consuetudinis furibus alijsve malefactoribus. Si etiam quæratur fur in ordine ad restitutionem rei ablatæ, sanè qui hunc impedit occultando, socius furum meritò censetur. Unde c. *Si res aliena* 14. *qu.* 6. ex *Augustino Epist.* 54. habetur: *Illud verò fidentissimè dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad restituendum non compellat, socium esse fraudis & criminis.* Advocati nihilominùs licitè defendunt malefactorem in judicio quoad ea, in quibus ipsemet potest se jure defendere & excusare, v. g. quando culpa est occulta, aut nequidem semiplenè probata, quando non servato ordine juris vexatur &c. Defenditur enim non quatenus malefactor, sed quatenus jus habens.

*An qui furem ad necem quæsitum occultat.*

*An Advocatus furem licitè defendat.*

## §. VI.

## *De participante.*

55. *Participans in præda ad quid teneatur.* PArticipans in re scilicet furtiva seu præda injusta, tenetur restituere totum, quod ad eum devenit, sive bonâ, sive (quod potissimùm hic spectatur) malâ fide. Quòd si quid bonâ fide acceptum fuerit consumptum, tenetur in quantum factus est ditior. Participans autem in ipsa injusta actione dicitur generatim quicumque quovismodo concurrit ad ipsam, sive partialiter ex parte causæ, sive partialiter tantùm ex parte effectûs. Specialiùs autem participare in actione injusta dicuntur adjutores physici ipsius executionis, sive qui aliter quàm modis præmissis ad ipsam concurrunt, auxiliumve præstant, v. g. scalas apponunt, vel eas sustinent fure ascendente, qui excubias agunt, qui instrumenta suppeditant, qui furem comitantur defendendi causâ, qui juvant effringere, asportare &c. Qui semper tenentur ad restitutionem hoc ipso, quo aliquid auxilii ad iniquam executionem contulerint, saltem si id sponte &. sine compulsione fecerint. An autem vel qualiter gravis metus interdum excuset, vide apud *Lessium cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 29. *& seqq.* & alios.

*Participantes in injusta actione qui.*

*Ad quid teneantur.*

In particulari movetur difficultas, ad quid teneantur milites injustè invadentes & spoliantes urbem. Ubi in primis supponitur in solidum obligari ipse præfectus belli, idemque est de consiliarijs ad factum permoventibus. Gregarii autem milites juxta *Petrum Navarra*, & plures alios non tenentur, nisi pro parte prædæ, quæ ad singulos devenit, & damnificatione, quam quisque intulit. At *Cajetanus*, *Adrianus*, *Joannes Medina* & alii obligant quoslibet in solidum ad restitutionem totius damni in defectum aliorum. Quod tunc verum putat *VViggers cap.* 2. *dub.* 5. quando omnes communi consilio aut mutuâ exhortatione, & instar unius manûs invadunt aliquem locum ad deprædandum (quod sæpius & faciliùs contingit in minoribus locis, & minori aliqua parte exercitûs) secùs si solùm jussu superioris absque mutua communicatione fiat invasio, locoque superato quisque incipiat pro sua voluntate prædas agere absque omni respectu, ac dependentiâ ab invicem. Neque enim solet tunc unus ab alio in præda capienda dependere vel juvari. Et sic auctor iste conciliandam censet utramque sententiam.

56. *In exspoliatione urbis an singuli teneantur in solidum.*

*Opinio prima negat.*

*Secunda affirmat.*

*Tertia utramque conciliat.*

Obstare nihilominus videtur, quòd (ut contendit posterior sententia) vix ullum damnum inferatur à milite, alijs non concurrentibus, à quibus auxilium seu defensionem sperat, aliàs utique non ausurus: atque ita ad damnum, quod hic miles infert (idem est de singulis alijs) videantur concurrere omnes ij, quorum auxilio parato, fretus hic audet. Quamvis magnitudo damni faciat restitutionem integram frequenter singulis impossibilem, & ut damnum passus sæpe præsumatur contentus, si singuli militum restituant, quòd pro sua parte intulerunt, vel prædati sunt.

57. *Arguitur in favorem secundæ opinionis.*

## §. VII.

## *De Cooperantibus negativè.*

58. *Quinam cooperantes negativè.* MUtus, seu qui tacet, dum deberet loqui prohibendo, reprehendendo, dissuadendo, clamando, vel strepitum edendo: Non obstans, seu non impediens, dum potest & tenetur: Non manifestans malefactorem ante furtum, pro damno impediendo, vel post furtum pro damno reparando (qui sunt tres modi cooperandi indirectè seu negativè) si teneantur damnum impedire ex justitia (puta ex contractu vel ex officio seu quasi contractu) te-

*Obligati ex officio vel*

*contractu tenentur ad reparationem damni.*

nentur ad restitutionem ; cùm per injuriam sint causa damni, illud passo habente jus ad actionem positivam impeditivam ejusdem damni.

59. *Idem specificantur.*

Ex officio obligantur Principes, Magistratus, Prætores, duces belli &c. adeoque ad restitutionem tenentur, si, cùm possunt, non impediant furta, latrocinia, & similia mala : propterea enim stipendia accipiunt à republica. Idem est de ijs, qui velut ex contractu obligantur, accipientes stipendia pro custodia vinearum, silvarum &c. Item de tutoribus & curatoribus, quoad impedienda pupillorum & minorum bona. Item de famulis, quos concernit servare res domini contra fures extraneos : is autem cui custodia domûs, aut particularis rei, v.g. horrei, penûs &c. datâ clave aut alio modo, etiam in ordine ad domesticos, est commissa, obligatur etiam contra hos impedire damna domini. Aliàs titulo famulatûs non tenetur ex justitia ( etsi teneatur ex charitate ) contra alios domesticos custodire res domini, ut habet *Lessius cap. 13. dub. 10. nu. 75. VViggers c. 2. dub. 6. n. 51.* & alii : etsi inter domesticos & extraneos non distinguat *Poncius d. 52. q. 9. in fine.*

*Famuli ad quid teneantur hac in re.*

60. *Quæ causa prædictos excuset.*

Obligati ex justitia vel quasi justitia nihilominus excusantur ratione jacturæ notabilis ; eò quòd non videantur ordinariè officia assumi cum tanto onere ; nisi quid amplius postulet pactum. Quo modo autem, & qualis culpa exigatur, in *disp. 5. de Restit. in comm. quæst. 3.* dictum est. Quòd si incertum sit, an damnum impediri potuisset, æstimanda saltem est spes successûs, si actio obligans fuisset adhibita.

61. *An compensanda sint mulctæ neglectæ.*

An verò custodes & vigiles non manifestantes eos, qui v.g. lignant, aut vectigalia non solvunt ( idem est, si fiscus non accuset, judex non condemnet ) teneantur ultra damna solvere ipsas mulctas transgressoribus vel reis statutas, dubitari posset. Et quidem Doctores passim cum *Silvestro, Navarro, Lessio sup. dub. 10. num. 73.* contra *Petrum Navarra, Soto, Salon* apud *Lessium sup. num. 72.* censent, quòd non : eò quòd invigilantes hisce rebus ex officio non teneantur mulctare vel accusare, ut respublica ditetur mulctis, sed solùm ut damna impediantur : adeoque ex mente reipublicæ aut Principis tales non videantur obligati ad præstandas ipsas mulctas neglectas. Nihilominus si quis privatus à republica conduxisset jus mulctarum justarum, custodes ab ipso constituti tenebuntur præstare mulctas neglectas, saltem quantum spes earumdem, transgressione manifestatâ, valebat : hæc enim mens apparet manifesta in eo, qui ad proprium lucrum ex mulctis captandum principaliter conductionem inijt, & custodes instituit. Idemque censet *VViggers cap. 2. dub. 7.* esse verius in custodibus & præfectis à republica institutis quoad mulctas impositas non solventibus vectigalia, & contra inferentes damna in bonis publicis : quod tamen alii plures non admittunt, veluti haud satis probatum.

62. *Secluso officio vel contractu, obligat sola charitas ad impediendum.*

Quod si obligatio vi officii vel contractûs, adeoque justitiæ, non subsit, adhuc supposito quòd damnum proximi absque notabili incommodo impediri possit, obligat ad id charitas, eaque sola ; cujus tamen defectum non esse restitutioni obnoxium, patet. Ita Doctores communiter. Estque hoc verum, etsi non solùm quis non impediat, sed etiam suadeat alteri, ne impediat, v.g. furtum aut latrocinium ; dum tamen absit vis & fraus (quo casu indubiè esset obligatio restituendi, utì vera injuria ; & de hoc loquitur *Joannes Medina*, dum videtur contrariari, ut eum explicat *VViggers cap. 2. dub. 6. num. 45.* ) cùm non fecerit per hoc damnificato injuriam, qui ad tale auxilium non habebat jus, sed solùm ut relinqueretur in libera alterius voluntate.

*Quid si quis alteri suadeat, ut impediat.*

63. *Variæ Canones explicantur.*

Nec obstat, quòd c. *Quanta 47. de Sentent. Excommunic.* dicitur : *Eos delinquentibus favere*, adeoque puniendos ( ut ex præmissis ibidem colligitur ) *interpretans, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare.* Tum quia tales favent negativè & quidem culpabiliter sunt que adeo pœnâ digni. Tum quia sermo est de obligatis ex officio impedire, ut explicat *Glossa.* Tum quia secluso officio favent præsumptive ; juxta id quod dicitur c. *Sicut dignum 6. de Homicidio, non carere scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori* ( varia exemplaria addunt, *non*, sed repugnat sensui, & vetustioribus Codicibus ) *desinunt obviare*, cùm scilicet facilè possunt, quia nimirum contra tales est præsumptio aliqua ; quæ tamen pro conscientia eliditur, dum constat verè societatem non subesse. Similiter quod c. *Sicut dignum* dicitur, *qui potuit hominem liberare à morte, & non liberat, occidit*, intellege cum *Glossa*, si tenebatur ex officio. Vel *occidit*, id est, culpabilis ei est occisio per alium subsecuta, quatenus ei voluntaria quodammodo, etsi non propriè culpâ injustitiæ. Quomodo etiam relato *Ambrosio* ( in quo tamen non reperitur ) c. *Pasce dist. 86. Si non pavisti, occidisti.*

64. *An privatus pecuniâ acceptâ ut clamans teneatur ad restitutionem.*

Petes, an qui pecuniam accipit, ne clamet, aliàs non obligatus ex officio clamare, teneatur ad restitutionem ? Resp. in primis non teneri ad restitutionem pretii promissi ( quando positum est id, ob quod pretium

tium fuerat promiſſum) vel muneris donati; niſi ſit pars furti, quæ domino utique reſtituenda foret. Ad reſtitutionem autem damni obligatur juxta *Salon*, *Petrum Navarra*, *Leſſium*, *Diana* (quos refert *Lugo d. 19. ſect. 3. num. 102.*) *VViggers Tr. 3. cap. 2. dub. 6.* & alios; eò quòd cenſeatur per acceptionem pretii, veluti actum poſitivum, concurrere poſitivè, furem animando & ſecuritatem ſpondendo. Verùm non video, cur in rigore loquendo potiùs teneatur, qui pretium accipit, quàm qui gratis ſe non clamaturum promittit (quod clarum videtur, nec puto ab Auctoribus prædictis negandum) aut etiam ſine promiſſione precibus furis annuit, & tacet: cùm etiam tunc locum habere poſſit animatio furis allegata. Unde & hoc poſtremum conſequenter dicendum videretur. Ex quo tamen arguit *Lugo ſup.* (cui oppoſitum videtur in rigore verum, referens *Soto* & *Navarrum*) contra prælegatam doctrinam; addens ſolam animationem poſitivè influentem, non autem illam, quæ oritur ex ſola ablatione terroris (quem non tenebaris ex officio incutere) eſſe injuſtam. Quemadmodum ſciens inſtare adventum furis, te invento terrendi, potes citrà injuſtitiam te ſubducere, etſi ex tua abſentia contingat furem præmiſſâ ratione animari ſeu aſſecurari: uti etiam contingit, dum jam animatus ad furandum videt te tacere, vel aliò diſcedere.

Alioquin facilè contingere poteſt, ut poſitiva furis animatio in ſimilibus (qui indubiè graviſſimè ſaltem charitatem non impediendo lædunt, niſi grave incommodum proprium ipſos excuſet) accedat, quæ vinculum injuſtitiæ addat.

## §. VIII.

## Quo Ordine teneantur Cooperantes reſtituere?

65. *Opinio affirmans non teneri unum ante alterum, ſed ſingulos pro rata.*

PETRUS *Navarra*, apud *Leſſium* & *VViggers* locis mox citandis, fuse nititur confirmare omnes concurrentes teneri juxta proportionem influxûs ſingulos ad reſtitutionem alicujus partis, ut pote cauſas invicem juvantes ad illationem damni; v.g. ſi damnum ſit ſex aureorum, mandantem ſuo nomine fieri obligatum ad reſtituendos tres, executorem duos, laudatorem unum. Quod *Leſſius cap. 13. dub. 5. num. 43.* cenſet non improbabile, utì & *VViggers c. 2. dub. 8.* qui tamen putat non probabile quoad cauſas negativas. De quibus infrà idem patebit.

66. *Contraria opinio communis probatur.*

Nihilominus Reſp. cum communi Sententia, quòd ſicut non omnes concauſæ ſunt æquè principales in damnificatione, ſed velut ſubordinatæ, ſic meritò cenſentur ſubordinatæ in obligatione ad reſtituendum. Quocirca cooperantes, alii primo loco, alii ſecundo, alii poſteriori adhuc loco tenentur. Et quidem primo loco obligari dicitur, quo reſtituente, ceteri liberantur, quique alijs refundere debet, ſi quid reſtituerint. Secundo loco tenetur, quo reſtituente, liberantur ceteri, dempto primo, & ſic de alijs. In eodem autem gradu dicuntur obligari, qui æquè immediatè obligantur, etſi interdum pro inæqualitate influxus unus obligetur plus quàm alius reſtituere. Horum autem ſi quis totum reſtitueret, teneretur alter ejuſdem gradûs refundere pro ratione ſui influxûs.

*Quis dicatur teneri primo loco, quis ſecundo, qui in eodem gradu.*

67. *Primo loco tenetur, qui alienum in ſe vel æquivalenti habet.*

Itaque primo loco tenetur, qui habet rem alienam in ſe aut in æquivalenti. Obligatio enim quæ ex ipſius rei detentione naſcitur, eſt prima & potiſſima, atque in interitu poſtrema. Unde etſi alii reſtituiſſent, ad detentorem pro compenſatione recurrere poſſent. Secundò, tenetur mandans, ſi quis fuerit, nec mandatum ſufficienter revocaverit. Ipſe enim cenſetur principalis auctor, exequens autem veluti inſtrumentum illius: dumque per alium ſuo nomine vult damnum inferri, cenſetur hoc ipſum ſeu onus conſequens primò in ſe ſuſcipere. Tertiò, executor: quia ceteri tantùm influunt in damnum ipſo mediante, neque ipſius obligationem in ſe ſuſcipiunt, cùm non eorum, ſed proprio nomine agat. Quartò, alii poſitivè cooperantes, qui dum omnes æque immediatè influunt, nullam inter ſe habent ſubordinationem ut patet in conſulente, adulante, receptatore. Si tamen unus alio mediante influxit, v. g. ſuaſor adulatoris, tenetur priori loco, qui immediatiùs influxit, v. g. ipſe adulator. Niſi quòd ſicut mandans executionem tenetur ante executorem, ſic mandans conſilium dari, laudari &c. ante hujuſmodi conſultorem, laudatorem &c. teneatur.

*Secundo loco mandans.*

*Tertio executor.*

*Quarto ceteri poſitivè cooperantes.*

*Quando inter hos ſit ordo.*

68. *Poſtremo loco tenentur cooperantes negativè.*

Quintò denique juxta Doctores communiter tenentur cooperantes negativè: hi enim tenentur, in quantum non impediunt cauſas poſitivas, adeoque ſatisfaciunt, ſi efficiant, ut hæ reſtituant. Confirmatur: quia earum defectus eſt quaſi poſterior maleficio cauſarum poſitivarum, adeoque ridiculum videretur, quòd cauſæ poſitivæ à negativis exigerent, ut compenſent incommoda, quæ ob maleficia ſua ſuſtinent, quoniam non fuerint ab iſtis impeditæ: officiati enim ſtudere debent indemnitati innocentium, non malefactorum. Ipſi autem negativè cooperantes tenentur inter ſe eodem ordine, quo tenebantur impedire, v. g. priùs prætor particularis, cuſtos aut vigil, vel cui immediata cura incumbit, quàm prætor generalis, aut ad quem univerſaliùs & mediatiùs cura ſpectat, qui ſolùm

*Quis inter eos ordo.*

lùm invigilare debet, ut alij officio suo non desint.

69. *Vi vel fraude impellens ad mandandum aut aliter cooperandum, prior loco tenetur.*

Observandum tamen qui per injuriam id est, per vim vel fraudem coëgit vel induxit alterum ad mandandum, cõsulendum &c. tenetur ante sic coactum vel inductum; adeoque sic compellens alterum ad mandandum teneretur primo loco, utpote alteri injusta causa damni, quod vim vel fraudem passus ex restitutione alioquin pateretur. Præterea damnum passus non debet duci per ambages, sed videtur posse agere immediatè contra executorem, qui dein recursum suum habere potest ad mandantem.

70. *Remissio uni cooperantium facta, qui excusat ceteros.*

Petes, an si damnum passus uni remittat onus restituendi, ceteri liberentur? Resp. si condonet obligato primo loco, ceteri omnes liberantur: si condonet ei qui tenetur secundo loco, liberantur omnes, dempto primo, & sic consequenter. Si condonet uni æqualiter seu in eodem gradu obligatorum, liberantur ceteri ejusdem gradûs, atque etiam posteriores ab obligatione partis ab illo debitæ. Unde si tres debeant singuli restituere mille, uni factâ condonatione, duo alii adhuc tenentur singuli dare mille, & non amplius. Si autem unus ex his duobus deficiat, tenetur alter dare mille quingentos; alii enim quingenti erant refundendi à primò, cui facta supponitur plena remissio,

## QUÆSTIO IV.

### *De Restitutione Facienda ratione Rei Acceptæ.*

71. *Res aliena ubivis etiam bonâ fide extet, domino restituenda est. Qui illam vendicare potest non refuso pretio. Limitatio.*

Constat in primis apud omnes rem alienam, ubicumque reperiatur, etiam apud bonæ fidei possessorem, debere restitui domino; qui eamdem ubivis repertam potest sibi vindicare, etiam non compensato pretio, si quod fortè pro illa alter, etiam bonâ fide dederit *L. 3. & 23. ff. de rei vendic.* Cùm æquum non sit, ut dominus rem suam emat. Nisi quis fortè rem emerit exiguo pretio cum intentione domino, si appareat, reddendi, cujus quidem aliter re suâ penitus caruit (quod ex circumstantijs satis potest dijudicari) negotium utiliter se gerere existimabat; tunc enim in utroque foro tenebitur dominus pretium restituere, juxta *Covarruvias, Molina, Lessium c. 14. dub. 3. nu. 20.* & alios passim ut citat & sequitur *Lugo d. 17. sect. 1. nu. 2.* arg. *Instit. de Obligat. quæ quasi ex contractu §. 1.* Favet quoque c. *Rapinam 14. q. 5.* ubi dicitur illicita emptio rapinæ, nisi eâ intentione, ut cui est ablata, reddatur. Iniquum etiam foret, ut quis amitteret id, quod expendit in gratiam domini, cujus negotium utiliter gessit. Secùs censent Doctores, si nimium dederit, quasi tunc ad excessum compensandum non teneatur. Nihilominus, juxta *Lugo sup. nu. 4.* (quod tamen in foro saltem externo non admitteretur, ob periculum pravarum cum furibus collusionum) idem est, si simili intentione datum fuerit pretium justum pro re, quæ aliter comparari non poterat, & sciebatur domino gratissima ac valde necessaria, & quam alioquin recuperare non potuisset. Itaque quàm primùm res detenta noscitur aliena, est restituenda; aliàs detentio incipit esse iniqua, sicque accederet titulus iniquæ acceptionis, & effectus consequentes.

*Mora culpabilis faceret detentionem deinceps injustam.*

72. *Consumens bonâ fide non tenetur, nisi in quantum factus est ditior.*

Constat II. Eum, qui rem bonâ fide acceptam consumpsit, non teneri ad restitutionem, cognito quòd fuerit aliena, nisi in quantum factus est ditior ex ipsa rei consumptione: non enim est titulus unde obligetur, scilicet neque contractus, neque iniqua acceptio, neque ipsa res accepta, utpote non extans in se aut æquivalenti.

73. *Quid si rem sibi donatam bonâ fide alteri donaverit.*

Unde si durante bonâ fide, res perijt, etiam ex culpa lata, ad nil tenetur. Similiter si rem sibi donatam, alteri bonâ fide donaverit, aliàs donationem illam aut aliam similem non facturus, non tenetur domino (qui tamē rem suam potest vindicare apud donatarium vel alium, ubivis existat) si facturus donationem minorem, hujus solius valorem (cùm etenus tantùm profecerit) reddere domino debet, posito quòd res donata non sit ab ipso domino vindicabilis apud donatarium, nec ejus (si ab ipso destructa sit) valor queat obtineri. Immediata enim actio domini est in rem, ubivis, etiam bonâ fide, exret; aliàs in eum, qui destruxit. Hic autem si bonâ fide processerit, non tenetur, nisi quatenus inde factus est ditior. Eoque deficiente demum videtur esse domino actio in donantem, in quantum hic similiter factus est ditior.

74. *Si sic emptam alteri vendiderit, secundus emptor habet actionem ad pretium repetendum contractum.*

Si rem alienam bonâ fide emptam rursum alteri vendiderit, dominus habet jus vendicandi rem suam extantem apud secundum emptorem; hic autem habet actionem ad repetendum pretium à primo emptore, rescisso contractu, juxta communem Doctorum sententiam, ut proinde non satisfaciat secundo emptori, resignando actionem suam in primum venditorem seu ipsum furem: cognito enim defectu (perinde est, quantum ad materiam præsentem, sive sit intrinsecus, sive extrinsecus) cui res vendita erat obnoxia, tenetur venditor emptori de damno compensando, sive eum servare indemnem; prout vendito vitro pro gemma, tenetur cognito defectu rescindere contractum seu reddere pretium. In præsenti autem res vendita subjacebat notabili defectui, nempe quòd sit aliena, ideoque non transferribilis in dominium emptoris; qui proinde jus

jus habet rescindendi contractum, nec potest invitus obligari ad alium, cum quo eo negotium non fuit, sed potest immediatè convenire eum, quocum contraxit, qui tenetur emptori de evictione rei factâ per dominum *L.* 1. & alijs *ff. & C. de Eviction.*

75. *Ad quid domino teneatur primus emptor, si secundus non compareat.*

Si secundus emptor non reperiatur, aut res sit ab eo citra augmentum rei familiaris destructa, *Bannez q. 62. de Restit. a. 6. dub. 2. & Arragon qu. 62. art. 6.* censent venditorem sive primum emptorem debere domino dare pretium acceptum; cum jactura pretii priùs à se dati furi; supponentes venditorem pretium à secundo emptore acceptum non fecisse suum. Quod falsum est: cùm contractus aliqualiter fuerit validus arg. *L.* 34. §. 3. *ff. de contrah. Emp.* Nec minus potest primus emptor, quàm dominus ex hoc pretio se indemnem servare. Quare alii Doctores passim contrarium sentiunt: eò quòd non sit titulus, unde obligetur primus emptor; cùm res ampliùs non extet apud ipsum, neque ex ea factus sit ditior; pretium enim ex venditione acceptum, antea dederat emendo. Quòd si tamen pretium amplius acceperit, quàm prius dederit, ad auctarium saltem domino reddendum erit juxta Doctores communiter obligatus; nisi fortè excessus pretii censeri possit fructus meræ industriæ.

76. *Quid agendum si donatarius bonâ fide rem furtivam vendiderit.*

Si quis denique rem alienam sibi donatam vendiderit, cognito defectu tenetur emptori rescisso contractu pretium reddere, & hic rem domino; aliàs si destructa sit, debet pretium domino reddi, ex quo videlicet venditor factus erat locupletior: nisi fortè pretium ludendo aut aliter sine emolumento proprio consumpserit eâ occasione; secùs si nihilominus æquivalens consumpsisset, adeoque rebus suis parcendo factus censeatur ditior.

77. *Res furtivæ bonâ fide emptæ, si alia causa absit, domino restituenda.*

Quæstio autem hîc solemnis movetur, an emptor bonæ fidei, cognito quòd res sit aliena, possit eam rescisso contractu reddere furi, ut ita recuperato pretio se servet indemnem, etiamsi dominus vix aut nullatenus rem suam à fure recuperare possit? Si enim à fure facilè recuperaturus sit, & emptoris aut furis non parum interfit, ut furi reddatur, licitum id est. Uti & oppositum illicitum, quando gratis rem acquisti, adeoque sine alio damno potes ipsi domino, aliàs difficulter recuperaturo reddere, aut etiam si re emptâ domino redditâ, possis facilè à fure recuperare pretium.

78. *Potest tamen probabiliter restitui furi rescisso contractu, ut recuperetur pretium.*

Resp. ad quæstionem Affirm. Ita *Alensis, Gabriel, Angelus, Silvester, Navarrus, Petrus Navarra, Bannez, Aragon*, quos citat & sequitur *VViggers c. 4. dub. 2.* Item *Lessius cap. 14. dub. 3. Toletus, Vasquez, Bonacina, Malderus* & alii citati à *Diana P. 1. Tract. 8. Resolut. 69.* contra *Soto, Joannem Medina, Molina* & alios, quos citat *Diana sup.* Ratio est: quia ex nullo capite sufficienter ostendi potest id esse illicitum. Contractus enim, esto validus, saltem est rescindibilis, etiam invito domino, ratione erroris, qui causam dedit: rescisso autem contractu potest pretium à fure repeti. Quod autem in manus furis, unde sine noxa fuit accepta, reponi possit, colligitur ex eo, quòd innocua contrectatio & existentia rei apud possidentem non videatur illum posse reddere obnoxium ad servandam rem & domino reddendam cum æquali suo damno, & quidem occasione ipsius rei (quæ causa est dati pretii) aliàs tolerando. Neque dominus propterea potest rationabiliter esse invitus: cùm in pari causa & innocentia nemo videatur obligatus sibi tantum nocere, ut alius habeat rem suam. Contraria tamen opinio non levibus nititur fundamentis, ut videre est apud *Silvium q. 62. a. 6. Quæsito* 1. *Conc. 6.* ubi illam tenet, & *Lugo d. 17. s. 2.* Nonnulla breviter objiciemus & dissolvemus.

79. *Objectio prima.*

Nec refert, quòd fure disparente, debeat res domino etiam cum jactura pretii restitui, neque idcirco possit alteri vendi. *Resp.* Nam tali casu deest justa occasio se servandi indemnem; quod citra injuriam domini facere non possum vendendo rem, quam scio non esse meam. Aliud est in repositione rei loco pristino, ut vitem damnum, non tantùm intrinsecum, consistens in ipsa rei restituendæ carentia (quod etiam locum habet in eo, qui rem gratis accepit) sed insuper extrinsecum consistens in amissione æqualis pretii.

80. *Objectio secunda.*

Non refert etiam, quod si loco rei propriæ extorserim à fure rem alterius similiter ablatam, non possim hanc furi reddere, ut meam obtineam. *Resp.* Nam (quidquid sit de ipso assumpto) res alterius non est mihi nociva, neque est apud me cum meo gravamine, quod inde nullum mihi accidit (secùs quàm ex re empta) magis, quàm si non extorta è manibus furis, aliâ occasione apud me esset. Non posset autem equus v.g. alterius apud me existens aliâ occasione tradi furi, ut ab ipso accipiam rem meam, aut mihi debitam.

81. *Objectio tertia.*

Non refert III. quod in casu videatur non tam vitari proprium damnum, quàm acquiri lucrum (quod facere non possum circa rem alienam cum domini detrimento) recuperando scilicet dominium pretii, quod transierat in furem, tametsi dominium mercis non transiret in emptorem: Nam concesso quod dominium pretii transisset in furem; nihilominus in casu verè evitatur damnum, non quidem consistens in amissione pecuniæ, utpote jam amissæ, sed in amissione spei (quæ in casu tantumdem quasi valet, atque ipsa pecunia) illam mihi jure debitam recuperandi. *Resp.*

82. *Objectio quarta.* *Resp.*

Non obstat IV. Quòd dominus possit vindicare rem apud talē emptorem repertā, qui etiam ad reddendam domino cogeretur in foro externo. Nam justo modo reddendo rem furi, adeoque deinceps apud me nō extantem, non impedio directè vel per injuriam domipum à vindicatione rei suæ, etsi ipsa per accidens ratione malæ voluntatis furis (quam egō non foveo, sed justè permitto, dans simul occasionem restituendi, dum, ne retineam alienum, rescindo contractum) sit difficilior. Judex autem rationabiliter facit, quod expeditius est, nolens dominum ducere per ambages, sed ipsi concedendo vindicationem rei suæ apud emptorem, qui etsi non debeat domino reddere, nequit tamen vindicantem impedire, aut ei resistere: sicque judex ex consequēti & indirectè impedit, quominus reddatur furi, etsi huic in conscientia licitè tradi posset; antequam judicialiter repetatur, vel absque eo, quòd directè impediatur actio aliqua, quam dominus circa rem suam vult & potest exercere.

83. *An emptor malæ fidei possit reddere rem furi, ut pretium recuperet.*

Quòd si tamen emptor fuisset malæ fidei, deberet ex communiori Doctorum sententia pati jacturam pretii, nec posset rescisso contractu (qui fuit invalidus) res furi reddi ad servandam indemnitatem: eò quòd talis teneatur etiam ratione iniquæ acceptionis, cujus factus est reus per tale cum fure commercium, adeò ut teneretur domino reddere pretium rei, etsi ipsa fortuitò perijsset: ac proinde non mirum, quod teneatur illud perdere, ne res pereat domino, si furi reddatur; cui ne reddatur, dominus est irrationabiliter invitus. Nonnulli tamen (referuntur autem *Alensis, Gabriel, Angelus, Silvester à Lessio c.14.dub.3. nu.21.* qui addit utì & *Malderus Tr.4.c.3. dub.2.* non videri improbabile) censent etiam posse reddi furi, dum saltem mox sive hujus statu non pejorato id fiat rescisso contractu: quasi fas sit sibi consulendo præ altero se servare indemnem, reponendo rem pristino loco. Verùm alii respondent ipsum hâc se potestate privasse per iniquam acceptionem, adeoque per actionem furtivam; quâ obstrictus non potest rem ponere pejori loco, quàm apud se sit, adeoque nequit eam reddere furi, sed domino. Interim videri potest *Lugo sup. n.37.* pro altera sententia (quam præfert) discurrens.

Nec obstat, quòd etiam prædo ante omnia sit restituendus c. *In litteris, de Restitut. Spoliat.* Nam fur in præsenti non est spoliatus, sed voluntariè exutus possessione rei. In casu etiam c. *In litteris*, supponitur prædo non esse legitimè convictus, neque in facto deprehensus, ut proinde sit prius judicandum, an sit prædo.

84. *Qui fructus sint restituendi ratione rei*

Pro fine nota, quod dum res aliena est fructifera, domino comparenti restituendi sint fructus extantes, non tamen bonâ fide consumpti, nisi in quantum consumens inde factus est ditior. An autem eatenus saltem restituendi sint, secluſa præscriptione, disputatur. Et quidem multi Jurisperiti negant, non sine fundamēto in jure, quod vide *disp.4.q.8.nu.160.* ubì de modis acquirendi dominium egimus. Idem videtur nō omnino improbabile *Lessio c.14. dub.2.* etsi oppositum putet verius; quod habet communis sententia, præsertim Theologorum. Non video tamen, quod ita faveat apertus textus *L. Si & ma & Titium 32. ff. de rebus creditis, si certum petetur*; utì scribit *Lessius sup.* & post eum *VVaggers.c.4.dub.1.num.3.* Idem *Lessius* referens *l.25. §. fin. ff. de Usuris*, censet haud æquum videri, quod ibi habetur, & alijs legibus contrarium; additque hujusmodi antinomias interdum reperiri in Digestis, quas frustra nituntur Interpretes conciliare. Estque indubie attentâ ratione, ac præscindendo à Legum dispositione inherendum doctrinæ apud Theologos receptiori. Non satis tamen ostenditur, per Leges haud potuisse dominium fructuum in se non extantium transferri simpliciter, adeoque sine onere restituendi in bonæ fidei possessorem (quod an factum, disputabile est) utì transfertur per usucapionem.

*bonâ fide accepta.*

## QUÆSTIO V.

## *Quo Ordine & Modo sit facienda Restitutio?*

85. *Ordo inter creditores servandus, dum debitor non est solvendo.*

Dum bona debitoris sunt sufficientia, omnibus creditoribus ad æqualitatem perfectam satisfaciendum esse constat. Neque tunc necessariò attenditur ordo vel præferentia (cujus utique prætermissio tamen tunc est damnosa) quæ aliàs attendenda est, quando creditor non est solvendo ex toto.

*Res in specie ex uni ante omnia reddenda.*

Certum autem in primis est, quòd cùm creditoribus sit satisfaciendum ex bonis debitoris, non ex alienis, ante omnia sit res aliena, si apud debitorem extet, ipsi domino restituenda. Quare etiam si dominus non appareat, seu incertus sit, certò tamen sit res aliena, est restituenda ijs, quibus bona incerta restitui debent. Unde si apud te sit ex delicto, debet restitui pauperibus, saltē ex juris Canonici dispositione. Idemque plerique censent, etsi sit inventa, vel ex justo contractu debita. Quamvis hoc non ita constet, quin immo à varijs negetur. Quorum opinioni inhærendo, posset ex ea satisfieri creditoribus, si dominus sciri nequeat, quatenus illa fit debitoris hoc ipso, quòd vult & potest eam sibi tamquam pauperi retinere. Immo consequenter dicendum videtur, ipsum ad hoc teneri: etsi contrarium insinuet *Lessius c.15. dub.1.n.6.* Quod planius est, si & ipse debitor sit pauper, qui sibi tamquam pauperi potest rem

*Quid si dominus sit incertus.*

applicare

applicare, adeoque applicatam dare creditoribus in solutionem. Nisi forte spe existente, ne quando dominus appareat, applicanda sit pauperibus, à quibus speratur restitutio, v.g. Xenodochio.

86. *Varia Corollaria.*

Hinc etiam si res empta vel alio contractu accepta non transierit in dominium debitoris, est ante omnia restituenda (nisi pretium justum & in contractum deductum detur) creditori seu potiùs domino, immo & ab hoc vindicari potest, in quemcumque translata foret. Quod locum habet in re per aliquem empta ab Ecclesia, Fisco, vel minore, quæ etiam tradita (ut ostendit *Lessius c.18. dub.1.n.7.*) non transit in dominium emptoris, etsi sit vendita credito, seu habitâ fide emptori, ante persolutionem pretii. Idem censent Doctores de re vendita vel alienata per metum seu coactionem, ut patet L. *Metum §. Cùm autem ff. quod metûs causâ.* Item quando res quælibet fuit ritè quidem vendita, aut etiam tradita, sed sine translatione dominii: quæ non fit, etiam quoad mobilia (immobilia vendita quî transeant in dominium emptoris moribus nostris, alibi dictum, & videre est apud *Val. Andream infrà*) nisi persoluto prezio, vel datâ emptori aliâ satisfactione, v. g. offerendo pignus aut fidejussorem, vel certè sequendo fidem emptoris, adeoque in ejus fide & verbo acquiescendo, perinde ac si pretium esset persolutum. Porrò fidem non habitam ferè per mores creditur, si solutio mox fieri debuit: habitam, si illa in diem dilata est, ut ait *Zypeus in Notit. Juris Belg. Tit. de reb. cred.* Videri etiam possunt Jurisconsulti citati à *Valerio Andrea in Addit. ad Instit. de rer. divis. n. 76.*

*Dominium rei venditæ & traditæ non transit semper in emptorem.*

*Quando transeat.*

*Quando præsumatur fides habita emptori.*

87. *An quando transijt res in dominium emptoris non persoluto pretio, venditor habeat in re præferentiam. Opinio affirmans.*

Sed controversia non levis est inter Doctores, an quando res vendita transijt in dominium emptoris, habitâ ei fide de pretio, & venditor non est solvendo omnibus creditoribus, maneat eadem res venditori obnoxia, quamdiu extat apud primum emptorem, sic ut ipsa vel pretium debeat integrè ei ante alios restitui.

Varii affirmant, *Baldus, Cajetanus, Joannes Medina, Navarrus*, & alii, quos citat & sequitur *Lessius cap. 15. dub. 2.* eò quòd videatur dissonum æquitati naturali (estque proinde singulariter durius, teste experientiâ) ut res apud emptorem adhuc exans insoluta assignetur alijs, venditore tam quoad rem, quàm quoad pretium defraudato; neque censeatur venditor transferendo dominium abdicasse jus saltem hujusmodi recursus. Secùs esse, si ulteriùs sit vendita tertio; utpote qui primo venditori nil debet; prout huic debet secundus venditor.

88. *Opinio negans præferiur.*

Oppositum nihilominus est in rigore juris verius, & docent *Covarruvias, Molina, Petrus Navarra, Malderus, Viggers, Lugo, Zoesius* & alii, tum Theologi, tum Jurisconsulti passim. Ratio est: quia translato rei venditæ dominio non manet ipsa venditori hypothecata, vel realiter affecta, sive jure naturæ (uti est in confesso) sive jure Gentium aut positivo, quod nullum ostenditur, vel cum solido fundamento allegatur. Neque etiam ex contrahentium conventione, quæ hîc nulla supponitur, & pari ratione afficere posset rem etiam apud ulteriores emptores existentem. Neque est cur ex æquitate naturali potiùs censeatur induci hypotheca inchoata, dum habita est fides emptori, quàm dum fides intercessit fidejussoris, qui fit impotens, sicut ipse emptor. Unde in foro etiam externo judex deberet ita secundùm rigorem juris (nisi alibi moribus temperatus sit) judicare. Videri potest *Zoesius ad ff. Qui potiores in pignore n. 12.*

89. *Occurritur objectioni.*

Nec obstat L. *Julianus 13. §.8. ff. de Act. empt.* ubi dicitur: *Venditor enim quasi pignus retinere potest eam rem, quam vendidit*, donec scilicet pretium solvatur. Nam inde potiùs à contrario sequitur, non esse quasi pignori locum, si venditor rem non retineat, sed fidem emptoris sequendo tradat, ac potestati emptoris cedat.

90. *Solutio certorum debitorum præferenda solutioni incertorum.*

Petes, an debita certa sint præferenda incertis (quæ quidem constat deberi, sed sciri nequit, quibus in particulari) etsi ex delicto contractis, dum non extant res, quæ sunt sub dominio damnificatorum vel creditorum? Resp. cum communi sententia Aff. quia secluso jure positivo, id omnino fieri posset, si non deberet; jus autem positivum decernens applicanda pauperibus (quod saltem extat circa debita incerta ex delicto) non censetur voluisse præjudicare juri certo aliorum. Et planè æquitas idem dictat fieri debere: sic ut hoc ipsum censerent ipsi damnificati aut creditores, & desuper interrogari possent. Accedit, quantum ad debita incerta citra delictum, ea probabiliter posse creditorem retinere sibi, adeoque videri obligatum, ut consequenter accrescat solutio certorum debitorum.

91. *Inter creditores præferendi hypothecarii.*

Inter creditores certos, ijs, qui sunt merè personales, seu chirographarii, necessariò præferendi sunt, etiam usque ad plenam satisfactionem juxta vires facultatum, hypothecarii, seu qui habent hypothecam in re, in quantum se ipsa hypotheca extendit *L. 9. C. Qui potiores in pignore*, idque sive sit expressa, ex voluntate scilicet cõtrahentium, sive tacita seu legalis, ex privilegio scilicet legis: quia nimirum ijs competit actio realis in hypothecam, eaque idcirco creditori ad securitatem datur, ut in omni eventu possit inde obtineri solutio.

92. *Inter hos præferendi tempore priores.*

Inter ipsos autem, qui super eadem re habent hypothecam, præferendi sunt priores tempore, non quoad contractionem debiti, sed quoad constitutionem hypothecæ,

thecæ, *L. 8. C. Qui potiores in pignore*; ut proinde etiam in ijs locum habeat *Regula 54. Jur. in 6. Qui prior est tempore, potior est jure.* Unde non solùm expressa sed etiam tacita prior præfertur expressæ posteriori, ut contra *Silvestrum* & *Navarrum* docet *Covarruvias*, *Lessius* & alii, & colligitur exemplo hypothecæ dotalis, quæ est tacita. Similiter hypotheca generalis, seu omnium bonorum præfertur speciali posteriori, ut contra *Silvestrum* patet ex *L. 2. ff. Qui potiores in pign.* & *L. 6. C. eod. tit.* Quod autem *L. 2. C. de pignor. & hypothecis* dicitur, tuum pignus posterius debere tibi salvum esse; intellige, si certò sufficiat habenti generalem hypothecam res alia specialis in hypothecam data ad plenam satisfactionem; cæ enim inde perceptâ, salvum manet alteri posterius pignus suum. Mechliniæ tamen hypothecam specialem posteriorem præferri priori generali refert *Christinæus ad Consuet. Mechlin. Tit. 13. a. 14.*

*Etsi posterioris hypotheca sit expressa.*

*Vel specialis.*

93. Varijs tamen casibus hypotheca posterior præfertur priori ex privilegio speciali legum. Sic hypotheca posterior munita per scripturam publicam præfertur priori, quæ nititur scripturâ privatâ (nisi & hæc trium saltem probatorum testium subscriptione sit munita) ut periculum fraudandi creditorem amoveretur. L. *Scripturas 11. C. Qui potiores in pign.* Simile est privilegium hypothecæ dotalis, item fisci in bonis debitoris, v. g. Receptorum seu Quæstorum. Advertendum tamen quantùm ad fiscum excipi causam pœnæ, quæ sequitur alios creditores, qui sunt ante pœnam *L. In summa 17. L. Quod placuit 37. ff. de jure fisci*; ne crimen debitoris redundet in detrimentum creditorum. Alios casus vide apud *Lessium c. 15. dub. 4. Zoesium ad ff. Qui potiores in pign. & ad ff. de Privil. creditorum. Gudelinum l. 4. de Jure Noviss. c. 18.* & reliquos Jurisperitos ad *d. Tit. Juris.*

*Niſi hypotheca posterior sit privilegiata.*

94. Post hos sequuntur creditores personales, qui nempe solùm personam, non autem rem aliquam debitoris sibi obligatam habent. Et inter hos (utì & cum proportione fit inter ipsos hypothecarios) præferendi, qui habent personæ privilegium prælationis, prout juxta *L. Quæsitum §. fin.* & *L. Interest ff. de Privil. credit.* habet sponsa de futuro in bonis sponsi ob dotem traditam non secuto matrimonio, & quidam alii, de quibus *Lessius*, *Zoesius*, *Gudelinus* locis citatis.

*Hypothecarios sequuntur creditores chirographarii.*

95. Specialiter autem privilegiati sunt sumptus funeris. Nam (ut *L. 45. ff. de religiosis & sumpt. funerum* dicitur) *impensa funeris semper ex hereditate deducitur, quæ etiam omne creditum solet præcedere, cùm bona solvendo non sint.* Immo juxta communem sententiam (ut refert *Lugo d. 20. s. 5. in princip.*) debitum hoc reliquis omnibus etiam hypothecis est præferendum: quod tamen varii, præsertim Jurisconsulti, non ita universaliter admittunt, ut videre est apud *Zoesium ad ff. Qui potiores in pign.* & *Gudelinum sup.* Intelligunt id autem Doctores de eo, quod contractum est ratione funeris ipsius debitoris, vel ejus sumptibus sepeliendi, puta uxoris aut filii. Et quidem de moderatis: sumptus enim ad pompam spectantes non possunt adhiberi (nisi quis velit de suo) neque debent à creditoribus, circa tales meritò invitis, compensari. Extendi etiam id solet ad sumptus factos causâ hereditatis, v. g. pro scriptione testamenti, pro confectione inventarii, pro conservatione supellectilis, & similibus necessariò adhibendis, tùm in bonum ipsorum creditorum.

*Impensa funeris quomodo privilegiata.*

*Dum tamen moderata sint.*

*Ad quos idem extendatur.*

96. Inter ceteros, creditores ex titulo seu contractu oneroso, vel delicto ceteris paribus sunt præferendi ijs, quibus aliquid debetur ex titulo gratuito seu contractu lucroso, juxta communem sententiam Doctorum, ut refert & sequitur *Lugo d. 20. s. 7. §. 1.* Nam in gratuita promissione censetur meritò subintelligi conditio, nisi status rerum mutetur, vel nisi strictior obligatio sive impedimentum obstet. Unde *L. Inter eos §. Is quoque ff. de re judicata*, dicitur: *Qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest, condemnatur & quidem is solus, deducto ære alieno.*

*Creditores ex contractu oneroso præferendi ijs, qui ex gratuito.*

97. Creditoribus succedunt legatarii: cùm enim legata ex bonis defuncti præstanda sint (quæ non nisi deducto ære alieno seu omnibus debitis intelliguntur) idcirco omnibus creditoribus legatarii postponuntur; à quibus etiam jam accepta avocare possunt creditores, ut sint indemnes, *L. 4. ff. de Separationibus*, *L. Scimus §. Sin verò C. de jure deliberandi.* Heres nihilominus (qui aliàs tantum habet, quod superest solutis debitis & legatis) potest detrahere legatis, quantum necesse ad obtinendam legitimam, si sit necessarius: vel quartam bonorum, quæ vocatur Falcidia, si sit heres non necessarius, ut habet *Lessius sup. n. 35.*

*Creditoribus succedunt Legatarii.*

*Quid tandem competat heredi.*

98. Prædicta verò jure constituta sunt ex æquitate ad publicum bonum, neque nituntur solùm in aliqua præsumptione, adeoque sunt etiam in conscientia observanda, juxta Doctores communiter: nisi in variis locis mores vel leges municipales prævaleant, adeoque servandæ ibidem, aliud interdum habeant. Prout in his Regionibus ex Edicto Caroli V. (ut refert *Gudelinus L. 4. de jure Noviss. c. 18.*) nulla dotium, quæ à mercatoribus constituuntur, est prærogativa: eò quòd sæpenumerò immensæ dotes à mercatoribus in fraudem suorum creditorum dicerentur. Attamen Antuerpiæ, quod mulier ex una parte intulit, viâ præferentiæ efferre potest ante creditores personales; etsi pro rebus in victum traditis alijsque nonnullis ex causis etiam ipsa obligetur, ut refert *Zypæus in Notit. Jur. Belg. Tit. de hereditate vel actione vendita.*

*Leges statuta sunt quoad præsens in conscientia observanda.*

*Mores varij circa præferentiam dotis.*

Similiter

99. *Mercedes famulorum &c. sunt hic privilegiata.*

Similiter moribus nostris privilegiata censetur causa mercedum famulorum & artificum, rerum in victum & medicinam traditarum, medicorum honoraria & similia: Sed ante omnes sumptus funeris moderati pro qualitate defuncti, ut refert *Zypæus in Notit. jur. Belg. Tit. de Executione rei judicatæ* addens ex *Christineo* ità judicatum in Curia Mechlinensi. Præterea mores receperunt, in redditibus annuis, qui ex re præstantur, & jus quoddam proprietati æquè simile, atque hypothecæ continent, vi illorum actionem hypothecariam contra possessorem dari in solidum, ut refert *Zypæus sup. Tit. De hæredit. vel act. vendita.* Verùm (ut ait *Zoesius in ff. Qui potiores in pign. n. 5.*) moribus nostris non aliàs hypotheca afficit rem immobilem, nisi adhibitis operis legis, id est, coram loci judice, ubi res sitæ. De ordine inter creditores servando juxta consuetudines Mechlinienses fusè & pertinenter tractat *Christinæus ad leg. municipal. Mechl. Tit. 13.* meritò in ordine ad praxim videndus.

*Quid de redditibus.*

*Quid exigatur, ut hypotheca rem afficiat.*

100. *Pauperes creditores an ditioribus præferendi.*

Dubitatur autem I. An secluso alio prælationis privilegio, possint pauperes præferri ditioribus. Affirmant nonnulli, & refertur etiam *D. Thomas Opusc. 73. c. 18.* Sed communis & vera sententia negat, nisi fortè extrema vel gravis paupertas subsit, quæ ex charitate sit per hujusmodi præferentiam sublevanda. Aliàs enim non constat eis aliquod prælationis privilegium competere, sive ex jure positivo, sive ex jure naturæ; quia dives & pauper æquale jus habent ad sibi debita, etsi pauper majus patiatur incommodum.

101. *An debita ex delicto sint præferenda debitis ex contractu, vel contra.*

Dubitatur II. An inter creditores personales præferendi sint, quibus aliqua sunt debita ex delicto ijs, quibus aliqua debentur ex contractu oneroso, ut vult *Joannes Medina, Salon, & D. Thomas Opusc. 73. cap. 18.* (quod tamen non esse ipsius, utpote distincto charactere in editione Romana impressum, notat *Sylvius q. 62. a. 8. quæst. 2. concl. 7.*) ut refert *VViggers c. 5. dub. 4.* An verò è contrà, ut vult *Cajetanus, Navarrus, Bartholomæus Medina*, & quidam alii juxta *VViggers sup.* Resp. cum communiori sententia non esse inter hos prælationem, sed (si aliud privilegium particulare desit) concurrere creditores eorumdem in pari gradu, ijsque pro rata satisfaciendum. Ratio est: quia de hujusmodi præferentia nil est jure positivo statutum, ut patet: nulla quoque ratio urget illam, attento jure naturæ. Confirmatur: quia est æqualitas debiti justitiæ, ergo in debitis ex delicto præsupponatur major injuria, quæ præcisa damno (quod est æquale) ad summum confert jus ad aliquam satisfactionem personalem. A majori quidem peccato priùs est recedendum; at receditur per veram pœnitentiam, cum proposito restituendi singulis juxta gradum obligationis, quæ est æqualis. Sic ut quamvis in contractu delictum non supponatur, sequeretur tamen, si creditore invito non fieret proportionata restitutio, qui illam rationabiliter exigit, & ne omittatur, est meritò invitus: adeoque dum spes est restitutionis, æqualiter concurrere nititur. Nec etiam favet opinioni *Bartholomæi Medina*, quòd debitum ex contractu involvat obligationem, tum justitiæ, tum fidelitatis: accessoria enim hæc seu secundaria obligatio non potest præjudicare juri alieno, cùm fidelitas sine hujusmodi præjudicio tertii sit alteri servanda: utì idcirco non prodesset iterata solutionis alicui faciendæ promissio, ut ceteris alioquin paribus præferatur.

Dubitatur III. An inter creditores personales sint præferēdi priores tempore juxta Regulam juris: *Qui prior est tempore, potior est jure?* Affirmat *Lugo d. 20. sect. 7. §. 2.* & plurimi alii gravissimi Doctores ex eadem regula. Vi cujus etiam inter dignitate pares datur præferentia ei, qui tempore est prior. Idemque in præsenti videtur satis consonum æquitati: quando enim priores creditores jus acceperunt, debitor erat magis solvendo, ac proinde æquum apparet, ut non fraudentur ob alia debita subsequentia, quæ cum detrimento priorum creditorum contracta sunt. Unde etiam qui promisit matrimonium duabus, obligatur priorem ducere. Nec refert, quòd *L. 1. §. 2. ff. de Separat.* dicitur: *Licet aliquis adjiciendo sibi creditorem, creditoris sui deteriorem facere conditionem.* Nam fit adhuc prioris conditio deterior, quatenus alter priùs petendo potest efficere se potiorem.

102. *Inter creditores personales an prior tempore sit præferendus. Opinio affirmans satis consona æquitati.*

Oppositum nihilominus tamquam verius docet *Lessius c. 15. dub. 6.* referens *Antoninum, Silvestrum* & alios passim. Videturque communis sententia, ac in praxi etiam forensi recepta Jurisconsultorum, *Baldi, Zoesii, Tuldeni, Gudelini* & aliorum. Ratio est: quia juxta leges, omnes hujusmodi creditores censentur conditione pares, sic ut singulis sit pro rata debiti solvendum; ut patet *L. Privilegia ff. de privil. creditorum L. 6. C. de bonis auctoritat. jud. possid.* Apertè etiam favet *L. 1. ff. de Separat.* quæ planè præter mentem detorquetur ac restringitur ad modum ibi ab adversarijs allegatum. Simili ratione *L. Si hominem §. fin. ff. Depositi* dicuntur omnes deponentes esse simul sine ordine admittendi. Proinde regula juris respicit tantùm hypothecarios, obtinentes dignitates, alioquin casus, de quibus canones aut leges sic disponunt, vel non statuunt oppositum; ut proinde expressiori derogatione opus fuisset contra leges aliud in præsenti satis aperte statuentes. Et saltem leges (secundùm quas censentur contractus ex mente contrahentium fieri, & quæ favent indifferenter omnibus

103. *Negativa ex rigore juris verior.*

bus pro re nata) id statuunt; prout statuere possunt; ad vitandas litium molestias, & ob commiserationem cum posterioribus creditoribus; utì etiam hypothecam posteriorem interdum priori ex causa præferunt. Quamvis alioquin regulariter inter hypothecarios tempus faciat potiorem creditorem, utì inter chyrographarios causa, ob quam privilegium prælationis fuerit concessum.

104. *Prius petentes qui præferendi.*

Quo cessante, adhuc potior fit causa priùs petentis, adeoque sibi vigilans accipiendo debitum, potior est, etiamsi sciverit debitorem non esse solvendo, antequam bona debitoris auctoritate judicis occupentur seu possideantur à creditoribus (per possessionem jus omnium fit æquale) vigilantibus enim jura subveniunt. Idque expresse habetur *L. Quod autem 6. § Sciendum ff. Quæ in fraudem creditorum.* Quod & locum habet, si sententiam quis pro se obtinuerit, simul & executionem ante alios; adeò ut & potior sit, qui priùs obtinet executionem, etsi posteriùs sententiam *L. 19. ff. de re judicata.* Additque *Zoesius ad ff. Qui potiores in pignore*, citans *L. 6. & 8. C. de distract. pignor* (ubì tamen nil apparet ad propositum) si fiat executio nomine posterioris auctoritate publicâ, videri obesse priori hypothecario, scienti tamen & tacenti.

*Si præoccupans sententiam cum executione.*

105. *Nequit creditor sanctificari sponte uni præ alijs non petentibus solvendo.*

Nota, non posse debitorem sine gravi peccato sponte suâ gratificando præferre unum creditorem personalem non petentem alteri; aliàs enim facit huic præjudicium, cui æquè est obligatus. Creditor nihilominus juxta *Lessium c. 15. dub. 5. V Viggers c. 5. dub. 6.* & alios, potest sic solutum retinere, non solùm pro foro externo (quod patet ex *L. Quod autem*, & *L. Pupillus ff. Quæ in fraudem credit.*) sed etiam pro foro conscientiæ, eò quòd leges prædictæ non fundentur in præsumptione, adeoque locum habeant etiam in conscientia, concedendo majus jus creditori in sic solutum, quod quidem proprium erat debitoris, neque in sua specie alijs obligatum; utpote qui solùm habent jus in personam debitoris, non tamen negotio acceptem oblatam solutionem, ad quam etiam offerendam poteram petitione incitare. Immo prædicti Doctores idem censent cum *Molina Tr. 2. disp. 536.* etsi alii creditores prætermissi habeant privilegium merè personale præferentiæ; utpote quod non facit rem ipsam ijs obligatam. Quamquam præmissis contradicat *Sylvius qu. 62. Quæsito 2. Conclus. 8.* eò quòd acceptatio solutionis videatur cooperatio ad actionem injustam debitoris. Ad quod tamen in favorem prioris sententiæ responderi posset, istam cooperationem ex parte acceptantium non esse injustam, cum ad acceptandum jus habeant, vi legum. Præterea obligatione spontanea etsi injustâ prævia, acceptas non solet omittere expectationem desiderii de solutione, quam proinde censetur petere, sicque prior fieri.

*An hi solutum retinere queat.*

Petes an debitor, qui non est solvendo, possit repudiare hereditatem oblatam aut legatum, quando hâc vi posset providere creditoribus de pleniori, aut etiam plenissima solutione? Resp. Neg. Justitia enim, utì obligat debitorem ad solutionem, sic etiam ad media, quantum saltem absque incommodo suo notabili potest, procuranda, adeoque potius ad non repudianda, quæ sponte offeruntur. Leges autem, quas adfert (nisi in responsione non dissentiat quoad forum conscientiæ) *Sanchez, l. 6. de Matrim. d. 4. n. 8.* solùm negant in foro externo actionem rescissoriam repudiationis, etsi ab eis non approbatæ.

106. *Debitor, qui non est solvendo, nequit repudiare oblatam hereditatem.*

## QUÆSTIO VI.

### *Quo Loco, Cujus onere, Quomodo, Quando facienda Restitutio?*

107. *Res in delicto ablata esse semnibus dilucide restituenda.*

Resp. I. Si restitutio sit debita ex delicto, facienda est expensis & periculo restituentis eo loco, quo res foret, si culpabiliter subtracta non fuisset. Nam ex lege justitiæ debet ita fieri restitutio, ut dominus ex iniqua acceptione nullum patiatur detrimentum; ergo debitor debet ferre illas expensas, easque suæ injustitiæ imputare.

Dices, ergo tenebitur ad amplius, quàm ad rei ablatæ compensationem. Resp. non teneri amplius domino dare, debere tamen adhibere media; ut dominus, quod suum est, recipiat. Nec refert, quòd fortè dominus migraverit ad locum remotiorem: nam ipse ratione injustitiæ alterius non debet amittere libertatem se transferendi, & si res illæ inter alia bona creditoris remansissent, fortè parvo vel nullo sumptu translatæ fuissent. Si tamen in illius rei transportatione debuisset dominus facere particulares sumptus, illi deduci poterunt: non enim tenetur cum lucro domini restituere.

108. *Quid si sumptus sint notabiles.*

Advertendum hîc est, si res in præsenti non possit sine magnis sumptibus restitui, ex quadam æquitate posse nonnihil differri restitutionem: modò dominus inde nihil vel parum damni patiatur. Si verò is fuerit rerum status, ut nisi in præsenti fiat, numquam fieri poterit restitutio, tenetur injustus acceptor, etsi magnis sumptibus, immo valori rei æquivalentibus, rem vel ejus pretium emittere: quia propter hoc non debet creditor in perpetuum re suâ privari, nisi probabile foret, domino non displiciturum, quòd eo casu pauperibus vel amicis distribuatur. Quòd si ambiguum foret, per litteras peti debet. Si autem res injustè accepta sit parvi momenti, & absque

que duplo vel triplo sumptu restitui aliquando nequeat, tunc præsumi posset domino non displicere, si ea pauperibus præsertim amicis distribuatur.

109. *Quid si commissa restitutio fideli nuntio, aut confessario negligatur.*

Hinc sequitur, quòd si per fidelem nuntium, aut confessarium restitui curaverit, & is non restituat, vel perdat, adhuc in rigore manet obligatus: suo enim periculo debet facere restitutionem. Et iniquus acceptor etiam casus fortuitos tenetur domino præstare.

Nec obstat, quod (ut nonnulli objiciunt) talis fecerit quidquid in talibus circumstantijs facere potuit & debuit: nam etiam qui impotens hîc & nunc satisfacere plenè à satisfaciendo abstinet, facit quod hîc & nunc facere debuit (ut scilicet non peccet) & tamen manet obligatus. Itaque non facit, quod adhuc postea facere potest & debet, nempe ut dominus cum effectu recipiat, quod suum est.

110. *Ubi & cujus onere faciunda restitutio debita ex re accepta.*

Resp. II. Si restitutio debeatur solùm ratione rei acceptæ, restituenda est res in loco, ubì habetur, nec est necesse eam mittere domino expensis proprijs, sed domini; ut si bonâ fide emeris rem à fure, non teneris cum tuo damno dominum quærere, vel ei rem suam transmittere; cùm enim ipsum pet injuriam re suâ non privaveris, æquum non est, ut graveris. Unde eo monito, quomodo velit rem sibi transmitti, solùm interim teneris ad custodiam, in qua si sumptus faciendi sint, tenetur eos dominus refundere *L. 2. ff. de Negotijs gestis.* Immo si contingat debitorem mutare locum, & non posset tutò deponere rem apud alium, potest illam secum avehere, sumptusque etiam in avectione adhibitos à domino repetere.

111. *Si res eadem numero sit reddi debita ex contractu, ubi restituenda sit.*

Resp. III. Si restitutio sit debita ex contractu, quo eadem numero res debet reddi, v. g. in depositio, commodato, locato, conducto, facienda est (nisi interdum aliter justè conventum sit) eo loco, ubì fuerat accepta: sicut enim eadem res quoad substantiam, sic & quoad locum, reponenda est, sicque perfectissimè ponitur æqualitas. Ut proinde commodatarius non teneatur rem mittere ad locum procul distantem ab eo, in quo rem accepit. Quòd si in restitutione ordinaria sint faciendæ expensæ, æquitas postulat, ut is illas ferat, in cujus commodum res fuit à loco abducta, adeoque ipse contractus cedit, v. g. in commodato commodatarius, in depositio gratuito deponens. Ex quo videtur sequi, quòd si cedat in favorem seu commodum utriusque, v. g. locatum conductum, debeat rationem spectando restitutio fieri sumptibus utriusque pro rata, secluso alio pacto vel consuetudine probatâ. Periculum autem casus fortuiti, quo res periret aut raperetur in via v. g. subire debet ipse rei dominus, cui citra culpam tertii aut aliud pactum, res propria perit. Qualiter autem pereat depositario, commodatario v. g. suppositâ culpâ, in superioribus dictum est.

*Cujus expensis.*

*Cujus periculo.*

Resp. IV. Si debitum sit ex contractu, quo reddenda est alia res pro ea, quæ fuit accepta (v. g. in mutuo & venditione) restituenda est eo loco, ubì priores fuit accepta seu tradita, v. g. pecunia data mutuo Antuerpiæ, ibidem reddenda, pretium mercis ibi venditæ & à mercatore traditæ ibidem solvendum: sic enim perfectissimè substituitur una res loco alterius, prout vi similium contractuum est faciendum. Hinc etiam debitor censûs tenetur canones annuos solvere in loco, ubì est res censui obligata, cujus veluti fructus sunt annuæ pensiones, fructus autem (nisi aliter conventum) solvendus, ubì nascitur. Aliud tamen potest interdum in pactum deduci, dum tamen onus alteruri obveniens debitè compensetur. Periculum autem in mittendo interveniens, subire debet (nisi aliter justè conventum) is, cujus est res, quæ tradenda seu reddenda mittitur: res enim seclusâ culpâ, pacto seu mandato vel commissione sufficienti creditoris, domino suo perit. Unde mittens per alium mercatori pretium mercis venditæ, si in via ipsum pereat, mittenti perit, qui proinde venditori manet obligatus, donec ei vel ejus commissionem habenti pretium tradatur. Quo facit c. *Significante de pignoribus.*

112. *Quid si res alia sit vi contractus restituenda.*

Resp. V. Danda alteri vi donationis, legationis &c. nisi aliter in dispositione exprimatur, debentur in loco, ubì donata sunt: adeoque expensis creditoris ad alium transferuntur. Nam donator non censetur se vel heredes ad amplius obligare, quàm ut rem donatam alteri permittant. Si tamen post donationem heres aliò se transferret, deberet in priori loco solvere.

113. *Donata vel legata ubì solvenda.*

Resp. VI. Occulta ex delicto debita, vel ubì aliàs periculum infamiæ, occultè publica publicè restituenda sunt, sic ut de restitutione saltem postea publicè constet, ad tollendam offensam aliorum, v. g. in publicis usuris. Deinde res ordinis inferioris non sunt restituendæ cum notabili respectivè detrimento in bonis ordinis superioris. Præterea restitutio non per partes, sed tota simul, quantum fieri potest, facienda est; nisi creditor sit contentus, vel aliter conventum sit: conditiones enim justi pacti sunt servandæ. Denique perinde est, sive per se, sive per alium fiat restitutio. Et quidem posterior modus in casu vitandæ infamiæ adhibendus est ita, ut committens alteri restitutionem, certioretur sufficienter de impleta commissione. Vide *Bonacina de restit. d. 1. quæst. 7. p. unic.*

114. *Quomodo debita sint restituenda.*

Resp. VII. Debita ex re accepta vel delicto sunt statim, seu primâ opportunitate, moraliter loquendo, restituenda, nisi dominus

115. *Quando sit faciendæ debitorum*

*Solutio seu restitutio.*

dominus aut creditor dilationem concedat, vel nisi hîc & nunc dilationi irrationabiliter contradicat, adeoque irrationabiliter invitus sit. Aliàs enim præceptum non detinendi alienum invito domino jugiter urget. Quando verò debitum restituendi seu solvendi est ex contractu, solutio est facienda tempore, quo inter partes expressè vel tacitè conventum est: eoque tranlacto debitor potens & non solvens (nisi adsit consensus creditoris) est in mora culpabili cum injuria creditoris; adeoque cum obligatione compensandi damna seu interesse. Neque est necesse, ut creditor moneat, ipsa enim dies seu tempus sufficienter pro eo interpellat. Si tamen debitor paratus sit tempore & loco statuto solvere, sed alter nolit recipere, aut dilationem concedat, aut absit nullo procuratore constituto, debitor interea immunis est à culpa moræ, & incommodis annexis. Utì etiam juxta *Malderum*, *Bonacina* & alios apud *Diana P. 2. Tr. 1. Miscell. Resol. 49.* debitor aliàs inculpabiliter morosus, non tenetur ad damna seu interesse, quæ procedunt ex mora inculpabili, nisi specialiter conventum sit: nequit enim obligari, nisi ex culpa vel pacto.

*Damna ex dilata solutione debitorum ratione contractus quis pati cogatur.*

116. *Quid si terminus non sit præfixus, & creditor non urgeat. Ante diem an rectè fiat solutio.*

Quando denique non fuit constitutus terminus ad solvendum, & creditor non urget (nisi id omittat ex metu, oblivione, similive causâ, prout frequenter contingit) dilatio non est graviter culpabilis, etsi planè dissuadenda. E contrà verò suadenda acceleratio: nam qui citò dat, bis dat. Sic ut etiam tempus in contractu præfixum præveniri queat, quando nimirum in favorem, ut assolet, debitoris dies adjectus est: quilibet enim favori suo renuntiare potest. Secùs foret, si adjectus sit (quod rarum) in gratiam creditoris; cum nulli jus suum vel commoditas minuenda sit. Atque ita procederet opinio. *Cujacii*, juxtà *Zoesium ad ff. de Solutionibus n. 31.*

## QUÆSTIO VII.

### *Quæ causæ excusent à Restitutione?*

117. *Compensatio liquidi debiti excusat à restitutione.*

PRIMÒ excusat debita compensatio sive reciproca coæquatio, *L. Si ambo ff. de Compensationibus*, quando duo sunt invicem creditores, adeoque creditum unius absumit debitum alterius, & contrà. Compensatio enim censetur debiti solutio, *L. Si debitor, ff. Qui pot. in pignore.* Ut tamen admittatur in judicio, oportet debitum esse liquidũ, cujus nimirum probatio in promptu sit, *L. fin. C. de Compensat.* & c. *Bona fides, in fine, de deposito.* Quando autem sit tale, relinquitur judicis arbitrio, juxta sententiam communiorem. Habetque compensatio locum in debitis ejusdem rationis (demptis quibusdam casibus, in quibus pro foro judiciali seu externo dumtaxat, ei non est locus; quos refert *Castro Palao de Justit. commutat. d. 1. p. 16. §. 2. num. 12.*) etsi etiam in debitis rerum, quæ (ut Juristæ loquuntur) functionem non recipiunt, locus maneat retentioni: potes enim v. g. retinere gemmam instar pignoris, donec alter tibi vestem, pecuniam, aliudve debitum solvat.

*In quibus debitis locum habeat.*

Non est denique locus huic compensationi, quando debitum est tantùm ex una parte contractum. Quo tamen casu est locus alteri compensationi, quæ sit rei tibi debitæ recuperatio. Quæ non licet auctoritate propriâ; quando sine gravi difficultate potest solutio obtineri petendo à debitore, vel interpellando judicem; cujus alioquin officium assumitur in propria causa, cum pernicie (quæ sequeretur ex talibus agendi modis, si liceret) reipublicæ. Ubi bene notandum, famulos, & similes plerumque de insufficientia stipendii conqueri sine sufficienti ad compensationem (quæ proinde vix illis permittenda) fundamento; esto etiam videatur stipendium minus ordinario: hoc enim ex varia consideratione gradus habet. Immo adhuc sæpe commiseratio exhibetur sponte petenti; nec aliàs invenienti servitium, aut minùs idoneo, vel necessariò ipsi domino. Vide de hac compensatione dicta *supra n. 20. & 21.*

118. *Ab hac distinguitur illa, quæ est debiti recuperatio. Quando hæc licet.*

*Notanda quod hic circa famuleos.*

Secundò excusat debiti remissio voluntaria (quæ requirit absentiam violentiæ, sive metûs & fraudis) sive expressa, sive tacita, sive verbis, sive factis (v.g. chirographum rumpendo, cancellando, debitori reddendo &c.) exercita à creditore potente, nec specialiter prohibito remittere. Prout Canonici ex *Tridentino sess. 24. cap. 18. de reform.* redduntur inhabiles ad remittendum distributiones alijs sine causa legitima à choro sese absentantibus, & Ecclesia c. *Exigit, de Censibus in 6.* ad remittendum ea, quæ Episcopus visitans accipit ultra ei permissa in c. *Romana eod. tit.* servatâ moderatione Bonifacij VIII. c. *Felicis eod.* Similiter judex delegatus, non obstante remissione, tenetur reddere accepta, etiam sponte oblata, ultra esculenta & poculenta, quæ intra paucos dies consumi possent, aut (si absit à domicilio) ultra moderatas expensas; vel etiam hæc ipsa à partibus notabiliter indigentibus accepta c. *Statutum §. Insuper* juncto *§. Si quid, de Rescriptis in 6.* Videri etiam potest c. *Cum ab omni, de Vita & honest. Cleric.*

119. *Qualiter excusat debiti remissio.*

*Quidam specialiter interdicti remittere.*

Tertiò excusat interim remissio seu compositio facta cum Pontifice super debitis incertis, aliàs pauperibus seu pijs causis, aut Ecclesiæ applicandis ex jure, in quo potest Pontifex dispensare, vel etiam danda Ecclesiæ condonare ei, à quo accepta sunt; quod censetur implicitè facere, dum

120. *Compositio cum Pontifice quo ex capite.*

dum secum componitur. Immo ratione potestatis indirectæ in temporalia idem interdum potest, exigente id bono spirituali, præsertim communi, circa debita certa. Circa quæ manifestiùs idem potest, supposito delicto creditoris, v. g. hæresi aut simili, ob quod posset bona, adeoque debita confiscare, & consequenter ipsos debitores ab iis solvendis liberare.

121. *Excusat etiam debitoris impotentia, dum durat.*

Quartò excusat impotentia debitoris, eâ durante (quâ tamen sublatâ revivisceit obligatio, ad tempus consopita potiùs quàm extincta) cùm nemo teneatur ad impossibile.

122. *Vis & extrema necessitas.*

Quintò excusat necessitas, & in primis extrema debitoris (ad quam etiam referunt Doctores similem necessitatem uxoris, parentum, prolium, & juxta Nonnullos etiam fratrum, quod tamen alii negant) in qua juxta commune dictum omnia sunt communia. Quo etiam facit c. *Exut, de verb. signif. in 6.*

*An subtractione rei possit dominus conjici in similem necessitatem.*

Non posset tamen sine iniquitate & injustitia per ipsam subtractionem rei alienæ dominus conjici in similem necessitatem, immo res sic subtracta deberet restitui: cùm enim duobus est æquè necessaria, indubiè præferendus est possidens, qui simul est dominus. A quo proinde rem tali casu auferre, est ipsum velut occidere. Unde nequit dominus dejici ab equo salvans fugâ vitam, ut tu salves tuam? Ita communiter Doctores.

123. *Quid si aliunde in illam simul cum debitore inciderit.*

Si autem creditor seu dominus aliunde quàm ex rei ablatione inciderit in extremam necessitatem, licet simul cum debitore, non tenetur hic eam reddere juxta *Cajetanum, Soto, Toletum*, quos refert & sequitur *Wiggers Tr. 3. c. 6. dub. 1.* quamvis (ut addit) *Navarrus c. 17. num. 6.* aliter videatur sentire; ubi tamen nil habet ad propositum, sed *num. 60.* loquens de re, cujus dominium mansit penes creditorem, aliudque expressè docens de re, quæ est sub dominio debitoris. Quæ quidem doctrina (quam etiam alii Doctores tenent) fundatur in hoc, quòd in priori casu debitor possideat rem suam, ideoque melior sit ejus in tali casu conditio? in posteriori autem casu, cùm utrimque sit æqua necessitas, melior sit conditio ipsius domini, cujus etiam possessio civilis seu juris est naturali alterius possessioni præferenda.

124. *Scotus malè à Wiggers taxatus.*

Et de hoc casu loquitur *Scotus 4. d. 15. q. 2. num. 36.* cujus sententiam (quam apud *Cavellum in Scolio* tenent *Richardus, Gabriel, Angelus, Silvester, Rosella, Armilla*, & præter hos alii plures) ab omnibus aliis rejici ex *Toleto* retulerat *Wiggers sup.* referens tamen postea pro eadem *Navarrum*: eamdemque haberi improbabilem ibidem subdit, sed hoc ipsum dicit valdè improbabiliter. Immo non improbabile est, generatim debitorem teneri restituere domino in *Quid si dominus post. in necessitatem similem inciderit.* simili necessitate constituto & sua repetenti, etsi posteriùs in necessitatem incideret: eò quòd non teneatur à repetenda re sua abstinere ob similem alterius necessitatem, in qua & vitam, & præterea rem suam perdat. Recepta tamen satis sententia admittit debitorem tali casu esse potiorem ratione præhabitæ justæ possessionis ac juris retinendi, à quo per supervenientem alterius necessitatem videtur non deturbandus.

125. *An consumpta in eadem sint postmodum restituenda,*

Petes, an translatâ extremâ necessitate sit facienda restitutio in ea consumptorum? Resp. indubiè teneri, quando solus usus sine consumptione erat necessarius ad succurrendum necessitati. Idem est, si res consumpta erat in dominio debitoris, v. g. ex mutuo, venditione &c. poterat enim succurrere suæ necessitati de propriis, quæ domino suo pereunt. Si manserat in dominio creditoris, non ita consentiunt Doctores. Videtur tamen dicendum, omnino manere obligationem restituendi: cùm necessitas extrema non transferat jura, nisi quantum necesse est ad ei subveniendum; ad quod non requiritur nisi usus & necessaria consumptio, etsi manente onere restitutionis. Quod maximè locum habet, si res prius erat iniquè accepta: obligatio enim restituendi priùs contracta ex iniqua acceptione videtur Doctoribus communiùs & *Scoto sup. num. 37.* solùm sopiri, non extingui. Quando tamen fuisset justè occupata in ipsa necessitate, indicat *Scotus sup.* & tenent plures alii, non esse natam, adeoque non manere postea obligationem restituendi. Quod meritò asseritur, quando accipiens est re & spe pauper, cui res ista erat necessariò in eleëmosynam gratis conferenda.

126. *Qualiter excuset gravis necessitas, aut eversio status.*

Præterea ex communi Doctorum sententia excusat gravis valdè necessitas nuditatis, famis, morbi &c. quò etiam spectat eversio statûs justè acquisiti, juxta eosdem Doctores: adeò ut hac de causa solutio debiti ex communi sententia saltem sopiatur & licitè differatur in tempus commodius, quo necessitas ista cesset. Quò facit Regula *Scoti 4. d. 15. quæst. 2. num. 33.* communiter laudata & recepta: *Licet detinere rem alienam, quando ille cujus est, debet velle eam rationabiliter detineri.* In casu tamen paris hujusmodi necessitatis ob hanc ipsam regulam videtur restitutio facienda domino, præsertim illam petenti: cujus nimirum conditio melior est, saltem citra necessitatem extremam, quique posset etiam jure rem tali casu repetere; cùm æquum non sit, ut ex re alteri debita quis suam angustiam sublevet cum pari angustia alterius, qui insuper re suâ carere cogeretur.

*Obstat pars domini seu creditoris necessitas.*

Quòd si status sit injustè acquisitus,

127. *Status injustè acquisitus potiùs evertendus est.*

v.g. ex usuris, rapinis &c. ob gatur debitor mox eum deserere: uti fur, qui ex millenis furto ablatis familiam suam auxisset, domum ornasset &c. Aliàs enim esset iniquis obvia contra restitutionem evasio, augendo statum ex acquisitis per injustitias. Quin immo talis potiùs possidet statum alienum, quàm suum; qui utique ex propriis, non ex alienis aut alteri jure obstrictis assurgere debet. Si etiam per ludos & compotationes similesque inordinationes voluntarie se in tales angustias conjecisset, dilationem restitutionis non meretur, sed sibi ponenti causam debet effectum imputare.

*Quid si per luxum quis se in angustias conjecerit.*

128. *Spes lucri non suspendit obligationem restituendi.*

Petes, an spes lucri notabilis sit sufficiens causa suspendendi restitutionem? Resp. Neg. cum *Navarro* & aliis passim; eò quòd per restitutionem nil de suis aut alteri indebitis perdatur, sed solùm cesset prosperatio debitoris ex re aliena seu alteri obligata; quam creditor non debet curare. Itaque spes lucri, quæ nititur alienis seu alteri debitis, neqeit reservari potiùs, quàm ipsa res aliena detineri.

*Limitatio.*

Æquitati tamen satis consentaneum apparet, ut, si spes lucri propinqua sit, unde debitor potens fiat etiam aliis creditoribus satisfacere, dilatio tantilli temporis ei à creditore v. g. privilegiato concedatur. Lex enim charitatis dictat jacturam tertii impedire, cùm absque gravi incommodo proprio fieri potest.

129. *Periculum animæ qualiter debitorem excusset.*

Addunt præterea Doctores subinde excusare à restitutione statim facienda periculum notabile (quod aliter commodè averti nequeat, neque in malitia seu lascivia, sed in angustia subito premente, fundetur) desperationis, aut ne filiæ se prostituant, latrociniis filii se dedant ratione paupertatis. Item si multò gravius detrimentum debitor pati debeat in bonis alteri non debitis, v. g. domum cum gravi admodum jactura vendendo, quàm postea opportuniùs & utiliùs vendere posset. Nam in similibus casibus creditor secundùm charitatem & æquitatem, adeoque rectam rationem meritò consentire debet in dilationem. Quia tamen periculum peccandi potest voluntate illud subeuntium averti, esto difficulter, accedens grave damnum creditoris facit, ut is non teneatur in dilationem consentire, adeoque debitor teneatur alterius damno per restitutionem occurrere.

*Aut incommodum longè gravius aliàs subeundum.*

130. *Restitutio differenda si Dominus sit re abusurus in damnum tertii.*

Petes, an similiter differre possis restitutionem, quando ipsa creditur allatura nocumentum creditori vel alicui tertio? Resp. si nocumentum sit contra justitiam, quod nimirum cederet in injuriam tertii, potes & debes ex communi Doctorum sententia differre restitutionem, si fieri possit absque gravi detrimento proprio; non solùm ex lege charitatis, cùm sic possis, adeoque tenearis innocenti grave damnum contra voluntatem passuro prospicere: sed juxta Doctores communiùs etiam ex lege justitiæ, quæ vetat, ne coopereris moraliter injustitiæ alterius, prout cooperaris, si absque justa causa, v. g. gravis damni proprii, præbeas instrumenta nocendi, v. g. restituas petenti gladium apud te depositum, uti si proprium eidem gladium commodes, quo occidat tertium. Quare etiam in foro externo reus furti haberetur, qui scalas depositas furari volenti redderet. Uti & *L. Si pignore* §. *Qui ferramenta ff. de furtis* id dicitur de eo, qui furi scalas aut ferramenta commodaverit; æquè autem liberè & citra obligationem scalas depositas quis furi reddit, etsi alioquin iplarum dominus. Quod à fortiori locum habet, si reddatur res amenti seu furioso, vel ebrio: à quibus operatio injusta ex necessitate seu absque libertate procederet per instrumentum à te porrectum: justitia enim obligat, ut, quando potes, omittas actum proximo noxium, qualis est in tali circumstantia redditio rei. Quamvis damnum proprium grave faciat, ut moralis ratio cooperationis à redditione v. g. gladii (quæ est secundùm se non mala, nec proxima cooperatio) auferatur, sicque non solum non injustè, sed nec illicitè agas reddendo domino rem suam.

*Etiam ex lege justitiæ.*

*Præsertim si abusurus non liberè, v. g. quia amens.*

*Nisi grave damnum proprium excusit.*

Quòd si verè dominus sit re suâ abusurus in alia peccata, quàm injustitiæ, v. g. in ebrietates, scortationes &c. adhuc charitas eaque sola me obligat, ut differam solutionem seu restitutionem, si commodè possim, sitque fundata spes mala ipsius domini sic impediendi. Quòd si ægrè ferat creditor, non est juxta Plures licitum tibi rem illius, ut à peccato avertatur, detinere; quod esset quasi ei violentiam inferre. Prout nec licitum esset auferre illius pecunias ob similem causam. Alii tamen majora requirunt incommoda prudenti judicio conferenda cum malis quæ impediretur: eò quòd proximus tali casu irrationabiliter ægrè ferat dilationem, cujus negotium salubriter geritur, differendo; adeoque maneat obligatio charitatis ad impedienda illius peccata, quando sine aliis incommodis fieri potest. Et quamvis habeat jus petendi, quatenus petendo non facit injuriam; non tamen habet jus, quatenus pro nunc habeat potestatem me obligantem ad satisfaciendum petitioni, quæ nempe potestas eatenus est quasi suspensa.

131. *Si abusurus sit in alia peccata obligat aliàs charitas.*

*Quid si interim ægrè ferat.*

Quòd si dominus juridicè rem suam repeteret, liberè ùs quidè posset reddi, præsertim judice de periculis informato: cùm non teneatur quis incommoda litis pro eo, qui litem intentat, sustinere. Verius tamen putat *Malderus* & ex eo *Wiggers* c. 4. *dub.* 3. posse sine scrupulo negotium protrahi, quando per moram putantur peccata impe-

132. *Aut si juridicè rem suam repetat.*

impedienda. Immo sunt, qui existiment posse etiam pecunias sibi de causa subduci ad tempus, ut potest fama coram testibus aut superiore auferri in bonum corrigendi.

133. *Notandum pro praxi.* Nihilominus pro praxi loquendo notat *Lessius c. 16. dub. 4.* rarò hac in re peccari mortaliter, sive quia creditor potest semper jure exigere solutionem, sicque dilatio erit parum efficax, sive quia multis id foret obloquiis & molestiis obnoxium, ideoque in praxi minùs usitatam, sive quia sub hoc prætextu possent palliari injustitiæ, sive quia non est solida spes fructûs.

134. *Ingressus religionis qualiter non excusat.* Sextò, inter causas excusantes allegari seu proponi solet ingressus in religionem. Ubi in primis indubitatum est, restituendum esse priùs, quod alienum est, & in specie extat apud debitorem. Si etiam sit rationibus reddendis obnoxius, debet eas reddendo (quod brevi tempore fieri potest) priùs satisfacere. Si insuper debitis aliis obstrictus, possit ea solvere manendo paucis annis in sæculo, & exercitia suo statui congrua exercendo, tenetur quoque ingressum differre: tunc enim creditores sunt meritò inviti, adeoque eis fieret injuria. Neque est tanti facienda brevis & temporanea suspensio hujusmodi boni spiritualis & voluntarii, quanti obligatio justitiæ jam contracta; quando saltem dilatio non adimeret spem in futurum obtinendi locum. Nec denique (etsi videantur contradicere non pauci, signanter *D. Thomas*, *Cajetanus*, *Silvester*, & reliqui Summistæ, ut refert *Lessius c. 16. dub. 8.*) pro foro conscientiæ juvare talem posset cessio bonorum (nisi fortè creditores minentur carcerem, negentque inducias) utpote quæ non magis in conscientia juvat, quam citra eam impotentia vel necessitas, quæ in casu non subest.

135. *Qualiter excusat ex receptiorì sententia.* Nihilominus si longo tempore, aut extraordinariis & inusitatis laboribus opus esset, non videtur ingressus in religionem necessariò omitti, aut tàm tempore differri debere, juxta communem satis Doctorum sententiam (quæ colligitur ex *D. Thoma 2. 2. q. ult. art. 6. ad 3.* & traditur à *Lessio*, *Maldero*, *Wiggers*, & aliis passim obviis. Ratio assignari posset, quòd qui nec actu, nec in spe propinqua habet bona, neque ex consuetis exercitiis facilè habere potest, censeatur impotens ad solvendum, adeoque excusatus. Dumque cuncta sua cessit creditoribus, non videtur obligandus ad lõgos & extraordinarios labores; cùm nec judices in foro externo id exigere soleant. Qui etiam meritò sunt faciliores in causa adeò singulari; qualis est religionis ingressus. Quæ autem post professionem talis acquirit, monasterio acquirit, veluti incapax proprii. Nec tenetur monasterium de his quidquam dare debitoribus. In casu tamen, quo obligabat dilatio ingressûs, intempestiva admissio scienter facta (ignorantia & bona fides excusat) videtur obstringere monasterium sive superiores tamquam cooperatores inductæ impotentiæ.

136. *Qualiter arceantur obærati per Statu. Pontificium.* Meritò nihilominus ob gravia incommoda sequi nata Sixtus V. voluit admitti ad Religionem obæratos ultra vires facultatum; immo admissorum professionem invalidavit. Quod postremum tamen sustulit Clemens VIII. Etsi adhuc in quibusdam Religionibus vigeant conditiones à Sixto V. requisitæ eas deducendo veluti in contractum, sic ut iis deficientibus invalida sit professio, defectu requisiti essentialiter consensûs ex parte monasterii, ita expressè antecedenter protestantis.

137. *Judicium Auctoris.* Immo existimo etiam ex natura rei non posse sic gravatum debitis licitè (de valore non est quæstio) ingredi religionem, si in sæculo etiam totam vitam transigendo omnino speretur posse per operas non inusitatas debitis satisfacere: creditores enim tunc meritò sunt inviti. Nisi fortè solùm sint debita ex contractu gratuito; cujus implendi obligatio patitur hujusmodi tacitam exceptionem seu conditionem. Opusque consilii, quantumvis aliàs excellens, debet postponi operibus ex justitia debitis, non obstante detrimento profectûs seu lucri spiritualis: prout eo non obstante nequit totum tempus insumi orationibus & piis exercitiis manens in sæculo. Lucrum enim spirituale cessans non sufficit, ut excusetur quis à restitutione: quam meritò exigit creditor, qui non debet permittere, ut cum ipsius damno debitor lucretur. Quare ingressus in Religionem respectu talis nõ videtur opus consilii, sed malum, utpote per quod debitor redditur impotens satisfacere debitis justitiæ.

Neque verum generatim videtur, quòd censeatur moraliter impotens, qui non potest omnibus debitis vel potissimæ parti satisfacere, nisi differendo ad multos annos ingressum religionis; nam aliàs etiam prævidè ad ingressum consideratus censeretur impotens, sic ut consequenter in sæculo manens non teneretur amplius laborare ad satisfaciendum debitis, quibus spatio longi temporis, per moderatos labores satisfacere posset. Ut proinde non maneat causa talem excusans alia (quæ tamen non sufficit) nisi majus bonum seu lucrum spirituale. Qui etiam si tam sancto & justo fine à religione abstineat, meritò sperare poterit gratias à Deo ampliores, & per opera omnia, quæ ad justitiæ virtutem pertinent, in Dei facta mereri. Et hanc sententiam tenet *Gerson* referens multos Doctores Parisienses id affir-

masse *Supplem. Gabrielis, Angles, Valentia* prout refert *Sanchez l.4.Summæ c.19. num. 6.* Refertur etiam *Navarrus, Molina* & alii.

138. *An excuset jactura notabilis bonorum superioris ordinis.*

Septimò à restitutione excusat juxta Doctorum receptam sententiam jactura bonorum superioris ordinis respectivè gravis; v.g. non tenetur quis restituere famam cum jactura vitæ, divitias cum jactura vitæ aut notabilis famæ &c; eò quòd id videatur excedere regulas justitiæ commutativæ, & consequenter non possit rationabiliter & jure exigi à creditore.

139. *Non excusat excommunicatio creditoris.*

Octavò à Nonnullis (inter quos refertur *Adrianus, Panormitanus, Covarruvias*) adfertur pro causa excusante excommunicatio creditoris. Sed communis sententia (quam certam censet *Castro Palao disp. 1. de Justit. commutat. p.17.§.5.* etsi tam hanc, quàm alteram probabilem censeat *Wiggers c.6. dub.6. in fine*) contradicit. Nam non est unde debitor excusetur; per excommunicationem enim non privatur creditor bonis; neque etiam ex c. *Quod in dubiis, de Sentent. Excomm.* (ubi sermo est de nominatim excommunicato) junctò c. *Quoniam multos 11.quæst.3.* privatur communicatione fidelium necessariâ (perinde sive necessitas se teneat ex parte excommunicati, sive ex parte aliorum) sed tantùm voluntariâ & liberâ. Quare nec privatur communicatione requisitâ ad restitutionem debiti ex justitia; quæ quidem adeò brevis & modica est. Immo non privatur datione consilii vel eleemosynæ, eidemque (ut habetur c. *Quoniam multos §. fin. 11. quæst.3.*) humanitatis causâ quid dare non prohibetur; quanto minus igitur prohibetur redditio debiti? Quod in toleratis à fortiori procedit.

140. *Non obstat, quod contra excommunicatum possit excipi in judicio.*

Porrò c. *Pia, de Except. in 6.* dumtaxat non admittuntur excommunicati ad judicium in qualitate actoris, sic ut contra eos excipi possit à reo titulo excommunicationis, non autem repellantur à jure exigendi debita extrajudicialiter; quæ, etiam dum non exiguntur, sunt solvenda. Alibi quoque in judicio sæcusari admittuntur ad exigendum debitum; ut de Gallia ferunt, teste *Zypæo in Notit. Jur. Belg. Tit. de Except.* & de Hispania testatur *Covarruvias l.1.Variar.c.18.n.5.* Ad summum posset altera sententia habere locum, quando citrà speciale gravamen aut necessitatem creditoris fieret hujusmodi dilatio ob spem frangendæ per hoc cõtumaciæ; quod tamquam non inutile interdum, & charitati consentaneum approbat *Wiggers supra.*

*Quid hac de re mores habeant.*

141. *Quod privilegium cessionis bonorum.*

Nonò allegari posset cessio seu abdicatio omnium bonorum. Qui est favor à lege concessus debitori, dum non est solvendo bona abdicanti, ut incarcerari, aut in carcere detineri non possit, *L.1. C. Qui bonis cedere possunt*, nec de postmodum acquisitis convenire, nisi quantum commodè præstare potest, id est, reservata congruâ & moderatâ sustentatione. *L.4.& 6. ff. de cessione bonorum*, & *Instit. de Actionibus §. fin. Inhumanum enim erat* (ut ibid. dicitur) *spoliatum fortunis suis* iterum *in solidum damnari.* Quod etiam in foro conscientiæ locum habere censet *Covarruvias l.2.Variar.c.1. num.6. Molina Tr.2. d.572. circa med. Soto 4. quæst.7. art.4. in fine*, & alii passim contra Nonnullos: leges enim istæ (quæ non fundantur in præsumptione, dant talem favorem in dicto casu, illisque censentur contrahentes se conformare. Tenentur nihilominus indubiè hujusmodi falliti conari fideliter, ut acquirant, unde restituere queant. Neque à restitutione excusantur juxta communem & veram sententiam, contra Nonnullos, præsertim Jurisperitos, si ad pinguiorem fortunam devenerint, quòd ignominiosam aliquam solemnitatem (quæ diversis in locis variè est in usu) in fori cessione subiverint: hæc enim ignominia non subrogatur solutioni, in præjudicium haud æquum creditorum; utì nec ignominia carceris liberat non cedentem foro, qui nihilominus solvere cogitur usque ad novissimum quadrantem. Solùm igitur est instar pœnæ ob culpam saltem præsumptam; aut certè adhibetur, ne quis facilè in perniciem creditorum ad cessionem faciendam convolet.

*Tenentur restituere si possint ex cessu meliùs fortunæ.*

*Etsi ignominiam aliquam subire cogantur.*

142. *In Belgio qui requiratur diploma Principis in judicio exhibendum.*

Moribus nostris ex Edicto Caroli V. ad cessionem requiritur diploma Principis, quòd intra mensem à die impetrationis in judicio offeratur, unà cum synopsi jurata omnium bonorum, quæ relinquant creditoribus, dimissâ possessione; ut videre est in *Cod. Belgico V. Cessie*, & apud *Zypæum in Notit. Jur. Belgici L.7. Tit. unic. Qui bonis cedere possint*, qui & alia circa hujusmodi ordinata per Principes addit. Verùm jure Romano sufficit facta cessio extrajudicialiter, etiam per nuntium vel Epistolam *L. fin. ff. de Cess. bonorum*; adeò ut sufficiat sola voluntatis professio *L. 6. C. Qui bonis cedere possunt.* Quod præterea Justinianus *Nov. 135.* permittit loco cessionis juramentum, quo debitor juret se non esse solvendo, sive se nil auri reliquum habere, usu (quo sola cessio liberat à carcere) receptum non est; eò id (ut credit *Gudelinus l.4.de Jure noviss.c.16. num. 17.*) quòd Novella hæc sit una ex iis, quæ intercederunt, nec Veteribus cognitæ fuere.

*Jure communi qui quis fiat cessus extrajudicialiter.*

*Novella 135. non est usu recepta.*

143. *Bona quidiu manent debentis.*

Porrò qui bonis cessit, manet dominus eorum, donec vendita sint *L.3.ff.de Cess.bonor.* potestque cum interea cessionis pœnitere, bonisque repetitis se defendere *L.5.ff. eod.* Utque beneficio cessionis gaudeat, nil potest bonorum retinere: qui enim aliqua retinet,

*An omnium cedere teneatur.*

retinet, bonis non cedit. Vestem tamen quotidianam relinqui postulat humanitas, ne nudus incedat. Qua in re Carolus V. pro his regionibus statuit cedenti bonis unum lectum cum suis ornamentis, item ex singulis rebus mobilibus non pretiosa unam dumtaxat miserationis gratiâ relinquendam esse; ut videre est in *Codice Belgico* & apud *Zypæum* locis citatis.

*Quid retineri posse pro Belgio sanciverit Carolus V.*

144. *An necessaria tenui secundum statum sustentationi retineri possint.*

Præterea dum absque culpa sua quis cogitur cedere bonis, si per creditores fiat in bonis executio, censet *Lessius c. 6. dub. 3.* & & ex eo *Wiggers c. 6. dub. 3.* & plures alii, posse illum licitè retinere necessaria, ut tenuiter secundum statum suum vivat, & ad illum finem quædam occultare et non egeat. Sed negant Jurisperiti, & ex Theologis *Molina Tract. 2. disp. 572. Lugo d. 21. sect. 2.* & alii: eò quòd privilegium cessionis detur dumtaxat omnia (nisi quædam excipiantur per ipsam legem) cedentibus: & alimenta quotidiana demum concedantur in casu, quo post factam cessionem melior fortuna arriserit *L. 6. ff. de Cess. bonor.* quam legem non rectè *Lessius* intellexit de bonis, quæ habebantur tempore instantis cessionis. Unde juxta *Lugo sup.* & alios talis post accessum melioris fortunæ non posset uti beneficio per legem dato ob cessionem, sed solùm de postea acquisitis servare sibi, quod præcisè jus naturæ permittit.

145. *Qui Cessione non indigent.*

Cessione non indigent, quibus est competentiæ beneficium, ideoque excuti non debent, ultra quàm commodè possit, ne egeant: uti clericus gaudens privilegio clericali, milites, parens conventus à prole, maritus ab uxore, socer durante matrimonio ratione dotis à genero, socius à socio. De quibus vide *Zoezium ad ff. de re judicata n. 158. & seqq.* & *ad ff. de Cess. bonor. num. 7. & 8.*

146. *Qui ab ea excludantur.*

Cessio præterea locum habet in debitis ex causa civili, eaque non competit juxta *Zoezium in ff. de Cess. bonor.* & alios decoctori bonorum, qui hâc commiseratione dignus non est, non dissipanti aut alienanti bona in fraudem creditorum: non ei, qui dolosè cum suo creditore versatus est, aut qui spe & animo cedendi contraxit. De quibus vide Jurisconsultos *ad ff. de Cess. bonor. & Cod. Qui bonis cedere possunt.* Videri etiam possunt, quæ scribit *Christinæus ad Consuetud. Mechlin. Tit. 21.* per totum. Vi earumdem consuetudinum *Tit. cit. art. 2.* cedentes bonis declarantur infames; quales etiam habentur per mores in variis locis, etsi jure communi infames minimè sint.

*Cedens bonis Moribus Mechliniæ sium est infamis.*

147. *Inducia quinquennales qualiter concedantur.*

Tandem observa interdum creditores concedere citra cessionem inducias quinquennales debitori. Ubi standum consensui unius vel plurium, quibus major pars debetur. Stante æqualitate debiti, sed dispari creditorum numero, amplior pars creditorum obtinet. Si autem sit paritas tam debiti, quàm numeri personarum, præferenda est pars humanior; quæ tempus indulget *L. 8. C. Qui bonis cedere possunt.*

148. *Incertitudo domini an vel quando excuset.*

Decimò, incertitudo domini seu creditoris videri posset excusare à restitutione: cùm justitia tantùm obliget debitum reddi illi, cujus est (nisi is alteri reddi voluerit, & satis id indicaverit, quod videri posset in præsenti non contingere) quo proinde non comparente, impossibilis sit talis restitutio. Estque ea opinio quantum ad debita incerta citra delictum (quò etiam spectant casu inventa) non improbabilis, quam tenet *Petrus Navarra* & alii; prout diximus in antecedentibus. Contraria tamen est *D. Thomæ, Scoti* & aliorum communior, fundata in consuetudine receptiori piorum ac præsumpta dominorum voluntate. Quamvis etiam huic inhærendo possit debitor si pauper sit, ea sibi tamquam tali retinere; præsertim de assensu vel consilio Episcopi aut Confessarii, quamquam in rigore non necessario. Debita autem ex delicto non posse retineri, tenent omnes pro indubitato; eorumque retentioni domini seu creditores omnes, si rogari possent, indubiè contradicerent. Quare pauperibus vel aliis piis causis applicanda sunt ex jure Canonico *c. Cum tu, de usuris*, & *c. Cum sit, de Judæis*, ne contingat ex injustitiis homines detescere. Tametsi autem sermo ibi sit de usuris: id tamen potius exempli gratiâ pro re nata positum est; ut proinde de ceteris etiam per delictum acquisitis omnes indubitanter idem asserendum velint.

*Cui incerta restituenda.*

*Signanter debita ex delicto.*

Prædicta verò intelliguntur de bonis omnino & simpliciter incertis: si enim solùm dubitetur de tribus aut pluribus, res pro rata dubii inter illos dividenda est, aut dubium sorte dirimendum. Quod etiam faciendum, quando membris alicujus communitatis damnum est illatum, & ignoratur præcisè, quibus particularibus inter multos. Vide *Molina Tr. 2. d. 745. Lessium c. 14. n. 32.*

149. *Quando si solum sit incertitudo domini secundum quid.*

Undecimò, Solutio facta ei, cui debet meus creditor, liberat in foro conscientiæ, juxta *Silvestrum, Angelum, Joannem Medinam*, ut refert & sequitur *Lessius c. 16. dub. 5.* & alii passim. Liberavi enim creditorem ab æquali debito; quod est ejusdem æstimationis, ac si ei solutionem fecissem. Deinde is, cui facta est solutio censetur mihi cessisse jus suum adversus creditorem, qui proinde factus est mihi debitor, adeoque locum habet compensatio debitorum, si sint ejusdem rationis, aut certè detentio rei debitæ creditori instar pignoris. In foro etiâ externo hujusmodi solutio admittitur, quãdo debitum ex eadem causa procedit, v. g. si res debita, quæ solvitur creditori, sit ei obligata, ut si conduxi à te domum quam tu cõ-

150. *Vel quomodo excusetur solutio facta creditori creditoris.*

duxisti ab illo; vel si meâ causâ factus sis debitor illi, ut si gerens mea negotia mutuum acceperis. Vide *L. 11. §. 5. ff. de pignoratit. act. L. 36. ff. de negotiis gestis*, & *L. 7. C. Quod cum eo.* Aliàs non admittitur juxta *Bartolum* relatum à *Lessio c. 16. dub. 5.* Nihilominus liberatio debitoris contingit viâ exceptionis; ut patet *L. 6. ff. de dol. mali except.* cùm iniquum sit, creditorem petere pecuniam, quam habet utpote in ejus utilitatem versam, etsi sine mandato. Nisi tamen interfit creditoris non solvi suo creditori.

Notat autem *Castro Palao d. 1. p. 18. §. 10.* licitè adhiberi hunc solutionis modum in debitis ejusdem rationis; eò quòd sic utiliter geratur negotium creditoris, faciendo quod ipse præstare deberet: secùs si sint diversæ rationis (nisi fortasse tertius debitum suum recuperare non possit) eò quòd non liceat privato jus alteri dicere, & auferre aliena v. g. pecunias, ut inde tertius sibi debita recuperet.

151. *An excusetur, qui tantumdem creditori donat vel legat. Nonnullorum opiniones.*

Duodecimò, quæri posset, an excusetur à debiti solutione, qui tantumdem creditori donat vel legat? Varii (quos citant & sequuntur *Menochius* & *Covarruvias* apud *Castro Palao d. 1. p. 17. §. 8.*) affirmant, si erat debitum ex lege: Negant, si debitum erat ex causa voluntaria, puta conventione, donatione, aliove pacto. *Layman Tr. 2. de restit. c. 12. circa finem*, censet compensationem fieri per eleëmosinas & donationes in pias causas, quantum ad debita ex delicto vi juris Ecclesiastici, v. g. ob non assistentiam in horis, vel omissionem divini officii; ex virtuali scilicet fidelium intentione satisfaciendi per eleëmosynas obligationibus & negligentiis per peccatum contractis.

152. *Vera opinio declaratur & stabilitur.*

Verùm dicendum, quòd in foro conscientiæ sit standum intentioni donantis vel legantis. Unde si donatum vel legatum fecerit cum memoria debiti & animo compensandi, donatio erit verbalis, revera autem debiti solutio. Si habuerit animum non compensandi, manet obligatio. Si debiti omninò immemor donaverit vel legaverit, nisi adsint manifestæ conjecturæ in contrarium de animo legantis, non est admittenda compensatio, sed debiti novi accumulatio, quodvis sit debitum, sive legale, sive conventionale, idque non solùm in foro conscientiæ, sed æquè in judiciali, ex communi ferè omnium sententia: nam donatio liberalis nequit esse solutio debiti. Voluntas autem generalis vel interpretativa non operatur satisfactionem ex justitia debitam, nisi per media apta, cujusmodi non est liberalis donatio. Neque etiam donans liberaliter ponit rem præceptam; quæ nempe non est opus gratiæ, sed justitiæ: ut proinde non obstet præmissæ doctrinæ, quod ad impletionem præcepti, etiam ignorati, sufficiat poni ipsum opus seu rem præceptam. Vide plura apud *Castro Palao sup.*

153. *Quæ adhuc operatur restitutionem ab ea tollendam sint.*

Denique solutionis effectum etiam operatur, adeoque ab ulteriori restitutione excusat solutionis oblatio, etsi non acceptata, cum depositione pecuniæ designatæ; cujus tamen effectus resolvitur, si debitor pecuniam consignatam (utì potest) recipiat. Item confusio crediti; cùm scilicet unus idemque fit creditor & debitor, v. g. ratione successionis. Item satisfactio, dum aliter, quàm conventum erat, satisfit voluntati creditoris, puta novatione seu novæ obligationis loco prioris positione; delegatione, dum scilicet alius in se obligationem suscipit consentiente creditore, acceptilatione &c. De quibus vide *Zoesium, Wesenbecium* & alios Jurisconsultos in Titulum de Solutionibus, & huic affines. Et apud *Castro Palao disp. 1. de Justit. Commutat. p. 17. & 18.*

TRACTA-

# TRACTATUS III.

## DE CONTRACTIBUS, IUDICIIS, ET OFFICIIS IUSTITIÆ DISTRIBUTIVÆ.

HORUM *tractatio etsi videatur potissimùm ad Legistas & Canonistas spectare; meritò tamen à Theologis non omittitur, cùm sint actus justitiæ, aut ei affines, in quibus proinde rectè peragendis virtus justitiæ versatur, ac si regulæ debitæ non serventur, non modica fraudulentarum injustitiarum seges abundat. De quibus proinde ob varietatem ac multiplicitatem dicendorum, peculiarem Tractatum instituimus.*

## DISPUTATIO PRIMA.

### *De Contractibus in Communi.*

### QUÆSTIO I.

#### *Quid sit Pactum, Quid Contractus, & Quotuplex.*

1. *Quid Pactum,*

PACTUM, sive pactio est (ut ait *Ulpianus L. 1. ff. de Pactis*) *duorum pluriumve in idem placitum consensus*, sive conventio. Unde pollicitatio sive promissio absenti facta, nec acceptata, cùm sit unius dumtaxat consensus, non est pactum. Generat autem pactum ordinariè obligationem, saltem in alterutro contrahentium. Et tunc coincidit cum contractu latè dicto. Quo nomine etiam comprehenditur contractus gratuitus, puta promissio vel donatio liberalis. Et quidem donatio expressè appellatur contractus *L. Contractus 17. C. de fide instrument.* Paritque ipsa obligationem, ut notavit *Rebellus* apud *Castro Palao hic disp. 1. p. 1. n. 2.* non solùm quando incipit à promissione, verùm etiam quando incipit à rei traditione, per quam pariter ipsum dominium transfertur: eò quòd saltem obligetur donans non repetere rem donatam.

*Qui differat à pollicitatione.*

*Quid contractus latè dictus.*

*Talis est donatio.*

At dum pactum parit obligationem utrimque, ut contractus strictè dictus; qui est (ut describit *Labeo L. 19. ff. de verb. signif.*) *ultrò citroq; obligatio.* Ubi contractus describitur per effectum quem gignit; cùm potiùs sit formaliter conventio seu consensus plurium reciprocus, mutuam obligationem pariens. Nisi quis vellet intelligere obligationem actionem: contractus enim formaliter est talis actio, ex qua passiva obligatio seu vinculum resultat. 2. *Quid strictè dictus.*

Potestque clarius & plenius definiri, quòd sit consensus liber, sensibiliter expressus, plurium personarum competentium in idem, pariens utrimque obligationem justitiæ. Si quis autem definire velit contractum largius sumptū, *adutrimque* addat, *vel ex una saltem parte.* Dicitur esse consensus: sine eo enim nequit par pari obligari, secluso delicto aut retentione alieni. Debet autem esse liber seu deliberatus; cùm aliàs non sequatur gravis obligatio, utì neque sequitur in voto. Insuper sensibilis expressio requiritur ad humanum, adeoque sensibilem convictum; cu- 3. *Ejusdem uberior definitio explicatur.*

jus non infima portio est contractus. Personæ quoque debent esse competentes, id est, habiles ad contrahendum. Denique effectus est obligatio justitiæ, quam contractus justus parit, ut proinde injuriam faciat, qui contractui non stat.

4. *Quid dissactus, Quid acceptilatio secundum, jus commune.*

Pactum quod nullam obligationem parit, sed suppositam tollit, distractus vocatur, qui est ultrò citroque liberatio. Huc spectat Acceptilatio, quæ dicitur solutio imaginaria, liberatio videlicet ab eodem nexu per mutuam interrogationem, adeoque per formam stipulationis, veluti si debitor dicat creditori, *Decem quæ promisi accepta habes?* & creditor respondeat, *Habeo.* Ideoque non contingit secundùm leges, nisi circa obligationem, quæ verbis fit; aut certè obligatio, quæ consensu, literis aut re perficitur, translata prius fuerat in illam, quæ fit verbis, per stipulationem Aquilianam. De quibus vide Jurisperitos, signanter *Zoesium in ff. de Acceptilationibus.* Moribus quidem hodiernis (idemque obtinet jure Regio Castellæ teste *Castro Palao d. 1. p. 1. n. 6.*) utì non est usus stipulationis, sic neque acceptilationis, inter quã proinde, & simplex pactum de non petendo, debitum scilicet seu solutionem, non est deinceps differentia quoad effectum, qui æqualis est in utroque.

*Quid habeant Mores hodierni.*

5. *Quid contractus explicitus, quid implicitus seu quasi contractus.*

Omissâ divisione contractûs in explicitum (qui expressâ conventione partium fit, & propriè talis dicitur) ac implicitum seu interpretativum (cujus obligatio ex legis dispositione est annexa alicui officio, quam proinde censetur assumere, qui assumit officium) qui quasi contractus vocatur; qualis est negotiorum gestorum, tutela, & alii, de quibus *Instit. de Obligat. quæ quasi ex contr. nasc.*

6. *Divisio contractus in Nominatum & Innominatum,*

Dividitur I. Contractus in nominatum, qui videlicet habet nomen proprium & specificum, utì emptio, donatio, locatio &c. & innominatum, qui generale nomen contractûs, pacti aut permutationis (quod ipsum est nomen satìs generale etiam contractibus nominatis, utì emptioni &c.) retinet, specifico & proprio carens. Hujus quatuor sunt genera juxta *L. Naturalis ff. de præscriptis verbis*; nempe, do ut des, v.g. do vestem, ut des cibum: do ut facias, v.g. do vestem, ut mihi servias: facio ut des, v. g. servio tibi, ut des vestem: facio ut facias, v. g. servio tibi, ut doceas me artem tuam.

7. *Pactum nudum quid, Quanam sint talia.*

Secundò Contractus sive Pactum dividitur in Simplex seu Nudum & Vestitum. Illud consistit in simplici conventione, absque eo quòd jus civile illam firmet. Hujusmodi sunt omnes contractus innominati, priusquam ex altera parte impleantur, vel (ut Doctores passim) nisi accesserit juramentum, aut stipulatio. Item qui re perficiuntur, antequam fiat traditio.

Pactum vestitum dicitur, quod ultra conventionem habet aliquid, cui ex jure accedit robur. Hujusmodi sunt omnes contractus nominati, quando sunt in genere suo perfecti; utì & innominati, quibus (ut Doctores passim) accedit juramentum, stipulatio vel impletio ex una parte. Immo & alios contractus innominatos mercatorum actionem parere ex *Tiraquello & Rebello* tradit *Castro Palao disp. 1. p. 3. n. 1.* *Quid pactum vestitum & quanam sint talia.*

8. *Pactum nudum obligat naturaliter, non civiliter.*

Pactum nudum obligat quidem juxta communissimam Doctorum sententiam naturaliter seu in conscientia (cùm ex natura rei illam obligationem inducat, nec jus illam elidat, quin potiùs supponat ut ex mox dicendis patet) non tribuit tamen actionem in foro civili, ad vitandam litium multiplicitatem *L. Juris Gentium 7. §. 4. ff. de pactis.* Tribuit nihilominus exceptionem civilem *L. cit.* sicut impediat solutì repetitionem, det jus excipiendi contra creditorem per hoc, quòd tibi tantumdem ex pacto competat. Et juxta *L. Fidejussoris ff. de pactis*, pignus datum retineri, & contra fidejussorem, si accesserit, agi potest. *Quid tamen in foro civili obtinet.*

9. *An exhibi detur illis secundum jus Canonicum.*

Jure tamen & in foro Ecclesiastico juxta communem sententiam etiam ex pactis nudis datur actio; & colligitur ex *c. 1. & 3. de Pactis.* Immo id propterea jure Canonico dubitationem non habere tradit *Valer. Andr. in addit. ad Instit. de Obligationibus n. 4. in fine*: eò quòd *c. 1.* dicatur: *Inita pacta suam obtineant firmitatem*, & *c. 3.* dicatur: *Studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Quod tamen parum movet *Gudelinum l. 3. de jure Noviss. c. 5.* cùm similia quoque habeantur *L. Juris gentium §. Ait Prator*, & passim *ff. de pactis.* Ut proinde varii Juristæ contrarium sentiant, eò quòd juri civili standum sit, etiam in foro Ecclesiastico, ubì per canones non satìs apertè contrarium statuitur. Quod similiter satìs probabile censet *Castro Palao sup. n. 9.* etsi oppositum in praxi tenendum & consulendum dicat quòd nimirum iste sensus Canonum communi intelligentiâ sit receptus.

10. *Quid censendum juxta mores hodiernos.*

Cœrùm moribus nostris, quibus pleraque ad simplicitatem juris gentium redacta sunt, etiam ex quolibet pacto nudo oritur obligatio & actio, perinde ac si stipulatio (quæ in usu esse desiit) accessisset; utì tradit *Gudelinus sup. Zypæus in Not. Jur. Belg. Tit. de Contrah. stipulat.* Idemque de jure Regio Castellæ testatur *Castro Palao sup. n. 10.*

*Quid & quinam contractus bonæ fidei, & stricti juris.*

Tertiò contractus alius est bonæ fidei, qui obligat secundùm verba ex æquo & bono intellecta, & in quo proinde judex potest multa arbitrari, quæ secundum bonam contrahentium fidem censentur inesse, etsi non ita expressa: utì sunt emptio, locatio, commodatum, mandatum, pignus, societas &c. *Instit. de actionibus §. Actionum.*

*ctionum.* Alius est stricti juris, qui obligat præcisè secundùm verba, quæ, proinde stricto jure intelligi, indeque resultantia decidi debent; utì promissio, stipulatio, donatio, feudum, emphyteusis.

*An moribus nostris sint omnes bonæ fidei.*

Porrò omnes actiones moribus hodiernis habentur bonæ fidei, si credimus *Gudelino Lib. 3. de jure Noviss. c. 13. n. 26.* Similiter de contractibus & actionibus inter Christianos hodie celebratis sentiunt passim alii, dissentiente *Antonio Fabro*, ut videre est apud *Valer. Andr. in Instit. de Obligat. ex consensu in addit. n. 2.* Quò spectare volunt clausulam salutarem ab Advocatis libellorum conclusionibus subjici solitam, *Vel prout judici bonum & æquum videbitur.*

12. *Contractus, alius absolutus, alius conditionatus. Differentia inter utrumque.*

Quartò alius est absolutus alius conditionatus. Et quidem absolutus, utpote independens ab existentia alicujus extrinseci mox est validus, atque est perfectus. Conditionati autem valor pendet ab existentia alicujus extrinseci, seu a veritate conditionis; sic ut proinde existentia conditionis præsentis aut præteritæ faciat ab initio validum, non existentia verò invalidum, prout ratio & jura manifestè tradunt.

13. *Conditio de futuro qui suspendat valorem.*

At conditio de futuro ob voluntatem contrahentium (quæ regulariter adest & præsumitur) suspendit voluntatem donec impleatur. Quamvis contrahentes possent in rigore velle contractum statim perfici dependenter tamen à futuritione conditionis futuræ v. g. consensûs paterni cras præstandi. Quo tamen casu sciri non posset, an contractus perfectus fuerit, nec ne, donec tempus conditionis futuræ præfixum defenderit conditionis eventum. Dum porrò, utì semper fieri solet, suspenditur valor usque ad eventum conditionis, hâc impletâ, perficitur valor contractûs absque novo consensu.

14. *An ea pendente sit liberum resilire.*

Immo suspenso adhuc eventu conditionis non est liberum resilire à contractu; nisi de consensu partis. Ideoque simplex votum ab ægro sub conditione convalescentiæ emissum, etiam invalidè pendente conditione revocatur. Immo juxta *Covarruvias Molina* apud *Castro Palao d. 1. p. 7. n. 9.* (quamquam plerique contrarium sentiant) jus exequendi contractus hujusmodi transit ad heredes. Est autem in matrimonio speciale, ut si ante conditionis eventum consensus revocetur, vel cum alio de præsenti contrahatur, impletâ conditione primum matrimonium non convalescat. Vide dicta *disp. 2. de Matrim. quæst. 5.*

*Exceptio in Matrimonio.*

15. *Conditio impossibilis an vitiet contractū.*

Solùm hîc observa conditiones de futuro impossibili vitiare contractus inter vivos: etsi favore ultimarum voluntatum habeantur in iis pro non adjectis, cùm defunctus explicare non possit, an joco, an serio eas adjecerit. Vide *L. Si quis ita instituus* & aliis *ff. de Condit. instit. L. Si Mævia ff. de hered. instit.* Quid de illis in contractu Matrimonii sit censendum, peti potest ex dictis *disp. 3. de Matrim. quæst. 5.*

16. *Modus contractui qui adjiciatur.*

Contractui conditionato affinis est is, qui sit sub modo. Modus autem, quatenus à conditione distinguitur, est quædam moderatio dispositioni adjecta ex mente disponentis. Sic v. g. si donetur liber, ut studeas, pecunia, ut Ecclesiam ædifices &c. studium & ædificatio Ecclesiæ moderantur seu temperant dispositionem, alioquin liberam. Per modum autem non suspenditur valor seu effectus dispositionis, utì per conditionem futuram. Debetque ex verbis ac materia in dubio discerni, an gravamen oppositum habeat rationem conditionis, an modi. Et si nihilominus dubium perseveret, creditur esse conditio juxta *L. A testatore ff. de Condit. & demonstrat.* Et tradit *Molina Tr. 2. d. 208. ¥. Quando autem verbum.*

*Eum non suspendit.*

*In dubio, an sit adjendus modus, an conditio.*

17. *Donatum sub modo an transeat ad heredes.*

Hinc etsi legatum pendente conditione non transmittatur ad heredes; secùs tamen est de legato vel donato sub modo, si is sit talis, qui possit ab heredibus impleri, nec ita adhæreat personæ, ut aliis communicari nequeat; ut ex aliis tradit *Castro Palao d. 1. p. 8. n. 4.* Præterea quia modus est qualitas dispositioni factæ & completæ accedens, non potest ipsa ex modi impossibilitate irritari.

*An modi impossibilitas vitiet donationem.*

Ad modi autem possibilis executionem plerumque privatus obligatur, adeoque cautionem de implendo postulatam dare tenetur. Interdum tamen non apponitur obligatoriè, sed instar monitionis de fine per disponentem intento, utì ordinariè fit, quando apponitur in utilitatem ipsius donatarii. Interdum etiam apponitur modus, non solùm sub obligatione, sed etiam sub revocatione donati. Quod cum ex facto pendeat, ex intentione per verba expressa, aliisque circumstantiis est discernendum. Videri potest *Molina disp. 208. cit.*

*Quomodo sit obligatio adimplendi modum.*

18. *Contractus alii perficiuntur consensu.*

Quintò, contractus alius perficitur consensu, seu conventione solâ, exteriùs scilicet expressâ, etsi absit rei præstatio, scriptura, aut certa verborum forma: utì emptio, locatio, donatio, societas, mandatum; nisi interdum aliud jure aut voluntate contrahentium caveatur. Scriptura tamen potest interdum peti ad probationem facti. Alius perficitur re, alicujus videlicet rei præstatione seu traditione, ut mutuum, depositum, commodatum. Alius perficitur verbis, qui ultra conventionem exigit certam verborum formam: utì stipulationes (quæ variæ sunt, ut videre est apud Jurisperitos ad materiam de stipulationibus, hodieque juxta præmissa non sunt in usu, aut ad dandum ex pactis

*Alii Re.*

*Alii Verbis.*

*Putæ stipulationes.*

actio-

actionem requisitæ) quarum formula exigit præviam interrogationem unius, & mox subsequentem responsionem alterius, v. g. *Spondes dare centum? Spondeo. Fidejubes? Fidejubeo &c.* Alius denique contractus perficitur scripturâ, qui pro forma exigit scripturam: talis est emphyteusis Ecclesiastica, & communiori sententiâ etiam sæcularis, omnisque alius contractus, quem contrahentes nequeunt concludere, nisi scripto, sive coram Notario, qui instrumentum conficiat.

*Alii denique Scripturâ.*

19. *Quando contrahentes censeantur suspendere consensum usque ad scripturæ confectionem.*

Censentur autem velle contrahentes suspendere consensum juxta *Castro Palao d. 1. p. 1. num. 7.* quando ab initio conveniunt de scriptura conficienda *arg. L. contractus C. de fidei instrument.* Unde tunc pœnitere alterutri licet, quamdiu prima & rudis annotatio rei gestæ non fuerit in claram emendatamque scripturam redacta, & subscripta à partibus; aut etiam à Notario, si eum quoque adhiberi placuit; ut rectè *Tuldenus in Cod. de fide instrumentorum.* Vide etiam *Valer. Andr. in Instit. de empt. & vendit. in Addit. n. 4. & Notandum etiam.*

20. *Notanda pro Belgio.*

Pro Belgio quoque Principes nostri, Anno 1611. sanxerunt (ut refert *Zypæus in Notit. Jur. Belg. Tit. de Act. & Obligat.*) ut quævis dispositio aut conventio de re excedente valorem aut quantitatem trecentorum florenorum fiat in scripto, quod solùm recipiatur ad probationem rei gestæ, adeò ut judices aliam probationem per testes supra tenorem instrumenti admittere non possint. Proinde Edictum concernit tantùm probationem, non etiam substantiam donationis, sic ut hujusmodi probatione omissâ reus seu donatarius sit in conscientia tutus, ut rectè *Zoesius in ff. de donat. num. 56.* Non rectè autem *Franciscus Bonæ Spei de Jure & Justit. disp. 6. dub. 4. in princ.* refert præmissa in Edicto caveri sub pœna nullitatis; cujus ibi non fit mentio. Ex interpretatione autem data anno 1617. 30. Januar. excipiuntur contractus mercatorii Antverpiæ celebrati stylo Bursæ seu Peristylii. Vide *Codicem Belgicum V. Commercien §. 13. 14. 19. & 24.*

21. *Contractus, alius oneroſus, alius lucrativus. Alius reſpectivus, alius non reſpectivus.*

Sextò, Contractus alius est onerosus, in quo utique parti onus imponitur: Alius lucrativus, in quo una pars gratis seu sine onere commodum sentit.

Septimò, Contractus alius est respectivus, in quo utrimque nascitur obligatio: Alius non respectivus, in quo tantùm ex una parte est obligatio, v. g. promissio.

## QUÆSTIO II.

### *An ad Contractum validum requiratur consensus verus, legitimè expressus, liber à dolo & metu?*

CERTUM est ad valorem non requiri consensum seu voluntatem implendi contractum: stat enim cum sincera voluntate contrahendi, prava voluntas non implendi. Sufficit itaque consensus in ipsam obligationem, sive ipsa voluntas seriò contrahendi, in qua involvitur voluntas se obligandi juxta naturam contractûs, sive actionis, quæ intenditur. Quòd si verò natura contractûs ignoretur, ideoque velit quis contrahere, non tamen se obligare, stante pari utriusque voluntatis efficaciâ, videtur patere, unam per alteram elidi, adeoque nil effici. Si tamen voluntas contrahendi sit omnino efficax, voluntas autem se obligandi sit ex suppositione, quòd sine ea stet natura contractûs, adeoque quasi conditionata & minùs efficax, stabit valor contractûs vi alterius consensus prævalentis.

22. *Stat contractus cum voluntate non implendi, si adsit voluntas se obligandi. Quid si ex ignorantia sit voluntas contrahendi, & tamen non se obligandi.*

Sed controversia est, an si quis velit exteriùs seriò proferre signa expressiva consensûs seu veri contractûs, tamen consensum interiùs verè fingat, contractus sit validus? Affirmat *Vasquez, Turrianus, Basilius Pontius, Dicastillo*, & quidam alii censentes sufficere internum consensum debitum. Sed rectiùs negant Doctores communiùs: eò quòd deficiat verè consensus, qui ex legibus requiritur, imò per quem ipsum pactum definitur *l. 1. ff. De pactis.*

23. *Consensus internus verus requiritur ad valorem.*

Confirmatur: quia obligatio procedens ex contractu, nascitur ex propria contrahentium voluntate; quæ illam non causat, nisi quatenus vult: non vult autem obligationem præcisè per hoc, quòd velit verba exteriùs proferre; imò potest ipsam non velle, solumque fingere. Quemadmodum id patet in consensu & contractu matrimoniali: ubi certissimum est non sufficere consensum debitum, sed verum. Idemque est in fictè profitente religionem. Accedit exemplum omnium Sacramentorum, quorum valor dependet à consensu vero, sic ut non sufficiat intentio interna debita. Exemplum item legum ipsarum, quæ revera non obligant, neque sunt leges, si per errorem esse putentur, si desit interna in principe voluntas præcipiendi seu obligandi: Contractus porrò est instar legis privatæ.

Nec obstat, quòd verus consensus sit debitus ex justitia; cùm talis fictio sit alteri

24. *Occurritur Objectioni.*

alteri injuriosa: nam de facto nihilominus non causat sive non operatur effectum sibi proprium, nisi de facto existat; prout exemplo Matrimonii patet. Deinde ex justitia saltem non tenetur quis donare vel promittere. Ex quo arguitur ad ceteros contractus, ob parem verborum significationem.

Si nihilominus per fictionem quis sit alteri causa damnorum, tenetur indubiè illa impedire ratificando contractum, aut alio modo reparare, non quidem vi contractûs, sed injustæ fraudis. Alioquin seclusis damnis, scandalo, & aliis incommodis, sequitur talem detectâ saltem fraude posse recuperare rem fictè alienatam (quamquam in foro externo ob præsumptionem contrariam, & in detestationem fraudis id non admittatur) utì posset quis resilire à matrimonio sic contracto, à professione sic emissa, à promissione sic facta.

25. *An per leges possit consensus suppleri.*

Posset præterea justè per publicam potestatem statui, ut tali casu oriretur jus & obligatio standi contractui: sicut enim mediante præscriptione transferuntur vi legum jura privata, & dominia, sic etiam transferri possent mediante consensu debito, etsi ficto, & signis exterioribus illius expressivis. Tunc tamen non esset obligatio vi contractûs, utpote essentialiter consistentis in consensu ipsorum contrahentium: sed oriretur vi legis seu voluntatis Principis vel reipublicæ, habentis dominium altum in bona subditorum, essetque adeò quædam donatio facta per ipsum Principem seu rempublicam, qualis est in casu præscriptionis.

26. *Exterior expressio consensûs qualiter requiratur.*

Consensûs autem interni expressio sensibilis seu externa requiritur juxta Doctores passim contra Nonnullos ex jure naturæ; eò quòd aliàs non possit intimari humano modo interior alterius voluntas, adeoque nec acceptari (cùm tamen etiam exteriùs expressa aliàs non obliget, quin immo revocabilis sit regulariter loquendo) nec vi illius ab altero quidquam juris exerceri. Quòd autem divinitus possit alteri innotescere, non venit in moralem actuum humanorũ considerationem. Quemadmodum etiam interna voluntas Principis non habet rationem præcepti obligantis, nisi exteriùs intimata subdito. Quãvis difficulter ostendatur absoluta repugnantia in eo, quòd quis per voluntatem internam ad alterum directam, quam novit divinitus manifestandam, aliquid v.g. promittat cum obligatione subsequente. Uti quoque promissio interior Deo (qui corda intuetur) facta obligat.

27. *Qualiter dirigenda ad eum cum quo contrahitur.*

Quod si verò quis exteriùs verba promissionis aut donationis proferret, & promissarius vel donatarius clam præsens, vel ab aliquo, qui præsens fuerat, intelligens acceptaret, & non per nuntium ab eo missum, adhùc non censeretur juxta plures Doctores talis obligari: eò quòd obligatio prærequirat signa exteriora ad invicem directa, adeoque debeat donans voluntatem suam per se vel per alium alteri intimare, & sic utriusque voluntas uniri. Propter quod si Rex putans se solum esse, verba præceptiva proferret, clam audiens non obligaretur. Unde cùm sciat, se non posse dare nescienti & absenti, censetur voluntas non esse donationis præsentis, sed futuræ. Nisi tamen cogitans posse contingere, ut alter adsit, aut volens, ut quiscumque præsens sit, nuntius suæ voluntatis obligativæ, daret pro nunc quantum posset; & sic alter præsens, vel à præsente intelligens acceptaret.

28. *An acceptatio alterius debeat vicissim innotescere offerenti.*

An autem acceptatio alterius debeat reciprocè intimari seu innotescere, ut contractus perficiatur, quæri posset. Et quidem in primis in cõtractu gratuito id pendet à voluntate promittentis vel donantis, qui posset non aliâ conditione velle se obligare. Aliàs autem non videtur id requiri, ut docet *Lugo d. 23. num. 64.* dicens id habere praxim: sic ut insinuatio acceptationis etiam tertio facienda, non tam valorem seu perfectionem tribuat, quàm de valore constare faciat. Alioquin donans per litteras velle posset, ut alter non rescribat, nec ulli donationem indicet. Jure quoque naturæ id non requiri, sed nec positivo, quin potiùs oppositum, colligitur *L. 10. ff. de Donat. & L. Qui absenti ff. de acquir. possess.*

In contractibus verò onerosis ordinariè offerens se ad contrahendum, non intendit, ut contractus perficiatur, nisi alter sibi suove procuratori acceptationem priùs innotescere faciat. Quamvis ex natura rei sive semper juxta *Lugo d. 22. num. 34.* non sit necessarium: cùm adhuc consistere possit consensus utriusque in idem. Quod & confirmat praxis in contractu mandati: mandatarius enim acceptis litteris mandantis v. g. ædificationem domûs, potest absens acceptare, moxque mandatum executioni mandare. Item in mutuo: si quis enim amico indigenti, nec roganti pecunias mutuo reddendas mittat, potest alter mox de pecunia; utì de re sua disponere, antequam mittenti aut ulli alteri dicatur esse per mutuum acceptatum: tametsi dependenter ab intimatione facienda, sive ipsi, sive alteri v.g. heredi.

29. *Forma externa seu solemnitas juris quæ servanda.*

Debet præterea consensus exprimi legitimè, adeoque juxta modos seu solemnitates à jure præscriptas. Quæ si essentiales sint, seu formam substantialem actûs contineant, requiruntur ad valorem. Quales sunt illæ, quibus non servatis actus decernitur nullus seu irritus de quo vide dicta *Tr. de Leg. disp. 3. q. 9.*

30. *Si sit solemnitas*

Et quidem si lex simpliciter irritet contractum

*nitas substantialis, ejus defectus reddit contractum etiam in conscientia nullum.*

tractum aliter initum, censemus est juxta communiorem sententiam irritus, non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ. Non enim deest in legislatore potestas, utì certum est. Non etiam voluntas: cùm verba sonent, utì supponitur, absolutam irritationem; nec sit solidum fundamentum ea accipiendi in ordine ad solum forum externum, quod potiùs congruit (dum aliud non constat) consonare interno. Quocirca id certum est in matrimonio clandestino ex communi sensu Doctorũ & fidelium. Unde ad ceteras quoque leges sic intelligendas sumi potest argumentum. Nec dici potest, ideirco id esse in matrimonio, quòd non solùm ipse contractus irritus decernatur, sed & ipsi contrahentes inhabiles ad sic contrahendum. Nam certè etsi id non fuisset additum, non ideo contractus fuisset validus in foro conscientiæ. Et sicut irritatio actûs, cur non sic inhabilitas ad illum posset intelligi pro foro externo? Imo inhabiles ideirco decernũtur à *Tridentino* ad matrimoniũ clandestinè ineundum, ex eo quòd ipse contractus sic initus ab eodem simul decernatur irritus esse & nullus. Ut proinde etiam hoc ipso, quòd alii actus simpliciter irritantur per leges, fiant contrahentes ad illum ineundum inhabiles.

31. *Varii quomodo ipsi sentiant.*

Nihilominus varii graves Doctores secùs censent: quorum doctrina à *Lessio* & aliis habetur non improbabilis. Qui tamen non negant, quin etiam in foro conscientiæ nulli sint actus, dum solùm irritantur indirectè & ex consequenti, quatenus videlicet ex directa inhabilitatione personarum ad contrahendum (quales sunt consanguinei, affines, professi, ordinati &c.) sequitur nullitas ipsius contractûs.

*De solemnitate Testamentorum remissivè.*

Specialis difficultas moveri solet de Testamento non solemni, ob leges indicantes variorum judicio nullitatem illius solùm ordinari pro foro externo: cujus veritas suo loco discutietur. Atàs suppositâ absolutâ irritatione ex tenore legum, & speciali exceptionis causâ cessante, etiam de his, quod de reliquis est intendum.

32. *Error alius circa causa contractus, alius incidit in contractum.*

Pro resolutione posterioris partis quæstionis notãdum quòd error aliquando det causam contractui, aliquando tantùm incidat in contractum. Ille qui dat causam contractui, vocatur antecedens, estque ille, qui est causa, cur contractus ineatur, in quantum scilicet proponit motivum seu rationem, ob quam contractus initur, sic ut non iniretur, si non proponeretur. Ille qui incidit in contractum, dicitur concomitans, estque ille, qui non est causa, ut contractus ineatur, sic ut etsi ille error non adesset, huc contractus iniretur: potest tamen esse causa, ut excedatur in pretio, vel contractus libentiùs ineatur. Hoc notato.

Dicendum in primis, quòd dum in altero contrahentium est error circa rei substantiam, contractus sit ex natura rei irritus. Est communis Doctorum: quia tunc deest substantialis consensus: v. g. si mercator vitrum vendat pro gemma, tunc enim consentis in rem planè aliam, quàm sit illa quæ traditur, & hoc verum est, sive error sit antecedens & causa contractûs, sive tantùm sit concomitans: nam etiam hic saltem causat non voluntarium, etsi non causet involuntarium. 33. *Error quicumque circa substantiam irritat contractum.*

Dicendum II. Si error sit tantùm circa qualitatem contractûs, est validus, modò saltem dolus non det causam contractui: quia tunc est verus & substantialis consensus. Valet igitur contractus, etsi quis sit deceptus ultra dimidium, nec potest rescindi nolente emptore, sed tantùm ad æqualitatem reduci restituendo vel superaddendo quantum satis est. Idipsum specialiter patet in contractu matrimonii, & professione religiosa. Nec est apparens ratio, cur contractus tali errore iniius censeri deberet nullus. Unde etiam juxta *L.* 10. *ff. de contrah. empt.* contractus est validus, quo aurum venditur, sed deterius, quàm putabatur; & juxta *L.* 11. *ff. eod.* si virgo putabatur, quæ est mulier. 34. *Secus ut de Errore circa qualitatem.*

Dicendum III. Si dolus circa qualitatem det causam contractui, & proveniat ab altera parte, vel saltem illa sit particeps doli, contractus jure naturæ non est irritus: si tamen solubilis sit, potest irritari. Est communis Doctorum sententia; nisi quòd excipiatur casus, quo error redundat in substantiam ipsius objecti contractûs, v. g. in matrimonio in ipsam personam. Vide *d. 6. de Matrim. quæst. 1.* Excipitur etiam casus, quo quis expressè & sub conditione, quòd subsit qualitas, circa quam erratur, consenserit: tunc enim intrat ipsa objectum substantiale consensûs, ut patet. Aliàs autem non præsumitur qualitas ingredi objectum constitutivum ipsius consensus; etsi quis sit ita dispositus, ut si sciretur abesse, non consentiret: ista enim dispositio de facto nil operatur, utì non impedit absolutum consensum in præsenti. 35. *Dolus circa qualitatem dans causam contractui nõ irritat illum ex natura rei.* *Limitatio.*

Primæ partis ratio est: quia tunc dolus non versatur circa materiam aut substantiam contractûs, sed circa causam contrahendi, ac proinde non tollitur substantialis consensus. Unde id certum est in contractu matrimonii, si v. g. contrahatur cum ea, quam deceptus putat divitem, nobilem, virginem &c. Similiter valida est collatio ordinis aut beneficii, etsi Episcopus moveatur consanguinitate, quæ non subest. Id ipsum confirmatur ex dicendis *num.* 37. *& seqq.* *Probatur.*

Secundæ partis ratio est: quia qui dolo inducit alterum ad contrahendum facit injuriam, adeoq; tenetur eum restituere in integrum, &c. 36. *Facit tamen dolus irritabilem, si sit solubilis.*

integrum, & consequenter reddere omnia infecta, si alter velit. Confirmatur: quia omnis contractus jure Gentium videtur habere hanc tacitam conditionem, quòd contrahens stabit contractui, nisi deprehenderit se graviter esse deceptum, tali præsertim deceptione, quæ sit causa contractus. Hinc usu omnium Gentium receptum est, ut quis nolit stare contractui, si deprehendat se penitus deceptum, & res adhuc sit integra, teneaturque deceptor etiam ad fructuum restitutionem. Ita *Lessius c. 17. dup. 5.*

37. *Immoetiam jure positivo non sunt irriti ipso facto contractus stricti juris.*

Dixi *jure naturæ*: nam jure positivo aliud posset esse statutum. Et quidem contractus stricti juris subsistere satis conveniunt Doctores, & colligitur ex *Instit. de except. in princip.* Idem patet *L. dolo 5. C. de inutil. stipulat.* & *L. 36. ff. de verb. obligat.* Etsi per exceptionem doli possit obtineri rescissio contractûs à judice aut etiam pro foro conscientiæ rescindi possit ab ipso decepto.

*Secus appareret probabiliter de contractibus bonæ fidei.*

At contractus bonæ fidei esse ipso jure irritos, saltem ex parte decepti, tenent passim Juriſperiti, & varii Theologi, *arg. L. Et eleganter in princip. ff. de dolo*, ubi sermo est de venditione. Et *L. 3. ff. Pro socio* dicitur: *Societas si dolo malo coita sit, ipso jure nullius momenti est.* Et *L. 16. ff. de Minoribus* eadem *nulla esse* dicitur, & *ideo cessare partes prætoris*, quia nempe talis *satis ipso jure munitus est.* Idemque apparet de reliquis bonæ fidei contractibus, à paritate.

38. *Quamvis & hos non esse planè irritos sit valde probabile.*

Verùm hos quoque non esse omnino irritos, sed arbitrio decepti irritandos, docet *Lessius, VViggers, Castro Palao* & plurimi alii, atque ex Juriſperitis varii, signanter *Gudelinus l. 3. de jure noviss. c. 1.* Colligitur ex *L. Si dolo 5. C. de rescind. vendit.* qua præscribitur, ut Præses Provinciæ aditus rescindi venditionem jubeat in casu talis doli. Ubi supponitur venditionem valuisse, quæ rescissioni faciendæ subjacebat. Et ex *L. 28. ff. de contrah. empt.* patet esse validam venditionem rei, quam emptor dolo inductus putabat esse venditoris. Id etiam habetur *L. 34. eod. tit.* & colligitur ex *L. 48. §. 1. ff. de furtis.* Ad idem facit *L. 13. ff. de act. empti.*

*Probatur ex jure.*

39. *Confirmatur.*

Accedit, quòd metus non irritet ipso facto, qui tamen dolo æquiparatur *L. 5. C. de inutil. stipul.* adeò ut qui metum infert, etiam dolo faciat *L. Item si 14. §. Eum qui 13. ff. Quod metûs causa.* Immo dolus tamquam quid magis commune continet in se, tam vim, quàm calliditatem sine vi, juxta *L. 2. §. 8. ff. Vi bonorum rapt.* Accedit etiam (quod & alii plerique fatentur) teneri deceptorem stare contractui, si deceptus velit, ad cujus proinde nutum etiam firmiter valet, & ad ejus solius petitionem est locus rescissioni per judicem *L. Si dolo cit.* Igitur contractus non est omnino invalidus.

Idque expectebat: cùm leges sint latæ in favorem innocentium, quorum postea interdum interest, ut contractus dolo initi valeant, in præjudicium ipsorum decipientium. Unde possunt, sive contractum rescindere, sive dum stare volunt, exigere, ut decipiens reparet inæqualitatem. Neque est ratio, cur potiùs contractus stricti juris, quam bonæ fidei (cùm utrobique sit par consensus) forent validi.

*Consequentia.*

40. *Qui responderi possit ad leges oppositas.*

Quamvis sit interdum stylo non insueto juris dicantur nulli, tum quia deceptus dolo cognito potest irritos reddere, uti & officium judicis idem postulat: tum quia ipse decipiens nil solidi juris acquirit, nisi deceptus ratificet, sic ut teneatur etiam ante sententiam ad restitutionem in integrum; tum ideo, quòd (ut habet *Gudelinus sup. & in Syntagmate Regul. jur. c. 13. n. 27.*) doli metusve exceptio ipso jure bonæ fidei judiciis inesset, id est, opponi in istis judiciis posset, licet non contestata, nec judici data expressis verbis præscripta: quod secùs in strictis judiciis. Ita ille. Aliter ad *L. Et eleganter* respondet *Lessius c. 17. dub. 5. n. 31.* Quem vide.

41. *Si deceptus quis fuerit à se vel à tertio, contractus valet.*

Petes, an quando alter contrahentium non est particeps doli, sed contrahens est deceptus merè à tertio, vel à semetipso, contractus sit absolutè validus? Resp. Aff. quia nec deest consensus, nec jus alicubi illum irritat. An autem possit in irritum revocari arbitrio decepti, dubitari posset. Et quidem in contractibus gratuitis, si dolus vel error circa motivum ei causam dederit, videtur ita passim usu receptum, ad vitandas multas lites & perplexitates, præterquam in voto, uti testatur *Lessius c. 17. dub. 5. num. 33.* Quia in his spectanda videtur mens seu intentio etiam tacita & habitualis: ex sola enim intentione legem accipiunt. Et in hoc conveniunt Doctores satis communiter.

*An irritabilis, si gratuitus.*

42. *An etiam si onerosus.*

In onerosis est major difficultas; quia hic contractus pendet etiam à consensu alterius onus suum ferentis: deceptusque à se ipso, sibi imputet defectum examinis; vel si à tertio, habet actionem contra ipsum *L. Et eleganter sup. & L. Si Proxeneta ff. de Proxenet.* Unde sic probabiliter tenent varii, signanter *Molina, Rebellus* & alii, ut refert & sequitur *Lugo d. 22. sect. 6. num. 83.* præsertim quando quis deceptus est à se ipso.

*Opinio negans valde probabilis.*

43. *Opposita nihilominus non improbabilis.*

Nihilominus *Lessius sup. Malderus, Wiggers, Castro Palao* & alii censent, re adhuc integrâ probabiliter non teneri in conscientia, nisi fortè cogatur per sententiam judicis implere contractum, si error invincibilis dedit causam contractui. Primò, quia id apparet in sponsalibus, ad quorum executionem seu impletionem non obligaris, si deprehenderis aliquid notabile ad contractum pertinens subesse, quod te à contrahendo meritò retraxisset. Secundo, quia

etiam aliorum contractuum obligatio cessat, sic ut in iis non tenearis progredi, si status rei notabiliter mutetur: paria autem sunt, de novo advenire, & quod latebat, patefieri. Denique quia is videtur stylus & mens contrahentium: ut proinde alter non videatur posse conqueri de injuria. Accedit speciatim in eo casu, quo est dolus injustus tertij, exemplum metûs, qui etsi à tertio incussus, facit, ut metum passus possit non implere. Si tamen alteri innocenti damnum aliud inde obveniret, deberet illud ei compensare, & locus manet adversus deceptorem agendi in id quod interest, sive in lucrum cessans & damnum emergens ex tali deceptione.

44. *Metus quicumque non irritat regulariter contractus ex jure naturæ,*

De metu, sive absolutè, sive respectivè gravi, ac de levi vide *d.* 3. *de Matr. quæst.* 4. ubi de invaliditate matrimonii gravi metu initi agitur. Quantum ad præsens itaque metus quicumque non irritat contractus jure naturæ (nisi forte matrimonium, ut plures volunt; etsi alii non pauci contradicant) dum tamen adsit advertentia sufficiens ad graviter peccandum, & verè sit interior consensus (qui in casu metûs sæpe fingitur) etsi metu extortus. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia non obstante metu, adest consensus liber & voluntarius simpliciter, esto adesse soleat involuntarium secundùm quid. Injuria quoque (quæ communis est dolo accidentali; qui tamen jure naturæ contractum non irritat) parit quidem in injuriante obligationem reparandi illam, seu damna consequentia, non facit tamen, ut liber consensus injuriati non pariat valorem contractûs.

45. *Iure positivo valde contractus irritantur.*

Dixi *jure naturæ*: nam jure positivo varii contractus gravi metu ad hoc injustè incusso initi irritantur. Et saltem jure Ecclesiastico irritum constat esse matrimonium sic initum. Idemque est de professione religiosæ, c. 1. *de iis quæ vi metûsve*. Immo quidam id referunt ad jus naturæ, & extendunt etiam ad alia vota, quasi non sit existimandum hujusmodi vota à Deo acceptari. Similiter irrita omnino censetur promissio dotis per talem metum *L.* 21. §. *Si dos ff. Quod metûs causa.* Item nullius esse momenti decernitur *L.* 22. *ff. eod.* quod extorquetur à detruso idcirco in carcerem. Alios casus ex *Glossa in c.* 2. *de iis quæ vi* enumerat *Lessius c.* 17. *dub.* 6. *n.* 37.

46. *Ceteri non sunt irriti sed irritabiles.*

*Sive sint stricti juris.*

*Sive bonæ fidei.*

De cetero contractus gravi metu injustè ad hoc incusso initi juxta receptam Theologorum sententiam non sunt omnino irriti etiam jure positive, sed solùm irritabiles pro arbitrio metum passi, aut per judicem pro foro externo. Quod de contractibus stricti juris facilè etiam alii admiserint, conformiter ad dicta de dolo, & satis patet ex *Instit. de Except. in princip.* De contractibus tamen bonæ fidei, Varii contradicunt, etsi nobiscum sentiat *Zoesius in ff. Quod metûs causa n.* 9. quantumvis de dolo secùs sentiat in *ff. de dolo.*

47. *Probatur ex jure, & occurritur objectionibus.*

Probatur autem: quia in jure non sufficienter apparet distinctio aliqua facta inter utrumque genus contractûs, neque alicubi irritantur omnino contractus bonæ fidei, sed irritari præcipiuntur per judicem; ut *L.* 9. *ff. Quod metûs causa*, ubi Prætor generaliter edicit: *Quod metûs causâ gestum erit, ratum non habebo*; quia videlicet per officii sui interpositionem rescindet. Eoque sensu irrita dicitur venditio per vim facta *L.* 1. *C. de rescind. vendit.* quia scilicet à Prætore rata non habebitur, sed rescindetur, ut satis patet ex contextu. Et *L. fin. C. de his quæ vi*, tam de venditionibus (quæ bonæ fidei sunt) quàm de donationibus & transactionibus per potentiam extortis, generatim dicitur: *Præcipimus infirmari*: quia videlicet per metum gesta, etsi valeant, tamen (ut dicitur c. *Ad audientiam, de iis quæ vi*) *carere debent robore firmitatis.* Immo *L.* 21. *in fine ff. Quod metûs causa* dicitur: *Si metu coactus adis hereditatem* (cujus aditio est bonæ fidei) *puto me heredem effici: quia quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, sed per Prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur.* Et consonat *L.* 85. *ff. de acquir. heredit.* Et quamquàm *L.* 6. *ibid.* dicatur non tenere aditio metu facta, tamen ibi sermo est de casu, quo simul aberat animus adeundi, præmissâ nimirùm occultâ desuper protestatione; ut patet in verbo *fallens.*

48. *Metus gravis etiam à tertio incusso causa contractûs facit irritabilem.*

Quamvis itaque metus injustus ordinariè non omnino irritet contractus, reddit tamen rescindibiles arbitrio metum passi; non solùm si hic sit incussus à parte contrahente (quæ ratione injuriæ tenetur lesum restituere in pristinam libertatem) verùm etiam si solùm fuerit incussus à tertio, ut tradunt Doctores. Nam (ut habetur *L.* 14. §. *In hac actione ff. Quod metûs causa*) *in hac actione non quaritur, utrum is qui convenitur, an alius metum fecit: sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum vel ejus.* Similiter c. 3. & 4. *de iis quæ vi &c.* agitur de metu à tertio illato.

*Ratio.*

Rationi etiam non consonat, quòd per consensum injuriose extortum transferatur res omnino solidè & irrevocabiliter. Quare congruebat ratione injuriæ manere non tantùm personam, sed & rem ipsam obnoxiam restitutioni, sic ut detur in illam actio, apud quemcumque reperiatur: prout sumi potest ex *L.* 9. §. *Sed quid*, & §. *Volenti ff. Quod metûs causa.*

49. *An inter dolum & metum quæ sit differentia.*

Quæ ratio etiam videtur locum habere in contractu, cui dolus tertii causam dedit. Quamvis inter dolum & metum considerent alii differentiam, quòd metus tangat & concutiat immediatè ac velut intrinsecè ipsam voluntatem, adeoque substan-

substantiam ipsius consensûs, sejùs quàm dolus. Nihilominus qui ignarus injuriæ sive metûs contraxisset, probabiliter (ut notant Varii) non teneretur restituere rem acceptam per contractum, nisi passus injuriam cœperit in rem suam agere: eò quòd factus sit dominus, idque citra injuriam.

50. *Metus justè incussus non reddit contractum irritabilem.*

Notandum tamen, quòd metus justè incussus non faciat contractum irritabilem. Quod de ipso matrimonio, patet ex. *disp. 3. de Matrim. q. 4.* Neque expediebat contractum sic initum irritari: cùm in metu & periculis constituti habeant hoc præcipuum remedium, quo auxilium aliorum impetrent, sicque liberentur; v. g. in periculo submersionis, justè accusationis, aut occisionis, promittendo præmium succurrenti, aut ab accusatione vel nece desistenti. Immo etsi metus sit injustè incussus, non tamen ad extorquendum contractum, adhuc valet matrimonium juxta ea, quæ tradimus *q. 4. cit.* Idemque à fortiori est de aliis contractibus, v. g. de promissione premii facta defendere volentibus eum, qui patitur periculum à latronibus, qui utique metum tali fine non inferunt, immo contra quorum intentionem est talis contractus, assumptus sponte tamquam medium se liberandi à metu aliunde illato: quod quidem medium non expediebat auferri, infirmando hujusmodi promissiones seu contractus.

51. *Quid censendum de metu levi.*

De metu levi injustè causâ contractûs incusso, si revera sit causa ipsius contractus, idem censent Doctores quantum ad forum conscientiæ (dempto saltem matrimonio & voto) quod de gravi: cùm pariter sit consentiens per injuriam extortus, adeoque sit læsus in conscientia restituendus in integrum. In foro tamen externo ex metu levi non datur actio, sive ad rescindendum, sive ad excipiendum ratione metûs; tum ad vitandam litium multiplicitatem & fraudulentas prætensiones: tum quia non præsumitur metus talis fuisse causa contractûs, sed spontaneus consensus. Unde *L. 184. ff. de Reg. jur.* dicitur: *Vani timoris justa excusatio non est.* Idem patet *ex L. 6. ff. Quod metûs causâ.*

## QUÆSTIO III.

## *Quinam Contrahere Possint, & in Integrum Restitui?*

52. *Qui generatim ad contrahendum habiles.*

PRo regula generali hîc deservire potest, omnes & solos posse contrahere, qui liberam bonorum administrationem habent. Qualem in primis non habent infantes, amentes, aut aliàs usu rationis carentes, pro eo tempore quo carent. Præterea Religiosi professi; cùm enim nil suum vel tamquam suum habere possint, neque velle aut nolle, consequenter nequeunt legitimè disponere etiam de bonis Monasterii, sine Prælati consensu. Prælati verò & constituti ab eo administratores bonorum communium, possunt quidem contrahere, sed in multis non nisi dependenter à consensu communitatis seu capituli, & ad usus determinatos. De quibus agi solet à Doctoribus in materia de Statu Religioso.

*Inhabiles, qui carent usu rationis.*

*Quid de Religiosis.*

53. *Quid possint Filii familias.*

Filii familias contrahere possunt, dummodo puberes sint, de bonis castrensibus & quasi castrensibus, salvo beneficio restitutionis concesso Minoribus. De aliis disponere nequeunt inter vivos, veluti quorum dominium, aut saltem administratio seu ususfructus est penes patrem. Immo ne de adventitiis quidem (quorum dominus est) disponere potest per testamentum, etiam de consensu patris, attento jure communi, ut Doctores tradunt ex *L. Qui in potestate ff. Qui testam. fac. possint*, & *L. Nemo C. eod.* Moribus autem nostris filii familias puberes possunt ex auctoritate patris tamquam tutoris de adventitiis disponere, & eo etiam invito de iisdem testari. De cetero ex bonis paternis aut fructibus ad parentem spectantibus nil possunt disponere, nisi in quantum eis aliquid de his donaverit, aut de illius consensu. Prout in studiis aut alibi existentes possunt expendere in honestas recreationes, moderatas eleëmosynas, conformiter ad exigentiam honestatis, & morem apud sui similes receptum, de præsumpto consensu parentis.

54. *Quid censendum de uxoribus ex jure communi.*

De Uxoribus quoque specialis quæstio meritò instituitur. Et quidem si jus Cæsareum attendatur, uterque conjugum retinet dominium, tum eorum quæ ante matrimonium habuerat, tum quæ quisque postea acquirit (nisi societatem iniisset, uti extranei) exceptâ saltem dote viro collatâ, & bonis antipharnis, id est, donatis vicissim à viro propter nuptias. Uxore enim, vel pro ea alio, inferente aliqua ad sustinenda matrimonii onera (quæ nomine dotis censentur; etsi sine ea posset matrimonium celebrari) vir vicissim donabat tantumdem uxori propter nuptias: quorum administratio erat penes ipsum, & saluto matrimonio dos ad uxorem ejusve heredes, antipherna ad maritum revertebantur; nisi ex pacto speciali (quod iniri poterat salvâ æqualitate) vir lucraretur dotem, & è contra uxor antipherna. Poterat proinde de bonis paraphernis seu prædotalibus uxor liberè disponere, utpote eorum domina & administra. Secùs de aliis, quæ quantum

ad proprietatem, aut certè administrationem, erant mariti, contra cujus voluntatem disponendo faceret per consequens eidem injuriam.

55. *Quid attentis moribus nostris.*

*Qui declarantur.*

Non ubique tamen jus commune servatur. Specialiter in Belgio ferè sola nomina dotis, antiphernalium & paraphernalium bonorum manent. Immobilia quidem, tum præxia, tum per successionem acquisita manent singulis propria. Quoad mobilia verò, debita, conquesta est communio bonorum inter conjuges, viro omnium administratore tamquam uxoris tutore: sic ut hæc ne quidem de propriis validè sine ejus consensu contrahere, aut desuper in judicio conveniri possit, nisi sit publicè mercatrix, adeoque de consensu (qui præsumitur) viri, quem, uti & seipsam, in rebus à negotiatione pendentibus obligat. Vir autem potest de bonis, etiam sine consensu uxoris (demptis hujus bonis immobilibus) alienando disponere. Soluto matrimonio immobilia defuncti plerumque transeunt ad heredes, mobilia (de quibus tamen non ubique idem mos) conquestus, æqualiter dividuntur cum superstite, uti & debita. Superstes præterea lucrari solet doarium, sive ex lege, sive ex conventione; puta sive proprietatem mobilium, sive usum-fructum immobilium, aut certæ horum partis: salvo eo, quòd doarium conventionale ex Edicto anni 1611. *art.* 27. nequeat excedere, dum proles est relicta, medietatem proventuum bonorum immobilium. Itaque stante matrimonio uxor disponendo de bonis, sive proprtiis, sive communibus (adeoque à fortiori, si de propriis mariti) faceret injuriam marito non consentienti; utpote cui competit eorum ususfructus, & quantum ad medietatem bonorum communium etiam dominium.

Secùs est, quantum ad necessaria œconomiæ, moderatas œconomosynas & recreationes juxta statum suum: in quibus veluti ad decentem sustentationem consortis spectantibus, maritus non esset rationabiliter invitus. Quo etiam spectat egestas patris aut matris propriæ. Quod similiter ad fratres & sorores extendit *Lessius c.* 12. *dub.* 14. Qui præterea maritum dissipatorem rei communis in compotationes, largas donationes &c. docet esse injurium uxori, instar tutoris dissipantis bona pupilli. Vide ipsum.

56. *Prodigus post interdictum ad obligationem contrahendam inhabilis.*

Insuper etiam alia personarum genera possunt per leges reddi inhabilia ad legitimè contrahendum seu disponendum de bonis suis.

Et in primis prodigus sive indiscretus sui patrimonii dissipator, cui previâ cognitione causæ interdicta est bonorum suorum administratio, assignato ei curatore, nequit absque hujus auctoritate per contractus alteri obligari, sive civiliter (sic nempe ut alteri detur actio ad debitum, seu jus agendi & petendi debitum in judicio) sive etiam naturaliter aut in conscientia (quæ obligatio tribuit exceptionem, quâ se tueri quis possit, si abita obligato conveniatur, utque solutum repeti non possit, & viâ compensationis reciprocæ possit opponi debitum debito, quod alter exegerit) tametsi possit alterum sibi obligare, ut patet ex variis juribus, signanter *L. Is cui bonis 6. ff. de Verb. obligat.* sic ut etiam non sit ei permissum facere testamentum, etsi ratum habeatur, quod ante interdictionem ab eo factum erat *Instit. Quibus non est permiss. fac. testam. §. Item prodigus.* Comparatur enim in jure furioso seu mente capto *L. His qui §. fin. ff. de Tutoribus & Curatoribus datis ab his.* Quamvis in augendis bonis comparetur potiùs pupillo, qui alterum sibi in commodum suum obligare potest.

*Etsi possit alterum sibi obligare.*

57. *Non sufficit esse notoriè prodigum, nisi accedat & promulgetur interdictum.*

Non sufficit autem juxta veriorem & in foro externo seu praxi receptam sententiam, quòd sit notoriè prodigus, donec accedat & promulgetur Judicis interdictum. Leges enim non amplius requirunt: quin potius agunt de interdicto per Prætorem seu Judicem, *L. Iulianus 10. ff. de curator. furioso, &c. dandis.* Quò etiam allegatur *L.* 27. *ff. de Minoribus in princip.* Ad idem faciunt *Instit. sup.* Alibi autem declarationem Magistratûs, esto leges non exprimant, tamen non excludunt. Et alioquin etiam in notoriis sententiâ declaratoriâ opus est, *L. Si confessus ff. de custod. & exhib. reorum.*

*An mores sanior recuperata sit similiter declarandi.*

At sanis moribus receptis videtur ipso jure *L.* 1. *ff. de curat. furiosi & aliis dandis* cessare potestas curatoris. Verùm etiam tunc requiri sententiam declaratoriam judicis tradit *Zoesius ad Instit. de Curat. n.* 6. & de consuetudine, præsertim Flandriæ, testatur ex *Damhoudero Valer. Andr. ad Instit. cit. in addit num.* 6.

58. *Quinam Pupilli.*

Secundò præcipua quæstio est de Pupillis & Minoribus. Et quidem Pupilli propriè censentur, qui curâ parentis, puta potissimùm defuncti, sunt destituti, usque ad tempus pubertatis. Quorum aliqui sunt infantes, usque ad annum scilicet ætatis septimum completum: quo tempore nec obligari, nec alios sibi obligare posse defectu usûs rationis, constat. Infantiæ proximi censentur, quorum ætas propior est infantiæ, quàm pubertati. Alii dicuntur proximi pubertati, masculi quidem post annum decimum cum dimidio, feminæ post annum nonum cum dimidio. Quamvis nonnulli putent id relinquendum arbitrio judicis, attento

*Horum aliqui infantes, alii infantiæ, alii pubertati proximi.*

attento quorumdam puerorum præ aliis præcociore intellectu. Pubertas incipit in masculis post annum decimum quartum, in feminis post duodecimum completum. Et exinde finitur officium tutelæ. Postea dicuntur minores seu minorennes usque ad initium anni vigesimi sexti ex quo incipiunt dici majores, & absolvi etiam à cura, cui interea subsunt: etsi invitis curator non detur, nisi ad lites, *Instit. de curat.* §. 2. & doctores passim quamquam & invitis dandum contendat *Tuldenus in C. Quando tutor. vel curat. esse desinant*; quem vide) nec tam personæ quàm rebus detur. Et quidem de jure communi. Nonnullis etiam locis curatela citiùs desinit.

*Puberes qui.*

*Qui minorennes*

*Invitis curator an detur.*

59. Et quidem moribus nostris expirat per matrimonium & Ordines sacros: intellige quoad bonorum administrationem, non ita, saltem generatim, quoad distractionem prædiorum seu immobilium, ut videre est apud *Christinæum ad Consuet. Mechl. Tit. 19. a. 27.* Idemque est de iis qui ob mercaturam aliasve causas, citius obtinuerunt veniam ætatis.

*59. Moribus qualiter curatela desinit.*

60. Moribus etiam passim receptum est, ut tutela non finiatur pubertate, sed in curam seu curatoriam (inter quam & tutelam vix hodie distinctio agnoscitur) transeat, etiam sine novo decreto: ij autem quibus tutela aut cura incumbit, Mamburni vocantur, qui (si testamentarii non sint, aut legitimi, seu quibus de jure etiam municipali id competat) constituuntur, etiam à quolibet Magistratu loci, seu municipali, aut ab iis, qui per magistratum deputati sunt præfecti seu magistri pupillorum, & statuunt magistratum (quem vocant) pupillarem.

*60. Inter Tutores & Curatores an hodie distinctio vel quæ.*

Adolescentibus, etiam invitis, ut sub tutela seu curatoria vivant, datur curator, si eò careant. Etiam officium tutelæ competit hîc plerumque seu permittitur parenti superstiti. Solentque tutores per se ipsos pro pupillis seu minoribus de ipsorum bonis contrahere. Videri potest de cetero *Christinæus ad Tit. 19 cit. Zypæus in Not. Jur. Belg. Tit. de Tutoribus.* His præmissis.

*Minoribus etiam invitis per mores curator datur, etiam parens.*

61. Varii non distinguunt in hac materia inter pupillos saltem pubertati proximos & minorennes puberes. Quod tamen attento jure præsertim communi non est universim verum, ut ex dicendis patebit. In hoc sunt in primis pares, quòd juxta *L. 4. C. de prædiis minor. L. fin. C. Si major factus alienat.* sine decreto judicis seu magistratûs non possint ex communi sententia validè alienare (ubi nomine alienationis venit actus omnis, qui rem ponit extra bona minoris, vel ejus usum aufert, aut minuit, uti donatio, venditio, permutatio, oppignoratio, in solutum, in emphyteusim, in usumfructum datio, servitutis impositio, remissio juris in rem competentem, ut tradunt Doctores *arg. L. 4. C. de præd. minor.*) immobilia; demptis quibusdam casibus, quos ex *Menochio* recenset *Castro palao, disp. 1. p. 4. §. 5.* & *Christinæus ad Consuet. Mechl. Tit. 19. a. 17. n. 7.*

*61. In quorum alienatione requiratur decretum judicis pro pupillis ac minoribus.*

*Quid nomine alienationis intelligatur.*

Quòd Doctores etiam extendunt ex *L. Lex quæ 22. C. de administ. Tutor.* ad mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt; prout sunt v. g. gemmæ, vasa argentea, vestes &c. Secùs est de aliis, v. g. vestimentis detritis, animalibus supervacaneis, & similibus.

Estque hoc decretum, ut valeat, dandum re diligenter investigatâ, quòd nempe subsit & urgeatur æris alieni solutio, exigens alienationem rei immobilis, nec decernatur venditio rei ultrà quàm necessitas requirat, nec alterius, quàm minùs prædicativæ; fiatque (quòd habet stylus seu lex municipalis multorum locorum) venditio publicè per subhastationem. De quibus *Christinæus sup. a. 19.* & Auctores in *ff. de rebus eorum quæ sub tutela &c.*

*62. Qualiter decretum dandum, ut valeat.*

Est quoque hoc decretum judicis necessarium generatim juxta *L. 3. C. de his qui veniam atat. impetrar.* in omnibus minoribus, tam qui non impetrarunt (quamvis curatore careant) quàm qui impetrarunt veniam ætatis: nisi fortè princeps hîs etiam immobilium alienationem expressè indulserit: nam etsi in iis non sit dependentia à curatore, manet tamen in casibus jure statutis dependentia à decreto judicis; quod etiam tutore seu curatore habito requiritur ultra ejusdem consensum.

*An necessarium curatore destitutis, aut veniam ætatis habentibus.*

Præterea ad pupillum quod attinet, non indiget is (adeoque nec minor à fortiori) auctoritate tutoris quoad actus lucrosos, ex quibus pupillo nullum est detrimentum, veluti in acceptando donatium &c. *Instit. de auct. tutor.* Quod etiam ad infantiæ proximos est extendendum, cùm & hi *idem juris habeant* (quando non agitur de obligando) *quod pubertati proximi Instit. de inutil. stipul.* Aditio tamen hereditatis oblatæ facta à pupillo non tenet, nisi auctore tutore *Instit de auctor. tutor.* & *L. 9. ff. eod.* quòd etsi primâ fronte videatur lucrosa hereditas, sæpe tamen damnum lateat; cui provisum voluit lex, ne quando incurratur.

*63. Pupillus ad actus lucrosos non requirit auctoritatem tutoris.*

*Etsi infantiæ proximus.*

*Aditio hereditatis excipitur.*

Quòd si agatur de obligationibus mutuis, ut emptione, alienatione, oppignoratione, & similibus, ex quibus pupillo præjudicium oriri potest, is quidem, si sit pubertati proximus, potest alterum sibi obligare etiam civiliter, non tamen vicissim obligari; contractu proinde in favorem imbecillæ ætatis claudicante (quod sibi imputent, qui cùm personis tantillæ ætatis præsumunt negotia tractare) nisi accedat tutoris auctoritas sive approbatio, qui videlicet inspectâ re, quæ agitur aut mox perfecta est, illam approbet: quo facto etiam obligatur civiliter. Patet *Instit. cit. L. 5. 9.* & *13. ff. de auctor. tutor.*

*64. Pubertati proximus alium sibi obligare potest, non vicissim, nisi auctore tutore.*

*65. An saltem obligetur naturaliter.*

Sed gravis difficultas est, an pupillus non

auctore tutore contrahens saltem obligetur naturaliter. Idemque est de minore, in quantum dependet à suo curatore. In qua *Duplex opinio.* duplex est sententia, nixa utrimque auctoritate gravissimorum Doctorum, nec levibus in jure fundamentis, dum variæ leges videntur expressè excludere obligationem, tam naturalem, quàm civilem: aliæ è contra saltem naturalem videntur supponere. Prout fusè discutit *Sanchez l. 6. de matr. d. 38.* præferens posteriorem sententiam. Videri etiam potest *Zoesius ad ff. de obligat. & act. n. 46. & seqq.* leges utrimque allegans, & similiter naturalem obligationem satis probabiliter adstruens; quæ utique, veluti in jure naturæ fundata, adstruenda foret, donec satis oppositum ex legibus ostenderetur, aut dum res ob apparentes antinomias utrimque obscura maneret.

66. *Corollaria.* Hâc autem sententiâ suppositâ possent alii in conscientia retinere ea, quæ à pupillis accipiunt, donec contractus rescindatur à judice, pupillum restituente in integrum.

In prima verò sententia posset res hujusmodi etiam citra beneficium restitutionis repeti, deberetque restitui. Quod consequenter etiam in ludis locum habet, si saltem pupillus ultra summam (quam alii suæ conditionis solent, vel in quam tutor præsumi posset consentire) expenderit.

An verò in eadem prima sententia teneatur in conscientia pupillus rem promissam dare, dubitari posset. Et quidem varii negant apud *Sanchez d. 38. n. 34.* eò quòd nihilominus detur pupillo actio repetendi solutum, adeoque & retentio & contra petentem exceptio: præterquam quod inutiliter petatur, quod mox restituendum est. Quare etiam *Sanchez* fatetur posse retinere, si velit beneficio Legis uti. Sed non apparet consistere simul obligationem naturalem exequendi, & facultatem liberè & licitè non exequendi contractum: ut proinde consequenter dicendum videatur ipsum teneri promissum solvere, nec posse retinere, tametsi beneficio restitutionis, postquam solutum est, uti possit. Ita *Castro Palao sup. §. 4.*

67. *Pueres minores an vel quando dependeant à curatore.* Ad puberes minores quod spectat, hi, si curatorem habeant, alienare non possunt, nisi auctore curatore; secùs, si curatorem non habeant, etsi etiam tunc contra Læsionem detur restitutio in integrum; prout habetur *L. Si curatorem 3. C. de in integr. restit. minor.* Itaque curatorem habens comparatur ibidem ei, cui à prætore bonis interdictum est, quantum ad rerum alienationem. At quod spectat obligationem personæ, quæ libera est, potest ex jure communi (ut plures censent) illam obligare, promittendo se aliquid facturum seu præstiturum juxta *L. 101. ff. de verb. obl.* ibi: *Pueres sine curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari.*

68. *Consuetudines quæ.* Complures autem in Belgio consuetudines (teste *Christinæo sup. a. 22.*) omnes contractus, tam minorum, quàm pupillorum indifferenter, sine præsentia & auctoritate Mamburnorum nitos, pro nullis habent, nisi eis utiles sint, ut habent Statura Mechlinienſia. Et tunc quidem juxta *Christinæum* obligantur etiam civiliter, datâ aliis civili actione ex rescripto Pii Imperatoris *L. 1. ff. de auctor. tut. L. 3. ff. commodati, & L. 3. ff. de negotiis gestis.*

Possunt nihilominus puberes minores, 69. *An testari possint.* idque juxta jus commune mox ab inchoata pubertate testari etiam de bonis immobilibus: etsi consuetudines nonnullis locis perfectiorem ætatem, adeoque maturius judicium non irrationabiliter exigant, puta tempus plenæ pubertatis, quod in masculis censetur post annum decimum octavum. *Notandum pro Belgio.* Non possunt tamen ex Edicto anni 1611. art. 14. sub pœna nullitatis in Belgio facere ullas donationes, etiam causâ mortis, aut relinquere legata curatoribus, eorumque uxoribus aut liberis durante administratione, exceptis parentibus, avis, fratribus & sororibus. Quamquam (uti postmodum est declaratum) possint curatoribus ex mobilibus aliquid liberaliter donare, idque moderatè juxta suum statum & eorum merita.

Præterea in bonis castrensibus vel quasi castrensibus non dependent Minores (idemque est de pupillis pubertati proximis juxta *Castro palao sup. p. 4. §. 4. n. 10.*) à suis tutoribus seu curatoribus; cùm in his sint quasi patresfamilias, obtineantque liberam administrationem: etsi contra gravem læsionem maneat locus restitutioni in integrum, ut tradunt Jurisperiti ex *L. §. Pupillus ff. de negotiis gestis* teste *VViggers c. 1. dub. 3. in fine.* Unde etsi aliàs non possit agere in judicio, sed detur ad hoc curator etiam invito, fallit tamen (ut habetur apud *Christinæum sup. n. 25. in addit.*) quantum ad peculium castrense & quasi castrense. Quod ibidem extenditur ad exercentes mercaturam, relatis pluribus, signanter *Henrico Kirchotio Resp. 104. n. 7.*

Demum pupillis & minoribus ex con- 71. *Restitutio in integrum quanto tempore competat.* tractu civiliter aut naturaliter valido (si enim omnino sit invalidus, non eget restitutione *L. 16. §. Et generaliter ff. de Minor.*) supereſt beneficium restitutionis in integrum seu redintegrationis pristini status & juris; eò quòd ætas ista sit obnoxia læsioni & circumventioni. Idque quadriennio integro post inchoatam majorennitatem, computando à die utili seu habili, sivè cessante alio impedimento, sic ut alioquin cum proportione ad impedimentum tempus prorogetur quadriennii integri. Estque *A quo petenda.* petenda restitutio à Prætore seu Magistratu, qui jurisdictioni præest. Moribus autem nostris (quibus conformes sunt mores Galliæ) non nisi Princeps ejusve Consilium, diplomate nomine Principis concepto,

70. *Quid pupilli sint citra bona Castrensia vel quasi castrensia.*

to, restitutionem concedit attentâ & expressâ æquitate narratorum in supplicatione: sed veritatis narratorum examen, atque adeò comprobatio partibus auditis plerumque committitur judicibus inferioribus, ad quos ipsa res spectat; uti refert *Zoesius in ff. de in integrum restit. n. 5. Gudelinus l. 3. de Iure Noviss. c. 14. in fine.*

72. *Qua de causa danda.*

Conceditur autem restitutio Minoribus ratione contractûs graviter prudentis arbitrio lesis, sive ex dolo adversarii, sive ex lubrico ætatis. Si quid contigerit fato, v.g. si animalia empta mortua casu fuerint, aut quod cuivis Majori etiam circumspectissimè agenti accidere posset, cessat restitutio. Datur porrò læsis aut circumventis adversus solutionem factam, donationem, aditam damnosam hereditatem quæ putabatur lucrosa, repudiatam hereditatem re integrâ, sententiam seu rem judicatam, etsi præsentibus & auctoribus curatoribus lis sit mota, similesve titulos, ut videre est apud Jurisperitos in *ff. de Minoribus*, & *Castro Palao Disp. 1. p. 19. §. 2.*

73. *An etiam minori contra alium minorem.*

Dubitatur porro, an Minori competat privilegium restitutionis adversus alium Minorem, adeoque pariter privilegiatum? Negat *Sanchez lib. 6. de Matr. d. 4. n. 15. in fine* agens de restitutione Ecclesiæ adversus Ecclesiam (de qua est par ratio) & plures alii. Sed asserit *Castro palao p. 19. §. 3. n. 8.* & alii: eò quòd privilegium istud non restringatur ad solos Minores, neque his alibi detur privilegium impediendi, ne contra se alii Minores restitutionem obtineant, adeoque derogans alteri privilegio. Quemadmodum idcirco potest mulier uti beneficio S. C. Vellejani contra aliam mulierem, in cujus favorem fidejussit, *L. Si sine C. ad S. C. Vellejanum.* Ratio autem alterius sententiæ locum habet in casu, quo duo habent privilegia invicem interimentia seu impedientia.

Hæc tamen sententia limitanda videtur ad casum, quo solùm agitur de lucro captando, non autem quando ex restitutione Minoris alter minor incurreret similem damnum seu læsionem, contra quam utique par haberet restitutionis privilegium, & aliunde potior esset conditio hujus eamquam possidentis. Unde *L. 34 ff. de Minor.* dicitur: *Si minor viginti quinque annis filiofamilias minori pecuniam reddidit, melior est causa consumentis, nisi locupletior ex hoc inveniatur.*

74. *An & Majori causam conjunctam habenti.*

Quæritur etiam, an restitutio Minoris prosit Majori causam conjunctam habenti? Sed Resp. Neg. quando agitur de re dividua; tunc enim solùm afficit restitutio portionem minoris *L. un. C. Si in communi causa.* Neque enim communis causa commune facit auxilium. Secùs est, si res sit non dividua, *L. Si communem 10. ff. Quemadm. servit. amitt.* quam vitiosè citat jungens alias leges *Castro palao p. 19. §. 9.* Quem vide.

75. *Effectus restitutionis.*

Effectus porrò restitutionis est, quòd omnia in pristinum revocentur, unoquoque jus suum recipiente, quasi nihil gestum videatur, ut jam nec damnum nec lucrum sentiat Minor læsus. An etiam fructus interim percepti veniant restituendi, controversum est inter Auctores, qui in varias abiere sententias. Videri potest, *Lessius c. 17. dub. 10.* & *Castro palao d. 1. p. 19. §. 4.*

76. *Transit ad heredes.*

Transit autem hoc beneficium (ut Doctores notant) etiam ad heredes minorum: cùm etsi sit personale, tamen concessum sit ratione rei, seu detur in rem ipsam, & ratione gesti negotii; prout & privilegium S. C. Vellejani transit ad heredes mulieris fidejubentis *L. Heredes 20. C. ad S. C. Vellejanum.*

77. *Quibus modis cesser.*

Cessat denique hoc privilegium variis modis: ut si cesset aut non appareat læsio. Idem est, si minor veniam ætatis impetraverit (quæ præmisso examine causæ seu idoneitatis personarum datur masculis vigesimo, feminæ decimo octavo ætatis anno expleto *L. 2. C. de his qui ven. ætat. impetrar.*) re cùm tales agant ut Majores vi legum, contrahentes cum iis videantur legum auctoritate circumventi, *L. 1. C. eod.* Nisi causa sit multum extraordinaria, seu talis, quæ & majoribus indulgeret restitutionem. Similiter ex *L. 1. & 2. C. Si major factus rat. hab.* cessat restitutio, si major factus verbo, scripto aut facto ratificaverit gestum in minori ætate.

*Venia ætatis quibus danda.*

*Eam habentibus, an competat restitutio*

Approbatio tamen quæ colligitur ex facto non æquè patens, ac ea quæ verbo aut scripto, adeoque interdum non caret dubitatione. Specialiter verò quòd major rem tradens in minori ætate venditam, non censeatur alienationem approbare, sed in consequentiam facere tantùm, & sic nec excludatur à restitutione, habet *Zypæus in Not. Iur. Belg. Tit. de in integr. restit.* referens ex *Christinæo* ita esse judicatum.

78. *Quibus præterea detur beneficium restitutionis.*

Præterea competit beneficium restitutionis Ecclesiis, & aliis piis locis: non tamen personis Ecclesiasticis in contractibus, quos privato nomine faciunt. Insuper competit Communitati cujusque oppidi *L. 4. C. Quibus ex causis Majores in integr. restit.* Quod (ut habet *Lessius c. 17. dub. 9.*) extenditur etiam ad supremos principes quoad bona principatûs alienata: ad Collegia Scholarium & Universitates studiorum. Interdum etiam ad rudes & simplices, qui ignorant jura, prætium & valorem rerum; ut rusticos & mulieres.

Denique (ut habet *Zoesius in ff. de in integr. restit.*) hoc beneficium impetrant, qui circumscripti sunt metu, dolo, absentiâ, vel alia de causa inciderint in captionem: quibus cùm via ordinaria desit, petet hæc extraordinaria. Plura de his vide apud *Zoesium sup. & in ff. de Minoribus, Castro Palao d. 1. p. 19. Lessium sup. & dub. 10.*

## QUÆSTIO IV.

## Quibus Modis Contractus firmentur?

79. *Modi firmantes contractus qui.*

MODI seu formæ, quibus contractus firmantur, solent hi recenseri, Appositio pœnæ conventionalis, arrhæ vel pignoris seu Hypothecæ, Fidejussio & Juramentum.

*Pœna conventionalis quid.*

Pœna seu mulcta conventionalis est quidpiam mutuo contrahentium consensu præstandum ab eo, qui non steterit pacto principali. Distinguitur à legali, quæ est constituta per legem, & judicialem, quæ per judicem seu sententiam illius imponitur in casu particulari. Iustéque à contrahentibus, esto potestate publicâ carentibus, mutuo consensu imponitur resilienti à contractu, quasi ex pacto speciali, tamquam pretium rescissionis contractûs. Estque id ubivis Gentium receptum, ut contractus sint firmiores.

*An justè imponatur resilienti.*

*Aut non implenti contractum.*

Idem est, etsi non injungatur resilienti, sed solùm non implenti contractum, v. g. non solventi pretium, non reddenti mutuum tempore præfixo. Qui enim est in mora, agit contra justitiam, retinens alteri debitum, adeoque pœnâ dignus est; ad quam potest quis se per suum consensum seu pactum adstringere; ut habet communis sententia.

80. *Conditiones servanda.*

Cavendum tamen, ne id fiat in fraudem usurarum, puta non curando de potentia mutuatarij ad solvendum tempore statuto, sed de lucro acquirendo; ut rectè notat *Scotus* 4. *d.* 15. *q.* 2. *n.* 18. & ex eo *Lessius* & alii passim. Secundò, ut mutuatarius sit in mora culpabili; cùm ubi non præsupponitur culpa, pœnæ, utì legali aut judiciali, sic & conventionali locus non sit. Censetur autem impotentia proveniens ex casu fortuito purgare moram; secùs si mutuatarius culpâ suâ se impotentem reddidit, præsertim in fraudem creditoris. Tertiò, debet pœna esse moderata, culpæque & materiæ proportionata: aliàs enim debitor iniquè cogeretur consentire, præsumereturque apponi in fraudem usurarum. Denique requiritur, ut mora sit notabilis, spectatâ negotii qualitate & more in Provincia recepto. Qualis plerumque non est dilatio unius diei aut hebdomadæ juxta *Lessium c.* 20. *dub.* 15. An sit debita solvi, antequam petatur, vel etiam ante sententiam judicis, discussimus *Disp.* 5. *de Legibus q.* 1.

*An debita ante sententiam, remissivè.*

81. *Quid Arrha, & qualiter apponi possit contractui perfecto.*

Arrha (Veteribus Arrhabo) potest accipi, ut sit initi contractûs, præsertim emptionis, & venditionis, argumentum, datum ad eum firmandum, sic ut qui recusaverit adimplere contractum, si arrham dederit, eam amittat, si acceperit, eam in duplum restituat *juxta L. contractus C. de fide instrum.* Cum autem impletus fuerit contractus, arrha computatur in partem pretii, vel (si non sit pecuniaria) redit ad dantem. Vide *Silvestrum sup.* Unde amissio arrhæ præsupponit culpam, utì pœna conventionalis, à qua differt, quòd arrha consistat in aliquo tradendo de præsenti. Ita *Sanchez l.* 1. *de Matr. d.* 35. *n.* 2.

*Qui differat à pœna conventionali.*

Verùm (ut rectè *VVesenbec. ad ff. de contrah. empt. n.* 9. *Zoesius ibid. Valer. Andr. in addit. ad instit. de empt. & vendit. n.* 4. & alii censent) leges dantes locum pœnitentiæ solo arrharum periculo, loquuntur de contractu nondum perfecto, ut arrhæ datæ sint in pignus contractûs perficiendi: quarum quidem arrharum datio (quæ mercatoribus frequens) quasi contractus quidam per se subsistens, talem velut pœnam operetur. Quod satis indicatur *L. contractus cit.* & *Instit. de empt. & vendit in princip.* Ut proinde non sit locus pœnitentiæ, dum arrhæ contractui jam perfecto accedunt (circa quem nil immutare potest arrharum compendium aut dispendium seu jactura) sed præterea maneat recedenti parte invitâ obligatio ad interesse *L. Sicut C. de obligat. & act.*

82. *Leges dantes locum pœnitentiæ amittenti arrham agunt de contractu perficiendo.*

*De Pignore & Hypotheca rectissimè.*

De Pignore & Hypotheca actum est. *d.* 4. *q.* 3. §. 3. *n.* 39. ubi de speciebus juris perfecti seu in re; ut hîc nil sit addendum.

83. *Quæ fidejussio.*

Fidejussio est actus fidei pro alterius principalis obligatione remanente interpositio accessoria; eo fine procurata, ut meliùs contrahenti seu creditori cautum sit ad securitatem solutionis vel ipsius contractûs. Debetque ex jure communi fieri verbis per formam stipulationis *L. Blanditus C. de Fidejussor & Mandat.* tametsi adjici possit cujusvis generis obligationibus, saltem civilibus, demptâ dote: idque juxta *Instit. de Fidejussor.* sive consensu, sive verbis, sive literis sive re contractis. At moribus hodiernis (quibus exolevit stipulationum necessitas) etiam nudo pacto constituuntur fidejussores cum civili obligatione, ut quoad vim obligandi non sit discrimen inter constitutum, quo se quis pro alio principali constituit obligatum, & fidejussionem, ut cum aliis notavit *Gudelinus l.* 3. *de jure Noviss. c.* 11. *n.* 17.

*Qui concipiendâ, & circa quas contractus.*

*Mores hodierni.*

84. *Præsupponit necessariò aliam obligationem, saltem naturalem.*

Necessariò autem ei, veluti accessoriæ præsupponitur alia obligatio principalis, esto tantùm naturalis *Instit. de fidejussor. §.* 1. Quare nec ad plus possunt fidejussores obligari (pro quo tempus fidejussionis interpositæ spectandum regulariter) etsi aliquando eorum ad idem vel minus (prout conventum est) obligatio posset esse arctior seu efficacior; puta civilis, ubi præsupponitur sola naturalis, v. g. in servo, aut (quod leges vehementer indicant) pro pupillo: vel quia se insuper obligarunt ad pœnam, aut sub hypotheca seu pignore vel additâ obligatione juramenti. Potest quoque præcedere principalem obligationem, quando v. g.

*Potest tamen fidejussor habere obligationem strictiorem.*

*An fidejussio possit præcedere obligationem principalem.*

v. g. quis fidemjuberet pro obligatione alterius, si sequatur aut fiat, etsi simpliciter seu absolutè ejus effectus non ponatur, nisi natâ principali obligatione.

85. *Qui Fidejubere possint.*

Fidejubere regulariter omnes possunt, qui principaliter obligari, nisi quibusdam sit specialiter per leges interdictum. De quibus Jurisconsulti *Tit. ad S. C. Vellejanum.* Specialiter mulieris pro viro fidejussio omnino irrita est. Idem generatim censet *Lessius c.* 28. *dub.* 2. dicens esse cõmunem sententiam de fidejussione seu interventione illius pro alienis debitis ex *L. Antiqua* 25 §. *fin. C. ad S. C. Vellejanum*, nisi fiat mediante instrumento publico à tribus testibus subscripto (quorum præsentium loco, ex usu nunc subscribit Notarius) sic tamen ut etiam tunc ei competat exceptio S. C. Vellejani, per quam potest elidere hanc obligationem. Quamquam *Zoesius in ff. ad S. C. Vellejanum* verius putet, quòd exceptis paucis casibus sit valida de jure, solumque ex juribus competat exceptio, quæ actionem supponit. *L. Antiquæ cit.* censet agi de casu singulari. Habetque beneficium hoc locum, etsi mulier ipsum ignoraverit, sic ut etiam solutum possit repetere.

*An mulier.*

86. *Quando ipsa fidejubens excidat à beneficio S. C. Vellejani.*

Excipiuntur tamen quidam casus, quibus excidit à beneficio, puta si in rem suam fidejusserit, v. g. pro suo fidejussore, pro debitis defuncti, cujus hereditatem emit &c. Item si deceptione usa sit: si pro alio solverit citra intercessionem, si pretium operæ seu interventionis acceperit. Item si judicialiter renuntiaverit privilegio. An renuntiatio extrajudicialis, etiam specialis, sufficiat, dubium est inter Doctores. Affirmativam sententiam in praxi receptam, etsi negativam de jure probabiliorem asserit *Zoesius sup.* quem vide; utì & *Tuldenum in C. ad S.C. Vellejan.* Si tamen renuntiatio extrajudicialis sit jurata, servanda est juxta Doctores communiter.

*An ei extrajudicialiter renuntiare possit.*

87. *Effectus Fidejussionis.*

Effectus fidejussionis est, obligatio (quæ etiam ad heredes fidejussoris transit *Inst. supr.* §. 2.) in solidum, etsi alii fidejussores intervenerint, sic ut olim posse unus ex his, pro libito eligendus, excuti in solidum, etiam ante principalem. Quod tamen non habet locum in fidejussore indemnitatis, qui solùm promittit, in quantum, & in casu, quo debitor, aut etiam fidejussores non sunt solvendo; qui proinde priùs excutiendi sunt. Communi etiam fidejussori datum est privilegium excussionis jure novo *L.* 3. *& Authent. Præsente C. de fidejuss.* quo debet priùs excuti principalis si sit præsens, nisi constet satis ipsum non esse solvendo, aut (ut Auctores addunt) ejus executio esset difficilis. Huic tamen favori utpote pro se introducto potest fidejussor renuntiare *arg. L. Penult. C. de pactis.* Debet autem satis expressè & specialiter constare de renuntiatione, quæ veluti stricti juris non venit subintelligenda. Neque competit ei, qui falsò negavit se fidejussorem, idque in pœnam mendacii.

*Beneficium excussionis quale.*

*Huic qui renuntiatur.*

Ex Epistola insuper divi Adriani competit fidejussoribus in solidum obligatis, si plures sint, beneficium divisionis, ut singuli non nisi pro virili, seu pro æquali portione excutiantur *Instit. de Fidejussor.* §. 4. nisi vel falsò negaverint se fidejussores, vel in specie renuntiaverint; prout hodie passim renuntiari solet per clausulas consuetas, quas Notarii solent suis instrumentis inserere; qualis etiam juxta *Valer. Andr. in Not. ad Instit. de Fidejussor. n.* 13. est hæc: *Unus pro omni, vel quilibet in solidum.* De quo videri potest *Christinæus ad Consuet. Mechl. Tit.* 7. *a.* 15.

88. *Beneficium divisionis quale, & quibus competat.*

*Quirenuntietur ei.*

Utrumque hoc beneficium tam excussionis quàm divisionis debet impendi mediante exceptione opponendâ creditori; ante sententiam, quantum ad beneficium divisionis, vel ante litem contestatam (ut habet *Antonius Faber* & alii, etsi nonnulli secùs sentiant) quantum ad beneficium excussionis, veluti quod dat exceptionem tantùm dilatoriam, utì alterum peremptoriam, quæ locum habet usque ad sententiam solùm, nisi postea fuerit ab ea appellatum. Unde si solverit fidejussor, aut non debitè exceperit, utì & si beneficio renuntiaverit, non potest solutum repeti à creditore, sed peti potest cessio actionum in alios fidejussores, & pignorum aliarumque causa non obligatorum possessores: manetque actio mandati aut negotiorum gestorum contra debitorem principalem: in quem etiam potest peti actio ipsius creditoris, dum ei solvit, immo & postquam solverit, cùm solvat suo nomine *L.* 28. *ff. mandati.*

89. *Quomodo & quando sit utrumque hoc beneficium applicandum.*

Cessat minuiturve obligatio fidejussoris eo casu, quo obligatio principalis, cui est accessoria; veluti per solutionem, remissionem, dilationem, obtentam, &c. Neque extenditur ad aliud, quàm de quo conventum est, sic ut etiam extinguatur per novationem seu transfusionem prioris obligationis in aliam validam.

90. *Qualiter cesset Fidejussoris obligatio.*

Juramentum seu divini Numinis in testem invocatio, ut confirmet contractus, non sufficit ipsum fieri assertoriè de præsenti, quo solùm asseritur id quod fit, v. g. jurat quis se donare, vendere, &c. nihil autem promittitur, adeoque ipsum contractus non facit aut firmat, etsi objecti veritatem, ne sit perjurium, supponat. Debet igitur esse de opere futuro præstando aut omittendo, puta de non contraveniendo contractui. Vim porrò confirmandi contractus invalidos non habet juramentum ex natura sua, ex qua solùm inducitur vinculum religionis, quando ipsum non foret vinculum iniquitatis, puta (saltem regulariter loquendo) quando est

91. *Iuramentum, ut firmet contractus, debet esse promissorium.*

*Vis confirmandi contractus ei an competat aliter, quàm ex beneficio legum.*

est de re quæ licitè præstari potest. Proinde vinculum fidelitatis seu justitiæ, quod inducere confirmando contractus, deberet provenire ab auctoritate Legum, quæ vim hanc ob jurisjurandi religionem, seu honorem divini Numinis juramento tribuissent. Idque satis solidè ostendendum foret: cùm alioquin standum esset naturæ propriæ juramenti.

92. *Qui effectus hujus confirmationis.*

Nec proinde est, quantùm ad effectus, utrumlibet dicatur. Confirmatorium enim contractûs tribueret etiam in judicio actionem (quæ in jure fundatur) contra promittentem, ut stet contractui. Neque posset regulariter relaxari, nisi ab eo, cui jus esset per talem contractum juratum acquisitum, & non soli Deo. Denique transiret ad heredes; cùm tamen obligatio propria juramenti naturâ suâ sit personalis.

93. *An verè hac vis competat.*

*Suarez lib. 2. de Juram. cap. 29. Lessius cap. 17. dub. 7. num. 56.* & alii censent contractus naturaliter saltem, esto non civiliter, validos firmari juramento, non autem omnino nullos. Sed hæc distinctio non est fundata in jure, ex quo tamen petenda est vis juramenti confirmatoria contractuum, quæ per Leges potuit tribui etiam quoad contractus omnino nullos, potuit non tribui etiam quoad naturaliter validos. Nec dici potest ex Legibus infrà citandis contractum invalidum firmari indirectè, quatenus subsequens & à priori contractu distincta promissio illum non retractandi (quæ naturalem obligationem parit, utpote Legibus non reprobata) per juramentum firmatur, redditurque omninò immutabilis, & sic ex consequenti etiam præcedens contractus. Nam leges annullantes contractus, ne sint frustraneæ & ad nutum fraudentur effectu, etiam annullant consequentes promissiones iis non contraveniendi, in quibus eadem ratio Legum militat: adeoque juramentum super illas cadens, afficit pariter materiam invalidam nulliusque roboris. Neque magis valet promissio non contraveniendi contractui omnino nulli (cujus ipsa est quædam approbatio, & in eodem perseverantia) quàm efficiendi contractum nullum. Aliàs quoque promissio etiam non jurata standi contractui v. g. per pupillum omnino nulliter inito, ligaret illum in conscientia; quod sanè eluderet efficaciam legum.

*Prima opinio affirmàs quoad contractus naturaliter validos, negans quoad omnino nullos.*

*Reficitur.*

94. *Secunda generaliter negans valde probabilis.*

Proinde *Basilius Pontius* & plurimi gravissimi Doctores censent nullum contractum jure invalidum firmari juramento, sic ut ipsum dumtaxat inducat speciale vinculum religionis; quo sublato per dispensationem, restitutus sit contrahens pristinæ libertati. Fundamentum est, quòd ex jure oppositum non satis constet. Immo *L. Non dubium C. de Leg.* juramenta pactis per leges reprobatis ac irritatis apposita annullari videntur. Ad idem adducitur *L. Iuris Gentium 7. §. 16. ff. de pactis.*

Nec obstat *L. 1. C. Si adversus venditionem* ibi enim sermo est de contractu minorennis valido, contra quem se non petiturum restitutionem in integrum Minor validè promiserat cum juramento corporaliter præstito, uti fit inter Christianos tactis Sanctis Euangeliis: quo casu locus non est restitutioni, ut ibidem indicatur. 95. *Occurritur objectioni.*

Non obstat etiam *Auth. Sacramenta puberum eod. tit.* Nam & ibi sermo quidem est generalior de contractibus puberum seu Minorum, sed tamen validis; quos proinde retractandos non esse, per restitutionem scilicet in integrum, sed juramentum quomodolibet, sine vi aut dolo emissum, inviolabiliter custodiendum, id est, nullo remedio violandum aut rescindendum esse, vult Fredericus Imperator dictâ Authenticâ. 96. *Explicatur Auth. Sacramenta puberum.*

Adde Authenticæ isti esse derogatum per usum contrarium, aut etiam per expressa variorum Italiæ locorum edicta. Similiter in Gallia restitutio conceditur adversus contractum juratum. Similiter hujusmodi Constitutiones non servari in Hispania ex *Pinello* refert *Tuldenus l. 2. in Cod. Tit. 28.* Estque (teste *Gudelino l. 3. de jure Noviss. c. 14. n. 13.*) certissimum neque in hac nostra Belgica observari istam constitutionem, verùm eos, qui juraverunt, non solùm admitti, sic ut allegent negotium esse nullius momenti; sed etiam adversus contractum, qui jure subsistit, quoties causa justa suadet, in integrum restitui, requisito solùm recursu ad potestatem Ecclesiasticam pro relaxatione juramenti. Additque meritò vim prædictæ constitutionis à tribunalibus rejectam: cùm quâ facilitate ad promittendum, ferè eâdem ad jurandum quispiam abducatur, atque adeò captionibus mille contrahentes forent obnoxii, si ob jurisjurandi subjectionem ei subvenire non liceret. *An ei derogatum per usum.* *Signanter in Belgio.*

Non obstant denique leges nonnullæ juris Canonici; ut c. *Quamvis 2. de pactis in 6.* ubi renuntiatio legitimæ facta per filiam dote contentam (quæ jure nulla est) juramento firmatur. Et c. *cùm contingat, de jurejurando* alienatio dotis seu fundi dotalis jure irrita, juramento firmatur. Vnde hos solùm contractus jure Canonico firmari per juramenta, relato *Antonio Fabro* contendit *Castro Palao de juramento d. 2. p. 9. §. 3. n. 4.* de cetero consentiens præmissæ Doctrinæ. Verùm *Gudelinus suprà n. 12.* & plures alii censent, firmari solum, quatenus vinculum Religionis, non autem justitiæ accedit, quasi proinde contractus 97. *Obiciuntur Canones.* *Responsio ipsa opinio quorundam.* *Responsio aliorum.*

contractus inde in se non convalescat, nec ad heredes transeat, sed Judex Ecclesiasticus etiam mediantibus, si opus, censuris officium suum interponere debeat, ne obligationem juramenti violari permittat. Quemadmodum quoque c. *Debitores, de jure jurando* qui juravit se soluturum usuras dicitur cogendus domino reddere jamenta, nempe si remissa vel relaxata non fuerint, etsi ex sola religione obligantia. Quare & ratio in prædictis capitibus non alia allegatur; quàm obligatio juramenti, quod licitè potest, adeoque debet servari.

98. *Instantia dilucidatur.* Si autem quis urgeat in Canonibus præmissis vim istam specialiter tribui juramento, dummodo non per vim vel dolum emisso; quando tamen adhuc maneret vinculum religionis, cùm juramentum saltem metu extortum obliget. Propter quod similiter *Auth. Sacramentum puberum* idem sic tribuitur juramentis liberis, ut nulla declarentur in ordine ad prædictum effectum juramenta per vim vel dolum extorta. Respondent Varii in casibus dictorum Canonum seu Legum irritari juramenta sic extorta (esto aliàs valerent ex parte vinculi religionis) quando alioquin contractus erat invalidus, saltem ob legem illam, adeoque materiam juramenti prohibentem, esto non sub peccato. Idemque est de juramento non utendi beneficio per leges concesso certo generi personarum; quod aliàs simili viâ plerumque posset eludi. Deinde ab hoc abstrahendo, juramentum sic extortum saltem non est adeò firmum, utpote (secùs quàm alia) omnino relaxandum ab Episcopo seu potestatem habente, & remittendum in conscientia ab ipso exequente; ad quod etiam judex debet eum cogere.

99. *Tertia opinio affirmans est communior & valde probabilis.* Fatendum nihilominus ob hæc in rigore juris (prout etiam passim intellectum est) sententiam contrariam esse probabilissimam; quam tenent Doctores quasi innumeri, è quibus plurimos citat & sequitur *Sanchez lib. Summæ c. 12. num. 11.* Eâque suppositâ variæ resultant quæstiones seu illationes, de quibus videri potest *Castro Palao sup. §. 4. & seqq.* Solùm observa Auctores hujus magis communis opinionis, non loqui de contractibus irritis ob bonum commune, vel versantibus circa materiam illicitam seu turpem, etsi solùm ex parte recipientis; uti contingit in solutione jurata usurarum. Quamvis cùm hæc sit licita solventi, sit etiam obligatoria, si jurans relaxationem petere noluerit. Satisfiet tamen solutione momentaneâ, poteritque solutum repeti; quod & alter ex se reddere debet, atque ad reddendum per judicem est compellendus c. *Debitores, de jure jurando.* Si insuper juraverit quis se non repetiturum usuras solutas, necessaria erit relaxatio juramenti ad licitè repetendum.

*Quid circa eam observandum.*

*Iuramentum solvendi usuras an servandum.*

Restaret hîc agendum de ratificatione contractûs, qui ob fictionem consensus, errorem vel metum, defectum solemnitatum fuerit invalidus. Sed circa resolutio peti potest ex dictis de revalidatione Matrimonii *Disp. 3. de Matrim. quæst. 6. disp. 5. quæst. 3. & disp. 6. quæst. 3.*

*De Ratificatione contractuum remissivè.*

# DISPVTATIO SECVNDA.

## *De Promissione, Donatione & ultimis Voluntatibus.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid sit Promissio & Donatio, & qualiter acceptanda.*

1. *Quid Promissio.* PROMISSIO communiter describitur deliberata & spontanea datio fidei de re aliqua præstanda. Addi frequenter solet, quòd res præstanda sit licita & promissario grata. Rectè quidem, ad hoc ut sit obligatoria & efficax promissio: cùm à promissione objecti mali, saltem quà malum est, sit abstinendum c. *fin. de pactis.* Si quoque gratum non sit quod promittitur, cessat promissio, quæ nempe in gratiam fit promissarii; cùm invito beneficium non detur. Quod autem *Lessius cap. 18. dub. 1. num. 10.* asserit promissionem prodigam, præsertim juratam, obligare, nullatenus admittit *Castro Palao d. 2. p. 1. num. 4.* cùm sit circa objectum inordinatum, quatenus nempe prodigalitatem continet.

*Quid pollicitatio & stipulatio.* Promissio ante acceptationem vocatur pollicitatio: si autem fuerit sub præscripta verborum forma, dicitur stipulatio.

2. *Quid donatio.* Donatio sic dicta, quasi doni datio, est liberalitas nullo jure cogente facta, seu liberalis concessio rei propriæ alteri facta. Videri potest *L. 1. & 19. ff. de Donat.* Hæc autem donatio simplex vocatur: qualis est etiam antidoralis seu remuneratoria (ut plures Doctores censent) utpote non ob causam necessitatis (uti illa quæ ob causam vocatur, v.g. donatio propter nuptias) sed meræ honestatis & gratitudinis, quæ rationem veræ donationis non impedit; esto non tam perfectè gratuita sit & liberalis, quàm ea quæ non est remuneratoria. Quod tamen ad questionem de voce spectat, Illud ad praxim facit

*An remuneratoria sit simplex donatio.*

facit, quòd etsi ipsa sit simpliciter vera donatio, quia tamen non omnino liberalis, non censetur comprehensa (quâ parte saltem non excedit merita) dispositione legum, quibus interdicitur aliquibus donatio, vel datur ob ingratitudinem facultas revocandi, ut Doctores tradunt. De quo tamen videri potest *Zoesius in ff. de donat. num.* 95.

*Quid observandum pro praxi.*

Sub donatione etiam comprehendi potest debiti remissio, quando gratis & liberaliter fit: quamquàm faciliùs remittant homines debitum, præsertim quando solutio apparet difficilior, quàm dimittant aliquid actu possessum.

*An sub donatione cõprehendetur remissio debiti.*

3. *Realis quem effectum habeat.*

Porro donatio dum realis est & perfecta, traditionem scilicet adjunctam habens, transfert dominium, estque objectum promissionis. Verbalis autem & imperfecta, quæ dominium non transfert, parum à promissione seria & stricta differt. In modo tamen exprimendi differt, quòd promissio respiciat quid præstandum in futurum; donatio sonet quid præsens, aptum ex natura rei transferre dominium: quamquam ex positiva legum dispositione ante traditionem non transferat. Unde etiam promissionem Varii censent non strictè obligare neque jus gignere; cùm nemo dubitet, quin id gignat donatio. Qui tamen ob jam dicta non rectè se fundant in eo, quòd sic non esset distinctio inter promissionem & donationem. Contra quos insuper arguitur, indubiè jus gigni saltem per promissionem onerosam; quæ ipsa tamen non faciliùs distinguitur à donatione, quàm promissio non onerosa.

*Verbalis qui differat à promissione.*

4. *Acceptatio prærequiritur, ut obliget promissio.*

Juxta receptam Doctorum opinionem requiritur acceptatio, sic ut aliàs ne naturalis quidem obligatio sequatur, sed fas sit retractare promissionem vel donationem, etiam attento foro conscientiæ, aut jure Canonico, cùm nec nudum hactenus pactum sit. Pactum enim obligationem pariens, quodvis jus spectetur, requirit consensum, seu conventionem duorum in idem; qualis non est, nisi acceptatio accedat. Propter hoc stipulatione seu donatione absenti factâ non acquiritur ei res, antequam acceptet. Quò facit *L. qui absenti* 38. *ff. de acquir. possess.* & *L. Absenti* 10. *ff. de donat.* Item inutilis est & planè irrita stipulatio alteri facta seu acceptatio promissionis facta per alterum nec commissum à promissario, ut patet *Instit. de inutilib. stipulat. §. Si quis alii* 4. *&* §. *Alteri* 19.

5. *Immo juxta communiorem sententiam ex natura rei,*

Immo communior Doctorum sententia tradit acceptationem requiri ex jure naturæ & gentium: eò quòd sicut in promissione onerosa, ceterisque contractibus onerosis involvitur tacita conditio, *Si & tu te obliges*, ideoque ante reciprocam obligationem potest promissio onerosa v. g. sponsalitia (idemque est de ceteris contractibus onerosis) revocari: sic quoque promissio & donatio gratuita videatur involvere tacitam conditionem, *Si acceptes*, adeoque eâ pendente possit revocari. Confirmatur: quia etiam vi contractûs gratuiti seu liberalis sequitur in altero onus, non quidem justitiæ, sed gratitudinis; ut propterea plures nolint hujusmodi onus, præferentes libertatem, quam dicuntur vendere, qui beneficium accipiunt. Confirmatur II. quia propterea ne quidem promissiones Deo factæ obligant, nisi accedat Dei acceptatio; cujus defectu non obligant vota de rebus indifferentibus.

Nihilominus præmissa non aliud convincere videri possunt, quàm quòd ordinariè censeatur esse hujusmodi intentio in promissario, unde consequens est ex natura rei, non aliter promissionem obligare. Alioquin difficulter ostenditur oppositum se obligandi modum ex natura rei repugnasse. De contractibus onerosis est aliud: cùm cessaret alioquin natura specialis talium contractuum. Specialiter autem secunda confirmatio non urget, cùm votum præstetur Deo præsenti & ut acceptanti, vel positivè respuenti. Contra priorem quoque facit, quòd obligatio gratitudinis possit imponi nescienti, immo & invito, si v. g. volentem se occidere impedias. Dominium quoque esto positivè invitus acquirere non possis, saltem ratio non ostendit, quin possis ipsum acquirere non positivè volens. Immo videtur jus acquiri posse invito: cùm possit invito imponi officium, cui jura varia sunt annexa.

6. *Firmitas probationum hujus doctrinæ indagatur.*

Ex dictis sequitur promittentem non teneri intentum suo promissario indicare, si facti ipsum pœniteat. Immo, nuntium seu mandatarium, vel epistolam miserit cautè insinuandi factam à se promissionem vel donationem, eamque, antequam intimetur, revocet, inscio, tum nuntio, tum promissario vel donatario, non est obligatus; defectu nimirum acceptationis non concurrente cum voluntate donantis jam cessante. Colligitur apertè ex *L. Si pater* 4. *ff. de manumissis vindict.* Secùs si miserit procuratorem ad donandum vel promittendum; hic enim in virtute potestatis semel concessæ validè operatur, donec revocatio innotescat, præterquam in casu Matrimonii, *L. Si mandatum, aliàs si mandasset ff. Mandati.* Vide *Sanchez l.* 1. *de Matrim. d.* 6 *num.* 7.

7. *Quid censendum, si cessio nuntio donanti silenter donationem revocet.*

Mortuo quoque donatario ante acceptationem marcescit tota donatio, nec transit ad heredes, ut habet communior doctrina, pro qua suprema Curia Brabantiæ judicavit perorante subtiliter *Deckhero*, inquit *Tuldenus in Cod. de donat. n.* 1. donatio enim oblatione tantùm inchoata nihil adhuc juris sive obligationis gignit (quippe quæ consensu duorum coalescit) & consequenter non transit ad heredem, qui solùm est jurium defuncti

8. *An locus sit acceptationi pro heredibus donatarii.*

defuncti successor. Neque est sufficiens fundamentum præsumendi de alia mente donantis, cujus cogitatio, & plerunque etiam mens seu benevolentiæ affectus idem non est circa heredem, qui circa personam donatarii.

9. *An pollicitatio jurata sit revocabilis.* Præterea *Sanchez l.1.de Matrim.d.7.n.24.* & plures alii, contra *Covarruvias, Molina* & alios (quos refert *Sanchez sup.n.23.* & sequitur *Zoesius in ff.de Donationibus n.38.*) censent conditionem hanc, si alter acceptaverit, ita imbibitam esse, ut etsi pollicitatio sit juramento firmata, non oriatur ante acceptationem obligatio, sitque adeò antè revocabilis, non obstante juramento, utpote quod sequitur naturam primordialem actûs, cui adhæret.

10. *An Excipienda pollicitatio facivitati.* Varii quoque (inter quos apud *Castro Palao d.2.p.2.n.3.* referuntur *Covarruvias, Molina, Layman* & alii) acceptationem non exigunt in casu promissionis vel donationis factæ civitati in certa (quæ per leges *ff. de Pollicitationibus* specificantur) opera, vel officia reipublicæ. Verùm (ut notat *Lessius c.18.dub.6.n.40.*) ibi non tam statuitur obligatio promittentis vel donantis ante acceptationem, quàm cavetur, ne possit promissum vel donatio expresè vel tacitè revocari *arg.L.3.ff.de pollicit.* sic ut demum post acceptationem detur actio civitati, antea verò non, nisi ut pollicitator non revocet.

11. *An ad pias causas.* Hoc tamen privilegium certis tantùm in causis, & ad certos fines civitati concessum, non debet juxta *Sanchez l.1.de Matr. d.6.n.16.* (qui dicit esse communius & probabilius) extendi ad pias causas: ad quas utique non quævis privilegia, civitatibus in singulari, & ad speciales fines concessa, extenduntur: etsi oppositum illi præsenti post *Silvestrum* & *Molina* tradat *Lessius sup.* & alii.

12. *Vel infanti.* Denique promissio infanti facta videtur juxta Varios acceptata ejus loco per ipsas leges *arg.L.jubemus C.de emancipat. liberor.* Sed ibi sermo est de casu speciali emancipationis, quæ, cum juris communis correctoræ, non est ad alios casus extendenda præsertim cùm emancipatio per Rempublicam inducta, possit per eamdem tolli sine consensu emancipati. Ita *Castro Palao sup.n.8.* addens juxta graves Doctores etiam in casu emancipationis requiri acceptationem ab his, qui de jure acceptare possunt.

13. *Acceptatio facienda per promissarium, aut procuratorem.* Acceptatio porrò donatarii seu promissarii debet per ipsum, vel ex ejus cõmissione per alium fieri, ut uniantur in idem voluntas illius & voluntas donatis seu promittentis. An autem præsentis taciturnitas censeatur consensus, disputatur inter Doctores. Estque indubiè securius, ut ad vitandas controversias accedat expressior consensus. Videtur autem (ut regulæ juris in speciem adversantes rationabiliter concordentur) taciturnitas, quæ est indifferẽs de se ad consensum & non consensum, determinanda ad significationem alterutrius per conjecturas, ex quibus si colligatur consensus, qui tacet consentire videbitur: alias autem, nec consentire, nec dissentire videbitur. Quia verò in præsenti gratitudo videtur prohibere taciturnitatẽ, dum signa actionis gratiarum exigeret beneficium in casu acceptationis, censent Varii (inter quos referuntur *Tiraquellus, Rodriguez, Angles*) ipsam non esse sufficiens acceptationis signum. E contrà verò, quia fieri potest, ut verecunda honestas frequenter taciturnitatem causet, non defectum acceptationis indicet, præsumi illam plerique (inter quos *Sanchez l.1. d.6.n.11.* & alii quos citat) volunt, censentes patientiam habendam regulariter pro consensu in favoribus, secùs in præjudiciis. Pro quo facit *L. Qui patitur ff.mandati.*

*An taciturnitas præsentis sufficiens acceptatio.*

*Absenti qualiter insinuanda voluntas donantis.* Si præsens vel donatarius absens sit, debet promissio seu donatio ad eum dirigi, insinuanda per nuntium vel epistolam, ut volũtas utriusque conjungatur; aut ipsamet per procuratorem fieri præsenti. Quæ verò vel qualiter sit Nonnullis facultas stipulandi pro absente, paulò infrà dicetur.

14. *An acceptari queat post mortem donantis.* Controversum autem manet inter Doctores, an mortuo ante acceptationẽ donante, adhuc locus postea sit acceptationi. Varii affirmant, etsi solùm præcesserit mandatum speciale donandi, quasi ipsum possit mandari executioni, tamquam gratia ex parte mandantis jam sit facta.

*Prima opinio.* Sed quia *L. inter causas 26. ff. mandati*, dicitur, mandatum solvi morte mandantis (quod videtur etiam intelligi de mandato donandi, de quo præcesserat sermo *L.22.ff. eod.*) censent plures alii gravissimi Doctores valdè probabiliter, donationem saltem jam factã, si moriatur donãs antequam per nuntium vel epistolam missam fiat insinuatio, adhuc posse acceptari, quasi ex parte ipsius gratia jam facta sit, voluntasq; defuncti censeatur perseverare velut impressa epistolæ aut nuntio, qui in consequentiã illius operatur: quemadmodum impetus impressus lapidi manet, etiam post mortem ejus, qui impressit. Ad quod allegatur *L. Nec ambigi 6.de Donat.* Ubi tamen non agitur de casu mortis donãtis, sed absentiæ donatarii. Adduci etiam potest, quòd cùm donatio est absoluta, nec positivè revocatur, censeri possit ex mente donantis testamẽtaria, quæ utique post mortem acceptari potest. Imo ex mẽte donantis idem Varii censent specialiter, de mandato donandi ad causam piam, ex præsumpta mente mandantis, & *arg. L. Si pater in princip.ff.de manumissis vindicta*, ubi mandatum de manumissione servi in favorem libertatis decernitur non expirare morte mandantis.

*Secunda opinio.*

15. *Tertia opinio.* Nihilominus probabilissima quoque est sententia plurimorũ Doctorum, tum Theologorum, tum Jurisperitorum, quòd, dum aliunde non constat de mente donantis, ne-

queat donatio acceptari post mortem: cùm ipsa eatenus sit mera oblatio, non generans jus donatario, seu obligationem erga ipsum, ideoque res donata redeat ad jus hæredum per mortem donantis, per quam etiam cessat ejusdem voluntas. Nisi fortè stipulatio per tabellionem publicum facta præcesserit, ob jus quasi inchoatum inde absenti creatum; ut Quidam volunt. Favetq; postremæ opinioni *L. 2. ff. de Donat.* ibi: *Sed si quis donaturus mihi, pecuniam dederit alicui, ut ad me perferret, & ante mortuus erit, non fieri pecuniam domini mei* (etsi nimirum postea tradatur, utì supplendum) *constat.* Ad quod tamen alii respondent, ob ly *donaturus*, esse sermonem de mandato donandi. Verùm pro posteriori opinione dici potest, id non referri ad futuram donationem verbalem, sed realem, cum traditione scilicet.

16. *Ad quid teneatur Nuntius, cujus culpâ donatio non potuit tempestivè acceptari.*

Hinc patet, nuntium, qui malitiosâ detentione rei fuerit ratio, cur non sit completa per acceptationem donatio ante mortẽ donantis, teneri juxta posteriorem sententiam, tum heredibus donantis, qui jus ad rem in eos devolutum habent, tum ipsi donatario (cui per injuriam est causa damni) quātum scilicet ipsius intererat donationis acceptatio. Idemque est de eo, qui tempestivè non implendo mandatum donandi, fieret ejusdem damni causa. Si autem locus maneret acceptationi post mortem, sufficeret hanc offerre donatario.

17. *Regulariter nemo potest pro alio absente stipulari,*

Petes, quinam possint pro absente stipulari, id est, promissionem seu donationem ab aliquo oblatã pro altero absente acceptare, sic ut non possit revocari à promittente vel donante? Resp. ex *Instit. de inutil. stipul. §. Alteri* 19. *Alteri stipulari nemo potest. Invĕtæ enim sunt hujusmodi stipulationes vel obligationes ad hoc, ut unusquisq; acquirat sibi, quod sua interest: Ceterùm si alii detur, nihil interest stipulatoris.* Unde juxta Doctores passim nõ sufficit generale mandatum, sed requiritur speciale: etsi *Lessius c. 18. dub. 7. in init.* putare videatur sufficere generale; qui fortè loquitur de mandato speciali quidem stipulandi, sed generali ad quasvis stipulationes.

18. *Exceptiones variæ.*

Excipiuntur in primis, qui sunt alteri pleno jure subjecti, utì mancipium domino, filius non emãcipatus, spectato jure Romanorum, patri, Monachus Prælato seu monasterio: qui ratione juris indistincti, & identitatis velut personæ, possunt stipulari, sive pro domino, sive pro patre, sive pro Prælato seu monasterio. Secùs est ob diversam rationem, de subditis respectu Principis, famulis respectu heri, filio sui juris respectu parentum. Vide *Instit. sup. §. Si quis alii* 4. Idem est de eo, qui alterius curam gerit, v.g. Princeps (qui utique non caret potestate hâc, quam potest aliis pro altero stipulandi communicare) pro subdito, & juxta Doctores tutor pro pupillo, curator pro eo cui datus est. Item de eo, cujus interest, ut promissio absenti facta impleatur; ut patet *Instit. sup. §. Sed & si quis* 20. v.g. quia est creditor, procurator, contutor, socius, vel quia in ejus favorem adjicitur pœna, si non impleatur promissio: nam cùm stipulationis commodum ipsum concernat, videtur sibi stipulatus. Debet autem interesse tempore stipulationis, ut indicatur *Instit. sup.* Sumit enim stipulatio vires ex initio contractûs, quod inspicimus *L. 78. & L. 137. §. Cùm quis, in fine de verb. obligat.* Denique juxta communem sententiam (etsi quidam cõtradicant) quilibet privatus in favorẽ Ecclesiæ aut piæ causæ stipulari potest *arg. L. Gaius* 45. *§. Soluto matrim.* ubì deciditur posse alterum pro altero stipulari favore dotis, cujus privilegio gaudet causa pia, ut probat *Everardus in Loco à dote ad piam causam.*

19. *Quid requiratur ut unus pro altero stipuletur.*

Quibus tamen casibus debet promittens seu donans dirigere verba ad ipsum præsentem potentem pro alio stipulari, idque sive expresè, dicendo v.g. promitto tibi, quòd Petro absenti dabo centum; sive saltem implicitè, dicendo v.g. promitto, quòd Petro absenti dabo centum, eò quòd etiam tunc verba ista soleant accipi veluti directa ad præsentem, qui possit in favorem absentis stipulari; quod etiam in dubio est præsumendum in favorem contractûs, ut valeat potiùs quàm pereat *L. 80. ff. de verb. obligat.*

20. *An Notarii de jure stipulentur generatim pro absentibus in privatis negotiis.*

De Notario publico seu tabellione disputatur, an possit generatim pro absentibus stipulari, quasi servus communis reipublicæ? Affirmant varii gravissimi Doctores, etiam attento jure communi, idque non solùm in judicio, sed (quod in controversiam vocatur) etiam extra illud. Verùm rectiùs negatur cum aliis passim: eò quòd nullibi hæc potestas reperiatur iis concessa extra judicium, in privatis scilicet negotiis seu cõtractibus; cùm leges de cautionibus prætoriis seu judicialibus loquantur. Notarius quoque non est servus singulorum, sed reipublicæ. Nec que Notarii deinceps sunt propriè servi seu mancipia ipsius reipublicæ: cùm jure novo officium Notarii non sit amplius servile, ad quod mancipia seu servi assumantur, ut olim: immo hiec assumi nolunt, nisi liberi, ex constitutione Arcadii & Honorii *L. Generali C. de Tabulariis.*

21. *An de consuetudine,*

Tamen moribus nostris invaluisse videtur, ut tabelliones in contractibus rectè aliis stipulentur, juxta *Zoesium ad Instit. de inutil. stipul. n. 31.* Etsi non videatur juxta *Tiraquellum* (quem citat & sequitur idem *Zoesius ad ff. de verb. obligat. n. 71.*) consuetudo facere, ut absenti prosit stipulatio Notarii, donec ipse ratam habeat. Videri etiam potest *Valer. Andr. in addit. ad Instit. sup. n. 28.* Denique *Zypæus in Notit. Jur. Belg. Tit. de contrahenda stipul.* addit Secretarios oppidorum rectè pro absentibus stipulari, & iis mediantibus nunc passim absentes in bonis immobilibus investiri.

QUÆST.

## QUÆSTIO II.

### *Qualiter Promissio Obliget?*

22. *Promissio onerosa qui obliget.*

PROMISSIO onerosa acceptata instar aliorum contractuũ onerosorum juxta indubitatam omnium Doctorum sententiam obligat ex justitia. Unde etiam promissio facta alteri sub conditione operis, hoc adimpleto obligat promittentem ex justitia ad standum pacto.

23. *Promissio ob turpem causam ante opus nullatenus obligat.*

Sed difficultas est de promissione ob turpem causam. Et quidem adhuc indubitatum est apud omnes, nullam inde oriri obligationem ante patratum opus malum, sive ut alter ipsum faciat, sive ut promittens pendente interim conditione (prout in aliis promissionibus conditionatis est obligatio pendente conditione non resiliendi) stet promissioni; quæ, veluti peccaminosa, & directè ad peccandum provocans, potiùs obligat, ut ab ea continuò recedatur. Vide c. *fin. de Pactis*, *L. Juris Gentium 7. §. Si ob maleficium ff. De pactis. L. 26. & L. 123. ff. De verb. obligat. L. 5. C. De condict. ob turp. causã.* Hinc est *Isidoro* dicitur c. *in Malis 22. q. 4. In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.*

24. *Juxta varios nequidem secuto opere.*

At secuto opere malo Varii tenent adhuc non esse obligationem implendi promissum; eò quòd promissi adimpletio videretur delicti approbatio. Quod & plures alii tenent, præsertim Canonistæ, & probabile censent plures gravissimi Theologi, quando opus per leges punitur v. g. latrocinium, furtum &c. eò quòd leges citatæ asserant absolutè, nullas esse tales stipulationes. Qui consequenter censent acceptum, nisi fortè liberaliter donatum, non posse retineri, adeoque restituendum offerenti (quod satis constat, si acceptum sit ante opus, ipsumque non sequatur) veluti domino: quamquam Nonnulli censeant esse expendendum in pias causas, quasi hæc sit mens tacita legislatorum danti repetitionem negantium; de qua tamen mente non satis constet.

*Juxta plures, si ipsum sit per leges punibile.*

25. *Sed contrarium est tum communi tenendum si opus non punitur per leges.*

Communis nihilominus doctrina Theologorum tradit, esse obligationem solvendi promissum patrato opere quod per leges non punitur: etsi enim opus malum, quatenus offensa Dei, non sit pretio dignum seu æstimabile, secùs tamen est, si consideretur, quatenus operanti damnosum, laboriosum, periculosum, ipsique petenti utile vel commodum. Per quod cessat fundamentum *Joannis Medina*, qui (ut refert *Wiggers c. 2. dub. 6. num. 32.*) censuit promittentem debere quidem fidem suam liberare citra vinculum injustitiæ præstando promissum, non posse tamen acceptum retineri, sed debere restitui. Non est quoque solutio promissi, approbatio delicti (ut aliqui urgent) hujus siquidem seriò potest & debet pœnituisse promittentem, qui nihilominus solvat, quia jam debitum est. Unde & meretrix potest recipere & retinere pretium usuræ corporis sui, juxta Doctores communiter, nec potest, quod ei datur, repeti *L. 4. §. 3. ff. de condict. ob turp. causam*, ubi pro ratione additur, *illam turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere, cùm sit meretrix.* Immo communior Doctorum sententia teste *Covarruvias in Reg. Peccatum p. 2. §. 2.* tradit, posse ipsam pretium expressè vel tacitè conventum exigere in judicio.

26. *Immo probabiliter quoad forum conscientiæ, etsi per illas puniatur.*

Quòd si verò opus sit per leges punibile, adhuc juxta *Covarruvias*, *Saa*, *Molina*, *Sanchez*, *Vasquez*, *Petrum Navarra*, *Lessium* & alios Theologos passim, est obligatio in foro conscientiæ, opere patrato præstandi promissum; eò quòd existiment per leges irritari hujusmodi promissiones, partim ante factum, partim quatenus post illud non tribuunt actionem in foro externo petendi: quamvis nec tribuant dati repetitionem, ut videre est *L. 3. 4. & 8. ff. de condict. ob turp. causam.* Legibus autem sclusis satis apparet ex prædictis nasci hujusmodi obligationem.

27. *Corollarium.*

Unde consequenter acceptum post opus non debet restitui ante sententiam, quâ fisco v. g. aut piæ causæ addicatur. Repetitio enim danti negatur. Quid verò in illa opinione Canonistarum (quæ satis probabiliter & consonè ad dem citum peccatorum prædictas leges intelligit, tamquam omnino irritantes hujusmodi stipulationes) de hoc foret censendum, ex dictis satis colligi potest. Et quidem his videtur favere *Augustinus Epist. 54. ad Macedonium prope finem*, ubi docet restituendum esse, quod advocatus iniquæ causæ hoc titulo à cliente acceperat. Verùm loquitur de advocato participante in alieno, quod ejus malâ arte cliens ab adversario injustè abstulit: ut satis colligitur ex contextu. Unde *Augustinus* præmissa confirmans instat, non magis restituendum alienum furto ablatum, quam alienum in ipso foro judice decepto obtentum.

*Dictum Augustini explicatur.*

28. *An retineri possint accepta simoniacè aut pro administranda justitia.*

Advertendum tamen pactiones de pretio super rebus pretio non æstimabilibus, quales sunt simoniacæ, v. g. super ordinibus, beneficiis, dignitatibus Ecclesiasticis, sic non valere, ut pretium licitè nequeat dari, neque etiam justè recipi, aut retineri. Prout etiam nequit promitti aut recipi pretium dandum judici pro administranda justitia, quam utique gratis administrare tenetur.

29. *Promissio gratuita seria ex se graviter obligat in gravi materia.*

Promissio gratuita seriò facta, ac debitè acceptata, si fiat cum plena deliberatione, & absoluta voluntate se obligandi, & versetur circa rem gravem obligat graviter; juxta communiorem sententiam cõtra *Caietanum* & plures alios, apud *Diana*

*P. 2. Tr. 17. Resol. 9.* existimantes solùm obligare per se loquendo leviter ex quadam honestate seu virtute veracitatis, adeoque non stantem promissis solùm peccare venialiter, nisi per accidens fortè ratione damni, quod inde promissarius incurreret. Ratio est: quia pactum verum (quale est promissio ista) est naturâ suâ gravis vinculi causativum in proportionata materia. Unde juxta Doctores communiùs talis promissio obligat ex justitia, aut quasi justitia, seu virtute ei affini (quæ servat fidem in pactis seu promissis) generatque jus in promissario: quia videlicet est verum pactum, quod etsi nudum sit, ex natura rei generat actionem, immo & de facto juxta Doctores passim, quantum est ex parte juris Canonici *arg. c. 1. de pactis*, ut allegat Wiggers *c. 2. dub. 1.* ubi tamen apertè agitur de contractu seu pacto oneroso. Saltem si vestitum sit formâ stipulationis generat actionem etiam de jure civili; forma autem ista non variat obligationem in conscientia. Accedit, quòd aliud sit promittere, aliud simpliciter asserere & proponere aliquid alteri dare (ut patet ex sensu communi, etiam vulgarium, qui interdum non contenti simplici assertione, promissionem exigunt tamquam firmiùs obligantem) non esset autem juxta oppositam sententiam diversa obligatio seriò promittentis, & simpliciter asserentis.

30. *Quæ censeatur hic talis,*

Communis tamen Doctorum sententia (quam certam putat *Castro Palao d. 2. p. 8. in fine*) exigit hîc longè graviorem materiam, quàm in furto aliove magis rigoroso debito: sic ut *Sanchez l. 1. de Matrim. d. 5. n. 24.* cum aliis taxet materiam quadruplo majorem; etsi *Castro Palao sup.* recurrat ad prudentis arbitrium attentâ causâ promissionis & qualitate promittentium determinandum.

31. *Quando non graviter obliget.*

Potest nihilominus etiam in gravi materia ex intentione promittentis oriri sola obligatio ad pœnam, vel etiam ad levem culpam: ipse enim promittens vinculum sibi pro nutu suo imponit, & legem præfigit. Et quidem plurimæ sunt hujusmodi non rigidæ promissiones, sed meræ urbanitatis, quibus non adest intentio gravis obligationis, immo potiùs excluditur. Quales sunt promissiones obsequiè liberalis vel officii impendendi: quæ ad significandum bonum affectum facilè & leviter interponi solent, & satis noscuntur esse tales. In quibus aulici abundare consueverunt, & per quas solent varii se subducere molestiis sollicitantium, uberiores plerumque in bonis verbis, quàm factis.

32. *Unde colligenda mens promittentis.*

Itaque quando constat de mente promittentis, ei standum. Ea verò etiam colligi potest ex circumstantiis, puta personæ, cui fit promissio, gravitatis rei, quæ promittitur, & modi, quo promittitur; v. g. si addatur juramentum, syngrapha, publicum instrumentum, fiat confirmatio coram testibus &c. Et quidem quando res gravis promittitur seriò viro gravi, & aliud de mente non constat, præsumendum videtur de intentione gravis obligationis; præsumptio enim videtur stare pro animo se proportionatè obligandi, dum de promissione constat. Estque in dubio standum pro valore contractuum. Unde in promissione Deo facta, etsi pendeat gravitas obligationis ab intentione voventis, præsumitur in tali casu gravis obligatio. Immo si exteriùs seria promissio sit alteri causa damni, tenetur de illo promittens tamquam deceptor, & necessarii inter homines commercii turbator.

33. *Quibus modis desinat promissio obligare.*

Petes, quibus modis promissio valida obligare desinat? Resp. per condonationem promissarii potentis condonare, per mutationem objecti, si videlicet res promissa fiat interim impossibilis, illicita per leges, damnosa vel inutilis promissario, in cujus tamen utilitatem seu commodum & gratiam fit promissio; per supervenientem sine culpa mutationem statûs rerum talem, ut judicio prudentum (quod ex qualitate rei, promissionis & ipsarum personarum formandum) censeatur promissor talem eventum non voluisse comprehendere, ultra cujus utique intentionem non obligat promissio; prout in legibus locum solet habere epykia circa mentem præcipientis, item in promissione sponsalitia. Sic v. g. desinit obligare promissio centum facta pauperi, si promittens ipse in paupertatem incidat, adeoque iis ad vitam honestè sustentandam egeat. Item desinit obligatio promissionis matrimonii factæ per nobilem puellæ vili, quæ putabatur nobilis, aut cor[illegible], quæ putabatur virgo. His accedit insignis ingratitudo promissarii; quæ etiam donationem facit revocabilem. Item compensatio, dum videlicet duo sibi invicem quidpiam promiserunt, & unus non vult stare promisso. Denique non subsistentia causæ principalis, v. g. paupertatis (ob quam falsò suppositam fuerat addicta largitio eleemosynæ) vel præstationis beneficii falsò existimatæ, cujus intuitu facta erat promissio remuneratoria.

## QUÆSTIO III.

### *Quinam, Quantum donare, & quâ de causa Donationem revocare possint?*

34. *Qui donare possint.*

AD primam quæstionis partem quod attinet, donare possunt, nisi specialiter prohibeantur, qui habent dominium expeditum seu cum administratione. Qui verò solam administrationem habent, debent suæ commissionis terminos observare.

Eaque

Eaque satis applicari possunt ex alibi dictis de potentibus dare eleëmosynam & inire contractus alienativos.

35. *Donatio inter conjuges qualiter valeat aut non valeat.* Specialiter autem invalida est, sic ut ad arbitriū revocari possit donatio inter conjuges, ob inconvenientias jure ita disponente, *L. 1. & 3. ff. de Donat. inter virum & uxorem.* Quæ tamen (ut patet ex *L. 32. ff. eod.*) firmatur instar legati morte donantis, si prior moriatur, & res aliquo modo fuerit tradita. Quam proinde eo usque retinere, non tamen citiùs alienare potest donatarius. Variis præterea casibus donatio hujusmodi mox irrevocabiliter valet, v.g. si fiat adinstaurationem ædium succensarum, vel ad cōparandam aliquam dignitatem, vel causâ remunerationis, vel si donans inde non fiat pauperior quantum ad bona jam quæsita &c; ut specificat *Lessius c. 18. dub. 12.* Plura de donatione inter conjuges *Sanchez lib. 6. de Matrim. per totum.*

36. *Qualiter donatio facta filio non emancipato.* Deinde invalida est donatio patris in filium nondum emancipatum, ita ut pro arbitrio patris revocari possit (nisi mors eam confirmari faciat) utpote cum quo censetur velut una persona civilis. Excipiuntur varii casus; signanter ferè omnes, qui in donatione inter conjuges. Quæ deducta videri possunt apud *Lessium sup.* & alios.

37. *Donatio omnium bonorum quomodo invalida.* De secunda Quæstionis parte ex communi Doctorum sententia (quæ colligi solet ex *L. 61. ff. de verb. obligat.*) tradit *Lessius sup. dub. 13.* invalidam esse donationem inter vivos (secùs est, si causâ mortis) omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum; ne sic contra bonos mores eripiatur testandi potestas. Donatio tamen omnium bonorum simpliciter facta, censetur tantùm respicere bona præsentia *L. Sancita ff. Auro, Argento &c.* Eaque, quantum est ex hac parte, non est invalida. Uō nec juxta *Lessium* (qui id tradit ex *Julio Claro*) si reservetur ususfructus alicujus momenti; de quo consequenter manet facultas testandi. Excipit etiam *Lessius sup.* si donatio sit ad piam causam, vel firmetur juramento.

38. *Donatio excedens 500. solidos qualiter indigeat insinuatione.* Donatio præterea, etsi non omnium bonorum, quæ excedit 500. solidos (faciunt hi juxta *Wesenbecium in ff. de Donat. num. 6.* 500. ducatos hungaricos, sive, ut alii, circiter 2000. florenos, vel, ut alii, 2500. Carolinos) jure communi est invalida, nisi insinuetur, id est, coram judice manifestetur, & actus inscribitur, ut de ea constare possit *L. 34. & 35. C. de Donat.* Excipitur tamen donatio facta privato à Principe, vel contrà, donatio remuneratoria, quatenus non excedit merita, vel quæ à duce militibus, aut in refectionem ædium, aut in redemptionem captivorum, aut denique juxta communem sententiam ob quamlibet piam causam, quasi hæc non secundùm leges, sed secundum Canones dijudicanda sit. Quamvis etiam insinuationis omissio aliàs non vitiet, nisi excessum *L. 34. & 35. cit.* eò quòd in rebus dividuis utile non debeat per inutile vitiari. Usus quoque (qui est optimus legum interpres) docet posse tale donatum licitè in conscientia retineri donec repetatur. Quod multo magis procederet moribus horum locorum, quibus juxta *Everardum* & alios insinuationis nullus est usus. De quo tamen dubitat *Valer. Andr. ad Instit. de Donat. in addit. num. 13.* Recolendum est etiam pro his locis Edictum Principum de conventione summæ excedentis 300. florenos; de quo *disp. 1. n. 20.*

39. *Donatio quando revocabilis ob ingratitudinem.* Ad tertiam Quæstionis partem Resp. donationem in primis revocari ex causis ingratitudinis specificatis *L. fin. C. de revoc. donationibus*, scilicet atrocis injuriæ, impiæ manuum illationis, jacturæ in bonis donatoris procuratæ, periculi vitæ per se vel per alium eidem illati absque rationabili causa, &c denique non impleti gravaminis appositi donationi. Addunt Doctores communiter alias graviores aut pares causas. Quamvis oppositum putet probabilius *Zoesius ad ff. de Donat. num. 90.* Ob clausulam *L. cit. Ex his tantummodo causis*, addens *num. seq.* æquitatem postulare, ut donatarius officio judicis compellatur ad præstanda alimenta donatori lapso bonis, à quo magna pars bonorum ei donata fuit. Non est donatio revocata ipso jure, sed per judicem in pœnam revocanda juxta Doctores, & colligitur ex *L. fin. cit. §. Ex his enim.* Ut proinde non competat heredi donantis, eo mortuo hinc actionem donatario movere. Non officit è contrà revocationi clausula de non revocando ob ingratitudinem, ut ex Legibus tradit *Zoesius sup. n. 93.* plura adhuc in sequentibus in ordine ad materiam præsentem tradens.

*In ipso facto revocata.*

40. *Qualiter revocetur supervenientibus donanti prolibus.* Secundò revocatur ex toto, donatio magnæ saltem partis (& quidem juxta Varios ipso jure, ut proinde postea mortuâ prole non eo ipso reconvalescat: quamquam *Lessius cap. 18. dub. 14.* ex præsumpta voluntate donantis existimet posse donatum retineri, donec repetatur) ex causa supervenientis prolis legitimæ, quâ prævisâ non donaret *L. Si unquam 8. C. de revoc. donat.* Cujus tamen privilegio potest donans renuntiare expressè & in specie: quamquam generalis renuntiatio non sufficiat, etiam juramento ei subjecto firmata. Poterit tamen tunc post mortem patris revocari à filiis, quatenus eis inofficiosa, juxta mox dicenda. Eatenus quoque tantùm revocari posse, si sit facta Ecclesiæ, censent Plures *ar. C. Can. fin. 17. q. ult.* quod est *Augustini.* Quamvis alii id negent. Et saltem congruum est, ut Ecclesia ejusmodi donata reddat. Pro quo facit *Augustinus sup.*

41. *Donatio inofficiosa quomodo revocetur.*

Tertiò, revocatur donatio inofficiosa, id est, si pater contra officium suum donet tantum, ut legitimam filiis non relinquat; tunc enim in conscientia rescindenda est, quatenus cum præjudicio seu injuria filiorum eis legitimam subtrahit, *L. 1. & seqq. de inoffic. donat.*

*Quando notabilem status mutationem.*

Quartò, res donata necdum sit tradita, potest non tradi ob supervenientem notabilem statûs mutationem. Plura vide apud Doctores citatos.

42. *Quid donatio causa mortis, & qualiter differat à facta inter vivos.*

Et hæc quidem de donatione inter vivos dicta sint. Quæ differt à donatione causâ mortis, quòd donans velit rem donatam etiam se vivente esse alterius, in hac verò nolit esse alterius absolutè & irrevocabiliter ante mortem. Unde *in summa mortis causa donatio est, cùm magis se quis velit habere, quàm eum cui donat & magis, eum cui donat, quàm heredem suum*, ut dicitur *Instit. de Donat. §. 1. Mortis causâ.* Fiunt autem juxta *Instit. sup.* hæ donationes propter suspicionem mortis, id est, intuitu & cognitione illius, sive instantis aut imminentis, sive quandocunque adventuræ. Estque inter illam, & donationem inter vivos (qualis præsumitur, nisi ex clausulis aut circumstantiis aliud constet) differentia in hoc potissimùm, quòd præmatura mors donatarii ante donantem, vel pœnitentia ipsius donantis eam revocet *L. Mortis causâ 16. & L. Si mortis causâ 29. ff. de mortis causa donat.* Revocare autem eam donans semper potest (nisi oppositum promiserit; quando ipsa transit in donationem inter vivos, quidquid sit de modo quo fuerit expressa) usque ad mortem, sive expressè, sive etiam solùm tacitè, v. g. rem donatam alteri dando inter vivos. Immo facta ob periculum seu metum mortis imminentis cessat seu tacitè revocatur juxta *Lessium c. 18. dub. 14. in fine, Zoesium ad Instit. de Donat. n. m. 6.* (qui varias leges citant) & alios, per ipsam convalescentiam seu cessationem periculi, ut per illam cessat donationis causa: secùs si consideratione mortis aliquando secuturæ donetur.

*In dubio præsumitur facta inter vivos.*

*Quamdiu sit revocabilis, & quando censeatur revocata.*

Requirit autem, ut donatio inter vivos, ad sui constitutionem donatarii acceptationem *L. Inter mortis ff. de mortis causa donat.* In quo differt à legatis seu dispositionibus ultimæ voluntatis (nisi tamen & ipsa codicillo seu testamento inseratur; quando nempe à legatis in re non differret) cum quibus alioquin in plerisque convenit, videlicet quoad revocabilitatem, quoad præsentiam quinque testium requisitam in codicillis *L. fin. C. de donat. causa mortis* (quæ solemnitas moribus nostris est temperata: & aliàs quoque non requiritur juxta *Tuldenum ad Cod. de donat. causa mortis n. 1.* si inter præsentes celebretur hæc donatio, sed tum juxta eumdem subjicietur legibus de insinuatione latis, eò quòd tunc tantùm quoad effectum, non etiam ratione formæ legatis comparetur) quoad non indigentiam insinuationis, quantacumque sit summa, quoad rejectionem conditionis impossibilis adjectæ &c. de quibus *Castro Palao d. 2. p. 13.* & Jurisconsulti passim.

43. *Requirit acceptationem.*

*Qui conveniat cum Legatis.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Testamentis sive Ultimis Voluntatibus.*

44. *Quid Ultima voluntas. Quid Testamentum.*

ULTIMA voluntas generatim describi posset volùtatis dispositio de eo, quod post mortem suam quis fieri vult. Ejus potissima species Testamentum, quasi mentis testatio seu testimonium, describitur directa heredis institutio, seu (ut habetur *L. 1. ff. Qui testamen. facere possunt*) *Voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam facere velit.* Quæ tamen definitio ut non conveniat ceteris ultimæ voluntatis speciebus, debet cum pluribus Jurisperitis aliquid subintelligi sub ly *justa*, ut significet solemnem & legitimam (quæ heredis institutionem inter cetera complectitur) sententiam, vel (quod facilius) addi ei debet, *Cum directa heredis institutione.* De Solemnitatibus postea agetur.

45. *Codicillus qui differat à Testamento.*

Differt à Codicillo (qui sic dicitur, quasi parvus Codex seu scriptura) quòd hic non contineat directam heredis institutionem, solumque inserviat ad disponendum de quibusdam legatis, aut fidei commissis, aliquidve addendum, minuendum, vel explicandum circa testamentum, requirat etiam minores solemnitates de jure communi, puta quinque testes, esto mulieres, ut plerique volunt, etsi quoad hoc oppositum verius putet *Zoesius in ff. de jure Codicill. n. 4.* Si defunctus discedat intestatus, cum solo codicillo, heres ab intestato tenetur dispositionem codicilli adimplere, uti aliàs teneretur heres institutus seu testamentarius. Clausula codicillaris inserta testamento, *Si non valet ut testamentum, volo ut valeat ut Codicilli*, aut alia similis vel generalior, facit, ut si solemnitas testamentaria desit, & adsit codicillaris, valeat in ordine ad quæ codicilli se extendere possunt, v. g. ad legata, vel ad substitutionem fideicommissariam de quibus fusiùs Jurisperiti.

*Clausula Codicillaris quid operetur.*

46. *Quid Legatum.*

Legatum interdum significat rem, quæ legatur seu donatur, aliquando ipsam donationem directam alicujus rei ab herede præstandam; dicitur à Jurisperitis delibatio quædam hereditatis, quâ quis particulatim alicui quid attribuit ex eo, quod alioquin universim heredis esset; vel donatio quædam à defuncto relicta, & ab herede præstanda. Ab eo vix distinguitur Fideicommissum, in hoc nempe, quòd non directè à defuncto detur fideicommissario; uti legatum legatario, sed indirectè, & mediante potissimùm herede, vel etiam interdum

*Qui differat à Fideicommisso.*

rerdum legatario, cujus fideicommissum est aliquid ab eo alteri dandum. Ex quo olim non resultabat juris obligatio: quam tamen leges posteriores induxerunt. Estque aliud universale, quando tota hereditas relinquitur uni, ut det illam alteri: aliud particulare, quando res particularis relinquitur uni, danda in totum vel pro parte alteri. Universali Fideicõmisso affinis omnino est Substitutio fideicommissaria, de qua paulò post.

*Hoc aliud universale, aliud particulare.*

Donatio denique causâ mortis pro potissima quidem parte, seu per omnia fere imitatur naturam legati *Instit. de Donat.* §. 1. ab eo tamen differt, quòd se habeat instar contractûs, & perficiatur plerumque inter præsentes mutuo consensu; cùm tamen legatario, etiam inscio, & non acceptanti, acquiratur legatum per mortem legantis.

47. *Solemnitatis jure cõmuni requisitæ ad Testamentum scriptum.*

Solemnitates porrò has requirit testamentum scriptum ex jure communi, scilicet ut subscribatur & signetur à septem testibus, masculis, puberibus, ad hoc rogatis, eodem tempore concurrentibus, & ab ipso testatore, si scribere possit aut noverit, aliàs ab aliquo octavo: ut instituatur heres, disponendo de bonis omnibus, nullo præterito ex liberis, nisi debitè exheredato.

48. *Ab his excipitur Testamentum inter liberos, & milites, Aut factum apud acta. Quodnam sit tale. An excipiatur Testamentum Rusticorum.*

Excipitur tamen ab hujusmodi lege testamentũ inter liberos *L. Hâc consultissima* 21. *C. de Testamentis.* Item militis in expeditione, *L. 1. ff. de Testamento militis.* Item factum coram principe vel apud acta *L.* 19. *C. de Testamentis.* Porrò fit apud acta juxta *Wesenbecium* & alios (ut refert & sequitur *Christinæus ad Consuet. Mechlin. art.* 1. *n.* 6.) quando præsente judice & scabinis, etiam extra locum judicii cõficitur. Rusticorum testamenta rata habentur, facta coram quinque testibus, si alii haberi nequeant *L. fin. C. de Testam. & Quemadm. ordinentur.*

49. *An factum tempore cõtagionis.*

Tempore pestis quoque plurimi minorem testium numerum sufficere volunt per *L.* 8. *C. eod.* Ibi tamen, rigore juris spectato, nil immutatur circa testium numerum, sed circa concurrentiam simultaneam eorum, ut notat *Zypæus l.* 2. *Consult. Canonic. Tit. de Testam. Consult.* 2. *Zoezius ad Instit. de Testam. ordinandis n.* 11. & alibi. Verum de numero testium plerisque in locis aliquid esse remissum, & binos sufficere, quod etiam moribus receptum, addit *Valer. Andr. ibid.* Quod & confirmant judicata (quæ Varii referunt) per Cameram Imperialem, aliasque tribunalia. Legata quoque & fideicõmissa, testamento imperfecto relicta, quæ heres sponte agnoscit, solvere debet legatariis & fideicommissariis *L.* 16. *C. de Testamentis.*

50. *Quid Testamentum nuncupativum, & quæ exigat.*

Testamentum nuncupativum, sic dictum quia heres in eo non scribitur, sed voce testatoris nuncupatur seu nominatur, eadem de jure requirit solẽnitates, quas scriptum, demptis iis quæ scripturâ & sigillis constant. *Instit. de Testam. ordinandis* §. *fin.*

Quod quidem genus (inquit *Tuldenus ad Instit. cit. c.* 7.) hodiè maximè in usu est, testatore voluntatem suam coram testibus & notario declarante, qui eam scripto excipit: id quod cùm ad memoriam rei, non ad solemnitatem fiat, non eò minùs nuncupativum est. Quibus similia habet *Vallẽsis in* 3. *decret. Tit.* 26. §. 1. *n.* 4. Verùm existimo, non solùm in testamento clauso (utì loqui solemus, in quo etiam hodie necesse est easdem solemnitates adhiberi in dorso exteriùs, quas apertum requirit in suo tenore) sed etiam in ordinario seu aperto omnino scripturam esse de substantia & valore testamenti spectato Principum Belgii Edicto perpetuo, de quo statim. Nisi quòd testator disponens de summa minore trecentis florenis possit de ea disponere nuncupativè, juxta *art.* 19. ut refertur in *Cod. Belgico* ℣. *Testamentum* §. 8.

*An hodie id potissimùm in usu.*

*Testamentũ clausum quæ exigat. easdem solemnitates, quas apertum.*

Itaque piissimi Principes nostri Albertus & Isabella anno 1611. statuerunt in primis sub pœna nullitatis servandas esse condendo testamento locorum consuetudines, Emologatas scilicet, seu decreto Principis approbatas (utì iidem Principes declararunt) aliàs autem standum Edicto præfato. In quo requiritur, non solùm ut testamenta scribantur, sed ut & subscribantur à testatore & duobus testibus, qui etiam ad hoc vocati sint, siquidem scribere norint, cujus mentio etiam instrumentis inserenda sit à tabellionibus, Pastoribus aut Vicepastoribus (quibus conceditur auctoritas conscribendi Testamenta) qui nihil sibi suisve intra quartum gradum juxta leges civiles computandum adscribãt. Præterea ut in casu differentium consuetudinum inter locum residentiæ & locum rei sitæ, serventur statuta & consuetudines loci rei sitæ, tam quoad formam testandi, ætatem testantis, quàm quoad qualitatem bonorum. Quæ omnia statuũtur observanda sub pœna nullitatis.

15. *Quæ solemnitas ad Testamenta requiratur in Belgio vi Edicti perpetui.*

*Solis consuetudinibus Emologatis non derogatur.*

*Notarii nil sibi suisve adscribere possunt.*

Quare iidem Principes ad supplicationem *D. Zypæi* (ipso referente in *Jure Pontif. novo l.* 3. *Tit. de Testam. n.* 20.) 18. Martii anno 1620. declararunt, in omni casu (dempto testamento inter liberos, quod retinet privilegium juris communis ex eorumdem Principum declaratione factâ 3. Augusti 1617. teste *Zypæo Consult.* 1. *de Testam.*) nulla esse testamenta sive sola testatoris, sive sola testium, sive utrorumque subsignatio desit, sive Notarius solùm in protocollo, instrumento, seu testamenti tabulis non annotarit, *scribere testatorem non posse*; qui tamen coram eo testibusque id indicarit. Immo Edictum habere locum etiam in codicillis, seu testamentis clausulam codicillarem habentibus, & quibusvis extremis voluntatibus, etiam militum in præsidiis agentium (ex quo colligere liceat oppositum de existentibus in expeditione, juxta jus Cæsareum; quod servan-

52. *Variæ Edicti declarationes.*

*Testamentum inter liberos non comprehenditur Edicto.*

*An Codicilli.*

dum, nisi quatenus ei derogatur) Item sub verbis, *Si scribere nesciant* non litterarum tantùm ignorantiam, sed & ob morbi acerbitatem fortè impotentiam comprehendi. Vocatos autem testes (quod edictum requirit) intelligi non tantùm è domo vocatos, sed & eos, qui ad ægrotum invisendi causâ venientes, ac fortuitò ita reperti, requisiti sunt, ut factioni testamenti interssint, dum nempe faciunt, quod testem alioquin facere convenit. Pleraque hæc *Zypæus sup.* conformiter ad *art.* 11. 12. & 13. Edicti perpetui. Interrogãdos tamen non esse testatorem & testes, num scribere possint, si sint personæ notabiles, aut consiliarii, advocati, practici, & quando notorium est posse scribere, ut patet ex duplici interpretatione desuper datâ apud *Christinæum ad Consuet. Mechlin. Tit.* 17. *art.* 4. *in addit. n.* 6.

*An notoriè potentes scribere sint desuper interrogandi.*

53. *Testamentum apud acta conditum valere declaratum est.*

Idem Principes similiter declararunt valere testamentum conditum apud acta seu coram duobus Scabinis, & Graphiario, seu Secretario, aut Notario (Idemque est de Scolteto ad id auctorizato à Magistratu, in absentia Graphiarii) eo addito, quòd per testatorem, si scribere sciat, signari oporteat, ut refert *Valer. Andr. ad Instit. de Testam. Ordinandis in addit. num.* 9. Declaratio etiam regia data ad postulationem *Zypæi* (ipso referente *l.* 3. *Consult.* 2. *de Testam. in fine*) ostendit servandam esse formam Edicti etiam tempore pestis; attamen (ut docet *Zypæus ibidem*, & similiter declaratum refert *Valer. Andr. ad Instit. de Testam. Ordin. in addit. n.* 11.) validum est, etsi alter testiũ sit femina: quæ aliàs moribus non reciperetur, vti tradit idem *Valer. Andr. in addit. sup. n.* 29. & alii. Videri hæc & similia possunt in *Codice Belgico V. Testamenten.*

*An Edictũ servandum tempore pestis.*

*An tunc femina possit esse testis.*

54. *In quibus hodie per mores receſſum sit à jure Cæsareo.*

Præter hæc testatur *Gudelinus l.* 2. *de jure Noviss. c.* 5. non solùm mores nostros, sed omnium ferè populorum à Juris Romani solennitatibus in condendis testamentis recessisse. Unde subdit, nec heredis institutionem moribus necessariam esse, ut sic testamentum, quod ideo vix differt à codicillis, cessante nimirum ratione juris Romani heredis institutionem exigentis, ne quis partim testatus, partim intestatus decederet contra *L. Jus nostrum 7. ff. de Reg. jur.* Hodie enim id licet: immo multis in locis solùm de certa bonorum parte permissum est testari. Quare moribus nostris etiam vocatur testamentum, in quo legatis solùm relictis, nulla sit heredis institutio. Hinc etiã cessat jus Romanum accrescendi, nimirum ut si quis in re certa sit institutus, non autem hæres universalis, reliquum hereditatis non accrescat instituto, sed devolvatur ad propinquos ab intestato. Plura vide apud *Gudelinum sup.*

55. *Quæ sint requisita Jure Canonico.*

Jure Canonico decernitur valere testamentum factum coram Parocho & duobus vel tribus testibus; prout Alexander III. rescribit Episcopo Ostiensi, intra terminos Statûs Ecclesiastici seu Papalis constituto, c. *Cum esses* 10. *de Testam.* Similiter c. *Relatum eod.* scribit de relictis Ecclesiæ seu ad pias causas, sufficere duos vel tres testes, *quia* (ut suppletum in recentioribus Editionibus) *hujusmodi causa non secundùm leges, sed secundùm canones debet tractari.* Proinde hæc ordinatio locum retinet in Statu (quem vocant) Ecclesiastico, etiam quoad testamenta profana: alibi autem solùm in ordine ad causas pias, in ordine ad quas meritò potuit Ecclesia legum placitis derogare. De cetero tamen Pontifices justis & adeò solemnibus Principum ac Cæsarum Edictis (quæ aliena à divina lege, id est, extranea, etsi non contraria, dicuntur c. *Cùm esses citato*) derogasse censendi non sunt, esto derogasse potuissent; quòd ipsum difficulter alii plerumque admitterẽt. Quare testamentum ad pias causas (id est, in quo subjectum piæ causæ instituitur hæres) servatis de jure Gentium seu naturali servandis est validum, ex communi sententia, etiam in foro externo. Immo quamquã esset principaliter conditum ad causas profanas, adeoque in foro civili quatenus testamentum judicaretur nullum, adhuc valebit quoad pia in eo contenta legata: nam c. *Relatum* simpliciter est semo de *relictis Ecclesiæ.* Estque eadem ratio. Quamvis etiã accessorium alioquin sequatur suum principale, id tamen fallit, ubi accessorii tam privilegiata est ratio.

*In statu Ecclesiastico obtinet in quibusvis Testamentis.*

*Alibi in ordine ad pias causas.*

*Ad quæ valet etiam pro foro externo.*

*Idẽ etiam, quoad pia legata contenta Testamentis profanis.*

56. *An obtineat quoad legata profana, quæ continentur Testamentis ad pias causas.*

E contrà si testamentum non solemne sit ad causas pias, adhuc valere quoad legata profana ei inserta, tenet *Julius Clarus* apud *Lessium. c.* 19. *dub.* 2. dicens esse communem sententiam, quasi quod ad principalem heredis institutionem sufficit, etiam ad accessoria legata sufficere debeat. Hoc tamen non æquè patens est, & negatur à *Lugo d.* 22. *s.* 9. *n.* 274. qui refert *Vasquez, Bonacina, Jasonem, Guidonem Papæ* & alios: eò quòd accessorii diversa ratio facere videatur, ei non competere privilegium speciale ipsius principalis. Nec sit, cur Põtifex possit, aut certè voluerit in rebus civilibus, citra exigentiam finis spiritualis, generalibus legibus Principum seu Imperatorum derogare.

57. *An duo testes saltem requirantur.*

Quod autem in c. *Relatum* fiat mentio duorum saltem testium, id exempli gratiâ positum esse, quatenus necessarium fuerit ad probationem, censent Doctores, ut aliàs valeat in foro omni dispositio ad pias causas; dummodo aliunde de voluntate testatoris per chirographum aut aliter constare possit. Specialiter autem ex Interpretatione data 1621. die 28. Julii valet in Belgio Testamentum ad pias causas, etsi solâ cruce signatum à testatore & testibus, etiam non interrogatis, an scribere possent. De cetero praxis inspicienda. Et quantum ad scripturam, ea ex Interpretatione data 1623. sub pœna nullitatis requiritur etiam in testa-

testamento ad pias causas.

58. *An Testamentum profanum non solemne sit validum in foro conscientiæ. Varia sententia.*

Qualiter verò testamentum non solemne ad causas profanas sit invalidum, disputatio est satis solemnis inter Auctores. Varii non improbabiliter apud *Lessium c. 19. dub. 3. num. 32.* cesserunt, valere eatenus, ut heres vel legatarius non teneatur sponte reddere, sed possit retinere accepta; non valere, quatenus heres ab intestato non tenetur cedere aut relinquere, & alii accepta post repetitionem teneantur reddere. Ipse *Lessius dub. 3.* (ubi fusè suam opinionem stabilire nititur) & passim alii tum Jurisperiti, tum Theologi, etiam aliàs censentes solemnitates essentiales requiri ad valorem actûs in foro conscientiæ, censent specialiter valere naturaliter seu in foro conscientiæ testamentum non solemne, adeoque heredem scriptum & legatarios non solùm posse petere & retinere, sed etiam heredem ab intestato obligari, cognitâ sufficienter voluntate defuncti, hereditatem & legata cedere, & ea, si possideat, reddere. Quasi leges solùm statuant nullitatem pro foro externo, & solemnitates exigant, ut constet de voluntate defuncti.

59. *Quid speciale sit in fideicommissis.*

Cui sententiæ favent variæ leges, ut *L. 2. & 32. C. de fideicommissis, Instit. de fideicommissariis hereditatibus §. fin.* Verùm ibi solùm est sermo de fideicommissis, *quorum* (ut *§. fin. cit.* dicitur) *prima cunabula à fide heredum pendent, & tam nomen quam substantiam acceperunt.* Propterea que in illis statur juramento heredis, & confessus cogitur solvere, etiam in foro externo *Instit. sup.* Quod sanè non potest ad testamenta seu alias dispositiones extendi; quæ etiam fatentibus aliis non valent in foro externo.

60. *Testamentum non solemne in omni foro esse invalidum adstruitur.*

Proinde probabilissima apparet doctrina *Covarruvias, Lugo* & plurium aliorum, censentium testamentum non solemne esse simpliciter in omni foro nullum: quia juxta alias leges *imperfectum testamentum sine dubio nullum est Instit. Quibus modis testam. infirm. §. Ex eo 7. & si vel unus de septem testibus defecerit, deficit testamentum L. 12. C. de testam.* sic ut etiam abeis non subscriptum, *pro infecto* habendum dicatur *L. Hâc consultissimâ 21. C. eod.* Ubi signanter subditur? *Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter soles liberos à parentibus utriusque sexûs habeatur, non volumus.* In quibus verbis non solùm ipsum instrumentum testamentarium, sed etiam ei condistincta voluntas testatoris invalidatur, dempto testamento inter liberos; in quo tamen adhuc supponitur constare sufficienter debere de voluntate parentis testatoris. Quare etsi solemnitates præscribantur, ut vitentur fraudes circa voluntatem testatoris, Jus tamen ob eas frequenter oriri alioquin natas, generatim irritasse videtur testamenta solemnitatibus destituta.

Ubi signanter notandum, quòd cùm ex diversitate præmissarum opinionum sequantur oppositæ conclusiones practicæ, fas non esse alicui pro una parte favorabili sibi amplecti & sequi unam opinionem, v. g. acceptando hereditatem, & non acceptare consequenter pro parte non favorabili, puta non solvendo legata eodem testamento relicta: quæ certum est debere solvi suppositâ veritate opinionis, quam pro altera parte tamquam veram amplecteris. Quod confirmatur, quia id apertè repugnat voluntati defuncti, qui noluit talem habere hereditatem, nisi cum onere distribuendi partem legatariis. Nequit autem in eodem testamento quis approbare & reprobare voluntatem testatoris, dum idem est fundamentum approbandi utrobique. Varia quoque absurda sequerentur, si in eodem negotio liceret oppositas amplecti sententias, secundùm quod in diversis negotii punctis favent. De quo vide *Lugo d. 15. de Eucharistia sect. n. 49. & seqq.* Immo non est hoc ipsum probabile. Unde heres scriptus testamento non solemni legata nullo probabili titulo retinet, aut aliis quàm legatariis dat. Probabilior autem testamenti nullitas solùm juvare potest heredem ab intestato. Vide *Lugo* hîc *disp. 22. n. 261.*

61. *An fas sit uni & eidem in hac materia sequi oppositas opiniones in quâ tum præcisè favorabiles.*

62. *Quibus testari interdictum.*

Nunc inquirendum quinam testari possint. Ad quod breviter respondendum, jure naturæ sufficere dominium bonorum, & usum rationis. Excluduntur autem jure positivo impuberes, prodigi bonis interdicti, muti & surdi nati, infames, criminosi, quibus inflicta est pœna intestabilitatis (quales sunt usurarii, hæretici eorumque fautores &c.) religiosi professi. At Novitii juxta *Sanchez l. 7. Summa c. 5. num. 13.* indubiè possunt etiam ante bimestre postremum ante professionem testari, quasi *Tridentinum sess. 25. de Regular. c. 16.* solùm interdicat renuntiationes aut obligationes irrevocabiles, quæ faciunt egressum difficilem; quod non facit testamentum, utpote semper revocabile, neque vim habens ante professionem. Damnatis ad mortem interdictum est testari *L. 8. §. 1. ff. Qui testament. facere possunt.* Nihilominus eos ex consuetudine plerorumque locorum liberè testari (uti & à fortiori iisdem succedi ab intestato) nisi bona sint publicata, ex *Julio Claro* refert *Malderus Tr. 1. c. 11. dub. 3. §. penult.* Quo modo autem filiifamilias, Clerici sæculares (de quibus videri specialiter potest *Zypæus in Anal. Jur. Pontif. l. 3. Tit. de testam.*) testari possint, alibi satis dictum est.

*An Novitii ante ultimum bimestre.*

*An damnati ad mortem.*

Circa illegitimos quoque mores variat. Et quidem si per matrimonium subsequens fiant legitimi, non est quæstio. Aliàs autem non nisi per rescriptum Principis legitimari solent. Non legitimatis autem in plerisque, præsertim Brabantiæ, locis non permittitur (permittitur Mechliniæ, si sint

63. *An illegitimi.*

Bastardi

Bastardi simplices, ut Statuta loquuntur) nisi Princeps indulserit, aut legitimas proles relinquant. Quando id permittitur quibusvis, etiam spuriis seu nothis. Moribus quoque succedit Bastardis ab intestato fiscus vel dominus, si proles legitimæ desint, quæ alioquin ubivis hæredes sunt. Vide *Zypæum in Not. Jur. Belg. Tit. de natural. liberis, & Tit. Unde liberi, & in Analysi Juris Pontif. Tit. de testam.*

*Quis, ejus succedat ab intestato.*

64. *Conjuges liberè testantur, etiã junctim.*

Conjuges præterea validè & licitè testantur (nisi Statuta Municipalia potestatem in quibusdam restringant) etiam citra mutuum consensum: quod & ad mulieres extenditur per mores passim. Possunt quoque in eadem charta testari, prout usus habet. De quo adhuc paulò post.

*Variis in locis non est fas testari de omnibus bonis.*

Denique variis in locis restricta est facultas testandi ad certam bonorum partem: prout restricta est ad tertiam partem patrimonialium, mediam acquisitorum (quibus etiam feuda continentur) in Flandria teste *Jacobo Marchant* apud *Zypæum in Analysi sup. n.* 10. Alibi non permissum testari extraneis (quos Galli Albinos, quasi alibi natos vocant) nisi à Rege seu Principe naturalizatis, seu jure regnicolæ donatis, sic ut aliàs peregrini liberis carentis bona fiscus occupet. Circa Feuda & Fideicommissa quoque obtinenda est facultas specialis. Alibi aliæ consuetudines.

*Alibi interdictum testari peregrinis.*

65. *Substituere qui possint.*

Ulteriùs sciendum est, quòd qui possunt bonorum suorum hæredes instituere, possint quoque & illis alios substituere. Unde celebris in Jure est materia substitutionum; quæ quidem supponunt alterius hæredis institutionem. Est enim substitutio nil aliud, quàm ordinatio seu designatio hæredis in locum instituti primo gradu, si vel quando is hæres non extiterit. Alia dicitur vulgaris seu communis, quæ quibusvis institutis adhiberi potest à quovis testatore; fitque sub conditione, ut si institutus v. g. Petrus nolit aut non possit esse hæres, sit hæres alius v. g. Paulus. Unde cessat eo ipso, quo Petrus hæreditatem adiit. Alia pupillaris, quâ filio impuberi substituitur alius hæres, in casu quo ante pubertatem moriatur. Alia exemplaris, sic dicta, quòd imitetur exemplum substitutionis pupillaris, quâ filio amenti, aut prodigo seu interdicto bonis aut testamento faciendo, substituitur alius hæres. Alia fideicommissaria, quâ hæres directè institutus gravatur relinquere hæreditatem vel partem ejus aliquotam alteri. Estque adeò non directa, sed obliqua, quâ potest hæres etiam per codicillum gravari, cujus velut ministerio alter scilicet fideicommissarius tempore hæredi præfixo, v. g. post mortem illius, aut aliàs, acquirit hæreditatem. Alia reciproca (quæ & brevilocua) qua plures simul instituti hæredes, etiam invicem substituuntur. Eaque ratione personarum, quæ substituuntur, potest comprehendere aliquando pupillarem: aliquando etiam fideicommissariam, puta si duo instituti rogentur posteriùs morienti relinquere suam partem. Alia denique compendiosa, quæ ratione diversorum temporum pertinet ad diversas institutiones; v. g. si instituatur filius hæres, & eo moriente alter, hic succedet ex substitutione vulgari, si filius moriatur ante patrem, ex pupillari, si post patrem moriatur pupillus, ex exemplari, si sit amens, ex fideicommissaria, si pubes.

*Quid substitutio.* *Vulgaris.* *Pupillaris.* *Fideicommissaria.* *Reciproca.* *Compendiosa.*

Notat vero *Gudelinus l. 2. de jure Novissimo, c. 5. num.* 9. substitutionem pupillarem hodie non egredi bona à patre relicta: utì & ad illius exemplum non fieri substitutionem filio amenti, præter quam quoad bona, quæ testator ei reliquit. Præterea fideicommissa, substitutiones & alienandi prohibitiones, quæ per leges in infinitum possent extendi, per Edictum perpetuum anni 1611. his in locis restringuntur ad tres gradus, unà scilicet computato herede instituto. De qua re etiam extat in Gallia constitutio Caroli IX. ut refert *Valer. Andr. ad Instit. de vulgari substit. in addit. num.* 14. ubi & alia mores concernentia adfert. Plura de Substitutionibus fusè tractant Jurisperiti ad Titulos varios *de Substitutionibus* scribentes.

66. *Circa substitutiones quid mores habeant.*

Nota liberis (nisi justa de causa exheredati, sive præteriti sint) deberi legitimam, eamque legatis & fideicommissis detrahendam; aliàs competere proli præteritæ querelam inofficiosi. Est autem legitima liberorum jure novo communi (mores possent alibi variare) triens seu tertia pars bonorum; vel, si plures quàm quatuor liberi sint, senus, seu dimidia pars *Novella* 18. *c.* 1. Est præterea pars, quæ dicitur Falcidia, non à falce sed ab auctore Cajo Falcidio Tribuno plebis Augusti temporibus nomen sortita, quæ est pars quarta bonorum, debetque manere salva heredi instituto, si ultra illam sit legatis gravatus. Trebellianica similiter ad exemplum Falcidiæ inducta per S.C. Trebellianum, est quarta pars, quæ salva manere debet hæredi gravato fideicommissis.

67. *De Legitima, Falcidia & Trebellianica deductione.*

An autem Legitimam & Trebellianicam simul deducendi sit facultas iis, quibus tamquam heredibus (ut aiunt) suis jus legitimæ competebat, disputant Doctores, plerisque in affirmativam partem inclinantibus ob dispositionem juris Canonici c. *Rayuntius*, & c. *Raynaldus de Testam.* doctioribus tamen Juris Interpretibus, *Cujacio, Fabro*, & aliis (ut refert & sequitur *Zoesius in ff. ad S. C. Trebellianum num.* 92.) negativam præferentibus, ob dispositionem juris Civilis, cujus correctio non rectè trahitur ex Canonibus, nisi in causis peccati & spiritualibus. Nihilominus utramque etiam jure civili detrahendam, probat *Vallensis in Decretales Tit. de Testam.* §. 3. Similiter utramque adjudicatam

68. *De duplici detractione Legitimæ & Trebellianicæ.*

tam in Magno Belgii Consilio ex *Christinæo* refert *Zypæus in Not. Jur. Belg. Tit. de Testam.* Et quidem variè de Falcidiæ & Trebellianicæ deductione tractant Auctores etiam Nostrates.

69. *Qui passivè intestabiles.*

Quærendum nunc sequitur, quibus testamento bona relinqui possint? Et in primis ex Jure ac Doctorum communi sententia constat, esse intestabiles passivè, qui activè ratione criminum. Specialiter autem hereditatem aut legatum ex testamento accipere prohibentur hostium civitates vel cōmunitates Judæorum. Item Fratres Minores non possunt heredes instituì; et sunt capaces legatorum, eis sub modo Regulæ seu paupertati eorum congruo relictorum; ut dilucidè tradunt Pontifices c. *Dixit in 6. & Clem. Exivi, de verb. signif.* ac Expositores Regulæ.

*An Fratres Minores,*

*Notandum pro Belgio.*

In Belgio quoque generatim sub pœna nullitatis Ecclesiæ seu monasteria (quas vocant manus mortuas) prohibentur per leges Principum succedere, sive per testamentum, sive ab intestato in bonis immobilibus *art. 15. addit. 2. Lati Introitûs*, utì refertur in *Codice Belgico V. Testamenten* §. 18. Debetur equidem hereditas seu rei legatæ æstimatio, si testator adjecerit clausulam, ut si res obtineri nequeat, pretium illius distrahendæ pio loco cedat. Quæ tamen clausula si omittatur, suppositâ in statuto clausulâ irritante, censet *Zoesius in ff. de Legatis & Fideicommiss. num. 28.* nec pretium quidem sive æstimationem rei immobilis deberi: tametsi in oppositum propendeat *Peckius Tr. de amortizat. bonorum c. 9. in fine* (quem vide) quando de absoluta testatoris voluntate satis constat.

70. *Illegitimis ex damnato coitu natis debentur alimenta.*

Circa illegitimos non legitimatos solet specialis quæstio in præsenti moveri. Et quidem constat, eis deberi alimenta, etsi sint procreati ex damnato per leges civiles concubitu, puta incesto, adulterino aut nefario (qui est inter ascendentes & descendentes) idque ex æquitate Juris Canonici (quod etiam in tribunalibus sæcularibus obtinet) c. *Cùm haberet in fine, De eo, qui duxit in Matr.* quo proinde temperatus est rigor (utì sonat) immoderatus Juris civilis, *Auth. Licet C. de natural. liberis & Auth. Ex complexu C. de incestis nuptiis.* His tamen parciùs alimenta debentur, quàm naturalibus, nec nisi necessaria, quatenus scilicet se aliàs sustentare convenienter non possunt.

*Nil praterea his relinqui potest a patre.*

Nil autem potest eis ultrà inter vivos aut etiam per testamentum validè donari à patre; sed & donatum debet in cōscientia restitui legitimis heredibus, utì volunt Doctores. Videri possunt Authenticæ citatæ. Idem est de iisdem respectu matris, juxta communem sententiam Doctorum. Etsi Varii (inter quos *Lessius c. 19. dub. 6. Lugo disp. 24. s. 6. n. 119.*) probabile putent oppositum, eò quòd leges videantur loqui speciali-

*At saltem a matre.*

ter de bonis paternis, adeoque cùm versemur in materia odiosa, non sint extendendæ ad materna. Ut proinde accepta aut relicta à matre possit spurius quiscumque retinere, donec à judice repetantur, juxta Nonnullos.

71. *Naturales quomodo à patre possint Iure scribi heredes.*

Filii naturales non succedunt quidem patri ab intestato, etiam deficientibus legitimis, possunt tunc tamen per testamentum iustitui heredes, etiam ex asse, relictâ (si supersint) ascendentibus legitimâ, eis Jure Cæsareo (quod non ubique observatur) debitâ. Si tamen præteriti sint, non competit eis querela inofficiosi: eò quòd patri detur facultas, non imponatur id agendi necessitas. Ab intestato autem deficiente legitimâ sobole & uxore, ad eos devolvitur pars sexta, seu (ut Juristæ loquuntur) sextans aut duæ unciæ bonorum, medietate harum cedente matri, si supersit. Dum supereſt proles legitima vel uxor, sola hereditatis uncia, seu pars duodecima assis (ut loquuntur) potest eis relinqui, dividenda cum matre, si supersit. Videri potest *Authent. licet*, seu *Novell. 89. c. 12.* Substituì tamen possunt legitimis pupillariter, juxta *Tuldenum in C. de Natural. liberis n. 2.*

*Quid ad illos devolvatur ab intestato.*

72. *Matri qui succedant naturales & quæsiti.*

Matri, si desint legitimi, succedunt ab intestato tamquam heredes ex asse, qui vulgò naturales dicuntur, etsi forent stylo Juris Cæsarei spurii vulgò quæsiti, dum tamen non ex coitu damnato.

Si adsint legitimi, succedunt cum iis ex æquo in bonis maternis, nisi mater sit illustris. *L. 5. Cod. ad S. C. Orficianum.* Vide etiam *L. 2. 4. & 8. ff. Unde cognati*, & *L. 29. ff. de inofficioso testam.* & *Instit. ad S. C. Orficianum* §. *Novissime.*

73. *Qui censeantur naturales, qui spurii, Iure Civili, sive Canonico.*

Notandum verò stylo juris Cæsarei solos cēseri naturales, qui ex cōcubina domestica, quæ unica sit, quasi loco uxoris, procreati sunt; iisque soli concedi privilegium *Auth. licet*, & *Novell. 89. cit.* Unde hâc ratione hodie vix invenirentur naturales; quando cōcubinatus (qui est deterior) non est permissus, sed Jure præsertim Canonico damnatus. Unde hodie secūdùm Jus Canonicum, etiam consuetudine receptum (ut testatur *Abbas*, in c. *Per venerabilem* & alii apud *Covarruvias in Epitome 4. Decretal. p. 2. c. 8. §. 4. n. 2. in fine*) naturales dicūtur, quotquot extra statum conjugalem ex personis solutis (inter quos tamen connubium esse poterat) concepti vel nati sunt. Spurii autem (quales censentur Jure Cæsareo etiam nati ex solutis extra cōcubinatum præmissum) dicuntur, inter quorum parentes tempore conceptionis & nativitatis erat impedimentum dirimens.

*Quales cēseantur procreati ex soluta & conjugato vel ordinato.*

Quales etiam sunt geniti ex conjugato & soluta, vel ex clerico sacris initiato & solutâ. Tametsi prolem ex his naram Varii existimet capacem successionis maternæ, eò quòd concubitus ille non censeatur damnatus seu punibilis per leges, supple

ple civiles. Quæ opinio (etsi oppositam præferat *Lessius c. 19. dub. 6. num. 65.*) in praxi plerumque solet servari, prout testari *Covarruvias sup. §. 5. n. 20.* refert *Lessius sup.* & ex eo *Wiggers sup. n. 24.* ubi tamen id minimè reperire potui. Attendenda autem est consuetudo. Videri quoque potest *Zypæus in Analys. jur. Pontif. lib. 3. Tit. de succession. quæ ab intestato n. 3.*

74. *Quid mores de illegitimis statuant.*

Hodie pleræque Regiones ne ad matris quidem seu maternorum parentum bona illegitimos quoscumque admittunt, & nullæ ad sextam partem hereditatis paternæ, ut habet *Gudelinus l. 2. de Jur. Noviss. c. 13. in fine*; sic ut omnia illis successionum genera & jura ferè adempta sint, nec distinguatur inter natos ex damnato seu punibili coitu, & non punibili, ut habet *Valer. Andr. ad Instit. de hered. quæ ab intest. in addit. n. 14.* ubi addit peculiare jus Flandrorum circa hereditatem maternam.

Ex testamento tamen, etiam patris, capere possunt juxta *Zypæum sup.* procreati ex coitu non damnato, sic ut juxta *Consuetud. Mechlin. Tit. 18. art. 3.* etiam heredes instituti ad successionem vi testamenti admittantur.

75. *Testamentum usque ad mortem revocabile.*

Insuper ea est natura testamenti, ut ante mortem semper queat, per se loquendo, validè & licitè revocari. Ideoque *L. 4. ff. de adimendis legatis* voluntas defuncti dicitur ambulatoria usque ad mortem. Ipse quoque Apostolus *ad Hebr. 9.* ait: *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis firmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.*

76. *Quid si testator juret se non revocaturum.*

Dixi *per se loquendo*: nam si quis juraverit se non revocaturum, obligatur ob religionem juramenti non revocare, quatenus sine peccato potest à revocando abstinere. Quamvis juramento non obstante, revocatio foret valida, veluti fundata super jus in ipsas res, tamquam suas. An autem fieret injuria alteri per revocationem, quæri posset. Et certum est, quòd non, si juramentum sit directum ad solum Deum; cùm tunc, etsi testator revocando peccasset, tamen non sit acquisitum jus tertio, sed solùm obligare possit ex virtute religionis, instar voti. Idem est, si factum sit quidem tertio instar promissionis juratæ, sed hic vel non acceptaverit, vel remiserit. Aliàs autem ex opinione asserente contractus confirmari juramento sequi videtur, etiam in præsenti casu id fieri quoad promissionem non revocandi, ex qua proinde generetur jus tertio, qui consequenter actionem habeat ad relicta alteri contra juramentum; habet, inquam, etiam, non vi testamenti tamquam heres aut legatarius, sed vi promissionis juratæ tamquam creditor defuncti. Verùm *Zoesius in ff. de injusto, empto &c. testam. num. 29.* oppositum censet probabilius, quòd verè per tale juramentum non firmetur hujusmodi actus, atque ita nihil juris acquiratur prius instituto ex actûs natura ante mortem testatoris: defunctus autem ad summum fuerit obligatus personaliter ratione evitandi perjurii, non etiam reali actione. Ut proinde obligatio ista personalis & præterita non transeat in heredem. Notant tamen Nonnulli opus esse speciali clausulâ derogatoria prioris testamenti, tamquam jurati.

77. *Quibus modis revocetur Testamentum.*

Revocatur porrò seu cassum fit testamentum semel factum variis modis. De quibus Jurisperiti in *Instit. Quibus modis testamenta infirmentur*, & in *ff. de injusto, rupto &c. testamento.* Et *Gudelinus l. 2. de jure Noviss. c. 6.* Non sufficit jure pro testamentis (etsi sufficiat pro legatis *L. 18. ff. de legatis III.* Et *L. 3. de adim. leg.*) nuda voluntas ad revocandum testamentum, sed aliud testamentum *L. Militis codicillis §. pennult. ff. de milit. testam.* & quidem non tantùm inchoatum, sed perfectum, seu cum solemnitatibus debitis completum, ut rectè *Gudelinus sup. num. 7.* præmittens nihilominus sufficere, si non verbalis tantùm, sed re ipsâ facta sit revocatio, v. g. consultò scindendo, delendo seu cancellando, sive totum, sive partem substantialem ipsius, v. g. subscriptionem Notarii; vel (si testamentum clausum sit) ruptis sigillis seu chordulis ipsum reserando seu aperiendo, sive per se, sive per alium de suo consensu.

78. *Observanda circa Testamentum conjugum pariter factum.*

Circa testamenta conjugum specialiter notandum, quòd etsi in eodem instrumento sint facta pari consensu, quia tamen sunt nihilominus duo testamenta, uti duo testantes, unicaque solemnitas afficit utrumque, manet utrique testatori libera facultas revocandi, quod disposuit etiam altero inscio aut invito, vel jam præmortuo, tametsi hujus dispositio per mortem facta sit irrevocabilis. Vide *Peckium l. 1. de Testam. Conjugum c. 43.* ubi addit cautelam, quâ posset revocatio impediri.

Verùm alicubi Statuta municipalia ordinant conjugem, qui altero vivente revocat testamentum mutuo consensu initum, excidere à jure seu favore in illo à comparte pactito. Similiter si sub conditione non revocationis conjuges invicem relinquant v. g. usumfructum, is juxta *Lugo d. 24. s. 2. num. 46.* perditur à revocante etiam altero præmortuo: eò quòd fuerit testatori facultas hujusmodi conditionem à jure rejectam apponere: cùm per hoc non impediatur revocandi potestas, seu lucrum alioquin capiendum, si à revocatione abstineret. Vide *Lugo.*

79. *Legata à jure falsa quæ fiant caducant.*

Denique circa commutationes ultimarum voluntatum advertendum est, in primis legata profana fieri caduca, adeoque cedere heredibus, si nequeat mandari executioni opus, in quod legata sunt. Nisi quòd legatum

legatum civitati ad usum profanum possit per primores oppidi cum heredibus converti in aliud opus, quo memoriâ defuncti celebretur *L. Legatum ff. de Usu & usufructu leg.* At legata pia non fiunt caduca, neque redeunt ad heredes, sed si nequeant modo disposito mandari executioni, Episcopi vel Legati Pontificis cum Executoribus est juxta Doctores communiter substituere aliud opus æquè vel magis pium, idque proximè accedens seu simile, arg. *Trid. sess. 25. c. 8. de reform.* & ex dictamine congruentiæ naturalis.

*Secùs, de legatu pijs.*

*Quod opus ijs substituendum si nequeant in specie impleri.*

80. *Si possint impleri, an Episcopus ob causas quas commutare.*

Verùm si potest ultima voluntas in specie impleri, non potest Episcopus aut etiam legatus, quantumvis causa videatur justa immutare illam in aliud opus, sed necessaria est auctoritas Pontificis, utì probabiliùs censet *Malderus Tr. 1. c. 11. dub. 11.* referens *Panormitanum, Molina, Jacobum de Graffijs* contra nonnullos (quibus non parum videtur accedere *Bonacina de Contract. d. 3. q. ult. p. ult. sub finem*, quem vide) signanter *Covarruvias* fundantem se in *L. penult. ff. de operibus publ.* quæ sanè (inquit *Malderus*) nihil ejus sententiam juvat, ut contra *Covarruvias* observat *Molina*.

*Negans sententia suadetur.*

Indicatur *in Clem. 2. de Relig. Domib.* *Cùm ea* (inquit) *quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium* (*salvâ quidem Sedis Apostolicæ auctoritate*) *converti.* Ubì idem tenet *Glossa* referens hunc casum inter illos, quos Pontifex sibi etiam contra legatos suos reservat, quales recensentur *c. 4. de offic. Legati.*

Colligitur etiam ex *Tridentino sess. 22. c. 6. de reform.* ubi specialiter ordinat, ut ante executionem *in commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa & necessaria causa fieri debent, Episcopi tamquam delegati Sedis Apostolicæ summariè & extrajudicialiter cognoscant de veritate narratorum*; supponens (ut apparet) rem istam non esse juris Episcopalis.

Ibidem etiam significat *Tridentinum* requiri in ipso Pontifice justam seu necessariam causam. Aliàs enim omnino servandæ sunt ultimæ voluntates juxta *L. 1. C. de Sacros. Eccles.* & favet *c. Ultima voluntas 13. q. 2.* Ratio quoque idem confirmat: cùm Papa non possit pro nutu suo disponere de bonis subditorum, sed pro exigentia finis spiritualis. Utì neque potest contractus cum Ecclesia initos pro libitu alterare vel irritare. Plura de Testamentis videri possunt apud Jurisperitos, & *Gudelinum* in Commentario speciali de Testamentis. Theologiæ Studiosis pauca de multis magìs ad forum spectantibus delibasse sufficiat.

81. *In Pontifice ipso requiritur legitima causa.*

# DISPVTATIO TERTIA.

## De Mutuo, Usura & Cambijs.

### QUÆSTIO I.

### Quid Mutuum, Quid Usura & qualiter prohibita?

1. *Quid mutuum.*

MUTUUM, sic dictum quasi ex meo tuum, interdum significat ipsam rem quæ mutuo traditur, interdum autem, & in præsenti, ipsum contractum mutui, qui re seu traditione perficitur, estque adeò traditio rei constantis numero, pondere & mensurâ, seu (ut alii, & in idem redit) fungibilis (addunt plures, usu consumptibilis) eo animo ut statim fiat accipientis cum obligatione postmodum reddendi similem in specie & bonitate. Res fungibiles dicuntur, quæ talis sunt conditionis, ut una alterius vice fungi consueverit, ideoque alterâ ejusdem generis redditâ videatur eadem reddita sine detrimento creditoris, quia nimirum juxta consuetum convictum æstimatio earum fit in numero, pondere vel mensura: prout sunt pecunia, butyrum, frumentum, oleum, aromata &c. Censent pro-

*In quibus rebus detur.*

inde passim Doctores oves, boves, equos aut similia pecora non dici mutuo tradi, quòd in his non æstimetur sola quantitas, seu non constent ponere, numero vel mensurâ. Quamvis non vetet aliquo casu id fieri, ut nempe ovis v. g. mutuo detur pro alia ejusdem ponderis seu bonitatis reddendâ.

Addunt etiam plures Doctores consistere mutuum in rebus usu consumptibilibus. Quod saltem ordinarium est: mutuum enim (ut inductione patet) petitur & datur, ut mutuatarius re mutuatâ abutatur, eam scilicet destruendo, saltem moraliter. Quod addo, propter pecuniam, cujus usus est ipsa alienatio, & quæ propter hanc mutuo petitur. Si enim nummi ad ostentandum dumtaxat vel ad custodiendum petantur, potiùs est commodatum vel depositum, quàm mutuum. Et ideo consequenter non est vi mutui necessario reddenda eadem numero res, sed saltem specie, seu similis. Quamvis è contrà non necesse sit esse numero diversam: nam qui mutatâ mente aut occasione rem mutuo acceptam reservasset, utique obligationi satisfaceret, eamdem numero reddendo mutuanti. In pecunia quoque non tam attendi-

2. *Ordinariè versatur circa usu consumptibilia.*

*Quæ si casu non sint consumpta possunt reddi eadem numero.*

ditur physica & materialis species auri vel argenti, quàm formalis, ipsius scilicet valoris; ut proinde juxta plurium Doctorum sententiâ in qualibet alia moneta ejusdem valoris solvi possit, quando nempe aliud in pactum non fuit deductum, neque creditor inde damnum passurus est. De quo tamen vide *Valer. Andr. ad Institut. Quibus modis re contrah. oblig. in addit. n. 9.*

*In redditione mutui pecuniarii quid spectandum.*

3. *An interdum reperiri possit in ijs, quæ usu non consumuntur.*

An autem res usu non consumptibilis sit omni casu excludenda à ratione mutui, dubitari posset. Et videtur, quòd non: eò quòd juxta *Instit. Quibus modis re contrah. obligat. in init.* massa auri & argenti sit materia mutui, quæ tamen usu non consumitur, etsi inde artefactum v.g. cyphus fiat. Simili ratione videtur ligna & lapides posse eo animo cõcedi, ut statim fiant accipientis cum obligatione tantumdem reddendi ejusdem generis & bonitatis. Ita Doctores passim. Nihilominus reverà etiam tunc talis res petitur & datur regulariter ad illam suo modo consumendam seu variandam; quatenus scilicet ex illa fiant scamna, sedes, domus aliave artefacta, sic ut à statu suo in aliam formam transmutentur, ob quod etiam nomenclaturam mutent. Aliàs enim si omnino immutata concedatur ad alium usum, communi modo loquendi non videretur consuetum mutuum. Quamvis simpliciter non repugnet concedi illam cum translatione dominii & obligatione similem reddendi, præscindendo ab usu quocumque, qui est penes arbitrium ejus, qui dominium acquisivit. Is autem contractus intrinsecè non differret à mutuo, quidquid sit de voce.

4. *Qui differat à Precario, Commodato, Permutatione.*

Differt mutuum à Precario & Commodato, quòd in his dominium non transferatur, ideoque idem numero reddendum sit. A Permutatione & Venditione, quòd in his diversum genus recipiatur ab eo quòd acceptum est, idque absque ulla dilatione per se loquendo, puta nisi dilatâ solutione (in qua tacitum mutuum involvitur) res vendatur: secùs in mutuo, ubi idem in specie & bonitate reddendum, idque transacto tempore, sive præfixo per mutuantem, aut per leges, sive aliàs prudentis arbitrio taxando, in quo nimirum mutuatarius commodè re mutuatâ uti potuerit.

5. *Notanda circa mutuum filiorumfamilias.*

Circa mutuum filiorumfamilias, etsi puberum, advertendum, eos, si sine consensu parentum mutuo pecuniam acceperint, non teneri, utì nec parentes, eam solvere, sed posse etiam postmodum contra excipere per beneficium S.C. Macedoniani. Quod juxta *Angelum, Sanchez, Lessium* & plurimos alios Doctores (ut citat & sequitur *Castro Palao d. 4. p. 3. n. 6.* contra *Covarruvias* & plures alios apud *Castro Palao n. 5.*) excusat filios etiam in foro conscientiæ. Excipiuntur tamen quidam casus. Inter alios, si filii habuerint bona castrentia vel quasi castrensia, vel sui juris publicè appareant, vel pecunia sit versa in commodum parentum, aut hi soliti fuerint pecuniam à filijs acceptam solvere, vel in casu quo ipsi debuissent sumptus facere, vel filij ex mutuo facti sint ditiores. Vide *Castro Palao sup.* & alios. De mutuo facto civitati vel Ecclesiæ vide eumdem *p. 5.*

6. *Quid sit usura.*

Usura (quæ aliàs sumi frequenter solet in bonam partem) interdum sumitur pro ipso lucro usurario; indeque dicitur quis debere vel solvere usuras. Interdum pro ipso contractu, seu pacto de lucro temporali supra sortem reddendo præcisè ratione mutui. Unde lucrum usurarium exigitur tamquam foret debitum ex justitia, quantumvis reverà non debeatur, quatenus nimirum exigitur ex titulo, quo cetera debita justitiæ, puta ex pacto seu contractu. Quia verò suo modo usura etiam reperitur in alijs contractibus, utì circa cambia notavit *Zypæus l. 3. Consult. Tit. de empt. & vendit. Consult. 6.* (idemque est in venditione ultra justum pretium ob dilatam, aut emptione infra justum ob anticipatam solutionem) dividi solet usura in expressam, quæ cernitur in mutuo, fitque verbis aut signis æquivalentibus: & implicitam, seu (ut vulgò loquuntur) palliatam, quæ nempe tegitur pallio alterius contractûs. Quando autem animus usurarius est merè internus, puta quando lucrum usurarium intendit mutuans, etsi exteriùs id in pactum non deduxerit, dicitur usura mentalis. Usura expressa seu lucrum illius aliter dicitur fœnus, quasi fœtus & fructus rei in mutuum datæ, attamen infelix, utpote rei sterilis. Pecunia verò ob usuris data fœnebris vocatur; & fœnus exercentes fœneratores: à quibus proinde condistingui videntur ceteri usurarii palliati.

*An extra mutuum reperiatur.*

*Alia expressa alia tacita seu palliata.*

*Quid mentalis.*

*Quid fœnus, qui fœneratores.*

7. *Usuram esse illicitam fides docet.*

Usuram esse peccatum, est de fide ex *Concilio Viennensi* (& refertur *Clem. unic. de Usuris*) contra Schismaticos Græcos, & *Carolum Molinæum* Jurisconsultum, demptis impijs erroribus, nominatissimum (cujus Scripta, quantumvis specialiter inhibita, cùm passim alis in locis Practicorum terantur manibus, considerandum apparet ijs, quorum interest, num huic malo difficulter remediabili præferenda permissio operum prævia correctione) defendentem moderatas usuras; ut refert *Lugo disp. 25. sect. 2. n. 8.*

8. *Ostenditur vetitam esse etiam jure divino.*

Prohibita porro est usura, non solùm jure Ecclesiastico (de quo constat ex decreto 14. *quæst. 3. & 4.* & Decretalibus *Tit. de Usuris*, & Clem. *de Usuris*) sed etiam jure divino: & quidem juxta Alexandrum III. c. *Quia in*

*in omnibus*, & c. *Super eo de Usuris*, & Urbanum III. ic. *Consuluit. eod.* in utriusque Testamenti pagina. Nam in primis *Ezech.* 18. apertè docetur damnem ad usuram morte moriturum, velut qui fecerit rem detestandam. Et *Psal.* 14. in montem Domini ascensurus dicitur, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, Ubi supponitur divina prohibitio usuræ juxta *Nicænum* relatum c. *Quoniam multi d.* 47. Et *Psal.* 54. iniquitas civitatis ponderatur ob injustitias, & quia *non defecit de plateis ejus usura & dolus.* Circa quæ advertendum, ea non desumi ex ipso textu legis veteris judicialis, adeoque potiùs supponi prohibitam usuram ex lege divina morali seu naturali. In Evangelio quoque *Luc. 6.* dicitur: *Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes.* Ubi supponitur præceptum esse, ut nihil supra sortem speretur ex mutuo, prout intellexit *Urbanus III. supra*, & *Leo X. sess.* 10. *Concilii Lateran. paulò post init.* Quamvis autem plerique exponant hoc sensu, ut consilium detur de mutuo, etiam sine spe similis beneficii recuperandi: ad hoc tamen nos Christus hortatur, quò magis elonget ab illicitis usuris, ut notat *Estius in d. locum.*

9. *Immo & naturali.* Jure naturali, Decalogi scilicet, *Non furtum facies*, esse interdictam usuram colligitur specialiter ex eo, quòd Judæos seu non baptizatos Ecclesia (cujus jurisdictioni tales non subsunt, & qui non ligantur præceptis Christianis, neque etiam judicialibus aut ceremonialibus Judæorum, dudum abolitis) cogat ad restitutionem usurarum. Deinde ex ratione: nam lucrum usurarium caret justo titulo: sive mutui (quod veluti contractus onerosus exigit utrimque æqualitatem, quæ consistit in compensatione sortis acceptæ) sive usus rei mutuatæ (quæ ab ipsa re quoad æstimationem non distinguitur, spectatque ad mutuatarium tamquam ipsius rei dominum) sive donationis liberalis, quam non intendit mutuatarius; utpote etsi aliquatenus volens, tamen non intendens donare liberaliter, sed vi pacti onerosi, quod init meritò invitus, ut obtineat rem mutuatam, qua indiget.

10. *Explicatur locus Deuter. 23.* Nec obstat quod *Deuteron.* 23. dicitur: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam &c. sed alieno.* Nam postremum Genti avaræ, etiam hodie usuris inhianti, merè permittitur causâ vitandi majoris mali erga fratres; aut certè id licuit juxta Nonnullos Judæis respectu alienigenarum, quibuscum eis erat bellum, titulo sive justi belli, sive divinæ dispensationis, sive concessionis dominii à Deo factæ in talium bona. At *c. 15. & 28.* promittitur tanta Israelitis benedictio, ut possint aliis fœnerari, id est, mutuum dare, & ipsi non indigeant ab aliis fœnus seu mutuum accipere. Unde verba textûs *c.* 15. habent: *Fœnerabis* (Hebræa & Septuaginta habent, Mutuum dabis, idque colligitur ex posteriori parte, quæ sequitur) *Gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum.*

Non obstat etiam quòd jus Civile in digestis, immo & Codice, usuras non solùm permittat, sed etiam actionem ad illas tribuat, servato modo secundùm qualitatem negotiorum & personarum præscripto. Unde aliæ usuræ erant centesimæ, quæ maximæ, & permittebantur trajicientibus merces per mare, aliæ trientes, quæ illustribus personis permissæ, aliæ bessales, quæ permissæ negotiatoribus, aliæ semisses &c. Resp. enim, ipsum quatenus usuras approbat esse correctum per Canones. Nonnulli tamen censent illas per Justinianum, quatenus probat quatuor prima Concilia Oecumenica, esse prohibitas. Quod non placet *Zoesio in ff. de Usuris num. 9.* qui tamen admittit, ipsum non tam probasse, quàm permisisse usuras, utì interdum permittuntur lupanaria. Prohibitus equidem est jure Codicis *L. Sancimus C. de Usuris rei judicatæ* anatocismus quasi partus repetitus, hoc est, usuræ usurarum annuatim non solutarum. Ut verò stylus Legum intelligatur.

11. *Ius Civile quatenus approbat usuras, correctum per Canones.*

*Anatocismus etiam in Codice prohibetur.*

Notandum sortem omnem ad centenarium numerum revocari, cujus pars centesima, si singulis mensibus solvatur, est maxima usura in certis casibus jure Civili admissa, quæ est annuè duodecim in centum, & spatio consequenter centum mensium exæquat ipsam sortem. Quod lucrum vocant assem usurarium Juriperiti. Qui proinde as duodecim partibus seu unciis constabat. Indeque uti unus aureus in centum annuatim pendebatur, unciaria usura dicebatur: si bini, sextans: si terni, quadrans: si quaterni, triens: si quini, quincunx: si seni, semis, quasi dimidia assis: si septeni septunx: si octo, bes seu bessalis, si novem, dodrans: si deni, dextans: si undecim, deunx: si duodeni, as, qui & usura centesima; sic dicta, quòd quantitas mensirua sit centesima pars sortis. Veteres enim stipulabantur usuras in singulos menses.

12. *Quid Usura centesima, bessalis, triens &c.*

Notandum præterea Usuras à Juriperitis alias appellari compensatorias, quæ sunt ipsum licitum interesse damni emergentis vel lucri cessantis (de quo postea) alias punitorias, quæ sunt debita ex pœna conventionali (de qua antè) alias lucratorias, quæ sunt propriè ac simpliciter dictæ & illicitè usuræ; de quibus Theologi agunt.

*Sola lucratoria non compensatoria aut punitoria, propriè est usura.*

Petes, an necessariò peccet, qui mutuum petit sub usuris? Resp. Neg. si petat, non quidem quà usurarium, sed quod sub usuris dandum novit, quando nimirum gravis

13. *An liceat petere mutuum sub usuris,*

est indigentia mutui. Quæ quidem excusat petentem à fœneratore, etsi aliàs non paratо. Si tamen gravis causa absit, est peccatum grave scandali. Quod etiam videtur locum habere, si absque necessitate vel rationabili commodo petatur ab eo, qui aliàs est paratus: etsi Varii non agnoscant in hoc casu gravem culpam, quantumvis peteretur mutuum animo illud insumendi in prauos usus, v. g. ludos, commessationes &c. Vide ri possunt dicta de Scandalo in materia de Peccatis in communi *disp. 7. q. 9. §. 2.*

14. *Antichresis quid, & an usuraria.*

Ex præmissis sequitur I. fructus rei oppignoratæ si fructifera sit, non posse per pactum (quod vocatur Antichresis) cedere mutuanti, secluſis alijs titulis seu vero interesse (quod si adsit, cessat quæstio) sed debere computari in sortem, ut vitetur usuraria labes: cùm enim injustè acciperetur lucrum supra sortem, etiam injustè loco illius acciperetur fructus pignoris. Ideoque pactum istud, etsi probatum *L. 11. §. 1. ff. de pignor.* reprobatum est *c. 6. de pignor.* & c. *Conquestus, de Usuris.*

15. *An etiam in casu quo feudum est à vasallo oppignoratum proprietario.*

Excipitur c. *Conquestus cit.* & c. 1. *de feudis*, casus, quo feudum est à vasallo datum in pignus domino directo; idque non tam ex vi mutui, quàm quòd ex natura feudi juxta consuetudinem receptam sit ei hujusmodi conditio annexa, ne res apud dominum directum existens alteri fructificet; prout & alijs casibus usus fructus feudi ex ejusdem institutione redit ad dominum directum, immo cùm propria proprietate consolidatur. Deindè durante isto tempore vasallus eximitur ab obligatione obsequii personalis, cujus intuitu fructus feudi ei competunt. Quod communis DD. sententia ob similitudinem extēdit ad fundum emphyteuticū. Advertunt quoque Doctores proprietarium obligari ad compensandum vasallo fructus, qui prudentis arbitrio correspondent meliorationi per ipsum factæ vel pecuniæ pro feudo solutæ, aut obsequijs, quibus remunerandis datum fuit: eò quòd hæc propria sint feudatarii seu vasalli.

16. *An item in casu possessionis à Socero datæ in pignus pro dote.*

Præterea c. *Salubriter, de Usuris* dicitur: *Sanè generum ad fructus possessionum, quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem, non credimus compellendum: cùm frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda.* Circa quem Canonem variè Doctores laborant, dum alii licentiam id agendi fundant in concessione speciali Pontificis, quam verba non significant: alii in præsumpto lucro cessante vel damno emergente: alii in præsumpta soceri voluntate donandi: alii aliter illum explicent apud *Castro Palao d. 4. p. 20.* ubi *n. 7.* cum *Molina, Lessio* & alijs, quos citat, verius censet, fructus pignoris dote non solutâ interim concessos censeri, non tantùm ad dotis securitatem, sed etiam tamquam partem ipsius dotis ad onera matrimonii sustinenda, ideoque cessare vitium usuræ vel antichreseos.

17. *An ex mutuo liceat sperare reciprocum officium gratitudinis.*

Sequitur II. licitè ratione mutui sperari juxta Doctores communiter aliquam utilitatem, si nil aliàs indebitum ex justitia exigatur vi pacti, sed solùm quæratur officium gratitudinis seu liberalitatis: quia lucrum istud non provenit ex pacto mutui, sed ejus occasione ex liberali alterius voluntate seu affectu: neque huic injicitur aliud vinculum, quàm quod mutuum secum affert, seu quod ex natura rei inerat, scilicet gratitudinis pro beneficio. Etsi ob periculum subinde latens animi usurarii, & majorem oppositi perfectionem, sit suadendum consilium Christi *Luca 6. Mutuum date, nihil inde sperantes*, intelligendo cum Varijs ibi suaderi dationem mutui, etsi nullum reciprocum beneficium speretur; cùm hæc spes valde diminuat meritum, reddatque opus etiam peccatoribus & perversis commune.

18. *Quid si pactum deducatur in pactum, an res nihilominus jure debita.*

Non posset tamen juxta Doctores passim obsequium gratitudinis in propriè dictum pactum deduci, citra labem usuræ: cùm obligatio ista sit pretio æstimabilis, & sortem excedens. E contrà nullum foret usuræ periculum, si paciscaris de re nihilominus eodem modo debita ex justitia, cùm per hoc non imponatur alteri novum onus, adeoque non fiat ei injuria, utpote qui rem illam citra injuriam negare nequeat, quantumvis aliud pactum (quod etiam independenter à mutuo iniri poterit) secludatur. Quare id ipsum non est pretium mutui (utpote quod mutuatario non est liberum, sed ab eo jure debitum) sed injustæ vexæ redemptio.

19. *An possit mutuatarius obligari ad frequentandam officinam.*

Sequitur III. esse usuram, si quis ratione mutui alterum velit obligare ad frequentandam ejus officinam, molendinum &c. ista enim obligatio excedens sortem est pretio æstimabilis, ac de re indebita ex justitia: esto quòd debita sit titulo amicitiæ vel gratitudinis. Idemque est, si mutuatis stipuletur officium ex sola charitate debitum, idque non solùm si stipuletur, ut fiat gratis, quod aliàs pro salario, sed etiam ut fiat pro debito stipendio; ob accedentem nempe servitutem & obligationem justitiæ pretio æstimabilem. Secus foret, si solum exigatur officium gratitudinis vel charitatis absque injectione novi vinculi. Item juxta *Wiggers c. 6. dub. 8.* si mutuās eodem tempore egens re vel operâ alterius, exigeret sibi simul præstari simile, nec magis incommodum benevolentiæ officium, potest nolentem repellere tamquam indignum beneficio mutui. Quamvis

*Aut ad opus ex charitate debitum.*

etiam

etiam non posset alterum per pactum civile ad id ex incontinenti præstandum obligare; ut nec ad remutuandum postea in simili occasione, quidquid Varii contradicant.

20. *An possit præfigi cessatio à frequentanda officina tamquam terminus reddendi mutuum.*

Posset nihilominus juxta *Gabrielem, Angelum, Adrianum, Lessium, Rebellum, Filucium* (quos refert & sequitur *VViggers sup.*) & alios passim, mutuatario præfigi terminus reddendi mutuum, quando desinet officinam tuam frequentare, domum tuam conducere &c. eò quòd per hoc non obligetur mutuatarius ad aliquid dandum supra sortem, sed præfigitur ei conditionatè terminus concessi, & solvendi mutui, quem poterat mutuans pro libitu suo præfigere. Hoc tamen negatur à *Cajetano, Bonacina*, & quibusdam alijs, ut refert *VViggers sup.* Et planè habet saltem speciem mali plerumque, quatenus indirectè sic stringitur mutuatarius pecunijs indigens ad operas, ad quas directè stringi non poterat, idque in fraudem usuræ. Qua viâ etiam posset mutuans Principi mutuatario imponere terminum reddendi mutuum, quando ceperit exigere à mutuante gabellas (quod etiam admittit consequenter *Castro Palao d. 2. p. 11.*) etsi non posset obligari vi mutui ad te liberandum; ad quod quidem præfixione talis termini non obligatur directè, ad ad solvendum mutuum pro tali tempore. Immo consequenter non apparet, cur sine usura non posset terminus præfigi mutuo, ut ipsum tenearis reddere, quando v.g. ultimâ die cujusque mensis desines gratis donare certam pecuniæ quantitatem. Quod tamen difficile est, & planè in fraudem usuræ.

21. *Quid cendum, si excessus sit vel existimetur gratis donatus.*

Sequitur IV. Mutuantem teneri ad restitutionem lucri excedentis sortem, & non liberaliter donati. Quòd si ex errore putet bonâ fide datum esse liberali animo, excusatur quidem per accidens eâ durante, re tamen compertâ tenetur postmodum restituere in quantum factus est ditior. Ad procedendum verò rectè in hac re, debent concurrere signa seu circumstantiæ, quæ generent prudens judicium de gratuita & liberali donatione alterius; puta si mutuans nil se exigere insinuarit, & tamen alter hilari vultu sponte præsentet vel etiam obtrudat honorarium. Debet autem semper mens offerentis, dum non satis constat, explorari. Aliàs in vero dubio retineri non posset, nisi fortasse interim dum mens alterius indagatur. Quòd si mutuatarius verè liberaliter donasset, & mutuans existimaret esse sibi datum ex obligatione mutui, teneretur quidem ratione erroneæ conscientiæ, eâ durante; à parte rei tamen non teneretur, sive quia implicitè acceptavit oblatum meliori modo quo potest, sive saltem quia postea re cognitâ semper potest acceptare tamquam donatum. Sicut non teneretur ad restitutionem, qui asserret rem, quam postea deprehendit esse suam, vel sibi donatam. Ideoque *L. 46. §. Per contrarium ff. de furtis*, dicitur furtum facere, ex parte scilicet conscientiæ, non tamen furti obligari, scilicet quantum ad actionem seu restitutionem, qui facit domino volente, quem putabat invitum.

22. *Restitutio lucri quando facienda, etsi sine conventione datum fuerit.*

Quod si denique mutuans intendat lucrum tamquam debitum, & tali animo, sive perspecto sive præsumpto, etsi non in conventionem deducto, se conformans mutuatarius lucrum tribuat, indubiè tenetur ad restitutionem accepti, ut clarè patet ex c. *consuluit de Usuris.* Quod Doctores de hoc casu intelligunt. Ibi enim usurarius declaratur, *qui non aliàs mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat.* Similiter is, *qui (ut vulgò dicitur) non aliter parabolam juramenti* (id est, prorogationem mutui, ultra tempus juramento mutuatarii stipulatum, ut notat *Abbas* ibidem) *concedit, donec, quamvis sine exactione, emolumentum aliquid inde percipiat.*

Et ratio est: quia utrimque est mens usuraria, deficitque titulus: cùm non sit lucrum istud debitum, neque etiam gratis seu liberaliter præstitum. Vide *Lessium cap. 20. dub. 6.*

23. *An Usurarius acquirat dominium usurarum. Opinio affirmans.*

Dubitatur verò, an usurarius acquirat dominium lucri usurarii. Affirmant *Paludanus, Adrianus, Henriquez* & alii, ut refert *Castro Palao d. 4. p. 25.* Et refertur communiter *Scotus 4. d. 15. q. 2. nu. 26.* ubi ad argumentum sibi objectum, quòd mutuatarius in usurarium voluntariè transferat dominium, adeoque hic non habeat alienum, Respondet: *Etsi*: vel esto *transferat dominium, tamen recipiens tenetur restituere.* Tametsi autem non tam asserti- *Scotus explicatur.* vè ibi *Scotus* loquatur, quàm independenter ab hoc argumentum dissolvat: nihilominus sententia ista reverà non est improbabilis, & noviſſimè eam tradit *Franciscus Bona Spei de Just. tit. d. 9. dub. 4. §. 5.* respondens, usurarium *acquirere usurarum dominium transiens* (quod alii imperfectum vocant) *sive priori domino reddendum, aut cum obligatione ei reddendi*; sed (ut præmittit) *contra Scotum, non acquirere usurarum dominium permanens.* Itaque juxta *Malè tractatus defenditur* ipsum *Scotus* (quem certè legisse non potuit, & ista scribere) assequitur dominium permanens, non tantum transiens, quod sit nimirum conjunctum cum obligatione reddendi. Quod quidem nimis crassum, immo apertè erroneum vel hæreticum foret, & diametraliter adversatur verbis *Scoti* mox relatis; neque in mentem sanam Doctoris catholici, non dicam *Subtilis*, sed vel mediocriter eruditi cadere potuisset.

*Præmissa opinio suadetur.*

Suadetur eadem doctrina cum *P. Bonæ Spei* : eò quòd ad translationem præfati dominii sufficere videatur bona fides mutuatarii usuras dantis, uti sufficit in emptore ad transferendum dominium injusti pretii. Quos *Cajetanus*, *Bannez*, *Arragon.* apud *Castro Palao sup.* etiam concedunt in rebus consumptibilibus, quæ scilicet functionem recipiunt ; sed absque solido & peculiari fundamento in ijs concedunt, quod in ceteris negant.

24. *Opinio negans.*

Communis nihilominus doctrina contradicit, quasi voluntas mutuatarii, utpote nec liberalis, nec citrà liberalitatem fundata in causa seu titulo legitimo ( qui de jure ultra traditionem videtur requiri arg. *L. Traditio* 20. & *L. Numquam* 31. *ff. de acquir. rer. domin.* Et *Instit. de rerum divis. §.* 40. *Per traditionem* ) non sufficiat ad translationem dominii, etiamsi accedat traditio.

*Ejusdem limitatio.*

Admittunt tamen passim Doctores hujus opinionis usurarium acquirere dominium imperfectum pecuniæ usurariæ, sive illam unà cum sorte mixtam ei tradat mutuatarius ( quod satis clarum apparet; cùm sit dominus majoris partis, nec appareat de una parte potior ratio, quàm de altera ) sive illam ipse usurarius misceat sorti reddendæ aut alteri propriæ pecuniæ, ob similem rationem, & *L. Si alieni* 78. *ff. de Solutionib.* Quod etiam ad pecuniam furtivam alteri mixtam Doctores passim extendunt. Vide *Castro Palao sup.* & *disp. de Just. in genere p.*21. Eatenus tamen est imperfectum, quòd per mutuatarium possit implorari à judice divisio, quodque hoc invito nequeat mutuans disponere de parte seu quantitate debita mutuatario, nisi subrogando similem. Unde etiam mutuatario tamquam dominium partialiter retinenti concedit *Lessius cap.*20.*dub.*18.præferentiam ante alios creditores. Fatentur

*Et declaratio.*

*An juxta ipsam Usurarius fiat dominus fructuum vel pretii rei venditæ.*

præterea usurarium, etsi non fiat dominus rei usurariæ suis non permixtæ, adeoque nec fructuum ( excipe merè industriales) illius, fieri tamen dominum pretii ex venditione rei usurariæ accepti ab emptore bonæ fidei : nam juxta *L.* 48. *§. fin. ff. de Furtis*, *Nummus qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus.*

25. *An mutuatarius possit in alterum transferre mutuum sub usuris acceptum.*

Petes I. an mutuum acceptum sub usuris possit quis in alterum à se mutuum petentem transferre ? Asserit *Angelus*, *Silvester*, *Saa*, *Molina*, *Lessius* ut refert *Castro Palao d.* 4. *p.* 12. Qui tamen rectiùs negat cum *Navarro*, *Lopez* & alijs, quos citat, supposito quòd præterea aliud damnum æquivalens ex carentia pecuniæ secundus mutuans non patiatur : eò quòd hic onus suum nequeat transferre in alterum nisi pariter transferendo mutuum, per ipsum tamquam dominum pecuniæ de novo concedendum, non autem per primum mutuantem : ex mutuo autem hoc non potest lucrum petere, sed indemnitatem ; damnum porrò non patitur ex datione hujus mutui, sed ex acceptione prioris, quod ipsum stringit ad solvendam usuram.

26. *Ordinariè in mutuo censetur pactum de reddenda eadem quantitate, vel si pecuniarium sit de valore.*

Petes II. An possit fieri pactum de reddendo mutuo in eadem quantitate, v.g. de reddendo modio frumenti, si modius fuerit mutuò datus ? Resp. quando nihil aliud expressum est, tacitè ex mente contrahentium censeri id ipsum conventum in mutuo, adeoque reddi posse & oportere modium frumenti, sive valor frumenti sit major, sive minor.

In pecunia verò, nisi aliud exprimatur, censetur mens esse contrahentium, ut reddatur tantumdem quoad valorem, sive in eadem, sive in alia specie monetæ. Posset tamen mutuans stipulari de reddendo valore in eadem specie moneta, v.g. in ducatis aureis. Quando satisfaciet quidem mutuatarius reddendo valorem, esto non quantitatem, si contingat valorem istius specificæ monetæ accrevisse. Solet nihilominus in his regionibus attendi valor diversus, currens scilicet, & permissus per Edicta regia : item valor secundum mores Hollandicos, vel Leodienses, aut Geldrienses, qui non conveniunt cum Brabantinis: isque qui spectatur in dando, etiam spectatur in reddendo mutuo. Posset denique in pactum mutui deduci non tam valor pecuniæ, quàm quantitas, uti in frumento, dando v. g. mutuo centum ducatos aureos in specie reddendos: quando etiam ij sunt ita restituendi, sive valor sit idem, sive varius, major minorve.

Et hæc quidem regulariter locum habent, sic ut etiam quod tacitè contractui inest, possit expresè in pactum deduci: supponendo saltem ( quod ordinarium est) incertum esse, in futuro tempore augmentum vel decrementum valoris. Quò etiam facit c. *Naviganti, de Usuris* §. *Ille quoque.*

27. *An id locum habeat etsi certò previdenda valoris rei mutuatæ variatio. Sententia affirmans.*

Sed difficultas est, an eadem monetæ & frumenti quantitas sit reddenda, aut in pactum justè deducibilis, quando valor certò moraliter sperabatur augendus aut minuendus. Affirmant Varii generatim, ratione desumpta ex causa mutuis in quo exigitur idem quoad fieri potest, quantum ad bonitatem, scilicet intrinsecam : propter quod talis conditio tacitè inesse censetur, quæ proinde potest expressiùs deduci in pactum. Quòd si mutuatarius se gravatum sentiat, ineat ( inquit *Viggers c.*6. *dub.*16. *in fine*)aliam speciem contractûs; v.g. emptionis dilatâ solutione juxta regulas istius contractûs.

28. *Secundò negans declaratur.*

Alii tamen Doctores cõmuniùs id quidem admittunt in casu, quo mutuans decreverat rem suam eò usque servare ( detractâ æstimatione laboris, periculi & expensarum in conservatione rei alioquin ab eo adhibendarum) ut se indemnem servet: non tamen aliàs ; eò quòd exigendo tantumdem

dem in quantitate reddendum, plus exigeret, adeoque acciperet, quàm dedit, cum oneris inæquilitate (quam justitia contractûs onerosi excludit) in ipsis contrahentibus. Nisi fortasse pars magis gravata liberaliter in onus consentiat. Ut aliàs proinde, etsi stipulatus foret redditionem monetæ ejusdem speciei, tali casu ipsa quidem reddenda foret, sed tantùm secundùm valorem, non secundùm quantitatem. Quare consequenter dicendum esset, in simili casu ne tacitè quidem inesse conditionem de illa reddenda: nam sanè, quod tacitè inest, potest expressè apponi citra injustitiam. Per quod corruit fundamentum *VViggeri*. Loquuntur tamen Doctores de augmento valoris pecuniarii, quòd non sit velut merè nominale (prout frequenter est, dum proportionatè idcirco augeri solèt pretia mercium) sed quod sit velut reale, in quantum scilicet plus per eamdem monetam comparari potest, quàm antè.

In casu verò certò præcogniti decrementi valoris rei mutuatæ, Auctores contrariæ Sententiæ consequenter docent, mutuantem debere nihilominus eadem quantitate esse contentum. E contra alii consequenter fatentur, eum posse pacisci, ut reddatur quantitas major, seu præsenti valori correspõdens, ne minus recipiat, quàm dedit, utque non teneatur subire hoc incommodum, qui è contra sentire nequit commodum aucti valoris.

29. *An si moneta ejusdem speciei sit ex pacto reddenda, nam satis sit reddere, etsi interea exauctoretur.*

Petes III. An si mutuo inito de reddendis totidem nummis ejusdem monetæ, contingat istam monetam prohiberi, sic ut amplius nil valeat, quàm massa quædam argenti (uti circa mattas Hispanicas aliquando hîc contigit) satisfaciat nihilominus mutuatarius totidem postea reddendo? Asserit *Malderus Tr. 5. c. 3. dub. 20.* Sed rectiùs negatur: eò quòd principalis intentio contrahentium versetur circa mutuum solvendum in communi pecunia, cujus quoniam variæ sunt species, eligitur ista particularis, quæ cùm desinat esse pecunia, nequit per illam satisfieri præmissæ intentioni magis, quàm si tantumdem redderetur argenti carentis sigillo, quo talis moneta moraliter caret, quatenus cessat acceptatio legalis ad commercia publica. Unde perinde est, ac si nummi tales amplius nulli extarent: quo tamen casu indubiè deberet mutuatarius solvere alios nummos æquivalentes.

## QUÆSTIO II.

### *Quibus ex titulis liceat mutuanti accipere ultra sortem?*

30. TITULI mutuo conjuncti esse possunt, damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, & quidam similes.

*Quid damnum emergens.*

Damnum emergens locum habet in rebus jam acquisitis, puta si occasione pecuniæ mutuatæ non possis domum ruituram reparare, vel causam justam in judicio prosequi, vel alimenta cogaris cariùs emere, vel defectu frumenti nequeas agrum seminare, &c. Lucrum cessans est carentia justi lucri aliàs acquirendi, occasionata ex mutuo. Uterque hic titulus comprehenditur sub nomine interesse *L. Un. C. de sententijs, quæ pro eo quod interest proferuntur.*

*Quid lucrum cessans.*

Hi tituli, si verè subsint, & ratione mutui oriantur, potest mutuans juxta communem & veram sententiam (etsi olim varii, præsertim Canonistæ contradixisse referantur) aliquid recipere supra sortem, ipsum deducendo in pactum: meritò enim mutuantes, uti & Montes, stipulantur suam indemnitatem. Neque ratio patitur, ut mutuantes gravamen istud teneantur subire, sed potiùs ut ipsi mutuatarii, in quorum commodum cedit mutuum. Sunt denique tituli hi à mutuo distincti, & pretio æstimabiles. Quare tunc nil recipitur ultra sortem ratione mutui.

31. *Ex his titulis etiam in pactum deductis potest quid exigi supra sortem.*

Et quamvis in cõtrarium referatur *Scotus 4. d. 15. q. 2. n. 26.* Nam ibi juxta *Cavellum in Scolio* solùm vult non esse cõstituendum pretium super periculo ob speciem mali, prout explicatur *D. Thomas q. 78. a. 2. ad 1.* Deinde loquitur de pacto, quod semper in mutuo addi posse, intendebatur per argumentum allegatum ad justificandas generatim usuras: constat autem non semper esse locum tali periculo interesse, & quamquam foret, adhuc non fore locum pacto, si (ut mox dicetur) mutuatarius de periculo nolit pacisci, paratus refundere, si quid interesse deprehensum sit. Alioquin *Scotus num. 18.* apertissimè communem doctrinam tradit, dicens: *quandoque licet accipere ultra capitale ex pacto.* quod subdit tripliciter posse fieri. Secundus autem modus, quo id licet secundùm ipsum *est ratione interesse. Debitor enim ex cujus solutione creditor notabiliter damnificatur tenetur de justitia satisfacere creditori de interesse.*

*Oppositum malè adscribitur Scoto.*

Potest autem in pactum deduci ipsum damnum emergẽs vel lucrum ratione mutui cessans, quod reperietur postea evenisse: & tunc est à mutuatario præstandum, quandocumque id evenerit, si autem id non appareat evenisse, liber est. Potest quoque mutuans (si mutuatarius ita cupiat; cui alioquin liberum esse debet, experiri aleam eventûs) ab initio pacisci de damno vel cessante lucro, quanti nempe valet probabilis eventus, seu periculum damni, vel spes justi lucri cessantis, sic ut mutuatarius solùm teneatur ad summam taxatam, sive tanti, sive pluris, sive minoris interesse contingeret. Cùm enim possit mutuans stipulari indemnitatem, quidni incertum ejus eventum ad certum pretium bonâ fide redigere, sicque aleam eventus vendere?

32. *Interesse duplici modo potest in pactum deduci.*

33. *Requiritur, ut sit fundatum Interesse.*

Debet nihilominus damnum emergens aut justum lucrum cessans non esse imaginarium, sed moraliter certò aut saltem probabiliter futurum: aliàs non foret æstimandum. Si præterea non sit conventum de eo præstando, & mutuatarius non fuerit in mora culpabili reddendi mutuum tempore debito, ipse ad nil tenetur: cùm nec sit causa injusta lucri cessantis vel damni alteri emergentis, nec ad compensandum se obligarit ex contractu. Insuper compensatio lucri cessantis debet fieri demum post aliquod temporis intervallum: si enim pactum fuerit de dandis statim v.g. quatuor ultra sortem v.g. centum, reverà non forent centum mutuo dati, sed nonaginta sex; adeoque postea exigendo centum fieret injustitia.

*Compensatio lucri cessantis an exigi possit statim facienda.*

34. *An ei locus sit, si mutuans servet aliam pecuniam otiosam.*

Quòd si mercator aliam pecuniam otiosam teneat, quam non decreverat negotationi exponere, adhuc locus esse potest lucro cessanti, quando saltem pecuniam istam prudenter reservat in casum seu necessitates occurrentes: verè enim tunc ei cessat lucrum ex mutuo. Imò contra *Cajetanum, Toletum, Petrum Navarra* & alios id censet *Molina, Salas* & plures alii, etsi illa pecunia reservetur ex avaritia aut pusillanimitate: eò quòd cùm nihilominus eam nolit impendere, reverà cessare ei videatur lucrum ex mutuo. Quamquam juxta *Lugo disp. 25. sect. 6. §. 1.* aliud præterea lucrum eidem tunc cesset ex propria voluntate, ratione pecuniæ scilicet, quam otiosam relinquit.

35. *Quid censendum de periculo sortis amittendæ, aut difficulter recuperandæ.*

Sicut porrò de periculo damni secuturi potest mutuans pacisci: sic & ratione fundati periculi ipsius sortis, difficultatis, & expensarum (quæ in recuperatione meritò timentur, quando v. g. mutuatarius est ignotus, dubiæ fidei, bonorum decoctor, avarus &c. subsuntque frequenter, sic ut dum de redditione agitur, pro gratitudine sæpe rependatur inimicitia) potest aliquid exigi; cum periculum istud, quod in gratiam mutuatarii subitur, estque à mutuo separabile, sit pretio æstimabile. Quemadmodum & pro fidejussione ac assecuratione talis debiti pretium idcirco exigi potest; & res cariùs vendi hujusmodi emptori. Et quamvis mutuatarium determinatè cogere non possis ad tale pactum (ne vi mutui ipsum obliges ad onus pretio æstimabile superadditum) potes tamen exigere, ut vel incertitudinem amoveat, vel ipsam compenset. Unde cessat in casu sufficientis cautionis vel fidejussionis.

36. *Assecuratio mutuatarii an fundet justum lucrum in mutuante. Opponitur c. Navigati de Usuris.*

Præterea cùm per mutuum transferatur dominium sortis in mutuatarium, manet penes ipsum sortis periculum; de quo proinde, velut pretio æstimabili, potes cum eo, si velit, pacisci juxta communem Doctorum sententiam, contra Nonnullos. Pro his autem facere videtur c. *Navigantes, de Usuris*, ubi Gregorius IX. ait: *Navigantes vel euntes ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eò quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Ad quod tamen Doctores respondere conantur diversimodè: nempe, quòd agatur de eo, qui cogit mutuatarium ad jungendum mutuo hujusmodi assecurationis contractum: vel de fœnore nautico, quo non solùm ob periculum, sed simul ob mutuum dabatur menstruum lucrum: vel (ut *Molderus Tr. 5. c. 2. dub. 9.* & ex eo *Viggers c. 7. dub. 7. nu. 103.* sed non satis oppositè ad constructionem textûs) esse sermonem de periculo ipsius mutuatarii, quo non obstante exigatur à mutuante lucrum supra sortem: vel de suscipiente periculum, quod tamen verè non subest, aut non tantum, seu non proportionatum lucro: vel de præsumptione fori externi, ob frequentem in hac re defectum. Denique *Tuldenus in Cod. De nautico fœnore*, & varii, tum Theologi, tum Jurisperiti, censent textum esse emendatum, adeoque legendum esse: *Usurarius non est censendus.* Cùm supposito vero periculo, & ad pretium proportionato, spontaneoque mutuatarii consensu, non sit apparentia usuræ in hoc pacto, in quo nil ratione mutui exigitur: cumque contextus idem vehementer indicet, in quo alia exempla subjunguntur, in quibus pariter non subest usura, idque non per adversativam (ut deberet aliàs fieri) sed conjunctivam copulam *quoque*; subditur enim: *Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore &c. non debet ex hoc usurarius reputari &c.*

*Varia responsiones.*

Supereſt adhuc titulus carentiæ pecuniæ aut illam non repetendi ante certum tempus. Quem sufficere Pauci DD. sensisse referuntur. Verùm negant communissimè Theologi, quorum varii censent oppositam sententiam esse valde periculosam in fide, & vim aperire usuris. Ex ea enim sequi videtur, licere lucrum aliquòd ex omni mutuo; utpote cui semper inhæret carentia pecuniæ, & obligatio non repetendi ante certum tempus. Ratio communis doctrinæ est, quòd hujusmodi carentia sit mutuo intrinseca; adeoque dum illius ratione aliquid exigitur, ratione ipsius mutui exigi convincitur: hoc autem est usurarium. Mutuum siquidem ex natura sua gratis dandum, adeoque benefica obligatio mutui gratis admittenda (quod & in ceteris contractibus usuvenit: nam non pro venditione, sed re quæ venditur aliquid exigi potest) onus autem quod secum trahit, redditione sortis compensatur ad æqualitatem. Et quamvis dari possit ad tempus majus vel minùs, pro libitu mutuatarii, ob extensionem tamen temporis seu termini nil potest exigi magis, quam ob hoc quòd quantitas seu summa major pecuniæ sit mutuata. Estque hoc ipsum, quod in usura antiqui Doctores redarguunt; quòd scilicet

37. *Non subsit carentiæ pecuniæ aut obligatio non repetendi ante certum tempus. Probatur multiplici-ter.*

scilicet in ea tempus vendatur. Ex quo utique nullum onus æstimabile accedit mutuatario, præsertim extrinsecum tali individuo mutuo, sepositis (quæ seponuntur) omnibus alijs incommodis, eorumque periculo. Immo videtur potiùs favor accidere, quatenus interim sors subducitur ejus curæ, & casibus fortuitis, in quibus ipsa mutuatario tamquam domino interea periret. Estque etiam post annum pecunia ejusdem domino utilitatis (quâ interim nullâ caret distinctâ ab ipsa pecunia) cujus modò. Aliàs sanè mutuatarius committeret injustitiam, sepositio etiam speciali pacto; si redderet post annum præcisè centum, quæ acceperat, absque superaddito: utpote qui redderet minus quàm accepisset. Quod est contra omnium fidelium sensum, qui censent, & totâ retrò antiquitate censuerunt, esse justissimum & purissimum mutuum, si quod acceptum est, præstituto tempore in simili reddatur, v.g. centum pro centum. Id ipsum efficaciter ex eo convincitur, quod non sine usuræ seu injustitiæ labe res cariùs justo vendatur ob dilatam præcisè solutionem; uti patet ex c. *Consuluit. de Usuris*, quod tamen falsum foret, si præsens pecunia sit per se majoris valoris, quàm non præsens. Ex quibus pariter objectioni quorumdam satisfactum est.

38. *Cur carentia pecuniæ nequeant pretium impeni.*

Nec refert, quòd videatur carentiæ pecuniæ pretium imponi, utì alijs rebus & oneribus. Quò adduci posset stylus mercatorum in emporijs tale pretium taxantium. Non refert, inquam: quia carentia pecuniæ non magis, quàm ipsum mutuum, est pretio æstimabilis, utì sunt alia, quorum pretium justè taxatur. Est pecunia quidem instrumentum artis negotiationis, mediante industriâ & æquitate in commutationibus, sed de se omnino sterile est; neque pro ejus usu principali potest quidquam exigi præter sortem, cùm ejus usus sit alienatio, adeoque transeat in dominium mutuatarii, qui pro usu rei suæ nō est alteri debitor. Quamvis & pecunia commodatò daretur ad alium usum secundarium, v. g. ad ostentandum, aut pompam, reservato dominio, posset pro usu & quasi elocatione rei suæ dominus aliquid exigere juxta receptam Doctorum sententiam.

39. *Praxis Mercatorum declaratur.*

Praxi verò mercatoriâ, ut justa sit, non taxatur pretium carentiæ pecuniæ præcisè, sed comprehenso interesse, quod ex illa supponuntur mercatores pati. Verguntque eò hujusmodi ordinationes, ne cuivis ad nutum liberū sit in foro externo arbitrari suum interesse cum gravamine immodico debitorum. Itaque (ut rectè *Zypæus in Analysi jur. Pontif. l. 5. Tit. de Usuris n. 2.* loquens de usu Burſæ Antuerpiensis) is ipse usus ducitur ad rationem verisimilis indies lucri, non carentiæ tantùm. Quare hoc pretium interdum est sex pro centum, aliquando septem, octo, vel amplius, habitâ ratione copiæ vel inopiæ pecuniæ, multitudinis cambiorum, mercimoniorum, omniumque lucrandi rationum (ob quarum parcitatem hodie Antuerpiæ pretium hoc satis exiguum) vetante Carolo V. ne, sub pœna usuræ & nullitatis, umquam mercatores ultra duodecim in centum recipiant, idque non nisi ad annum, exclusis etiam non mercatoribus, sub pœnis usuræ & confiscationis pecuniæ, quæ sic ab eis ad lucrum data fuerit. Vide *Codicem Belgicum V. VVoecker*, & *Zypæum sup.* Contractus quoque, quibus pecuniæ pupillares dantur mutuò seu (ut vulgò loquuntur) in depositio sub annuo lucro, quod interesse vocant, & cum facultate repetendi capitale pro nuta, declarantur usurarii & nulli *C. 4. Tit. 23.* Synodi Cameracensis anno 1586. Idemque firmavit Regis Edictum eodem anno subsecutum: in quo tamen permittuntur priùs initi contractus in legitimos reditus mutari, sublatâ facultate repetendæ sortis. Quod omnes Belgii Provincias tangere notat *Zypæus sup. n. 3.* eò quòd non sit constitutivum juris novi, sed declarativum veteris contra usuras.

An autem vel qualiter titulo pœnæ conventionalis possit aliquid exigi à non reddente culpabiliter mutuum tempore præfixo, colligi potest ex dictis *disp. 1. de Contract. in gen. q. ult.*

## QUÆSTIO III.

### *An Montes pietatis sint immunes ab Usura?*

40. *Quid Mons pietatis.*

Mons pietatis solet describi cumulus, pecuniarum præsertim, aut etiam alterius rei mutuabilis, puta frumenti (prout alibi est per Nostros erectus Mons frumentarius) collectus ad indigentium necessitates sublevandas, mediante mutuo. Vel (ut colligitur ex Bulla Leonis X. infrà citandâ) est pauperum relevatio in mutuis eis publicâ auctoritate faciendis, ex tali nimirum cumulo. Vulgò etiam sumitur pro loco, in quo est iste cumulus. Unde *Tridentinum sess. 22. c. 8. 9. & 11.* inter loca pia ab Episcopo visitanda numerat etiam Montes pietatis.

41. *Unde originem traxerit.*

Originem cœpit Perusii in Italia à viro venerabili F. Barnaba Interamnensi Ordinis Minorum, cujus prædicatione fuerunt permoti fideles, ut ad Montis constitutionem copiosè eleëmosynas submiſtrarent, unde pauperes antea per sanguisugas usurarios incredibiliter oppressi in indigentijs sublevarentur. Quod sanctum institutum per alias plerasque Italiæ civitates propagarunt alii, potissimùm ejusdem Ordinis, viri doctrinâ & sanctitate percelebres, B. Jacobus à Marchia, Angelus à Clavasio, &

præ

præ ceteris Thaumaturgus ille Bernardinus Feltrensis, & alii: eâ videlicet lege, ut nil petatur aut speretur ratione mutui, solumque pro indemnitate Montis, puta impensarum ministrorum, & rerum ad Montis necessariam conservationem pertinentium, sine ipsius Montis lucro, moderatum quid & necessarium (puta annuè duo vel tria in centum) à mutuatarijs præstetur.

*Quæ primæva institutionis leges.*

42. *Varij Pontifices Montes probarunt.*

Approbarunt hos in diversos Montes suis diplomatibus diversi successivè Pontifices, Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. ut refert *Wadingus in Annal. Minor. ad annum* 1474. adjungens varias Doctorum virorum, præsertim Ordinis Prædicatorum, contradictiones, in eo prætextu fundatas, quòd usurarii apparerent. In quem finem etiam edidit *Cajetanus* anno 1498. prolixum Tractatum sub Alexandro VI.

*Definivit Leo X. cum Concilio Lateranensi.*

Tandem in *Concilio Lateranensi ult. sess.* 10. *Bullâ. Inter multiplices Leo X.* commendans in contradicentibus studium seu zelum justitiæ, in defendentibus amorem pietatis & veritatis, omnibus Concilii Patribus, uno dempto, nempe Hieremia Archiepiscopo Tranensi, adstipulantibus, negotium definivit his verbis: *Sacro approbante Concilio declaramus & definimus, Montes pietatis antedictos, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conservationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem, absque lucro eorumdem Montium recipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque ullo pacto improbari: quin immo meritorium esse, ac laudari & probari debere tale mutuum, & minimè usurarium putari, licereq; illorum pietatem, & misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentijs à Sede Apostolica eam ob causam concessis &c. Omnes autem qui contra prædicare seu disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrere volumus.*

43. *Dictum Soti post Concilium notatur.*

Unde mirum est *Sotum* 6. *de just. qu.* 1. *a.* 6. adhuc ausum fuisse huic apertissimæ veritati contradicere. Qui quidem frivolè allegat auctoritatem *Thomæ de Vio* Generalis Ordinis Prædicatorum, postea Cardinalis *Cajetani* (qui Concilio interfuit) in Tractatu præcitato; utpote scripto ante Concilium: Et quamvis ipse definitioni Conciliari non fuisset adstipulatus (ex actis Concilii solùm patet de cõtradictione unius Archiepiscopi præfati; immo sessioni 10. non apparet *Cajetanum* interfuisse) an inde posset ipsa labefactari? Indignum est quoque viro tanto, quod ait definitionem hujus rei magis ex philosophia morali, quàm sacris litteris pendentem, non spectare ad Concilium: quasi verò ad illud non spectet determinare quæstiones rerum, à quibus animæ salus pendet.

Sed & ex sacris Litteris apertè constat contractum mutui esse licitum & bonum, si nullâ iniquitate usurariâ aut affini maculetur: unde per discursum theologicum satis evidenter infertur, licitos esse Montes, de quibus hîc sermo: utpote in quibus nil exigitur ratione mutui aut ad lucrum, sed solùm ad indemnitatem Montis, ad quam utique adstringi non debent mutuantes, seu qui pecunias in gratiam indigentium donarunt, sed ipsi mutuatarii, singuli pro rata: *cùm* (ut præmittitur in definitione *Leonis X.*) *regula juris habeat, quòd qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat.* Et planè experientia ipsa apertè ostendit, quantum commodum reipublicæ Christianæ ijs in locis res ista attulerit, in quibus ante occlusarum per illam usurarum voraginem pauperes erant gravati ad triginta vel plura in centum.

44. *Probatur ratione Theologicâ.*

*Et ex ipsis Montium conditionibus.*

Idipsum patet inspectis ordinarijs conditionibus Montium, scilicet, ut serviant mutuo pro pauperibus loci, ad certum tempus v. g. ad annum vel paulò amplius concedendo; ipsi verò pauperes seu indigentes menstruè denarium, vel quid leve (quod annuatim conficiat duo vel tria in centum) contribuant, pro necessarijs ad conservationem Montis: asserant etiam pignus pro securitate Montis necessarium: quod quidem, si tempore præscripto non fiat solutio, vendatur, superfluo pretij redditio ipsi mutuanti. In quibus planè nil nisi justum, sanctum & rationabile apparet.

45. *Occurritur objectioni.*

Nec refert, quòd majori tempore mutuum retinentes, plus contribuere debeant: id enim fit non ratione dilati mutui, sed quia par est, ut qui diutiùs commodis Montis fruuntur, quorumque pignora diutiùs custodiuntur, plus pro indemnitate Montis contribuant.

46. *Montes Belgij speciales habent difficultates.*

Sed graves & speciales sunt difficultates contra Montes in Belgio auctoritate Alberti & Isabellæ Archiducum anno 1619. erectos, quas examinat & dissolvere conatur *Lessius in Appendice de Montibus pietatis, & VViggers Tr.* 5. *c.* 7. *dub.* 3. qui vide possunt.

*Quare*

Oriuntur autem difficultates ex eo, quòd cùm non essent, qui sufficientem pecuniam pro erectione Montium gratis contribuerent, pecuniæ sint ad censum assumptæ, quem quidem censum annuatim Mons ipse persolveret; ex quo non solùm duo vel tria pro expensis ministrorum & necessarijs ad conservationem Montium Italicorum, sed quindecim in centum à mutuatarijs in principio solvi oportuerit, pro ipsius Montis perfecta indemnitate, solutis nempe censibus, & sumptibus factis in domûs emptione & aptatione.

47. *Duæ è pluribus promuntur difficultates.*

De his itaque censibus est difficultas, quòd videantur carere fundamento; ut proinde pecuniæ videantur à parte rei solùm datæ mutuò ipsi Monti, sic ut emptores

tores talium censuum verè ditescant seu lucrétur ex mutuo. Non enim possunt censeri reditus reales, cùm Mons præter pecunias ad censum datas parca habeat, quæ nullatenus sufficiunt, ut ferant tot annuas pensiones. Non etiam personales ex toto, vel ex parte: eatenus enim deberent fundari super ipsis personis mutuo indigentibus (ut omnino fatendum est: cùm neque civitates, neque superintendentes se suaque obligent) quæ plerumque admodum miseræ & afflictæ non sunt frugiferæ, præsertim vix sint ferendo fructus tot annuarum pensionum.

*Prima difficultas.*

*Secunda difficultas.*

Altera difficultas est, quòd cùm mutuatarii initio debuerint dare quindecim in centum, postmodum solverint dumtaxat duodecim, & futuris temporibus adhuc minus daturi putarentur, puta quinque vel sex. Quod (etsi ad hactenus successum non habuerit, ob casus seu difficultates extrinsecas, quæ hic omnibus satis notæ sunt) non videtur posse fieri, nisi Mons ex mutuatione ditescat; quod est illicitum, ac usurarium; ut proinde cautela seu conditio contraria providè semper fuerit in Montium Italicorum erectione, & factâ per Leonem X. confirmatione adjecta.

48. *Observatio quædam.* Fatendum quidem, quod propter has & alias difficultates seu rationes optandum fuisset pro majori securitate, Montes hic fuisse aliter institutos, quemadmodum in Flandria Brugenses suum instituerunt ex pecunijs liberali manu contributis, quibus aliæ & aliæ similiter largitæ accedunt ad ditationem justissimam Montis. Quia tamen institutio non apparente spe modi melioris ita peracta est principali auctoritate, præviaque judicio octo Episcoporum, qui Mechliniæ ad hoc anno 1612. convenerant, nec non præcipuorum Belgii Theologorum, aliquod remedium exigente necessitate reipublicæ in pauperibus per usuras gravissimè oppressæ, conabimur ad prætactas difficultates respondere.

49. *Ad priorem difficultatem respondetur.* Et ad priorem quidem Resp. Census fundari super Monte, ejusque bonis, tam mobilibus, quàm immobilibus, ac jure exigendi sufficientes pensiones à mutuatarijs præstandas, residente in communitate indigentium mutuo ut sic; unde moralis oritur securitas (casus fortuitos & raros secludo, qui etiam in realissimis hypothecis causant caducitatem) in ipsis emptoribus censuum: maximè cùm capitale ipsum redituum, saltem in valore sit assecuratum, quatenus manet, partim in specie, partim in pignoribus, partim in ædificijs: quæ emptores reddituum possunt excutere. Et quamquam dicerentur reditus ex parte personales (quorum prohibitio passim putatur in Belgio non vigere) fundati ex parte super ipsis personis mutuo indigentibus seu earum communitate ut sic, ea satis est fructifera quantum ad præsens sufficit. Ut interim non taceam, pluribus pecuniam dantibus cessare lucrum; quibus proinde respondere posset præstatio annua ultra sortem, etiam ex mutuo, in quantum deficeret fundamentum veri census.

50. *Ad posteriorem respondetur.* Ad posteriorem difficultatem respondeti potest, aliqualem diminutionem taxæ seu pensionis sperari & provenire posse ex eo, quòd piorum largitiones & legata paulatim accedant, reditus vitales cum emolumento Montis evanescant, aut etiam non vitales remittantur; census ad nummum 16. creati, ob plurimorum in principio minorem fidem erga Montium successum, redimantur, alijque ad nummum 20. aut 25. aut alium creentur; resiliuum ex pignoribus divenditis Monti cedatur à mutuatarijs. Plura etiam in principio erant onera primis annis solvenda, & pauciores mutuatarii ea ferantes, ratioque dictabat, ut singuli anni, quantum moraliter & congruè fieri potest, sua ferant onera.

51. *Alia responsio discutitur.* His addi posset (quod nonnulli viri docti dudum responderant) Principem posse tributum imponere persolvendum à petentibus mutuum, quod Monti applicet, ut inde ditescat. In qua responsione etsi quædam plausibilitas primâ fronte appareat, tamen revera Principes nostri numquam hujusmodi vectigal se intendere innuarunt. Tributum quoque istud æqualiter (si fieri posset) imponi conveniret mutuo Montium, & aliorum, puta mercatorum quotidie mutuantium. Graviss imum quoque id foret onus pro miseris & indigentibus hominibus; qui cur stringantur cum tanto gravamine prospicere levamini posterorum fortassis post tempus immemoriale secuturo? Æquiùs profectò tributum hoc generaliter aut minùs indigentibus imponeretur. Denique hanc viam captarent fœneratores pro palliatione suarum usurarum, veluti acceptarum ratione tributi seu vectigalis mutuare volentibus impositi à Principe, cujus ipsi sint redemptores, hoc nimirum nomine Principi pendentes annuatim gravem & determinatam pecuniæ quantitatem.

52. *Lombardorum mens an usuraria.* Petes, in quo differant hi Montes pietatis à mensis Lombardorum (sic ab antiquo vocantur ab ijs, qui primùm ex ea Natione illud exercitium in has terras intulerunt) seu fœnebribus, qui tamen habiti sunt semper pro usurarijs? præsertim cum ex his varii non majorem modò pensionem exigant, quàm hi Montes pietatis. Resp. differre in eo, quòd hi non solùm petant pensionem pro sui indemnitate, titulisve circa Montes concurrentibus, sed etiam excessivum lucrum ultra sortem, ut ex ipso mutuo ditescerent. Si enim solum ratione lucri cessantis aut damni emergentis, similive

titulo

titulo exegissent, quantum præcisè satis (sùi Montes) immeritò fuissent habiti, etiã apud Principes, tamquam usurarii. Enimverò ex Edicto Caroli V. anno 1545. (ut refertur in *Codice Belgico V. Woecker* §.8.) servantes hujusmodi apertas mensas mutui, & participantes, arcebantur ab Ecclesiæ tempore divini Officii, sub pœna amissionis privilegiorum. Nolim tamen damnare eos, qui lucro, quod ex negotiatione ipsis proveniret, relicto, in commodum indigentium auctoritate Principis (quæ his in locis requiritur) mensam mutui erigunt, collectis undique & in commodum indigentium servatis pecuniis, se suosque ad id muneris impendunt, si moderatam pensionem exigant pro rata titulorum illam permittentium. Quod an hodie fiat, est facti, pensatis per Peritos circumstantiis judicandum.

## QUÆSTIO IV.

### *De Pœnis Usurariorum & Cooperatoribus eorum.*

53. *Quinam Usurarii manifesti.*

USURARII manifesti variis subjiciuntur pœnis. Manifesti autem censentur juxta *Lessium*, *Wiggers*, *Bonacina* & alios, qui sunt tales vel evidentiâ facti, ut nullâ possit tergiversatione celari, vel judiciali confessione, vel legitimâ probatione, vel denique sententiâ judicis. Aliqui verò requirunt simpliciter declarationem judicis, qua saltem (si crimen adeò notorium sit, ut nullo colore tegi queat) pronuntietur super notorio, esto non servato tunc ordine judiciario; utì censet *Castro Palao d.4. p.29.*

54. *Invalida eorum testamenta.*

Inter pœnas temporales prima est intestabilitas activa, nisi pœnitens restitutionem aut de ea idoneam cautionem ante mortem præstet c. *Quamquam, de Usuris in 6.* Sub testamentis autem (quorum confectioni sic quis interfit etiam interdicitur) comprehẽdi quoque codicillos, & generatim quamlibet ultimæ voluntatis dispositionem (quæ generatim venit sub nomine testamenti) habet *Glossa* communiter recepta; ne alioquin constitutio ista facilè queat eludi: præsertim cùm hodie testamenta vix differant à codicillis. Testamentum quoque ante usuras publicè acceptas factum per easdem irritatur, nisi per pœnitentiam finalem convalescat. Quòd si delictum post mortem demum fiat manifestum, testamentum in mortuis confirmatum manet ratum. Vide *Molina d.334. post med.*

*An & codicilli aliaq; dispositiones ultimæ voluntatis.*

*Sunt jure infames.*

Secunda est infamia juris (cujus effectus alibi ostenduntur) *L.20. C. Ex quibus causis infamia irrogetur*, & c. *Infames 3. q.7.* Per pœnitentiam tamen recuperari famam ex æquitate canonica, plures tradunt cum *Baldo, Felino* & aliis apud *Castro Palao d.4. p.30. n.3.*

*Eis, si alienigenæ sint, concedi nequit habitatio.*

Tertiò, quòd alienigenis permitti nequeat habitatio, sive gratis, sive locatâ à quopiam domo c. *1. de Usuris in 6.* ubi & censuræ infliguntur Ecclesiasticis, & infligendæ præscribuntur personis laicis.

55. *Qui arceantur à Sacramento pœnitentiæ.*

Inter pœnas spirituales prima est, quòd non possint admitti ad confessionem, nisi priùs pro posse satisfaciant, vel cautionem idoneã (quæ est pignoratitia, vel fidejussoria, vel quando aliam præstare non possunt, juratoria) præstent modo præscripto c. *Quamquam cit.* aut saltem æquivalenti. Si autem periculum sit in mora, possunt verè pœnitentes absolvi, obtentâ facultate admonendi Episcopum de promissa restitutione, ut si convalescant ad illam compellantur, vel ipsis mortuis eorum heredes, c. *Tua, de Usuris*, & c. *fin. de sepult.* ut advertit *Navarrus c.17. n.279.*

*Ac Eucharistiæ.*

Secunda est, quòd arceantur à Sacramento altaris, c. *3. de Usuris.* Ex quo tamen non rectè quidam inferunt eos arceri universim à communione fidelium, etiam in divinis Officiis. Quamvis jure divino naturali tamquam publicè indigni repellendi sint etiam ab aliis Sacramentis.

*An etiam à communione fidelium.*

56. *Quibus arceantur ab oblationibus.*

Tertia, quòd arceantur ab oblationibus (intellige cum *Suarez d.31. de censur. s.2. n.7. & 9.* quæ fiunt sub offertorio, seu inter Missarum solemnia (ut excludantur eæ, quæ ab ipsis dantur clericis tamquam pauperibus, vel tamquam Missæ aut laboris stipendium, aut ratione primitiarum, vel decimarum) sub pœna suspensionis ab officio, à clerico eas acceptante ipso facto incurrendæ, donec ad arbitrium Episcopi satisfecerit, addito (quod tamen est ferendæ sententiæ, nec eò usque impedit licitam retentionem, si res oblata sit talis, quæ licitè aliàs poterat ab usurario donari) ut etiam reddere compellatur acceptas. Pœnam tamen hanc post *Extrav. Ad Evitanda* solùm concernere usurarios specialiter damnatos per sententiam notat *Suarez sup. n.10.*

57. *Quomodo priventur Ecclesiastica sepultura.*

Quarta pœna est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ (quæ scilicet fit in loco ad id specialiter ab Ecclesia deputato) c. *3. cit.* (ubi clericus sepulturæ tradens suspenditur ab officio) & c. *Quamquam, de Usuris in 6.* & *Clem. 1. de sepult.* nisi præcesserit realis restitutio, vel sufficiens de ea cautio c. *Quamquam.* Concernit tamen hæc pœna juxta *Lessium c.20. dub.22.* solos usurarios specialiter denuntiatos post *Extrav. ad Evitanda.* Profanatio autem loci, & exhumatio jam sepulti, non habet hîc locum, utì in excommunicato; utpote nullo jure statuta. Excommunicantur verò, & donec Episcopo satisfecerint absolvi prohibentur *Clem. cit.* præsumentes sepelire. Quo verbo comprehenduntur Sacerdos officiator, mandans sepeliri, vesillo; non autem qui sepulchrum effossa humo facit, funus comitatur, hymnos ad

nos ad sepulchrum decantat, juxta *Suarez. disp. 12. de Censur. sect. 4. n. 10. & seqq.*

De pœnis clerici manifesti usurarii vide *Molina sup.* De judice, ad quem spectet cognoscere de delicto, vide eumdem *disp. 333.*

58. *Quæ obligationes cooperantium usurariis, ex horum aut mutuatariorum parte se tenentium.*

Circa obligationes cooperantium usurariis nō est difficultas quoad eos, qui partes mutuatarii gerunt, cui potiùs favorem præstant. Quales sunt, qui domum fœneratoris vel occasionem talis mutui inquirentibus ostendunt, pignora deferunt, pecuniam ejus nomine accipiunt & cum usuris reddunt. Qui verò partes mutuantis gerunt, eum inducendo ad usuras, tenentur in defectum illius ad restitutionem tamquam efficax causa damni, instar illorum, qui suadent alteri furtum, juxta communem Doctorum sententiam contra Nonnullos; nisi fortè gratiam se mutuatario præstare confidant, ex cujus consequenter parte tunc se tenent.

59. *Principum & Magistratuum.*

Principes & Magistratus, eisque subservientes, graviter peccant & ad restitutionem tenentur, urgentes mutuatarios ad solvendas usuras promissas. Possunt tamen ob majus bonum reipublicæ, si sint Principes supremi, alioquin de horum consensu, usuras permittere, personas usurariorum contra infestationes tueri, &, si ita necesse sit, assistentiam repetentibus usuras solutas negare ex natura rei loquendo: prout in variis aliis rebus non datur actio in foro externo.

Immo tanta posset esse boni publici necessitas juxta *Malderum Tr. 5. c. 3. dub. 24.* ut ex natura rei possent mutuatarios in foro exteriori compellere ad solvendas usuras, esto indebitas, ad quas se compulsuros ex justa causa promiserunt publico fœneratori, bonō communi prævalente bonis privatorum. Ad quod allegatur praxis vigens in statu Ecclesiastico seu Papali apud *Navarrum Consil. 33. de Usuris.* Ob prohibitionem tamen juris Canonici (quod equidem cessat obligare in gravi necessitate) dispensationem Pontificum requirit *Malderus sup.* & alii. Nam c. *Post mirabilem, de Usuris* præcipit Innocentius III. ut per Principes compellantur Judæi remittere usuras; & *Clem. Unic. eod.* sub pœna excommunicationis, incurrendâ à præsumentibus, prohibet (loquens tamen de Magistratibus inferioribus) ne quod solvantur usuræ, aut solutæ, cùm repetuntur, non restituantur, judicare præsumant.

60. *Famulorum.*

Famuli subeuntes ministeria indifferentia in commodum æquè mutuatariorum, atque ipsius usurarii vergentia (qualia sunt numerare sortem, registrum facere, pignora custodire &c.) ad nil tenentur, neque invitis, sed plenè consentientibus mutuatariis faciunt. Secùs est de iis, qui usuras nomine domini stipulantur, exigunt &c. (Idemque est de procuratoribus, negotiorum gestoribus, nomine alterius usuram exercentibus) adeoque in ipsas actiones injustas propinquè influunt. Mutuatarii tamen non ita æstimant, neque censent se ab his lædi, utì à domino, sic ut vellent ab iis restitutionem, aut saltem non ita, quin rogati libenter remitterent. Si etiam simpliciter eis significent voluntatem domini, non inflectendo eorum animos, aut urgendo, apparet eos excusari posse. Prout etiam juxta *Lessium c. 20. dub. 21. in fine* (qui refert *Silvestrum*) Proxenetæ, etsi peccent, saltem à restitutione excusantur (tametsi *Castro Palao sup.* eos faciat restitutioni obnoxios) qui pecuniâ indigentes quærunt, & ad usurarium ducunt absque dolo vel fraude, eò quòd non faciant eis injuriam.

*Proxenetarum.*

61. *Notariorum.*

Tabelliones præterea seu Notarii conficientes instrumentum contractûs usurarii, ex quo mutuatarii cogantur solvere usuras, v. g. prætexendo partium honesti tituli seu contractus, recensentur inter cooperatores obnoxios restitutioni. Ordinariè tamen excusantur, eò quòd hujusmodi instrumenta fiant sciente & consentiente ipso mutuatario: etsi peccent contra suum juramentum susceptione officii emissum, ut notat *Lessius sup. n. 180.* Si quoque qualitas contractûs exprimatur, vi instrumenti non poterunt usuræ exigi: nisi fortè alicubi vigeret de hoc iniquum statutum.

62. *Bona fides qui plerumque famulos excusat.*

Denique famuli subservientes in iniquis contractibus plerumque excusantur ratione bonæ fidei; eò quòd nimirum ignorent iniquitatem eorumdem, sed potiùs supponant æquitatem eorum, dum aliud eis positivè non constat, qui in consilium secretius dominorum non vocantur.

63. *Quid censendum de heredibus & donatariis.*

Heredes usurarii tenentur ad onera defuncti pro viribus hereditatis, etsi non singuli in solidum. Si non sint usi beneficio inventarii, tenentur etiam ultra, ex jure communi præsumendo plus fuisse in hereditate. Quod tamen in conscientia non obligare ante sententiam, est recepta Doctorum Sententia contra *Molina Tr. 2. d. 332.* Creditor usurarii illi statè acceptat assignationem solutionis petendæ à mutuatariis, qui debent ex usuris; ut patet. Liberalis inter vivos donatio de rebus, sub dominio usurarii, ad solvendum debita potentis, constitutis, rectè acceptatur. Similiter iniri cum eo possunt contractus onerosi, & solutio peti aut acceptari. Præferentia inter creditores in casu impotentiæ regulanda juxta dicta in præcedenti Tractatu.

## QUÆSTIO V.

### De Cambiis.

64. *Quid cambium.* LICET cambium ex prima nominis institutione quamcumque permutationem significet, usus tamen paulatim obtinuit, ut solùm significet negotiatoriam seu lucrativam permutationem pecuniæ pro pecunia. In eoque subtilissima hodie mercatorum praxis, legum veterum simplicitatem superans, jure tamen & praxi permissa versatur. Is verò à quo petitur, ut fiat permutatio dicitur Campsor, qui verò petit dicitur Campsarius. *Quid campsor aut campsarius.*

*Distinctio cambii à mutuo.* Apparet porrò cambium mutuo affine. Ab eo tamen differt, quòd mutuum non sit propriè, utì cambium, commutatio, seu ultro citroque datio rei pro re; quodque præstatio mutui & redditio sortis ex sua ratione simultatem temporis excludat, etsi per accidens ob absentiam pecuniæ commutatæ in cambio aliqua temporis intercapedo cernatur: quòd insuper cambium sit commutatio consistens inter pecunias quodāmodo diversas, sive secundùm quantitatem, sive secundùm speciem, sive secundùm locum: quòd denique contractus mutui sit in sua ratione completus ante redditionem sortis, secùs quàm contractus cambii, priusquam utrimque pecuniæ sint præstitæ. In cambio locali seu per litteras campsarius quidem est obligatus quàm primùm pecuniam recepit; ejus autem respondens, quàm primum litteras cambii acceptavit, qui exinde obligatur satisfacere post lapsum termini, in quocumque statu sit campsarius, satisfactioneque præstitâ, completum est cambium.

65. *Cambium aliud siccum, aliud reale.* Cambium aliud est siccum, aliud reale. Siccum dicitur, eò quòd careat humore justi lucri; ut quando habetur sola ratio temporis, aut quando fingitur alibi solutio facienda, & fit eodem loco cum usura. Reale & legitimum cambium est vera permutatio pecuniæ cum pecunia; ex qua nempe sumi potest lucrum justum alterius partis permutantium, puta campsoris.

*Hoc aliud minutum, aliud locale seu per litteras.* Quod rursum est duplex: Minutum scilicet, seu permutatio numismatum diversæ speciei, quæ utrimque præsenter eodem loco habentur, & de manu ad manum (unde & manuale dicitur) redduntur v.g. aureorum cum argenteis, minorum cum majoribus, abrasorum cum integris, vetitorum cum legitimis, antiquorum cum novis, patriorum cum exteris aut contrà. Et locale (quod & cambium per litteras dicitur) estque permutatio pecuniæ præsentis cum absente; v. g. si campsor det Antuerpiæ, ut recipiat Venetiis, vel recipit Antuerpiæ, ut det Venetiis: nam aliquando campsor dat prius, aliquando campsarius.

66. *Item aliud* Item Reale cambium aliud est purum, cui non permiscetur contractus alterius speciei: aliud Mixtum, cui permiscetur: ut si quis Parisios iturus conveniat cum campsore de danda pecunia pro viatico, & simul conducat ab ipso equum soluturus Parisiis totum, quod campsor exigit, tam pro pecunia viatici, quàm pro pretio conductionis Parisiis persolvendo ex assignatione campsarii: pro eo enim, quòd pretium tantùm ibi persolvatur, plus solet exigi, quàm ratione ordinariæ locationis. *purum, & aliud mixtum.*

67. *Aliud dicitur simplex, aliud compositum ex recambio.* Denique aliud est simplex, quando scilicet non intervenit aliud pactum, quàm hîc dandi pecunias campsori, & albi recipiendi, vel contrà, aut hîc accipiendi pecuniam certæ speciei pro pecunia alterius speciei. Aliud compositum ex recambio seu cambio reciproco, quando nempe pecunia, quam hîc tradit campsor alibi reddendam, recambitur ad locum ubi data est, ut ita tam primi, quàm secundi cambii pretium persolvatur primo campsori ex eadem pecunia quasi bis ad cambium data, v. g. Antuerpiâ Romam, & vicissim Româ Antuerpiam.

68. *Quæ requirantur ad justitiam Cambii minuti.* Ad justitiam cambii minuti requritur, ut absit deceptio circa valorem aut bonitatem monetæ, justumque sit pretium. Tale autem censetur, quod vel est lege taxatum, vel communi proborum & prudentum æstimatione, aut consuetudine receptum & probatum; utì in operis Medicorum & Jurisconsultorum. Illud specialiter notandum circa adulterinas monetas, quòd campsor aut quivis alius per illas deceptus nequeat citra injustitiam eas ulteriùs distrahere.

69. *Titulus ejusdem est locatio operæ & obsequii.* Tituli porrò, in quibus ordinarium pretium & justitia lucri fundatur, hi assignantur. In primis locatio operæ & obsequii, quod campsor præstat, quatenus ob utilitatem aliorum omnis generis pecunias congregat, conservat & permutare est paratus juxta eorumdem beneplacitum; præsertim si publicâ Magistratûs auctoritate ad hoc est cōstitutus. Quò etiam facit juxta *Malderum Tr. 5. c. 4. dub. 2.* (qui refert sic sentire *Annatum, Molina*, & alios communiter) contra *Cajetanum* labor (qui non semper idem seu æqualis) numerandi pecuniam, veluti in gratiam campsatorum adhibitus, interveniēte tacitâ elocatione operarum. Etsi enim soleat gratis subiri, non vetat illum locari: sicut locari potest usus libri, qui tamen etiam gratis conceditur ad usum. *An labor numerandi, aut scribendi æstimari possit.*

70. *An officium cambiendi sit præsumptum.* Quod autem Nonnulli officium cābiendi, ad quod quis se reipublicæ obligavit, censeant titulum esse ad justitiam cambii necessarium, videtur haudquaquam fundatum: cùm eo secluso possint alii tituli subesse in privatis campsoribus. Immo si aliàs cambire iniquum foret, non rectè respublica ad istiusmodi officium aliquem adstringeret. Unde & cuilibet civi Antuerpiensi

pienſi conceditur privilegio Joannis Ducis Brabantiæ facultas, non impoſitâ obligatione, publicè ſervandi menſas cambiales; ut refertur in *Cod. Belgico V. Wisſelbrieven §.12.* Hinc etiam ſi famulus pecunias à domino ad aliquid emendum acceptas, ſine damno domini, per cambium minutum permutet, lucrum inde proveniens, veluti fructum propriæ induſtriæ, poteſt ſibi reſervare.

71. *Alius titulus eſt intereſſe.* Alius titulus eſſe poteſt intereſſe lucri ceſſantis vel damni emergentis: ſi campſor videlicet per pecuniam majorem, pro qua minutam accipit, plus potuiſſet lucrari: vel accipiat pecunias raſas pro integris, vetitas pro legitimis, exteras pro patriis. Quare dum non ſunt pecuniæ in loco expendibiles, adeoque non habent ibi valorem tamquam pecuniæ, ſed tamquam aurum vel argentum, poſſunt minoris emi. Idem cum proportione eſt, ſi difficulter ſeu vix expendi poſſint, vel ſi periculum ſit, ne reprobentur aut valor legitimus minuatur. Huc etiam facit commoditas conſervandi, transferendi, numerandi, & ubique negotiandi, quæ v.g. cenſetur ineſſe ducatis aureis præ minuta pecunia: quâ quidem commoditate ſe privare, cenſetur aliquo pretio æſtimabile.

72. *Poſtremus, diverſa qualitas monetæ.* Denique attenditur à Doctoris paſſim puritas materiæ, quæ v.g. elucet in veteri moneta, etſi ejuſdem legalis valoris cum moderna, exceſſus ponderis, idoneitas ad medicinas, deaurationem aut vaſis confectionem, antiquitas & raritas. Quamvis enim pecunia, quatenus eſt pretium ſeu menſura rerum venalium & ſolutionis debitorum, ſupponatur eſſe ejuſdem valoris legalis ſeu extrinſeci: ſi tamen conſideretur valor pecuniarum naturalis, quatenus ſunt quædam res permutabiles inter ſe, ſive merx quædam habens alias commoditates, poteſt per ſe loquendo eatenus una pluris quàm alia æſtimari. Tametſi ad excludendas fraudes, quibus mandata Principum de non augendo valore ſolent elidi, poſſet aliquando id juſtè prohiberi. Quando nihilominus tranſgreſſores non peccarent contra juſtitiam, modò non excedatur æſtimatio debita.

73. *Cambii loculi quantitas.* Cambium per litteras ſeu locale ſequentiſſimum eſt, ſine quo hodie ſubſiſtere non poſſe videtur mercatura. Eſtque adeò valdè utile reipublicæ, dum tamen in æquitate celebretur. Eo ſiquidem mediante pecunia de uno regno in aliud trajicitur ſine reali tranſlatione ſpeciei, quæ ſolet plerumque ſtrictè inhiberi. Præterea vitantur pericula & graves expenſæ ſeu incommoda trajectionis realis. Suntque ſemper in promptu pecuniæ, ubivis eas negotiator requirat pro emptione mercium, quas alioquin ſuo tempore iſtic rationabili pretio comparare foret impoſſibile. Accedit valor monetæ in uno loco, quæ alibi non valet, niſi quatenus maſſa quædam argenti vel auri.

74. *Pretium ejus ſæpè variatur.* Pretium hujus cambii frequenter etiam ſubitò variatur juxta diverſitatem locorum & temporum, quibus copia & raritas, item valor pecuniæ, copia vel raritas cambiorum & recambiorum admodum variatur. Soletque ſchedula (quam vocant *Cambiato*) hebdomadatim diſtribui, & ad diverſa emporia mitti, ut ſciatur pretium cambiorum ad ſingula loca. Quod tamen non ita ad amuſſim ſervatur, ſed ex bono & æquo aliquantulum ſæpè à ſingulis mercatoribus augetur, attentâ qualitate & credito perſonarum. Quamvis potiſſima difficultas conſcientiæ ſeu injuſtitia æſtimetur ab iis conſiſtere in inordinato exceſſu lucri, non ſatis correſpondentis periculis aliiſque titulis prætextis.

*Qui cambiatus ſituatur.*

75. *Communi æſtimatione ſtatutum non facilè improbandum.* Porrò pretium communi intelligentium æſtimatione ſtatutum reprobare difficile foret. Et quamvis in eò conſtituendo mercatores (qui putant ſe meliùs intelligere, quàm Theologus) non omnes titulos, quos poſſent, congerant, ut cenſet *Leſſius c.23. dub.3. in fine*, in hoc ipſo tamen, ut addit, ſinceritatem ſuam oſtendunt, neque facilè eorum contractus tamquam uſurarii condemnandi, quando pretia communi (utì paſſim fit) judicio ſunt conſtituta, In quibus non poteſt intervenire aut prævalere inordinata privati alicujus cupiditas.

76. *Tituli, qui potiſſimum à mercatoribus æſtimantur.* Attendunt autem potiſſimùm lucrum ceſſans tempore cambii & recambii, incertitudinem lucri ob frequentem & inopinatam pretiorum variationem, & periculum deficientis lucroſi, ſeu imminentis damnoſi recambii. In quo tamen potiſſima debet eſſe ſpes lucri, ut nempe ex induſtria mercatoris pecunia cambita, ſi alibi non ſit impendenda mercibus emendis, redeat ad campſorem cum novo cambio ſeu recambio. Accedit periculum damni fundatum in credendo pecuniam, tum datam, tum alibi reddendam ac remmittendam diverſis perſonis. Unde & frequentiſſimè damna gravia oboriuntur. Quod periculum cum expenſis ſeu proviſionibus impendendis factoribus creſcit, dum per variorum locorum ambages in commodum campſarii pecunia remittitur ſeu trajicitur, v.g. Antuerpiâ Amſteldamum, inde Francofurtum, inde Venetias. Attenditur etiam diverſus in locis diverſis valor pecuniarum, ſive legitimus, ſive fundatus in reſtricta libertate eas expendendi; qualis locum habet in pecuniis (ut vocant) bancariis,

77. *Quorum ſtylus amplius declaratur.* Et hi quidem tituli ſpectantur maximè in ordinario cãbio, in quo nimirum campſor prior dat, ut alibi recipiat termino elapſo, qui proinde donans dicitur, utì campſarius recipiens, & loco pecuniarum litteras dat campſori, qui harum virtute ſolutionem

nem alibi petit à respondente campsarii, eamque vel mox ad visum illarum præstandam, vel (quod ordinarium) datâ certâ temporis morâ, adeoque ad usum (ut vocant) certi temporis. Quod quidem consideratis locorum distantiis & correspõdentiis varium est: alicubi quindena post visas, aut datas litteras; alibi mensis post datas literas, utì in cambio Antuerpiâ Insulas, Amstelodamum, Middelburgum, Parisios &c: alibi bimestre, utì Antuerpiâ Hispalim, Madritum, Venetias; alibi trimestre, utì Londino Venetias. Et quidem juxta diuturnitatem temporis, quo campsor caret pecuniâ differens est lucrum. Ideoque si duplicetur aut triplicetur tempus usûs, conformiter solet diversificari lucrum. In cambio autem Francofurtensi inspicitur distantia temporis nundinarum (quæ ibi binæ, circa Pascha scilicet & Septembrem) junctâ consideratione copiæ vel raritatis petentium cambium. Et hæc quidem praxis ordinaria mercatorum, etiam usuras alioquin abhorrentium.

*De Cambio Francofurtensi.*

78. *Praxis mercatoria objectionis discussione elucidatur.*

Contra quam praxim objici posset, quòd in æstimatione temporis latere videatur implicitum & usurarium mutuum. Cùm enim Cambium per se non requirat aliud temporis intervallum, quàm quod sufficiat ad translationem litterarum, id quod ultra creditur, non ex vi & natura cambii, sed taciti cujusdam mutui proficiscitur, in quo utique ratione longioris præcisè temporis nil potest exigi citra usuram. Estque hoc per se & speculativè loquẽdo valdè fundatum. Nihilominus responderi posset, titulos alios regulariter in mercatoribus adesse, ob quos etiam ex mutuo possint petere interesse. Et planè tituli, quos ipsi æstimant in ipsa cambii concessione, omnino etiam manent in prorogatione. Ut proinde cambia Francofurtensia ex hac parte videantur regulariter non improbanda, si absit ratio ficci cambii, neque excedatur in æstimatione interesse, prout frequenter excedítur à quibusdam indolis Judaicæ, cambiique usurarii amatoribus. Immo videtur nonnullis ibi ob titulos & circumstantias ordinariè occurrentes pretium justè, utì communi judicio (unde pretia pendent) variari, prout in ordinariis cambiis; accedente eo, quòd censeantur ibi virtute plura cambia in commodum Campsariorum, qui multò ampliùs gravarentur, si diutiùs pecuniâ egentes deberent iterata cambia expressiùs, adeoque cum novis expensis inire; utì tradit *Lessius sup. dub.* 6. Pro quo

79. *Quorumdam doctrina.*

Notant Nonnulli, & consonat *Lessius dub.* 1. *n.* 4. & *dub.* 4. *nu.* 38. absentem pecuniam (quæ alioquin habet rationem pretii, & certum valorem, qui, & non major debet à creditoribus acceptari) in materia cambii habere rationem mercis cujusdam, cui, utì aliis mercibus, imponatur certum pretium, attentis circumstantiis ordinariis. Quod proinde quibusdam videtur etiam exigi posse ab illis, in quibus fortasse aliquis ex titulis ordinariis non subesset. Quemadmodum mercatores, qui non subiverunt labores, expensas & molestias ordinariè annexas, possunt ordinarium mercium pretium exigere. Et planè potissimùm inspiciunt Mercatores carentiam pecuniæ cum incommodis respectu ipsorum annecti solitis, unà cum copia & inopia pecuniæ, & similibus, quibus attentis certum pretium præfigunt.

80. *Alii tituli à Theologis assignati.*

Verumtamen *Lessius sup. dub.* 3. & 4. & alii Theologi conantur adhuc alios titulos (quos mercatores minùs æstimant) cambii assignare, nempe virtualem translationem pecuniæ, æquè commodam, ac si realis foret. Quamvis non sit par utriusque pretium, sed quantum inter campsores & campsarios bonâ fide pro tali obsequio est constitutum; quod ordinariè & communi judicio est multo minus ob facilitatem & commoditatem. Qui titulus præsertim attenditur in cambio, ubi campsor prior accipit, nec adsunt pericula, quæ in ordinario.

Secundò assignatur assecuratio pecuniæ, in virtuali trajectione cõtenta, dum campsor accipit pecunias cum onere illas alibi dandi, sic ut campsori pereant, si perirent. Et quamvis videatur periculum abesse, eò quòd campsor alibi pecuniam habeat; id tamen ejus industriæ & fortunæ est adscribendum, utì in casu simili, quo nuntius alibi pecunias habens onus simile suscipit.

Præterea dum campsor dat prior, ut alibi recipiat (prout plerumque fit) adhuc adfert *Lessius sup. dub.* 4. dicens esse communem sententiam contra Nonnullos, titulum virtualis translationis, vel (quod in idem redit) majoris æstimationis pecuniæ præsentis, quàm absentis: eò quòd campsor virtualiter censeatur transferre pecuniam absentem campsarii in ejusdem commodum ad hunc locum, sicque ipsum levet ab onere eam hinc transferendi, omnique alio periculo aut expensis. Commoditas autem, quam interdum habet campsor ex hoc, quòd habeat pecuniam absentem provenit ex industria ejusdem, qui proinde non tenetur eam pluris æstimare. Uti elocans operam reducendi equum non tenetur æstimare, quòd hoc ipsum sit reducenti hîc & nunc commodum. De quibus & aliis titulis vidé plura apud *Lessium sup. dub.* 3. & 4.

81. *Cambium mixtum quando liceat.*

Cambium mixtum tunc licitum est, quando contractus cambio junctus est licitus, & id quod campsor exigit ratione utriusque contractûs, proportionatur tituli sive servitio exhibito: quæ enim seorsim licent,

liceat, etiam per se loquendo sunt licita conjunctim.

82. *Quadruplex Recambia. Primum est licitum.*

Quantum ad recambia, quadruplex potest assignari modus. Primus, isque legitimus, ac proborum omnium mercatorum stylo probatus est, ut respondens campsarii solvat pecuniam respondenti campsoris, & hic pro re nata eamdem rursum det alteri ad cambium, acceptis litteris seu obligatione à secundo campsario, quas mittit respõdens ad suum dominum seu primum campsorem, qui loco priori accedit respõdentem secundi campsarii, à quo recipit pecuniam primo campsario datam cum lucro cambii & recambii.

83. *Quid de Secundo censendum.*

Secundus est, si campsarius ejusve respondens in loco præfixo non restituat sortem respondenti campsoris, sed tradat ei obligationem tamquam ab eo accepisset eamdem ad recambium, quam obligationem mittat respondens campsoris ad campsorem, ut in priori loco recipiat sortem cum duplici lucro cambii & recambii. In quo modo solet delitescere cambium siccum seu usura palliata: cùm non agatur, ut pecunia alibi solvatur, ubi nulla est, in quam permutatio cadat, sed ut reddatur in loco, in quo accepta est cum lucro iniquo, perinde quasi ex mutuo. Etsi bona fides, & sincera intentio, aliique tituli possint interdum excusare campsorem.

84. *Quid de Tertio.*

Tertius est, si campsarius non habeat in loco assignato respondentem, ideoque campsor assignet ei suum proprium respondentem, qui sit respondens campsoris & campsarii, adeoque debitum ibidem acceptet, & sibi solvat, quatenus diversas personas repræsentat, seu diversa officia subit. Qui rursum obligationem scribit quasi ad cambium acceperit, eamque transmittit ad primum campsorem, ut à campsario solutionem accipiat in priori loco cum pretio cambii & recambii. Quod cambium Besuntinum vel Placentinum à Doctoribus vocatur, eò quòd feratur solere trajici ad dicta loca. Hoc Varii Doctores existimant esse licitum, pro qua sententia operosè disputat *Lessius dub.* 7. existimans esse speculativè veriorem; etsi omnino dissuadendam, nec facilè practicandam meritò dicat, ob præsumptionem nempe & periculum cambii ficci & usurarii. Quamvis si bonâ fide agatur, & tituli pretio proportionati adsint, videatur posse justificari. Vide etiam *Malderum Tr.* 5. *cap.* 4. *dub.* 5.

*De Cambio Besuntino seu Placentino.*

Quartus modus est, si campsor paciscatur cum campsario, ut teneatur eam summam accipere ad recambium, si tempore præfinito non solvat. Quod indubiè injustum est, nisi certò constet campsorem ex illa mora tantum lucri amissurum, quantum ex recambio perciperet: aliàs enim plus exigeret, quàm æstimationem lucri cessantis & periculi sortis. Estque etiam suspectum de usura: quasi ex mente contrahentium non tam agatur, ut pecunia alio loco & termino præfixo solvatur, sed potiùs eodem loco cum lucro usurario ex mutuo palliato per Cambium & Recambium.

*Quid censendum de quarto modo Recambii.*

Pro fine notanda est Decretalis Pii V. de cambiis, quam refert *Navarrus c.* 17. *n.* 300. Estque inter Pianas 118. in Bullario. Ea, etsi saluberrima, non est juxta *Malderum sup. dub.* 11. *in fine* in his partibus recepta, adeoque non obligat, in quantum ordinat aliquid ultra terminos juris naturæ. Similiter *Lessius dub.* 11. *in fine* putat paucis locis, & fortè nusquam (saltem quoad omnes ejus conditiones) esse receptam. In hac inprimis damnantur omnia cambia ficca tamquam usuraria, in quibus nimirum ex intentione contrahentium fit solutio in eodem loco, quæ alibi futura fingitur. In realibus autem cambiis quædam conditiones servandæ præscribuntur. Prima est, ne campsor ratione dilationis ultra terminum præstitutum concessæ, paciscatur de aliquo lucro. Secunda, ne ab initio vel postea paciscatur de certo interesse, etiam in eventu, quo non fieret solutio tempore debito. Non prohibet tamen pactum de interesse incerto, quod postea ex mora campsarii deprehensum fuerit, & ne pœna moderata adjiciatur, si ex negligentia tempore convento non fuerit facta solutio. Tertia, ne ultra primas nundinas, aut consuetos terminos, ubi nundinæ non expectantur, realia cambia exerceantur, juxta receptum locorum usum, videlicet cum extensione proportionali lucri. Quarta, ut in terminis solutionum constituendis, habeatur ratio longinquitatis & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur; nedum longiores præfiguntur, quàm loca destinata solutioni deliderant, fœnerandi detur occasio. De his vide Auctores citatos.

86. *Constitutio Pij V. de Cambiis, non usu recepta.*

*In ea damnantur cambia ficca tamquam usuraria.*

*Quæ conditiones in eadem præfigantur cambiis realibus.*

# DISPUTATIO QUARTA.

## De Emptione-venditione, Censibus & Societate.

### QUÆSTIO I.

### Quid Emptio-venditio, & quibus modis ineatur?

1. Quid Emptio-venditio.

EMPTIO-VENDITIO est cõtractus, quo merx per mutuum consensum pro pretio commutatur. Involvit tamquam partes Emptionem, quæ tenet se ex parte offerentis pretium, & Venditionem, quæ tenet se ex parte offerentis mercem. Porrò

Quid merx, quid pretium.

mercis nomine intelligitur quævis res pecuniâ æstimabilis. Pretium autem idem est quod moneta, sive pecunia propriè dicta, quam numeratam vocant (non autem res alia, quæ loco pretii daretur, & nomine pecuniæ generatim venit *L. 178. ff. de verb. signif.*) numerata, quæ est mensura ceterarum rerum, quæ in contractus humanos veniunt; cùm ceterarum incerta esse soleat

In principio sola permutatio consueta.

æstimatio. In principio quidem homines permutatione (quæ genus est hujus contractûs, eidemque originem dedit, juxta *L. 1. ff. de contrah. Empt.*) utebantur, quâ vinum tritico, oleum melle, bos equo &c. prout quisque hâc vel illâ re indigebat, commutabatur. Sed propter rerum inæqualitatem,

Cur & quomodo introducta Emptio-venditio.

& quia frequenter unus non indigebat re alteri superfluâ, inventa seu inducta est, ad maximum commodum societatis humanæ, materia, quæ formâ publicâ insignita haberet determinatum valorem, esset que pretium ceterarum rerum: quam pecuniam vocarunt, sive quòd Veterum substantia in pecudibus ferè poneretur, sive quòd propterea pecudis forma primò signata fuerit.

Pecunia veterum qua.

Et quidem Veteres rude & signatum æs appendere, eoque appenso res ceteras æstimare solebant. Deinceps autem cœpit numerari, ut idcirco dicatur, pretium consistere in pecunia numerata. Indeque orta

Hodie nitimur numerata.

præsens permutationis species, nomen quoque speciale atque adeò rationem contractûs nomitati sortita. Vide *Calepinum* V. *Nummus* & V. *Pecunia*.

2. Contractus hic perficitur consensu. Traditio vel adheredatio qui requisita.

Perficitur consensu *Instit. de oblig. ex consensu*; seu simul atque de pretio convenerit, ut habetur *Instit. de Emptione & Vendit. in princip.* Ut proinde non detur locus pœnitentiæ. Bsi dominii translatio prærequirat traditionem ex jure civili, quæ est finale complementum ejusdem contractûs, *L. Traditionibus C. de pactis.* Et quidem in re immobili moribus nostris ad hoc requiritur adhæredatio coram magistratu, uti aliàs dictum.

Hinc colligi potest, quid agendum, si eadem res duobus successivè sit vendita. Num si neutri sit tradita, est priori emptori tradenda, cùm posteriori utì sine injuria vendi, sic nec tradi possit. Idem est, si dubium sit, utri priùs sit tradita: cùm in dubio jus prioris præsumatur melius. Nisi tamen posterior numerasset pretium: tunc enim præsumeretur priùs huic fuisse tradita. Si denique posteriori & bonæ fidei emptori sit tradita, hujus jus est potius, veluti in re, cùm prioris sit tantùm ad rem; juxta dicta *Tract. prac. d. 4. q. 2. in fine.* Nisi fortasse sit casus, quo traditio non requirebatur in priori contractu ad translationem dominii, vel quo res foret priori hypothecata, vel quo contractus posterior fuisset ratione doli seu malæ fidei in emptore irritus aut rescindendus. Præmissa cum proportione locum habent in donatione & aliis contractibus. Vide *Lessium, Molina, Castro Palao disp. 5. p. 27.* & alios.

3. Quid agendum, si res eadem duobus successivè vendita sit.

4. Consensus contractum perficiens qualis sit.

Consensus porrò, quo perficitur hic contractus, intelligitur purus & absolutus, circa obligationem scilicet de præsenti. Cujus defectu, si ex placito partium fuerit adhibenda scriptura, contractus non est perfectus antequam in scripturam seu instrumentum sit redactus; sic ut antè liceat impunè pœnitere, nisi quid arrhæ nomine datum sit; quod amittitur, aut duplum restituitur.

Quid operetur apposita conditio.

Interdum etiam apponitur conditio futura, quâ pendente est obligatio expectandi conditionis eventum, eâ autem eveniente perficitur contractus citra novum consensum. Distinguunt autem Doctores passim duplicem conditionem, unam casualem, quæ non subditur potestati contrahentis, v.g. si merces ex India venerint, si certa puella nupserit &c. alteram potestativam, quæ subjacet contrahentis, cui injungitur, potestati, v.g. si officium mihi resignaverit. Inter quas eam statuunt differentiam, quòd prior sic suspendat perfectionem contractûs, ut tamen eâ impletâ contractus retrotrahatur ad diem celebrati contractûs: secùs sit de altera; quasi nempe ea sit aut præsumatur mens contrahentium: tametsi quoque possint aliud velle & exprimere. De quo post alios *Castro Palao d. 1. p. 7.*

Hæc alia casualis, alia potestativa.

5. Ad contractum bonus quando quis compelli queat.

Consensus contrahentium liber esse debet: sic ut nemo compelli possit talem contractum inire per se loquendo. Potestas tamen publica potest interdum ad eum cõpellere ob bonum commune, non solùm in

pœnam

pœnam delicti, sed etiam citra culpam. Sic in annonæ caritate coguntur mercatores vendere frumenta eo saltem pretio, quod seclusâ suppressione seu detentione esset justum. Et ob periculum obsidionis coguntur cives emere victualia necessaria. Item quæ ob periculum necessitatis respublica cœmit, eâ cessante aut non eveniente potest in subditos dividere ab iisdem justo pretio emenda. Denique cogi quis potest saltem à supremo Principe (de inferioribus, in casu solius utilitatis, & non meræ necessitatis, negat *Covarruvias L. 3. var. c. 14. in fine* videndus: etsi alii potiùs indistinctè asserant, seclusâ nimirum restrictione seu limitatione per Principem factâ) ad vendendam domum necessariam construendo templo, hospitali &c. vel viæ publicæ.

6. *Qualiter requiratur determinatio pretii, ut venditio subsistat.*

Præterea debet consensus, ne sit nullus, ferri in determinatum pretium *Instit. de Empt. & Vendit.* §. 1. idque quantitate vel ab initio expressâ, vel aliter satis designatâ, v.g. si dicatur, dabo quantum emisti, vel quantum in marsupio habeo; vel si in arbitrium tertii nominati v. g. Pauli sit relicta determinatio pretii, *Instit. sup.* Secùs est, si relinquatur arbitrio alterius contrahêtium, ne sit in ejus arbitrio, an sit obligatus *L. In vendêtis 13. C. de contrah. empt.* Quòd si nominatus nolit aut non valeat æstimare, cõcidit cõtractus *Instit. sup. & L. fin. C. de contrah. empt.* Si malè arbitretur, per judicem reducetur ad arbitrium boni viri. Si nulla persona sit expressa, nulla est emptio ob incertitudinem. Quæ tamen cessat juxta communem sententiam (quæ & in foro obtinet, ac præsertim inter mercatores vigere dicitur) casu quo determinatio pretii committatur duobus peritis æstimatoribus utrimque eligendis; etsi nonnulli secùs sentiant.

7. *Quænam vendi possint.*

Materia hujus contractûs (sine qua ipse utique non subsistit) est quælibet res, quæ humano subjacet commercio, sitque pretio æstimabilis, nec specialiter prohibita est vendi; uti sunt bona tam mobilia, quàm immobilia, actiones. Immo & res futura, si postea extiterit: quæ conditio inest, sic ut aliàs venditio corruat tamquam ab initio nulla, si spes concepta sit ex causa merè naturali, uti contingit circa fructus agri vel fœtus armentorum. Si autem pendeat à causa fortuita, spes præsens vendi censetur, etsi nil sublequatur, v.g. si vendatur jactus retis, captus avium &c: etsi enim nil captum fuerit, pretium tamẽ solvendum est, nisi tamen per venditorem steterit *L. 8. ff. de contrah. Empt.* Verùm si emptor satis indicet, potest etiam loco mercis statuere non tam spem fortunæ, quàm res ipsas, v.g. emere dopisces qui capientur: è contrà emere solam præsentem spem casûs seu fructuum naturalium, sive hi sequantur, sive non.

*An etiam res futura.*

8. *Quæ vendi nequeant.*

Vendi autem non possunt ea, quæ sunt extra humanum commercium, uti sunt beneficia, resque aliæ spirituales; homo item liber, exceptis certis casibus. Ex constitutione quoque Juris Cæsarei vẽdi nequeunt officia civilia. De quo postea. Possunt præterea per statuta regionum quædam esse ordinationes circa venditionẽ mercium certis personis, aut in certis locis non faciendam. Rei alienæ Emptio-venditio non generat obligationem, si uterque sciat esse alienam, aut etiam si emptor: secùs si uterque vel emptor ignoret *L. 34. §. 2.* & præsertim *3. ff. de contrah. empt.* Nisi emptor gerat negotium domini, intendens ei restituere, mediante transactione super negotio gesto.

9. *Qui emere vendere possint.*

Contractum hunc inire possunt, qui dominium & administrationem rerum suarum habent, seclusâ speciali inhibitione, quæ Nonnullis in jure facta est. Sic tutor non potest emere bona pupilli, quemadmodum nec reliqui res, quas administrant, *L. 34. in fine, & L. 46. ff. de contrah. Empt.* nisi tutor palam & bonâ fide emat *L. 5. C. de contrah. Empt.* Et quamvis *Papon.* apud *Christinæum in consuet. Mechl. Tit. 7. art. 2. n. 5.* dicat semper præsumi fraudẽ, etiamsi cum decreto actum sit; ipse tamen *Christinæus* addit, scirẽ & vidisse se contrariam sentẽtiam in hisce regionibus passim, ut magis communem, in dubio servari, & quàm plurimis sententiis in judicio contradictorio confirmatam esse.

*Quandò tutor possit emere bona pupilli.*

An autem & quando sine consensu populi seu procerum possint Reges alienare bona & res regiæ dignitatis, vide apud *Covarruvias in C. Quamvis pactum parte 2. §. 2.* Et novissimè hanc materiam elucidat *Anselmo in Triboniano Belgico c. 23. §. 8. & seqq.*

*De alienatione Provinciarum vel domaniorum per Principes, remissivè.*

A reliquis contractibus, etiam onerosis, facilè est distinguere Emptionem-venditionem, qui vel non perficiuntur consensu, vel saltem non consistunt in commutatione mercis & pretii. Solùm difficultatem habere posset, quòd locatio-conductio conseri queat vera venditio, non quidem rei, sed usûs ejusdem. Sed quamvis à parte rei usus ibi vendi videatur pro pretio: quia tamen non ita usus, quàm ipsa res utenda est id, quod conceditur & proponitur in contractu, censetur esse ejusdem locatio. Ut taceam non necessariò semper intervenire juxta plures Doctores in locatione pecuniam numeratam. De qua postea.

10. *Quî differat hic contractus à reliquis.*

Dividi solet Emptio-venditio in œconomicam, quæ fit ad sublevandam necessitatem privatam: Politicam, quæ ad sublevandam necessitatem communem populi: & lucrativam, quâ aliquid emitur, ut in eadem substantia cariùs vendatur; eaque est propriè negotiatio. Quæ tamen generaliter etiam complectitur aliam lucrosam permutationem rerum, eò quòd mercatores quoque mediantibus aliis permutationibus, puta cambiis, negotientur & lucrum captent. Estque negotiatio per se licita, immo si lucrum intentum referatur ad honestam

11. *Quotuplex venditio.*

*Quid negotiatio.*

*An licita.*

stam vitæ sustentationem, bonum reipublicæ, aliumve honestum finem, erit bona, suppolitâ semper æquitate ipsius lucri; quæ in variis titulis fundari potest.

12. *Qualiter clericis & monachis interdicta.*

Nihilominus monachis & clericis, qui sacris sunt initiati (plerique Doctores cum *Lugo d.26. sect.3. n. 26.* his accensent provisos de sufficienti beneficio, quorum mercatorii conquæstus idcirco post mortem cedunt spolio juxta Bullas Pontificias, secùs quam patrimonialia aut aliàs justè acquisita) interdictum est per se negotiari, in pluribus canonibus, quos renovat *Tridentinum sess.22.c.1.de reform.* idque sub excommunicatione (ut patet c. 6. *Ne clerici vel monachi*) etsi ferendæ sententiæ. Ut ex gravitate pœnæ, gravitatem culpæ colligant plerique Doctores contra *Caietanum* & quosdam alios existimantes prærequiri monitionem, aut aliàs contemptum vel scandalum. Quia tamen canones loquuntur de exercente negotiationem (quod frequentiam denotat) notant Doctores passim, non fore grave, si ex occasione interdum unus vel alter actus negotiationis fiat. Ratio autem præcepti est, quòd dare se hujusmodi quæstibus sit indecens tali statui, & avertat à functionibus illum magis seu propriè concernentibus, subsintque frequenter periculo variorum peccatorum.

13. *Quæ actiones affines sint iisdem permissæ aut interdictæ.*

Nihilominus prædictos excusat gravis necessitas, puta si aliter sustentari nequeant. Deinde licitè aliqua sine intentione quæstum faciendi empta, postmodum incidente occasione vendunt, etsi cum lucro. Præterea licitum est prædictis emere materiam, ex qua conficiant artefactum, postea vendendum: hoc enim non est negotiari, sed exercere opificium, quod & apud veteres Monachos usitatum fuit ac laudatum, ut sibi suisque inde victum compararent. Immo in Paulo Apostolo præcessit exemplum *Act. 18. & 20.* Insuper eis prohibitum non est proprios agros colere, pecora in suis prædiis alere, & eorum fructibus, utì & ex pecorum jam saginatorum venditione quæstum facere. Quamvis juxta Doctores communiter illicitè ad id prædia aliena conducant: quod etsi non sit propriè negotiari, tamen inhibetur in c. *Pervenit* ex *Concilio Carthaginensi I.* & c. *Placuit* ex *Concilio Carthaginensi III. 21. q. 3.* Denique admittunt Doctores licitum esse prædictis negotiari per alias personas; v.g. habendo pecuniam depositam in societate mercatorum; adeoque verba stricte volunt esse intelligenda de negotiantibus per se vel per famulos conductos, sic ut ipsis clericis pondus sollicitudinis incumbat: accedente eo, quòd ratio prohibitionis potissima ibi cesset, sollicitudo videlicet avertens ab officio proprio statui.

*An possint negotiari per alios.*

## QUÆSTIO II.

### *Quo Pretio res vendi possint?*

14. *Pretium aliud legitimum, aliud vulgare.*

SUPPONO Pretium aliud esse legitimum, quod lege seu decreto Principis aut reipublicæ statuitur: aliud vulgare seu naturale, quod sine hujusmodi decreto cõmuni æstimatione populi seu peritorum spectatis circumstantiis constituitur. Inter utrumque hæc est differentia, quod legitimum consistat in indivisibili, vulgare habeat gradus, summum, medium, & infimum; sic ut si medium sit v.g. decem, supremum justum sit undecim cum medio, infimum verò octo cum medio, vel circiter. In quo vix potest aliud certi statui, quàm quòd spectetur, quid passim fiat, seu quo pretio res aliqua apud partem notabilem emi aut vendi possit: diversi enim diversimodè eamdem rem æstimant etiam in iisdem circumstantiis. Soletque in rebus, quæ majoris sunt momenti, rariusque venduntur, esse plerumque non parva inæqualitas pretiorum. Immo etiam ex diverso vendendi modo diversum sæpè oritur pretium: & in quolibet videndum, quo pretio res hujusmodi sine dolo seu fraude apud plures emi aut vendi possint seu soleant, puta sive in auctionibus, sive in officinis, sive in grosso seu magna quantitate, sive minutatim.

*Hoc habet gradus, summum, medium, & infimum.*

*Qualiter de his judicandum.*

*Qui attendendus modus vendendi.*

15. *Merces ultroneæ qui vilescant.*

Sic enim merces ultroneæ, seu quarum emptor quæritur, censentur vilescere, & quidem juxta vulgatum apud plures Doctores Proverbium ad tertiam partem pretii (quod tamen satis generaliter prolatum videtur) præ iis, quæ sunt in manu periti mercatoris. Quo fit, ut in simili eventu, dum à consueto pretio in casu emendi & vendendi modo non receditur, esto recedatur à pretio aliàs communi apud mercatores, & in ordinario eorum vendendi modo, pretium non sit censendum injustum, ut cum *Caietano, Joanne Medina, Soto, Navarro, Covarruvias* tradit *Molina Tr.2.d. 348.* & alii passim. Quamvis fateatur *Lessius c.21.dub.4.n.25. Lugo d.26.s.4.n.44.* & alii, posse ultroneos vēditores exigere ordinarium pretiū, utpote justum; etsi alioquin non subeant labores & molestias, quas ij, qui sunt ex officio mercatores. Quemadmodum & ij, qui vectigal defraudarunt, adeoque expensas illius non sustinuerunt, pretium ordinarium exigere posse censentur.

16. *In subhastationibus quodnam justum pretium.*

Similiter in subhastatione seu auctione publica frequenter pretium est multo vilius infimo, aut carius summo, spectato appetitu & copiâ vel raritate emptorum. Unde in tali vendendi modo, seclusâ utrimque fraude, excedi posse usque ad medietatem justi alioquin pretii, v.g. ut quod valet centum ematur quinquaginta, aut vendatur centum quinquaginta, censet *Molina*,

*Molina*, *Diana* & alii passim. Pretium enim istud est velut extraordinarium, & utrimque fortuitum; tacitèque saltem probatum à republica, communi usu & pari consensu. Esto respublica non approbaret læsionem ultra dimidium; quo casu aliàs, & juxta quosdam etiam hîc concedit rescissionem. Tametsi Varii cum *Lessio*, & *Bonacina d. 3. de contract. q. 2. p. 4. n. 21.* putent excessum quemlibet, seclusâ fraude, utrimque condonari. Fraudes porrò hæ vitandæ, occultatio vitii, subornatio fictorum licitatorum, qui augeant ultra pretium naturale, venditio ex industria facta à præcone absentibus emptoribus ut uni gratificetur, conspiratio opposita emptorum. Vide *Lugo disp. 26. sect. 4. n. 45.*

*Quid de mercibus minutatim venditis.*

Insuper modus vendendi merces minutatim generat aliam rationem pretii seu æstimationis; uti generalis usus seu praxis ostendit. Ubi tamen concurrit specialis labor in sic vendendo, periculum partialis saltem interitûs vel deteriorationis paulatim mercibus obrepentis.

17. *Pretium legitimum quando servandum.*

Dicendum in primis servari debere pretium legitimum justè taxatum in favorem illius, cui lex favet, quando merces non sunt notabiliter aliis meliores. Ratio est: quia respublica potest taxatione pretii legitimi præjudicare, & de facto præjudicat libertati privatorum ad petendum alioquin pretium aliquanto majus, præsertim in victualibus, ne monopoliis & oppressioni iniquæ porta pateat. Quamvis Respublica providere debeat, ut non taxetur pretium minus vulgari seu naturali justo, saltem infimo, si in gratiam emptorum (uti fit regulariter) vel majus summo, si in gratiam venditorum (uti fit in constitutione censuum) aliàs enim fieret injuria sive emptoribus, sive venditoribus respectivè. Unde si sit exorbitans à latitudine totius justi pretii naturalis, censent plures detrahi posse vel addi, quod excedit vel deficit. Nihilominus (ut notat *Lugo d. 26. sect. 5. num. 59.*) non obstante jacturâ aliqua privatorum posset respublica exigente ità bono communi in casu extraordinariæ necessitatis, v. g. obsidionis, ne oriatur periculum seditionis, taxare pretium annonæ infra justum infimum, quod aliàs ob parcitatem venditorum tali casu multum excresceret.

*Et in cujus favorem.*

Dixi *servari debere in favorem illius, cui favet lex.* Unde in emptione censuum, cùm legitima constitutio non possit esse infra nummum v. g. decimum sextum, idque in gratiam venditorum, nequit creari ad nummum decimũ quartum, bene tamen ad decimum octavum vel vigesimum. E contrà si pretium legitimum modii frumenti sit vulgare medium, non potest quidem pluris vendi, potest tamen vẽdi minoris, infimo scilicet pretio vulgari. Estque id ordinarium: cùm taxetur ordinariè pretium, nẽ in illo excedatur, non autem ut non infrà descendatur.

*Quando non.*

Dixi etiam, *quando merces non sunt notabiliter aliis meliores*: eas enim vendens potest plus exigere, spectatâ æquitate. Sicut etiam posset iis de industria miscere viliores, quousque redigantur ad statum & qualitatem ordinariarum mercium, v. g. temperando vinum generosissimum alio tenui: uti cum *Lessio c. 21. dub. 11. n. 83.* docet *Lugo sup. n. 68.*

18. *Vulgare quando servandum.*

Dicendum II. Quando non est pretium lege taxatum, exigi nequit majus summo, aut dari minus infimo: aliàs enim deesset æqualitas inter mercem & pretium. Deinde emptor non posset in similibus circumstantiis mercem tanti vendere, neque venditor tam vili pretio similem venalem reperire.

*Læsio etiam modica est injusta & restitutioni obnoxia.*

Si sit læsio intra dimidium justi pretii, subest in lædente peccatum, & quidem juxta certam & communem Doctorum sententiam cum obligatione restituendi (etsi ad hanc negandam inclinet *Gerson Tr. de Contract. p. 2. prop. 1.*) quæ fundatur in lege justitiæ exigente reparationem inæqualitatis. Et, ut regula Juris habet, nemo cum alterius detrimento est locupletandus. Leges, quæ in oppositum citantur, non concedunt probando, sed permittendo tamquam licitum impunè, seu non puniendo in foro externo deceptionem leviorem. Quæ si adeò exigua foret, ut additis conjecturis censeri possit condonari, jam cessat injuria. Aliàs locum habet quod dixit Apostolus 1. *Thessal.* 4. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum. Quoniam vindex est dominus de his omnibus.*

19. *In foro externo datur actio deceptis ultra dimidium.*

In foro tamen externo regulariter non datur actio læsis intra dimidium justi pretii, idque etiam de Jure Canonico, ut constat ex c. *Cùm dilecti*, & c. *Cùm causa*, de *Empt. & vendit.* Læsis autem amplius datur actio ex *L. 2. C. de rescind. vendit.* ubi etsi sit casus decepti venditoris, idem tamen communi sententiâ est de emptore. Censetur porrò talis læsio; in venditore quidem juxta omnes, quando res valens 100. venditur infra 50. in emptore verò consequenter cum proportione, quando illa emitur ultra 150. ut similiter habet communis sententia contra Nonnullos existimantes requiri excessum ultra 200. Ratio est: quia inter emptorem & venditorem est servanda æqualitas, quæ aliàs (ut patet) non servaretur. Deinde emptor sic esset læsus, non solùm ultra dimidium, sed in duplo. Itaque etsi centum sint tantum dimidium ducentorum, tamen centũ quinquaginta duo sunt justum pretium, & insuper plusquam dimidium ejusdem. Debet tamen respectu venditoris computari læsio infra dimidium justi pretii infimi, & respectu emptoris ultra dimidium justi

*Quando censeatur talis deceptio.*

pretii

pretii summi (si de vulgari sermo sit) quod enim intra latitudinem totam justi pretii est, non censetur læsio.

*Quamdiu duret hæc actio ex jure & moribus.*

Duratque hæc actio personalis ex parte læsi inspecto jure communi triginta annis *L. Sicut in rem C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum*. Etsi in variis regnis sit tempus restrictum: in Lusitania quidem ad quindecim, in Castella ad quatuor, in Gallia ad decem, ut refert *Castro Palao infrà §.* 15. Similiter restrictio ad decennium facta est pro Belgio per Edictum Principum anno 1611. Plura de hac materia vide apud *Castro Palao p.* 17. *per* 15. *Paragraphos.*

20. *An titulus augēdi pretii sit damnum venditoris præteritum.*

Ex præmissa assertione sequitur non excusari in stipulatione excessivi pretii ab injustitia venditorem ratione damni, quod in anteriori mercium emptione aut vectura est passus v.g. ab hostibus, latronibus, periculis maris &c. quod utique communicari non debet emptoribus cum eorum gravamine. Quamvis fieri posset, ut generalius aliquod onus vel damnum, quatenus causaret mercium raritatem aut eas communiter afficeret, augeret similiter earumdem pretium. Similiter non excusat peculiaris propensio, utilitas aut necessitas emptoris: quæ dum non est communis, non auget utique communem rei æstimationem seu pretium. Estque etiam utilitas propria ipsi emptori. Nullus autem vendere potest quod suum non est. Qua in re frequenter peccatur. Etsi communis utilitas rei, v. g. idoneitas loci, ad quæstum seu mercaturam, reddat illam communi æstimatione cariorem.

*An propensio aut utilitas emptoris.*

21. *An hic sciēs excessū censeatur condonare.*

Quòd si tamen emptor sciens excessum injustum pretii, mercem nihilominus habere velit, nullo metu aut necessitate adactus, censet *Navarrus, Saa, Molina*, & alii apud *Diana p.* 5. *Tr.* 14. *Resol.* 39. præsumi posse, quòd velit donare excessum pretii; secùs si ex necessitate. Verùm & aliàs id generaliter non videtur verùm: cùm sæpè det emptor excessum, sive ex affectu speciali erga mercem, sive quia vult evitare molestiam licitandi, animo emendi, non donandi: sicut qui ut evadat molestiam mutuantis, stipulatur usuras. Tametsi interdum videatur ex peculiaribus conjecturis præsumi posse donatio, attentâ magnificentiâ emptoris, amicitiâ vel consanguinitate venditoris, aliisque circumstantiis seu signis.

22. *Quibus de causis possit res vendi pluris, quàm valeat.*

Potest nihilominus res vendi pluris, quàm valeat, si multùm interfit venditoris illam retinere, nec tamen eâ emptor carere possit: potest enim venditor se servare indemnem. Immo huc referunt *Joannes Medina, Navarrus, Bonacina d.* 3. *de contract. quæst.* 2. *p.* 4. *n.* 15. & plures alii, specialem venditoris erga rem, v. g. à parentibus relictam, affectum, ac de ea delectationem, quâ se privet in gratiam emptoris; hoc saltem monito de augmento pretii, qui fortè alibi minori pretio comparare posset rem sibi æquè utilem. Idque locum habet juxta *Bonacina*, etsi pretium foret à lege taxatum, utpote in cujus taxatione non fuit habita ratio damni aut incommodi specialis obvenientis venditori ex carentia rei. Unde etiam si rem erat servaturus in aliud tempus, quo pluris erat valitura, potest hoc damnum æstimare, ut patet ex c. *In civitate* & c. *Naviganti, de Usuris*, detractâ æstimatione custodiæ, periculi, deteriorationis mercis. Vide *Bonacina d.* 3. *de contract. q.* 2. *p.* 4.

23. *An ob dilatam solutionem possis res carius vendi.*

Quæri specialiter solet, an liceat augere pretium, si res vendatur creditò seu dilatâ solutione? Et quidem constat posse, intra latitudinem pretii justi manendo, exigi summum. At non posse idcirco præcisè ultra summum pretium vendi, est communis Doctorum sententia; quæ apertè patet ex c. *Consuluit, de Usuris*. Ibi enim intervenit implicitum mutuum pecuniæ creditæ, adeoque lucrum usurarium, si alii tituli desint. Nihilominus possunt concurrere, & plerumque concurrunt alii tituli justificantes, dum tamen non nimiùm æstimentur, puta periculum non obtinendi in toto vel in parte solutionem, vel non nisi cum difficultatibus & expensis; lucrum cessans, quia videlicet mercatores pecuniam præsentem mox ad quæstum applicarent, non sinendo esse otiosam, debitaque contracta, unde interesse pendunt, solverent, &c. Accedit, quòd modus creditò vendendi soleat augere commune pretium, saltem in tali vendendi modo, quatenus auget numerum & appetitum emptorum: uti patet, dum merces ex India seu aliis longinquis partibus in magna quantitate simul ad Emporia veniunt, & mox credito in varios mercatores distrahuntur: id enim scientes emptores in majori copia accurrunt, quàm si paratâ pecuniâ venderentur.

24. *An minori pretio ob anticipatam solutionem.*

Simili ratione solent in emptione, quæ pretio minori, quàm sit infimum, fit anticipatâ solutione, estque adeò implicitum mutuum, plerumque concurrere alii tituli excusantes ab injustitia, quæ alioquin inesset, veluti in palliata usura. Addit *Lessius c.* 21. *dub.* 7. merces non præsentes neque paratas communi judicio minùs valere. Quod tamen improbat *Wiggers c.* 5. *dub.* 8. si seponantur alii tituli, quòd scilicet hujusmodi merces soleant esse diversis periculis obnoxiæ, & emptoribus adducere incommoda.

25. *An obligationes possint emi minoris, quàm sit capitalis.*

Quæri etiam posset an chirographa seu obligationes possint emi minoris, quàm sit summa capitalis? Resp. Aff. ordinariè loquendo, ob dubietatem & difficultatem solutionis; similesque titulos ordinariè hujusmodi annexos, quanti minoris prudentum judicio idcirco veniunt æstimanda.

manda. Secùs est juxta communiorem & veriorem (teste *Maldero Tr. 5. c. 2. dub. 5.*) Doctorum sententiam, contra *Cajetanum* & nonnullos alios, si omnia incommoda absint; cùm ibi involvatur implicitum mutuum, nec appareat prætextus emendi minoris, quàm dilata solutio debiti empti; quâ ratione etiam mutuans prætendere poterit, actionem suam in mutuatarium minùs valere, quàm id quod ei in paratis præstitit.

26. *Quid censendum de librantiis militaribus.*

Quantum ad chirographa seu librantias militares, consentiunt quidem Doctores, non posse pretio diminuto, puta circa vel infra dimidium, emi ab iis, qui sunt causa difficilis solutionis, quibusque ex officio incumbit solutio, uti sunt interdum officiales & quæstores Principum. Alii tamen ordinariè eas sic emere possunt, juxta Doctores communiter. Quòd si verò quis ratione specialis gratiæ aut necessitudinis cum Principe vel ministris foret securus de solutione facilè obtinenda, adhuc videtur juxta *Molinam, Lessium* & alios posse ab illo hujusmodi chirographa emi minoris: eò quòd dum venalia proponuntur, pretium illorum pendeat non ex commodo particulari unius, sed ex communi æstimatione, quâ æstimantur, si in publico foro venderentur: esto venditores non teneantur attendere difficultatem solutionis, adeoque possint tanti vendere, quantum offertur sublato dolo, ut habet consuetudo. Nihilominus oppositum satis probabiliter tradit *Malderus sup. Wiggers Tr. 5. c. 5. dub. 9.* & alii. Etsi per modum donationis remuneratoriæ non rarò concedatur lucrum inde proveniens, præsertim cum aliàs non sit spes aliquid obtinendi, neque alter obligetur operam & authoritatem suam interponere. Aliàs non parum urgent hîc, quæ ex communi sententia præmissa sunt *num. præced.* Vide *Wiggers.*

27. *Quando vendēs rem nomine alterius designato pretio, possit superfluum retinere.*

Quæritur denique an famulus, seu qui rem nomine alterius designato pretio vendendam aut emendam suscipit, possit incrementum aut decrementum ejusdem sibi retinere? Resp. Dubium non esse, quin possit, si dominus satis apertè significet se residuum dandi vel accipiendi pretii, aliquin justi, ei cedere. Quod censetur tacitè facere juxta *Conradum, Navarrum* & alios; quos refert & sequitur *Castro Palao d. 5. p. 16.* qui commissionem dat proxenetæ, nullo alio ei assignato aut dato stipendio laboris ac diligentiæ; nisi fortè excessus esset exorbitans pretium diligentiæ. Quod etiam cessat, ubi proxenetæ sciunt seu habent determinatas suas provisiones, uti vocant.

*Quando non possit.*

Aliàs autem non potest id fieri, non solùm si dominus commiserit, ut res vendatur quanti potest, vel nullum pretium designaverit; sed etiam si simpliciter commiserit rem vendi designato pretio. Designatio enim ista pretii solùm facta est, ne res vendatur infrà: adeòque non est titulus, quo excessus justè retineri posset. Confirmatur: quia vel tenebatur alter ad istud officium præstandum vi stipulatûs, & sic patet non esse rationem retinendi excessum: vel non tenebatur. Et tunc si gratis se istud præstare significaverit, non est locus compensationi; quæ non datur, ubi debitum justitiæ non intercedit; sed solùm manet in altero obligatio gratitudinis. Si animo obtinendæ satisfactionis officium esset præstitum & acceptum, adhuc non patet via occultæ compensationi, dum potes ratione gesti negotii urgere & obtinere solutionem.

28. *Considerātio Lessii expenditur.*

Non etiam facilè usuvenire potest, quod habet *Lessius c. 21. dub. 19.* posse famulum sibi rem emere designato pretio, dein alteri cariùs vendere suo nomine. Nam diligentiam oportebat ab eo præmitti in alio emptore quærendo, qui plus offerret, eique res venderetur, ne infideliter negotium domini agere convincatur. Quem si invenire non potuit, non est verisimile, quòd vellet eam sibi emere, qui proinde ex propriis solvere domino deberet, & periculum totum rei, si interim quocumque casu pereat, in se suscipere. Unde quando non constat de hujusmodi intentione, aut de alia expressa voluntate emendi sibi, censendum est eam non adfuisse.

Faciliùs tamen posset id habere locum in casu, quo commissione factâ de re certo loco vendenda, famulus eam sibi emeret pretio ab aliis oblato, dein ad alium locum transferret, ibidem cariùs venditurus. Quo casu etiam citra hanc viam juxta plures Doctores locus esset pretio industriæ singularis, quæ patiatur compensationem sedignam, uti observat *Navarrus, Ledesma, Saa, Molina, Salas*, prout refert & sequitur *Castro Palao sup.*

Eadem est ratio de commissa alteri emptione, sive non determinato pretio, sive etiam certo designato, sed ultra quod non procedatur; nisi fortè concurrat titulus specialis industriæ.

29. *Conformiter procedendum in commissa alteri emptione. Casus concernens Proxenetas expenditur.*

Huc spectat casus non ratus apud sartores, quibus v. g. pannus committitur emendus: hos enim moralem oportet præstare diligentiam, ut quoad fieri potest, viliùs emant, neque decrementum pretii sibi retinere possunt. Quòd si verò sincerè procedant, quasi in proprio negotio, & mercator in gratiam eorum, quòd ipsius officinam frequentent, partem pretii remittat, eamque se iisdem donare affirmet, possunt quidem spectato rigore justitiæ id sibi retinere. In praxi tamen id plerumque periculosum & difficile est, ut notat *Molina d. 363.* eò quòd plerumque possent alibi simili pretio emere, quodque non rarò

rarò ista condonatio eis præsitetur, ne nimium licitentur, sed facilè conveniant de pretio, spe lucri donandi: qui proinde liberaliùs de alieno solvunt, quod ipsis postea donetur.

30. *Æstimatio seu pretium mercium, unde crescat.*

Dicendum III. Æstimatio seu pretium mercium crescit primò, ex parte ipsius pecuniæ, dum scilicet est illius abundantia, quæ eam facit viliorem, & consequenter ut plus debeat pecuniæ pro merce (cujus alioqui in propriè valorem non auget) dari. Unde pro eodem summo plus mercium accipitur, ubi est pecuniæ raritas, quàm ubi abundantia. Secundò ex parte ipsarum mercium crescit pretium ob earum raritatem (quæ mater caritatis) junctam communi appetitui, seu copiæ emptorum, v. g. ob novitatem, antiquitatem, singularem bonitatem in ordine ad victum, ornatum vel delectationem: inde enim consequenter fit, ut simile pretium ab aliis recuperari queat. Sicut è contrà vilitatem pretii inducit mercium abundantia, & emptorum raritas, seu non appetitus.

31. *Res valdè rara quo pretio vendi queant.*

Petes, an res valdè raræ, ut sunt quædam gemmæ, antiquæ statuæ seu picturæ, falcones singulariter edocti &c. possint vendi, quanti æstimare vult venditor, & offerre emptor ad delitias seu curiositatem comparare volens? Affirmant multi gravissimi Doctores signanter *Sotus*, *Saa*, *Valentia*, *Reginaldus* quos citat & sequitur *Diana P. 1. Tr. 8. Resol. 56.* & plures alii. Fundamentum est, quòd res istæ carere videantur determinato aliquo pretio, sive legitimo, sive vulgari, adeoque relictum appareat æstimationi contrahentium. Sic ut maximè in his verificetur vulgatum illud (quod ex *L. 1. §. Si heres ad S.C. Trebellian.* circumferri solet) *Tantum valet res, quantum vendi potest.* Verùm etsi pretium istarum rerum habeat latitudinem valdè magnam, ideoque non facilè damnandum sit de iniustitia (quod etiam locum habet in fructibus valdè præcocibus per specialem industriam procuratis) indubiè tamen non habet latitudinem infinitam, ut proinde multè omnem rei æstimabilitatem excederet, qui pro flore v. g. rariori integrum regnum offerret. Quocirca *Molina*, *Malderus*, *Lessius*, *Lugo* & alii passim censent similium rerum pretium esse desumendum ab æstimatione, quæ circa tales res, consideratâ raritate & aliis circumstantiis habetur ab iis, qui similes emere & tractare solent, & absque exorbitanti passione procedunt; sic ut illud ipsum censendum sit justum: quo proinde emptor putatur mercem emptam rursum posse revendere.

## QUÆSTIO III.

### *An Vitium Mercis à Venditore, & valor ab emptore sint aperiendâ?*

32. *Vitium substantiale est manifestandum.*

CONSTAT vitium afficiens ipsam rei substantiam moraliter spectatam esse manifestandum: aliàs enim vitiatur seu nullus est contractus. Varii tamen Doctores tenent, contractum fore validum & justum, quando una substantia venditur pro alia æquè bona & utili emptori ad finem suum. Similiter si vitium sit in quantitate, puta numero, pondere vel mensura; aut in qualitate, puta si pecus sit morbidum, vinum acescens seu fugiens &c. indubiè etiam committitur injustitia, si vendatur perinde ac si justa quantitas aut qualitas adesset: sic ut consequenter ad excrescentiam pretii restituendam venditor indubiè sit obligatus. Quod verum est, etsi ipse vitium ignoraverit; cùm nihilominus subsit materialis injustitia, post detectionem tollenda, in quantum pretium exstat, aut inde factus est ditior. Si tamen res fuerit bonâ fide vendita talis qualis fuerit, intimatâ emptori suspicione vitii & diminutò pro rata pretio, indubiè justus est contractus, & in debitâ æqualitate fundatus; eritque bona fortuna alterutrius, pout vitium subfuerit aut defuerit.

*Vitium in quantitate aut qualitate quid faciat contra ius injustum.*

*Quid si ignotum fuerit ipsi venditori.*

*Quodnam censeatur pretii mercis vitiosæ.*

Vitiosæ porrò mercis pretium, etsi occultum sit vitium, illud censetur, quo passim res vendi posset detecto vitio. Quare non licet pretio ordinario vendere creditum cujus debitor occultè non est solvendo: est enim gravissimum mercis vitium, quo detecto multò minoris venderetur. Creditum namque illud omni valore (qui ex ordine ad debitorem habentem unde solvat sumitur) privatum est, sic ut sit instar mercis intus marcidæ, & si secundum externam apparentiam probæ.

*An creditum occultè caducum possit ordinario pretio vendi.*

33. *Venditor mercis vitiosæ, etsi diminuto pretio, tenetur reparare damna secuta.*

Quòd si venditor conscius defectûs futuri noxii merces vendiderit, esto minori pretio, tenetur etiam ad reparationem damnorum ex re defectuosa emptori obvenientium, veluti eorumdem causa per injustam deceptionem. Idemque habetur *L. Julianus 13. ff. de act. Empti.* Hoc modo obligatur, si loco medicamenti præscripti vendat emortua, vel alia, ex quibus perseveret vel crebrat infirmitas: si vendat semina emortua, ex quibus non nascatur fructus sperati: si vendat equum defectuosum, ex quo retardatur non sine damno & expensis in persecutione cœpti itineris &c. Quod locum habet, etsi vitium satis pateat, dum tamen advertitur non sciri ab emptore. Hujusmodi quoque vitium generatim censetur, quando res est inutilis ad finem, ad quem emitur. Unde si emptor indicet se quærere vinum ad ser-

ad ſervandum, nequid vendi, triõ ſeu ante tempus corrũpendum: aliàs fallitur emptor à venditore, qui in talibus circũſtantijs ſatis ſignificat ſe tradere vinũ, quale petitur, adeoque emptori tenetur, quantum ejus intereſſet admonitum fuiſſe. Vide *L. Si vina 15. ff. de periculo & commodo rei venditæ*, & *L. 1. ff. de Edilitio edicto*. Ratio generalis eſt: quia cenſetur venditor iniqua cauſa damni, quod ex officio debebat impedire. Quare non ſufficit tantumdem de pretio rei detrahi, quanti minoris ob defectum valet; ut patet.

Aliud eſſet (ut ex *D. Thoma* notat *Viggert c. 5. dub. 6.*) ſi res ſibi non conveniens emptori conveniret, quaſi huic non deberet declarari defectus, diminuto proportionatè pretio, quod fortaſſe emptor cognito defectu vellet plus quàm rationabile eſt diminui. Idemque eſt juxta Nonnullos, ſi emptor fidens ſuæ induſtriæ, non explicet, ad quem uſum rem emere velit, ſolumque de pretio interroget; dummodo hoc cum proportione diminuatur, & poſt contractum cautus reddatur emptor contra periculum damni; etſi poſſet peccari contra charitatem.

34. *Quid cenſendum de vitijs manifeſtis.*

De vitijs manifeſtis minor eſt difficultas: cùm emptor ſuæ temeritati imputare debeat, ſi ea indagare neglexerit. Niſi fortè ſit adeò ſimplex, aut ſenſu externo orbatus, ut reſpectu illius vitium cenſeatur occultum. Semper tamen debet pretium ad æqualitatem defectus cujuſcũque diminui.

Similiter varii advertunt venditores, dummodo pretio proportionato vendant, excuſari ſæpe ab injuſtitia, ſi vitia non nocitura emptori pallient modo conſueto (utì ſolent merces meliores oculis emptorũ exponere) qui velutì ſatis notus, facit, ut vitiũ non ſit occultum, ſed facilè queat deprehendi ab emptore, qui proinde tenetur inquirere aut examinare. Idemque frequenter eſt de conſuetis, tum eorum, tum mentium mendacijs, dum hi ſe aliàs minoris emiſſe, iſti ſe ipſos pluris emiſſe aut alijs vendidiſſe affirmant; veluti quæ ſunt communiter nota eorumdem mendacia & ſtratagemata.

35. *An poſſint merces vẽdi pretio currenti, ſi ſecretò ſciatur brevì minuendum pretium.*

Solemnis difficultas eſt, an poſſit citra injuſtitiam res vendi pretio currenti, cujus pretium ſecretò ſcitur brevi minuendum, ſive per decretum, ſive ratione ſuperventuræ, aut in lucem proferendæ copiæ mercium. Dixi *ſecretò*: ſcientia enim publica eo ipſo cauſat diminutionem æſtimationis ſeu pretij; ſic ut conſequenter debeat diminui, etſi aliquis ſingularis emptor inſtantem copiam, ideoque diminutionem pretii ignoraret. De hac itaque difficultate varias ſententias refert *Lugo diſp. 26. ſect. 8. §. 2. n. 139.* Nos autem cum communiori & probabiliori opinione *D. Thomæ* & aliorum apud *Caſtro Palao d. 5. p. 15.* reſpondemus affirmativè. Nam nihilominus ſic venditur res juſto & vigente id temporis pretio per communem æſtimationem conſtituto, quam privata venditoris ſcientia non variat; utì nec variat privata ſcientia emptoris de imminente pretii augmento; qui proinde nihilominus rem pretio currenti juxta Doctores communiter poteſt emere, exemplo Patriarchæ *Joſeph Gen. 41.* coemens frumenta Ægypti ob imminentem ſterilitatem. Confirmatur: quia ignorans inſtantem diminutionem pretii juſtè & citra obligationem reſtituẽdi rem vendit pretio currente: ergo hoc pretium juſtum eſt, tantique valent merces ignorantis; quæ tamen ob ignorantiam non pluris valent, quàm merces alterius ſcientis imminentem eventum.

Reſolutio.

Nec obſtat, quòd communis hæc æſtimatio fundetur in errore ſeu ignorantia circumſtantiarum; quæ non facit juſtum pretium, ut patet in æſtimatione rei, occulto vitio ſubjectæ, quæ nihilominus vulgato pretio æſtimatur. Nam error in præſenti verſatur circa circumſtantiam mercibus extrinſecam; quæ illas non immutat, uti vitium rei intrinſecum. Aliàs enim, qui ignoranter vendidiſſet, teneretur ad reſtitutionem exceſſûs pretii, utì dum agnoſcitur occultus & rei venditæ intrinſecus defectus. Itaque in mutatione rei extrinſeca ad valorem ipſum, adeoque ad pretium vulgare rerum facit ſcientia publica, utì ad pretium legale ipſa lex. Ex quo fit, eas juſtè eo vendi, non quidem tamquam poſtea ſic valituras (quod plerumque eſt incertum, nec conſideratur, dum communiter neſcitur) ſed tamquam de facto ſic valentes. Propter quam ſcientiam publicam quoque fit, ut paſſim poſſint res ſimiles currenti pretio, utì emi, ſic & alijs rurſum vendi: quæ proinde tanti adhuc valent: ſicut propterea pecuniæ valor æſtimatur ex hoc, quod per illam comparari poſſint res humanis uſibus neceſſariæ. Itaque merces præſentes non ſunt viliores ob copiam ignotam, ne ipſi quidem tam occultè ſcienti; cum quidquam non ſit vilius, quoſque pro eo accipi poſſunt tot res neceſſariæ, quot antè. Quare ſicut privata ſcientia inſtantis inopiæ non facit illicitam venditionem ultra pretium currens; ſic nec oppoſita ſcientia copiæ vetat venditionem ſimiliter currenti pretio factam. Charitas nihilominus exigit, ut dum venditor abſque gravi ſeu pari damno proprio poteſt, caveat grave damnum emptoris, puta vendendo ea conſumpturis ante minutionem, vel diſtrahendo inter plures diverſos, nihilominus ab alijs empturos.

36. *Objectio principalis proponitur & ſolvitur.*

Prædicta extendunt Auctores, contra *Valentia diſp. 5. qu. 20. p. 4. in Reſponſ. ad quartum*, ad elocationem (utì ad conductionem) v.g. domûs, ſi æſtimatio ſit brevì minuenda ob diſceſſum aulæ ſecretò inſtantem.

37. *An idem dicendum ſit in materia elocationis.*

instantem. Pretium enim locationis attendi debet ex tempore locationis, non autem ex tempore subsequentis toto anno usûs: aliàs frequenter ratione futuri eventûs deberent locatores & conductores pretium postea minuere vel augere: esletque injusta à parte rei locatio, etsi ignarus eventus futuri pretio currente locasset aut conduxisset.

38. *An etiam in casu, quo diminutio nascetur ex decreto nondum publicato.*

Extendunt similiter ijdem Doctores prædictam doctrinam ob similem rationem præsentis & justi valoris ad casum, quo secretò scitur conditum vel imminens decretum, etsi non publicatum (quousque vi caret) de minuendo valore pecuniæ, quæ nihilominus juxta præsentem valorem distrahitur. Quod & ad ipsos Senatores extendit *Lugo sup. n.* 143. nisi casu, quo ex industria promulgationem differrent, donec ipsi eorumve amici pecunias majori valore distraxissent, idque ob potestatis ad bonum commune concessæ abusum (qui tunc subest) in præjudicium populi: cùm aliàs solùm sit usus scientiæ actusque prudentiæ œconomicæ, quæ spectat propria commoda.

*Idq. circa ipsos Senatores.*

39. *An venditor rogatus teneatur futuram mutationem indicare.*

Advertit denique *Lessius c.21.dub.5.n.43.* venditorem non solùm sponte, sed nec rogatum de futura mutatione teneri eam indicare, utpote cum suo præjudicio, adeoque dissimulare posse. Quamvis abstinere debeat à positiva deceptione, oppositum emptori ingerendo, sicque ad contractum ineundum movendo: tunc enim dolus dare videretur causam contractui, adeoque esset obligatio compensandi damnum seu interesse alterius. Idem est, si aliæ fraudes adhibeantur.

40. *Qualiter emptor teneatur indicare valorem mercis.*

Ad emptorem quod attinet, is injustè agit, si sciens merces esse integras & sinceras emat tamquam corruptas aut adulterinas, utpote emens infra justum pretium, quod proinde debet supplere usque ad æqualitatem. Similiter si venditor ignoret valorem seu præstantiam mercis, noverit autem emptor, tenetur hic præstantiam indicare, quæ in communi æstimatione augeat pretium, aut certè care pretium æquivalens. v.g. si rusticus vendat gemmam putans esse chrystallum. Unde graviter contra justitiam peccant aurifabri aut similes, qui simplicibus etiam interrogantibus non indicant veram rei æstimationem seu præstantiam; qui fit, ut viliùs longè illam vendant ipsis vel alijs.

41. *Quod diversimodè elucidatur.*

Nec sufficit, quod emptor moneat rusticum, ut diligenter attendat ad pretium, dicensque se velle emere tutâ conscientiâ, petat sibi donari excessum, si quis fortè sit in pretio; utì contra *Cajetanum* V. *Emptio* tradunt reliqui Doctores: tum quia non est in rustico voluntarium sufficiens ad donationem liberalem, veluti procedens ex errore, quo gemmam credit christallum: tum quia hoc ipso, quod donatio in pactum deducitur, non est liberalis; veluti si usurarius in pactum deduceret donationem lucri ultra sortem. Secùs esset, si utrimque re existente dubiâ, & æquali periculo res emeretur proportionato pretio talis, qualis est. Similiter etiam, si gemmæ in aliquibus locis sint vilis pretii, possunt indubiè ibi emi pretio currenti. Uti è contra, si res hîc vilioris pretii sint in majori longè pretio apud exteros, v.g. Indos, deberet venditor ignarus de pretio moneri, aut ei justum pretium secundùm æstimationem, quæ ibi est, dari. Si insuper virtus alicujus rei, v.g. lapidis, sit adeò occulta, ut etiam peritis, v.g. lapidarijs, vulgò non pateat, poterit emi secundùm communem æstimationem, quàm habeat apud eos, qui norunt speciem rei, v.g. lapidis: pretium enim ejusque augmentum sumitur ab æstimatione communi, attento usu ordinario rei. Idem est, si fasciculo herbarum mixtus sit flos aut herba pretiosa soli ementi aut paucis nota: secùs si pretium illius communiter noscceretur.

42. *Nota alia specialia circa emptorem in venditione ita ad mensuram ut ad corpus.*

Postremò, si res aliqua sit empta ad mensuram, v.g. si venditi sint decem modii frumenti & postea deprehendatur major quantitas, v.g. modii duodecim, debet restitui excessus, utpote non venditus, aut consentiente venditore suppleri pretium. Si res sit empta ad corpus, etsi additâ seu indicata simul mensurâ, v.g. vas vini, quod continet viginti amphoras, tota quidem censetur vendita, etsi major quantitas postea deprehendatur (quæ non fuit addita ad venditionem restringendam, sed rem venditam demonstrandam) *L. Qui fundum ff. de Evictionibus*: tenetur tamen emptor supplere pretium respondens quantitati repertæ, si retinere velit. De hoc duplici hoc modo vendendi fusè tractat *Molina Tr.* 2. *disp.* 367. ubì etiam notat referens se ad ostensa *disp.* 211. & 286. circa expressionem quantitatis in legatis & donationibus, quæ pendent ex sola liberalitate conferentis, largientem non solere innixi ejusmodi expressionibus quantitatum aut qualitatum rei, quam tribuit, quasi dependenter ab earum subsistentia subsistat aut concidat legatum vel donatio; adeoque meritò jus civile statuisse, ut in hujusmodi, quando aliud de voluntate legantis aut donantis apertè non constat, tales falsæ demonstrationes pro non appositis habeantur.

*An eadem locum habeant in donationibus & legatis.*

QUÆ-

## QUÆSTIO IV.

## De Monopolijs.

43. *Monopolium quid.*

MONOPOLII nomen importat unius seu solius venditionem. Inde monopolium dicitur propriè fieri, quando unus vel pauci efficiunt, quòd ipsi soli aliquod genus mercium vendant pretio, quo eis libuerit. Generaliùs autem complectitur quamvis industriam aut machinationem mercatorum, quâ efficiunt, ut vel ipsi soli aliquid vendant, vel ut vendant certo pretio. Gravissimeque monopolia vetuit Zeno Imperator *L. un. C. de Monopolijs*, sub pœna nimirum præscriptionis & privationis omnium bonorum.

*Quæ statuta adversus monopolia.*

Contra quæ etiam varia successivis temporibus prodierunt Edicta nostrorum Principum, quorum summa est, ut abstineatur ab omni specie commerciorum & conventionum, quæ monopoliorum rationem redoleant, adjunctâ pœnâ banni, confiscationis & correctionis arbitrariæ; ut videre est in *Cod. Belgico* V. *Monopolien*, & apud *Zyperum in Notit. juris Belg. Tit. de Monopolijs.*

44. *Monopolium ex indulto Principis quomodo licitum.*

Licitum tamen est Monopolium interdum ex indulto Principis, justa de causa (quæ in dubio præsumitur) concedentis uni privilegium certas merces invehendi aut distrahendi; prout & Bibliopolis ob expensas præli datur privilegium, ne alius imprimat, aut alibi impressa distrahat, ad certum tempus. Oporteret tamen Monopolis tunc præscribere pretium, ultra quod non ascendatur, saltem in mercibus vitæ humanæ necessarijs: etsi in iis, quæ ad luxum vel voluptatem spectant, nemoque emere cogitur, faciliùs relinqui posset taxatio eorum arbitrio.

45. *Quale Monopolium sit injustum.*

Illicitum autem in primis est Monopolium, quando Monopolæ conspirant in actum, quod independenter à monopolio excederet rigorosum justum (uti plerumque contingit) idque cum obligatione restituendi excessum, & quidem in solidum, juxta ordinem in præced. Tract. explicatum, si ex communi conspiratione, cujus singuli causa extent, damnum sequatur. Immo etiam juxta plerosque Doctores alii non participes nequeunt exigere pretium quatenus ita ex monopolio auctum, utpote injustum, neque ortum ab æstimatione communi, à qua pretium naturale taxatur.

46. *Quid si conspiratio solum sit de pretio rigoroso.*

Quòd si conspiratio sit de pretio aliquin justo, etsi summo, dubium est an sit peccatum contra justitiam; etsi plerique fateantur esse contra charitatem. Asserit *Conradus*, *Sotus*, *Navarrus*, *Medina* & alii, quos citat & sequitur *Castro Palao Herincx Sum. Theol. Pars III.* d. 5. p. 34. Nihilominus oppositum censent *Molina*, *Bannez*, *Petrus Navarra*, *Lessius*, *Lugo* & plures alii: eò quòd conventio ista non respiciat aliquod objectum injustum: ipsi enim conspirantes aut etiam alii non sunt ex justitia obligati vendere etiam pauperibus (erga quos faciliùs posset peccari contra charitatem) minoris, quam pretio rigoroso. Quare suadens alteri, ut sic tantùm vendat, non suadet aliquid agi injustè. Neque emptores habent jus emendi pretio infra summum, nisi dependenter à libera voluntate venditorum, qui supponuntur citra metum aut fraudem liberè id nolle. Quia tamen id graviter repugnat bono publico, estque injustitijs expositum, meritò hujusmodi machinationes severè per leges exterminantur. Ideoque *L. Un. C. de Monopolijs* illicitæ generatim dicuntur & decernuntur conventiones de non vendendo minoris, quàm ipsi monopolæ statuerint. Ex quo tamen frustra contendit *Castro Palao* suprà convinci oppositam sententiam.

47. *Quale censendum monopolium, si pauci merces coëmãt, ut postea pro arbitratu vendant.*

Secundo fit monopolium, quando unus vel pauci merces certi generis tempore abundantiæ v. g. frumenta tempore messis viliori pretio coemunt, ut postea cariùs pro arbitratu vendant. Quod, etsi servent limites justi pretii, repugnare justitiæ Doctores passim censent: eò quòd emptores sic cogantur ad augendum pretium, & tollatur è republica moderatum pretium, seu medium & infimum. Alii nihilominus cum *Molina disp.* 345. *Lessio c.* 21. *dub. ult. n.* 151. oppositum censent, immo *Castro Palao d.* 5. *p.* 34. *n.* 6. & 7. addit nullâ lege positivâ hanc conventionem seu emptionem & reservationem esse prohibitam, allegans exemplum Joseph Patriarchæ. Quod quidem verum est in casu quo emptio sit, ut merces postea moderato pretio distrahantur. Aliàs tamen modus iste est natus cedere in notabile gravamen reipublicæ. Quamvis difficulter appareat in eo injustitia strictè dicta: eò quòd nec peccetur contra illam merces emendo, utpote pretio currenti: nec etiam emptas retinendo vel supprimendo, eò quòd emptores non teneantur ex justitia vendere, sed possint consumere aut aliò mittere: nec denique respectu emptorum, qui non habent jus ad emendum, nisi pendens à libera voluntate dominorum, neque etiam ad emendum pretio infra summum, nisi cum simili dependentia. Immo copia suppressa, & passim ignota auget pretium justum, veluti pendens à communi scientia & æstimatione.

48. *Alia monopolii genera expenduntur.*

Tertiò, est monopolium injustum & restitutioni obnoxium, quando mercatores vi vel fraude impediunt, ne major copia mercium advehatur, ut ipsi merces suas cariùs vendant: sunt enim hi per injuriam causa damni, tum communitati

seu emptoribus, qui idcirco augere debent pretium: tum alijs mercatoribus, si quos per eamdem injuriam in venditione, adeoque in lucrando impediant. Secùs est, si precibus similive modo id faciant, suis commodis consulendo. E contrà emptores similiter contra justitiam peccant vi vel fraude impedientes abundantiam pecuniarum vel emptorum, ut ipsi minoris emant.

Denique (ut reliqua omittantur) Monopolium illicitum est, cùm artifices conspirant, ne opus ab uno inchoatum alter perficiat: vel cùm de certo locationis pretio conspirant. Quæ similiter cedunt in perniciem reipublicæ. Et generatim quælibet consentio mutua spectans proprium commodum cum detrimento seu pernicie reipublicæ illicita est, & nomine Monopolii venit intelligenda.

## QUÆSTIO V.

### *De periculo & commodo rei venditæ, pactisque apponi solitis.*

49. *Completâ per traditionem & translationem dominii venditione, periculum & commodum rei spectat ad emptorem. Immo jure communi etiam ante traditionem.*

EX valida & pura venditione constat nasci obligationem in venditore tradendi mercem, in emptore verò pretium; perfectaque & completâ per translationem dominii venditione, omne commodum & periculum, omnemque melioration̄em & pejorationem rei venditæ esse penes emptorem, veluti dominum. Priusquam verò res tradita sit, dominiumve transierit in emptorem, videri posset eam perire & pejorari, utì & meliorari venditori, veluti domino. Nihilominus jure civili statutum est, ut si res vendita, esto nondum tradita, sit determinata, v.g. hæc domus, hic equus &c. pereat vel pejoretur emptori, utì & incrementum ejus ad emptorem pertinet, *L. Id quod 7. ff. de periculo & commodo rei venditæ. L. 1. & 2. C. eod. & Instit. de Emp. & vendit. §. 3.* Et hæc juris constitutio est unica ratio conclusionis. Congruentia allegatur, quòd venditor solùm teneatur actione personali ad rem tradendam, quâ pereunte cessat ejus obligatio: emptor autem teneatur actione personali ad dendum pretium, si nondum solvit; quod cùm dare possit, non cessat ejus obligatio.

50. *Quamvis id Cujacio minùs æquum appareat.*

Id nihilominus *Cujacio* minùs æquum visum est, ut nempe venditor sit speciei debitor, cujus interitu liberetur, emptor verò debitor generis, quod non pereat. Existimat itaque rem quidem perire emptori, non etiam pretium, quod proinde non teneatur solvere, vel quòd possit solutum repetere. Pro qua sententia in Curia Hollandiæ judicatum refertur, nempe quòd periculum rei immobilis venditæ ante traditionem seu adheredationem spectet ad venditorem, idque vigore Constitutionis Carolinæ de adheredatione ad translationem dominii requisita, de qua aliàs egimus. Ita refert *Val. Andr. ad Instit. de Empt. & vendit. in addit. n.* 10. existimans id non alienum à jure naturæ seu Gentium, nec ubique servari commentum juris civilis.

51. *Excipiuntur nonnulli casus.*

Excipiuntur autem secundum jus commune nonnulli casus. Primus, si aliud inter partes expressè conventum sit. *L. Si in venditione ff. de peric. & commodo rei venditæ.* Secundus, si venditor fuit in mora tradendi rem venditam *L. Illud sciendum ff. eod.* Tertius, si culpâ venditoris res perijt vel pejorata est, *L. Quod sæpe §. Si res ff. de Contrah. empt.* Quartus, si res ante traditionem fuerit confiscata ob delictum venditoris, *L. Si fundus ff. Locati.* Quintus, si venditor affirmaverit rem diutiùs posse reservari, & tamen corrumpatur ante traditionem: vel etsi non affirmarit, sciens tamen rem non duraturam, non admonuit emptorem; cui tunc venditor obligatur, quantum ejus intererat admonitum fuisse, *L. Si vina ff. de peric. & commodo rei venditæ.*

52. *Quid si res vendita non sit determinata.*

Præmissa insuper expressè dicta sunt de re vendita, quæ sit determinata: indeterminata enim, v.g. decem modii ex granario, vel solùm determinata ad mensuram, v. g. totus acervus tritici pro floreno in singulas mensuras, perit venditori; ut ex juribus colligitur, signanter *L. Quod sæpe ff. de contrah. empt.* Congruentia est, quòd venditio rei confusæ (quæ eatenus confusè & imperfectè cognoscitur) videatur solùm inchoata, perficienda, cùm res fuerit determinata. Si autem non quidem pereat, sed solùm pejoretur, atque absque culpa venditoris, hujusmodi incommodum, utì oppositum commodum, est emptoris; qui utique emit rem, prout erit tempore traditionis, exponens se fortuitis eventibus, tum favorabilibus, tum damnosis. Quod manifestius est in extrinseca deterioratione vel melioratione, quantum ad decrementum vel accrementum pretii. Vide *Lessium c. 21. dub. 12.*

53. *Ad quem pertineant fructus præsertim ante persolutum pretium.*

Ad fructus rei venditæ quod spectat, si de iis aliud conventum non sit, pendentes sunt emptoris, tum immaturi, tum maturi, qui, velut accessorii & pars rei venditæ, censentur unà cum re ipsi empti. Qui autem post venditionem nascuntur, si similiter aliud non sit in pactum deductum debentur emptori, utì res ipsa. Intellige, si venditio fuerit perfecta: secùs si venditor eatam esse noluerit ante persolutum pretium; quando etiam penes illum manet periculum rei venditæ. Item si tantisper noluerit rem esse venditam, sed locatam. Immo si venditio perfecta quidem, non tamen completa sit per solutionem pretii, vel fides non sit habita de pretio, fructus producendos

ducendos pertinere ad venditionem, tradit *Covarruvias* & plures alii præsertim Juristæ. Verum contrarium docent Theologi communiùs : eò quòd sicut rei interitus, sic & commodum spectare debeat ad emptorem ; quodque utì res, sic & fructus rei accessorius debeatur eidem. Si tamen emptor sit in mora solvendi, reparandum est venditori interesse, quod inde patitur conceduntque leges civiles loco fructuum usuras interim pretii non soluti. Quas quidem *Molina Tr. 2. d. 368.* & plures alii censent non esse fœneratorias, sed compensatorias. Quod refutat *Castro Palao d. 5. p. 26. n. 8.* addens *n. 9.* leges istas ab usura excusari ( si tamen excusandæ sint ) quòd sic puniant morosum solutorem, qui proinde ante condemnationem judicis non teneatur. Non tamen posset juxta Doctores passim contra *Molina*, *Covarruvias* & quosdam alios in pactum deduci annua pensio interim solvenda seclusis titulis, qui justificant mutuum cùm auctario supra sortem : etsi ponet venditor pacisci, ut donec pretium solvatur, illud emptor accipiat in censum constitutum super fundum. Ratio est: quia pensio ista exigeretur ob dilatam pretii solutionem, adeoque vi mutui. Et quamvis leges concedant usuras pretii in pœnam moræ culpabilis emptoris ; hæc tamen pœna cessat, cùm venditor liberè dilationi consentit.

54. *Quid censendum de venditione conditionata.*

Nunc de venditione conditionata, pactisque seu modis quibusdam vestitâ, restant nonnulla dicenda. Notorium quippe est Emptionem-venditionem iniri posse, non solùm purè, sed & sub conditione, aut pactis varijs adjectis, dum tamen justis. Conditio itaque cùm usque ad illius eventum suspendat valorem contractûs, constat consequenter periculum interitûs rei venditæ eò usque spectare ad venditorem. Si pendente conditione res melioretur vel pejoretur, totum hoc spectat ad Emptorem, conditione impletâ. Idem est, si vendat quis rem mensurandam vel gustandam, eò quòd censeatur vendere sub tacita conditione mensurationis vel gustationis, ac proinde tamquam de re sub conditione venditâ agi oporteat.

55. *In pactis venditioni adjectis quid generatim observandum.*

De pactis alijs venditioni puræ adjici solitis paucis agendum restat. Circa quæ id generatim observandum, quòd ut licitè apponantur, necesse sit tantum addi vel demi de pretio, quanto pluris vel minoris res tali pacto adjecto valet. Quod rursum pendet à favore, qui uni parti, & gravamine, quod alteri inde præstatur.

56. *Quid pactum addictionis in diem.*

Inter cetera primo loco occurrit pactum addictionis in diem, hoc est, adjectum taliter, ut si intra certum tempus alius meliorem conditionem obtulerit, res sit inempta. Cujus forma refertur *L. 1. ff. de in diem addictione.* Diciturque eadem res addicta in diem, seu constituta penes primum emptorem ; si interim conditio melior non occurrerit. Quòd si alius adjiciat, id est, meliorem conditionem seu incrementum pretii offerat huic potest addici res, dummodo tota, arbitrio venditoris, in cujus utique favorem hoc pactum fuit adjectum ? ut proinde possit, si velit, meliorem conditionem abjicere, seu ex toto, utì necessarium foret, cessare, & retinere primum emptorem. Qui tamen eâ semel admissâ, liberatus est, etsi posterior non foret solvendo. Quamvis etiam primus emptor, si licitando plus adjecerit, potior sit *L. 7. ff. eod.* Quod ipsum debet eidem offerri *L. 8. eod.* Sic tamen ut & in venditoris arbitrio sit, jus adjectionem abjicere *L. 9. eod.* Periculum & commodum rei sic venditæ est interim penes emptorem : cùm contractus fuerit absolutus, etsi sub lege, ut resolvatur, resque fiat emptoris, ac si numquam fuisset initus, adeoque & sine nova traditione, eo ipso, quòd intra tempus determinatum referenti meliorem conditionem fiat addictio. Immo & fructus interea percepti ab emptore redeunt ad venditorem, compensatis ab eo expensis, *L. 6. ff. eod.* Non autem sequuntur secundum emptorem *L. 6. cit. & 16. eod.*

*Penes quem sit periculum & commodum rei sic venditæ.*

Ex arbitrio autem contrahentium posset iniri venditio non quidem purè & absolutè, resolvenda sub conditione præmissâ, utì *L. 1. cit.* sed potiùs perficienda sub conditione, si intra certum tempus melior non fuerit oblata conditio. De quo nil speciale dicendum restat.

57. *Quid Pactum commissorium, & quis ejus effectus.*

Aliud Pactum adjici solitum est Commissorium ( quod vulgò Pactum Legis Commissoriæ, potiùs autem lex Commissoria, quam sibi statuunt contrahentes, dicitur ) quòd est pactio, ut si pretium non solvatur intra certum diem, res sit inempta *L. 2. ff. de Lege commissoria.* Quare est venditio pura, sub conditione tamen resolutiva illius, quasi facta non fuerit, & ut ad venditorem redeat, si pretium non detur tempore statuto *L. 1. ff. eod.* Unde qui in hanc legem committit, in totam venditionem censetur committere. Cùm autem committi dicatur res aliena, quæ dicitur redire ad venditorem, supponitur fuisse aliena seu emptoris. Ut proinde pactum hoc supponat venditionem puram, nec adjiciatur per modum conditionis suspensivæ, sed resolutivæ contractûs jam perfecti ; utì contra *Cujacium* tradit *Zoesius in ff. de lege commissoria n. 3.* Quare commoda & pericula rei venditæ interea spectant ad emptorem, resolutaque venditione redeunt ad venditorem juxta dicta de pacto addictionis in diem.

58. *Qualiter pretium rei sic venditæ temperandum.*

Quia tamen ex utroq; pacto emptor subit periculũ rei emptæ, & obligatione solvendi seu amittendi pretium, si res pereat, cùm è contrà

è contrà non ſit certus de retinendo commodo ſeu fructibus, debet in taxatione pretii onus hoc apponi; debet etiam pactum adjici, non ex intervallo poſt contractum perfectum, aliàs non operabitur ipſo jure reſolutionem contractûs, neque dominium ad veſditorem redibit ſine traditione: utì & ſimul cum ipſo contractu & tamquam pars illius concludatur. Et quidem verba debent id ipſum ſatìs apertè ſignificare. An autem dies exprimenda ſit in forma horum pactorum, quærit *Zoeſius ſup. n.* 7. & reſolvit, quòd non. Vide ipſum. Qui etiam *num.* 10. ait ad legem commiſſoriam quoque ſpectare hanc formam, ut res inempta ſit, ſoluto per venditorem pretio.

*Pactum hoc debet ex incontinenti apponi.*

59. *De pacto ut ſi diſplicuerit Emptori res ſit inempta.*

Prædicto vicinũ aliud pactum ſeu conventio, ut ſi vel quando diſplicuerit emptori, res ſit inempta. Quo caſu ſimiliter contractus eſt quidem purè initus, ſed ſub conditione reſolvitur. Eſtque adjectum tempus ſervandum, utì & ſervanda conventio, ut quandocumque diſplicere poſſit. Si verò nil de tempore adiectum, cenſetur juxta *Zoeſium ſup. n.* 11. ſubintelligi tempus ſexagintà dierum arg. *L.* 31. §. 22. *ff. de adilit. edicto.*

60. *De pacto retrovendendi ſeu Retractu conventionali.*

Eſt inſuper aliud pactum de retrovendendo (quod Retractus conventionalis dicitur) conventio adjecta venditioni, ut liceat venditori rem ad ſe retrahere, ſeu teneatur emptor revendere poſt certum tempus aut ad nutum venditoris. Venditio porrò huſuſmodi fuit pura, adeoque periculum & commodum rei venditæ pertinet ad emptorem: opus tamen eſt novo conſenſu emptoris, qui rem emptam retro vendat; & conſequenter novâ traditione quâ dominium ad primum venditorem revertatur, ut vult *Zoeſius infrà n.* 19. contra alios, quos citat. Quæ actio ſeu facultas etiam tranſit ad venditoris heredes intra terminos temporis præfixi, niſi aliunde conſtet fuiſſe tantùm pactum perſonale, non egrediens perſonam venditoris. Debetque venditor hoc pacto uti volens offerre pretium, & quidem totum. (cùm volens impleri pacta, non debeat ex ſua parte eſſe in defectu) quod nempe juſtum fuerit tempore retractûs, ut docet *Zoeſius Tr. de Retractu n.* 18. (quem adjecit ad *lib.* 18. *Digeſt. Tit.* 3.) arg. *L. fin. C. de jure Emphyteut.* & *L. fin. C. de locat. prad.* niſi aliud contrahentes ſint pacti, aut alia ſit loci conſuetudo, quam partes reſpexiſſe videntur.

61. *Cui cedant fructus percepti.*

Fructus percepti ab emptore tamquam vero domino non ſunt reſtituendi *L. Herennius ff. de Uſuris.* Neque enim tam reſolvitur prior venditio, quaſi numquam facta, quàm ineatur nova. Pendentes tempore prioris contractûs veluti pars fundi, cum quo venduntur, ſunt reſtituendi, aut certè eorum pretium ex *L. Julianus* 13. §. 10. *ff. de act. empti*; intellige ſi eodem pretio fiat revenditio, cùm aliàs retrahens non reciperet totum quod vendidit, adeoque foret inæqualitas, utpote fundo ratione fructuum cariùs vendito. Quæ inæqualitas tamen ceſſat, ſi pretio de novo conſtituendo fiat revenditio, adeoque tunc habenda non eſt ratio fructuum prædictorum.

*Quid cenſendum de fructibus pendentibus tempore retractûs.*

De fructibus naturalibus pendentibus tempore retractûs cenſet *Fachinæus* & *Covarruvias* apud *Zoeſium ſup. n.* 27. æquitatem poſtulare, ut pro rata dividantur. Ipſe tamen *Zoeſius* referens *Barboſa* & *Fabrum* cenſet de jure cedere illos retrahenti, compenſatis emptori ſumptibus culturæ. Quod ſolùm poteſt faceſſere difficultatem in caſu, quo retrahitur res eodem pretio. Dum enim diverſo ſeu currenti retrahitur, conſtat in retractu habendam rationem æſtimationis fructuum pendentium, qui unà cum fundo venduntur.

62. *De Pacto redimendi.*

Præmiſſo pacto vicinum eſt alterum de redimendo, ſic ut emptor poſſit revendere, adeoque venditor teneatur retrahere refuſo pretio intra certum tempus, vel ad nutum primi emptoris. Sicut enim in favorem venditoris, ſic & emptoris, pactum adiici poteſt, ſervatâ utrimque debita æqualitate: ut nimirum omnis injuſtitia in taxatione pretii vitetur.

*De Pacto utrimque redimendi ſeu revendendi.*

Poteſt denique apponi in favorem utriuſque, ut nempe liberùm ſit tam venditori quàm emptori, intra certum tempus, aut ad libitum reſilire, non tam diſtrahendo, quàm novum contractum prioris deſtructivum ineundo.

63. *Variæ ſpecies Retractûs.*

Retractus præterea alius eſt legalis, ſive conſuetudinarius, iſque varius juxta varietatem locorum. Alius Societatis, quo ſocius rem communem extraneo vendit pro parte ejus, qui vendidit, retrahit. Alius, quo dominus directus ſibi retinet potius, quàm retrahit rem venditam à vaſallo. Alius iſque uſitatiſſimus eſt Retractus proximitatis ſeu conſanguinitatis aut gentilitius. Ex Conſtitutionibus enim feudorum, & ſatis generalibus conſuetudinibus (quibus etiam conſona Lex vetus *Leviticæ* 25. & favet c. *Conſtitutus, de in integr. reſtit.*) competit agnatis venditoris jus protomiſeos ſeu præferentiæ, & retractûs, ut nempe rem immobilem venditam poſſit ad ſe intra certum tempus retrahere proximior conſanguineus, oblato emptori eodem pretio, & plenâ indemnitate, puta quoad laudimia, gabellas, aliasque impenſas neceſſarias in rem factas ab emptore. Quod jus etiam competere fiſco circa feudum à patre venditum ſæpius judicavit Magnum Belgii Conſilium teſte *Chriſtinæo ad conſuetud. Mechl. Tit.* 11. *art.* 3. *num.* 26. Si uterque ſit in pari gradu, potior eſt jure, qui prævenit. Si æquè vigilantes, quilibet admittitur in re dividua pro rata, in individua autem

*Quid Retractus gentilitius & quomodo petat.*

*Jus emendi.*

tem sorte res dirimitur, vel judicis arbitrio statur, qui alterutri compensationem aliquam assignet. De quo *Christineus sup. n.* 4. Nolente autem propinquiori retrahere, integrum id est alteri remotiori. Quo tamen, non præhabitâ declaratione vicinioris, retrahente, liberum est ipsi viciniori retrahere à remotiore. Quod locum habet, etsi venditio ab initio facta fuerit conjuncto remotiori.

64. *In quibus cõtractibus.* Non habet autem locum in donatione, locatione, etiam perpetuâ seu emphyteusi, juxta communem sententiam: etsi quoad hanc, oppositam attento fine retractûs veriorem putet *Zoesius sup. n.* 94. In variis quoque locis tantùm obtinet in venditione voluntaria, non autem (utì speciatim Mechliniæ) in facta ex decreto, seu subhastatione judiciaria. In bonis patrimonialibus quoque, non autem ubique in recèns acquisitis, mores retractum receperunt: immo alicubi attenditur sola proximitas respectivè ad stipitem unde bona procedunt: etsi Tabulis Legum Brabantiæ anni 1312. immobilia indistinctè videantur retractui subjecta, ut habet *Zypæus in Notit. Jur. Belg. tit. de Retractu.*

*Vel bonù.*

65. *Pretium qualitèr & intra quod tempus offerendum.* Prerium porrò offerendum, alibi etiam tradendum, aut certè consignandum intra certum tempus: quod Jure Feudorum est annus saltem ad revocandum feudum ab agnato alienatum. Alibi (quod & moribus Germaniæ, Burgundiæ, Franciæ) annus & dies. Alibi post trinam publicationem sunt dies quatuordecim, alibi aliquot menses & dies, novem vel plures. In Belgio ex Edicto perpetuo anno 1611. est annus & dies, incipiens currere à die investitionis seu traditionis realis in contractibus voluntariis, & coràm in subhastationibus judiciariis (salvâ tamen juxta interpretationem posteriorem consuetudine locorum concedente minus tempus, sive factis, sive non factis proclamationibus) sic ut illud tempus currat adversus omnes absentes, minores, majores, cujuscumque qualitatis, inhibità post tempus elapsum omni restitutione, utì refert *Zypeus sup.* & *Codex Belgicus V. Valengiernghe.* Sed etiam secluso Edicto præfato tempus currere solùm à die traditionis, non autem facti contractûs, contra Varios probabiliùs censet *Gomez ad L. 70. Tauri n.* 16. ut refert & sequitur *Zoesius sup. n.* 110. attento scilicet fine retractûs, qui est, ut bona in familia maneant, neque ad extraneos transeant, ad quos non videntur ante traditionem (quousque dominium est penes venditorem) transivisse. Obligatur autem ex communi consuetudine retrahens præstare juramentum, quod sibi, non aliis retrahat.

*A quo die incipiat tempus currere ex Edicto Principum Belgii.*

*Aut ex jure communi.*

66. *Quid censendum de fructibus perceptis* Fructus percepti ab emptore ante retractum, aut certè (ut alibi consuetudines habent, quæ diversis in locis sunt invicem conformes, aut etiam contrariæ) ejus denuntiationem sunt emptoris. Pendentes autem tempore emptionis sunt quoad æstimationem saltèm restituendi retrahenti, si eorum consideratione pretium sit auctum: cùm iniquum videretur retrahentem dare totum pretium, nec tamen recipere totam mercem, scilicet rem cum fructibus, nisi hi forent specialiter numerati ac æstimati: quando retrahens iis non restitutis, posset non reddere partem pretii fructibus correspondentem. Pendentes verò tempore retractûs sunt retrahentis tamquam pars soli seu fundi: expensis tamen per retrahentem emptori restitutis. Verùm in his attendendæ sunt locorum consuetudines, quæ in materia retractus satis variæ. Videri autem potest *Christineus ad Consuet. Mechl. Tit. 11. per totum, Tiraquellus Tract. de Retractu, Castro Palao d. 5. p. 29.* & alii. Illud finaliter notandum est laudimia aut gabellas seu similia onera non esse ratione retractûs iteratò solvenda; cùm solùm censeatur translatio ejusdem emptionis ad alium emptorem ex necessitate prioris contractûs.

*Quid pendentibus tempore retractûs.*

*An Laudimia sint iterato solvenda.*

## QUÆSTIO VI.

### *De Censibus, seu Redditibus annuis.*

CENSUS aliquando sumitur pro tributo, quod capitatim, vel secundùm æstimationem bonorum fortunæ (quorum quantitas idcirco solebat censeri seu æstimari) Principi solvitur, uti *Matth.* 22. vel pro eo quod annuatim solet dari in signum subjectionis & dominii. In præsenti autem sumitur pro jure percipiendi annuam pensionem ex alterius re aut persona. Unde qui contrahit obligationem quotannis solvendi, dicitur censuarius: qui verò numeratâ seu præsenti pecuniâ jus illud emit, censualista. Contractus autem qui circa illos versatur, censualis dicitur, estque species quædam Emptionis-venditionis: dicimur enim census seu reditus annuos emere: etsi jus exigendi census etiam oriri possit ex donatione gratuita vel testamento.

67. *Quomodo nomen census accipiatur.*

*Potissimum in præsenti.*

*Quid Contractus censualis.*

Census alius est Reservativus, cùm scilicet quis rem suam in alium transfert donatione, venditione, permutatione, servato sibi jure annuæ pensionis: unde bona quædam dicuntur censitizia, de quibus infrà, ubì de Emphyteusi. Alius Consignativus, cùm quis retento rei vel personæ suæ dominio, consignat aut vendit alteri jus similis pensionis. Et quidem si percipienda sit ex persona secundùm se obligata (cujus obligatio etiam concernit heredes) dicitur census personalis: si ex re secundùm se spectata (quæ proinde ad quemcumque transeat, manet gravata) dicitur realis, seu prædiarius aut fundiarius; si constituatur

68. *Cẽsus, alius reservativus, alius consignativus.*

*Hic alius personalis, alius realis, alius mixtus.*

super re & persona simul, sic ut re pereunte adhuc maneat persona obligata, dicitur mixtus.

69. *Item alius fructuarius, alius pecuniarius.* Census item ratione differentiæ pensionis debitæ alius est fructuarius, ex quo debentur fructus, v. g. frumentum, vinum, oleum, &c. alius pecuniarius, ex quo debetur pecunia. Et utique alius est Certus, quando scilicet determinata & certa est summa pecuniæ, vel mensura seu quantitas fructuum: alius incertus, quando non est determinata, ut quando quotannis tertia vel quarta pars fructuum (quæ non semper est eadem, seu æqualis in quantitate) est persolvenda, aut pecunia ei correspondens seu æstimatio. *Alius certus, alius incertus.* Item alius perpetuus, alius temporalis. Rursum perpetuus, alius est redimibilis ex parte nempe censuarii, alius irredimibilis. Temporalis, alius durat ad certum & determinatum tempus, v. g. ad decennium, alius ad incertum, v. g. ad vitam personæ, qui vocari solet vitalitius. *Alius perpetuus, alius temporalis, significanter vitalitius.*

70. *Emptio census realis, etiam consignativi, licita est.* Contractus porrò censualis, quin licitus sit, si quidem de censu reservativo agatur, nulla est ratio dubitandi. Idemque est de consignativo reali, sive antiquo, sive (quod olim quidam negasse referuntur) noviter constituendo; prout habet praxis omnium timoratorum, probata auctoritate Apostolicâ à *Martino V. Extrav.* 1. & *Calisto III. Extrav.* 2. inter communes *Tit. de Empt. & Vendit.* ubi est sermo generalis, non solùm de antiquis, sed & novis censibus. Similiter census approbavit, appositis tamen pluribus conditionibus, *Pius V. Constit. Cum onus.* Ratio est: quia potest quis in re sua consignare alteri censum viâ donationis, quid ni ergo per venditionem? Confirmatur: quia potest quis vendere jus servitutis rusticæ, etiam in agro proprio de novo constituendæ, quid ni ergo vendens queat de novo consignare jus annuæ pensionis percipiendæ ex agro proprio.

71. *Occurritur objectioni.* Nec obstat, quòd pensiones annuæ post paucos annos exæquent sortem pro censu datam, dum jus adhuc integrum manet emptori: nam etiam fructus agri empti sic exæquant pretium pro agro datum, qui tamen adhuc salvus manet emptori. In emptione autem non proponuntur ipsæ annuæ pensiones, sed jus ad illas, vi cujus debentur: utì similiter in emptione agri jus ad agrum, vi cujus debentur ipsi fructus. Pretium quoque, quòd pro jure isto datur, justum est, veluti communi prudentum judicio aut etiam lege taxatum, ut proinde simili pretio possit jus illud passim comparari vel alienari. Est insuper considerandum, quòd sicut censuarius manet obligatus semper ad pensiones, sic censualista se & heredes, perpetuò, quantum est de se, privet omni commodo pretii, futuri alioquin utilis ad emendos fundos, aut etiam necessarii contra occurrentes in quovis tempore futuro necessitates.

72. *Conditiones requisitæ.* Ceterùm in contractu hoc observandum est, ut res in qua census constituitur, verè extet, sitque frugifera: jus enim ad pensionem ex re percipiendam supponit rem esse, & reddis fructibus pensioni proportionatis sufficere. Unde si emptor aliud sciens nihilominus emat censum, censebitur palliare usuram; nisi venditor alia simul bona consignet, super quibus pariter reditus sufficiens fundetur. Quare si contingat rem perire, extinguitur quoque census super ea fundatus & accessorius; utì extinguitur servitus vel usus-fructus, re pereunte. *An census realis pereat, re pereunte.* Et quidem hoc inest per se (nisi per aliud pactum excludatur) naturæ censûs realis, etsi non exprimatur. Idemque colligitur ex citatis Extravagantibus Martini V. & Callisti III. Immo juxta *Navarrum in Comment. de Usuris n.* 118. si domus v. g. vel molendinum, super quo census fundatur, ruat, & reædificetur, cùm jam aliud sit ædificium, non est censui subjectum: etsi censuarius teneatur de dolo, si ejus culpâ corruerit.

*Quid sentendum in pacto nihilominus se vendi pensionem.* Posset nihilominus quantum est ex jure naturæ ab initio apponi pactum, quo venditor se obliget ad pensionem, non obstante rei interitu, miscendo nempe eatenus censum quodammodo personalem, dummodo pretium proportionetur oneri cujusdam assecurationis, quod hic censuario imponitur.

73. *An possit exigi hypotheca, & quid ea operetur.* Potest præterea emptor censûs exigere hypothecam; quæ tamen perit seu cessat re pereunte, in qua census erat fundatus, adeoque in censibus realibus ad hoc solùm servit, ut si censuarius ex re censui subjecta non solvat annuam pensionem, possit apprehendi hypotheca, & ex ea peti solutio. Hanc autem licitè exigi seu apponi emptioni censûs patet exemplo mutui, venditionis ad terminum, & aliorum contractuum. Si enim contractus est legitimus, meritò potest is, cujus interest, exigere securitatem, ut firmus maneat, & non violetur; ad hoc autem pertinet hypotheca.

74. *Requiritur justum pretium, & quidnam sit tale.* Denique in emptione censuum requiritur pretium justum. Quale est vel lege Principis taxatum; quod servandum, nisi saltem notabilis mutatio circumstantiarum generaret fundatam præsumptionem de oppositâ mente Legislatoris: vel lege deficiente, constitutum communi æstimatione & usu Provinciæ seu loci. Unde fit, ut pretia censuum pro varietate temporum & locorum sint varia.

Ad quam variationem facit negotiatio, cujus vigor auget æstimationem præsentis pecuniæ, & minuit æstimationem censuum. Item copia vel inopia pecuniæ: hujus enim inopia facit census vilescere, ut experientia superiorum annorum in Belgio docuit, inquit *Lessius c.* 22. *dub.* 14. Census irredimibiles

biles in Germania æstimantur nummo 20. ex Constitutione Caroli V. Alibi nummo 28. aut 30. In Belgio non habent pretium legitimum, nec possunt de novo creari, ex Constitutione Caroli V. Reservativi tamen (addit *Lessius sup.*) vendi possunt pretio 25. in singula vel etiam minoris. Redimibiles ad rationem nummi 10. 11. 13. 14. aut plus vel minùs secundum temporis qualitatem, prout ipsi contrahentes tunc inter se convenerant, probavit Callistus III. & Martinus V. In Belgio census redimibiles legitimo pretio creantur, etsi sint personales cum hypotheca, ad rationem nummi 16. non infra, ut inquit *Zypæus in Notit. Iur. Belg. §. de Reditibus.* Possunt tamen constitui nummo 18. aut 20. ut praxis docet.

75. *An vel qua conditiones sint requisita à Martino V. & Callisto III.*

Ex Constitutionibus positivis præterea posset oriri necessitas aliarum adhuc conditionum observandarum. Et quidem Martinus V. & Callistus III. videntur tangere quasdam conditiones contractûs censualis, quas ad octo reducit *Navarrus in Comment. de Usur. n.* 72. Hi tamen non tam præscribunt conditiones necessariò servandas, quàm approbant nonnullas conditiones censuum, de quibus erant interrogati.

*Quo sensu Pius V. Contractus non servatis conditionibus à se requisitis decernat usurarios.*

Præterea *Pius V. Constit. cùm onus* varias conditiones præscribit, decernens contractus aliter initos habendos pro usurariis, utique judicio seu præsumptione fori externi, non autem quòd omnes sint revera injusti & usurarii, quales non fiunt per legem positivam, si à parte rei servetur debita æqualitas.

76. *Conditiones hæ recensentur.*

Conditiones has *Lessius cap. 22. dub. 12. n. 77. & seqq.* reducit ad quatuordecim, videlicet, census constituatur super re immobili frugiferâ, certis finibus designatâ. Secundò, numerato, tempore contractûs coram Notario & testibus, justo pretio. Tertiò, nulla fiat anticipata solutio, nec alia umquam, nisi pro rata lapsi temporis. Quartò, non obligetur venditor ad casus fortuitos, sed census re peremptâ extinguatur. Quintò, nullo pactò venditori alienandæ rei libertas restringatur, aut emptor ad laudemia obligetur. Sextò, dominus rem venditurus indicet censuario conditiones, & pretium, ad mensem eum expectet, & aliis præferat. Septimò, nullo pactò venditor ob moram censuario obligetur ad pœnam commissi, interesse, aut expensas. Si tamen damnum oriretur ex mora culpabili venditoris, teneretur is illud jure naturæ compensare emptori. Octavò, Census ex pensionibus non augeatur. Nonò, onera extrinseca venditori aut emptori incumbentia, v. g. fisci aut domini decima, vel quinquagesima, in alterum pacto non transferatur. Decimò, Re pereunte in totum, vel in partem, pro rata pereat census. Undecimò, semper census possit redimi pretio, quo est emptus. Ubi tamen non exigitur, ut per partes possit redimi, uti poterant reditus, de quibus Callistus III. & Martinus V. erant consulti. Quod quia minus consonum videtur propter incommodum emptoris, Pius V. non putavit requirendum in censibus. Duodecimò, ut venditor redemturus ante bimestre emptorem præmoneat, qui ex inde intra annum redimere cogi potest, post annum non potest. Decimò tertiò, ut emptor venditorem numquam aliàs ad redemptionem cogere possit. Decimò quartò, ut pretium censûs semel constitutum augeri vel minui non possit, ob temporis vel contrahentium qualitatem, aut aliud accidens, quo ipse venditor gravetur.

77. *Non sunt omnes juris naturæ.*

Conditiones hæ appertè seipsas produnt, quòd non omnes ex jure naturæ, sed magna sui parte ex positiva Legislatoris voluntate requirantur. Præterea Constitutio tantùm agit de censibus consignativis post hæc pretio emendis, non autem constituendis donatione, dote, legato, fidei commisso: in quibus non ita subest periculum usuræ, cui vult Pontifex occurrere. Quamvis autem nonnulli existiment, hanc Constitutionem non ligare extra terras Pontificii patrimonii: tamen cùm Pontifex in ea agat officium pastoris animarum, Constitutio ipsa generalis est, & per se obligans ubique. Varii tamen Auctores testantur, signanter *Lessius c. 22. dub. 13.* ipsam, quatenus superaddit varia juri naturæ, non esse receptam seu in vigore apud Belgas, apud quos hactenus est constans usus contrarius sine ulla publicatione Constitutionis prævia. Similiter illam credit apud Germanos, Gallos, Siculos non obligare. In Hispaniis quoque ea non obligat juxta Auctores istarum Regionum, opponente se nimirum Philippo II. & Pontifici, ne obligaret, supplicante, ut videre est apud *Castro Palao d. 6. p. 15. n. 6.*

*De quibus censibus Bulla Pii V. agat.*

*An obliget extra ditionem Papalem.*

*In quibus locis non sit usu recepta.*

Hinc census personales ac mixti in similibus locis sunt liciti, & apud Belgas in vigore, etiam consonè ad Edicta Principum. Quamvis autem *Navarrus* & alii eos arguant tamquam usurarios, id tamen non satis fundatum est, & meritò negatur à *Soto, Ioanne Medina, Lessio, Maldero* & aliis passim: cùm qua ratione emi potest census super re, sic & super persona, ratione artis, ingenii, industriæ frugiferâ, vel saltem ratione bonorum in re aut spe existentium, ex quibus solvi queat annua pensio. Sicut enim hæc potest industriam & operas suas elocare, etiam ad vitam, sic & supra se censum alteri consignare. Quamvis ipsa, deficiente pensione, non possit vendi aut in servitutem redigi, uti potest fundus censu gravatus evinci & vendi ad recipiendas pensiones cum capitali. Confirmatur: quia obligatio annuæ pensionis pendendæ à persona instar decimarum

78. *Census personales an liciti seclusâ Bullâ præfatâ.*

perso-

personalium aut annui tributi potest sponte suscipi, aut per leges indici; ut patet 2. *Esdræ* 10. & c. *Ad Apostolicæ, de decimis*: quid ni ergo creari per emptionem, seu partium conventionem? Unde Nicolaus V. & Gregorius XIII. in suis Constitutionibus de Censibus (teste *Castro Palao d. 6. p. 11.*) expresse affirmarunt in censu posse obligari personas.

79. *An eorum obligatio transeat ad heredes.*

Et quidem hæc obligatio personalis etiam transit ad heredes, personam defuncti repræsentantes, uti alia debita personalia: quamquam possit census instar aliarum obligationum personalium fieri caducus, si nimirum hereditas non sufficiens solutioni pensionum repudietur. Eidem obligationi potest accedere hypothecaria, sive specialis, sive generalis omnium bonorum, pro securitate censualistæ exemplo ceterorum contractuum. Idemque permissum fuisse Sixtis à Nicolao V. & Gregorio XIII. teste *VViggers c. 8. dub. 3.* Eritque ad hypothecam regressus, in casu, quo à persona nequit obtineri solutio; non aliàs. Unde si bona hypothecata sint alteri vendita, isto demum casu poterit ex iis urgeri solutio. Secùs foret, si reditus sit mixtus, adeoque non solum super persona, sed etiam super bonis ipsis consignatus; quæ proinde apud quemcumque sunt, pari obligatione instar servitutis realis principaliter affecta manent. Quæ quidem mixtio non est de jure naturæ illicita, cùm singula simplicia licita sint, nec invicem destruant, nempe & census realis, & personalis: salvo justo pretio. Quare census mixti sunt usitati in locis, in quibus Bulla Pii V. non viget.

*An & qui accedere ei possit hypothecaria.*

*De Censibus mixtis.*

80. *Census irredimibiles annexiti jure positivo.*

*Etsi liciti jure naturæ.*

Præterea census irredimibiles, etsi à Pio V. & pro Belgis à Carolo V. in favorem venditoris seu censuarii, vetiti de novo emi, non sunt tamen ex se illiciti, sive reserventur, sive donatione aliove titulo, sive etiam emptione consignentur. Immo contractus ex natura sua potiùs perpetuitatem exigit, uti aliæ venditiones, nisi pactum aliud apponatur. Suntque hujusmodi reditus majori pretio emendi ob majus onus venditoris. Quemadmodum & illi qui liberi à periculo caducitatis majori pretio digni sunt.

81. *Census utrum ut redimibiles an liciti.*

Pactum autem de redimibilitate indubiè licitum est, immo Edicto Pii V. & Caroli V. ipsa exigitur, adeoque in contractu involvi censetur. Plurimi tamen Doctores improbant censum, quem vocant, utrimque redimibilem, quem scilicet non solùm venditor possit iuere reddendo capitale, sed etiam revendere possit emptor, quasi ibi sit verum mutuum; vi cujus non potest exigi annua pensio seclusis titulis extrinsecis. Quare nec in foro externo admittitur in his locis. Et meritò ob periculum & præsumptionem usuræ. Multi tamen gravissimi Doctores cum *Lessio* & *Maldero* contrarium censent, eò quòd etsi possit subesse animus usurarius, reverà tamen etiam posset subesse vera emptio cum pacto de redimendo ad nutum emptoris. Confirmatur: quia alia jura & fundi possunt emi & vendi cum pacto, ut possit emptor post certum tempus ad libitum revendere, temperato pretio pro rata oneris. Similiter in præsenti potest ipse venditor censum redimere, refuso pretio. Denique posset hoc pactum iniri cum tertio, quidni ergo cum venditore?

82. *An liceat pactum de non redimendo nisi eâdem monetâ.*

Potes, an liceat emere censum cum pacto, ut venditor teneatur redimere eâdem monetâ in æquali numero? Resp. Aff. in quibusdam casibus, nempe si constet æstimationem monetæ non esse mutandam, vel utrimque sit par dubium, an augenda, an minuenda sit: vel si tanti emptus sit census, quanti emi solent irredimibiles. Addit *Lessius c. 22. dub. 8.* si certum quidem erat æstimationem augendam, sed emptor statuerat pecuniam suam in illud tempus servare, ratione damni, quod tunc patitur. Verùm non satis apparet *VViggers c. 8. dub. 3. n. 39.* quomodo emptor rei frugiferæ justo pretio dici queat sustinere inde damnum; cùm fieri nequeat, ut rem frugiferam sibi comparet, & tamen pecunias in tempus augendæ æstimationis servet.

*Quid statutum in Belgio.*

In Belgio autem constitutum est, ut monetâ permissâ pro tempore currente possit venditor censum pecuniarium æstimato pretio creatum redimere, ut videre est apud *Zypæum in Notit. Jur. Belg. §. de Reditibus*, & in *Cod. Belg. V. Renten.* Quando tamen reditus constituti sunt in certis speciebus sine expressione prætii aut æstimationis, luitio seu redemptio eorumdem fiet in iisdem speciebus, si reperiantur: si minùs, in alia moneta, ad valorem quo illæ species æstimatæ erunt per Edicta, quæ erunt tempore extinctionis. Si tamen in tertiam manum reditus illi currente seu usuali moneta devenerint, lui poterunt monetâ tempore extinctionis currente, ut refert *Zypæus suprà.*

83. *An possit census constitui ex mercibus.*

Dubitatur verò à Doctoribus, an census constitui possit ex mercibus loco pretii seu pecuniæ numeratæ subrogatis? Negant Nonnulli. Sed oppositum omnino verum est, quantum ex natura rei, & seclusâ lege positivâ aliud præscribente, prout communi Doctorum sensu præscribitur in Bulla Pii V. Quod clarius est de mercibus æstimatis, quæ sunt loco pretii. Inæstimatis autem esto non posset constitui strictè dicta emptio, saltem constitui potest contractus ei æquivalens aut similis.

*An ex pecunia de-*

Idemque est de pecunia debita: esto enim Pius V. requirat pretium numeratum, ex natura rei tamen non ostenditur id requiri. Estque planè perinde ejusdemque æstimationis, tradere pecuniam numeratam

tam, & eam, quæ debetur, tradere in solutum. Prout & datio in solutum & permutatio est similis emptioni, ejusque vim habet. Ipsaque debiti remissio est, pro qua accipitur jus ad pensiones à censuario præstandas. Immo *Navarrus* apud *Castro Palao d. 6. p. 16. n. 8.* existimat etiam stante Motu Pii V. posse per decretum saltem judicis constitui census ex debito antea contracto. Quamvis consideratis Bullæ verbis oppositum verius censeat *Castro Palao suprà.*

84. *An ex pecunia credita.* De pecunia credita major est difficultas etiam seclusâ Bullâ Pii V. Nam *Navarrus, Rodriguez, Salon* & alii apud *Castro Palao p. 22. §. 6.* negant. Ipse autem hanc quidem sententiam consulit, & in foro externo secundùm illam judicandum censet, ob fraudis & usuræ præsumptionem; si tamen bona fides intercedat, frausque absit, probabiliorem censet, ex natura rei procedendo, affirmativam sententiam (pro qua refert *Soto, Molina, Binsfeldium, Saa, Lessium*) eò quòd pecuniâ creditâ possit institui emptio fundi, aliarumque rerum, adeoque & censûs, quantum est ex natura rei.

85. *Ad quid teneatur emptor census infrajustum pretium.* Petes, ad quid teneatur censualista, si censum emerit infra justum pretium? Resp. si Lex adsit irritans contractum minori pretio factum, indubiè non valere quantum ad excessum pretii, adeoque pensiones quâ parte illud excedunt esse restituendas. Valere nihilominus, quâ parte justo pretio conformatur, contra *Navarrum* & alios censent plures Doctores non improbabiliter: eò quòd lex non intendat derogare contractui, nisi quatenus iniquus est, quando id clariùs non exprimit. Nec debet alioquin utile vitiari per inutile in actibus seu rebus dividuis. Pro quo etiam leges Hispaniæ allegat *Castro Palao d. 6. p. 22. §. 3. n. 5.* Si verò non sit lex positiva irritans, contractus simpliciter est validus, sed ad æqualitatem reducendus. Unde consequenter ex pensionibus nil est restituendum, sed suppleto pretio compensandum interesse, si quod ex carentia justi pretii venditor est passus.

86. *An census vitalitii sint liciti.* Petes denique an census temporales vitalitii sint liciti? Resp. Aff. ita enim habet communis sensus & praxis Doctorum & timoratorum. Quam firmat ratio desumpta, tum ex eo, quòd ibi sit vera emptio juris prætio æstimabilis, scilicet ad pensiones seu fructus incertos, cum periculo damni, & opposita spe lucri: tum à fortiori ex censibus perpetuis, qui non extinguuntur, nisi restituta sorte; cùm tamen vitales finito termino per se cessent. Pretium autem horum censuum statuitur cum ordine ad qualitatem seu ætatem personarum, ut annuè pendatur nummus interdum octavus, interdum decimus.

## QUÆSTIO VII.

### De Contractu Societatis.

87. *Quid Societas, & quotuplex.* CONTRACTUS Societatis est, quo duo vel plures conveniunt ad conferendum aliquid in communem usum vel quæstum. Perficitur consensu, impletur per collationem rerum in commune, perfectè autem per ipsam usûs participationem, lucrive & damni divisionem. Domestica seu Oeconomica respicit communem usum v. g. librorum, pecuniæ, supellectilis: Lucrativa verò respicit commune lucrum: Conjugalis denique Societas respicit utrumque. Hîc de lucrativa sive negotiatoria potissimùm est sermo. In qua singuli socii interdum conferunt in commune, tum pecuniam, tum operas: interdum unus confert pecuniam, alter industriam vel laborem, alter instrumenta seu eorum usum, v. g. usum navis, ad commune lucrum faciendum. Quod addo; si namque lucrum foret unius, v. g. qui pecuniam contulit, assignato reliquis stipendio seu mercede, non esset contractus Societatis, sed locationis conductionis; etsi pro mercede foret assignata pars aliquota lucri, puta 2. in 100. Prout Mercatores frequenter suis factoribus aut ministris (quos in Societatem nollent admittere) ut spe lucri diligentiores reddantur, certam lucri partem assignant in stipendium; ut notat *Lessius cap. 25. dub. 2.* *Lucrativa qualiter iniri soleat.*

88. *Quid ad justitiam illius requiratur.* Justitia hujus contractûs exigit pro fundamento justum exercitium seu negotiationem. Unde iniqua est Societas, quæ pyraticæ vel latrociniis innititur. Deinde omnibus pensatis debet servari inter socios proportionalis æqualitas, secundum quod quisque contulit, sic ut lucrum ac damnum sit proportionatum ei, quod singuli contulerunt, juxta æstimationem Prudentum in tali re, quorum judicium ea in re maximi faciendum est. Habet autem hæc æqualitas proportionalis latitudinem quamdam pro magnitudine, multitudine ac varietate eorum, quæ in exercitiis Societatis concurrunt. Extra quam si procedatur, fit injustitia, necessariò reparanda; nisi socius expressè vel tacitè excessum indulgeat ex amicitia aut gratitudine.

89. *Lucri divisio qui facienda.* In divisione lucri facilè est determinare modum, quando singuli socii æquâ proportione contulerunt pecunias, industriam, &c. aut communibus expensis negotiorum gestores aliaque necessaria conduxerunt: tunc enim secundùm partes æquales constat esse faciendam divisionem, sic ut quanta fuerit pars capitalis à singulis apposita, tantum sit lucrum eorumdem cum proportione. Sed quando unus confert pecuniam, alter operas, est *Præsertim dum unus pecuniam,*

res

*alter operas contulit.*

ros difficilior, in cujus explicatione non conveniunt Doctores, saltem quoad modum loquendi.

90. *Primus modus.*

Res exemplo fiet manifestior. Ponamus unum socium contulisse trecenta scuta seu 900. florenos, alterum industriam seu operas, quæ emerentur seu conducerentur 300. florenis: capitale seu sors tota censenda est 1200. florenorum. In fine anni divisio justè instituenda est hoc modo. Si tunc reperiatur capitale pecuniarum esse 1600. florenorum, is qui contulit operas adeoque quartam partem capitalis, debet extollere quartam partem lucri unà cum valore partis in capitale quoad æstimationem collatæ, adeoque pro hac 300. pro lucro 100. florenos, relictis alteri socio 1200. florenis. Alioquin is qui contulit operas, necessariò illas semper perderet, salvo manente alteri suo capitali. Sicque ex hac parte esset similis Societas ei, quæ Leonina dicitur, & improbatur *L. 29. ff. Pro socio*, quâ unus lucrum, alter solus damnum sentiret, quproinde socium foret nactus quasi Leonem (ut ex Apologo refert *Dionysius Gothofredi in Notis Marginal.*) communem ex venatione prædam sic dividentem cum vulpe, ut sibi fermè totam retineret, vulpi vix minimam partem concederet. Quod confirmatur: quia si uno conferente 900. altero 300. Florenos, hic suos communi consensu expendisset in conductione operarum tanti valentium, alter in alios contractus lucrativos, indubiè deberet hic in fine anni habere præter lucrum alios 300. utì alter suos 900. Idem igitur est in præsenti. Aliàs apertè foret inæqualitas. Unde consequenter si in Societate lucrum isto anno non obtigerit, sitque ideo capitale ipsius pecuniæ post annum 1200. is qui intulit pecuniam extrahet 900. is qui operas 300. Si damnum obvenerit, sitque adeò capitale pecuniæ v. g. 800. florenorum, is qui pecuniam contulerat, extrahet 600. qui operas 200.

91. *Secundus modus.*

Alius adhuc posset dari modus justè ineundi contractum Societatis, non computando hinc quantitatem pecuniæ, istinc pretium operarum, indeque pariter conflando integram sortem, sed considerando præcisè ea quæ singulo pereunt, & eatenus cum proportione divisionem faciendo v. g. si quis ex capitali 2000. florenorum annuè potens mediante censu habere 100. florenos eos tribuet personæ industriæ ad lucrandum, pereunt ei 100. floreni annuatim, & quia capitale exponitur periculo, si negotiatio non succedat, hoc ipsum periculum quoque æstimabile est, ponamus aliis 100. florenis, quos alioquin deberet dare assecuratori; cumque periculum in se recipiat, potest illos æstimare tamquam sibi pereant, sic ut universim ei pereant in æstimatione 200. floreni. E contrà alteri conferenti operas æquivalentes 200. florenis, ipsæ semper pereunt, adeoque censendi sunt utrique æqualiter perire 200. Hoc pacto inita Societas faciet, ut servatâ æqualitate lucrum in fine anni æqualiter dividatur, salvo uni manente capitali 1000. florenorum. Ita *Lessius sup.* & ferè coincidit quoad rem explicatio *VViggers cap. 7. dub. 6.* tametsi hic paulò aliter, aliamve satis solidè considerationem ineat.

92. *Contractus triplex qualiter iniatur.*

Solemnis restat controversia de contractu triplici (ut vocant) Societatis, in quo nempe præter contractum Societatis est contractus assecurationis sortis, & certi lucri. Potestque hic contractus triplex iniri, partim successivè, idque vel cum eodem socio, vel diversis non sociis; partim simul seu sub idem tempus. Primò enim duo v. g. ineunt contractum Societatis ad lucra & damna, in quo Petrus pecuniam ponit, Paulus industriam. Secundò ineunt contractum assecurationis: quia cùm ex vi contractûs Societatis si pecunia deposita pereat, tota pereat deponenti, Petrus deponens rogat Paulum, ut ipse sortem assecuret, & ne hoc sit molestum offert tria vel quatuor in centum. Paulus autem inito jam contractu assecurationis & accepto pro ea obligatione pretio, vicissim rogat Petrum, ut eum quoque liberet à molestiis reddendi rationes in Societate, & accipiat certum lucrum pro incerto, v. g. sex in centum, sive negotiatio bene succedat, sive malè. Et hic tertius contractus est assecuratio lucri, seu venditio sperati majoris pro certo minori.

*Potest inibiri iniri singulatim cum diversis.*

Porrò non apparet dubium, quin hi contractus separatim & cum diversis iniri sint liciti: cùm & Societas ipsa sit licita, & eâ omitâ possit à tertio peti susceptio periculi sortis pro pretio, quo susceptio ista æstimabilis est, ac denique quarto vendi spes lucri majoris, quanti ipsa prudenter æstimabilis est.

93. *Imma & cum eodem, etsi Socio, Successivè.*

Ex quo in primis apertè sequitur contra *Soto de Iustit. l. 6. q. 6. a. 2.* justè quoque eosdem contractus iniri cum eodem & quidem socio, saltem successivè seu ex intervallo temporis. Non enim apparet ratio aliter hîc sentiendi, cùm impertinens sit ista distinctio personarum. Neque verum est, tunc cessare Societatem, & succedere rationem mutui: dominium enim pecuniæ non transit in socium postea assecurantem & periculum subeuntem, sed manet penes eum, qui ipsam contulit, utì si fuisset assecuratio facta à tertio. Sicuti quoque potest cum commodatario & depositario conveniri, ut penes eos sit periculum rei depositæ vel commodatæ, cujus tamen neuter est dominus. Neque etiam possit alter socius istâ pecuniâ ad libitum uti, v. g. ad dotandam filiam, sed ad finem negotiationis; nisi permittente eo, qui contulit,

tulit, qui tali casu censeretur consentire in mutuum; ex quo tamen ratione lucri certò cessantis posset tantumdem obtinere.

24. *Qualiter non solum explicitè sed & implicitè cum eodem simul ineatur.*

Deinde sequitur etiam licitè hos tres contractus iniri simul seu dependenter ab invicem, idque vel explicitè juxta modum præallegatum, vel implicitè, v. g. juxta formulam sequentem (quam in Italia & Antverpiæ variis linguis circumferri solitam refert & adfert *Lessius c.25.dub.3.n.30.*) *Ego infrascriptus confiteor hoc meo chirographo me accepisse à Titio mille aureos, ut eos impendam legitimæ negotiationi: & loco incerti lucri majoris, quod illi ex hac negotiatione posset competere, promitto me illi daturum 6.& $\frac{1}{4}$ in centum quotannis, & ejusdem summæ periculum præstiturum.* Affinem formulam habent *Consuetudines Antverpienses* recentiùs compilatæ *parte 4. de Contractib. Tit.1. art.10.* quam inde transcribit *Anselmo in Triboniano Belgico c.46.§.2.*

95. *Eum varii non improbabiliter damnant tamquam ex se usurarium.*

Hunc contractum, sive expressè & formaliter, sive implicitè & virtualiter triplicem, velut illicitum & usurarium, damnant varii graves Doctores (*Cajetanus, Bannez, Sylvius* & alii. Sed approbant *Molina, Lessius sup.* (qui multorum etiam antiquorum verba refert) *Bonacina, Malderus, VViggers* & alii Doctores Recentiores passim: quorum auctoritas non leve huic Doctrinæ probabilitatis pondus conciliat. Quæ etiam probatur satis efficaciter ex eo, quòd in isto triplici contractu possit servari æqualitas, si ineatur successivè, aut cum diversis; ergo etiam si ineatur cum eodē socio & simul: quæ enim inita cum diversis & successivè justa sunt, etiam sunt talia inita cum eodem, si hic sponte sic contrahere cupiat. Neque ex alio capite apparet satis aliqua iniquitas ex natura rei. Quod enim objicitur, societatem, ne sit leonina, exigere commune periculum damni, uti communem spem lucri, verum est, quantum est ex vi societatis, vel nisi socius justo pretio periculum redemerit: non enim verum, quin interveniente assecurationis contractu periculum damni debitè compensandum excludatur. Tametsi per assecurationem datam à socio non generetur perfecta securitas capitalis: cùm sæpe sinistra fortunæ alea faciat, ut non obstante assecuratione alter patiatur jacturā capitalis.

*Nihilominus nulli passim approbant.*

*Ratio.*

96. *Qui differat à mutuo.*

Quod præterea objicitur contractum illum triplicem non differre à mutuo; falsum est. Socius enim manet dominus pecuniæ (quæ ad societatem spectare censetur) unà cum socio: uti & pro rata sortis collatæ fit dominus mercium in locum pecuniæ succedentium. Unde si arcam communem retinens fiat impotens, is qui pecuniam contulit, potest agere de communi capitali dividendo, & juxta proportionem quantitatis collatæ partem sibi tamquam dominus vindicare ante creditores etiam hypothecarios, saltem si debita non sint contracta nomine communi. Similiter si pecunia sit furto sublata, potest eam tamquam dominus sibi socioque vindicare ubicumque extet.

97. *Extravagans Sixti V. explicatur.*

Quod denique objicitur *Sixtum V. Extrav. Detestabilis* hunc triplicem cōtractum damnasse tamquam usurarium & falsum est. Nam Pontifex solùm damnavit societatem, in qua omne periculum & damnum rejicitur in accipientem contra æqualitatem & justitiam societatis, adeoque noluit prohibere vel reprobare contractus, quos Doctores Classici passim probabant, sed solùm injustos & ab eis reprobatos; ut satis colligitur, tum ex ipso contextu Bullæ, tum ex praxi etiam post Bullam in Italia vigente, tum ex declarata per Cardinales Toletum & S. Severinæ Compositores Bullæ mente Pontificis, apud *Comitolum l.3.Respons. Moral.q.12.n.3.* Videri etiam potest *Reginaldus l.25.n.400. Azorius To.3.* *Reginaldus.* *p.3.l.9.c.3.* Inasta autem non est societas dum non ejus vi, sed ratione accedentis juris contractûs assecurationis (quem jure communi licitum Pontifex non vetuit contractui Societatis addi, ut ex decisione Rotæ apud *Farinacium* patet teste *Bonacina disp.3.q.3.p.11.num.2.*) aufertur à socio periculum sortis. Immo hoc ipsum periculum assecuratus ex parte sustinet, dum ipsum parte lucri sperati redimit; uti si redimeretur à tertio. Quare etiam damni est particeps: dum incertum majus certo minori (quod in carentia partis lucri consistit) redimit.

98. *Altera responsio.*

Aliter dici posset cum *Maldero Tr.5. c.2. dub.9.* & aliis, Pontificem non damnare talem contractum tamquam ex se, seu ex natura rei usurarium & illicitum, sed ob periculum injustitiæ (quod frequenter subesse potest, si pecunia non detur impendenda veræ negotiationi, aut spes lucri detractis per duplicem adjunctum contractum detrahendis non sit tanti valoris) ineundum *post hac* seu *de cetero* & *in futurum* (cujusmodi particulis utitur) jure positivo prohibere, tamquam deinceps illicitum, & præsumptione fori externi usurarium. Lex autem ista positiva non fuit in Belgio promulgata (cùm tamen Pontifex velit illam promulgari in singulis Provinciis) aut usu recepta: quin immo ne quidem videtur fuisse ad usum redacta in Italia, in qua maximè viget & viguit ista contrahendi forma, ut Doctores varii testantur.

99. *Corollarium.*

Hinc colligitur triplicem similiter contractum posse iniri cum rusticis circa animalia, v.g. oves pascendas, ut ipsi periculum in se suscipiant, & quotannis aliquid certi pro fructibus solvant: eodemque modo potest id fieri in rebus quibusvis aliis, modò semper spes fructuum tanta sit, quæ judicio prudentum æquivaleat onerihus

bus alteri impositis. Neque est necesse, ut rudiores intelligant subtilitatem eorum contractuum : sufficit enim si implicitè illos intendant, dando mercatori pecuniam cum animo lucrandi licito modo, eo scilicet, quo alii licitè celebrant tales contractus lucrativos, & ut mercator eodem modo pecuniam accipiat.

100. *An hâc viâ possint omnes usuræ palliari.*

Porrò hinc non sequitur posse tali modo palliari omnes usuras. Nam omisso exorbitanti nimium lucri usufuariorum excessu, non possunt ipsi censeri pecunias suas dare ad societatem : cùm sciant se illis dare, qui non impendent negotiationi. Non ineunt etiam contractum assecurationis : cùm se ipsos assecurent accepto pignore. Emptio quoque lucri certi minoris pro spe incerta majoris non habet locum : cùm in mutuatariis non negotiaturis nulla sit spes lucri. Unde patet triplicem hunc contractum deberi iniri cum negotiatore, pecuniamque veræ negotiationi impendendam esse : ceteri enim sunt steriles ad faciendum ex ea lucrum, ideoque spes lucri vana nec vendibilis est ; secuti si semen esset commissum agro prorsus sterili, spes inde securæ messis, utì vana, sic non esset vendibilis.

# DISPUTATIO QUINTA.

## De Locato-conducto, Emphyteusi, & reliquis Contractibus.

### QUÆSTIO I.

### De Locatione conductione.

1. *Quid Locatio-conductio.*

LOCATIO-CONDUCTIO est contractus, quo usus aut fruitio rei cum mercede commutatur. Includit proinde locationem, quæ est concessio usûs aut fruitionis rei pro mercede ; & conductionem, quæ est concessio mercedis pro eodem usu seu fruitione : ut proinde consistat inter duos, sitque ex parte unius locatio, ex parte alterius conductio. Sub re etiam intelligitur persona, quæ, etsi libera sit, ratione operarum locari-conduci potest, etsi non vendi. Præterea sub re intelligitur, tum mobilis, tum immobilis. Immo etiam jura ad reditus, decimas, vectigalia, beneficia &c. locari-conduci possunt.

*Qua ejus materia.*

*Quis finis.*

Fit autem locatio ad usum vel fruitionem : eò quòd interdum sub elocatione rei, fructus omnes pariter cedant conductori, v. g. dum elocatur ager, vinea, pomarium &c. Interdum usus tantùm, v. g. dum elocatur domus ; equus &c. Quamquam etiam tunc non sit merus usus, sed potiùs ususfructus, quatenus conductor potest rem locatam sublocare ad similem usum *L. Nemo 6. C. de Locato & Conducto.*

2. *An artifex pro altero laborans censeatur locare operam.*

Petes, an artifex pro altero laborans censeatur locare operam, an potiùs vendere alteri ipsum artefactum ? Cujus quæsiti utilitas patet in casu, quo ex venditione deberetur tributum. Resp. ex *L. convenit ff. de contrah. empt.* esse venditionem, quando materia simul traditur ab artifice, v. g. si è suo argento scyphum pro altero conficiat : aliàs esse locationem, si alter materiam subministret. Excipe, quando artifex domum, etiam materiâ à se subministratâ, in fundo alterius ædificat : cedit enim tamquam accessorium domino soli seu fundi, quod inædificatur, sic ut ex parte architecti sit solùm locatio operarum. *L. Sabinus ff. eod.*

3. *Qui differat Locatio-conductio à venditione.*

Est autem Locatio-conductio contractus Emptioni-venditioni affinis, iisdemque ferè regulis constitit. Unde & solo consensu perficitur, sic ut non sit fas resilire, etsi aliud non intervenerit ; nisi mens contrahentium fuerit, ut scripto contraheretur. Distinguitur tamen ab Emptione-venditione, quòd per hanc transferatur dominium rei, secutâ traditione, non per locationem, per quam aliquid solùm datur ad usum vel fruitionem. Præterea in emptione debet pretium consistere in numerata pecunia : in locatione potest interdum (ut varii Jurisperiti contra Nonnullos tradunt) merces consistere in pecunia ferè dicta, sive etiam in aliis rebus fungibilibus, *L. Si Oleï 21. C. de locat. & conduct.* Similiter in locatione agri fruendi, mercedis loco rectè pars aliquota fructuum assignatur locatori, ut patet in colonis partiariis *L. 25. §. Vis major ff. Locati-conducti.* Ordinariè tamen consistit merces in pecunia numerata.

4. *Quam actionem pariat in conductore.*

Parit hic contractus in Conductore, non quidem jus in re, sed tantùm jus ad rem, seu actionem (quæ dicitur conducti, seu ex conducto) in personam locantem, quæ manet conductori obligata. Immo & in heredem, intellige universalem, qui nimirum factum & jus defuncti repræsentat, *arg. L. 59. ff. de reg. juris* ; sic ut hujus contractus ipsum teneant *L. 49. ff. de obl. & act.* Aliud est de successore singulari, v. g. cui domus locata est testamento legata ; quem defuncti factum non stringit, velut cujus personam aut jus non repræsentat. Ita *Zoesius in ff. Locati-conducti n. 40.*

*An etiam in successorem locatio.*

5. *An conductor dejus*

Si domus locata vendatur, potior est emptor (idemque est de usufructuario ; cujus

*sit potior Emptore.*

cujus similiter jus est potentius jure conductoris ) nec debet stare locationi, relictâ tamen conductori actione quantum interest in primùm locatorem §. 25. §. 1. *ff. Locati-conducti*, & *L. Emptorem* 9. *C. de Locato*. Excipe, nisi fiscus ipse sit venditor *L. fin. ff. de jure fisci*, vel nisi aliud sit in pactum à venditore deductum (contractus enim recipiunt pacta ex consensu contrahentium, idemque patet ex *L. Emptorem cit.*) aut per statuta municipalia præscriptum: prout moribus multorum locorum Belgii conductio præfertur ( ut ajunt ) emptioni, & consequenter etiam particulari successioni seu legato, ut habet *Christinæus ad Consuetud. Mechl. Tit.* 8. *a.* 1. *in addit.* eò quod nulla in hoc sit differentia inter contractus & ultimas voluntates.

*Limitatio.*

*Quid moris alibi habeant.*

6. *An major aut vidua stare teneatur locationi antea factæ per tutorem, aut maritum.*

Quæri autem posset, an major factus teneatur stare locationi antea factæ per tutorem donec terminus expiret? Resp. Aff. ex *L. Si tutelæ ff. de administr. tutorum:* eò quòd tutor sit legitimus administrator bonorum pupilli, cujus proinde facta habenda sunt rata & firma. Unde idem obtinet soluto matrimonio in elocatione bonorum paraphernorum factâ per maritum, qui eorumdem erat legitimus administrator. De rei dotalis elocatione verius putat oppositum *Zoesius sup. n.* 49. asserens communiter teneri cum *Bartolo*.

7. *An Beneficiarius teneatur stare locationi factæ per prædecessorem.*

Si autem quæratur, an successor in beneficio teneatur stare locationi factæ per prædecessorem? Resp. Aff. si facta sit per Prælatum tamquam administratorem bonorum Ecclesiæ in utilitatem ejusdem, argumento sumpto ex dictis de tutoribus juxta *L. Tutelæ supra*. Secùs, si facta à per possessorem beneficii nomine proprio & ad utilitatem suam: qui cùm jus habuerit restrictum ad vitam instar usufructuarii ( de quo idem patet *L. 9. §. 1. ff. locati* ) ultrà non potuit elocasse. Excipit *Vallensis in Decretal hoc Tit. §. 1. num. 6.* casum, quo res non esset integra, ut si conciti sint agri, si pendeant fructus, si inchoatus sit annus.

8. *Locator nequit ante lapsum termini rem elocatam repetere.*

Et quidem locator obligatur rem locatam præstare conductori ad usum aut fruitionem pro tempore præstituto, nec citiùs potest conductorem expellere, regulariter loquendo c. 1. *de Locato & Conducto.* dixi *regulariter*: nam c. 3. *eod.* & *L. Ædo. 3. C. de Locato* excipiuntur aliqui casus. Primus, quo supervenit locatori non prævisa necessitas reficiendi v. g. domum, quæ conductore in ea habitante refici nequeat. Quo casu suspenditur interim locatio, uti & pensio pro rata temporis. Secundus, quo incipit ipsi locatori domus esse necessaria ad inhabitandum. Qui tamen casus, cùm sit odiosa materia, non debet extendi ad alias res. Tertius, si conductor in re

*Casus nonnulli excipiuntur.*

conducta malè versetur, v. g. per damnificationem, inductionem infamium personarum &c. Quo casu is non eximitur à pensione, si fortè domus ab alio non conducatur, vel non tanto pretio. Quartus ( qui etiam allegatur ex *L. cùm domini* 56. *ff. Locati* ) ob non solutam toto biennio pensionem, si locatio est plurium annorum ( si sit ad minus tempus, eo lapso mox expelli potest conductor solvere negligens) quantumvis conventio facta fuisset de non expellendo invitum, *L.* 54. *ff. eod.* utpote intelligenda, si tempore debito solvatur pensio. Parans tamen se ad expellendum potest impediri mox offerendo solutionem: nam c. 3. *cit.* dicitur: *Cùm annuum per biennium non solvisset, sibi satisfactione celeri non providit.*

9. *Quæ actio competat locatori in Conductorem.*

E contrà locatori ejusque heredi competit actio (quæ locati seu ex locato dicitur ) in conductorem, qui ad pensionem statis temporibus solvendam obligatur. Quæ obligatio transit etiam ad heredes conductoris: qui pariter tenentur conductione defuncti, quousque terminus expiraverit *Instit. de Locat. §. fin.* & *L. Viam veritatis C. de Locato.* Unde vulgatum illud, quòd mors locationem non solvat. Etsi variis in locis observetur contrarium teste *Christinæo ad Consuetud. Mechlin. Tit.* 8. *a.* 1. *in addit.* præsertim in villis, à quarum conductione vidua post annum depellitur.

*An heres teneatur conductione initâ per defunctum.*

10. *Quando sit pensio solvenda.*

Et quidem nisi aliter conventum fuerit, vel aliud habeat regionis mos circa subjectam materiam, solvenda est pensio in fine anni, aut si locatio sit brevioris temporis, in fine ejusdem: quia sicut emptorem non potest venditor cogere ad solvendum pretium, nisi ex parte sua impleverit contractum, ita nec locator exigere mercedem nisi pleno usu concesso; qui non censetur citiùs plenè concessus. Et quamquam locatio respiciat plures annos, censetur tamen mens contrahentium ( quàm & usus probat ) ut annuè detur pensio anno proportionata, quasi tunc æquivalenter sint plures locationes, seu conductiones annuæ, arg. *L. Scire* 29. & *L. Pluribus* 140. *ff. de verb. oblig.* Quare idem apparet, si fiat conductio v. g. cubiculi, famuli &c. per designationem pretii menstrui, hebdomadalis &c. v. g. aurei per menses aut hebdomadas singulas, quod consequenter apparet menstruè vel hebdomadatim solvendum. Si autem oriatur quæstio, an sit facta solutio, ex apochis seu quitanciis trium posteriorum annorum præsumitur etiam facta quoad annos præcedentes *L. Quicumque C. de Apochis publicis.*

*Ex apochis qui præsumatur solutio quoad annos præcedentes.*

11. *Quæ maneant hypothecata pro pensione locationis.*

Pro pensione verò manent tacitè hypothecati seu oppignorati fructus naturales rei locatæ v. g. fundi *L. In prædiis* 7. *ff. in quibus causis pignus.* Quantumvis primus conductor prædium alteri sublocasset *L. Si in*

lege 24. ff. Locati. Idem est juxta L. Certi 5. C. de locato, & L. Est differentia 9. ff. In quibus causis pignus, de mobilibus in dominum vel in prædium sciente locatore, si prædium sit rusticum, aut etiam eo ignorante, si urbanum, invectis, non quidem transeuntibus (ut merces venales) sed animo, ut ibi maneant durante tempore locationis arg. L. Debito 32. ff. de pignorib. Quæ oppignoratio, ac eoque actio in rem ipsam non tollitur per evictionem, aut traditionem aliis possessoribus factam, præsertim in fraudem, sic ut etiam contra hos maneat actio in rem pro pensione. Nisi mores aliud alibi statuant.

12. *Elapso termino conductor nequit cogi, aut cogere ad prorogationem.*

Finito conductionis tempore, tam locator, quàm conductor eorumque heredes sunt liberi, sic ut non possit conductor invitus detineri in conductione L. Invitos 11. C. de Locato, nec debeat ab invito locatore admoveri, qui nequidem præferentiam primo conductori dare tenetur, etsi offerat eamdem vel majorem pensionem, L. Ne cui 32. C. eod. præterquam in locatione prædiorum publicorum seu fiscalium L. 24. C. de Locat. prædiorum.

*Tolerantia Locatoris post lapsum terminum quid operetur.*

Si verò finito conductionis tempore maneat conductor in re conducta cum tolerantia locatoris, censetur iterata conductio ex tacito consensu, sub iisdem legibus, & cum perseverantia pignorum seu hypothecæ (secùs est de obligatione priùs fortè adhibiti fidejussoris) idque si prædium sit rusticum, solùm pro toto anno sequenti, etsi prior locatio fuisset ad quinquennium; si urbanum, non ultra libitum cujusque, juxta L. 13. §. fin. ff. Locati: nisi aliud habeat consuetudo. Differentia fundatur in annuè colligendis fructibus prædii rustici, cujus ideo conductio nequit convenienter interrumpi; cùm in urbanis qualibet anni parte fructus cedant.

13. *Quando facienda pensionis remissio.*

Denique remissio pensionis pro rata interdum facienda est conductori, si absque hujus culpa, seu casu fortuito, vel vitio rei, ipsa res locata fuerit facta inutilis, puta per nimiam sterilitatem, tempestates, inundationes, periculum ruinæ, bellum &c. L. Si fundus & duab. seqq. ff. Locati. Idem est, si famulus conductus ægrotet: quo tempore conductor non tenetur ad alimenta, secluso alio pacto seu consuetudine. Si verò non usus pendeat à voluntate conductoris, etsi res aliis posset elocari, solvenda est pensio, quamquam si de facto elocata sit non inferiori pretio, cesset prioris obligatio L. Sed addes 19. §. Cùm quidam 9. & L. Qui operas 28. ff. Locati. Similiter juxta d. L. Qui operas ff. Locati, *qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quò minùs operas præstet.* Quod tamen cessat, si absque detrimento alibi operas impenderit L. Sed addes §. cùm quidam ff. eod. Solum enim compensandum est, quantum interest. Immo Varii censent sufficere, quòd facilè potuerit operas suas alibi æquivalenter impendere, ut per ipsius malitiam stet, quò minùs id fecerit. E contrà, qui ante tempus debitum discessit, compensato conductoris interesse (si quod inde acciderit) jus habere videtur ad mercedem operarum pro rata temporis præstitarum. Quòd si statuta alibi eximant conductorem, ea omnquam pœnalia locum habent post sententiam judicis.

14. *Sterilitati ergo qui faciendæ remissio.*

Sterilitas porrò fructuum si tanta sit, ut nulli sint fructus percepti, nulla debetur pensio: si alias sit notabilis, faciendæ est pensionis pro rata diminutio (modicum enim damnum seu sterilitas non debet curari) c. Propter sterilitatem, de Locato, & L. Si merces 25. §. Vis major ff. Locati. Nisi conductor sterilitatem ex pacto in se susceperit, uti frequenter fieri solet, diminutâ idcirco aliquantulùm pensione. Nisi etiam ubertas (quæ ex fructuum copia per se loquendo colligenda, supposito scilicet valore convenienti) anni præcedentis vel subsequentis sterilitatem compenset c. Propter sterilitatem, de Locato, & L. 15. §. Si uno ff. eod. Quòd si nihilominus dominus præcedentis ubertatis conscius pensionem anni sterilis remiserit, donasse censebitur L. 15. cit.

15. *Quæ censeatur magna sterilitas.*

Magna verò sterilitas juxta Nonnullos est, quando non est dimidia pars fructuum consuetorum: juxta plerosque alios, quando detractâ æstimatione expensarum, non supereat, quòd sufficiat solvendæ dimidiæ pensioni, cujus proinde pars æstans remittenda sit. Juxta alios denique res dijudicanda est juxta vulgi opinionem, non tamen secluso arbitrio boni viri, qui habebit rationem ejus quod deductis expensis fructuum remanebit. *Apparet autem* (ut habetur L. 25. §. Vis major ff. Locati) *de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioquin partiarius colonus quasi Societatis jure, & damnum & lucrum cum domino fundi partitur.*

*An remissio hæc locum habeat in colono partiario.*

16. *An damnum evenire oporteat fructibus adhuc pendentibus.*

Mercedis porrò exoneratio pro rata faciendæ locum habet, si damnum acciderit fructibus adhuc pendentibus; quorum quia locator est dominus (cum sint pars fundi) debet ferre damnum. Quod verò perceptis jam per conductorem fructibus accidit, conductori tamquam domino eorumdem facto nocebit, cui etiam locator rei suæ usum jam præstitit. Et quamquam aliàs fructus censeantur percepti, ut colligens sit dominus, per hoc quòd sint à solo separati, in præsenti tamen materia non videntur plenè percepti, nisi in horreum aut alium locum fuerint conjecti: eò quòd tunc demum plenus usus contigerit conductori, ut proinde nocere ei debeat

debeat deinceps damnum superveniens rei, veluti suæ. Ita *Zoesius sup. num.* 24. *Gomez*, quem citat & sequitur *Lessius c.* 24. *dub.* 3. *num.* 18. qui putat eamdem esse rationem, adeoque idem dicendum, si conditis in horreo fructibus fulmen, vel hostis ex improviso superveniens calamitatem inferat.

17. *An pensio augenda ob insolitam ubertatem.*

An verò independenter à præcedenti aut sequenti sterilitate sit augenda pensio ob insolitam ubertatem, quæ nempe non minuat proportionatè valorem, controversia est. *Glossa in Lege* 25. *sup. cit. Lessius sup. num.* 21. & plures alii censent, ex æquitate seu paritate rationis esse augendam, uti in statu sterilitatis diminuendam, ut sentiat onus, qui commodum. Quod satis probabile, quando nempe non ex coloni dumtaxat industria, sed ex casu fortuito id accidit. Oppositum nihilominus attento jure Cæsareo cum aliis verius censet *Zoesius sup. n.* 22. ex *L.* 25. *§. Vis major ff. Locati*, ubi dicitur: *modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur.* Nec aliter attenditur ubertas seu augmentum, quàm si ob sterilitatem præcedentem aut sequentem facta sit vel faciendа foret remissio pensionis, ut patet *L.* 15. *§.* 4. *ff. Locati.* Nec sine ratione, eò quòd in sterilitate colonus magis oneretur, qui tunc non consequitur totum quod sua interest, sed amissâ jacturâ seminis ac laboris & expensarum, solùm consequitur remissionem pensionis pro rata, ut habetur *d. L.* 15. *§. Ubicumque.*

18. *Observanda circa Elocationem bonorum Ecclesiasticorum.*

Circa elocationem bonorum Ecclesiasticorum observandum, eam non posse de jure extendi ad vitam vel ad longum tempus, immo ex Constitutione Pauli II. Extrav. *Ambitiosa de rebus Eccles. non alienan.* non ultra triennium. Principes autem Belgii anno 1608. Edicto sanxerunt, ut sub pœna nullitatis elocationes bonorum Ecclesiasticorum non fiant aliter, vel ad majorem terminum, quàm statutum Synodo Mechlinienſi; in qua alii termini pratis, alii locimis, alii agris præscripti fuerant, pro natura regionis (etsi Romæ postea sit substitutum tempus tantùm à jure præscriptum) qui etiam termini per Edictum probati, sunt in Synodum Antverpiensem anno 1609. regesti, ut habet *Zypæus in Notit. Jur. Belg. §. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

QUÆ-

## QUÆSTIO II.

## *De Emphyteusi & Feudo.*

19. *Quid Emphyteusis.*

EMPHYTEUSIS, latinè idem quod insitio seu implantatio, ut ex legum significat contractum, quo res immobilis alteri possidendа traditur, cum translatione juris in re & dominii utilis, sub lege annuæ pensionis solvendæ domino directo seu proprietario.

*Qui differat à venditione & locatione.*

Estque contractus velut medius inter venditionem & locationem, ut ante constitutionem Zenonis Imperatoris *L.* 1. *C. de jure Emphyteutico* illi assignantis conditionem specialem, fuerit disputatum, ad venditionem, an potiùs ad locationem pertineret. Differt porrò à venditione, quòd per emphyteusim non transferatur dominium directum. A locatione, quòd saltem transferatur utile. Locatio præterea non exigit, ut fiat in re immobili, aut ad longum tempus, nec ut res conducta melioretur, aut sumptibus conductoris conservetur. Ob sterilitatem quoque regulariter non fit juxta communem sententiam remissio emphyteutæ, quæ tamen fit conductori.

*An locatio longi temporis transeat in Emphyteusim.*

An autem locatio facta ad decennium aut ultrà generet jus reale, transferatque dominium utile, adeoque sortiatur naturam emphyteusis, dubium est. Et quamvis plerique (inter quos *Covarruvias, Tiraquellus, Molina, Lessius* & alii referuntur) probabilissimè id asserant, Nonnulli tamen negant, inter quos *Zoesius in ff. Locati n.* 14. eò quòd non satis patere videatur distinctio ista ex juribus inter conductionem longi & modici temporis, si nihil aliud accedat; puta si perpetua fuerit locatio, quæ est ad instar emphyteusios, & facit transferri dominium utile. Unde emphyteutæ etiam dicuntur perpetuarii conductores, vel simpliciter perpetuarii. Vide *Zoesium.*

20. *Quid Contractus Libellaticus.*

Contractus libellaticus differt juxta Jurisperitos passim ab emphyteusi (cum qua & feudo interdum confunditur) quòd sit quasi subalternata emphyteusis aut feudum, seu subemphyteusis aut subfeudum, quatenus est similis contractus inter emphyteutam aut vasallum & aliquem tertium. Addit *Zoesius in ff. Locati num.* 56. contractum libellaticum esse certo tempore renovandum, annumerato pretio; cùm tamen in emphyteusi non debeat necessario pretium dari ab initio, neque necessario sit renovatio. Contractus superficiarius patenter distinguitur ab emphyteusi: per illum enim constituitur jus, & quidem perpetuum, quòd superficiarium dicitur, id est, jus conscendendi & habitandi superficiem, sive ædificium in solo alieno positum, præstitâ mercede

*Quid superficiarius.*

annuâ, quæ solarium dicitur à solo, pro quo penditur, *L. 15. ff. Qui potiores in pignore, & L. 2. §. 17. ff. Ne quid in loco publico.*

21. *Quid contractus censualis.*

Contractus censualis, qui quoque naturâ suâ perpetuus est, tribuit jus perpetuum, cum onere annui canonis, qui census dicitur, indeque bona eo gravata, vulgò dicuntur censualia seu censititia, quæ in plerisque conveniunt cum emphyteuticis, cum differentia in hoc, quòd ob non solutam pensionem non cadant in commissum (etsi alibi in pœnam non soluti census duplum præstetur) possintque vendi, domini directi consensu minimè requisito. Immo addunt Varii transferri in contractu censuali etiam dominium directum, nec in venditione deberi laudimium. Hac tamen in re est attendenda locorum consuetudo: ex qua utique contractus hic descendit. Et quidem in his locis plura sunt hujusmodi censititia bona. Videnturque in dubio censenda potius esse talia, quàm emphyteutica: cum in dubio sit minus gravamen possessori imponendum, & quoad fieri potest, pro ejus libertate judicandum.

*Bona Emphyteutica & Censualia qui differant.*

*In dubio qualia sint censenda.*

*An scriptura sit de substantia Emphyteusis.*

An scriptura sit de substantia emphyteusis, dubium est, quantum ad civilem saltem seu sæcularem (de Ecclesiastica omnes asserunt teste *Castro Palao d. 10. p. 3.*) quamquam communior sententia asserat contra *Cydelium*, *Zoesium* & nonnullos alios existimantes *L. 1. C. de jure emphyteutico* solùm requiri scripturam ad probationem.

22. *Emphyteusis qualiter dissolvatur. lapsu temporis.*

Emphyteusis dissolvitur primò, lapsu temporis præfixi, si quod præfixum sit. Nam etsi contractus de se, & si aliud non exprimatur, sit perpetuus, saltem si de civili sit sermo, admittit tamen conditiones seu pacta, quæ contrahentes apponere possunt *L. 2. & 3. C. de jure emphyteut.* Attamen debet juxta Doctores tempus præfigi, sive indeterminatum ad vitam unius aut plurium, sive ad aliquot generationes; vel determinatum, sed longævum, seu non minus decennio.

*Qualiter interitu rei.*

Secundò interitu rei. Si pars solùm intereat, adhuc obligatur emphyteuta ad pensionem annuam *L. 1. C. de jure emphyteut. & Instit. de Locat. & Conduct §. 3. Adeò.* Si tamen solutio sit facienda ad mensuram ipsius rei emphyteuticæ, v. g. pro singulis jugeris agri aureus, & medietas agri periisset, sola medietas aureorum solvenda esset. Si etiam pensio esset magna, ut ferè correspondeat fructibus ex locatione pendendis, æquitas potiùs, quàm juris dispositio dictat faciendam remissionem. Quod & ad casum sterilitatis vel non culturæ ob bella nonnulli extendunt. Et quidem Philippus II. anno 1587. circa præstationes annuas ob vastitatem hostilem non solutas in his locis, providum, etsi temporaneum, edidit decretum huc spectans; de quo *Zypæus in Notit. Jur. Belg. §. de Reditibus & eorum luitione.*

Tertiò solvitur emphyteusis culpâ emphyteutæ, ex qua (nisi aliud habeat consuetudo, aut conventio particularis) ipsa cadit in commissum ob dilatam pensionis, etsi modicæ aut non postulatæ, solutionem per biennium in emphyteusi Ecclesiastica c. *fin. de Locato*, per triennium in civili *L. 2. C. de jure emphyt.* idque non præcisè ipso facto, sed (ut dicitur *L. cit.*) *si dominus voluerit.* Hoc autem voluntatem suam declarante alia sententia judicis de jure non requiritur; nisi emphyteuta domino possessionem occupare volenti resistat, aut controversiam moveat, per judicem utique causâ cognitâ dirimendam.

23. *Qualiter culpâ Emphyteuta ob non solutam pensionem.*

Censetur tamen juxta Doctores passim proprietarius nolle uti jure commissi, exigendo vel recipiendo pensionem, saltem postea cessam.

24. *An expelli possit, qui partem pensionum intra triennium solvit.*

An autem expelli emphyteuta possit, qui partem solvit, etsi non integras triennii pensiones, variant Doctores: nam aliqui ajunt, alii negant: alii denique consonè ad *L. 2. C. de jure emphyteut.* temperant, dicendo, tunc solùm posse, quando solutiones intra triennium factæ non ascendunt ad integram aut quasi integram unius anni pensionem. Similiter disputant, an si ex pluribus emphyteutæ heredibus unus à solutione cessavit, cadat tota emphyteusis in commissum, an solùm pro parte. Item an sicut celeri satisfactione mora purgari potest in emphyteusi Ecclesiastica arg. c. *Potuit, de Locato*, sic & in sæculari. An verò vel qualis excuset justa ignorantia, aut aliæ causæ, disserit *Castro Palao d. 10. p. 8.*

25. *Qui Emphyteuta excidat jure suo ob deteriorationem rei.*

Cadit præterea jure suo Emphyteuta, uti conductor, sic ut expelli possit, qui rem emphyteuticam culpâ suâ notabiliter fecerit deteriorem, *Authent. Qui rem. de Sac. oss. Eccles.* ubi sermo de Emphyteusi Ecclesiastica. Idem tamen ad civilem extendit recepta Doctorum sententia, præsertim cùm Emphyteusis ex ratione suæ respiciat meliorationem, ad quam res in Emphyteusim datur. Similiter ob melioramenta, vel rem Emphyteuticam non agnito domino alienatam, excidit à jure *L. 3. C. de jure Emphyteut.* Requiritur tamen, ut alienato sit perfecta seu completa, nempe per traditionem. Quare per locationem modici temporis non cadit à jure suo. Quod similiter censent plures de concessione in subemphyteusim. Sed oppositum verius censet *Zoesius in ff. Locati n.* 104. eò quòd per illam fiat alienatio, seu translatio dominii, scilicet utilis.

*Vel ob alienationem sine consensu domini.*

De

26. *An idem de donatione.*

De donatione, an ad eam requiratur consensus domini, variant Doctores. Negat *Tulder in Cod. de jure emphyteut. n.* 11. Oppositum tamen censent plerique alii: eò quòd consensus domini non ideo tantùm requiratur, quod in ejus arbitrio sit, ut offerendo idem pretium præferatur emptori *L. 3. C. de jure emphyteut.* Sed ob hoc quoque, quòd domini interesse explorare qualitatem novi emphyteutæ, tum ob laudimium solvendum pro investitura, tum ob pensiones annuas seu conventa cum primo emphyteuta. Addunt varii, liberum esse domino rem ad se revocare, tradendo donatario rei æstimationem, utì dando seu refundendo pretium venditionis.

27. *Laudimium quid, & qualiter debitum.*

Quovis autem modo emphyteusis v.g. venditione, legatione seu donatione alienatur, debet à novo emphyteuta pro admissione domino directo solvi jus dominicum, quod laudimium dicitur, fortè à laudando, eò quòd dominus directus alienationem debeat laudare seu probare. Nec potest excedere jure cõmuni partem quinquagesimam pretii, si res sit vendita, vel æstimationis, si gratuito seu lucrativo titulo alienata. Consuetudine verò alibi est pars trigesima, alibi quinta, alibi decima aut duodecima.

28. *Quid Feudum.*

Feudum accipitur frequẽter pro re quæ datur in feudum, seu prò fundo beneficiario. Hîc autem sumitur pro ipso contractu feudali, qui est concessio rei immobilis aut æquivalentis cum translatione dominii utilis sub onere fidelitatis & obsequii personalis. In quo distinguitur ab emphyteusi, cui inest onus pensionis realis. Quòd si interdum jungatur aliquid reale in recognitionem domini directi præstandum à vasallo seu feudatario, miscetur eatenus aliquid de emphyteusi. Et quidem sunt contractus adeò affines, ut etiam nomina sæpe confundantur. Si onus personale vasallus requisitus præstare detrectet, feudum cadit in commissum.

*Qui differat ab Emphyteusi.*

29. *Quis Feudi capax.*

Feudum jure dari potest, non tantùm personæ clericali, sed & Ecclesiæ: quamquam apud nos non feuda tantùm, sed & quæcumque immobilia in Ecclesiam transcribi vetitum sit, sine gratia seu amortizatione Principis. Similiter etsi feudum censeatur datum pro solis descendentibus seu heredibus masculis, nisi aliud sit expressum: apud nos tamen devolvitur etiam passim ad feminas, pro quibus etiam censetur concessum, nisi probetur oppositum teste *Zypæo in Not. Jur. Belg. Tit. de feudis.*

30. *Homagium præstandum.*

Quomodo autem relevari feudum debeat, qualiter item præstari juramentum fidelitatis (à quo Ecclesia quidem excipitur; sed substitui ei per mores debet aliquis, quem hominem morientem vocant) cujus præstationem & unà subjectionem complectitur homagium, vide apud *Zypæum sup.* ubi etiam cùm egisset de alienatione, quatenus Jure feudorum & in Imperio veritâ, sine consensu domini directi, subdit, quod in Gallia, & ferè apud nos, præsertim in Brabantia, patrimonialium & alodialium seu alaudialium (sic sunt dicta, quasi à laudimio exempta) vice sunt, distrahanturque inter vivos agnatis non requisitis, & domino invito, qui acceptis laudimijs alterum investire teneatur. In Flandria non æquè: sed adhibiente agnato proximo, vel juratâ paupertate, & annuente domino. Similiter apud Brabantos promiscuè obtineri solet licentia testandi de feudalibus: de qua & varijs quæstionibus inde resultantibus particulariter disserit *Kinschotius Tractat. De Licentia testandi.*

*Alienatio qui vetita, remissivè.*

*In Gallia & Brabantia sunt fere instar patrimonialium.*

*Quid in Flandria.*

*Licentia de ijs testandi hic promiscuè conceditur.*

Feudo præterea vendito, dominus potest ipsum retrahere ad se, feudoque principali, seu dominio suo adjungere, persoluto pretio, salvo tamen jure propinquitatis proximi heredis ex Edicto Caroli V. 1520. de quo in *Cod. Belgico V. Leenen §.* 22. Alienatio feudi uti jure vetita vasallis, ita & dominis: sed vicissim utì hîc per mores vasallus alienat feudum invito domino, sic & vasallis invitis, ipse dominus.

31. *Feudo vendito quæ præferentia domino competat.*

Amittitur feudum à vasallo, si investituram non petat, & magis si obsequium requisitus præstare detrectet, vel si dominum neget, feudive conditionem inficietur. Quod ultimum, inquit *Zypæus suprà*, & mores servant, etsi non æquè rigidè primum. Si tamen feudum negans justâ causâ vel ignorantiâ moveatur, dignus erit veniâ, ut habet *Zypæus in Analysi Juris Pontif. Tit. de Feudis.* Si quoque vasallus à domino malè excipiatur, fundi proprietas vasallo consolidatur, secundùm jus feudorum. Sed quia hæc materia per speciales locorum leges admodum variatur, hæ cuique suo loco sunt inspiciendæ.

32. *Qualiter amittatur.*

*Qualiter proprietas Vasallo consolidetur.*

## QUÆSTIO III.

### *De Commodato, Deposito, Mandato.*

33. *Quid commodatum.*

COMMODATUM & depositum frequenter accipiuntur pro ipsa quæ commodatur vel deponitur: hîc autem pro contractu, qui fit gratiâ accipientis, & quidem communiter solius, si de commodato sit sermo, vel solius tradentis, si de depositio.

Commodatum itaque est contractus quo res gratis utenda conceditur ad certum tempus, eo finito restituenda.

*Et qualiter in eo determinetur tempus.*

Tempus porrò determinatur, vel expressè, v.g. cùm ad annum conceditur equus: vel tacitè, ratione expressi usus vel finis, v.g. cùm equus conceditur pro certo itinere

nere conficiendo, liber ad transcribendum &c. ubi contineri censetur tempus prudentis arbitrio ad talem usum necessarium.

34. *Qui differat à locatione.* Distinguitur à locatione, quòd hæc requirat mercedem, seu non fiat gratuitò. Unde *Instit. Quibus modis re contrah. oblig.* §. 2. *in fine* dicitur: *Alioquin mercede intervenente locatus tibi usus rei videtur. Gratuitum enim debet esse commodatum*, propriè sumptum.

*A mutuo.* A Mutuo distinguitur, quod per commodatum non transferatur dominium, adeoque per se loquendo pereat commodanti, & fortuitò pereat: quodque sit restituenda eadem res, quæ accepta.

35. *A Precario.* A Precario (quod tamen etiam est quoddam commodatum latiùs acceptum) differt, quòd hoc ad preces recipientis concedatur ad nutum concedentis semper revocabile. Unde etiam concessum sine temporis determinatione perseverat, quousque revocetur, seu concedentem pœniteat, vel moriatur qui accepit. Communis tamen sententia adstruit precarium, nisi rationabilis causa intercedat, pro aliquo saltem & necessario planè tempore sustinendum esse, ne concessio censeatur ridicula & illusoria, neve concedens præsumatur concessione mox revocandâ recipienti nocere voluisse, qui eum juvare debuerat, *L. In commodato §. Sicut autem ff. Commodati*, sic ut incontinenter revocans, exceptione doli videatur repellendus, juxta *Abbatem, Covarruvias, Molina, Menochium, Rebellum*, ut refert *Castro Palao d. 3. p. 5.*

*Quando hoc expiret.*

36. *Quid Precaria.* Cum precario affinitatem quamdam habet Precaria de qua in Decretalibus *Tit. de Precarijs.* Estque contractus, quo ob merita præterita vel sperata alicui veluti precarius usufructus prædii Ecclesiastici conceditur quinto quilibet anno renovandus. Estque ideo quædam donatio remuneratoria; vel si sit pensio præstanda, similis locationi aut emphyteusi.

37. *Quæ servanda à commodatario & cõmodante.* Nequit autem Commodatarius uti re ad alium usum, quàm ad quem cõmodata est *L. Si ut certo §. Quin immo ff. Commodati* & alibi, aliàs (nisi omnino præsumatur de domini voluntate) etiam furti tenetur. Neque repeti potest à commodante ante expletum tempus seu usum præfixum. In casu verò, quo damnum non præviſum imminet cõmodanti, etsi simile immineat commodatario, posset res repeti ante tempus, argumento à fortiori ex locatione desumpto, & quasi ex tacita conditione huic contractui veluti gratuito inclusâ ex mente commodantis, *nisi ipsum eâ graviter indigere contingat*: uti censet *Lessius c. 27. dub. 5.* & plures alii. Quod tamen negat *Navarrus*, & in casu, quo Commodatarius non potest aliâ viâ sibi consulere, *Angelus, Silvester, Lopez* apud *Cessium sup.*

*An hic rem repetere possit in casu subitæ indigentiæ.*

38. Depositum est contractus, quo aliquid traditur alteri custodiendum absque promissione aut datione mercedis, adeoque in specie reddendum, ad libitum scilicet deponentis. Unde per hunc contractum non transit in depositarium dominium, neque possessio, neque etiam usus rei. Ut proinde depositarius non possit uti deposito; nisi adsit consensus deponentis: aliàs etiam furti reum se facit, *L. 3. C. Depositi.* Ex quibus satis patet, qualiter distinguatur depositum à mutuo, commodato, precario, locatione. Quòd si merces sit promissa custodienti, miscetur eatenus contractus locationis; prout contingit in depositarijs publicis, qui esto ex singulis depositis non accipiant mercedem, accipiũt tamen ratione officii quod habent. Similiter si tradantur res fungibiles alicujus custodiæ, cum facultate, ut depositarius possit ijs uti, cum obligatione reddendi tantumdem eorum, quæ reperta fuerint esse consumpta, miscetur eatenus contractus mutui.

*Quid depositum.*

*Quando si misceatur locatio aut mutuum.*

Est quoque species depositi, quod sequestrum seu sequestratio dicitur, cùm res aliqua, de qua duo vel plures litigant, deponitur penes tertiam personam, quæ sequester vocatur, cujus fidem eligunt & sequuntur ipsi litigantes, si sit sequestrum voluntarium, vel eligit ipse judex in sequestro necessario. De quo vide plura apud Jurisconsultos, signanter *Zoesium in Tit. depositi vel contrà.*

39. *Quid sequestrum & quotuplex.*

*An restitutio depositi possit differri per objectam compensationem.*

Speciale denique est depositum, quòd illud repetenti mox reddendum sit, neque possit differri per objectam compensationem *L. Si quis C. depositi:* eò quòd appareat contra fidem; cùm depositarii fidei committatur merè ad custodiam, & eâ conditione, ut restituatur quandocumque repetenti.

40. *Quid mandatum.* Mandatum est commissio alicujus rei gratis gerendæ aut expediendæ alteri acceptanti facta, cui respondet in altero gratuita injuncti susceptio. Sic ut contractus mandati perficiatur mandato, & simul mandati susceptione. Porrò ubi merces operæ constituitur, locatio est: nisi quid detur honorarii & remunerationis loco, potiùs quàm pretii seu mercedis operarum.

*Quotuplex.* Mandatum aliud est Judiciale seu ad lites: aliud Extrajudiciale seu ad negotia. Item aliud Speciale, ad certam scilicet causam datum: aliud Universale, seu ad universitatem causarum aut negotiorum. Aliud item Expressum, scilicet verbis, literis, nuntio: aliud Tacitum, quod ex actis seu circumstantijs colligitur; prout mandare creditur, qui præsens patitur alterum pro se fideiubere *L. 60. ff. de Reg. juris.*

41. *Ad quid obligetur mandatarius.* Obligatur mandatarius ad mandatum fideliter diligenterque adimplendum: aliàs non peracto aut malè peracto negotio obligatur mandanti ad id quod interest, nisi tempe-

tempestivè officio renuntiarit, aut justa causa eum excuset. Mandato peracto mandans vicissim obligatur idem ratum habere, & in iis, quæ eâ occasione egit, laboravit aut industriè fecit, mandatarium indemnem reddere, quatenus non excessit fines mandati; ne officium sit ei damnosum. In quantum autem excessit, si cedat in commodum mandantis, & non aliàs, exigit æquitas, ut mandatarius non minùs quàm negotiorum gestor servetur indemnis, ne mandans ditetur damno alieno arg. *L. 2. ff. de Negotiis gestis*, & *L. 2. C. eod.* ut proinde ratum habere nolenti cogendus non sit mandatarius cedere rem cum proprio detrimento. Quamvis *Hopperus* apud *Zoesium in ff. Mandati nu. 20.* censeat propriè tali non competere actionem negotiorum gestorum, eò quòd prohibito negotia gerere (prout apparet prohibitus per illum, qui mandatum certis concluſit finibus) nec mandati, nec negotiorum gestorum actio competat *L. 40 ff. Mandati.*

*Ad quid mandans.*

42. *Quibus modis mandatum expirat.*

Cessat mandatum lapsu temporis adjecti: morte mandantis, re integrâ, seu nondum agi cœptâ: morte mandatarii, integro similiter mandato: revocatione, si res integra sit, insinuandâ (excipe matrimonium, in quo sufficit sola voluntas revocantis, etsi non insinuata) mandatario; aut etsi non integra, præstito, quod interest mandatario revocari mandatum: renuntiatione, quæ non minus libera mandatario, quàm sit revocatio mandanti; quatenus res est integra: aliàs tenetur mandatarius perficere negotium, vel ad id quod interest, nisi justa causa renuntiationem acceleratam excuset.

43. *Quid Procurator.*

Nomine mandatarii continetur etiam Procurator, qui scilicet aliena negotia mandato domini administrat, sive ad lites, sive extra judicium. Debet autem regulariter constare de mandato; quod quidem ipso statim ingressu litis est exhibendum à procuratore, id exigente parte *L. 24. C. de Procurat.* Quod tamen fallit moribus saltem variorum locorum in marito respectu uxoris. Et si credimus *Valerio Andreæ ad Instit. De iis per quos agere possumus, in addit. n. 2.* usus forensis apud nos, & passim is ferè invaluit, ut procurator admittatur sine mandato, sic tamen ut illud vel ratihabitionem domini intra certum tempus exhibere jubeatur.

*Qui debeat in Procuratore ad lites constare de mandato.*

44. *Qua ætas in Procuratore requisita.*

Porrò necesse est, ut procurator ad negotia extrajudicialia juxta *Molina Tr. 2. d. 551. in fine* sit non minor 17. annis, ad judicia non minor 25. annis. Sed postremum quidem requiritur jure Canonico *c. 5. de Procuratoribus in 6.* Idemque jure Civili obtinere Veteres voluerunt. Verùm modernis placet etiam ad judicia talem ætatem jure Civili non requiri; sic ut & Advocatus minorennis, sed major 17. annis, ad postulandum admittatur. Immo nec in Procuratore ad negotia requiri annos 17. contendit *Sanchez l. 3. de Matrim. d. 41. n. 8.* & alii. Vide etiam *Zoesium in ff. de Procurator. n. 11.* & *ad Instit. Quibus ex causis manumitt.*

*An possit alium substituere.*

Inter Procuratorem ad negotia & ad lites etiam hanc differentiam tradit *Molina sup.* quòd hic nequeat citra specialem commissionem alium substituere, iste autem possit, excepto saltem procuratore ad matrimonium, qui juxta *Sanchez l. 2. disp. 11. n. 5.* solùm potest per se ipsum exequi mandatum. Negotiorum gestor à mandatario distinguitur, quòd is absentis & ignorantis negotia gerat, adeoque sine mandato. De his plura *Molina sup. & d. 254.* Jurisperiti in *Titulos de Procuratoribus, Negotiis gestis, & mandati.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Assecuratione & Sponsione.*

45. *Quid Assecuratio.*

Assecuratio est contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit. Ordinariè id fit interveniente pretio (etsi gratis quoque fieri posset, quando foret quædam promissio vel donatio) quod datur assecuratori pro qualitate periculi, quod in se suscipit, compensandi æstimationem rei assecuratæ, secundùm quod ipsa æstimata fuerit in pacto seu conventione (utì plerumque fit ad controversias vitandas: aliàs spectanda foret æstimatio rei in se) si, vel quatenus perierit. Unde est instar contractûs innominati, *facio, ut des.* Aut etiam potest censeri quædam venditio, quatenus vèditur assecuratario periculum rei ejusdem, aut periculi alieni susceptio, adeoque æstimatio rei compensanda, si pereat. Quare debet assecurator habere bona sufficientia, quæ æquivaleant æstimationi rei assecuratæ: aliàs enim non potest alterum reddere securum, qui tamen se propterea obligat ad certum pretium.

*Ordinariè fit pro pretio.*

*Qualis sit contractus.*

46. *Circa periculum, aut post cognitam mercis interitum non est locus.*

Hinc etiam si nullum subsit periculum, sive quia merces jam sunt in salvo, sive quia viæ sunt tutæ, assecurator nihil potest exigere. E contrà is qui sciret merces suas jam periisse, non posset cum alio de assecuratione transigere: obligaret enim assecuratorem ad impossibile; cùm præstatio periculi supponat, non esse certum rei interitum. Deinde dolus daret causam tali contractui.

47. *Si communiter subsit periculum, sciès id modò non subesse, an paciſci queat de pretio assecurationis. Affirmativa opinio suadetur.*

Si tamen communiter soleat subesse periculum in tali via, tempore vel ratione alterius circumstantiæ; quamvis privatim constet assecuratori nullum jam subesse periculum, videri posset, & asserit *Lessius c. 28. dub. 4. num. 29. Filiucius Tr. 37. c. 1. num. 8.* talem licitè paciſci de pretio assecurationis, quantum possent aut solent alii accipere id ignorantes; præ quibus non videtur esse deterioris conditionis.

Quòd inſuper facit, quòd periculum iſtud communiter jam habeat ſuam æſtimationem. Sicut merces poſſunt vendi pretio vulgari fundato in raritate mercium; etſi venditor ſciat occultè multas merces latere.

48. *Negativa probatur.* Nihilominus de veritate hujus doctrinæ non ſatis conſtat, eaque negatur non ſine fundamento à *Salonio de Contractu aſſecurat. art. 2. n. 7. Lugo diſp. 31. ſect. n. 96.* & aliis; eò quòd aſſecurator non accipiat pretium aſſecurationis ut aliquid taxatum ex populi judicio, ſed quia verè judicat periculum ſubeſſe: nam idem petere poſſet, licet communiter judicaretur non ſubeſſe periculum, dummodo ipſe prudenter judicaret periculum ſubeſſe.

Confirmatur: quia ſi in aſſecuratione procedendum foret ex communi præſumptione, etſi falsâ, conſequens foret, quòd ipſe mercator ſecretò & certo ſciens navem periiſſe, etſi communiter id non ſciretur, vel etiam oppoſitum crederetur, poſſet licitè aſſecurationem petere: quod tamen nemo admittit. Quocirca nec pretium aſſecurationis ſtipulari poteſt, qui ſecretò & certò ſciret omne prorſus periculum ceſſaſſe, v. g. quia navis jam eſt in portu, non obſtante communi exiſtimatione oppoſitâ.

49. *Quid Sponſio.* Sponſio eſt contractus, quo duo vel plures de veritate vel de eventu alicujus rei contendentes, invicem aliquid ſpondent, ut id ejus ſit, qui veritatem fuerit aſſecutus. *Quæ licita.* Contractus hic indubiè apparet per ſe, & ex natura rei licitus: ſicut enim liberaliter, ſic & ſub conditione libera vel fortuita poteſt unus alteri rem ſuam cedere ſeu donare. Poſſet tamen ex parte materiæ interdum eſſe contractus illicitus, ut ſi contendatur v. g. de majori exceſſu in potu. Nihilominus duo licitè inter ſe contenderent de peccato tertii, ſeclusâ omni ad illud cooperatione. *Qui illicita.* Immo & cum eo, qui periculum peccandi patitur, & ſuperare proponit, poſſet alius inire ſponſionem de ſecuturo peccato, quatenus nempe ſic alterum ſpe victoriæ lucroſæ firmet in cautela peccati. Secùs foret, ſi alio ſe peccaturum affirmante, tu contrarium oblatâ ſponſione contendas: ſic etenim timore damni, ſi non peccet, incurrendi, urges alium ad peccatum.

50. *An licitum ſpondere ſuper morte alterius.* Quòd ſi Sponſio ſit de eventu indifferenti, v. g. de morte Petri hoc anno ſeu menſe ſecuturâ, adhuc per ſe iniqua non eſt; etſi per accidens inde captari ab alio interdum poſſet occaſio alicujus peccati, puta deſiderandi, aut procurandi Petro mortem. Prout eo non obſtante ſunt per ſe liciti cenſus vitalitii, uſusfructus &c. quæ ad vitam alterius ſolùm durant. Præterea licita eſt donatio poſt mortem alicujus habitura effectum. Verumtamen rationabiliter tales ſponſiones, præſertim circa mortem Principum, poſſent per leges poſitivas prohiberi & annullari: prout de facto fecit *Gregorius XIV. Conſtit. 4. Cogit nos*, circa Sponſiones ſuper vita, morte, vel futura electione Romani Pontificis, ac promotione S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, adjectâ excommunicatione Papæ reſervatâ.

51. *An liceat inire ſponſionem de non ſecutura collatione beneficii.* Circa Sponſionem à prætendente beneficium initam de non ſecutura collatione in ſuum favorem, ea quidem licita eſt, ſi ineatur cum aliquo, qui nil poteſt ad id conferre ſeu prodeſſe. At ſi ineatur cum ipſo patrono vel collatore (idem eſt de eo, qui noſcitur multùm valere apud patronum vel collatorem) manifeſtè apparet practicè loquendo (quidquid ſit de ſpeculatione) palliata ſimonia: ſic ut non tam ſit ſponſio ſuper eventu futuro, quàm oblatio pretii ad movendum Collatoris animum, ſive obtinendum ab eo beneficium. Eſtque cum proportione reprobanda ſponſio ſuper non obtentione officii ſæcularis, pro qua vetitum ſit offerre aut dare vel accipere munera.

52. *Qui ſponſio utrinque exigat incertitudinem.* Communiori quoque Doctorum ſententiâ eſt neceſſaria in utroque ſpondentium incertitudo eventûs, ut ſervetur æqualitas contractûs oneroſi. Quæ in præſenti conſiſtit in eo, quòd pro rata periculi utrinque timendi, ſinguli invicem cedant ſpem æqualiter æſtimabilem accipiendi quod ſponſum eſt pro aſſequente veritatem. Tota autem æſtimabilitas ſpei concidit per certitudinem veritatis in altero, qui proinde non fert æquale onus.

Nihilominus *Malderus Tr. 1. c. 12. dub. 1.* Item *Toletus, Saa, Layman* & alii, quos citat & ſequitur *Diana P. 7. Tr. 9. Reſol. 62.* cenſent talem non teneri ad reſtitutionem, quando certificatus non ſimulat contrarium, ut fraude iſtâ inducat alterum ad ſponſionem (cui quidem tunc dolus cauſam daret) quaſi nimirum in hujuſmodi contractu fortunæ æqualitas ſpectanda ſit, non pœnes paritatem incertitudinis, ſed æqualis obligationis ad ſolvendum, quæ citra fraudem fuit expoſitum; ſi affirmatio non confirmetur eventui, ſcientiâ ipſâ majori ſe habente acceſſoriè, adſcriptoque damno temeritati alterius, ſine majori inquiſitione contendentis. *An etiam, dum certus de eventu indicat alteri certitudinem.* Qui conſequenter id cenſent in caſu, quo certus de eventu, certitudinem ſuam ingerit, eâque non obſtante alter pertinaciter ſponſionem urget. Quod ipſum tenet *Sanchez* & plures alii communis ſententiæ ſectatores: etſi id conſequenter negent *Molina diſp. 508.* & *Lugo diſp. 31. ſ. 6. num. 81.* eò quòd proteſtatio iſta non tollat inæqualitatem contractûs magis, quàm ſi proteſtatus de falſitate gemmæ, vendas illam alteri pertinaciter contendenti eſſe veram, & ut talem emere volenti; ubi exceſſum pretii non juſtificat proteſtatio, niſi

testatio, nisi gratis donetur, quod non supponitur. Quod quidem consequenter satis dictum videtur, supposito quòd nolit alter spontè seu gratis cedere inæqualitatem, quæ subesse posset. Nihilominus in tali casu non improbabiliter dicitur (videturque consonum usui & sensui spondentium) sponsorem plerumque gratis alteri condonare (ut vulgò tunc aiunt) certitudinem eventûs, adeoque eâ non obstante cedere rem expositam. Magis autem id verum est, quando initio sibi persuasus de certitudine eventûs, occasione alienæ audaciæ, & aliàs repertæ propriæ deceptionis, incipit quoque dubitare; prout in praxi frequenter contingit.

53. *An cum quatuor idè pretendentibus liceat seorsim spondere de non eventu.*

An autem quatuor v.g. conspirantibus ad idem officium liceat alicui seorsim cum singulis spondere de non obtentione, idque ob certum lucrum spondentis, qui necessariò debet lucrari cū tribus, & perdere cum unico reverà obtenturo, dubitatur. Negant nonnulli apud *Diana P.4. Tr.4. Resol.185.* Alii asserunt, eò quòd singulæ sponsiones seorsim sint justæ & licitæ, v.g. duæ priores, nec videantur infici per accessum tertiæ vel quartæ, cùm possit subsistere utrimque in singulis satis proportionata paritas dubii de veritate eventûs: per hoc quoque, quòd spondens sibi per industriam aliunde providerit contra casum seu damnum, non fecerit aliis injuriam.

54. *An qui facta sponsione de victoria v.g. in cursu, detrectat curtor, perdat.*

Petes, an si inter Petrum & Paulum facta sit sponsio circa victoriam in celeritate cursûs, dein verò Paulus currere detrectet, hic teneatur solvere expositum in sponsione? Respondent varii cum *Azorio P.3.l.11. de Sponsionibus c.1. dub.7.* Affirm. eò quòd cùm per Paulum stet, ut cursus non fiat, conditio censeatur habenda pro impleta. Quod quidem admittit *Lugo sup. num.89.* quando cōtractus fuisset initus per modum meræ sponsionis de veritate eventûs. Secùs si per modum provocationis ad ludendum (prout censet cōmuniùs debere hujusmodi sponsiones intelligi) eò quòd tunc videatur interrio ludendum, se obligare quidem ad non recedendum à lusu cœpto, non tamen ad ipsum lusum, quousque non sit inchoatus.

## QUÆSTIO V.

### *De Ludo.*

55. *Quid ludus.*

LUDUS propriè & generaliter loquendo sumitur pro dictis aut factis ad relaxationem animi exerceri solitis; in quibus si modus servetur, reperitur decor seu honestas. Frequenter autem fit per modum certaminis cujusdam ad competentem animi oblectationem destinati. Cui quidem ad stimulum quemdam solet adjungi pactum, seu contractus quidam, eâ lege initus, ut victori res utrimque exposita cedat. Et de ludo pro hoc contractu sumpto hîc agitur. Hic verò ludus ex natura rei indubiè licitus est per se loquendo, sive victoria pendeat ab industria, sive à casu fortuito. Neque etiam fit illicitus ex intentione, dummodo moderata sit, lucri, utpote justi; qualis etiam solet esse in jis, qui alios contractus ineunt.

*An per se licitus.*

*Etiam cum intentione lucri.*

Ad justitiam verò hujus contractûs solent requiri non nullæ conditiones, nimirum ut ludentes haberent liberam dispositionem sortis expositæ: utque unus non induxerit alium per vim vel fraudem: ac ut non adhibeatur fraus contra leges ludi, quæ proinde servandæ sunt.

56. *Quas conditiones postulet.*

Leges porrò ludi sunt, quas sibi ludentes ipsi præfigunt; aut alioquin, quæ receptæ sunt primo loco, vel apud eam gentem, cujus more luditur. Unde qui oppositas fraudes adhibet, tenetur restituere lucrum per illas comparatum, immo & reparare damnum alterius alioquin lucraturi: quamquam si eventus fuerit utrimque paris dubietatis, sufficiat reddere quod accertum est.

*Leges ludi quæ.*

*Fraudes non permissæ quid operentur.*

Hujusmodi fraudes sunt, si quis adstantium significet alteri occultè obtingentem qualitatem seu sortem chartarum; si socius non seriò adjuvet socium, sed potiùs conspiret cum parte adversa; vel si plures conspirent ad eumdem decipiendum; si quis plura puncta pro se numeret, vel pauciora pro adversario, quàm verè habeat; si non solùm casu aut ex negligentia adversarii, sed studiosâ fraudulentiâ sortem alterius inspiciat; si aleis aut taxillis, aliisque instrumentis fraudulentis, quibus perdere non possit, utatur &c.

*Quænam sint tales.*

Variæ nihilominus fraudes censentur communi usu, adeoque secūdùm leges ludi (secundùm quas contractus fieri, & consensus ludentium ferri censetur) permissæ. Qua in re attendenda consuetudo locorum passim probata seu recepta, & in dubio standum judicio peritorum in ista arte. Tales censentur v.g. si ludens advertat partem in distributione chartarum errare, & dissimulet, ut deprehenso errore pars mulctetur. Item juxta plerosque Doctores, si advertat ex errore aut oblivione (quam alter non tenetur suâ admonitione supplere) pauciora numerare puncta, quàm habeat; propter quod etiam supplendo numero locus non solet dari, si postea recordetur. Similiter qui inter ludendum advertit sortem sibi contigisse inferiorem, potest stratagemate quodam alterum invitare ad augendam sponsionem, ut alter territus victoriam cedat; vel potiorem sortem chartarum dissimulare, ut alter perditurus sponsionem augeat. Item potest in ipso chartarum lusu dicere differentiam earum, observatis certis notis.

57. *Quænam fraudes permissæ.*

58. *Æqualitas qua inter*

Præterea communiter Doctorum sententiâ requiritur æqualitas consistens in spe

*ludentes requisita.*

spe utrimque æquè æstimabili, accipiendi sortem in ludo expositam, quatenus non intervenit condonatio: eò quòd in ista spe reciproca consistat datum & acceptum. Æstimabilitas autem illius fundatur, partim in valore rei speratæ seu expositæ, partim in verisimilitudine illam obtinendi. Ex quo Doctores communiùs inferunt eum, qui adeò excedit in peritia ludendi, ut careat periculo perdendi, non posse lucrari rem expositam; utì nec in sponsione is, cui veritas, de qua contenditur, est omnino certa. Non requiritur tamen utrimque peritia mathematicæ æqualis, utì universalis praxis docet (sic enim non esset locus concertandi de præcellentia) sed sufficit, ut excessus non sit notabilis, seu sit aliquo modo dubius, adeoque moralis quædam æqualitas, aut certè magis peritus excessum cõpenset expositione præmii amplioris, usu instrumenti minùs idonei, pacto plurium victoriarum sibi necessariarum ad obtinendum expositæ, vel concessione præferentiæ in lusu; sic ut per similia spes utrimque reddatur æquè æstimabilis.

59. *Inducens ad ludendum simulatione imperitiæ, tenetur ad restitutionem VI. & peritiam assimulans sentiens.*

Quare notabiliter peritior, qui simulatione imperitiæ alterum inducit ad ludendum, tenetur ad restitutionem, eò quòd fraus det causam contractui, alioquin non ineundo ab altero. Quamvis si imperitior casu lucretur, possit lucrum retinere, contractu eatenus claudicante. Quòd si verò absque fictione solùm non indicet suam peritiam, adhuc juxta communiorem præmissam sententiam tenebitur ad restitutionem, defectu æqualitatis in contractu requisitæ. Nonnulli tamen graves Doctores oppositum tenent, & probabile censet *Salas Tr. de Ludo dub.25.* cum aliis, teste *Lugo d.31. s.2. n.44.* eò quòd non videatur obligatio peritiam suam manifestandi: quin potiùs alter videatur periculum perdendi sponte subire, dum se dat ludo, sine examine alienæ peritiæ. Æqualitas autem contractûs censetur juxta istos versari, non inter spem & periculum utrimque, sed circa æqualitatem rei expositæ, & leges ludi utrimque servandas, ceteris fortunæ relictis, sic ut accessoria peritia specialis citra fraudem, non appareat posse inducere considerabilem cõtractûs inæqualitatem. Quæ sententia roboratur ex eo, quòd certus de victoria ratione sortis felicioris in lusu obtingentis possit juxta omnes eâ etiam dissimulatâ augere pretiũ expositum, adeoque idem appareat in præsenti. Difficulter autem ostenditur, leges ludi unum, & non alterum permittere. Nec juvat effugium *Lugo sup. n.48.* dicentis solùm requiri æqualitatem in ipso initio contractus, non autem in progressu: nam reverà dum fit auctio pretii, novus eatenus contractus initur, & tamen licitè. Contrà tamen facit, quòd auctio pretii non sit injusta, quantumvis infeliciorem sortem simulet is, cui felicior obtigit, legibus ludi id permittentibus; & tamen communi sententiâ iniqua sit imperitiæ simulatio. Ut proinde etiam per leges ludi permissa esse queat dissimulatio sortis felicioris, esto non dissimulatio seu taciturnitas singularis peritiæ. Qua quidem in re sensus communis peritorum in ludo suum pondus habet.

*Quod tamen V. rii negant.*

*Pro quibus arguitur.*

Hoc saltem ferè omnes admittunt, & praxis docet, quemlibet licitè ludum incipere & lucrari, si uterque alterius peritiam ignoret, ob par utrimque periculum, quantum est ex parte scientiæ utriusque, & sensum communem ac consensum mutuum.

60. *Quid si alter vilis ludere, aut vel contemptâ parte juris.*

Si verò collusor conscius alienæ peritiæ, aut eidem satìs ingestæ, nihilominus ludere velit, adhuc *Molina*, quem refert & sequitur *Lugo d.31. s.2. n.50.* censet peritiorem non posse lucrari, nisi præsumi possit spontanea donatio, puta quando res est minuta, aut alter vult jacturâ rei comparare recreationem ludi, aut mavult causâ melius addiscendi perdere ludendo cum peritiori. Nihilominus *Azorius*, *Sanchez* & alii passim censent peritiorem tunc justè lucrari: alter enim noscens peritiam partis, & tamen ludere volens, censetur velle (utì potest) cedere juri suo, quod aliàs habet ad æqualitatem præmissam; adeoque præsumitur donare excessum in hoc contractu (utì posset donare extra illum) etsi notabilis sit res expositа. Atque esto non credat fortasse alterius in peritia excessum, saltem consentit in dubiam inæqualitatem, seu suscipit in se voluntariè periculum ejusdem; volenti autem & scienti non fit injuria.

61. *Quid nimirum ludi alearum comprehendatur.*

Pro fine nota ludos aliquos meritò fuisse per legem positivam prohibitos, nempe ludum alearum (quo comprehenditur generatim omnis lusus non pendens à virtute aut industria, sed solùm vel potissimùm a fortuna seu casu fortuito, ut satìs colligitur ex *Cod. de Aleatoribus*) fuit olim jure Cæsareo prohibitus irritatâ desuper factâ ad securitatem solutionis cautione, & negatâ victori actione, ac perdenti ejusque heredibus concessâ soluti repetitione, non obstante nisi (*Less. c.26. dub.3.* & *Lugo d.31. s.4.* omittunt voculam *nisi*, tametsi ea habeatur in textu *L. Alearum C. de aleator.*) quinquaginta annorum præscriptione. Vide *Cod. cit.* Unde apparet quanto meliores fuerint in hac causa mores illius ævi, quàm hujus, quo leges hæ in desuetudinem abierũt, tum quoad prohibitionem, tum quoad soluti repetitionem. Quamvis ratione circumstantiarum frequenter hujusmodi ludi fiant cum gravi offensa Dei. Unde cessant variæ quæstiones, quas suppositio vigore legum movent Auctores, *Molina*, *Lessius*, *Lugo* & alii.

*Quatenus fit per leges præscriptum.*

*An ludus sint in usu.*

62. *Clericis prohibentur per Canones.*

Jure quoque Canonico prohibetur clericis ludus alearum *Can.41. aliàs 42. Apostolorum*, & *c.15. de vita & honestate clericorum*, sic ut *c. Inter dilectos 11. de excessibus Prælato-*

*Prælatorum* collatio beneficii facta publico aleatori & usurario irritetur. Denique *Trid. sess. 22. c. 1. de Reform.* statuit, ut aliàs sancita de vita & honestate clericorum, de choreis, aleis, lusibus &c. in posterum sub iisdem pœnis vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur.

*An vel qualiter hi vigeant.*

Non sunt tamen sacratissimi Canones in eo rigore recepti, ut absente scandalo non liceret clericis interdum solius recreationis ergo, vel etiam modicâ pecuniâ juxta eorum cõditionem expositâ ludere aleis, chartis pictis &c. ut apertè ostendit passim agnita & tolerata consuetudo etiam aliàs proborum. Quamvis ob deordinationes facilè annecti solitas, optandum foret hujusmodi ludos omnino esse prælcriptos.

# DISPUTATIO SEXTA.

## De Judiciis Publicis.

### QUÆSTIO I.

### Quid Iudicium, Quæve ad ejus Iustitiam requirantur?

*1. Quid judicium.*

JUDICIUM sic dictum quasi juris dictio, seu determinatio, hîc sumitur pro sententia judicis externè prolatâ, quâ in controversiis, potissimùm delictorum, dicitur, quid agendum vel patiendum, seu quid cuique sit debitum. Quocirca exercens partes judicis, facit quod ei ex officio incumbit, & statuit inter partes quod juris est, adeoque officium justitiæ præstat.

*2. Quænam ad ejus justitiam requirantur.*

Ad justum porrò judicium requiritur in judicante superioritas, adeoque auctoritas tam super personam, quàm super causam judicandam. In ipso actu judicii, tum certitudo cognitionis causæ judicandæ: tum æquitas seu æqualitas, quoad præstandum cuique quod juris est; in forma verò judicii ordinata procedendi ratio per leges præscripta. Unde concurrit ad judicium causæ legitima propositio, & discussio, ipsum judicium seu sententiæ prolatio, ejusdemque finalis executio, juxta normam veritatis & legum.

*Auctoritas in judicante necessaria.*

Prima conditio notoria est, & apud omnes in confesso. Eaque fundatur in eo, quòd judici competere debeat vis obligandi seu cogendi ad executionem sententiæ proferendæ, quæ est instar legis particularis, continens proinde vim obligativam & coactivam; adeoque supponens potestatem in personam, & materiam judicandam. Immo qui secùs agit, invalidè procedit, & grave ex genere suo peccatum committit usurpationis judicii, veluti iniquus & injustus usurpator alienæ potestatis, cum injuria, juxta communem æstimationem gravi, tum personæ judicandæ, tum superioris ejusdem.

*Ejus defectum quid operetur.*

*Quotuplici titulo quis alteri subjiciatur.*

Quadruplicitèr porrò quis alteri subjicitur. Primò, ratione potestatis ordinariæ. Secundò, ratione potestatis delegatæ. Tertiò, ex consensu partium, quando nimirum hæ subjiciunt sese alicui tamquam judici vel tamquam arbitro. Quartò, ratione delicti in loco alienæ jurisdictionis perpetrati; ratione cujus quis forum sortitur: utì & ratione contractus, domicilii & rei sitæ. Quibus ex recepta Doctorum sententia additur ratio injuriæ subdito alterius principis illatæ: si enim proprius superior interpellatus nolit illam curare resarciri, poterit hoc facere Princeps ejus, qui injuriam passus est.

*alteri subjici possit.*

*3. Quinam peccent arrogatione judicii.*

Hinc arrogatione judicii peccant, immo nulliter agunt judices sæculares, qui præsumunt judicare clericos quatenus exemptos; qui etiam nequeunt privilegio suo renuntiare: etsi possint in civilibus se subjicere sæculari tamquam arbitro, & laicos possint pertrahere ad judicem sæcularem tamquam actores. Vide *Tridentinum sess. 25. c. 20. de Reform.* renovans jura antiqua.

Peccant similiter Ordinarii, qui attentant judicare exemptos. Item judices, qui vi vel fraude extrahunt cõfugientes ad Ecclesiam, eosque contra formam & jus azyli ad mortem vel mutilationem condemnãntes. Idem est, si ferant sententiam in Ecclesia c. *Decet* §. *Ordinarii, de Immunit. Eccles.*

*An excommunicati,*

Denique arrogatione judicii peccant excommunicati non tolerati, utpote privati usu suæ jurisdictionis. Et quamvis per moderationem *Concilii Constantiensis Extrav. Ad evitanda* id temperatum juxta *Navarrum, Sotum, Henriquez* & alios videatur quoad valorem eorum, quæ aguntur per toleratos; quia tamen favor ibi concessus solùm est directè ipsis innocentibus seu non excommunicatis, non poterunt alii etiam tolerati sese ingerere, nisi rogati à partibus ad sententiam ferendam, ut post *Suarez* advertit *Lessius c. 29. dub. 7. num. 59.* quamquam *Henriquez, Sanchez* & alii quos citat & sequitur *Diana P. 5. Tr. 9. de Excomm. Resol. 131.* & probabile censet *Lugo disp. 37. sect. 2. n. 11.* censeant tantùm esse veniale.

*Signantes tolerati.*

*An legitima sint acta privati titulo ante sententiam declaratoriam.*

*Quid de habente titulum coloratum.*

De eo, qui ob crimen privatus est suo titulo, censendum est, cui adhuc validè & licitè exercere suam potestatem, donec accedat sententia saltem declaratoria criminis. Qui autem solum titulum coloratum seu putatitium habet, esto peccet juxta *Lessium*, *Wiggers* & alios, usurpatione potestatis sibi non competentis: acta tamen illius valent, quatenus ob majora reipublicæ incommoda vitanda defectus veræ jurisdictionis suppletur auctoritate publicâ juxta *L. Barbarius ff. de Offic. Prætoris*, & *c. Infamis 3. q. 7.* Quod locum habet in foro tam Ecclesiastico, quàm civili. Requiritur tamen ut adsit titulus coloratus, nixus errore communi populi, putantis esse legitimum superiorem. Ideoque valida sunt acta Prælati, qui cum impedimento occulto (etsi cognito conferenti) obtinuit prælaturam; quantumvis etiam ipsi contendentes sint secretò conscii impedimenti. Idemque est de eo, qui pro superiore se gerit & communiter agnoscitur, etsi jurisdictio sit ablata. Quæ similiter ad jurisdictionem in foro sacramentali extendunt Doctores passim obvii; à fortiori aut simili æquiparantes præterea jurisdictionem probabilem ei, quæ fundatur in titulo colorato. Eadem denique procedunt in iis quæ geruntur ex officio publico, etsi non forent propriè actus jurisdictionis; prout sunt instrumenta tabellionum, electio & præsentatio ad officia, assistentia matrimonii &c.

*5. Acta judicialia tyranni an licita & valida.*

Petes, an acta judicialia tyranni sint illicita & invalida? Resp. si solùm sit tyrannus ratione iniqui regiminis, acta ejus licent & valent, dummodo sint legibus & æquitati conformia. Si autem sit tyrannus defectu potestatis, donec veluti in pace imperet, sententiæ ejus sunt etiam nullæ defectu potestatis, & à fortiori peccato obnoxiæ. Quando autem quasi in pace imperat? republicâ ob defectum virium ampliùs non repugnante, etsi peccet usurpatione judicii, valent tamen acta ob tacitum reipublicæ consensum, quæ ad vitandum gravissima inconvenientia, ac ne tota reipublicæ ac regiminis politici facies evertatur, dum proprii & instituti judices non admittuntur, præstare censetur gestis auctoritatem, sive antecedenter, sive saltem approbando. Non peccarent tamen subditi jus petendo: solùm enim proponunt causam quæ urget, relinquendo de cetero tyranno, ut vel relinquat judices legitimos de ilia decernere (quod mallent) vel certè decernat ipse, quod utique minus malum est, quàm causas indecisas relinquere. Peccatum tamen tyranni non tam consistit in eo, quòd jus dicat, suppositâ retentione regiminis (quâ suppositâ ad id obligatur) quàm in continuatione retentæ abusivæ potestatis.

*6.*

Unde consequenter tyranno justa præcipienti tenentur subditi obedire, ejusque sententiis stare; idque originaliter ex voluntate reipublicæ, quæ id præeligit nociva subditorum libertati. Similiter judices inferiores prudenter sua munera exequentes, ex voluntate reipublicæ validè ea exercent, immo si tyrannidem non foveant (quam frequenter fovent, coacti non rarò ex æqui iniqui tyranni mandata, fidei aut justitiæ contraria) non peccant, suppositâ tyrannide, cujus sublatio non est in eorum potestate, faciendo quæ aliàs legibus consona sunt, veluti nullatenus contra, sed potiùs juxta voluntatem reipublicæ operantes.

*Quid censendum de judicibus inferioribus ab eo instituis.*

*7. Ad judicium requiritur ritus sufficiens cognitio causæ.*

Secunda conditio, sita in sufficienti causæ cognitione seu certitudine, fundatur in eo, quòd aliàs non possit judex prudenter, sed solùm temerariè sententiam ferre, immo exponat se periculo condemnandi innocentem & liberandi reum, contra finem & naturam judicii, propriique officii obligationem.

*Iudex ex privata scientia unquit cõdemnare reum non citatum neque auditum.*

Circa hanc tamen conditionem movetur in primis quæstio, an judex possit ex privata scientia, aut certè reum non citatum neque auditum condemnare? In qua certum est id non licere judici inferiori, veluti non valenti in re, præsertim tanti momenti, circa leges superiores ea de re constitutas. Neque etiam de supremo principe controvertitur, an ex privata scientia occidere possit, non viâ puniendi delicta, sed defensionis reipublicæ ei commissæ ad avertendum malum reipublicæ imminens.

*Esto sit Princeps supremus.*

Sed quæstio est de punitione rei non probati juridicè talis. Estque recepta opinio Theologorum negativa, præsertim quoad pœnam mortis aut mutilationis, cõtra quosdam Jurisperitos apud *Lessium c. 29. dub. 11.* Et, omissis variis cautionibus, probatur: quia respublica, à qua princeps omnem potestatem habet, nusquàm adeò amplam principi dedit. Confirmatur: quia princeps nequit punire, nisi dum posset ipsa respublica; cui non generat certitudinem moralem notitia privata principis diffitente facto reo, sed solùm duorum vel trium testimonium. Et quamvis testimonium principis in testamentis & similibus ex dispositione juris æquivaleat duorum vel trium privatorum testimonio; non tamen in condemnatione ad mortem. Quæ non videtur à Deo concessa, nisi in ore duorum vel trium testium stet veritas: ne alioquin porta aperiatur principibus ad tyrannidem, & pro libitu grassandi in vitam singulorum. Adeò ut ne quidem excipiendus videatur casus, quo princeps certò extrajudicialiter sciret aliquem voluisse vim inferre reginæ, ad vitandam infamiam regiam. Quare minùs excusatur fama ipsius rei aut familiæ, si illum princeps idcirco sine ordine juris secretò interfici jubeat.

*8. Oppositum, an improbabile.*

Advertit tamen *Lessius supra n. 96.* contrariam sententiam non esse improbabilem,

lem, maximè si crimen sit atrox, quale est mox relatum, ita ut valdè expediat auctorem puniri, & tamen ob infamiam conjunctam non expediat rem vulgari: tali enim casu videri posset respublica consentire, quæ (ut subdit *num.* 97.) posset absolutè loquendo Principi concedere auctoritatem absolvendi & condemnandi ex privata scientia. Idem tradit *c.*30.*dub.*4.*n.*25.

9. *An saltem auditis testibus, & non reo.*

Obligatur præterea Princeps quamvis certus de crimine, atque etiam exaudiverit testes, priusquam condemnet reum, citare & audire ipsum, ordinariè loquendo: ne huic auferantur media juris ad se defendendum, v.g. negando aut celando crimen, quod credit occultum, excusando &c. Quod proinde semper & ubivis jure Gentium servatum est veluti necessarium. Quamvis omitti posset in casu imminentis alioquin periculi reipublicæ ob potentiam rei. Cui tamen patronus etiam tunc dandus, qui absentem defendat, ut servetur ordo juris, resque more christiano peragatur.

Circa causas civiles, ablationem officii &c. majorem fortassis potestatem princeps habet ad condemnãdum aliquem ex scientia privata, ratione altioris dominii ob commune bonum ei competentis. Unde sicut testimonium principis sufficit ad dandum valorem testamento, sic ad alias materias similes ex concessione reipublicæ sufficere posset. Quamvis non circa vitam, quæ non ita subditur potestati reipublicæ.

10. *Quid agẽdum judici, si juridicè probatum reum norit innocentem.*

E contrà quæstio movetur, an privata scientia principis seu judicis de innocentia rei obstet, quo minus eum condemnare possit, si secundùm allegata & probata sit reus? Ubi in primis certum est, judicem debere industriam, quam potest adhibere, præsertim in causa mortis aut mutilationis ut falsitas detegatur v. g. exquisitiori examine testium, exemplo Danielis adhuc junioris, vel ut impediatur processus litis, excogitando causas repellendæ accusationis, remittendo causam ad superiorem judicem, depositâque personâ judicis assumendo personam testis: vel ut impediatur sententiæ prolatio aut executio, dissimulando (si absque scãdalo fieri queat) in custodia carceris, vel condonando (si sit princeps supremus) pœnam etiam verè reo debitam.

11. *An possit condemnari,*

*Varia sententia.*

Quòd si sententiam industriâ pro negotii qualitate adhibitâ impedire non possit, adhuc non posse eum suffragari causæ à parte rei iniquæ condemnando innocentem probatum nocentem, tenet *Angelus* & quidam alii apud *Lessium c.* 29. *dub.*10. *n.* 78. Oppositum etiam in causa mortis tenet satis probabiliter *D. Thomas q.*67.*art.*2. *Sotus, Sanchez, Joannes Poncius* & multi alii. At *Malderus Tr.*6. *c.*1. *dub.*13. *Lessius sup. n.*84. & alii passim rectiùs distinguunt: ut quidem id liceat, immo necesse sit in causis civilibus, etiam Ecclesiasticis, & criminalibus levioribus (quales censentur, ubi neque de vitâ, neque de mutilatione agitur) non liceat autem in criminalibus gravioribus, præsertim mortis, quando potiùs debet officium deponere, aliave damna, etiam mortem, subire. *Verior asserit posse in causis civilibus, non in criminalibus gravioribus, præsertim mortis.*

*Prima pars probatur.*

Prima pars probatur: quia in causis istis respublica censetur judici commisisse officium eâ lege, ut procedat secundùm ordinem juris; prout eam imperare posse patet ex hoc, quòd competat ei potestas disponendi de fortunis civium ob bonum publicum, quod in præsenti id postulat, ne videlicet ordo juris cum gravissimo incommodo & multorum scandalo pervertatur; prout simili potestate utitur respublica in usucapione seu præscriptione. Immo juxta *Vasquez* 1.2.*disp.*64 *c.*2.*n.*7. *Sanchez l.*1.*Summæ c.*9.*n.*48. nequit judex parti suppeditare ullas probationes juris aut facti. Neque possunt subditi merito id ægrè ferre, vel justè exigere, ut judex propter alicujus particularis commodum sustinere cogatur graviora incommoda, puta infamiam, renuntiationem officii, aut quid simile.

*An sic condemnatus amittat dominium rei abjudicatæ.*

Probabilius tamen est taliter condemnatum non amittere rerum sic abjudicatarum dominium, sed solam possessionem; eò quòd amplius respublica non intendat, aut ejus bonum postulet. Unde in sic condemnato locus esset occultæ compensationi, utì & in victoribus obligatio restituendi, deprehensâ rei veritate. De beneficiis tamen sentit *Lessius c.*29.*dub.*10. *n.*84. cum *Soto*, & ob identitatem rationis etiam de officiis cum *Panormitano*, *Innocentio* & aliis, reum per hujusmodi sententiam verè iis privari etiam quoad dominium aut quasi dominium eò quòd de his veluti bonis communibus Ecclesia aut respublica liberiùs disponat, idque in præsenti fieri expediat, ut certos habeat ministros cum certa jurisdictione.

13. *Secunda pars probatur ex Scriptura.*

Secunda pars probatur ex illo *Exodi* 23. *Insontem & justum non occides.* Nam quidquid sit de publica opinione aut scientiâ (quâ etiam Naboth & Susanna erant sontes ac rei, qui tamen in Scriptura dicuntur insontes) talis verè est insons & justus. Ideoque dictis verbis notanter præmittitur: *Non suscipies vocem mendacii ..... non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Itaque in hujusmodi causa attendenda est ipsa veritas, ne condemnetur, quem æterni tribunal judicis reum non habet, utì judicibus præcipit *Innocentius IV.* c. *Cum æterni, de sentent. & re judic. in* 6.

14. *Et ratione.*

Ratio est: quia intrinsecè malum est directè occidere innocentem, adeò ut non excusetur perversio ordinis juris, immo nec

eversio totius reipublicæ, quæ non habet potestatem in vitam subditorum innocentum; qui per falsa testimonia non fiunt nocentes. Quare etiam respublica non potuit judicibus dare potestatem, quâ ipsa caret. Confirmatur: quia non potest quis cognoscere non suam, etsi juridicè probata sit sua, nequidem exequendo sententiam judicis per redditionem debiti: immo potiùs debet humiliter sustinere etiam excommunicationis sententiam, c. *Inquisitioni* 44. *de Sentent. excommunic.* eò quòd videlicet sit intrinsecè malum, si à parte rei & coram Deo non sit conjux. Idem igitur est in præsenti. Prout latè prosequitur *Lugo disp.* 37. *sect.* 4. *n.* 43.

15. *Satisfit objectionibus.*

Nec obstat illud *Deuteron.* 17. *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur.* Cui consonat dictum Christi *Matth.* 18. Nam Scriptura non vult, omni casu, quo tot testes adsunt, posse reum condemnari, sed tot saltem requiri, nec sufficere testimonium unius, cùm ibidem subdatur: *Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium.* Idemque insinuat *Alexander III.* c. *Licet* 23. *de testibus.* Specialiter autem requiruntur in quæstione de homicidio duo saltem testes veridici; sic ut judex procedere non possit secundum eorum testimonia tamquam vera, si ipsi falsitas sit perspecta.

Non obstat etiam quòd judex sententiam proferat ut persona publica, adeoque ex scientia publica: nam postremum fallit in casu sanguinis, dum judici constat scientiam publicam esse iniquam calumniam & errorem.

Non obstat denique, quòd judex solùm censeatur directè velle conservare ordinem judiciarium, cui per accidens & indirectè adjungitur occisio innocentis. Nam in præsenti hæc duo non sunt pro distinctis habenda: per ipsam enim occisionem innocentis tamquam medium directè intenditur hic & nunc conservatio ordinis judiciarii, sive ipsa condemnatio & occisio hoc casu prætenditur esse conservatio ordinis judiciarii; ut proinde judex directè intendat occisionem, uti hanc conservationem. Nec apparet, quî possit concipi, ut judex non intendat mortem illius, nec nisi per accidens interficiat, quem condemnat, & interfici mandat.

16. *Qualiter teneatur judex conformare judicium legibus.*

Postrema recti judicii conditio postulans ipsum conformari legibus, satis patet in primis quoad leges illas, quæ præscribunt idem quod jus naturæ, à quo utique nullus judex est exemptus. Quoad alias leges positivas idem patet de judice inferiori, quem constat non esse supra leges, neque eas posse immutare. Ut proinde pœnam lege aut mandato superioris taxatam debeat imponere; vel si ipso facto imposita sit, delictum declarare & pœnam exequi. De judice autem supremo idem regulariter censendum: cùm & hic legibus suis teneatur, saltem ex æquitate quoad vim directivam. Unde *Aug. l. de vera Relig. c.* 31. de legibus temporalibus ait: *Quamquam de his homines judicent, cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas.*

Potest tamen judex supremus ex rationabili causa in iis dispensare, adeoque pœnam taxatam remittere, aut moderari, vel etiam augere. Quod non potest judex inferior per se loquendo. Quamvis per accidens ob circumstantias extraordinariè aggravantes posset pœnam augere, uti & ob similiter minuentes eamdem imminuere, saltem ante latam sententiam. Vide *Suarez l.* 5. *de Leg. c.* 11. *n.* 5.

Pœnæ etiam multæ sunt arbitrariæ seu judicis inferioris arbitrio commissæ. Præterea locum hîc habet interdum epykia, de qua in materia de Legibus.

17. *Quando licita sit intercessio apud judicem pro remissione pœnæ.*

Hinc non licet intercedere apud judicem pro remissione, quam is in conscientia tenetur seu non potest facere: sic ut proinde debeant hujusmodi intercessiones fieri cum modo saltem tacitè subintellecto, quantum justitia & conscientia patitur. Ideoque magnâ cautelâ in his opus est, præsertim si fiant apud judices indoctos aut fragiles, qui auctoritate vel precibus intercedentium facilè dimoverentur à servanda æquitate: præterquam quòd sæpè reipublicæ plurimum intersit, ut nequam personæ tollantur è medio, sicque præcludatur via novis alioquin secuturis abusibus.

## QUÆSTIO II.

### *De Modis Procedendi in Iudicio, præsertim ex Officio.*

18. *Triplex procedendi modus.* *Via accusationis.* *Via denuntiationis.* *Quæ ejus duplex.* *Via inquisitionis.*

DOCTORES communiter tres statuunt modos procedendi adversus reum, scilicet accusationis, denuntiationis, & inquisitionis. Via accusationis est, quando est alicujus actor, qui spondet se objecta probaturum. Via denuntiationis est, quando aliquis detulit crimen, qui non vult suscipere onus probandi. Est autem duplex denuntiatio, Evangelica, quæ tendit ad emendationem fratris, & fit superiori tamquam patri: altera judicialis, quæ spectat ad criminum punitionem, vel impeditionem mali & damni, & fit superiori tamquam judici. Viâ inquisitionis proceditur, quando judex aut superior ex officio procedit ad provinciam vel locum sibi subjectum reformandum, vel ad investigandum criminis commissi auctorem. Quia tamen denuntiatio tantùm est quid prævium, ut judex possit procedere viâ inquisitionis, consequenter tantùm duo sunt modi distincti,

distincti, scilicet accusationis & inquisitionis, sive ut Doctores sæpiùs loquuntur, modus procedendi ad instantiam partis, & modus procedendi ex officio.

Nec obstat, quòd judex dicatur neminem posse condemnare sine accusatore; adeoque tantùm unicus videatur modus. Non enim semper requiritur accusator formalis (qui intelligitur, dum hi modi distinguuntur) sed vel ille, vel saltem virtualis, seu ejus vices supplens, puta evidentia facti, aut quid simile.

19. *Triplex inquisitio.* Triplex porrò est inquisitio. Prima omnino generalis, quâ in genere inquiritur, an subditi servent leges, an non committant crimina, an de nullo sit fama vel suspicio alicujus delicti. Hâc utuntur Prælati & superiores in visitatione Provinciarum & locorum sibi subjectorum. Secunda est omnino specialis, quâ de certa persona & de certo crimine inquiritur, ut an Petrus commiserit homicidium. Tertia est mixta, quando vel solum delictum est speciale, ut quis fecerit homicidium, vel sola persona est specialis, v. g. an Petrus bene vivat. His præmissis

20. *Inquisitio generalis non prærequirit infamiam.* Tradunt in primis Doctores unanimiter ad inquisitionem generalem non requiri, ut præcesserit aliqua infamia. Et patet ex Canonibus, in quibus jubentur Prælati inquirere & visitare loca sibi subjecta, c. *Perniciosa* 1. *de Offic. Judicis Ordinarii*, & c. *Romana* 1. §. *Sanè de Censibus in* 6. Ratio est: quia talis inquisitio nemini est injuriosa, & aliunde est necessaria ad purgandam rempublicam, criminaque compescenda.

*Quæ in ea sint deponenda.* Nihilominus juxta Doctores communiter subditi sic interrogati non debent declarare occulta crimina eorum, qui nullâ laborant infamiâ: hæc enim est, esseque debet mens ipsorum interrogantium. Unde quando alicubi instituitur visitatio juxta Statuta, sic ut inquirendum sit in caput & membra, nullam prærequiri infamiam, patet c. *Qualiter & quando* 24. *de accusat.* & c. 1. *de Offic. judic. Ordin.* Non tamen detegenda erunt tunc crimina occulta; quia de illis non censetur fieri inquisitio. Excipe, dum est paterna visitatio in ordine tantùm ad emendationem necessariam.

21. *Inquisitio mixta an prærequirat infamiam.* Inquisitio mixta, dum de crimine constat, & persona ignoratur, indubiè est licita, si de eo præcesserit infamia. Idemque est, etsi non præcesserit, si in inquisitione non fiat mentio personæ particularis; prout praxis omnium judicum docet; adeò ut *Innocentius* scribens in c. *Bona* 1. *de Elect. num.* 5. dicat: *Sic servat totus mundus.* Aliàs quoque malefici spe impunitatis invalescerent, populus ob neglectam inquisitionem offenderetur; sic ut tota communitas illam censeatur expetere, ipsis maleficis dumtaxat exceptis. Canones, qui in oppositum allegari possent, loquuntur aperte de inquisitione speciali, quæ fieret citra præviam infamiam.

Si autem quæratur, quâ viâ excusari possint judices sic procedentes, veluti occasionem dantes simplicioribus, ut etiam occulta crimina pandant; quæ quidem pandi non posse, sicuti neque, ut hoc fiat, intendi à judice, habet communis opinio. Respondet *Lessius* c. 29. *dub.* 14. *n.* 115. *Wiggers Tr.* 6. *c.* 1. *dub.* 14. & alii, contra varios, non debere propterea judicem instruere testes de modo respondendi; veluti utentem jure suo, & adhibentem medium reipublicæ adeò necessarium, quod non debet ob aliquorum imperitiam omitti, cum periculo reddendi se suspectum de corruptela aut favore criminosorum. Quæ tamen responsio non satisfacit *Lugo d.* 37. *s.* 6. *n.* 59. in casu, quo testes rogantur iis verborum formulis, quæ non aliud significent, quàm mandatum revelandi omnia, etiam secreta; eò quòd tunc sit cooperatio per se ad injustam alterius revelationem. Quare respondet, facilè id evitari, si solùm interrogetur, an sit aliquis rumor seu murmur contra aliquem in particulari &c. vel quia præsumere potest testes accedere satis instructos; uti non præmonentur de non prodendis semetipsis: vel quia delicta frequenter sunt talia, ut expediat omnino malefactorem revelari ad vitandum reipublicæ damnum: vel quia non desunt indicia contra personam determinatam: vel denique quia amplectuntur sententiam *Turriani*, *Reginaldi* & aliorum Doctorum, qui docent posse revelari auctorem occultum criminis publici, postponendo privatum malefactoris bonum quieti & bono publico: eò quòd ratio ob quam præexigitur infamia in inquisitione speciali (quæ est, ne quando inquisitus sit innocens, qui per hoc infamaretur) hîc cesset, dum nemo specialiter à judice exprimitur, & testis suâ depositione infamaret quidem, sed non nisi noxium & verè reum. Ita ferè *Lugo*.

22. *Praxi Iudicum discutitur & variè excusatur.*

23. *Inquisitio specialis regulariter de jure prærequirit infamiam.* Inquisitio specialis regulariter prærequirit infamiam seu clamosam insinuationem, quæ non sit paucorum, habeatque ortum à fide dignis, sic ut rumor publico velut clamore ad aures judicis deferatur c. *Inquisitionis* §. 3. & c. *Qualiter & quando* 24. *de Accusat.* Judex enim non debet inchoare judicium à se ipso, sed ex publica scientia, qualis in defectu accusationis, confessionis &c. est infamia judiciaris, id est, frequens vox bonorum & proborum virorum, quæ hominem de certo crimine judicialiter suspectum reddit. Non sufficit tamen infamia de uno crimine ad inquirendum specialiter de aliis disparatis: fama enim est divisibilis, potestque de uno vitio infamis retinere jus ad famam in aliis materiis. Secùs esset de vitiis annexis, quorum suspicio generatur

*Quid Infamia hîc.*

neratur ex aliis, de quibus jam est infamia. Similiter sunt quædam crimina, quæ communiter existimantur sæpius esse admissa à convictis de unico, prout sunt furta; ideoque de aliis ejusdem speciei furtis potest juxta Nonnullos fieri inquisitio specialis, saltem sine tortura, quasi unum sit sufficiens indicium aliorum.

*An requiratur dum non agitur de punitione.*

Præmissa tamen intelligenda sunt de inquisitione tendente ad punitionem. Nam aliud est, si agatur in ordine ad avertenda seu præcavenda mala, ut quando agitur de beneficiorum collatione, contrahendo matrimonio, & similibus: tunc enim licet inquirere de delictis & impedimentis personarum particularium, etsi nulla de iis sit fama. Immo est necessarium, si subsit aliqua suspicio, vel indicia. Non tamen debent superiores divulgare, quod tamquam occultum intellexerunt: sed possunt hujusmodi personas in collatione v.g. officiorum aut beneficiorum tacitè præterire.

25. *Quæ suppleant illam.*

Præterea loco infamiæ sufficit, quod de auctore constet evidentiâ facti, vel notoreitate juris per ejusdem in judicio confessionem, aut patefactionem factam ab interrogatis per judicem instituentem generalem vel mixtam inquisitionem, modò saltem judex non sit in culpa iniquæ patefactionis; uti videtur habere communis sententia Jurisperitorum. Infamiam quoque supplet suspicio communitatis contra aliquem juxta *Navarrum* & alios apud *Lessium c.29.n.130.* vel indicia publica & manifesta.

*Quibus casibus non requiratur.*

Excipiuntur præterea à *Navarro, Lessio sup.dub.15.* & aliis Doctoribus passim aliqui casus seu crimina, ut hæresis, & similia, quæ non prærequirunt infamiam, sed solum suspicionem ex justis indiciis.

26. *An requiratur ex jure positivo.*

Unde necessitas præviæ infamiæ non videtur generatim esse de jure naturæ, sed positivo, cui potuit consuetudo derogare. Prout derogasse certum est, attentâ praxi judicum sæcularium; quæ pæne ubique viget, & præsertim in Italia, teste *Julio Claro* apud *Lessium sup.num.132.* Neque tamen

*An vel qualiter consuetudo huic derogaverit.*

à Papa (cujus Constitutionibus id præcipuè erat vetitum) vel ab Episcopis aut Principibus reprobatur, ut nimirum vel ex denuntiatione publici Officialis ad hoc constituti, vel ad querelam partis offensæ procedant ad specialem inquisitionem. Quæ praxis non videtur improbanda cum limitationibus, quas addit *Lessius*, ut nempe fiat in gravibus causis, seu maleficiis nocivis, v.g. furtis, homicidiis &c. adeoque attendatur non ad nudam punitionem, sed bonum reipublicæ: ob quod particularis infamia permitti potest, ubi id necessarium est ad extirpanda crimina, quibus, si impunita manerent, timetur respublica perturbanda, & innocentes lædendi.

Cavendum tamen, ne Officialis, aut quicumque alius quidquam denuntiet, quod bonâ fide non putet posse per testes vel alia indicia legitimè probari. Unde judex nil temerè attentet, donec id videat; atque ita secretè informationes capiat, ut alterius fama quàm minimè lædatur. Si observet probari non posse, statim debet desistere.

27. *Quid observandum delatori & judici.*

Cavendum etiam judici, ne umquam incipiat specialiter procedere seu inquirere ex se ipso, seu semper præcedat aliquid, quod inquisitioni viâ aperiat, seu judicem cogat, ut ex officio procedat, v.g. notitia publica, infamia, suspicio communis, querela partis, denuntiatio Officialis, aut quid simile. Immo alioquin totus processus est jure nullus, ut docet *Clarus q.5. n.4.* apud *Lessium dub.15.n.136.* Ratio est: quia aliàs judices possent pro arbitrio impetere, quos vellent, & (quod jure Gentium reprobatur) idem esset quasi accusator & judex, dum ipse à nemine provocatus obligaret alios ad accusandum vel denuntiandum judicialiter.

*Judici cavendum ne à se ipso inquisitionem specialem incipiat.*

28. *Tortura prærequirit semiplenam probationem, non indicia æquivalentia.*

Circa Torturam adverte, illam, veluti durius remedium, non esse adhibendam, nisi in subsidium, dum scilicet aliæ probationes haberi nequeunt. Præcedere tamen debet semiplena probatio, quam facit testis de visu, contra quem non est exceptio, aut alia quodammodo æquivalens, fundata nempe in indiciis valdè urgentibus, ne (ut *Augustinus 19.de Civit. c.6.*) *innocens pro incerto scelere certissimas pœnas luat*, seu cruciatus sustineat. Alia etenim sunt levia, alia gravia, alia gravissima indicia; alia remota à crimine, alia proxima. Quænam autem ex his sint satis magna, ut sufficiant sive ad capturam, sive ad torturam & ceteros effectus proportionatè, relinquitur totum judicio probi & prudentis, scilicet judicis, qui secundùm qualitatem personæ & delicti, & demonstrationum seu suspicionum judicabit indicium esse sufficiens ad hoc vel illud decernendum, vel non. Hic tamen in re gravi debet magnâ cum circumspectione procedere, ne proximo contra jus & fas torturam inferat, aut majorem, quàm par sit. Varia equidem indicia Doctores scribentes de praxi criminali specificant, ex quibus cetera prudenter æstimari poterunt. Vide *Lessium c.29.dub.17.*

*Varia indiciorum genera.*

*Ex quibus quid faciendum, judex arbitrabitur.*

Communis autem sententia docet, non sufficere ad torturam, quòd cadaver recenter occisi per vulnus emittat sanguinem ad præsentiam unius, & non aliorum; ob incertitudinem causæ hujus effectûs, præsertim cum etiam ad præsentiam eorum, de quibus satis constat, quòd non sint sceleris auctores soleat iste effectus sequi, v.g. coram consanguineis ex sympathia. Adeò ut *Malderus Tr.6. c.1. dub.24.* dicat, nequidem fortè sufficere ad capturam;

29. *Nonnulla indicia velut adturam insufficientia rejiciuntur.*

ram, eò quòd valdè infirmum sit. Crediderim tamen (inquit) sufficere ad inquisitionem aut informationem particularem instituendam contra indagatum.

Idem sentiendum de probatione per aquam, quâ judices aliqui uti solent, injiciendo scilicet mulieres de sortilegio suspectas certo modo ligatas in aquam; quæ si mergantur, absolvuntur; si verò supernatent, nec mergi possint, subjiciuntur torturæ: proba enim ista non tantùm superstitiosa est, sed generat quoque indicium incertum: nam frequenter visum est mergi, quas sagas fuisse constitit: quandoque deprehensum, eamdem ab eodem sæpius injectam, nunc mergi, nunc supernatare: item à lictore injectam supernatasse, ab alio injectam mergi. Unde dæmon, cujus ope id omnino fieri videtur, facilè poterit etiam innocenti hujusmodi calumniam struere. Vide plura apud *Malderum Tr.* 10. c. 8. *dub.* 11.

30. *An tortura iterari queat.*

Si reus nihil confessus sit, nequit iteratò torqueri, nisi indicia sint gravissima, vel supervenerint nova; cùm aliàs priora videantur elisa. At communis praxis docet, posse denuo torqueri citra nova indicia, qui confessionem sub tortura factam postea revocat; ne aliàs remedium torturæ fiat frustraneum. Immo ipsa confessio facta in tortura est quoddam novum indicium. Ne tamen in re adeò pœnali procedatur sine termino, nequit plùs quàm tertiò torqueri, qui tertiò revocat confessionem in tortura factam; sic ut talis debeat absolvi & dimitti juxta *Gomez*, quem citat & sequitur *Lessius dub.* 17. *num.* 168. *Wiggers cap.* 1. *dub.* 16. *num.* 115. & alii.

31. *Iniquus judex ad quid teneatur.*

Petes, ad quid judex teneatur heredibus rei, quem præter juris ordinem condemnavit? Resp. damna realia tenetur compensare, si judicaverit non subditum, vel subditum quidem, sed in crimine exemptum; idque ob injuriam, quâ damnum hujusmodi causavit: nisi judex propriè factum ratificet. Idem ob eamdem rationem injuriæ est de eo, qui reum ex indebita seu per injuriam extorta cognitione condemnavit?

32. *Corollaria.*

Unde judex tenetur ad restitutionem, primò, si à se ipso inchoet inquisitionem nullis præhabitis signis vel indiciis, quæ viam inquisitioni aperiant. Secundò, si tormentis vel propinquo metu tormentorum elicuit confessionem non præhabitis indiciis sufficientibus ad torquendum. Tertiò, si præhabitis sufficientibus indiciis torquetur persona quæ torqueri non poterat, vel ob ætatem, ut impubes, vel ob debilitatem, ut senes, vel ob periculum aborsûs, ut prægnans, vel ob privilegium, ut vir illustris vel in dignitate constitutus, ejusque filii, aut Doctor ejusque filii. Quartò, si dolo induxit ad confitendum, v. g. promittendo immunitatem. Quintò, si confugientem ad locum sacrum contra jus extraxit.

In his tamen casibus, si judici suppetant aliæ rationes, ex quibus reum juridicè condemnare poterat, solùm commissa fuit injuria in modo inferendo damnum; cùm ad inferendum damnum quoad substantiam jus habuerit. Unde tunc cessat obligatio restituendi; præsertim cùm restitutione factâ, posset rursùs idem damnum inferre. Similiter quando error circa juris ordinem commissus est in puncto per supremum Principem dispensabili, v. g. si vir illustris est tortus, potest Princeps obligationem restitutionis remittere, ratum habendo alterius judicium; exinde enim vulgò censeri illud tamquam à se factum. Sicut autem ipse id poterat per se facere, ita alteri committere, & factum ejus ratum habere, & consequenter condonare obligationem restituendi ortam ex defectu debitæ potestatis. Confirmatur: quia qui habet potestatem confiscandi bona ob crimen commissum, habet etiam potestatem condonandi restitutionem ei, qui per injuriam bona talis criminosi abstulit: ergo qui potest ob crimen auferre vitam, potest liberare à restitutione eum, qui injustè illam abstulit.

33. *Nonnulla limitationes.*

Circa obligationem judicis seu Prælati regularis in processu criminali suorum subditorum observandum est in primis in eo servari non debere apices seu subtilitates juris, supple accidentales, uti Pontifices declararunt seu variis Religionibus concesserunt. Etsi ea, quæ sunt substantialia, jure Gentium seu naturæ, sint observanda. Et quidem in levibus imperfectionibus corrigendis nullus ordo judiciarius debet servari. Secùs est in gravibus, dum agitur de eorum punitione. Quare dicta de inquisitione particulari, & infamiâ prærequisitâ, etiam hîc locum habent. In inquisitione tamen seu visitatione, quæ noscitur instituta principaliùs contra aliquem particularem, non est vetitum visitatori inquirere generatim de vita illius, v. g. Prælati localis, Provincialis &c; cùm inde non generetur suspicio infamiæ, cunctis scientibus visitationem ideo solitam adhiberi. In modo autem procedendi requiri solet præsentia Secretarii seu Actuarii ex suis constituendi à superiore, ut acta fidem faciant in judicio. Torturæ in gravioribus delictis posset quidem adhiberi, sed decet, ut sit statui accommodata, puta consistens in arctiori carcere, jejunio in pane & aqua, disciplinis, humicubationibus &c. Denique in causis solùm gravioribus, nec nisi clarè constet de excessu &

34. *Quæ observanda judici regulari.*

injusti-

injustitia, non licet religioso appellare, neque aliàs debet ei deferri: uti nec nisi manifesta sit suspicio de injustitia Prælati, potest is recusari. De cetero invicicndæ sunt Constitutiones & consuetudines probatæ Religionum.

## QUÆSTIO III.

### De Accusatore & Testibus.

35. *Quid accusatio.*

ACCUSATIO secundùm jura est criminis alicujus apud judicem competentem, vindictæ publicæ causa, legitimè facta delatio, interveniente inscriptione. Inscriptio tamen, quâ accusator se obligat ad pœnam talionis, utì & ipsa pœna talionis olim stricta, etiam per legem veterem, hodie passim à foro saltem sæculari, recessit. Unde receptum est, ut accusatio fiat verbaliter, modò Notarius statim eam scribat. Usus quoque (qui diversis locis variat, citóque attendendus,) pœnâ minori mulctat accusatorem si in probatione deficientem. Quamquam rationabile sit, ut talio reddatur deprehenso calumniari, etiam in causa criminali. Aliàs rigor æquus talionis sua habet incommoda: nam rari reperirentur, qui onus probandi cum tali periculo assumerent, sicque delicta manerent impunita.

*An exigat inscriptionem.*

*Quid de pœna talionis.*

36. *Denunciationem Evangelicam qui debeant præcedere privata monitio.*

Variè autem loquuntur Doctores, an & qualiter accusationem debeat præcedere monitio secreta. In primis denuntiationem Evangelicam certum est debere præcedere monitionem privatam, si cum fructu possit seu speretur adhiberi. Immo secùs faciens injustitiam committeret: cùm enim crimen occultum est, absque causa istud detegens peccat contra justitiam, peccato videlicet detractionis; cùm alter jus habeat adhuc ad famam, ne sine causa per exulgationem criminis tollatur. Nulla autem causa subest denuntiandi evangelicè, adeoque cum detrimento famæ, si absque eo privatim putetur emendandus; cùm emendatio, quæ est unicus illius finis, ex privata monitione secutura sit, atque adeò denuntiatio frustra & sine causa adhibenda.

37. *An accusationem ipsa præcedere debeat ex rigore justitiæ.*

At verò accusationi (idem est de denuntiatione judiciali,) cùm pro fine habeat punitionem criminis, & exemplum aliorum ut terreantur, secundum plerosque non debet monitio privata ex justitia præmitti: finis enim istius non obtinetur, nec cessat per monitionem privatam, etsi per illam delinquens putetur emendandus. Tunc igitur propter bonum publicum concessa est accusatio, vel saltem judicialis denuntiatio, ut crimina in exemplum aliorum puniantur, sicque alii à malefaciendo absterreantur. Confirmatur: quia fiscus seu syndicus potest ea de causa id facere, immo in suum officium peccaret, si moneret; ergo etiam possunt privati, saltem absque injuria: quia jura loquuntur generaliter. Deinde præceptum naturale monendi privatò, si esset, non minùs ligaret officiarios. Accedit praxis, cùm passim id fiat absque scrupulo injustitiæ. Denique favet textus c. *Qualiter & quando* 24. *de accusat.* ubì Innocentius cum Concilio generali statuens generaliter modum & ordinem procedendi, ait: *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem charitativa monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio prævenire.* Neque verisimile est Pontificem cum Concilio generali solùm loqui de eo quod forum causarum postulet, sed etiam respicere ad conscientiam.

38. *An saltem ex charitate.*

Communior nihilominus doctrina tradit accusantem vel judicialiter denuntiantem peccare contra charitatem quando crimen est occultum neque specialiter vergit in publicum detrimentum, ac reus privatis monitionibus est emendandus; conformiter ad illud principium: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Quamvis & hoc Varii non sine fundamento negent, attentis iis, quæ allegantur ad probandum, quod non sit contra justitiam. Sanè qui non anxiantur famquam agentes hîc contra justitiam; neque etiam anxiantur de obligatione charitatis. Fiscalis quoque id absolutè facit licitè, ergo & alii. Denique si ratio boni communis sit tam notabilis, ut ob eam censeatur concessa cuilibet potestas citra injuriam accusandi ob vindictam & exemplum, erit quoque sufficiens, ut id concessum sit fieri contra charitatem: aut sanè si non nisi contra charitatem, non sufficerit quoque ad tollendam injustitiam. Ob postremam tamen rationem etiam Varii censent consequenter etiam peccari tali casu contra justitiam.

39. *Quando quis teneatur alterum accusare, quando non possit.*

Petes I. An teneatur interdum quis alterum accusare, aut saltem denuntiare? Resp. Aff. quando crimen cedit in grave detrimentum spirituale vel tèporale reipublicæ: quælibet enim pars tenetur ad conservationem totius, adeoque ad avertendum malum reipublicæ impendens. E contrà si crimen non cedat in detrimentum boni communis, nec sufficienter probari possit, non tenetur, immo nec potest accusare: quia inde tantùm sequitur infamia proximi.

40. *Quando teneatur aut possit ab accusatione desistere.*

Petes II. An accusator teneatur interdum aut possit desistere ab accusatione incepta? Resp. Teneri desistere primò, si adverterit se errasse in persona. Secundò, si res inceperit esse dubia, & dubium perseveret etiam post diligentem inquisitionem. Tertiò, si videat se probare non posse: in his enim casibus pergere in accusatione est calumniari. Potest autem etsi non teneatur desistere, primò, si judex accusationem nolit admittere aut si admissam rescindat; quod potest judex facere,

quando

quando videt libellum accusationis habere aliquem defectum substantialem, vel si persona accusata non possit sine magna reipublicæ perturbatione puniri, vel si sit valde necessaria reipublicæ. Secundò in causa privata potest accusator ordinariè desistere ab accusatione sive per gratiam sive per transactionem, maximè auctoritate judicis.

41. *Quando testis tenetur testari.* Testis tenetur judice præcipiente testimonium ferre. Primò, si auctor laboret infamiâ delicti. Secundò, si ab eo dependeat grave damnum reipublicæ, cui aliter obviari non potest. Tertiò, si similiter immineat notabile nocumentum privato. Et in his tribus casibus judex potest præcipere testibus sub excommunicationis pœna. Quartò, si delictum est semiplenè probatum: quando enim delictum cœpit esse publicum, debet quis præcipiente judice testari, sicut quando auctor laborat infamiâ delicti. Quintò, si procedatur viâ accusationis, & delictum plenè probari possit, testis citatus tenetur testari; aliàs enim nemo auderet accusare.

42. *Quando non,* E contrà verò non tenetur quis testari, etiam judice præcipiente, primò, si crimen est notum ex confessione: tunc enim potiùs integrum regnum debet permitti perire; ut habet communis & certa doctrina. Secundò, si secretò & consilii causâ est alicui patefactum delictum tamquam confessario, advocato, medico, vel obstetrici; & hoc verum est, etsi de auctore esset infamia, vel semiplena probatio, modò non vergat in notabile detrimentum reipublicæ vel proximi; tunc enim teneretur quis testari, etsi jurasset se non dicturum: quia juramentum promissorium cadens in detrimentum injustum tertii non ligat. Tertiò, si auctor non laboret infamiâ, nec timeatur damnum in futuro, non teneris denuntiare, nec testari contra eum, quando proceditur per inquisitionem, etiamsi tu cum duobus vel tribus testibus scias. Quartò, quando proceditur viâ accusationis, si res probari non possit; poterit tamen eo casu testari, si vult, & efficiet semiplenam probationem, poteritque judex ex officio procedere contra reum, cum subjiciendo quæstionibus. Quintò, non tenetur quis testari contra eum, qui justè occultâ compensatione est usus: quia præceptum superioris procedit ex præsumptione alicujus injustitiæ. Sextò, non tenetur quis testari, quando ex eo meritò metuit sibi aut suis notabile damnum, nisi bonum publicum id necessariò postulet. Septimò, si novi ab hominibus non fide dignis: immo tunc non possum eos nominare, à quibus audivi, quia nominando exponerem accusatum periculo infamiæ, vel etiam punitionis, si judex ignoret fidem eorum esse suspectam.

43. In criminalibus requiruntur & sufficiunt duo testes fide digni, & omni exceptione majores ex *L. Ubi numerus* 12. *ff. de testibus.* Est communis Theologorum & Jurisperitorum. Estque id receptum jure Gentium. Ratio est: quia unus facilè corrumperetur, duos autem subvertere, & efficere, ut consequenter loquantur, difficile est. Duo tamen non videntur requiri jure naturæ. Unde respublica posset prudenter concedere Principi justo potestatem condemnandi reum ex privata scientia cum uno teste, vel eam sine ullo teste; & fortè Princeps habet eam potestatem in certis casibus. Est tamen juris naturæ, ut nemo condemnetur ante plenam certitudinem de crimine: unde respublica non posset dare potestatem condemnandi ex dicto unius, nisi forte esset summæ auctoritatis & fidei. *Quot testes requirantur, & sufficiant in criminalibus.* *An duo requirantur jure naturæ.*

In quibusdam tamen casibus possent jure positivo plures testes exigi. Prout jure Canonico c. *Præsul.* 2. *q.* 5. ad condemnationem clerici requiruntur septem testes, Diaconi Cardinalis viginti septem, Præsbyteri Cardinalis quadraginta quatuor, Episcopi Cardinalis sive non Cardinalis septuaginta duo: tum quia ipsi sæpe sunt in magna invidia: tum quia ex eorum condemnatione multum minuitur æstimatio debita ministris Ecclesiæ. Qui tamen numerus testium modò non est in usu, minorque sufficit. Deinde Jure civili seu Cæsareo in testamentis apertis requiruntur quinque testes, in obsignatis septem, & in codicillis quinque: eò quòd testamentis plures sint insidiatores, quàm in criminalibus, & testator mortuus non possit mentem suam interpretari. Quod tamen apud nos similiter non est in usu. *In nonnullis casibus requiritur plures.*

Porrò ut duo testes bene probent, quatuor sunt necessaria ex jure. Primùm est, ut deponant jurati, ex c. *Nuper* 51. *de testibus:* quia non tam facilè committitur perjurium, quàm simplex mendacium: debent autem jurare, se dicturos omnem veritatem, nihil falsi immisceendo. Secundùm, ut deponant de eodem facto; quia alioquin non erunt conjunctes, sed testes singulares. Debent igitur convenire in tempore, loco, specie delicti &c. Tertium, ut deponant, quod sensu externo id perceperint; ut quòd viderint occidentem, audiverint blasphemantem ex *L. Sola* 4. *C. de testibus:* quia non possunt esse certi de facto alterius, nisi illud sensu externo perceperint. Unde si tantùm ab alijs habeant, non plenè probant; sed tantùm faciunt indicium ad inquirendum ab ijs, à quibus habent. Quartum, ut sint omni exceptione majores, id est, contra quos nihil potest jure opponi, cur plena fides illis non sit adhibenda. Qui etiam vocantur testes idonei, & distinguuntur contra testes minùs idoneos, id est, contra quos aliquid opponi potest, vel ex natura rei vel ex juris dispositione. 44. *Quæ requirantur ad sufficienter probandum.*

Et quidem ex jure naturæ omnes sunt 45. idonei

*Qui sint testes non omni exceptione majores.*

idonei qui habent usum rationis. Ex jure autem positivo minus idoneus est, primò in causis criminalibus qui non est viginti annorum, quamquam dictum talis testis faciat indicium ad capiendam informationem.

Secundò jure Canonico repellitur mulier ob fragilitatem sexûs & ingenii mutabilitatem. Tertiò inimicus ejus, cõtra quem testimonium dicitur; qui etiam repellitur in criminalibus exceptis in quibus alii testes minùs idonei admittũtur, ut in probanda simonia, hæresi &c. Quartò ascendentes & descendentes accusatoris, & collaterales; sed hi tantùm usque ad quartum gradum. Quinto, domestici accusatoris. Sextò, infames infamiâ juris; qualis est omnis, qui de aliquo crimine est damnatus. Septimò, perjurus. Octavò, socius criminis, qui tamen in multis etiam admittitur, ut idoneus testis. Nonò, persona inops & vilis, de qua potest esse suspicio perversionis.

46. *Duo observanda circa hujusmodi testes.*

Advertenda insuper sunt duo. Primum, quod quamquam testis minus idoneus non probet semiplenè, faciat tamen aliquod indicium, quod junctum alijs sufficit ad torturam, nisi repellatur ob subjectionem & reverentiam quam debet accusato, ut si sit servus vel filius. Secundum est, testes minùs idoneos admitti tamquam idoneos, quando delictum est commissum eo tempore vel loco, ubi copia testium idoneorum haberi nequit, ut in campo, silva, noctu &c. Item, si alter testium est valde dignus fide, potest supplere defectum, qui est in altero minùs idoneo, ita ut simul efficiant plenam probationem.

47. *An testis ad restitutionem teneatur, si nolit testari.*

Petes, an teneatur testis ad restitutionem damni emergentis, si legitimum testimoniũ subterfugiat aut detrectet? Resp. Neg. si id faciat ante judicis præceptum aut legitimè intimatam citationem; cùm præceptum non liget, antequam legitimè intimetur. Immo probabiliter, etsi eo intimato fugâ vel fraude se subtrahat; utì Plures docent. Eò quòd non satìs constet ex hujusmodi præcepto aut citatione nasci obligationem justitiæ, & non solius obedientiæ similisve virtutis: qui enim non comparet, potiùs inobediens & contumax, quàm injustus apparet. Vide *Lugo d.* 39. *s.* 1. Aliud esset, si falsum testando esset alteri causa damni; ut patet.

*Vel falsum testetur.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Reo & Advocato.*

48. *Quid requiratur, ut reus legitimè interrogetur, & veritatem*

VARIA circa reum observanda sunt. Primò quidem obligatio fatendi veritatem. Quæ prærequirit, ut judex legitimè interroget. Ad hoc autem necesse est, ut judex sit legitimus, nec in sua jurisdictione impeditus, procedatque servato juris ordine, quæ præexigit semiplenam probationem aut indicia equivalẽtia. Unde prius reo (idemque est de teste cum proportione) constare debet de probatione vel indicijs contra ipsum ostensis ei meritis causæ. Ac proinde judici non legitimo, vel non legitimè interrogãti, vel donec de legitima interrogatione constet, non tenetur respondere aut veritatem fateri. Judex enim non habet potestatem interrogandi, donec hæ conditiones adsint, & reo fiant satìs manifestæ, qui alias est in possessione juris ad honorem & bona sua. Quòd si etiam juridica interrogatio procedat ex falsa præsumptione delicti, v. g. an exierit ex tali domo stricta enſe, quando exijt quidem (& scit idem semiplenè probatum) non tamen facto delicto, sed ob aliam causam, potest juxta *D. Thomam*, *Soto*, *Sayro*, *Diana* & alios, reus negare, eò quòd judex tunc non interroget juridice, nisi ex falsa præsumptione, cujus falsitate cognitâ interrogare non posset.

*fateri teneatur.*

Dubium est apud Doctores, an reo, non ostensâ ei probatione contra ipsum, possit à judice deferri juramentum calumniæ. Quod continet sequentia. Primò, quòd putet se bonam causam tueri. Secundò, se interrogatum à judice veritatem dicturum. Tertiò, non adhibiturum scienter falsas probationes. Quartò, se non prorogaturum litem fraudulenter. Quintò, se nihil contra legis prohibitionem promisisse, vel promissurum alicui causâ litis. Resp. verius esse, quòd sic, utì relato *Navarro*, *Soto*, *Sanchez*, tenet *Lugo d.* 40. *s.* 1. *n.* 13. contra *Lessium*, quem citat. Eò quòd juramentum hoc solùm respiciat confessionem veritatis, quando & quomodo fuerit reo postea legitimè interrogandus, non autem cõfessionem veritatis hîc & nunc; respiciat quoque causam justam, quatenus reus non faciendo bonam causam defendit, quousque ei constet de probatione contra ipsum sufficienti ad legitimam interrogationem.

49. *Quando si possit deferri juramentum calumniæ.*

An autem quoties judicè, seu legitimè reus interrogatur, teneatur fateri veritatem, est quæstio satìs notabilis. In qua communis & securior doctrina *D. Thomæ*, *Cajetani*, *Soti*, *Navarri*, *Covarruvias* & aliorum, quos citat & sequitur *Lessius c.* 31. *dub.* 3. *n.* 12. asserit teneri, etiamsi foret morte plectendus. Eò quòd judex legitimè interroget & mandet reo, ut fateatur veritatem, cum potestate exigendi ab ipso juramentum; adeoque in reo sit reciproca seu correlativa obligatio respondendi veritatem.

50. *An quoties legitimè interrogatus, veritatem fateri teneatur. Sententia communis affirmat.*

Excipiunt tamen *Petrus Navarra*, *Rodriguez*, alijque gravissimi Doctores (quorum sententiam non improbabilem censet *Lessius*, *Malderus*, *Villalobos*, *Portel* & alii passim, ac valde probabilem & in praxi omnino securam, præsertim in causis capitalibus, censet *Lugo d.* 40. *s.* 1. *n.* 15.) si timeatur,

51. *Exceptio quorumdam.*

meatur sententia mortis (addunt plerique ex his Doctoribus pœnam triremium, confiscationis omnium bonorum aut similis) & sit spes evadendo per relationem veritatis, quasi oppositum præceptum judicis sit tali casu superans humanam imbecillitatem, sic ut vix reperiretur qui impleret. Ut proinde possit juxta hos Doctores reus tali casu interrogationem judicis æquivocatione vel amphybologiâ eludere. Propter quod etiam reus citatus tali casu non debet comparere, quamvis delicto plenè probato; utì quoque potest è carcere fugere, non obstante præcepto judicis. Secùs est in causis minoribus, vel quando non est spes evasionis.

52. *An possit reus excipere contra testes, eorum occulta crimina detegendo.*

Secundò circa reum quæritur, an ad labefactandum contra se datum testimonium possit detegere occulta crimina testium? Estque affirmativa sententia communis, si alio modo nequeat eorum testimonium infirmari: non enim tenetur cum tanto suo detrimento crimina alterius servare secreta: potestque se defendere cum justo moderamine illo armorum genere, quo oppugnatur. Nec testes possunt cõqueri de injuria: cùm sint invasores; & hoc ipso quo accusant vel testantur exponunt se illi periculo. Si tamen repulsa hujus testis v.g. putaretur inutilis ad defensionem seu evasionem, ut quia sunt, aut certò erunt alii sufficiẽtes testes, contra quos non sit exceptio, peccabit reus saltem contra charitatem aperiendo occultum crimen testis. Similiter peccaret reus contra charitatem revelando crimen grave testis, qui se non ingessit sponte, sed à judice coactus est testari, nisi causa rei sit levis. Item si aliâ viâ minùs nocivâ possit testimonium infirmare. Immo hoc casu, præsertim si id æquè commodè possit, probabiliùs peccat contra justitiam: eò quòd non habeat jus, nisi adhibendi media necessaria ad sui defensionem. Sicut qui invasorem armatum potest repellere solis minis aut levi fustigatione, vel mutilatione, non potest sub prætextu defensionis eum occidere.

53. *An dum crimen probari nequit, repelli possit accusator tamquam calumniator.*

Si autem quæratur, an peccet reus contra justitiam, dicendo, accusatorem mentiri vel calumniari, quando accusat de crimine quod probari nequit. Resp. Neg. quod enim probari non potest in judicio præsumitur falsum. Unde sic accusans committit quamdam calumniam, objiciendo alicui crimen tamquam in judicio probabile & publicum, quod non est tale. Quare talis præsumitur calumniator juxta *Glossam in c. 2. de calumniatoribus.*

54. *Justè damnatus nequit se per vim defendere.*

Tertiò, circa reum est videndum, an vel quomodo possit se defẽdere contra sententiam, aut ejus executionem impedire. Et quidem justè condemnatus indubiè nequit se per vim defendere, quin id agendo faciat injuriam judici. Unde talis judicaretur ab omnibus lædere majestatem. Si autem sententia sit palam iniqua & contra juris ordinem lata, potest reus per vim se defendere, servato moderamine inculpatæ tutelæ: quia tunc judex etiam formaliter injustè agit contra reum, adeoque hic potest se contra illum defendere velut contra invasorem vitæ aut fortunarum. *Secus, si sententia sit palam iniqua.*

55. *Quæ si revera iniqua sit, sed secundum ordinem juris lata. Sententia prima.*

Si verò sit re ipsâ seu materialiter quidem iniqua, tamen pronuntiata secundùm ordinem juris, & juxta allegata ac probata, etsi sententia non dirigat in conscientia juxta dicta *quæst. 1.* tamen valde probabiliter non potest juxta *Soto, Lessium, Malderum* & alios passim reus per vim se opponere judici aut ministris, ne sententiam exequantur, veluti ad quod agendum jus habent, ne aliàs sit locus bello utrimque justo. Oriretur quoque (quod maximè ponderandum est) ex hujusmodi violentis resistentijs gravissimum in republica scandalum seu malum, quod etiam cum vitæ dispendio præcavendum est.

56. *Sententia secunda.*

Quæ sententia nihilominus negatur à *Victoria* & alijs, quos citat *Lugo d. 40. s. 4.* qui censet certum in primis videri, quòd reus tali casu non solùm possit fugere seque ponere in loco tuto, sed etiam inde armis & minis judicem aliosque ministros terrere, ne accedant, impellere etiam ministros, quo elabatur è manibus eorum. Præterea resistentiam & defensionem cum eorum damno admittit probabiliter licitam, si fiat sine gravi scandalo (quod tamen difficulter separatur) neque in prima comprehensione, ad quam judex verum & reale jus habet, intervenientibus indicijs, quantumvis indiciatus sit innocens.

*Ejus fundamentum.*

Fundatur hæc opinio in eo, quòd judex invadat licitè solùm ex falsa præsumptione; quæ non adimit jus invaso scienti veritatem: sicuti patet in casu, quo judex erraret in persona malefactoris, volendo occidere Petrum loco Pauli sontis. Unde non videtur inconveniens dari bellum utrimque formaliter justum, suppositâ in judice ignorantia.

57. *An reo morti licita sit fuga è carcere.*

Ad fugam quod attinet, ea licita est reo incarcerato etiam post justam mortis vel mutilationis sententiam latam juxta Doctores communiter: quia non potest illi præcipi ut non fugiat cum tanto suo damno, quando potest: illud enim præceptum esset nimis durum & superans humanam fragilitatem. Unde posset fugere sub ipso ictu gladii, si esset spes evasionis. Itaque non præcipitur tali reo, nec præcipi potest, ut maneat in carcere, dum potest fugere, sed tantùm declaratur dignus tali supplicio, & ex consequenti mandatur ministris, ut diligenter illum custodiant.

58. *An carcerem effringere.*

Immo & vincula disrumpere, & carcerem ad istum finem effringere potest juxta Doctores ferè communiter: tum quia

quia præceptum, quo istud prohiberetur, oblatâ occasione evadendi foret nimis durum: tum quia cui licet finis, etiam licent media. Alioquin si reus stupeis vinculis foret constrictus, non posset ea rumpere, quod ridiculum.

*Iura explicantur.*

Nec refert, quòd effractoribus carcerum gravissimæ pœnæ jure civili imponantur: primò, quia leges istæ procedunt ex præsumptione violentiæ illatæ custodibus. Deinde ad justum terrorem potuit respublica ob carcerum effractionem tamquam culpam politicam statuere aliquam pœnam, non quidem capitis, sed mitiorem, quæ serviat ad terrorem potiùs, ne iterare audeant, quàm ad vindictam propriè dicti criminis. Quòd si aliquæ leges pœnam capitis imposuerint, & non procedant ex præsumptione violentiæ ministris illatæ, aut simili, fortè sunt latæ secundùm contrariam sententiam, quæ est probabilis, attamen acerbiores sunt, quàm ut eas probare possimus; quæ proinde non sunt in usu.

59. *An id agens teneatur ad reparationem damni.*

Petes I. An reus teneatur ad reparationem damni, quod infert reipublicæ frangendo carcerem? Resp. cum communiori sententia Doctorum Aff. quod attinet ad damnum per se ex effractione carceris ortum, cùm enim ibi justè detineatur à republica, meritò potest hæc exigere reparationem damni, quod reus fugiendo directè infert, ipsoque censetur tacitè ad hoc se obligare. Non videtur tamen restitutio ista in usu. De damnis autem per accidens secutis, v.g. quia alii concaptivi fugerunt &c. reus non tenetur, juxta Doctores communiter: ipse enim ob eventum istum, qui per accidens & præter intentionem illius concomitatur, non obligatur cedere juri suo, quod habet ad fugiendum.

60. *An liceat hujusmodi reo fugam consulere, vel instrumenta suppeditare.*

Petes II. An liceat reo fugam consulere? Resp. Aff. quia consulitur id quod honestum est. Immo licet monstrare media fugæ (quod etiam spectat ad consilium) & instrumenta porrigere juxta plures Doctores: cùm enim consilium sit veluti internum quoddam & spirituale instrumentum, plus sæpe conferens ad finem, non apparet, cur non liceat suppeditare etiam instrumentum physicum, quo legitimè quis utatur: nisi ob peculiarem causam id prohibeatur; prout est prohibitu, juxta omnes Doctores ministris justitiæ, consilii aut instrumentorum suppeditatione rem in ordine ad fugam juvare; cùm ex officio incumbat ipsis impedire incarcerati fugam, ac curare ut in carcere detineatur. Prout etiam respublica prohibere posset cum obligatione in conscientia, ut nemo alius reum juvet consilii aut instrumentorum subministratione: alii enim non habent tantùm jus ad conservationem vitæ rei, quantum ipse reus, nec ipsis præceptum hujusmodi censendum est esse intolerabile, quemadmodum foret respectu Rei. Unde juxta Doctores communiter illicitum est alijs juvare reum immediate effringendo carcerem, aut dirumpendo vincula: solus enim reus, propter maximum malum, quod ipsi imminet, ad hoc jus habet. Deinde alioquin nihil posset esse judicibus satis firmum & tutum ad reorum custodiam; quod cederet indubiè in magnum reipublicæ incommodum. Ideoque tales indubiè censerentur peccasse in auctoritatem publicam, atque esse reipublicæ ac Principi injuriosi.

*An liceat juvare in effractione carceris.*

Quæ dicta sunt de reo damnato ad mortem aut mutilationem, ob similem rationem docent probabiliter varii Doctores habere locum in damnatis ad triremes, vel carcerem perpetuum & gravem; denique in damnatis ad servitutem, si esset valde dura. De exilio est alia ratio: nam illa pœna non potest mandari executioni sine actione spontanea rei: nisi fortè exilium foret gravissimum, inquit *Lessius c. 31. dub. 5. n. 39.*

61. *An præmissa locum habeant in solis reis mortis aut mutilationis.*

Nunc pauca dicenda supersunt de Advocatis, qui personam seu partes, nunc actoris, nunc rei defendunt.

62. *Advocati qui & unde dicantur.*

Advocati autem dicuntur, qui in forensibus negotijs proponendis & discutiendis parti suum præbet patrocinium, verbo, vel scripto. Unde vocantur causarum patroni, quia causæ actoris vel rei patrocinantur. Vocantur etiam Oratores & Rhetores causidici, quia bene dicendo vel scribendo, causæ veritatem & justitiam coram judicibus exponunt. Unde etiam dicti sunt Postulatores, quia pro justitia & æquitate postulare debent. Nomen autem commune Advocati indicat, quòd non propriâ sponte, sed alterius voluntate in patrocinium causæ vocentur, vel etiam justitiâ & æquitate periclitante ad patrocinandum invitentur. Necessitas Advocatorum, eorumque utilitas, simul & officium eleganter perstringitur *L. Advocati C. de Advoc. diversf.* judicior.

63. *Quæ in iis requirantur.*

In jis præter doctrinam probatam & prudentiam requiritur in primis cura justitiæ, nimirum ut numquam causam injustam assumant, immo ut etiam ignoranter inchoatam deserant, nil injustum & iniquum in processu adduci permittant &c. Deinde requiritur, ut clientibus in ijs, quæ causam concernunt, fidem & fidelitatem servent, utrique parti non inserviant, neque sui clientis infirmitatem aut imbecillia argumenta adversæ parti non revelent, nihilque injustum aut iniquum, etiam contra adversam partem, moliantur. Præterea supponendum est (inquit *Marchant Tom. 3. P. 3. Tract. 5. Tit. 5. §. 1.*) juramentum Advocatorum, quo se obligant & jurant, diligenter, & ex fide, hoc est, fideliter officium

*Eorum juramentum.*

officium suum præstituros; item se cognitâ causâ improbâ, vel penitus desperatâ, scienter malâ conscientiâ iuti non patrocinaturos, immo si causâ procedente aliquid tale sibi cognitum fuerit, à causæ patrocinio recessuros.

64. *Peccata.* Peccant itaque tam contra juramentum, quàm contra justitiam gravissimè, qui causas omnino improbabiles sustinent, immo qui tales quærunt processus, & ad hæc clientes instigant. Item, qui omnino injustas causas defendunt, vel si aliquam probabilitatis speciem habeant, suis fallitatibus, fallacijs, verborum & eloquentiæ lenocinijs & meris decipulis ita vestiũt, ut nonnumquam justa causa periclitetur, immo & injustæ succumbat. Perversitas enim Advocatorum nonnullorum talis est, ut & verbis & garrulitatibus ita saporem quantumvis justæ causæ obtundant, vel tot scriptis & scripturarum ambagibus fallacibus judices circumveniant, ut vel tædio fracti, vel caligine quadam circumdati justitiam videre nequeant. Et tales causidici cicadæ vel etiam rabulæ ab Antiquis nuncupabantur. Item, peccant mortaliter, qui injustitiam causæ deprehendentes, nihilominus illam prosequuntur. Item, qui lites & causas suis astutijs protrahunt, quæ brevi tempore poterant finiri, & hoc ut lucra sua augeant. Item, qui suâ negligentiâ vel ignorantiâ sunt in causa, quòd causæ etiam justæ perdantur. Item, qui cum adversa parte colludunt, vel quovis modo suis clientibus sunt infideles, utpote quòd vel parti secreta revelent, vel utrique deserviant, vel à cliente informati de causa in ordine ad consilium capiendum, demum pro contraria parte patrocinentur, & informationibus prioris partis consulentis instructi contra illam procedant.

65. *Quando illicitum sundere præ-vios transactionem.* In casu etiam quo Advocatus post causam inchoatam advertit, eam esse injustam, non potest alteram partem, cujus certum scit esse jus, inducere ad transactionem seu compositionem; utpote quæ solùm habet locum in causa dubia. Si tamen existimaret clientem non cessaturum à lite, seu vexa partis, posset huic soli consulere compositionem, quâ redimat suam vexationem.

66. *An liceat patrocinari causæ dubiæ.* Petes, an Advocatus, qui facto prudenti examine, reperit causam utrimque dubiam, possit eam suscipere? Resp. Affirm. quemadmodum quilibet potest tali casu justitiæ declarationem allegatis suis motivis à judice exspetere. Quod tamen intelligendum est de dubio, quod versatur circa hoc, pro qua parte sententia debeat proferri. Si enim perpensis omnibus allegatis & allegabilibus certum sit, sententiam juris esse proferendam pro reo, v.g. possessore, non apparet, quî possit Advocatus favere actori in causa civili; cùm tunc tueatur causam injustam, vexando iniquè possessorem, utì accusator in causa criminali injustè accusat, qui novit se non posse probare contra reum. Similiter sine fructu facit à cliente expendi pecunias, qui suscipit causam, cui non subest moraliter spes victoriæ, ex hoc quòd causa non habeatur practicè probabilis, semperque à judicibus rejiciatur. Aliàs licitum est patrocinari, sive reo, sive etiam actori, in causa, etsi minùs probabili, dummodo saltem cliens de hoc moneatur; quando enim licitum est aliena agere, vel se defendere, etiam licitum est eidem patrocinari. Neque censetur Advocatus velle inducere judicem, ut ferat sententiam pro parte minùs probabili, sed exponere judici merita causæ, quæ fortè generabunt in judice opinionem de majori probabilitate illius partis, sic ut pro ea tamquam sibi veriore sententiam ferre queat aut etiam debeat.

*Vel practicè improbabili.*

*Vel minùs probabili.*

67. *An habenti jus in possessorio, sed iniquam causam in proprietate?* Sed quid si cliens habeat bonum jus in possessorio, iniquam tamen causam in proprietate, quam proinde in conscientia teneatur statim reddere vero domino, cujus rem esse novit? Aliquibus viris doctis (teste *Lugo disp.* 41. *s.* 1. *n.* 10. probabile visum est, Advocatum posse talem defendere in causâ possessoria, quasi id agendo consulat solùm judici, ut hic faciat quod juxta leges, ad majora mala vitanda latas, tenetur, nempe conservando clientem in possessione, donec agatur de proprietate; adeoque ad peccatum clientis solùm permissivè se habeat. Verùm alii contradicunt, neque oppositum consuleret *Lugo sup.* eò quòd non videatur advocatus se permissivè tantùm habere, utì judex, sed cooperari positivè ex parte clientis, cujus personam sustinet, cum instruendo, & docendo modum, quo possit adversarium injustè vexare. Plura de Judicijs, & eò spectantibus videri possunt apud alios, tum Theologos, tum potissimùm Jurisperitos.

# DISPVTATIO SEPTIMA.

## *De Officijs Justitiæ Distributivæ.*

### QUÆSTIO I.

### *De Acceptione Personarum, signanter circa distributionem Officiorum sæcularium.*

1. IUSTITIA distributiva potissimùm versatur in distributione Officiorum publicorum, tum sæcularium, tum spiritualium seu Ecclesiasticorum, & communium onerum, utì vectigalium seu tributorum impositione. Contrà eamdem peccatur personarum acceptione. Quæ committitur, quando quis in bonorum vel onerum distributione, quam facere tenetur juxta merita aut certas conditiones eorum quibus fit distributio, non respicit ad merita vel causam, sed ad personam, id est, ad aliquam conditionem personæ, quæ non est consideranda in tali distributione.

*Quid Acceptio personarum.*

Ex quo intelligitur duo requiri ad hoc vitium. Primum, ut is qui distribuit sit obligatus, ista bona inter personas distribuere juxta proportionem meritorum aut certarum conditionum; sive talis obligatio oriatur ex jure naturæ aut positivo, sive eam ipse distribuens sibi imposuerit. Ita si quis ludos institueret, propositis & promissis victori certis præmijs, & postea non daret præmia victori, sed amico aut non promerito, diceretur acceptor personarum.

*Quæ ad illam requirantur.*

Secundum est, ut in distributione non attendatur qualitas vel condicio attendenda, sed aliqua, quæ hîc ad rem nihil faciat, & ob quam non censetur quis dignus aut magis dignus tali distributione: Veluti si Prælatus aut Princeps prætermissis magis qualificatis conferat officia minùs dignis aut certè indignis, eò quòd hi sint consanguinei, offerant munera &c.

2. *An in Deo locum habeat.*

Hinc colligitur in Deo locum non habere acceptionem personarum: nam in ordine ad dona gratiæ non subjecta merito non habet debitum, sed liberaliter pro nutu suo ea distribuit, licetque ipsi quod vult facere, hunc eligendo, alterum relinquendo &c. immo interdum majori gratiâ magis indignum prævenit, ut ostendat quàm gratuitum sit donum, alijsve de causis. Etsi ne quidem in distributione omnino gratuitorum respiciat personam, an scilicet sit Judæus vel Gentilis, Hispanus vel Gallus, sed alias rationabiles causas, omni generi personarum bene esse volens. Quo sensu accipi potest illud quod Petrus occasione vocationis Cornelii Gentilis dixit *Act. 10. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni Gente qui operatur justitiam acceptus est illi.* In judicio verò seu in ordine ad reddendam gratiam pro gratia, id est, præmia pro meritis, aut è contra pœnas pro demeritis, *non est acceptio personarum apud Deum, ad Rom. 2.* sed ibi servat proportionem debitam justitiæ distributivæ, ut qualis est proportio inter merita aut demerita singulorum, talis sit inter præmia & supplicia.

*Quale sit peccatum.*

Porrò acceptio personarum juxta communem sententiam est peccatum mortale ex genere suo, veluti repugnans virtuti graviter obliganti. Qua tamen in re est attendenda ratio debiti, quæ interdum est justitiæ commutativæ, interdum legalis, aut alterius virtutis. Videri possunt dicta *Tract. de Virtut. Cardinal. disp. 4. q. 2.*

3. *In quibus rebus versetur.*

Ipsa autem præcipuè locum habet in quintuplici bonorum genere. Primò, in distributione juris, quam facit judex, dum partibus jus dicit: cùm enim jus sit quoddam bonum commune distribuendum partibus, si judex aliquid respiciat præter causarum merita, peccare dicitur vitio acceptionis personarum, etsi non sine violatione justitiæ commutativæ. Immo acceptio personarum sic dicta est phrasi desumptâ ex Hebræis, quibus judices accipere vel sumere faciem, vel respicere in faciem hominis dicuntur, qui propter qualitatem in eo visam, v.g. potentiam, divitias, consanguinitatem &c. sic eum verentur aut amant, ut propterea in recto à judicando deflectant. Quare & Syrus *ad Rom. 2.* loco acceptionis personarum vertit, *acceptio faciei rum.* Adque non solùm fit, quando inferenda sententia respicit v.g. amicitiam vel potentiam personæ postpositâ æquitate causæ, sed etiam quando differt causas pauperum, ut divitum causas expediat. Item quando concedit terminum longiorem ad probandum, posito quòd utriusque sit par ratio. Verùm de Judicijs *disp. prec.* actum est. Secundò, habet locum in conferendis beneficijs sæcularibus, ut consulis, prætoris, & similium. Tertiò in collatione beneficiorum, & in electionibus & præsentationibus ad illa: si enim in illis actibus consideretur consanguinitas, amicitia, vel quid simile, & non dignitas personæ, ita ut digniori præferatur indignus, committitur acceptio personarum. De quo postea. Quartò in oneribus distribuendis, quæ ita debent distribui, ut pauperes

pauperes non graventur præ divitibus, immo non æqualiter cùm illis. De quo *quæst. ult.* Quintò in exhibendo honore & reverentia.

4. *Notanda circa Exhibitionem honoris.*

Excellentia porrò ob quam honor defertur, consistit potissimùm in virtutibus & sapientia, tum etiam in potentia. Unde maximè honorandi sunt sapientes & virtuosi, dein potentes, ut principes, post hos parentes veluti secundaria nostri esse principia, senes, denique divites, quatenus divitiæ sunt instrumēta bonorum operum, adeoque non spectantur præcisè divitiæ (quæ nullum specialem honorem merentur, uti nullam excellentiam creaturæ rationali propriam per se habent) sed quòd dives possit iis bene uti, & ad hoc invitetur honoris exhibitione. Alioquin in ijs quæ fidei JESU CHRISTI seu religionis Christianæ sunt, aut confessibus Ecclesiasticis (à fortiori idem locum habet in assumptione ad ministeria seu gradus Ecclesiasticos) divites præferre pauperibus, præsertim cum horum contemptu, est acceptio personarum graviter reprehensa *Jac.* 2. de qua nil superest dicendum.

*An dives pauperi præferri possit.*

5. *Quale peccatum sit assumere indignos ad officia sæcularia.*

Solùm restat hâc quæstione discutienda acceptio personarum circa distributionem officiorum civilium seu sæcularium. Certum autem in primis est apud omnes, quòd eligere ineptum seu indignum sit intrinsecè malum & peccatum mortale, in primis contra fidelitatem, quam gubernator reipublicæ debet, ut eam prudenter & debito modo administret, quod non fit eligendo ministros indignos, ex quorum electione innumera mala in republica procedunt. Est etiam contra justitiam commutativam, quâ ex officio gubernator obligatur reipublicæ ad ejus mala præcavenda, & impedienda, atque adeò multò magis ad non cooperandum positivè, ut sequantur. Quare tenetur ad restitutionem pro damno illo, quod reipublicæ ex tali electione obvenit. Habet autem locum hæc doctrina, non solùm in supremo Principe eligente, sed etiam in alijs, qui potestate ab ipso acceptâ eligere possunt: non enim accipiunt potestatem, nisi eligendi eo modo, quo Princeps eligere deberet, à quo potestatem & commissionem accipiunt. Similiter hæc obligatio est in eo, qui jus aut facultatem habet resignandi officium publicum in favorem tertii. Nec sufficit, quòd non sciatur positivè alter esse indignus: sed debet positivè inquiri seu sciri idoneitas personæ, attentâ muneris qualitate & fine.

*Sive assumens sit Princeps supremus, sive inferior, etiam resignans.*

6. *Immo juxta receptam DD. Sententiam præferendus est dignior.*

Sed quæstio est, an inter dignos sit præferendus dignior? Et quidem sententia satis communis *Lessii*, *Malderi* & aliorum Doctorum affirmat, ut proinde in officio gravis momenti, v.g. judicis, graviter peccent electores aut principes secùs faciendo. Fundatur primò in eo, quòd officia sint bona communia reipublicæ distribuenda inter membra juxta proportionem meritorum seu qualitatum. Verùm ad hoc alii respondent, non esse communia, quasi singùli competat aliquod jus, ut ipsis dentur, sed ad summum, ne dentur aliis. Sunt etenim hæc officia instituta in subsidium principis & in commodum ac bonam administrationem reipublicæ; quæ si posset sine adjutorio aliorum officialium à Principe regi, non deberent ulli necessariò assumi. Sicut curam habens colendi vineam, debet, si solus non possit colere, adhibere alios cooperarios citra aliquam obligationem erga eosdem vel jus in ijs residens. Quamvis de facto bonus Princeps in collatione officiorum etiam consideret merita, & pariter hæc ita compensare studeat. Quamvis etiam si instar præmii proponeretur officium conferendum per concursum, deberetur ex justitia magis idoneo.

*Quorumdam probatio discutitur.*

*Alia probatio.*

Fundatur II. in eo, quòd saltem sit obligatio ex genere gravis fidelitatis erga rempublicam, quâ non solùm tenetur ejus damna impedire, sed etiam commoda, quantum convenienter seu facilè potest, promovere. Quemadmodum infideliter ageret & peccaret œconomus, qui in conducendis operarijs spectaret solùm promotionem amicorum & consanguineorum relictis melioribus.

Nihilominus oppositam sententiam non improbabiliter tradunt Varii, quos sequitur *Lugo d.* 34. *sect.* 2. eò quod obligatio gravis non videatur satis efficaciter posse probari, dicendo non censeri se Principes obligasse ad exactissimam curam ac diligentiam hîc in parte ad promovendum bonum quantum commodè potest, exemplo ceterorum contractuum aut quasi contractuum, præsertim qui cedunt in utriusque commodum, v. g. in famulo, advocato, medico &c. Unde & œconomus satisfacit, si faciat, quod ipse dominus faceret; qui utique per se ipsum non semper eligeret famulos aut operarios optimos, experientiâ teste, sed interdum prudenter eligit bonos & dignos, sive ad petitionem amici, sive ob alia privata merita. Ita *Lugo* & satis probabiliter. Addit tamen quoad praxim id parum referre: eò quòd (quidquid sit de raris vicibus) nihilominus cōmuniter seu regulariter quærendi & eligendi sint digniores. Tum ne aliàs passim subrepant cum maximo reipublicæ damno inepti, prout experientia docet: cùm etiam dum dignissimi quæruntur, advertat interdum postea elector se esse deceptum. Tum ne si communiter relinquantur magi idonei, grave patiatur respublica detrimentum, dum sic languent studia, torpent ingenia, fovetur

7. *Opposita sententia speculativè non improbabilis.*

*Quid practicè censendum.*

ambitio, aliaque innumera vitia passim succrescunt. Itaque attendere debent Principes & electores practicè loquendo, ut si non solùm commoda reipublicæ promovere (quod sanè ipsis cordi esse oporteret) sed etiam damna vitare cupiant (uti ex justitia tenentur) attendant providere locis, non personis, juxta quod secundùm Deum omnibus pensatis censeatur magis expedire bono reipublicæ. Ideoque meritò nonnullis in locis Electores adstringuntur juramento solemni ad electionem digniſſimi.

8. *Venditio officiorum quàm pernicioſa.* Petes, an Princeps possit vendere officia plus offerenti? Resp. indubiè praxim istam esse pestiferam & valde pernicioſam reipublicæ: cùm sic non soleat attendi dignitas, sed pecunia, quæ suppleat quod sufficientiæ deest. Unde ulterius fit, partim in rempublicam passim irrepere ineptos & iniquos judices, alioſque Officiales, qui non ad utilitatem reipublicæ, sed ad proprium quæstum munia exerceant, aut justitiam venalem habeant, recuperando cum iniquo fœnore seu extorsione, quod pro officio dederunt: partim languere studia virtutum, & plura alia mala consequi. Ideoque meritò jure Cæsareo (etsi non ita usu recepto) prohibentur officia vendi, *Novellâ* 8. *in Præfat. & c.* 1.

9. *An sit intrinsecè mala.* Nihilominus si salvis conditionibus in assumptione personæ ad officium ex justitiâ ac fidelitate spectandis, venderetur interdum officium, non apparet id ex natura rei intrinsecè malum; ut rectè *D. Thomas Opusc.* 21. *ad Ducissam Brabantiæ* & alii passim. Varia siquidem sunt in officio consideranda. Et in primis obligatio & onera annexa officio vendi non possunt: nullus enim potest alteri vendere onus, quod ipse debeat subire, quia hoc quisque magis optat à se excutere & redimere, quàm per se spectatum emere. Similiter nec stipendium operi annexum & commensuratum: quia hoc ex justitia debetur illi, eo ipso quo onus alteri imponitur, & ab eo suscipitur. Confirmatur: quia nemo potest operario vendere laborem ipsius, neque justum laboris stipendium. Dignitas autem seu eminentia, quæ consequi solet auctoritatem seu potestatem, vendibilis est. Illa enim solet valde inter homines pecuniâ æstimari & compensari. Unde carè subinde venduntur dominia, etsi exiguæ utilitatis, ob titulum, atque ob cariùs, quo titulus est magnificentior. Excessus quoque quo stipendium superat æstimationem oneris officio annexi, similiter pretio æstimabilis est: immo posse respublica aut Princeps istam partem stipendii subducere, ac proinde quando relinquitur, compensationem exigere. Occasio denique faciendi quæstus mediante officio etiam est pretio æstimabilis. Unde domus ad negotiandum opportunæ hoc nomine pluris venduntur.

## QUÆSTIO II.

### *Quid Beneficium Ecclesiasticum, quotuplex, quibus modis conferatur, & per quos?*

10. *Quid Beneficium Ecclesiasticum.* Beneficium Ecclesiasticum communiter hoc ferè modo describitur: Jus perpetuum fruendi bonis Ecclesiasticis constitutum ab Ecclesia ad sustentationem propriam clerici ratione officii spiritualis. Quare in beneficio considerandum est primo, ipsum officium seu potestas & obligatio ad functionem spiritualem obeundam; quam consequitur ipsa actualis functio, v.g. lectio horarum, administratio sacramentorum, celebratio missarum &c. Secundò, jus in officio fundatum percipiendi fructus (quod proinde ratione originis & causæ inseparabilis est quoque spirituale) ipsaque perceptio fructuum subsequens. Quamvis autem officium sit principale, quod in beneficio reperitur, variaque nomina specialium beneficiorum, v.g. Episcopatus, Præpositura, Cantoria &c. directiùs importare videantur ipsum officium; quod proinde in recto nomine beneficii importari censet *VViggers Tr.* 7. *c.* 3. *dub.* 1. revera tamen nomen hoc directè importat jus ad fructus juxta communem sententiam: nam ipsum utique directè significari poterat per vocem aliquam ad hoc instituendam seu usurpandam, sic autem significari nomine beneficii, quod idcirco dicitur dari propter officium, communis est sensus, à quo non est ratio recedendi in quæstione de voce. Sic ut proinde etiam Episcopatus, Præpositura, quatenus sumuntur, ut directè significent ipsum officium, & non jus ad fructus, solùm sint consecutiva beneficia. Interim his est de sola voce.

*Quænam in Beneficio consideranda.*

11. *Præbenda quibus modis accipiatur.* Confunditur sæpe cum beneficio nomen Præbendæ, sumptum scilicet ut significet jus alicujus ad canonicam portionem fructuum sibi præbendam, prout sumitur in *Titulo de Præbendis*: etsi interdum significet perceptionem portionis præbendæ alio, quàm officii spiritualis titulo. Prout bene meritis de Ecclesia, etiam laicis, interdum quædam præstantur seu præstimonia conceduntur. E contrà interdum datur alicui titulus v.g. canonicatûs, quantum ad jus habendi locum in choro, & peragendi divina officia, sine præbenda aut perceptione fructuum: etsi sic assumpto in canonicum debeatur præbenda proximè vacans, ut ex c. *Relatum* 9. *de Præbendis*, & *Glosiâ in c.* 2. *de Conceſſ. Præbend.* tradit *Zoesius in Decretal. Tit. de Præbendis.* Quia autem

tem hâc simul potiuntur, dicuntur Canonici præbendarii.

12. *Perpetuitas requisita deficit in vicaria temporali. An in Beneficijs regularibus.*

Ex prædicta definitione patet in primis Vicariam temporalem non esse propriè beneficium, defectu juris perpetui, ex sua scilicet institutione. Beneficia autem regularia, etsi pleraque sint ad nutum Superioris amovibilia, id non tam habent ex sua institutione, quam ex conditione personarum regularium, quæ nutui superioris perfectè etiam in hujusmodi subjacent. Quod si beneficia sæcularia essent ad nutum conferentis amovibilia, desinerent attento stylo juris (ut Auctores passim notant) propriè esse talia; utì & si Pontifex statueret amovibilitatem alicujus antea veri beneficii. Aliqui tamen aliter de hoc loquuntur. Et quamvis jura non nisi de perpetuis agant, certè parum differrent à ratione beneficii, si & jus & officium quidem ipsum sit perpetuum, etsi non perpetuò seu ad vitam in hoc vel illo.

*An in sæcularibus ad nutum amovibilibus.*

13. *Quâ auctoritate sit Beneficium instituendum. Excludunturquædam fundationes & Capellaniæ Castrenses.*

Secundò, si jus non sit constitutum auctoritate Ecclesiasticâ seu Episcopali, non est verum beneficium, etsi non desit juri annexum officium seu obligatio spiritualis. Prout interdum per testamenta obligantur heredes certis fundationibus factis pro sustentatione clericorum cum onere v.g. missarum, aut alio. Hujusmodi quoque sunt Capellaniæ, quæ castrenses vocantur, sunt que mera officia, quæ nutu heredum, & non per institutionem Ordinarii acquiruntur. Unde non est annexum illis onus jure seu consuetudine communi impositum beneficiarijs dicendi horas Canonicas.

14. *Excluditur Pensio.*

Tertiò excluditur Pensio, quæ est jus percipiendi fructus ex beneficio alieno: non enim est naturâ suâ perpetua, sed extinguitur morte pensionarii, uti usufructus morte usufructuarii. Deinde non datur propter seu in ordine ad officium aut ministerium Ecclesiasticum. Etsi novissimè ex Bulla *Pii V.* apud *Navarrum c. 25. n. 122.* tenentur clericus Pensionarius (ubi Bulla viget) recitare officium B. Mariæ, sic ut aliàs fructus non faciat suos. Accedit, quòd pensio laica seu temporalis etiam competat laicis: etsi clericalis seu Ecclesiastica quadret in solum clericum, qualis est quæ supponit statum Ecclesiasticum, v.g. quæ datur clerico pauperi, Parocho seni, vel ratione resignationis, cessionis, componendæ litis. Hæc si non tantùm fundetur in statu clericali (uti jam dicta, quæ media dicitur) sed & detur ob officium spirituale, v. g. concionatori, vel adjutori Episcopi aut Parochi, dicitur spiritualis.

*Quotuplex ipsa sit.*

15. *Beneficium aliud Regulare, aliud sæculare.*

Beneficium aliud est Regulare, quod Regularibus est adstrictum; supple per fundationem, superiorum Ecclesiæ constitutionem, aut per legitimam præscriptionem, nempe 40. annorum cum bona fide: aliud Sæculare, quòd clericis non religiosis cedit. Quale præsumitur, nisi esse regulare probetur, ex titulis præmissis. Inde que axioma vulgatum, quòd sæcularia beneficia sæcularibus, regularia Regularibus reserventur. Tametsi juxta *Lessium c. 34. dub. 2.* beneficia curata regularia possint dari sæcularibus cum consensu monasterii, uti & curata sæcularia citra dispensationem (quæ in alijs requiritur Pontificia) regularibus. In nonnullis etiam regionibus, præsertim Galliæ, dantur beneficia regularia sine propriæ conditionis immutatione v. g. Abbatiæ regulares sæcularibus clericis, maximè nobilibus in commendam, seu eis commendantur (quatenus scilicet sine titulo committitur cura & administratio beneficii simul cum fructibus aut eorum parte) non sine gravi interdum damno Monasteriorum vitæque Monasticæ. Prudentiùs sanè Principes Belgici bono Ecclesiæ consulunt, dum hujusmodi commendas non concedunt, nec ullis nisi professis dignitates regulares concedunt. De quo *Zypæus in Analysi juris Pontif. Tit. de clerico agrotante.*

*In dubio præsumitur sæculare.*

*Sæcularia Regularibus & contrà qui concedi possint.*

*Beneficia Regularia in commendam qui dentur.*

Beneficia item alia sunt Majora, uti Papatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia: alia Minora, scilicet prædictis inferiora. Alia curata seu curam animarum annexam habentia, uti Archidiaconatus, Archipræsbyteratus, Pastoratus: alia non Curata; qualia præsumuntur in dubio. Alia insuper sunt duplicia, quæ vel sunt curata, vel annexam habent administrationem aut præeminentiam singularem; uti sunt Archidiaconatus, Decanatus, præpositura &c. Attendenda autem est consuetudo locorum, ut sciatur quod beneficium censeatur esse dignitas. Hodie etiam teste *Zypæo Tit. de Clericis non residēt. n. 5.* plerique; personatus inter simplicia beneficia de consuetudine censentur. Alioquin jure Canonum solet distingui inter dignitatem, personatum & officium, ut dignitas habeat annexam præeminētiam cum jurisdictione; personatus verò sine jurisdictione, v.g. honorificum locum in choro, processionibus, suffragijs; uti in varijs Ecclesijs Cantoria: officium habeat meram administrationem sine jurisdictione, quale est officium Sacristæ, Thesaurarii. Cetera sunt simplicia, quæ simpliciter instituta ad preces & officia divina sine præeminentia vel administratione. Suntque alia collegiatarum Ecclesiarum, alia non collegiatarum.

16. *Beneficia, alia majora, alia minora. Alia Curata, alia non Curata.*

*Alia duplicia, alia simplicia.*

*Personatus hic plerique inter simplicia beneficia censentur.*

Insuper alia dicuntur Manualia, quæ ad nutum conferentis avocari possunt, uti prioratus claustralis: alia non manualia, quæ adimi nequeunt, nisi certis de causis

17. *Alia manualia, alia non manualia.*

causis à jure permissis, ut regulariter cetera: etsi respectu Pontificis ob ejus absolutissimam potestatem omnia beneficia esse manualia dicat *Baldus* apud *Zoesium Tit. de Præbendis n.* 54. Alia sunt patrimonalia, quæ conferenda sunt oriundis de patria, loco, parochia: alia non patrimonialia, quæ etiam exteriùs conferri possunt. Aliqua denique sunt monocula, quæ pendent à collatione solius Prælati: cetera non monocula.

*Alia Patrimonialia, alia non patrimonialia.*

*Quid Beneficia monocula.*

18. *Beneficia acquiruntur potissimum Præsentatione sequente Institutione. Electione.*

Beneficia his potissimùm modis acquiruntur. Primò præsentatione (cum qua sæpe confunditur nominatio) seu exhibitione factâ per patronum seu jure præsentandi gaudentem, sive laicum, sive Ecclesiasticum, ac subsequente institutione per Episcopum aut alium ad quem ipsa spectaverit. Secundò, electione Canonicâ (quæ fit ab Ecclesiasticis pluralitate suffragiorum designantibus aliquem de corpore suo, præsertim quoad prælaturas) subsequente confirmatione. Tertiò,

*Aut Postulatione, subsequête confirmatione.*

postulatione (quæ fit consentientibus debitis partibus, scilicet tertijs, Capituli seu communitatis, advocando aliquem aliunde, qui non est de corpore, & petendo eum confirmari in prælatura vel dignitate) subsequente similiter confirmatione.

*Collatione liberâ.*

Quartò denique, Collatione liberâ, seu strictè dictâ, quæ donatio dicitur, & solo jure conferentis eidem competente, vel ad ipsum devoluto sit, non prærequisitâ præsentatione, electione aut postulatione. Generatim autem collatio, uti & institutio, est quævis assignatio beneficii vacantis. Quo sensu vera est *Regula* 1. *Juris in* 6. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica* (factâ scilicet ab habente potestatem) *obtineri*. Datque jus in re uti præsentatio, electio, postulatio jus ad rem. Aliquando autem sumitur institutio pro deductione in possessionem corporalem beneficii, quæ aliter investitura vocatur, competitque de jure Archidiacono, etsi hodie plerisque in locis fiat ab Archipræsbyteris seu Decanis ruralibus. Uti & Collegia seu Capitula collegas suos in possessionem mittunt, & titulum admittunt.

*Quid Collatio & institutio seperatim.*

*Institutio sumpta pro investitura pœnes quos sit.*

19. *Quid jus patronatûs.*

Circa jus Patronatûs (quod aliquando jus advocationis dicitur) seu auctoritatem præsentandi novum rectorem ad beneficium vacans (si non vacat, irrita est præsentatio) quam consequitur necessitas seu obligatio instituendi præsentatum, si sit idoneus, observandum est aliud esse patronatûs laici, aliud Ecclesiastici. Illud competere potest personæ laicæ quà tali manenti, adeoque tum in laicos, tum etiam in Ecclesiasticos titulo quasi laico quadrat, puta titulo fundationis, vel constructionis aut dotationis Ecclesiæ per ipsos aut eorum majores factæ ex bonis patrimonialibus vel quasi patrimonialibus, vel similiter fundati in ea beneficii accedente consensu Episcopi. Unde vulgatum istud:

*Cujus efficacia.*

*Quid jus patronatûs laici, quibus, quo titulo competit.*

*Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

Non sufficit tamen hodie præsertim, juxta *Zypeum in Responsa Canonic. L.*3. *Tit. de Jure Patronatus Resp.* 3. ad jus patronatus concessio vilis aræ, nullius alterius ad constructionem vel dotem Ecclesiæ contributione adjunctâ. Talis enim benefactoris quidem, non tamen patroni nomen & insignia jura meretur. Idemque est de dotante, nisi sit dotatio congrua. Inæqualitas juris etiam inter ipsos patronos inæqualiter meritos locum habere potest, juxta eumdem *Zypeum sup.* Ad prædictos titulos accedit etiam titulus donationis factæ dignitati seu qualitati laicæ ab Ecclesia, quæ interdum aliquas personas laicas in patronos adoptat (quo modo si non etiam interdum usurpatione, Reges plerumque sunt patroni Episcopatuum aliarumque Prælaturarum sui regni) aut denique præscriptione immemoriali.

20. *Quid jus Patronatûs Ecclesiastici.*

Jus patronatûs Ecclesiastici censetur, quod competit alicui ratione dignitatis aut beneficii Ecclesiastici (esto originaliter fuerit pœnes laicum titulo patronatûs laici) vel titulo fundationis aut dotationis factæ ex bonis Ecclesiasticis seu pecuniâ inde redactâ. Nequit jus patronatus etiam laici vendi propter ordinem ad rem spiritualem, nisi venditione universitatis (ut loquuntur) in qua comprehendatur, puta cum venditione castri aut prædii, cui est annexum, dum tamen non pauris propterea veneat. Potest & donatione in alterum transferri, transitque ad heredes.

*Ne quidem prius venditi potest, nisi venditione universitatis.*

21. *Intra quod tempus sit facienda præsentatio vacantis Beneficii.*

Præsentandus autem est idoneus, & hoc intra quadrimestre, si sit patronatus laicus: intra semestre, si Ecclesiasticus, computandum à die notitiæ, sic ut tempus non currat probabiliter ignoranti. Alias prælatus jure ad ipsum devoluto potest beneficium vacans liberè tunc conferre. Si patronus laicus præsentaverit indignum, adhuc locus est præsentandi alium dignum. An patronus Ecclesiasticus pro ista vice excidat à jure suo, dubiũ est, & valde probabile censet *Lessius c.*34. *dub.*7. quod non. Potest etiam patronus laicus (quod non potest Ecclesiasticus) successivè intra quadrimestre præsentare alios & alios, non retractando, sed accumulando, quando Episcopo est liberum instituere ex ijs magis dignum, aut si æquè digni sint, eum quemlibet.

*An præsentans indignum jure excidat pro ista vice.*

*An præsentato possit accumulari novus.*

22. *Juri Patronatûs nequit Episcopus derogare.*

Juri patronatûs nequit Episcopus in collatione beneficiorum derogare. Pontifex autem ratione universalis & plenissimi juris potest derogare juri patronatûs Ecclesia-

*Potest Pontifex.*

Ecclesiastici; immo juxta Doctores ad c. 2. *de Prabendis* ei derogare censetur simplici collatione beneficii sine prævia præsentatione, etiam non addendo clausulam derogatoriam. Juri patronatûs laici potest quoque derogare ex justâ vel necessaria causa, juxta Doctores communiter. Circa hoc tamen non est adeò libera potestas, saltem quod ortum est ex fundatione seu fundi concessione, ædificatione aut dotatione per laicos factâ: eò quòd ipsum, etsi ex fine quodammodo spirituale, jure proprio & quasi dominii a laicis possideatur, medio oneroso quasi contractu inter Ecclesiam & Patronos. Quemadmodum etiam nequit Ecclesia pro libitu repetere bona Principi sæculari in feudum data. Unde non censetur juri patronatus laici derogatum per generales reservationes beneficiorum, idque etsi generalis clausula ponatur, ad cujuscumque patroni præsentationem pertineant; immo etsi fiat mentio patroni laici, adhuc non derogatur juri patronatus Regum, Ducum vel Marchionum: sed & in casu, quo derogetur juri Regis aut Principis jus regale habentis, meritò sæpe suspicari licet, subreptionem aut obreptionem accidisse. De quibus vide *VViggers Tract. 7. cap. 3. dub. 3.*

*An æquè liberè quoad jus patronatus laici.*

*Notanda circa clausulas huic derogatorias.*

23. *Collatio Beneficiorum pœnes quos sit.*

Conferendi beneficia de cetero potestas plenissima est pœnes summum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem. Est etiam pœnes Legatos à latere pro Provincia suæ legationis. Quomodo & Episcopis competit circa beneficia suæ diœcesis: Cardinalibus in Ecclesijs suorum titulorum. Privilegio autem vel præscriptâ consuetudine Abbatibus & alijs Prælatis quoque sæpe competit hæc facultas. Sede vacante aut Episcopo suspenso Capitulum seu Vicariatus succedit quoad conferendum ea solùm beneficia, quæ sunt necessariæ collationis (v.g. instituendo præsentatos, confirmando electos aut postulatos) aut etiam collationis simultaneæ: propter quod potest subrogare Canonicos graduatos in locum decedentium. Variæ autem admodum sunt, eæque attendendæ consuetudines Ecclesiarum, præsertim Collegiatarum: cùm alibi ad solum Capitulum, alibi ad solum Episcopum aut Capituli Prælatum, alibi alternatim, alibi denique per turnum (ut vocant) ad singulos Canonicos spectet conferre.

*Quid possit Capitulum Sede vacante.*

24. *Prærogativæ Pontificiæ quæ.*

Pontifex præterea potest absolutâ suâ potestate prævenire Ordinarium in collatione, utendo jure præventionis, gratiam expectativam, id est, præbendam primò vacantem conferre, jus conferendi laicis præbere, beneficia gravare; quæ inferiores non possunt. In multis insuper locis certos sibi menses stabiliter reservavit, qui Pontificii vocantur. Concessit denique quibusdam Academijs (utì Lovaniensi) jus nominationis ad primò vacantia beneficia, tum ad promotionem studiorum, tum ut in Ecclesijs reperiantur viri docti. Cui juri non esse derogatum per *Tridentinum sess. 24. cap. 19. de reform.* ubi revocantur gratiæ expectativæ similiaque privilegia, Pontifex postea consultus dicitur respondisse, teste *Zoesio ad Tit. de Concess. prabenda in fine.*

*Jus nominationis datum Academiæ Lovaniensi.*

## QUÆSTIO III.

### *Quibus conferenda sint Beneficia?*

DIGNIS sive idoneis conferenda esse beneficia, quando inveniri possunt, est indubitatum; patet ex c. *Grave nimis, de Prabendis*, ubi ex *Concilio Lateranensi* sub *Alexandro III.* oppositum dicitur, *grave nimis & absurdum.* Apertè enim rationi adversatur, assumere ad officium spirituale personam inidoneam. Ex quo etiam (ut utar verbis Concilii citati) *quanta Ecclesiæ damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat.* Estque hoc verum, etsi alioquin per statuta fundationis vocaretur præ alijs ad tale beneficium. An autem collatio facta inidoneo sit ipso jure irrita, disputatur. Si tamen nullus idoneus inveniri posset, censet *Lessius c. 34. dub. 12.* & alii (quod tamen temperat *VViggers c. 3. dub. 6.*) indigno seu inidoneo beneficium posse conferri ad majora mala impedienda, ne scilicet deveniat ad hæreticos vel alios adhuc magis indignos; comparatione quorum talis respectivè dignus censetur: etsi teneatur pro posse dignum se reddere, & officium assumptum pro viribus præstare. Neque sufficit, ut non constet positivè de inidoneitate: etsi enim aliàs præsumatur bonus, nisi probetur malus; qualitatem tamen idoneum ad beneficia reddentes debent positivè probari seu constare, v.g. ipsum valere scientia, ætate &c. debet enim patronus vel collator quantum in se est adlaborare & curare, ut idoneus præficiatur; adeoque debet posse positivè judicare de idoneitate.

25. *Solis dignis Beneficia sunt conferenda.*

*Quid si idoneus nequeat reperiri.*

*An sufficiat non constare de inidoneitate.*

Immo communis Doctorum sententia cum *D. Thoma q. 63. a. 2. & q. 185. a. 3.* tradit Electores, Patronos, Collatores, quantum in ipsis est, seu in ipsorum libera dispositione, obligari in conscientia (etsi secùs factum teneat) ad præferendum inter dignos digniorem & magis idoneum. Qualis censetur, cujus promotio spectatâ morum probitate, doctrinâ & alijs qualitatibus creditur cessura ad majorem utilitatem Ecclesiæ. Huc spectant auctoritates Patrum apud *Lessium sup. dub. 14.* Qui graviter invehûtur in eos, qui digniores prætermittunt. Similiter *Innocentius III. c. Ut. Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferatur* inter

26. *Magis digni an præferendi.*

*Qui censeantur tales.*

ter cætera ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium in personam magis idoneam dispensare.* Et novissimè *Tridentinum sess. 24. c. 1. de reform.* declarat *omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendum, quodcumque jus, quamcumque ratione à Sede Apostolica habent, mortaliter peccare, nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Et quamvis ibi tantùm sermo fiat de Episcopatibus, tamen idem sentire de Parochijs patet manifestè ex *cap.* 18. ejusdem sessionis, ubi significat obligatum Episcopum, ut magis idoneum eligat.

*Gravissima Tridentini verba.*

Nec obstat, quòd *sess. 7. c. 3.* solùm dicat, quòd beneficia inferiora, præsertim curata, dentur dignis: nam ibi solùm agit de requisitis ne electio sit postea irritanda, ad quod sufficit si eligatur dignus: postea verò *sess. 24.* explicuit debere eligi digniorem. Unde in beneficijs curatis, aut quibus alia functio magni momenti est annexa, est peccatum mortale; quando nempe postponitur notabiliter magis idoneus. Secùs si excessus sit parvus aut dubius. Committitur enim acceptio personarum in gravi materia, & contra voluntatem & bonum Ecclesiæ, ac fidelitatem ei debitam in dispensatione bonorum communium; quorum sunt tales œconomi & administratores, non domini, etiamsi sint supremi Principes, etsi, prò dolor! favores frequenter faciant, ut personæ potius, quàm loco provideri curetur. Et planè tot requiruntur ad bonos Ecclesiæ ministros (unde totum Ecclesiæ bonum pendet) ut non obstante virili conatu seligendi optimos, adhuc periculum sæpe sit, ne minùs apti præficiantur; adeoque ad optimos attendere necesse est, ne frequenter verè inidoneis intendant.

*Quando secùs agere sit peccatum mortale.*

Neque inde sequitur, minùs dignum illicitè aspirare ad beneficia simul competentibus dignioribus. Nam ordinarium est, ut talis se ipsum credat non minùs dignum, vel etsi id non credat, tamen cogitet fieri posse, ut ita judicent alii, quibus ex officio hoc judicare incumbit. Quamvis humana nimiùm se prodat miseria in ambitionibus etiam clericorum: quos magis optandum foret officiis applicari vocatos, quàm proprio injectu.

28. *An etiam in Beneficijs non curatis.*

Varii nihilominus loquentes generatim de beneficijs non curatis, quos citat & sequitur *Diana p. 2. Tr. 15. Resol. 38.* censent sufficere, ut conferantur dignis, etsi prætermittantur digniores: eò quòd aliàs Prælati ferè omnes essent in statu damnationis, qui passim sic procedunt in beneficijs simplicibus: quodque de his *Tridentinum*, aut alii Canones id non disponant, vel certè contra Canones antiquiores quoad hoc oppositum videatur introductum. Verùm alii Doctores passim contradicunt, non veriti praxim oppositam, si supponatur, veluti Ecclesiæ perniciosam reprobare. Tametsi in simplicibus beneficiis, v. g. canonicatibus, capellis &c. juxta *Lessium dub. 4.* & multos Recentiores non videatur probabiliter mortale peccatum semel vel bis præferre, verè, etsi minùs dignum, ratione modici detrimenti, quod inde oritur Ecclesiæ, adeoque ob levitatem materiæ. Alii tamen hoc ipsum quoque negant præsertim quando dignior se offert: ipseque *Lessius* fatetur, non parvam esse rem, si frequenter id fieret, privando sic Ecclesiam pluribus ministris dignioribus. In his tamen vitium acceptionis personarum purgari potest, si excessum idoneitatis adæquet alterius paupertas, quæ in hujusmodi quoque est spectanda, cùm beneficia sint etiam instituta ad sustentationem clericorum dignè ministrantium. Quod ad me spectat, circa obligationem gravem eligendi digniorem quoad hujusmodi beneficia difficulter probari ex jure positivo (quamvis illud in traditione fundatum statuat pro fundamento *Castro Palao* apud *Lugo d. 35. n. 17.*) neque etiam ex jure naturali, si in levioribus saltem, semel atque iterum id fieret, regulariter tamen & communiter id fieri non posse sine gravi Ecclesiæ dispendio. Prout idem *Lugo* censuit de officijs sæcularibus: de quibus suprà.

29. *An ex promotione minùs digni oriatur obligatio restituendi.*

Nihilominus ex prælatione minùs digni non oritur obligatio restitutionis faciendæ, sive digniori, qui strictum jus non habet ad beneficium, sive ipsi Ecclesiæ; quæ cùm non patiatur damnum, etsi lucrum inde ei cesset, dignum non respuit, etsi intendat habere digniorem, neque censetur vinculo strictæ justitiæ prælentatores, electores aut collatores ad hoc obligasse, neque etiam ita se ipsos obligasse existimant. In assumptione tamen indigni juxta communem doctrinam peccatur contra justitiam, non quidem respectu digni prætermissi, sed respectu Ecclesiæ, cujus proinde damna inde secuta tenentur tales reparare in defectu ipsius beneficiarii, qui primo loco tenetur. Quin immo si dignior postponatur digno in concursu (quoties ex lege, statuto, fundatione, aut factâ publicatione adhibetur: prout adhibendus est in parochialibus beneficijs ex decreto *Tridentini sess. 24. c. 18. de reform.*) videtur injuria restitutioni obnoxia fieri etiam ipsi digniori juxta *Malderum Tr. 9. c. 2. dub. 8. concluſ. 6.* & alios passim: in concursûs enim indictione videtur contineri implicita sponsio seu pactum dandi magis idoneo inter concurrentes, qui tali quasi lege & expectatione se sistunt. Et planè (ut etiam fatetur *Navarrus c. 17. n. 74.* qui præmissis videtur contra-

*Ad saltem ex promotione indigni.*

*Quid si dignior postponatur in concursu.*

contradicere) fit injuria, si beneficium conferatur cuicumque extra concurrentes, quidni ergo si non conferatur digniſſimo inter illos, ad quem quoque ſtatutum collationem reſtringit, ſicuti ad ipſos concurrentes? Poſſet tamen conceſſus aliâ mente inſtitui, ut nimirum collator non adſtringatur ad aliquem ex concurrentibus, atque adeo nec ad digniſſimum inter illos; ſed ut deſerviat per modum inquiſitionis, ad prudenter, etſi liberè, in collatione procedendum: quando videlicet ex aliquo capite id prudenter colligi poteſt.

30. *Quibus caſibus poſſit præferri minùs dignus.*

Nihilominus in caſu, quo manus Collatoris ſunt ligatæ, v. g. quando patronus præſentat dignum, poteſt & debet Collator inſtituere illum relicto digniore; cùm non niſi præſentatum inſtituere poſſit, ita ob quietem publicam ſtatuente Eccleſiâ. Idemque eſt de confirmante electionem. Sic quoque beneficia certis familiis aut oppidis ex ſua fundatione adſtricta licitè conferuntur digniſſimo inter capaces vi fundationis, dum tamen verè dignus ſit. Similiter juxta antiquos Canones c. *Nullus diſt.* 61. & c. *Metropolitano diſt.* 63. in paſtorem Eccleſiæ præficiebatur digniſſimus inter eos, qui in gremio Eccleſiæ reperiebantur, ratione idiomatis, notitiæ populi & cleri, reciproci affectûs, præcedentiumque in eadem Eccleſia meritorum: quòd plerumque ſatis rationabile eſt, & utile ipſi Eccleſiæ. Ob quas cauſas etiam modò (quando Canones iſti non ſunt ita in uſu) expediret haberi talium perſonarum conſiderationem, præſertim in officiis Epiſcopatu inferioribus. Vide *Zoeſium Tit. de Electione n.* 44. & *Maldernum ſuprà.*

31. *Quid ſi hoc modo ſit impedienda electio indigni.*

Præterea ſi periculum ſit, ne introducatur indignus, nec poſſit juvari digniſſimus, ejus promotione velut impoſſibili dimiſſâ, debet (ſi fieri poſſit) conſuli neceſſitati Eccleſiæ conveniendo in mediocriter ſaltem dignum, ut hac ratione excludatur indignus. Similiter ſaltem id licebit, ſi hâc ratione ſit removendus minùs dignus, ut promoveatur dignior. Si autem ſuffragia dividantur inter duos dignos, & non appareat ſpes juvandi digniſſimum è duobus, juxta *Leſſium c.* 34. *dub.* 13. licitè datur digno ſuffragium, digniſſimo eodem non profuturum. Quòd tamen poſt *Dominicum Soto* non admittit *VViggers c.* 3. *dub.* 7. Neque ego auctor vel conſultor eſſe cupiam, ut aliter fiat: juſtum enim eſt, ut juſtitia diſtributiva ſervetur, & alii recogitent, ſe non fuiſſe æquos electores, ipſeque electus ex inde ſe magis intra limites modeſtiæ contineat, prætermiſſo denique digniori ſuus honor ſervetur. Quamvis è contra non ſit ſuadenda quorumdam veluti obſtinatio, qui cum notabili electionum incommodo inſiſtere pergunt ſuis imaginationibus & fruſtraneis ſuffragiis, quotieſcumque ſcrutinia ferentur.

*Quid ſi non appareat ſpes juvandi digniſſimum.*

32. *An reſignare oporteat beneficium digniſſimo.*

Petes, an reſignans ſecundum juris diſpoſitionem beneficium minus digno (ſi indigno reſignetur, non eſt quæſtio) peccet? Reſp. Opinionem negativam videri probabilem, docerique à *Leſſio ſuprà*, *Maldero* & aliis paſſim. Imò *Arragon q.* 63. *ar.* 2. dicit eſſe communem, & conformem praxi receptæ, etiam ipſius Summi Pontificis: tametſi graves Auctores contradicant. Ratio aſſignatur, quòd reſignans non ſit ex officio diſpenſator beneficiorum veluti bonorum communium, ad quæ ſingulis ſit concurrendi locus, ſed quòd inſtar privati cedat alteri privato in ejuſdem favorem jus ſuum, prout per Canones conceditur. Nihilominus ſi longè dignior ſe offerat aut in promptu ſit, charitas boni communis, juxta *Leſſium ſuprà* obligat, ut is præferatur, præſertim ſi beneficium ſit curatum. Varii etiam Doctores abſolutè docent reſignationem ex obligatione faciendam digniſſimo, uti is in electionibus eſt præferendus. Et planè attendendum eſt, ne ex hujuſmodi renuntiationibus Eccleſia patiatur periculum gravioris incommodi, quod ſæpe ſubeſſe poteſt, dum non fiunt in favorem dignioris. De quo vide *Lug. diſp.* 34. *ſect.* 4. *n.* 50. *& ſeqq.*

33. *Quæ requiruntur ad beneficium obtinendum.*

Variæ porrò conditiones requiruntur, ut quis ſit habilis & idoneus ad beneficia. Primò, ut ſit legitimo toro natus. Cum illegitimis autem poteſt diſpenſare Epiſcopus ad ſimplex beneficium; quod tamen habere nequit in Eccleſia, in qua pater fuit beneficiarius. Sed neque filius legitimus à præsbytero ante ordinationem conjugato genitus, eſt capax beneficii, quod ante ipſum immediatè poſſederat pater.

*Quid ex parte Natalium.*

34. *Quæ ætas.*

Secundò certa ætas, pro Epiſcopali quidem, ut eligatur, qui annum vigeſimum exegerit; pro dignitate curata, itèmque beneficio patriciali (idem eſt de Vicaria perpetua) qui annum vigeſimum quintum attigerit, ſeu illum inchoaverit c. 7. *de Elect.* & *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 12. pro dignitate non curata & perſonatu, ut aſſumendus non ſit minor viginti duobus annis. Ad Canonicatus, aliaque ſimplicia beneficia requiritur annus decimus quartus ſaltem inchoatus, *ſeſſ.* 23. *c.* 6. niſi ex fundatione (cui *Tridentinum* non derogavit) aliter cautum ſit. Denique Abbatiſſa, Prioriſſa, & cujuscumque nominis præfecta conventûs Monialium eligi debet non minor quadraginta annis, & quæ octo annis poſt profeſſionem laudabiliter vixerit, *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 7. Quòd ſi talis deſit, poſtulari poteſt ex alio monaſterio. Quòd ſi tamen hoc videatur incommodum præſidi electionis, poterit eligi alia de conſenſu Epiſcopi vel alterius Prælati, quæ triginta annos ætatis

*Præfecta Monialium cujus ætatis eſſe debeat.*

tatis expleverit, & quinque annis post professionem rectè vixerit. *Tolet. suprà.*

35. *An beneficium requiritur tonsura.*

Tertiò, tonsura clericalis prærequiritur ad valorem collationis c. *Ex litteris 5. de Transactionibus*: etsi sufficiat eam esse susceptam, priusquam ipsa præsentatio fiat, seu literæ præsentationis exhibeantur Ordinario.

*Cælibatus.*

Quartò similiter requiritur cælibatus. Sic tamen, ut qui virginem duxit, & eâ consentiente castitatem vovit, possit ad beneficium admitti, *c. 2. de clericis conjugatis.* Immo beneficio obtento privatur Clericus ipso facto, quòd matrimonium validè contrahat. In sacris verò constitutus, veluti invalidè contrahens, non privatur quidem ipso facto, etsi meritò privari possit in pœnam, sic tamen ut ob honorem statûs ei aliqualiter maneat de sustentatione provisum.

36. *Scientia.*

Quintò requiritur scientia officio rectè exequendo necessaria *c. 7. de Elect.* Sic ut juxta receptam Doctorum sententiam (quæ ex *Tridentino sess. 22. c. 4.* colligitur) promotio omnino illitterati sit nulla. Quis autem talis censeatur, controvertitur. Aliqui censent sufficere ad simplex beneficium scientiam, quæ sufficit ad clericalem tonsuram, scilicet ut sciat latinè legere & scribere. Alii tamen censent cum *Maldero Tr. 9. c. 2. de Benefic. Eccles. dub. 14.* illitteratum eum dici respectu beneficii, qui latinum saltem aliqualiter non intelligit.

37. *Morum honestas.*

Sextò, vitæ & morum honestas; utì ratio ipsa ministerii dictat: sicut è contra morum improbitas in ministris maximam Ecclesiæ perniciem generat. Unde infamibus & criminosis facta collatio irritanda decernitur c. *Inter dilectos, de Excessibus Prælatorum*; etsi juxta *Navarrum c. 27. num. 251. Lessium dub. 23.* contra plures alios, secluså aliâ inhabilitate crimini annexâ non sit ipso facto irrita; prout inhabiles sunt excommunicati. Addi solent

*Carentia Excommunicationis.*

*De suspenso & irregulari.*

suspensi & irregulares. Sed non satis apparet ex jure provisionem irregularis aut suspensi esse ipso facto irritam, & non potiùs irritandam. Vide dicta *p. 2. Tract. de Legibus*, ubi de Censuris actum est. Addit quoque *Lessius c. 34. dub. 22.* interdictos: sed non satis ex jure probat. Intrusus in

*De Interdicto.*

*De Intruso.*

beneficium (qualis censetur, qui scienter absque titulo canonico, aut legitimo jure accipit vel retinet beneficium) est quidem inhabilis ad illud, in quod est intrusus, non verò ad alia. Vide varios intrusionis modos apud *Lessium c. 34. dub. 22.*

38. *Habilitas ex parte corporis.*

Septimò ex parte corporis juxta rationem naturalem ea requiritur aptitudo, quæ necessaria est ad decenter præstandum munus beneficio annexum; v. g. ut non sit cæcus. Si tamen debilitas aliqua super veniat causans ineptitudinem ad officium, potest nihilominus frui beneficio obtento, salvo, quòd per idoneum vicarium provideat obligationi fundationis, aut animabus, quarum cura fuerit beneficio annexa.

39. *Intentio statûs Eccleſiastici & Ordinis.*

Octavò requiritur intentio Statûs Ecclesiastici, & Ordinis beneficio annexi, si quis sit. Quæ pensanda est ex bona fide, & candida mente statum non deserendi, nisi justa seu honesta causa incideret: cùm Ecclesia id non intendat, neque semper rationabiliter intenderet tam strictè ad perseverantiam in statu Ecclesiastico arctare, sed potiùs nondum ordinatis liberum ad nuptias transitum concedat. Alias communi Doctorum sententiâ non licet beneficium acceptare vel retinere. Non enim æquum est, ut bonis Ecclesiæ gaudeant, qui necdum statuerunt se ministerio Ecclesiæ mancipare. *Sanchez* tamen *L. 7. de Matrim. d. 45. n. 19.* centet tali intentione carentem seu contrariam habentem non peccare mortaliter, quando beneficium non requirit mox sacrum Ordinem, & illud accipiens intendit interim muneri suo satisfacere: eò quòd jura non videantur determinare quòd acceptans beneficium debeat habere animum perseverandi in ministerio Ecclesiæ. Quod similiter (etsi non satis tutum appareat *Wiggers c. 3. dub. 16.* ob communem sententiam in re adeò gravi contrariam in communi fidelium apprehensione, ipsaque Ecclesiæ mente jus beneficiarium decernentis esse perpetuum) tamen probatur *Lessio dub. 26.* præsertim si causâ studiorum vel simili honesto fine fiat, & non ut splendidè vivat, eò quòd tunc Ecclesia sit magis invita, graviusque decipiatur. Saltem satis convenire videntur Doctores in hoc, quòd adimpleto officio non sit onus restituendi fructus interim perceptos. Nisi quòd *c. Commissa 35. §. Ceterum, de Elect. in 6.* specialiter statuatur, ut suscipiens officium parochiale sine animo suscipiendi intra annum sacerdotium, teneatur restituere fructus perceptos (nisi mutatâ voluntate intra annum promotus fuerit) sitque inhabilis ad idem beneficium; relictâ Episcopo facultate dispensandi ad septem annos ratione studiorum, si primo anno promoveatur ad subdiaconatum. Hoc tamen statutum tamquam odiosum & velut pœnale non est extendendum ad alia beneficia.

40. *An liceat Parochium suscipere cum animo resignandi.*

Petes, an peccet recipiens beneficium parochiale animo non residendi, sed resignandi vel permutandi? Resp. in hoc quidem apparere quamdam deordinationem, si causa desit, non tamen culpam, saltem gravem; cùm non appareat jus id prohibens, neque inferatur detrimentum notabile Ecclesiæ, ut proinde talis non teneatur ad restitutionem fructuum, quæ nullo est jure statuta.

Nonò

41. *Beneficio sufficienti alterum superaddere licitum.*

Nono requiritur, ut assumendus non habeat aut saltem retineat aliud beneficium sufficiens ad honestam sustentationem. Nam (ut alia jura præteream) *Tridentinum sess. 24. c. 17. de reform. statuit, ut in posterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat; liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæc, non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad omnia alia beneficia tam sæcularia, quàm regularia quacumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant.* Quæ verba clariorem sensum, quam observantiam alicubi habent. Itaque in defectu sufficientis sustentationis locus est duplicitati beneficiorum, quorum saltem alterutrum sit simplex, non requirens residentiam personalem.

*Insufficienti aliud addere qui licitum sit.*

42. *Sufficientia Beneficii qualiter æstimanda.*

Sufficientia porrò beneficii vix potest certiùs determinari juxta *Malderum Tr. 9. cap. 2. dub. 17.* quàm attendendo, an juxta stylum consuetum sui similium clericorum bonorum & timoratorum sufficiat sustentationi clerici & suorum. Per suos autem intelliguntur à Doctoribus famuli, parentes, fratres & consanguinei egentes. Quibus adjungi possunt illi, quos ex pietate aut honestate clericus hospitio excipere quasi cogitur. Quocirca attentâ multiplici consideratione locorum, qualitatis personarum, aliarumque circumstantiarum, relinquendam censet *Malderus suprà*, & alii Doctores sufficientiam istam arbitrio prudentis pro foro conscientiæ, & judicis pro foro externo. Quando tamen beneficia sunt legitimè unita, censentur quasi unum, adeoque possunt ambo retineri, immo non nisi simul obtinentur; prout decanatui, alterive dignitati solet esse annexus canonicatus, vel canonicatui officium parochiale.

*Beneficia unita quasi unius censentur.*

43. *In pluralitate beneficiorum qui Pontifex valeat dispensare.*

Potest etiam ex dispensatione Pontificia, dum subest justa causa, quis obtinere plura beneficia. Prout ex praxi Pontificum, & exemplis etiam Sanctorum constat, qui concedente aut etiam jubente Pontifice plura beneficia, puta Episcopatus, Abbatias, obtinuerunt. Est quidem in hujusmodi pluralitate species mali, sic ut per illam, nisi causa justa excuset, *Ecclesiasticus ordo pervertatur* teste *Tridentino sup.* quatenus hâc viâ diminuitur cultus divinus, in erectione beneficiorum maximè intentus, Ecclesiæ destituuntur ministris, adeoque fundatores frustrantur suâ intentione, pauperesque clerici & plerumque magis idonei provisione fraudantur, generatur ambitio, avaritia, luxus, dissolutio Ecclesiasticæ disciplinæ. Quibus accedit, quòd multum sit, si vel unum officium quis dignè administret. Nihilominus causâ subsistente, non apparet in pluralitate ista semper malitia intrinseca. Talis causa generatim censetur necessitas vel magna Ecclesiæ utilitas. Quò reduci possunt aliæ allegari solitæ. Sic hodieque conferuntur interdum principibus viris plures Episcopatus, ut sint potentiores ad resistendum hostibus Ecclesiæ. Singulari similiter Doctrina aliæque qualitates interdum dictant, ut unus pluribus præficiatur Ecclesiis, quibus creditus utilior futurus, quàm si singulis singuli præficerentur pastores. Quòd si justa causa desit, communi Doctorum sententiâ dispensatus non est in conscientia tutus. Etsi dispensatio collationem faciat validam, & tribuat titulum, adeoque dispensatus non teneatur ad restitutionem fructuum.

44. *Quæ sint compatibilia.*

Hinc patet de jure ea solùm beneficia esse compatibilia, quorum alterutrum saltem personalem residentiam non requirit, nec sufficit ad honestam sustentationem. In qualibus simul retinendis generali consuetudine obtinuit (teste *Vallensi Tit. de Sponcess. præbendæ §. 4. n. 9.*) ut non petatur dispensatio, sed cujusque conscientiæ relinquatur, ut judicet, an unum non sufficiat ad sui sustentationem, quo excusari possit apud Deum. Etsi tutius sit, ut judex seu prælatus id æstimet, ne improba cupiditas sibi mentiatur.

45. *Quæ incompatibilia primi generis.*

Incompatibilia quoque alia sunt primi generis: alia incompatibilia secundi generis. Illa sunt, quorum posterius obtentum & pacificè possessum cum libera fructuum perceptione (nisi per beneficium stet, quo minùs sic possideat) facit ipso jure vacare primum. Unde non currit hæc incompatibilitas juxta *Zypæum Tit. de cler. non resid. n. 11.* pro annis carentiæ. Similiter non vacant beneficia promotorum ad Episcopatus titulares in terris infidelium.

Talia sunt duo Episcopatus, si alter vel uterque tantum sit datus in commendam. Patet c. *ae multa, de præbendis,* & *Trid. sess. 7. c. 2.* Immo hoc ipso, quo Episcopus (supple non sæcularis) electus est & confirmatus, ac bonorum Ecclesiæ administrationem est adeptus, vel effluxerit præfixum tempus ad petendam confirmationem, vacant omnia ejus beneficia antè obtenta c. *cùm in cunctis, de Elect.* Talia item sunt beneficia plura curata, dignitates, personatus & officia c. *de multa, de præbendis,* & *Extrav. Execrabilis eod. tit.* Immo qui secundo pacificè obtento, non statim alterum resignat, perdit utrumque juxta *Extrav. cit.* cum hoc tamen discrimine, quòd prius teneatur in conscientia dimittere ante omnem sententiam, secundum autem non, nisi per sententiam judicis illo exuatur. Vide *Lessium cap. 34. n. 143.* Ejusdem generis incompatibilia sunt præbendæ, seu quæcumque beneficia uniformia sub eodem tecto, sive in eadem Ecclesia, ut duo Canonicatus, aut

duæ sacellaniæ ad eamdem functionem concurrentes in eadem Ecclesia.

46. *Quæ incompatibilia secundi generis.*

Alia sunt incompatibilia quoad retentionem tantùm, quia scilicet simul retineri non possunt absque dispensatione. Non tamen ita sunt incompatibilia, ut per acceptationem & possessionem pacificam secundi vacet prius ipso jure, sed datur optio habenti, ut eligat retinendum; altero verò potest per superiorem privari. Et hæc vocantur incompatibilia secundi generis: cujusmodi sunt dignitas & canonicatus in diversis Ecclesiis, & reliqua, residentiam quidem personalem requirentia, non tamen habentia curam animarum, dignitatem, personatum, vel officium annexum; nec sunt uniformia sub eodem tecto, licet simplicia sint.

Finaliter observat *Zypæus Tit. de Cler. non resid. n. 6.* quòd si in gratiam Ecclesiæ fiat unio parochialium Ecclesiarum etiam ad tempus, vel alterutra simul detur in commendam seu deserviturам, v.g. ob proventuum tenuitatem, tametsi nonnulli velint hodie sine dispensatione Concilii id non licere, verius tamen esse, quòd *Tridentini* decreta juxta ejusdem Concilii rationes, & priores canones distinctionem recipiant; qui cùm etiam vetent beneficiorum curatorum pluralitatem, admittunt tamen exceptionem causâ tenuitatis c. *Eam te in fine, de Ætat. & qualit. præficiend.* Quam (ut subdit) rationem secuta est *Synodus Mechlinensis II.* per Paulum V. probata *Tit. 17. c. 3.* quasi proinde pluralitas in cupiditate radicata sit prohibita, non ea quam utilitas Ecclesiæ postulat.

## QUÆSTIO IV.

## *De Obligationibus Beneficiariorum.*

47. HÆ variæ esse possunt pro qualitate beneficiorum & varietate fundationum, quarum tenor est inspiciendus. Duæ sunt magis solemnes, hicque tractandæ.

*Residentia personalis in beneficiis curatis quo jure requisita.*

Prima est obligatio residentiæ personalis, quæ incumbit omnibus habentibus beneficia quibus cura animarum est annexa; prout clarè determinat *Tridentinum sess. 23. c. 1. de reform.* ubi etiam satis apertè videtur supponere obligationem hanc esse juris divini, scilicet naturalis.

48. *Qualis absentia permittatur Episcopis.*

Permittit tamen *Tridentinum* Episcopis abesse quotannis continuè vel interruptè ad summum tribus mensibus, ex æqua causa, & sine gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit. Quòd si ultra tres menses absint, requiritur proportionata causa, à Pontifice aut à Metropolitano, vel eo absente suffraganeo Episcopo antiquiori residente (qui idem Metropolitani absentiam probare debebit) in scriptis approbanda. Nisi cùm absentia inciderit propter aliquod munus & reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum: cujus quoniam causæ sunt notoriæ & interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit. Alioquin præter alias pœnas, & peccati moralis reatum, fructus pro rata non faciant suos. Vide *Tridentinum.* Quod eadem quoad pœnas, culpam, fructuum, etiam in foro conscientiæ eo ipso pro rata absentiæ (supple, quatenus excedentis bimestre seu tempus absentiæ etiam citra consensum Episcopi licitæ) amissionem statuit circa inferiores curam animarum habentes, qui causâ ab Episcopo probandâ in scriptis, relictoque vicario idoneo licentiam ultra bimestre, nisi ex gravi causa, non obtineant. Ad solius bimestris absentiam, etsi aliqui Episcopi licentiam necessariam putent, non videtur receptum, hîc saltem per mores, præsertim in absentia discontinua. *Quoniam* (ut ipsum *Tridentinum, suprà* ait) *qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt.*

*Aut inferioribus Curatis.*

49. *De Residentia Canonicorum.*

Præbendati autem in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis non possunt juxta *Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform.* vigore cujuslibet statuti vel consuetudinis, in anno abesse ultra trimestre, sub comminatione privationis medietatis fructuum pro prima vice, aut omnium istius anni pro secunda. Crescente verò contumaciâ contra talem procedi juxta Canonum Constitutiones mandat Concilium. Tempus nihilominus absentiæ potest per statuta restringi, non extendi. Tametsi in variis locis Germaniæ *Tridentinum* non sit quoad tempus determinatæ per illud absentiæ in vigore, sed alibi solùm requiratur residentia semestris, alibi trimestris.

50. *Excusantur a residentia Canonici, qui sunt in obsequio Episcopi vel Papæ, vel licentiam debitam habent.*

Advertendum tamen *Tridentinum* non derogare privilegiis Apostolicis aut juris communis. Unde juxta tenorem juris communis excusari possunt duo Canonici (qui tamen non taxativè exprimuntur c. *Ad audientiam, de Cler. non resident.* sed quia non de pluribus Pontifex cogabatur, ut vult *Zypæus eod. Tit. num. 44.* dum tamen sub tali occasione Ecclesia defectu Ministrorum non laboret) si sint in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem. Item qui similiter sunt in obsequio Papæ, vel qui licentiam legitimam ex quavis justa causa obtinuerunt. Item docentes Theologiam durante toto tempore professionis, vel illam audientes pro quinquennio non requisitâ ullâ licentiâ, quam jure concessa. c. *Super specula, de Magistris.* Quod plerumque extendi solet ad docentes vel audientes jus Canonicum. Hujusmodi enim de causa absentes abesse censentur pro utili-

*Item docentes vel audientes Theologiam & jus Canonicum.*

utilitate Ecclesiæ universalis, *quæ* (ut significatur c. *cùm ex eo* 34. *de Elect. in 6.*) *ad sui regimen viris literatis permaximè noscitur indigere.* Quo loco conceditur septennium, & quidem provisis de Ecclesia parochiali, accedente tamen licentiâ seu dispensatione Episcopi. Quæ (exclusâ fortè contrariâ alicubi consuetudine) etiam requiritur in ordine ad litteras humaniores aut Philosophiam. An autem post *Tridentinum* adhuc currat præmissum privilegium juris quoad beneficiatos curatos Theologiam docentes vel audientes, dubium est, ob declarationem Cardinalium negativam, quæ circumfertur. Etsi secundùm regulas communes in generali privilegiorum & indultorum factâ per *Tridentinum sess. 6. c. 2. & sess. 23. c. 1. de reform.* Derogatione non censeatur contineri privilegium corpori juris insertum. Propterea-que affirmativam sententiam plures Doctores tueantur.

51. *Quos fructus hi percipiant.*

Et hi quidem justè absentes percipiunt fructus principales seu grossos, ut vocant. Uti & distributiones, quæ dantur in fine anni, vel certis temporibus, non ad ratam præsiti quotidie officii, propriè distributiones non sunt, sed potiùs spectant ad præbendam seu fructus, adeoque justè absentibus debentur. Tamen non lucrantur distributiones quotidianas, quæ manualia dicuntur beneficia, aut victualia à *Bonifacio VIII.* c. *Un de clericis non resid. in 6.* illas enim ad hoc ordinatas, ne negligatur officium divinum, *Tridentinum sess. 24. c. 12. de reform.* vult iis solum dari, qui statis horis seu singulis (quas divisim pro rata exspiciunt) interfuerint, quâvis collusione aut remissione exclusâ, non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus.

*Non lucrantur quotidianas distributiones.*

52. *Exceptis quibusdam casibus.*

Excipiuntur autem qui omnino involuntariè absunt, ut ob morbum, captivitatem, senium (quo confecti, v. g. qui per annos quinquaginta Ecclesiæ deservierunt, à consuetudine pro semper præsentibus habentur, uti fertur respondisse *Gregorius XIII.* apud *Zypæum Tit. de Cler. non resid. n. 32.*) excommunicationem injustam &c.; aut nisi quis absit ad curanda Ecclesiæ negotia ex commissione Capituli. Specialiter quoque *Synodus Mechlinienſis I. Tit. de Offic. divino.* Et *Secunda* (quam probavit Sedes Apostolica) *eod. Tit.* statuit, ut qui in Cathedralibus possident præbendas graduatis affectas, si commissis ab Episcopo functionibus impediantur, v.g. visitatione, examine &c. debare percipere omnia emolumenta, ac si interessent divinis. Prout & pœnitentiarius, dum confessiones excipit, præsens in choro (quod & de orationibus & processionibus extra chorum censuit Sacra Congregatio) habetur, juxta *Tridentinum sess. 24. c. 8. de reform.* Vide de his *Zypæum Tit. de clericis non residentibus.*

Alioquin ad lucrandas distributiones non sufficit materialis quasi residentia in loco beneficij: sed requiritur personalis comparitio ad chorum seu divinum officium, ut ex *Tridentino* est manifestum. Immo juxta Doctores passim cantatio & recitatio cum ceteris; eò quòd finis illarum distributionum esse videatur augmentum numeri canentium & laudantium Deum in publicis officiis. Existimat tamen *Suarez l. 4. de Horis Canonicis c. 12. n. 10.* cum aliis, posse assistentem & tacentem in choro recipere medietatem distributionum pro sua præsentia. Fieri etiam potest, ut ex statutis seu fundatione sufficiat sola assistentia in choro ad lucrandas integras distributiones. Idem est probabile, ubi id habet consuetudo (quæ multis in locis viget, & quam non irrationabilem censet *Zypæus sup. n. 28.*) ut Canonici per vicarios seu alios clericos inferiores officium peragant, etsi privatim in choro vel domi officium recitent, modò statutis temporibus præsentes sint. Ita *Lessius dub. 33. n. 185.* (quem vide) & *Suarez sup. n. 11. & seqq.* Quamvis autem *Tridentinum sess. 24. c. 12.* præcipiat Episcopis, & aliis superioribus Canonicorum, ut hos officium per se & non per substitutos facere compellant: hoc tamen præceptum non concernit Canonicos manentes in sua consuetudine, quamdiu à Prælatis non urgentur. Ita *Lessius sup. num. 186.* Præterquam quòd juxta *Suarez sup. n. 14.* fortasse possit de aliis muniis Canonicorum in Ecclesia obeundis, ut missi dicendâ, Epistolâ, Euangelio cantando & similibus personalibus obsequiis intelligi, & non de cantu personali; cùm de choro postea agat dicens omnes cogendos esse ut in choro ad psallendum instituto adsint, & Deum reverenter laudent; quod juxta *Suarez* faciunt personaliter assistendo, &, saltem per alios, cantando, seu quasi componendo corpus illud, quod Deum laudat, eique consentiendo, & suo modo moraliter cooperando.

53. *Quid requiratur ad lucrandas distributiones.*

Petes, an qui ratione recredentiæ, id est, fiduciariæ & quasi depositariæ possessionis, distributiones percepit, postea perdens litem teneatur ad earum restitutionem? Resp. Neg. eò quòd illas receperit ratione personalis residentiæ & præsentiæ in divinis officiis, ut victor eas sibi arrogare nequeat, qui præsens non fuit, neque veniant nomine fructuum beneficii, qui victori debentur. Ita *Zoesius Tit. de Cler. non resid. n. 18.*

54. *An prius percepta debeant reddi victori litis.*

An duplici gaudens officio, v. g. Archidiaconus simul & Canonicus, duplices recipiat distributiones: dubitatur. Opinionem affirmativam veriorem dicit *Covarruvias L. 3. variarum c. 13. n. 6.* Quæ maximè procedit, si consuetudo loci suffragetur. Et favet Declaratio Cardinalium ad *sess. 24. Tridentini c. 12. de reform. num. 41.* Alioquin negativam putat *Zoesius sup. n. 16.*

55. *An duplici gaudens officio lucretur duplices.*

æquiorem & probabiliorem, eò quòd causa lucri sit par seu eadem, neque fungentis duplici munere duplicetur labor, ob quem distributiones concessæ. Idemque servari apud nos, dum obtinetur præbenda cum dignitate, nisi huic fortè duplex præbenda sit unita, testatur *Zypæus Tit. de Cler. non resid. num.* 12.

56. *Quæ beneficia non postulent residentiam.*

Cetera verò beneficia simplicia ex generali totius Ecclesiæ consuetudine (etsi aliud foret de jure communi c. 6. & 10. *de Cler. non resid. in 6.*) residentiam personalem non requirunt. Unde fit, ut fundatâ capellaniâ seu alio beneficio simplici conferendo alicui, qui celebret certas missas, non teneatur de illo provisus esse sacerdos, nec possit ab Episcopo cogi, ut per se celebret; nisi fundator disertis id verbis expresserit. Aliàs enim censetur fundatio facta conformiter ad universalem consuetudinem, quæ non exigit residentiam, sed permittit, ut officio per alium fiat satis. Quod etiam verum est, si solum diserte requisiverit, ut Capellanus sit actu sacerdos, Capellania sit sacerdotalis, præsentandus sit sacerdos, vel quid simile, debebit quidem institui qualificatus juxta tenorem fundationis, non tamen officium per se implere. Speciale est in Capellaniis, quæ animarum vocantur, ut apud nos exigant residentiam ex decreto *Synodi Mechlinensis II. Tit.* 19. *c.* 2.

*Quid si fundatio respiciat aliquem qui Missas celebret.*

57. *Beneficiati obligantur ad horas Canonicas.*

Secunda principalis Beneficiatorum, etsi in sacris non constitutorum obligatio est recitandi horas canonicas, ex communi doctrina, firmata per usum habentem vim legis, & ut talem receptum, nec non per Constitutionem *Concilii Lateranensis sub Leone X. sess.* 9. excepto, quod quibusdam beneficiis, v. g. præposituris, personatibus &c. ex speciali sua institutione solùm annexa sit obligatio recitandi horas B. Virginis, aut quid simile.

*Quibusdam exceptis.*

*Etsi majorem partem proventuũ dent substituto.*

De cetero obligatio hæc concernit etiam illos (nisi cum his fuerit dispensatum) qui majorem partem proventuum debent dare substitutis, v. g. celebrantibus missas. Neque enim ob ineptitudinem beneficiati debet beneficium carere officio, ad quod saltem ipse est aptus, & ad quod indubiè teneretur, si principalem functionem obire posset. Ipseque sponte suscipiens beneficium cum tali ineptitudine id sibi imputare debet, ut ideo non reportet commodum exonerationis à debito velut intrinseco beneficii, quod per se solvere potest. Si tamen verum beneficium sit, puta Capellania collativa seu Ecclesiastica, adeoque erecta auctoritate Episcopi, etsi ex patrimonio laicorum, & constituta inter bona Ecclesiastica; nec fructus sint præstandi de bonis laicorum quà talibus, instar perpetui & annui legati.

58. *Quid si nequidem*

Quòd si titulum quis obtineat, nec per eum stet, quo minus aliquos fructus percipere queat, sive per se, sive per alios aut in aliis ejus substitutis, communi Doctorum sententiâ non tenetur ad horas. Nemo enim suis stipendiis militare cogitur: & qui altari servit, de altari vivere debet. Quod plures viri doctissimi, præsertim recentiores exeundunt ad illos, qui valde parum recipiunt, ut videlicet totum non sufficiat ad bonam sustentationis partem, v. g. tertiam sustentationis partem mediocris sustentationis pro clerico communis conditionis. *Lessius c.* 34. *dub.* 31. specificat 15. vel 16. aureos velut in præsenti quid exiguum. Deberet tamen aliquoties per annum juxta dictamen rationis prudentis recitare officium. Ratio assignatur, quòd talis non censeatur vivere de Ecclesia, prout minister Ecclesiæ debet, & parum pro nihilo reputetur: quodque modicitas stipendii (quale suo modo censetur beneficium respectu officii) fundet æquam interpretationem mentis Ecclesiæ de non obligando talem ad integrum onus. Si tamen quis habeat plura parva beneficia, quæ simul sumpta sufficiant ad sustentationem aut ejus bonam partem, indubiè obligatur ad horas: cùm parum referat, ex uno, an ex pluribus titulis sustentatio proveniat. Idem habet communis sententia (quam certam asserit *Malderus Tr.* 10. *cap.* 2. *dub.* 3.) quando etiam unicum beneficium sufficit ad tertiam partem sustentationis mediocris. Onus enim istud non est tam grave, quod æquissimè potuit Ecclesia imponere, atque adeò in generali lege censetur imposuisse: præsertim cùm non sola ratio fructuum, sed & tituli, statûsque clericalis, ad hanc obligationem inducendam concurrat.

*per alium quidquam percipere possint.*

*Quid si fructus sint valde tenues.*

Petes I. An Beneficiarius excusetur à lectione horarum in anno (ut vocant) carentiæ; quo nempe fructus cedunt alibi prædecessori defuncto, alibi fabricæ, alibi Concanonicis? Resp. Neg. Nam si hi fructus defuncto cedant, similiter ipsi successori cedent post mortem fructus anni proximi. Si fabricæ, hos fructus quos semel pendit recipiet pedetentim in vita, quatenus annua portio est pinguior ex hoc, quòd bona fabricæ sint incorporata mensæ vel massæ capitulari. Si Concanonicis, æqua ejus spes est in casu, quo novus postea accedet Canonicus. Neque est verisimile consuetudines ejusmodi esse inductas cum præjudicio divini officii. Unde nec ab assistentiâ in choro aliisque functionibus excusantur isto anno Canonici; adeoque nec à privata lectione horarum. Ut taceam eis saltem deberi medietatem fructuum, per *Extrav. Ioannis XXII de Elect.* Tametsi salubris hæc constitutio multis in locis non servetur. Adde eos recipere saltem quotidianas distributiones, quæ solent esse non modica pars sustentationis. Quamvis si nec has, adeoque nullos omnino fructus percipere queant pro anno fabricæ, non improbabile

59. *An excusentur in anno carentiæ.*

bile censeat *Lessius c. 34. dub. 31. num. 171.* novos Canonicos pro isto anno non teneri ad lectionem horarum. Quod posset admitti in casu inveteratæ seu præscriptæ consuetudinis.

60. *An omittentes horarum Lectionem teneantur ad restitutionem fructuum.*

Petes II. An Beneficiarii omittentes horarum recitationem teneantur ad restitutionem fructuum? Resp. sic statui in *Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9.* de iis, qui omittunt elapsis sex mensibus à consecutione beneficii. Non quòd antea sint excusati à lectione (ut rectè declarat *Pius V. infrà*) sed à restitutione, quantum est ex vi hujus Constitutionis. Tametsi non desint, qui æstiment manere obligatos ex jure naturali justitiæ. Quod non satis constat.

Porrò restitutio hæc est facienda pro rata, idque juxta Constitutionem *Pii V.* (quam refert *Navarrus c. 25. n. 122.*) hoc modo, ut si omittatur totum officium, amittantur integri fructus respondentes diei; si matutinum, medietas; si aliqua ex ceteris horis, pro singulis, sexta pars fructuum diei. Idemque statuit cum proportione de obtinentibus pensionem clericalem, quoad recitationem & omissionem officii parvi B. Virginis. Cujus tamen Constitutio juxta *Zypæum Tit. de Cler. non resid. num. 27.* non est hîc publicata. Prout & *Sotus* aliique dixerunt Constitutionem Lateranensis ultimi, etsi saluberrimam, non esse usu receptam. Quo supposito, facilè (inquit *Zypæus sup.*) manebimus in terminis juris antiqui, & quod fuit ante Concilium. Nihilominus Doctores Classici, etiam Belgæ, signanter Egregius ille Antverpiensium Antistes *Malderus Tr. 10. cap. 2. dub. 4.* loquuntur de Constitutione Lateranensis tamquam obligante. Idem *Malderus* rectè notat moderationem Bullæ *Pii V.* quam adfert *Henriquez* & alii Auctores esse eidem contrariam. Sed hi Auctores contendunt praxim induxisse hanc moderationem, nec aliter Bullam esse receptam in Hispaniis, ut nempe curatus omittens horas retineat sibi quatuor fructuum partes pro aliis oneribus, quintâ restituta: Capellanus habens onus Missarum restituat tertiam: habens solum onus horarum restituat integros diei fructus. Quod non improbat *Lessius c. 34. dub. 32.* Fructus autem restituendi sunt fabricæ beneficii, vel pauperibus indefinitè juxta Constitutiones præfatas. Inter pauperes proinde computari potest ipse beneficiarius pauper. Nisi peculiare statutum, vel consuetudo (cui non est derogatum) decerneret accumulari aliis, quod aliqui etiam simili casu amittunt, qui proinde iisdem deberent restituere.

*Quo modo.*

*Et quibus faciendam.*

QUÆ-

## QUÆSTIO V.

## *Quibus Modis Beneficia amittantur?*

61. *Beneficia qui amittantur ipso jure.*

PRIMÒ amittuntur ipso jure ob varia crimina, nempe hæresim, schisma, homicidium qualificatum, puta per sicarium pretio conductum, percussionem Cardinalis vel Episcopi, sodomiam sæpius exercitam, simoniam confidentiæ &c. De quibus *Lessius c. 34. dub. 34.* Quibus casibus potest impetrari beneficium tamquam vacans, sed tamen crimen est probandum & per judicem declarandum, sic ut citiùs non teneatur criminosus dimittere beneficium.

*Qui per condemnationem judicis.*

Secundò amittitur beneficium per sententiam seu condemnationem judicis, ob non residentiam, homicidium, publicum concubinatum post monitionem Episcopi continuatum, perjurium, blasphemiam in Deum vel Sanctos.

*Qui vacent per mortem aut tacitam renuntiationem.*

Tertiò amittitur per mortem naturalem, vel quando habetur pro derelicto. Quò facit tacita renuntiatio, quæ de jure censetur inesse, nullâ interveniente verborum declaratione, uti in casu ingressûs in religionem secutâ professione, matrimonii validè contracti, obtentionis pacificæ secundi beneficii ipso jure incompatibilis.

62. *Qui per renuntiationem expressam. Ea est duplex.*

Quartò amittitur renuntiatione expressâ seu propriè dictâ, quæ est libera beneficii seu juris, quod quis in illo habet dimissio facta cum causa coram legitimo superiore. Eaque vel est pura, quæ nempe fit in manibus superioris nullâ reservatione relictâ renuntianti, datque Ordinario licentiam conferendi beneficium, cui vult: vel conditionalis, quæ fit sub aliqua conditione vel modo. Qualis est resignatio ex causa permutationis: item quæ fit in favorem alicujus: vel quæ dicitur qualificata, quando nempe reservatur aliquid ipsi resignanti, v. g. regressus, vel fructus, aut medietas fructuum, aut aliqua pensio.

63. *A quo admittenda.*

Renuntiatio verò debet admitti à superiore, sic ut aliàs non vacet beneficium quamquam renuntians sponte renuntiando, se ipsum, quantum est ex parte sua, privet seu excludat, si velit Ecclesia seu superior. Coram eo porrò debet fieri renuntiatio dignitatis, ad quem spectat confirmatio. Alterius verò beneficii coram eo, qui potest renuntiantem privare seu destituere juxta *Vallensem Tit. de Renunt. num. 7.* Juxta quem tamen usus observat, ut renuntiatio simplicis beneficii fieri possit in manibus collatoris Episcopo inferioris, quantumvis is solus destituere seu privare non possit.

64. *Potest fieri per procuratorem.*

Potestque fieri renuntiatio etiam per procuratorem, & semel admissa tenet, sic ut collatio subsequens sit irrevocabilis. Nisi facta

*Facienda ab infirmo 20. dies ante mortem.*

facta sit ab ægroto : tunc enim effectum non antè consequitur, quàm si resignans supervixerit viginti diebus ; aliàs habebitur beneficium tamquam vacans per obitum ; ut habet Regula Cancellariæ, quæ teste *Zypæo Tit. de Renuntiat. n.* 3. etiam hîc usu recepta est, & locum habet in beneficiis etiam juris patronatûs, sive Ecclesiastici sive laici ; veluti favorabilis; cùm aliàs non credat *Zypæus t.* 3. *Resp. Canonic. Tit. de jure Patronatûs Resp.* 3. fuisse hîc recipiendam. Idemque addit, si coram Ordinario facta sit resignatio, & resignans moriatur intra 20. dies in mense Pontifici reservato, Pontificem conferre per obitum : etsi non meminerit id in judicio contradictorio hîc firmatum. E contrario etsi resignatio fiat ad manus Papæ, & resignans hîc moriatur in mense Ordinarii, etiam hunc conferre per obitum : Neque rationabile videri, ut pro parte dicatur recepta regula, pro parte non recepta. Tametsi in *Analysi Tit. de Renunt. n.* 3. dicat eam obtinere in collationibus Papæ, non Ordinariorum.

*Qui publicanda.*

Alia similiter regula de publicandis resignationibus, quantum ad formam publicationis, hîc non ita strictè servatur juxta *Zypæum sup. n.* 2. addentem sufficere, ut resignatio palam innotescat, nec celetur, etsi in templo coram populo, tempore missæ aut concionis die festivo non innotescat. Idem *n.* 1. summariè perstringit causas, ex quibus, ut validæ sint, resignationes ab Ordinariis recipi seu acceptari possint, ex Bulla *Pii V.* quæ incipit : *Quanta*, addens eam hîc publicatam aut usu receptam non esse. In beneficiis quoque electivis requiritur consensus Electorum, vel patroni in iis quæ sunt juris patronatûs.

65. *Renuntiatio in favorem qualiter licita aut illicita.*

Renuntiatio in favorem tertij meritò improbatur ob Ecclesiæ præjudicia inde oriunda ; ea potissimùm, quæ continet clausulam, *non aliàs, nec aliter seu nec alio modo.* Quam etiam improbat *Synodus Mechliniensis II. Tit.* 19. *c. ult.* uti permutationes triangulares. Unde talis resignatio debet fieri coram summo Pontifice ; qui suæ potestatis splendore dispergat labem simoniæ, jure Canonico adhærentem omni pactioni & conditioni appositæ resignationi seu obtentioni beneficiorum. Secùs est de ea, quæ fit simpliciter in favorem, rogando ordinarium, ut conferat tali vel tali, supple idoneo.

Præmissis consonat notorius stylus Romanæ Curiæ, & Constitutio *Pii V.* ut refert *Malderus Tr.* 9, *c.* 3. *dub.* 11. addens, quòd cùm Ordinarii nequeant aliter conferre beneficium nisi priùs vacaverit, & resignans stipuletur, ut non vacet, nisi huic conferatur, quædam in hoc implicantia involvatur ; ut proinde resignatio simpliciter facta præcedere debeat vacationem beneficii per resignationem. Immo addit hujusmodi resignationes veriùs esse omnino irritas. Quamvis secluså Bullâ *Pii V.* seu in locis ubi non vigét, existimet vi juris communis antiquiticere resignationem coram Ordinario, si non in vim strictæ conditionis, sed tamquam modus apponatur conditio de conferendo huic, adeoque licitè ab Ordinario acceptari, qui modo rejecto possit conferre, sive huic, sive alteri.

66. *Renuntiatio ex causa permutationis quî licet.*

Resignatio tamen ex causa permutationis jure permittitur ; sic ut beneficia invicem resignata inutiliter conferantur aliis, quàm ipsis permutantibus. Non valet tamen juxta veram & receptam contra Nonnullos Doctrinam, & à *Pio IV.* prohibetur (juxta *Zypæum Tit. de Renuntiat n.* 5.) ficta seu fraudulenta permutatio, quæ fit resignando viciissim beneficium, quod non habet, seu imaginarium. Nam talis non est vera, adeoque nullius efficaciæ permutatio; maximè cùm acceptatio & subsequens collatio Ordinarii ad valorem requisita sit per fraudem extorta.

67. *An de ea privatim inter partes tractare licitum.*

Si in permutatione omittatur superioris auctoritas, nil agitur. Etsi partibus licitum sit priùs inter se tractare negotium de permutando ; imò & concludere, in ordine tamen ad consensum Prælati. Qui passim est Episcopus. Etsi valde verisimile putet *Zoesius Tit. de rerum permutat. n.* 8. sufficere auctoritatem etiam inferioris, qui sit præditus potestate canonicè conferendi idem beneficium : addens tamen oppositum esse communius, & in praxi tutius, secluså consuetudine præscriptâ, quæ inferiori licentiam concesserit ; quasi eâ secluså sit Episcopi permutationem approbare, alterius autem conferre, ad quem de jure id spectaverit. Consensus denique patroni, si beneficium sit juri patronatûs obnoxium, sic requiritur, ut omissio permutationem reddat irritabilem, si intra tempus concessum ad præsentationem reclamaverit. Quamvis etiam consensus sine justa causa denegatus in casu quo permutatio tendit in commodum Ecclesiæ videatur posse negligi ; & auctoritas à superiore præstari. Qua in re satis amplam facultatem in consuetudine fundatam, verbis *Rebuffi* tribuit *Zypæus in Consultat. Canon. t.* 1. *Consult.* 1. *de prabend.*

*Cujus auctoritas intervenire debeat.*

*Consensus patroni an necessarius.*

68. *Reservatio pensionis fundatur in stylo Curiæ.*

Posset hîc denique inquiri de pensione reservanda resignanti aut permutanti. Et quidem pensionum olim non erat usus, quarum nunc usus frequentissimus, magis in stylo Romanæ Curiæ, quàm aliquo Canone fundatus, juxta *Zypæum Tit. Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur num.* 1. Quin potiùs sunt contra jus commune *Tit. cit.* & alibi. Idem autem stylus Curiæ habet (prout plures Auctores probatissimi referunt) ut pensionum constitutio reservetur Papæ. Unde (inquit *Lessius l.* 2. *c.* 34. *dub.* 38. *num.* 206.) Ordinarii non

non poterunt, nisi quatenus id eis privilegio vel præscriptâ consuetudine est concessum. Quod & alii passim tradunt. Plures tamen cum *Azorio P. 2. l. 8. c. 6.* & consonat *Lessius sup.* distinguunt, licere nempe Episcopo imponere pensionem primariò gravando ipsum beneficiarium, non autem ipsum beneficium (uti potest Papa) ut proinde mortuo beneficiario, cesset actio pensionarii; cùm tamen aliàs onus beneficio ipsi impositum transiret ad successorem, quousque vixerit pensionarius. Verùm stylo Romanæ Curiæ id ipsis modo non permitti tradit *Sylvius q. 100. a. 4. concluſ. 4.* nisi fortè in casibus specialibus & necessariis; veluti propter senium & paupertatem resignantis, aut ob litis compositionem. Quibus nihilominus casibus, utì & in casu permutationis ob inæqualitatem fructuum beneficii satìs communiter (ut citat & sequitur *VViggers Tr. 7. c. 4. dub. 15.*) admittitur Episcopum id posse. Quocirca attendenda est Ordinariorum consuetudo in locis, in quibus agitur de creanda pensione.

*An trearі possit per Ordinariū.*

*An per Principes sæculares.*

De Principibus sæcularibus satìs constat eos, etsi patronos beneficiorum, v. g. abbatiarum, citra privilegium aut approbationem Papæ non posse post tempus fundationis gravare pensionibus. Quæ de re vide fusiùs disserentem *Zypæum suprà*, ubi movet varias controversias.

69. *An possit redimi.*

An pensio possit redimi, supple clericalis (de laicali non est dubium, quin possit) v. g. quæ datur parocho seni, clerico pauperi, vel causâ permutationis, resignationis aut transactionis in lite, controvertitur. Etsi enim constet, posse gratuitâ condonatione extingui, aut de consensu Pontificis etiam onerosè redimi; ejusdem tamen consensum tunc Plures requirunt: eò quòd ita observet Curia Romana ad vitandam speciem simoniæ. Estque propterea omnino id securiùs ac suadendum. Accedente eo, quòd pensio sine simonia nequeat emi aut vendi, adeoque videatur similiter non posse redimi. Quamvis in ea, quam creavit Ordinarius videri posset sufficere ejusdem consensus, ut extinguatur. Quod velut indubitatum tradit *VViggers c. 4. dub. 15.*

Immo praxis satis usitata videtur, ut absque alia facultate pensiones redimantur; dum tamen pactum de redimendo (quod simoniacum foret) non præcesserit; quasi id solùm sit redimere onus temporale annuè solvendi certam quotam fructuum. Unde *Toletus, Cajetanus*, & alii eam probant, quos refert & sequitur *Lessius l. 2. c. 35. dub. 22.* consequenter asserens probabiliùs talem pensionem, puta parochi senis, posse emi spectato jure communi antiquo. Quam limitationem addit propter Bullam Pii V. quâ pensioni clericali annexa est obligatio recitandi officium B. Mariæ, in locis, in quibus ipsa viget.

Plura de materia beneficiali videri possunt apud alios Auctores, *Rebuffum, Garcias, Lessium, Malderum, Castro Palao*, &c.

## QUÆSTIO VI.

## De Oneribus Vectigalium, seu Tributorum.

70. VTi in republica sunt officia, sic & onera communia. Ideoque explicatis iis, quæ officia & favores publicos ex parte justitiæ distributivæ concernunt, pauca dicenda restant de publicis oneribus, iis nimirum, quæ in vectigalibus seu tributis consistunt. Porrò nomine vectigalis seu tributi generatim & ordinariè intelligitur omne id, quod Principi aut Reipublicæ à privatis solvi solet ad sustentationem Principis vel communia onera ferenda.

*Quid nomine tributi & vectigalis intelligatur.*

At strictè loquendo tributum significat pensionem à subditis proportionatè ad media, præsertim prædialia, solvendam pro sustentanda Principis dignitate. Quod quidem dicitur tributum rei. Præterea erat aliud tributum capitis, quod nimirum solvendum erat Principi per capita familiarum in signum subjectionis. De quo Christus *Matth. 17. & 22.* Qui proinde ad censum obligati dicebantur capite censiti. Et quidem Judæi solvebant pro tributo capitis didrachma, seu nummum duarum drachmarum. Unde stater à Petro inventus in ore piscis, & tum pro se, tum pro Christo, velut familiæ capitibus, solvendus, valebat quatuor drachmis, id est, quatuor regalibus seu floreno circiter.

*Varia tributi species.*

Vectigal autem strictè significat pensionem solvendam pro rebus quæ exportantur aut importantur in provinciam aut civitatem (quod solet solvi in ingressu oppidi, portu vel confiniis Provinciæ) vel pro transvectione mercium per pontes aut flumina: vel pro transitu per viam aut locum, ratione custodiæ aut refectionis viarum: vel pro rebus venditis aut permutatis, uti in quibusdam locis ex pretio rei immobilis venditæ solvitur Principi pars aliquota. Soletque vectigal pro diversitate causæ appellari, sive portorium, dum solvitur pro transvectione mercium, sive pedagium, quod pro transitu, sive guidagium, quod pro ducatu seu protectione in via. Gabella autem videtur idem esse, quod vectigal strictè acceptum; etsi quoque soleat generaliùs usurpari.

*Quid vectigal strictè sumptū.*

*Ejus varia species.*

*Quid gabella.*

Ad justitiam porrò Tributi seu vectigalis requiritur primò ex parte efficientis auctoritas. Quæ competit Principibus supremis & reipublicæ liberæ; aliis autem quatenus ab istis fuerit concessum, vel usu præscriptum, sive immemorabili, sive cum titulo annis 40. Principes enim superiorem non agnoscentes meritò exigunt à populo, cujus

71. *Ad justum tributum requiritur auctoritas in imponente.*

*Pœnes quos ipsa sit.*

cujus defensioni se consecrant, necessaria aut valde utilia ad sui sustentationem & subditorum manutenentiam. Qui tamen possunt per privilegia vel concordata restringi, ne sine consensu Statuum seu Ordinum Provinciæ vel Regni nova onera subditis imponant. De cetero vectigalia regia sunt, neque indici possunt aut competere alteri quàm supremo Principi. De quo etiam citat Edictum Principis Belgii *Zypæus in Notit. Iur. Belg. Tit. de vectigalibus.* Inferiores itaque ultra stipendium eis præscriptum non habent jus quidquam exigendi, nisi de beneplacito Principis eos instituentis.

Nihilominus civitates etiam subjectæ suis civibus per comitia communitatem repræsentantia juxta locorum consuetudines possunt ob bonum publicum imponere quædam onera, quæ vocantur collectæ, ad reparationem pontium, viarum, mœnium; veluti quorum intertentio ad cives spectat. Tametsi etiam Principes soleant frequenter velle agnosci, præsertim si collectæ sint notabiles.

72. *Ex parte finis quid requiratur.*

Secundò requiritur ex parte finis, ut videlicet subsit justa causa, ac ne sit major exactio vel diuturnior, quàm causa postulet (nisi causâ ob quam tributum est impositum cessante alia superveniat, ob quam de novo imponi posset) neque in alienos aut inutiles usus tributa recepta expendantur. Si hæ conditiones servatæ non fuerint, tenebitur Princeps ad restitutionem tributorum solutorum, & compensationem damnorum emergentium, ac in ejus defectu ipsi exactores: erit enim tunc fraus & rapina, juxta Doctores communiter.

*Quæ justa vectigalium causa.*

Porrò justa causa imponendi tributum est duplex. Prima est sustentatio Principis: cùm enim ipse pro communitate laboret, æquum est, ut ab ea sustentetur. Secunda est necessitas vel magna utilitas reipublicæ, cui aliter subveniri nequit, ut si miles sit conscribendus pro defensione patriæ &c.

73. *Qualiter justitia causæ debeat principi patere.*

Debet autem constare Principi justitia imponendi tributum, aut debet saltem habere rationes probabiles ob quas putet se posse hîc & nunc illud imponere; aliàs enim facit populo injuriam, teneturque ad restitutionem. Unde si post prudentem consultationem res maneat dubia, an causa imponendi tributum sit justa, nec ne, non potest Princeps gravare subditos, quorum in propria bona jus est certum, adeoque prævalens dubio juri seu potestati Principis (quæ justam causam necessariò præsupponit) ad onera eis imponenda. Si verò omnibus pensatis probabilius sit (esto oppositum appareat speculativè probabile) causam non esse sufficientem, non potest juxta *Vasquez, Dicastillo* & alios quos tacito nomine laudat *Lugo*, ut citat & sequitur *Franciscus Bardi disc. 4. de Conscient. probab. c. 25. num. 3.* Princeps tributum imponere; eò quòd oppositum appareat planè dissonum rationi, Princepsque se habeat tali casu instar judicis inter communitatem & subditos in particulari, adeoque teneatur judicare secundum id quod verius est: utì è contrà deberet prospicere reipublicæ seu bono communi imponendo tributum in casu majoris probabilitatis oppositi.

74. *Quæ proportio requiratur ex parte formæ.*

Tertiò requiritur ex parte formæ, ut servetur proportio geometrica in tributi impositione, taliter ut si imponatur ad necessitatem non omnibus communem, ii primò graventur, ad quos necessitas illa spectat: si ad communem, ii qui plures habent divitias plus solvant, alii minus. Alioquin non distribuuntur æqualiter onera æqualitate formali, sed materiali tantùm, quæ est summa inæqualitas; utì si parvulo & viro adulto æquale onus imponas. Unde patet iniquas esse quarumdam personarum exemptiones purè pro arbitrio Principis & sine proportionata causa: secùs verò, si concedatur personis, quæ eam de ipsa communitate fuerunt promeritæ.

75. *Quid ex parte materiæ, in quibus imponatur.*

Quartò ex parte materiæ jura permittunt onera imponi rebus, quæ causâ negotiationis inferuntur aut efferuntur, verant autem imponi rebus, quæ ad necessarium familiæ usum emuntur aut venduntur, ut colligitur ex c. *Quamquam, de censibus in 6.* & *L. Universi C. de Vectigal.* ubi id prohibetur sub pœna capitis. Idem est de iis, quæ evehuntur seminandi seu ruris exercendi gratiâ. Ratio est: quia tum pauperiores (qui omnino indigent rebus humanæ vitæ necessariis) æquè vel magis gravantur, quàm ditiores contra debitam proportionem. Quamvis si necessitas publica urgeat, nec aliunde tributa colligi sufficienter possint, excusari posset moderatum vectigal rebus ad vitæ usum necessariis impositum. Idem est, si ob causam publicam totus populus liberè consentiat in talem impositionem. Item juxta *Lessium c. 33. dub. 7.* si fiat pro securitate virum, nempe personarum & rerum devectarum quibus aliter consuli nequit: satius enim est hoc onus sustinere quàm omnia amittere vel periculo exponere, tunc tamen (inquit) ratio pauperum haberi debet.

Alioquin hodie (ut loquitur *Zypæus in Notit. Iur. Belg. Tit. de Vectigal*) gravior onerum pars multis locis annonæ cerevisiariæ imponitur, & qui mille annuos nummos possidet, non tantum edit, bibit aut luit oneris, quantum qui nec unicum, qui in diem vivit, qui ex stipe diurna cœnam parat, & fecundam sobolem in circuitu mensæ habet. Meliùs alibi tributa justâ proportione ex omni fundo, exercitioque, ac undique colliguntur, atque ita plus solvit, cujus pluris interest rempublicam salvam esse. Ita *Zypæus.*

Petes

76. *An injusta sint hodierna tributa esculentis & poculentis imposita.*

Petes, an ergo injusta sint tributa, quæ hodie sunt in usu, imposita nempe communibus esculentis & poculentis? Varii cum *Alphonso à Castro l. 1. de Lege pœnali c. 5.* (quem refert *Malderus Tr. 5. c. 6. dub. 5.*) asserunt hujusmodi tributa esse injusta. Quæ Doctrina per se loquendo vera est, inquit *Malderus*, existimans tamen cum *Molina* (quem citat) posse excusari praxim.

Primò, quia alia commodior ratio vix iniri potest; in æstimando enim cujusque patrimonio multum odii, multum etiam depravati judicii subinde intercurrit. Secundò, contra hanc rationem inveniendi subsidia reipublicæ minora sunt murmura, quàm essent contra censum patrimonii aut capitis. Tertiò cùm istud solvatur per minuta, insensibile est quodammodo detrimentum solventium: quare modus iste publicæ utilitatis & commoditatis gratiâ meritò toleratur. Quartò etsi pauperes hîc æquè, aut etiam ampliùs, quàm divites graventur; id tamen hi satis compensant, dum eo cariùs pauperiores vendant ditioribus operas, quas in republica præstant, & consequenter quasvis merces, in quibus multum operæ collocatur. Quod autem ad peregrinos attinet, etiam hi meritò donant; cùm vix commodâ ratione ipsi eximi nequeant, & in sua patria vicissim sic peregrini alii tractentur. Omitto, quod tributum istud quodammodo computetur in pretio rerum, quibus imponitur, quæ idcirco meritò tam carè venduntur pretio justo, quo involvitur tributi computatio. Denique ut fiat ita, ab antiquo præscriptum est.

77. *Quidnam haud tolerandum sit.*

Videtur tamen intolerabile, si similibus rebus imponantur onera, ac non aliis, quæ non ita promiscuè sunt omnibus necessaria ad vitam, etiam imponantur sua onera, quantum secundum rectæ rationis judicium convenienter fieri potest, v. g. agris, fundis, reditibus, ac mercibus ad luxum aut delitias servientibus, ut pannis aureis, sericis &c. vasis argenteis, monilibus, vinis & eduliis pretiosis: nam tunc manifestè gravabuntur æquè aut magis pauperes & mediocres, quàm ditiores. Neque ulla consuetudo potest justificare, quod tam manifestè principiis justitiæ distributivæ adversatur.

*Excusatio prætexta repellitur.*

Non excusat etiam, quòd moraliter impossibile sit omnes exactè gravari æqualiter juxta proportionem in impositione communium tributorum: etsi enim id admittatur: non est tamen moraliter impossibile, quòd magna saltem pars onerum imponatur rebus illis, quibus divites & potentiores magis utuntur, & pars aliqua super rebus in communi usu familiæ necessariis, ut super esculentis & poculentis. Et sanè si ii, quibus cura adinveniendi & imponendi contributiones communes incumbit, sentirent se in tantum ultra debitam proportionem gravatos in respectu ad pauperiores & mediocres, quantum in casu hi gravantur præ illis, non ita difficulter invenirent modum redigendi ista ad majorem æqualitatem, ne amplius secundum proportionem gravarentur, quàm alii.

78. *An leges tributariæ obligent in conscientia.*

Nunc difficultas restat de obligatione legum tributariarum. Et quidem dum constat tributa esse justè imposita, ac expendi in usus debitos, communis sententia Doctorum affirmat eas obligare in conscientia. Et consonat illud Christi *Matth. 22. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Apertè idem colligitur ex *Rom. 13. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Ratio est: quia populus obligari potest etiam ex justitia ad ferenda onera reipublicæ, adeoque ad necessaria subsidia Principis eam gubernantis; id autem præstatur à singulis mediante præstatione vectigalium determinatorum. Ut proinde defraudantes teneantur ad restitutionem ratione debiti non soluti.

79. *Quando non obligent ob iniquitatem.*

Quòd si constaret de manifesta injustitia gabellarum, adeò nemo ad earum solutionem tenetur, ut & solutas possit compensatione adhibitâ repetere; uti & exactores tenentur exacta restituere. Quò etiam spectat, si in justam & veram causam non expendantur, sed in alias dissipentur potiùs, quàm dispensentur. Unde etiam adeò pauperes, ut vix habeant, quo propriæ familiæ in necessitate subveniant, non peccant juxta *Marchant. To. 3. P. 3. Tr. 2. Tit. 6. q. 5.* si gabellas non solvant, veluti non rectè gravati tributis, quibus non sunt ferendo, quæque à potentioribus compensanda fuissent. Idemque est de aliis, quatenus ultra conditionem suam ex passione aut ignorantia prægravatis.

80. *Quid censendum in dubio de injustitia gabellæ.*

Quòd si dubium sit de justitia gabellæ, non est quidem singulorum privatorum de his arbitrari, sed virorum in rebus publicis exercitatorum judicium est requirendum. Perseverante dubio, præsumptionem varii stare censent pro injustitia tributorum. Aliis tamen rectiùs videtur oppositum: cùm in dubio (uti in foro externo, sic & in interno, dum de falsitate non constat) sit præsumendum pro principe, ejusque judicio teneantur se subditi in dubio conformare; quique est in possessione obligandi subditos mandatis, dum rationabiliter nequeunt ea de injustitia culpare. Nisi fortassè satis constaret & ipsos imponentes cum dubio de justitia processisse: cum quo utique procedentes iniquè egerunt. Si autem subditus habeat probabiles saltem rationes judicandi injustitiam tributi, non tenetur, secluso scandalo, solvere juxta *Lessium c. 33. dub. 8. num. 67.* qui dicit esse communem Doctorum.

Nihil

Nihilominus oppositum probabilius censent *Suarez*, *Vasquez*, *Turrianus* quos refert & sequitur *Diana p. 1. Tr. 3. Resol. 21.* eò quòd supponatur Princeps eo non obstante licitè tributum tale per leges exigere, adeoque videantur subditi teneri id solvere.

81. *An vectigal sit sponte solvendum.*

Debet porrò vectigal per se loquendo solvi sponte: debitum enim justum est solvendum, etsi non exigatur. Attendenda tamen est consuetudo, quæ mentem Principis explicat, aut etiam modificare hac in parte potest. Specialiter autem multi docti viri (teste *Lessio sup. n. 61.*) censent non teneri quempiam solvere vectigal pro rebus de loco in locum transvectis, nisi exigatur, modò nil fraude actum sit: eò quòd non tenearis exactores quærere.

82. *An creditor Principis possit fraudatione vectigalis sibi compensare.*

Quæri autem posset, an creditor Principis aliter solutionem obtinere non valens, possit fraudatione vectigalium sibi compensare, etiam quando vectigal alteri est elocatum? Quod addo, quia aliàs cessaret quæstio. Resp. Aff. quia conductor solùm succedit in jus Principis, quatenus potest exequi quidquid juris Principi toto anno competit, à cujus jure jugiter dependet; jus autem Principis compensatione eluditur; quod proinde non potuit in conductorem ab ipso transferri.

83. *Notanda pro praxi quoad restitutionem gabellarum defraudatarum.*

Pro fine notandum, quòd etsi juxta communem doctrinam sit obligatio in conscientia ad tributa solvenda. Immo id ex Scriptura mihi certum sit, de impositis stylo veteri pro regimine & statûs stabilimento: quæ jure Principi competunt. Difficile tamen est obligare pœnitentes (quos proinde non urgendos Plures tradunt) præsertim involuntarios, ad restitutionem defraudatorum vectigalium, qualia, & quo modo hodie jugiter imponuntur, præsertim his in locis. Eò quòd varii gravissimi Doctores censeant ea ex mente Principis aut reipublicæ de facto non obligare in conscientia, sed tantùm ad mulctam, quam, & quidem gravissimam defraudantes, si deprehendantur, coguntur solvere. Quod etiam passim plebs apprehendere videtur, ipsique exactores interdum indicant satis id sibi esse. De quo vide *Marchant suprà*. Huc etiam facit gravitas notabilis gabellarum modernarum, & quidem victualibus pro non modica parte impositarum, aliæque circumstantiæ in imponendo & expendendo vectigalia ad justitiam requisitæ. Unde facilè nascitur fundatum dubium aut probabile judicium de injustitia. Quo casu Plures censent non esse obligationem solvendi, aut certè non esse urgendam restitutionem. Interim suadenda sunt semper populo (quantum fieri potest) quæ ad pacem sunt boni publici & securitatem conscientiarum. Aliunde considerent, quorum interest, num magis expedirent moderatiores exactiones, conscientiarum obligationi relictæ, & fideliùs solvendæ, etiam urgentibus confessariis, quam graviores, quas populus satagit frequentissimè defraudare.

De Exemptione Clericorum à Tributis seu vectigalibus, vide dicta *Tr. de Legibus disp. 3. q. 11. §. 5.* *De Exemptione Clericorum remissivè.*




TRAC-

# TRACTATUS IV.

## DE

# RELIGIONE.

## PRÆFATIO.

TRibus *prioribus hujus noſtræ Tertiæ Partis Tractatibus quâ potuimus brevitate, divinâ gratiâ opitulante abſolutis, reſtat quartus, qui eſt de* Religione, *cuivis Catholico perutilis, & cuilibet confeſſario ſummè neceſſarius; utpote qui oſtendit, qualiter Deum, tamquam primum ac ſupremum omnium principium, per orationem, votum, juramentum alioſq; actus religioſos, tum externos, tum internos, in ſignum divinæ excellentiæ noſtræq; ſubjectionis aſſumptos, colere & ſanctificare debeamus. Quæ materia eſt cuivis catholico ſummopere expetenda. Notitia quoque de precum, maximè canonicarum, recitatione, feſtorum celebratione, votorum ac juramentorum emiſſione & ceſſatione, tamquam de materia quotidie obvia, eſt confeſſariis ſcitu neceſſaria.*

## DISPUTATIO PRIMA.

### *De Virtute Religionis in Communi.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid & Quotuplex ſit Virtus Religionis?*

1. *Religio eſt virtus inclinans ad debitum cultum Deo reddendum.*

RElIGIO ſic dicta, quòd Deo nos adſtringat & alliget, iuxta *Lactantium lib. 4. divinarum inſtitutionum c. 28.* eſt virtus inclinans ad exhibendum debitum cultum Deo, tamquam primo omnium principio. Eſt autem cultus ſpecies quædam honoris; utpote qui idem eſt, quod honor alteri cum animi ſubmiſſione exhibitus: quam ſubmiſſionem honor in genere non includit; ideoque in Deo, ſanctos ſuos utique honorante, locum habet: cultus verò minimè. Debitus hic eſt Deo ob ſuam infinitam excellentiam, quam includit vel ſupponit ratio primi omnium principii; cùm omnia producat, conſervet & gubernet infinitâ ſapientiâ, voluntate & potentiâ ſuæ bonitatis. Cùm itaque ſummè à Deo in eſſe & conſervari, & quoad omnia bona, tam naturalia, quàm ſupernaturalia dependeamus: ratio poſtulat, ut noſtrum nihilum ac ſervitutem, ipſius verò excellentiam ſignis proteſtemur, idque longè potiùs, quàm debeat id præſtare ſubditus circa principem terrenum, oblatione tributi honorarii. Non tamen ſemper eſt debitum tale, ut, ſi non fiat, peccemus: cùm etiam colamus Deum votis & oblationibus ſpontaneis: nec Deus ex quadam conniventia ſemper præcipiat iſta ſibi præſtari. Jure tamen exigere poteſt. Præterea tanta eſt diverſis de cauſis noſtri erga Deum obligatio, ut numquam ad æqualitatem ei ſatisfacere poſſimus. Denique Deo nihil

*Tamquam primo omnium principio.*

*Cui omnia noſtra multis titulis ſunt debita.*

nihil potest reddi liberaliter ratione servitutis nostræ, vi cujus, quidquid sumus aut operamur, est magis domini Dei, quàm nostrum; adeoque quidquid obsequii Deo præstamus, instar debiti accipiendum est fieri: cùm inter donationem seu officium liberalitatis & debitum non videatur proprièdari medium.

2. *Objectum quod religionis est cultus, cui, Deus; formale, debitum.*

Hinc patet I. Objectum quod seu materiale religionis esse cultum, sive hic consistat in actu externo, sive in interno, modò in signum excellentiæ & nostræ subjectionis assumatur: Deum autem esse objectum cui cultus exhibetur. Debitum denique esse objectum formale: cùm religio sit pars potentialis justitiæ, quæ respicit formaliter debitum, cultusque exhibeatur Deo, quia ipsi debitus ob suam excellentiam.

3. *Differt à virtute Theologica, quòd hæc, non illa, immediatè in Deum tendat.*

Patet II. religionem distingui à virtutibus Theologicis, quòd hæ respiciant immediatè Deum, non solùm tamquam objectum motivum seu formale; sed etiam tamquã objectum quod, saltem primariò; ideoque nos immediatè seu nullo mediante conjungant Deo, dum illum credimus, speramus & diligimus. At Religio respicit immediatè cultum Deo exhibendum tamquam objectum quod: ipsum autem Deum respicit tãquam objectum cui, & mediante cultu, qui ei exhibetur. Præterea objectum formale non tam est ipsa divina excellentia, quàm debitum in ea fundatum, indeque resultans honestas: cùm tamen motivum virtutũ Theologicarum sit ipsa Dei veracitas, concupiscibilitas, aut infinita bonitas.

*Esto oratio subinde immediatè Deum attingat.*

Dices, Oratio est actus religionis, & tamen videtur attingere Deum tamquam objectum quod: immo ipse Deus est sæpè ipsa res, quam postulamus; uti est res, quam speramus. Resp. orationem non esse actum internum & elicitum religionis (unde tamen spectari debet virtutis objectum) sed potiùs effectum orandi, qui non attingit immediatè Deum, sed orationem, tamquam actum imperatum. Actus autem Theologici, etiam interni & eliciti, respiciunt immediatè Deum. Deinde in oratione est duplex respectus: prior, quatenus ipsa tendit in bonum orantis, & sic est actus imperatus spei: posterior, quatenus aliquid ab altero petere, est quidam cultus & honor illius, signumque protestativum potentiæ alterius ad nos juvandum: & sic quidem spectat ad Religionem; sed eatenus Deus est objectum, cui, seu consideratur ut persona, cui honor exhibetur. Præterea eatenus non attingit Deum vitaliter, sicut actus Theologici, sed solùm tamquam signum suum significatum.

*Possunt actus religionis imperare Theologicos; & contrà.*

Nihilominus possunt actus virtutum Theologicarum à religione quoque imperari: & è contrà possunt virtutes Theologicæ imperando causare Religionem & cultum Dei, quo sensu *Augustinus Enchir. c. 3.* dixit, fide, spe & charitate Deum potissimùm coli.

4. *Quomodo religio distinguatur à pia credulitatis affectu: An & quomodo à pœnitentia.*

Patet III. Qualiter Religio distinguatur à quibusdam virtutibus ei affinibus. A pio quidem affectu credulitatis, quòd hic respiciat ficti assensum; actus autem religionis cultum seu signa debita divinæ excellentiæ. A pœnitentiâ secundùm multos nõ distinguitur, quatenus scilicet ipsa respicit reparationem divini honoris per peccatum violati. Hoc enim spectat ad Religionem: cùm sit eadem virtus, quæ inclinat ad honorem Deo exhibendum, & ad detestanda ea, quæ sunt divini honoris læsiva, ac ad honorem læsum reparandum. A pietate & observantia erga Deum similiter nõ distinguitur: quia pietas respicit cultum debitum parentibus, tamquam principiis vitæ: observantia, cultum debitum personis in dignitate constitutis: qui tituli eminenter continentur in Deo, quatenus est objectum Religionis. Idem est juxta *D. Thomam* (etsi alii contradicant) de gratitudine erga Deum, ipsam scilicet Religionem esse superexcellentem gratitudinem. Humilitas (quæ ad temperantiam reducitur) submissionem suã significat, quatenus congruit nostræ vilitati, ne per elationem extra nostros limites feramur: Religio autem, ut divinam eminentiam declaremus, eamque honoremus. Vide dicta *Tract. de Virtut. Cardinal. disp. 2. quæst. 6.*

*Item à pietate & observantia erga Deum.*

*A gratitudine divina erga Deum & humilitate.*

5. *An & quà religio inhæat præ aliis virtutibus præstantiam.*

Patet IV. Præstantia Religionis, inter quidem virtutes Theologicas; ultra tamen ceteras virtutes morales, Deum non respicientes: scilicet ob præstantiam objecti, ac modi illud attingendi. Difficulter tamen apparet positiva præstantia Religionis præ quibusdam virtutibus ei cognatis, signanter obedientiâ erga Deum, & affectu credulitatis: quamvis Doctores plerimi velint religionem etiam his omnibus esse excellentiorem. Vide *Lessium c. 36. dub. 2.* & alios.

6. *Est una virtus.*

Petes I. An sit una virtus Religionis? Resp. probabiliùs affirmativè: quia est unũ objectum formale, scilicet cultus quatenus debitus Deo, tamquam primo omniũ principio. Nec obstat multiplex diversitas beneficiorum: quia inde non diversificatur ratio debiti, seu objectum formale. Non refert etiam specifica diversitas actuum Religionis, quales sunt Deum honorare, ei servire, vovere & reddere, sacrificare, gratias agere &c. Nam per omnes, quatenus sunt actus religionis, protestamur divinam excellentiam & nostri ad Deum subjectionem: potest autem eadem virtus inclinare in differentes actus sub eadem ratione formali ultimata elicitos. Quod clarius foret, si cum plerisque aliis Doctoribus admitteretur virtus infusa Religionis: hæc enim instar potentiæ se habens, faciliùs patitur distinctionem specificam in actibus.

*Non obstat beneficiorum multiplicitate, vel eorum actuum diversitate.*

7. *An & quis Sanctorum.*

Petes II. Ad quam virtutem spectet cultus Sanctorum? Resp. si Sancti colantur ob perfe-

*cultus ad religionem pertineat.*

perfectiones sibi intrinsecas, v. g. virtutes, gloriam &c. velut motivum, cultus iste non procedit à virtute Religionis, sed à dulia: Religio enim tantùm spectat cultũ debitum ratione excellẽtiæ increatæ. Dicitur tamen cultus religiosus, id est, non civilis, & implicitè etiam resultans in honorem Dei, cui honorificum est, quòd sui ministri sic honorẽtur. Si verò colantur Sancti ob divinam excellentiam ipsis applicatam, cultus procedit à religione, utì amor proximi propter Deum à virtute charitatis divinæ.

## QUÆSTIO II.

### *Quid & Quotuplex sit Devotio? Quæ ejus causa, effectus & impedimenta?*

8. *Devotio multipliciter sumitur.*

DEVOTIO aliquando apud Patres sumitur pro affectu cujusvis virtutis. Aliquando, præsertim apud vulgares, sumitur pro dulcedine, quæ sentitur in exercitio rerum spiritualium, sive pro facilitate & quasi sensibili suavitate, quâ devotus perficit ea, quæ ad cultum Dei spectant. Quæ tamen usurpatio est impropria: cùm devotio sit actus humanus, virtuosus & meritorius, adeoque in potestate nostra constitutus; prout frequẽter non sunt prædicta facilitas & suavitas, quæ sæpè oriuntur vel consistunt in speciali gratia Spiritûs sancti cor excitantis & prævenientis: subinde etiam pendent à dispositione corporali. Unde fit, ut homo nunc operetur cũ gustu & facilitate, nunc cũ tœdio & difficultate. Sunt tamẽ plerumque occasio majoris meriti, quatenus inde nascitur major actuũ intensio, diuturnior continuatio, & frequens eorumdem repetitio.

*Propriè sumpta quid,*

Itaque Devotio propriè nihil aliud videtur, quàm pia affectio volũtatis ad promptè faciendum ea, quæ sunt cultûs & servitii divini. Quam affectionẽ comitari solet quædam ejusdem intimatio, seu sui ad Dei cultum oblatio & traditio, quam devotio connotare videtur, juxta nominis etymologiam sonans idem, quod Deo voveo; sive illa mancipatio fiat cum stricta obligatione, ut in voto, sive absque obligatione, ut in nudo & firmo proposito.

*Congruè à nominis etymologiam.*

*Est specialis, quodam tamen sensu etiam universalis religionis actus.*

Unde Devotio est specialis quidẽ actus religionis, quodammodo tamen universalis: tum quatenus respicit generaliter cultum & servitium Dei: tum quatenus ad alios particulares actus religionis movet, ex quibus vicissim, tamquam ex signis & effectibus, vera mentis Devotio solet innotescere, qui namque perfectè se mancipat divino obsequio, consequenter in actibus specialibus ad cultum Dei pertinentibus v. g. laude, gratiarum actione & aliis se occupat.

9. *Causa ejus principalis est spiritus sanctus.*

Causa porrò principalis Devotionis est Spiritus sanctus intellectum illuminans & voluntatem accendẽs. Ex parte autem nostra præcipuè Devotionẽ generat attenta & frequens consideratio divinarum perfectionum. Inde enim mox apparet, quàm gloriosum sit, totaliter se mancipare servitio tanti Dei. Præterea consideratio divinorum beneficiorum, creationis, conservationis, gubernationis quoad naturalia & supernaturalia, ac præsertim redemptionis per Christi incarnationem & passionem: quorum & similium mysteriorum ruminatio homines sensibiles manuducit ad intelligentiam divinorum, ut, dum visibiliter Deum cognoscunt, per hunc in invisibilium amorem rapiantur. Accedit consideratio propriæ miseriæ & indigentiæ, ex qua nascitur humilitas, & clarescit, quàm utile, immo quàm necessariũ, nobis sit Deo ex toto corde servire.

*Quibusdã dispositionibus ex parte quoque nostra concurrentibus.*

Effectus devotionis partim & per se, est gaudium spirituale, quod à mysticis lætitia spiritualis dicitur: oriturq; tum ex memoria & cõsideratione sublimitatis & gloriæ Dei: tum ex consideratione divinæ erga nos solicitudinis & amoris. Partim & per accidẽs, tristitia; quæ secũdùm Deum est, dũ nostras indigentias & à summo bono deficientiam cõsideramus, dumque ad magis perfectum ejus servitium, quam in terris sit, anhelantes gemimus, quia incolatus noster prolongatus est. In quibus devotionis exercitiis non solum concurrit virtus religionis; sed immiscent se etiam actus Theologici, præsertim charitatis, immo prædominantur.

10. *Effectus, gaudium spirituale:*

*Tristitiâ per modum effectûs per accidens huic subordinatâ.*

Impedimenta devotionis sunt, immoderata rerum temporalium solicitudo. Terrenarum consolationum nimia cupido. Indiscreta de ultimo suæ vitæ termino seu salute aut prædestinatione anxietudo. Tanta in laboribus occupatio, quæ animi recollectionẽ & spiritualia exercitia non compatiatur. Ceteroquin qui labores suos, sive manuales, sive liberales, cum humilitate Deo subjicit & consecrat, majorem aliis subinde devotionem servat. Plura alia impedimenta congerunt mysticæ Theologiæ Scriptores.

11. *Impedimẽta recensentur.*

## QUÆSTIO III.

### *Quid & Quotuplex Oratio & qualiter necessaria ac præcepta?*

ORATIO quandoque sumitur impropriissimè pro omni bono opere. Cui acceptioni nonnulli applicãt illud *Lucæ* 18. *Oportet semper orare.* Quãdoque magis propriè sumitur pro omni motu interiori intellectûs aut volũtatis in Deum. Quo sensu videtur describi à *Damasceno l. 3 de fide c. 24. Ascensus mentis ad Deum.* Quãdoque adhuc strictiùs sumitur pro mentis in Deum ascẽsu, quo vel Deum laudamus, sive benedicimus, vel pro acceptis beneficiis gratias agimus, vel nova ab ipso beneficia, tamquam à bonorum omniũ fonte, postulamus. Et hoc modo cõplectitur laudem, gratiarum actionẽ & petitionem. Propriissimè autẽ sumpta oratio

12. *Orationis multiplex acceptio.*

*Propriissima*

oratio describitur à *Damasceno sup. Decentium à Deo petitio*, sive *Eorum à Deo postulatio quæ postulare convenit.* Ad quam etiam spectat obsecratio seu obtestatio per sacra, nempe per Dei misericordiam, per Christũ ejusve merita, passionem &c: est enim vera petitio, superaddens dumtaxat causas concedendi, quod petitur.

Hæc petitio, quatenùs in mente absc[ondi]tur, vocatur oratio mentalis: quatenus verò exteriùs per voces exprimitur, vocalis. De priori est difficultas, an consistat in actu intellectûs, an voluntatis. Et quidẽ *D. Thomas q. 83. art. 1.* (quẽ sequuntur omnes *Thomistæ*, & præter eos *Lessius c. 37. dub. 2. Wiggers Tr. 8. c. 2. dub. 3.* & alii) censet orationem mentalem consistere in actu intellectûs, qui sit locutio practica, quâ homo Deo exponi suum desiderium, eumque conatur inducere, ut illud compleat.

13. *Secundùm quam importat actũ voluntatis.*

Sed verius est, eam importare actum volũtatis, ut post *Silensem* docet *Medina*, apud *Suarez l. 1. de Orat. c. 3. n. 2.* & consentiunt omnes, qui asserunt imperium pertinere ad volũtatem: habet enim se oratio ad superiorem, sicut imperium ad inferiorem. Consonat etiam illud *Psalmi 9. Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Et *Augustinus ser. 230. de tempore*, ubi dicit orationem esse *invisibilium desiderium.* Idem, seu potiùs alius Auctor apud ipsum, *l. de Spiritu & anima c. 50.* ait: *Oratio est mentis devotio, id est, conversio in Deum per pium & humilem affectum.* Denique idem habet *Augustinus* in illud *Psalmi 37. Domine ante te omne desiderium meum*, dicens: *Ipsum desiderium tuum oratio tua est, & si continuum desiderium, continua oratio.*

*Quod suadet tum auctoritas.*

*Tum ratio.*

Ratio est: quia interna oratio est quædam petitio, quæ explicatur per hæc, aut similia verba: *Peto, ut hoc mihi præstes*: petitio autem interna est ipsum desiderium voluntatis, quo cupio, ut hoc beneficium mihi præstetur, meæque voluntati in hoc satisfiat, & per præfata verba illud ipsum desiderium explico. Consistit itaque oratio formaliter in desiderio directo in Deum, non qualicumque; sed quo intendimus ipsum inclinare ad præstandam rem desideratam.

14. *Neque oratio vocalis ex ratione orationis, sed signi vocalis, est locutio.*

Nec obstat, quòd vocalis oratio sit locutio: hoc enim non habet ex ratione orationis, sed ex ratione signi vocalis, quod necessariò est locutio, quæ est signum internæ orationis sive desiderii: prout etiam assumi posset scriptura vel aliud signũ externum. Estque hoc inter homines necessarium; eò quòd interna petitio nequeat aliter innotescere. Dum autem oramus Deum, nequidẽ intellectûs interna locutio requiritur; sed tantùm ordinatio seu tendentia voluntatis & desiderii statim explicati, quæ impropriè locutio dicitur. Ordinariè tamen in nobis solent comitari verba mentalia, quæ formamus concipiendo voces in idiomate nobis noto, quas proferremus, si ore fieret oratio: quæ tamen accidẽtaliter se habent ad essentiam orationis; adeoq; illis absentibus (prout absunt in angelis, & abesse possunt in nobis, etiam naturaliter, ut fatetur *Suarez l. 1. de Orat. c. 4. n. 8.*) adhuc est vera oratio, prout idem *Suarez* admittit; qui tamen cum aliis orationem in actu intellectûs constituit.

*Actus intellectus ad orationem se habent cõcomitanter aut præsuppositivè.*

15. *Oratio vocalis alia publica, alia privata.*

Oratio vocalis, alia est publica; alia privata. Hæc dicitur, quâ quisque propriâ auctoritate offert. Illa, quæ auctoritate & nomine Ecclesiæ offertur; addunt aliqui (sed quæstio est de voce) per ministros ab ipsa deputatos, eâ intentione, ut munus suum expleãt.

16. *Quævis oratio sive mentalis sive vocalis actus est religionis.*

Ex dictis colligitur omnem Orationem esse actum religionis; utpote divinæ excellentiæ nostræq; subjectionis saltem implicitè testativam. Potest quidem à virtute spei vel alia immediatè imperari; sed tũc etiam implicitè redundat in cultum Dei, quatenus apta est in signum divinæ excellentiæ nostræque subjectionis assumi, uti genuflexio coram Deo facta & à sola charitate imperata. Vide dicta *num.* 3.

17. *Oratio ob adultis necessaria & præcepta.*

Ad ultimam quæstionis partem Respondeo, orationẽ esse adultis ad salutem necessariam, adeoque præceptam. Est certũ apud omnes. Patet ex Scriptura, quæ idcirco, prout intellexerunt omnes Patres & Doctores, tam crebrò & solicitè orationem inculcat; quod non faceret, si tantùm foret res cõsilii. Unde *Eccli.* 18. dicitur: *Non impediaris orare semper*, q.d. Nõ sic te occupes aliis negotiis, ut à tam necessariâ orationis exercitio impediaris. Et *Lucæ* 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Ad quæ verba *Chrysostomus Tom. 1. Serm. de Moyse* ait: *Dum oportet dicit, necessitatem inducit*, & *1. ad Thessal. 5. Sine intermissione orate.* Et alibi.

*Necessitate hâc in divinis auxiliis, utique ad salutem necessariis, fundatâ.*

Sumitur hæc necessitas ex auxilio Dei juxta fidem nobis necessario ad operandam salutem & vitanda peccata: quod auxilium Deus passim non decrevit conferre, nisi petentibus, ut nimirum recognoscamus, à quo nobis omnia bona proveniant, eique gratias agamus. Unde Christus adeò instãter inculcat. *Matth. 7. Petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis &c.*

Quapropter in Tractatu de Gratia ostẽditur, ne justos quidẽ semper habere auxilium proximè sufficiens ad implenda mandata & perseverandum in justitia. Propter quod *Trid. sess. 6. c. 11.* ex *Augustino de natura & grat. c. 43.* ait: *Deus impossibilia non jubet: sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis &c.* Similia habet *Augustinus* alibi, signanter *lib. de gratia & libero arbitrio c. 16.* ait: *Jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Et *Innocentius 1. in epistola ad Concilium Carthaginense* dicit, non posse à nobis vinci tentationes, nisi magnis precibus gratia Dei in nos implorata descendat.

*Vnde oratio non rationis sui, sed rationis finis per eam ob-*

Notant tamen Varii Doctores, aliis contradicẽtibus, orationẽ eatenus solùm cadere sub præceptũ, quatenus præceptus est finis, ad quem est mediũ necessariem: hanc etiam,

& non

tinendi obligat. & non aliam, necessitatem scriptura aliæq; auctoritates indicat. Unde perinde est, mentalis sit oratio, vel mentali jungatur vocalis. Præterea omittendo orationem solùm cõmittitur peccatum contrà præceptum obligans ad finem: v.g. si oratio sit necessaria ad servandam castitatem, omittens peccabit cõtra castitatem: si ad liberandũ proximum à periculo, contra charitatem proximi &c. Quare non est distincta malitia omissæ orationis, & peccati, cujus periculo se exponit, qui orationem omittit. Proinde necessitas ejus est determinanda ex necessitate finis & auxilii divini juxta occurrentiam temporis. Sic est obligatio orandi in evidẽti discrimine mortis, præsertim dum quis est in malo statu: in vehementi tẽtatione, quam existimat quis se aliter non posse superare: item in magno reipublicæ aut proximi periculo, quod non nisi orationis præsidio videatur posse averti. Idem est juxta *Medina, Lessium c.37.dub.3.* & alios, quando peccatori incumbit necessitas se disponendi ad gratiam, v.g. in susceptione vel administratione sacramenti.

Varii casus, in quibus hæc obligatio currit, recensentur.

19. Extra hos & similes casus frequenter obligamur orare; adeò ut juxta Doctores satis communiter nequeat intermitti ad longum tẽpus, v.g. ad mẽsem, prout censet *Silvester, Angelus, Azorius, Malderus* apud *Wiggers cap.2.dub.5.* Immo consideratâ orationis magnâ necessitate ad vitæ rectitudinẽ, & tam vehementi inculcatione orationis cõtinuæ, quam facit scriptura, existimat *Wiggers supra*, ne quidem ad octo dies posse intermitti.

Extra hos tamen casus etiam perseverat.

Vnde nequit longo tempore omitti.

## QUÆSTIO IV.

### Quibus Competat orare, Pro quibus, Et quæ?

20. Oratio competit soli creaturæ rationali Superiori & benefactorẽ agnoscenti. DIco I. Orare competit soli creaturæ ratione utenti, quæ agnoscit superiorem aut benefactorem, à quo sibi vel aliis aliquid boni expectare possit. Ita *D. Thomas q.83.art.10.* & alii communiter. estque per se satis manifestum: cùm oratio sit petitio rationalis ad superiorem directa ad aliquid impetrandum.

21. Nulli personæ divinæ quà tali. De Christo quà homine remissivè. Hinc sequitur I. Nullam personam divinam, quà talem, posse orare; utpote quæ superiorem non habet. Dixi, *quà talem*, quia Christus quà homo, utì sæpius in hac vita, ita quoque in cælis interpellat pro nobis, ut ex Apostolo *ad Rom.8.ad Hebr.7.* & *1.Joan.2.* contra *Vasquez* dicemus *disp.2. de Incarn. num.51.*

22. Negat damnatis. Sequitur II. Damnatis orationẽ propriè non cõvenire: quippe qui pio affectu, à quo oratio imperetur, carent, nihilque boni à Deo expectant. Possunt tamẽ aliqua à Deo petere: utì dæmon *Job 1.* & *2.* petivit posse tentare Job.

23. Secus est de beatis tum Angelis tum animabus. Sequitur III. Angelos animasque beatas pro nobis orare, ut patet ex sensu & praxi Ecclesiæ rogantis sanctos, ut intercedant & orent pro nobis. Non possunt tamen efficaciter à Deo pro nobis postulare, quod sciunt Deum nobis non daturum, propter summã suæ voluntatis cum divina conformitatem. Inefficaciter autem pro hujusmodi bono orare possunt; prout Christus pro salute omnium, etiam reproborum, quàm probè norat non futuram, rogavit. Sibique que possunt animæ beatæ rogare corporum resurrectionem, & alia ad gloriam suam & beatitudinem accidentalem pertinentia: secùs est de beatitudine essentiali, utpote à primo glorificationis instanti integrè possessâ.

Sequitur IV. Viatores, etiam peccatores, posse orare. Et quamquam oratio peccatoris nihil de condigno apud Deum valeat, de congruo tamen valere potest. Similiter animæ in purgatorio orãt, tum pro se, tum pro nobis. Ea quidem satis certũ videtur (quidquid hoc in dubium revocet *Poncius disp. 60.n.18.*) ipsas pro se rogare, ut à pœnis solvantur per media ordinata, v.g. sacrificia, preces, jejunia & alia pia opera, pluribus historiis id ipsum testantibus. Quod autem etiam orent pro nobis, docent *Bellarminus, Medina* & alii apud *Castro Palao de Orat. disp.1.punct.5.n.8.* contra *D. Thomam, Alensem, Navarrum* apud eumdem *num.7.* Ratio est: quia nihil impedit, quò minùs id præstent: aliunde autem ex eodẽ charitatis affectu, ex quo in hac vita pro salute suorum fuerunt solicitæ, ad illud impelluntur: sciũtque id esse Deo gratissimum. Nos tamen eos nõ oramus. Tum quia ordinariè nostras preces non audiunt, sicut sancti in cælo, tum quia illi magis indigent auxilio nostro, quàm nos illorum.

24. Et viatoribus quibuscumque, etiam peccatoribus. Atque animabus in purgatorio existentibus.

25. Pro omnibus, etiam inimicis, est orandum: Laudabiliter quidem pro quovis in particulari. Dico II. Orandum est pro omnibus, qui non sunt in termino, etiam pro inimicis. Nam omnibus salutem desiderare, & quantùm commodè possumus, procurare oportet ex charitate. Est autem cõclusio intelligenda hoc sensu. In primis, quòd nemo sit, pro quo non sit laudabile in speciali orare: nullius enim salus desperanda: quamquam non sit obligatio, nisi in gravi vel extrema proximi necessitate, quando oratio prudenter præsumitur profutura, & non occurrit aliud subveniẽdi medium. Secundò, quòd sit laudabile (non tamen præceptum juxta *Lessium c.37.dub.7.*) orare pro omnibus in genere, ut Deus omnes illuminet & ad salutẽ perducat, quantum patitur ratio divinæ providentiæ. Sic monet Apostolus *1.ad Timoth. 2. Fieri obsecrationes pro omnibus hominibus.*

Vel pro omnibus in generali.

Denique quòd sit præceptum pro omnibus orandi, quatenus ab oratione cõmuni nemo potest excludi, etsi inimicus, dicendo v.g. dimitte nobis debita nostra, præterquã meo inimico: hoc enim graviter repugnat charitati, practicè loquendo, ratione odii. Vide tamen dicta *Tr. de Virtut. Theol. disp.11. quæst.6.*

Obligatoriè autem sic, ut nemo ab oratione excludatur.

Dixi, *qui non sunt in termino*: pro damnatis

natis enim non potest orari: similiter nec pro certò beatis: quamvis sicut hi petunt resurrectionem corporum & gloriam accidentalem; sic & nos possumus illa pro eis petere. Unde in sacrificio Missæ oramus, ut illud proficiat Sanctis ad honorem.

26. *In oratione petenda sunt decentia.*

Dico III. Petenda sunt decentia in oratione, absolutè quidem ea, quæ continentur in oratione Dominica (cujus explicatio videatur apud Alios) & quæ ad salutem nostram spiritualem pertinent, ut apud omnes est indubitatum: indifferentia autem v.g. divitiæ, honores, diuturna vita, opulenta matrimonia, & similia, sub conditione explicita vel implicita, si videlicet nobis sint salutaria. Ignoramus enim, utrùm hæc non sint potiùs nobis futura exitio, utì sæpè contingit; adeoque petenda sunt sub tacita saltem cõditione, ne illa saluti præferre videamur. Unde qui sic ea desideraret, ut non curaret, an sint profutura, an obfutura saluti, graviter peccaret: conciperetur enim plus amare illa, quàm salutem. Si verò sperans & supponens non nocitura saluti, simpliciter & absolutè ea peteret, adhuc peccaret juxta *Suarez l. 1. de Orat. c. 23. n. 5.* qui tamen non audet asserere peccaturum graviter. Nihilominus *Lessius* & *Bonacina* talem à peccato excusat, dum abest immoderatum desiderium & solicitudo: tunc enim petitio ista nec est mala ex parte rei postulatæ, nec ex parte modi petendi. Immo in præparatione animi hujusmodi petentis latet quædã conditio; quatenus non peteret, si sciret fore noxia.

*Et quidem quæ ad salutem pertinent, absolutè: indifferentia autem sub conditione, saltèm tacita.*

27. *Mala autè culpæ, etiam venialis, minimè citra gravem Dei injuriam. Secùs est de malis temporalibus, Secluso sinistro affectu.*

Si petantur in oratione mala culpæ, vel quæ sine culpa fieri non possunt, est peccatum; & quidem juxta *Suarez sup. n. 4.* semper grave, etsi id, quod petitur, sit tantùm culpa levis: idque ob gravem injuriam in Deum, qui sic innuitur auctor peccati. Si verò sint mala tẽporalia, v. g. mors, morbus, infamia, egestas &c. licitum est petere, tum sibi, tum aliis, ob bonum finem, ut patet frequẽti exemplo Psalmistæ & aliorũ Sanctorum. Videndum tamẽ, ut bonum intentum præponderet prudenter malo optato: utque, dum proximo similia desiderãtur, studiosè præscindatur sinister affectus, qui facilè se immiscet; adeoque non fiat similis oratio, nisi evidenter constet de utilitate, vel potiùs necessitate majoris boni, vel saltem non sine expressa conditione (ut inquit *Suarez sup. c. 19. n. 5.*) scilicet si ita expediat ad majus bonum.

28. *An & quãdo oratio habeat infallibilem effectum.*

Petes I. An oratio habeat infallibilem efficaciam? Resp. cum communi sententia affirmativè. Fundatur in promissione Christi *Matth. 7. Petite & dabitur vobis,* Item *Joan. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ut tamẽ oratio infallibilem sortiatur effectum, requiritur, ut per eam petatur id, quod oportet, & eâ ratione & modo, quo decet. Quis autem sit ille modus, variant Doctores. *D. Thomas q. 83. art. 15.* quatuor ad eum requirit conditiones. Prima est, ut orans petat necessaria vel utilia ad salutem. Secunda, ut piè, id est, cum fide, spe & charitate. Tertia, ut perseveranter. Quarta, ut pro se ipso petat. Sed quia difficile est explicatu, qualiter hæ ipsæ conditiones sint intelligendæ (de quibus interim videri potest *Castro Palao sup. puncto 7.*) hinc melius videtur dici, orationem esse efficacem, quando id, quod orans humiliter, devotè & instanter petit, secundùm divinæ providentiæ leges hìc & nunc, aut pro tempore, pro quo petit, eidem expedit.

29. *Facta pro multis minùs valet singula, quàm si singulis appropriatur.*

Petes II. An oratio facta pro multis æquè valeat singulis, ac si pro singulis in speciali tantùm funderetur? Resp. Neg. cum *Suarez l. 1. de Orat. c. 27. n. 6.* Ratio est: quia licèt efficacia orationis ultimatè fundetur in divina promissione & liberalitate, tamen etiam attenditur moralis valor ipsius orationis: ut vel ex eo patet, quòd fervida oratio sit melior & plus valeat tepidâ: dum autem funditur pro multis, valor ille moralis ita dispersus & multis applicatus, respectu singulorum minor est, quàm si singulis in speciali appropriaretur; ideoque minorem habet proportionem ad singula beneficia, per orationẽ pro pluribus postulata, quàm ad unum vel pauciora, pro uno duntaxat impetranda.

30. *Adoratio-nem requiritur intentio orandi.*

Petes III. Qualis intentio & attentio ad orationẽ requiratur? Procedit autem quæstio de oratione vocali. Ad quam requiri formalem vel virtualem seu implicitam intentionem orandi seu Deum colendi, satis patet: utpote sine qua oratio nequit esse actus religiosus. Attentio autem alia est superficialis ad verba; alia ad sensum verborũ sive litteralem sive mysticum; alia denique ad finem orationis, videlicet Deum, vel ad rem, pro qua oratur. Et hanc postremam habere possunt etiam idiotæ, etsi idioma non intelligant, ut præclarè explicat *Titelmannus in illud Psalmi 46. Psallite sapienter.*

*Attentio quotuplex.*

31. *Qui requiratur.*

Porrò in omni oratione, etiam libera, seu non præcepta, jure divino naturali requiritur interna attentio & reverentia, juxta omnes Doctores: si enim loquens cum aliquo principe debet attendere ad ea, quæ dicit, & interim cum aliis non miscere sermones, quanto magìs loquens cum Deo? *Indecens enim est valdè* (inquit *D. Bonavent. l. de perfectione vita c. 5.*) *ut quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde.* Vide etiam *Cyprianum l. de Orat. Dom.* Unde voluntaria distractio in oratione semper est aliquod peccatum: veniale quidem, si oratio sit libera, vel saltem sub veniali tantùm præcepta: mortale autem, si sit juxta divino præcepta sub mortali. Quid autem dicendum sit de distractione in oratione humana dumtaxat jure præcepta dicetur *disp. seq. quæst. 4.*

*Distractio quale peccatum.*

DIS-

# DISPUTATIO SECUNDA.

## De Horis Canonicis.

### QUÆSTIO I.

### Quid & Quotuplex Horæ Canonicæ? Item qui & qualiter ad eas obligentur?

1. Quid hora canonica.

HOræ Canonicæ (quæ etiam officium Divinum aut Ecclesiasticum solent appellari) sunt preces & laudes quædam vocales, quæ ex præscripto canonum seu Ecclesiæ dicuntur seu canuntur quotidie definitis horis. Quæ precandi formula est pia & salutaris, ut fides docet, & cuilibet inspicienti clarè patet; ut insanos se ostendant Hæretici, illam impiè irridentes.

Quàm laudabiliter institutæ.

Etiam ab ipso Ecclesiæ exordio.

Et quidem ab ipso Ecclesiæ exordio fuit aliqua communis precandi forma, etsi nõ tam completa, quàm nunc, in qua etiam similis ferè servabatur temporum distinctio. Vide *Bellarm. tom. 3. l. 1. de bonis operibus c. 13. Suarez l. 4. c. 1. & c. 6.* Hâcque ratione Ecclesia quôdammodo semper orat, & ita adimplet illud *Lucæ* 18. *Oportet semper orare.*

2. Sunt numero septem.

Septem sunt horæ canonicæ communi opinione & modo loquendi. Qui conformis est c. *Presbyter, de Celebratione Missarum*, ubi hic numerus exprimitur, & exemplum Psalmistæ allegatur, *Psal.* 118. dicentis: *Septies in die laudem dixi tibi.* Quamquam *Navarrus in Enchir. de Orat. cap. 3. n. 27.* & quidam alii, dividentes laudes à matutinis tamquam horam distinctam, statuant numerum octonarium.

Secundùm alios octo.

3. Ad eas tam hominum genera obligantur.

Tria hominum genera obligantur ad horas canonicas, juxta Doctores unanimiter; scilicet clerici sacrorum ordinum, Regulares & Religiosi utriusque sexûs ad chorum professi. Patet ex generali Ecclesiæ consuetudine, quæ communi judicio habet vim legis: aut certè ex traditione, quæ ejusmodi præceptum & obligationem declarat. De sacerdotibus specialiter probatur ex c. *Presbyter*, & c. *Dolentes de Celebratione Missarum.* De diaconis & subdiaconis similiter colligitur ex c. *Dolentes* & c. *fin. dist.* 92. sed non convincunt, præsertim obligationem legendi privatim extra chorum: ut proinde horum obligatio in usum seu traditionem Ecclesiæ potissimùm sit refundenda. Idem est de religiosis, qui nec sunt in sacris, nec ex voto aut regula graviter sunt adstricti (prout adstricti sunt Franciscani & Annuntiatæ) quamvis de illis, præsertim de monialibus, estò ad chorum professis, pauci dubitent, vel contrarium teneant, inter quos novissimè *Petrus Marchant* & *Caramuel*. Quæ tamen sententia fuit à Magistro Sacri Palatii correcta apud *Emanuelem Sa* in editione Romana, & acriter impugnatur à *Diana P. 6. Tract. 8. Resol. 12.* & aliis recentioribus. Sanè, cùm jura etiam non sint clara de diaconis & subdiaconis, simili ratione liceret horum obligationem negare, aut in dubium revocare. De beneficiariis denique colligi solet ex antiquis juribus: patetque clarissimè ex *Conc. Lateran. sub Leone* 10 *sess. 9. §. statuimus.*

Videlicet clerici sacrorum ordinum,

Idq; potissimum ex consuetudine.

Item religiosi ad chorum professi,

Et beneficiarii.

Quod ad clericos Minorum Ordinum spectat, etsi valdè congruum sit, ut ampliùs ceteris se mancipent divinis servitiis, simpliciter tamen exempti sunt ab horis canonicis: immo etiam ab officio parvo B. Virginis, septem Psalmis & Cantico graduum. An autem tonsurati obligentur, saltem ad quotidie recitandum Psalmum *Miserere* dubium est, quantum ad obligationem venialem. Videtur tamen consuetudo legendi (quæ generalis dicitur) solùm esse consilii, nec per modum legis introducta. Ita *Lessius, Wiggers* & alii.

4. Secus est de clericis minorum ordinum, Etiam quoad officium parvum B. Virginis; Et tonsuratis quoad Psalmum Miserere.

Obligatio legendi horas incipit in ordinatis & professis statim à die suscepti ordinis, aut factæ professionis: hâc ipsâ tamen die solùm tenentur recitare officium juxta tempus, seu horam, in qua susceperunt ordinem aut emittunt professionem. Idem est cum proportione de beneficiario, quod scilicet simili modo teneatur à die & hora, saltem cartæ pacificæ possessionis. Immo, si quis jam ante obligationem contractam totum istius diei officium persolvisset, deberet juxta *Bonacina* repetere partem respondentem tempori, quo cœpit obligatio: quod etsi valdè fundatum videatur, vereor tamen consuetudine non esse receptum.

5. Incipit dicta obligatio in ordinatis & professis ab instanti susceptæ ordinis vel emissæ professionis; Et in beneficiariis ab instanti pacificæ possessionis.

Professi ad chorum eximuntur à sua obligatione, si sint ejecti ex monasterio (nisi sint in sacris aut aliunde obligentur) utpote per sententiam remoti à statu, in quo erat consuetudo obligãs, & translati ad statum, in quo non reperitur ista obligatio aut consuetudo. Ita *Bonacina* & alii contra *Navarrum* & *Malderum*, quos citat & sequitur *Wiggers c. 2. d. 11.* Immo *Bonacina* idem putat de fugitivo: sed contradicit *Lessius, Suarez* & à fortiori alii mox citati. Idem est, si deputatus ad chorum transferatur ad statum laicorum: removetur enim à statu, in quo est obligatio consuetudinalis, ad statum, in quo non est. Idem denique est de

6. Ab ea liberatur religiosus ejectus.

Quid de fugitivo & quibusdam aliis.

religiosis ex professione generaliter non addictis officio chori, quales sunt clerici Societatis Jesu.

*Signanter clericis Societatis Iesu.*

Obligatio supradictorum est gravis, sic ut peccent mortaliter, qui vel semel tantùm omittunt divinum officium, sive totum, sive partem ejus notabilem; utpote violâtes præceptum in materia gravi, qualis juxa Doctores cõmunissimè etc quælibet hora etiam parva. Idem est de uno nocturno matutini, qui scilicet ægrivalet paryæ horæ. Vide dicta in materia de peccatis in communi.

7. *Esti; allata obligatio gravis, suppositâ gravitate materiæ? Qualis cẽsetur qualibet parva hora.*

Petes I. quot peccata mortalia committat omittens integrum officium? *Lessius c. 37. dub. 9. n. 53.* putat, quot tot numero, quot sunt horæ; eò quòd singulæ sint distincta officia, distinctis temporibus ex præcepto Ecclesiæ persolvenda. Sed rectiùs *Bonacina* & alii passim respondent, esse unicum, tamẽ multis æquivalens: singulæ enim horæ sunt pars ejusdem totalis officii, & præcipiuntur eodem indivisibili præcepto: ideoq; materiæ etiam inter se continuantur, sic ut, qui ex singulis horis aliquid leve, v.g. unum psalmum omitteret, tandem graviter peccaret. Si quis tamen haberet internas volitiones moraliter interruptas, v.g. si aliquoties in die malam volũtatem retractaret, & omissâ unâ parte pœniteret, proponens alteram partem legere, rursumque relaberetur, multiplicarentur peccata, ratione multiplicationis actuum voluntatis.

8. *Omittens integrum officium, verius unicum committit peccatum pluribus æquivalens.*

*Nisi internam voluntatem omittendi sæpius moraliter interrumpat.*

Petes II. An peccet duplici peccato, qui omittit horas, ad quas tenetur titulo ordinis simul & beneficii? Affirmant *Sanchez, Suarez, Bonacina* & alii, peccare scilicet uno peccato contra religionem & altero contra justitiã, ratione beneficii. Sed rectiùs *Henriquez, Azorius, Diana* & alii negant: quia beneficiarii, omittentes horas, non peccant contra jus naturale, vel contra justitiam: sed tantùm contra præceptum Ecclesiæ, quæ istam obligationem annexuit. Prout nec tenẽntur jure naturæ ad restitutionem fructuum: sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ; ideoque beneficiarii, primis sex mensibus omittentes horas, etsi peccent, non tenentur ad restitutionem fructuum, uti certũ est. Similiter habentes plura beneficia non debent pluries dicere horas: sed sufficit, quòd semel; prout universalis Ecclesiæ praxis declarat.

9. *Similiter unum tantum committit, licet ad horas titulo ordinis & beneficii teneatur.*

*Vel plura beneficia possideat.*

## QUÆSTIO I.

### *Quâ Formâ Recitandæ sint Horæ Canonicæ?*

10. *Horæ sunt recitandæ juxta formam breviarii Romani.*

OBLIGATI ad horas canonicas tenentur eas recitare juxta formam à Breviario Romano præscriptam, prout sancivit Pius V. Bullâ, *Quod à nobis*, præfixâ breviario. In qua tamen excipiuntur Ecclesiæ, ordines & monasteria, quæ tempore, quod ducentos annos antecedat, aliis certis breviariis usa fuerant: prout sunt multæ illustres Ecclesiæ, & variæ Religiones v.g. Benedictinorum, Carthusianorum, Carmelitarum &c. quibus tamen permittitur, ut si Romanum breviarium magis placeat, id in choro dici & psalli possit; dummodo Episcopus & universus Capitulum in eo consentiant, scilicet quoad Ecclesias sæculares: quoad monasteria autem Prælatus & monasterium.

*Nisi consuetudo ducentorum annorum cap. Institutionem Pij V. antecedens excuset.*

Dubitatur autem, an alio breviario utentes possint in privata recitatione pro libitu sequi breviarium Romanum? Probabile est, quòd sic, & favet consuetudo: nisi alicubi adsit speciale præceptum in oppositum. Sic *Lessius, Portel, Diana* & alii. Probabilius tamen est, quòd non: quia quisque se conformare debet suæ Ecclesiæ, ut colligitur ex c. *De iis, dist. 12.* & c. *Convenit dist. 5. de consecr.* Confirmatur: quia id debebant olim ante bullam Pij V. in hac autem nulla quoad hoc facta est mutatio.

11. *Quam qui sequitur utendo alio breviario, probabiliter nequit privatim uti Romano.*

Satis equidem constat obligatos ad breviarium Romanum nullatenus posse uti alio breviario, etiam privatum: cùm nemo ex iis, nisi solâ formulâ breviarii Romani satisfacere possit, ut expresse habetur in Bulla citata. Quo non obstante juxta *Rodriguez to. 1. qq. Reg. q. 42. ar. 8.* & *Miranda tom. 1. Man. Prælat. Reg. q. 37. n. 13.* contradicẽte *Castro Palao* & aliis, Fratres Minores, ex regula ad officium Romanum obligati, extra cõventum existentes, possunt cum religiosis, alio breviario, quàm Romano utentibus, officiũ ex eorumdẽ breviario persolvere, & suæ obligationi satisfacere, virtute concessionis Innocentii IV. id indulgentis. Quam cõcessionem per bullam Pij V. non revocari cẽlent allegati Doctores, quorũ sententiã in praxi securam existimat *Diana P. 3. Tract. 2. Resol. 135.* & in eo saltem casu admitti *Bassæus in Suppl. V. horæ canonicæ II. n. 2. & 3.* quo Frater Minor careret breviario Romano.

12. *Quamquam sum. sanc. consulat ut utentes breviario Romano, qui nequit sine facere pro alterum. Nisi peculiegium, quod Varii extare censent, id indulgeatur.*

Petes I. An utentes breviario Romano teneantur præfixis per rubricas diebus ad officium B. Mariæ, septem Psalmos Pœnitentiales, graduales, litanias & ad officium defunctorũ? Resp. neque obligari privatim, neque in choro, ex concessione *Pij V.* bullâ citatâ: imitat tamen ad recitandũ præfinitis per rubricas diebus, propositis certis indulgentiis. Declarat autem se hoc concedere *sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarũ Ecclesiarum, in quibus officium parvum Beatæ Mariæ semper virginis in choro dici consueverat, ita ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum officium.* Unde in ejusmodi Ecclesiis remansit quoad chorum prædicta obligatio: adeoque in choro Ecclesiarũ nostrarum, saltem cõstitutione *Pij V.* antiquiorum, est diebus præfixis obligatio recitandi prædictum officium: cui tamẽ satisfit, dummodo in choro recitetur; etsi privati non habeant specialem recitandi obligationem.

13. *Utentes breviario Romano ex concessione Pij V. non tenentur ad officium B. Virginis &c. Nisi obstet consuetudo dictam concessionem antecedens. Quâ suppositâ manet obligatio præscripta per rubricas diebus illis in choro persolvendi: sed tamen privatim.*

Circa officium defunctorum nota, illud recitan-

14. *De officio*

defunctorum in die animarum cōstat illud esse recitandum.

recitandum esse ex præcepto, etiam privatim, in die animarum, ut habet communis Doctorū sensus, & praxis: quia est pars officii proprii istius diei; cui idcirco in Kalendario & Martyrologio tribuitur nomen cōmemorationis defunctorum. Quare, cùm de hoc die sit specialis ratio, non censetur officium defunctorum, isto die recitandum, comprehēdi generali abrogatione facta per bullam *Pij V.* quæ solùm agit de diebus in rubricis præfinitis, quibus per annum recitandum est, de quibus etiam solùm agitur in propria rubrica præfixa officio defunctorum circa finem breviarii, in qua nulla fit mentio diei animarum.

15. Idem est de litaniis in festo Sancti Marci & triduo rogationum.

Circa Litanias nota, non cēseri sublatam obligationem eas recitandi in festo S. Marci & triduo rogationum, etiam privatim, ut habet cōmunis Doctorum sensus contra paucos: quia tunc specialiter præcipiuntur, nec *Pius V.* specialiter obligationē sustulit: immo litaniarum non meminit, sed tantū dierum, quibus septem Psalmi Pœnitētiales ex præscripto rubricarum dici oporteat. Deinde Litaniæ istis diebus censentur pars officii c. *Rogationes de consecrat. dist. 3.* quare solicitè in Ecclesiis ubique dicuntur, ac etiam privatim; prout rubricæ expresè præscribunt.

Qualiter ad prædicta obligentur non utentes breviario Romano ex consuetudine tenendum est.

Porrò qui non utuntur breviario *Pij V.* quoad prædicta, tenentur servare consuetudinem in suo loco & Ecclesia receptam; ut observat *Bassæus V. Horæ Canonicæ II. n. 5.*

16. Horas aliā quām latinā linguā recitans satisfacit, Etsi omni culpa non careat, Nisi saltem justa causa excuset.

Petes II. An satisfaciat præcepto legendi horas, qui eas linguâ Hebraicâ, Græcâ aut alia vulgari privatim recitat? Resp. Aff. cum *Bonacina de horis canonicis disp. 1. q. 3. p. 1. n. 15.* Ratio est: quia talis implet præceptum quoad substantiam: etsi, seclusâ justâ & rationabili causa, peccet graviter, ob usitatum ecclesiæ morem & ritum non servatum, quē sciens ipso parvipēdere & particulari suæ devotioni postponere convincitur. Quod à fortiori locum habet, si id publicè faciat. Supposità tamen justâ aliquâ & rationabili causâ, talem etiam à gravi peccato liberat *Bassæus sup. n. 3.*

17. Peccatum est divino officio aliquid demere vel per modum partis addere,

Petes III. An qui aliquid addit vel demit de officio canonico peccet? Resp. Aff. ut patet ex bulla *Pij V.* breviario præfixâ, omnē addi|onem & diminutionem prohibentis. Quod quidem de diminutione per se clarū est. De additione verò tali intelligendū est, quâ aliquid addatur tamquam pars officii divini. Aliàs enim satis patet ex usu cōmuni posse aliquid addi ad majorem solemnitatem, prout inter unum & alterum versum subinde additur cantus musicus. Si autem aliquid, etiam minimum, tamquam pars addatur divino officio, eo animo, ut in perpetuum duret, mortale esse censēt *Suarez, Castro Palao* (quem malè *Bassæus sup. n. 16.* citat pro oppositā sententia) & alii, eò quòd videatur grave, aliquid rituī Ecclesiæ in perpetuum addere, tum ob usurpatam jurisdictionem, tum ob novi quasi ritūs inductionem. Equidem *Bonacina sup. n. 21.* hoc non apparet grave ob parvitatem materiæ.

An excuset brevitas materiæ tamquam pertinuò duraturum addatur.

## QUÆSTIO III.

### *Quo Ordine, tempore & loco, Qua voce & habitu sint Horæ Canonicæ recitandæ?*

ORDO in recitatione divini officii servandus est duplex. Primus est ordo Kalendarii, juxta quem quotidie recitādum est officium occurrēs, ut patet ex præscripto Ecclesiæ. Ubi in primis graviter peccatur, dum deditā operā legitur aliud officium notabiliter brevius; alioquin citra peccatum mortale posset quotidie recitari officium Paschæ; quod communi Doctorum judicio est absurdum.

18. Cuique diei ex præscripto Ecclesiæ suum correspondet officium; in notabiliter brevius sine gravi peccato non cōmutabile.

Secundò, si officium occurrens scienter commutetur in aliud quasi æquivalēs, *Marchant* & plures alii censent non improbabiliter esse grave peccatum: eò quòd nō satisfaciat substantiæ præcepti, quod est de hoc individuo officio: officium enim alterius diei non est ab Ecclesia pro hoc die institutum aut præscriptum. Quare juxta hanc sententiam repetendum esset, etiamsi error bonā fide fuisset commissus. Probabilis tamen est sententia asserens non esse mortale, immo, si adsit justa causa, nullū peccatum; tum propter auctoritatem *Suarez, Vasquez* & plurimorum aliorum Doctorum, tum quia videri potest satisfactum esse substantiæ & fini principali præcepti, circumstantiaq; omissa non esse adeò gravis, saltem in officio privato. Unde juxta hanc sententiam, qui sic recitasset, præsertim ex rationabili causa, vel bona fide, nihil repetere deberet: sed, si officium foret notabiliter brevius, illud compensare, v. g. legēdo novem psalmos ex primo nocturno dominicæ, in qua recitatum esset matutinum de festo. Si lectis vig. matutinis advertatur error, potest pergere in proprio diei officio quoad reliquas horas.

19. Immo juxta varios nequidem in quasi æquivalens;

Aliis quoad hoc probabiliter contradicentibus.

Sed si quis hodie legisset officium crastinum aut lectiones scripturæ assignatas diei crastino, quid cras ei legendum foret? Resp. cum *Lugo l. 5. Respons. Moral. dub. 8.* recitandum rursus fore officium crastinum & lectiones crastinas: quia cras est præceptum obligans pro isto die de legendo isto officio, cui heri, dum tempus præcepti necdum curreret, non fuit satisfactum: sicut si in sabbato audisses missam putās esse diem dominicum, vel jejunasses putans esse vigiliam, deberes equidem postridie missam audire, & occurrente vigiliā jejunare.

20. Si ex errore dies præfixus in recitatione præveniatur, eo occurrente idem denuò officium est recitandum.

Secundus ordo est horarum inter se, quæ ex præscripto ecclesiæ successivè sunt recitandæ eo ordine, qui in breviario ponitur. Hæc tamen circumstantia est minoris momenti, saltem in officio privato, adeoque leviter obligat. Quare etiam facilè subest

21. Ordo horarum inter se non obligat graviter. Ideoq; facilè justa subest eum invertendi causa;

justa

justa causa horas transponendi. Sic si quis ab amico vel superiore invitetur ad recitandum primam, cùm nondum recitaverit matutinum, potest hoc postea recitare: sicut etiam accedens ad chorum potest cum choro progredi & horas necdum lectas vel ex oblivione dilatas postea supplere. Idem est de partibus ejusdem horæ. Unde serius intrans chorum, aut in ipso choro aliquid culpabiliter vel inculpabiliter omittens, non debet illud, durante officio in choro, repetere: sed potius post expletum officium id repetat, vel si pars sit exigua & parva nullam illius rationem habeat: actio enim totius chori moraliter una censetur istud pauculum supplere, neque Ecclesia tam strictè obligare ad id, quod moraliter nihil censetur, persolutâ de cetero officii substantiâ. Similiter potest in lectione privata pergere, qui inter recitandum advertit se aliquid omisisse, & postea omissum supplere.

*Quæ varia tum pro privata: tum pro publica recitatione assignatur.*

22. *Tempus legendi horis præfixum est à media nocte in mediâ nocte.*

Tempus legendi officium quotidianum incipit à media nocte præcedentis diei & desinit in media nocte diei sequentis: singulis enim diebus (qui sic incipiunt usu Ecclesiæ) officium recitandum est. Unde, qui pridie etiâ serò legeret parvas horas sequentis diei, ac postridie horas aliquas diei præcedentis, nullatenus satisfaceret substantiæ præcepti, quod est diei alligatum. Excipitur universali consuetudine matutinum cum laudibus, quod potest legi pridie ad vesperam, id est, ab hora quarta juxta *Suarez*, qui testatur esse cõsuetudinem Romanam. Aliqui tamen non faciũt scrupulum in modica v.g. mediæ horæ anticipatione, cõpletorio nempe finito in primariis Ecclesiis. Immo *Diana P.4.Tr.4.Resol.9.* cũ aliis, quos citat, probabile judicat, tempus hoc ab hora secũda incipere, sed infundatè; cùm nulla de hoc extet legitima consuetudo, ex qua tale privilegium, utique sine fundamẽto non præsumendum, colligatur. Cavendum tamen est sub veniali, ne matutinum sequentis diei dicatur, antequam totum officium præcedentis diei sit absolutum: nam etsi substantia præcepti adimpleretur, ordo tamen horarum inverteretur: à qua equidem inversione justa causa omnem malitiam abstergere posset.

*Excepto matutino cum laudibus pridie de vesperam recitari solito.*

*Immo juxta aliquos ab hora secunda: sed infundatè.*

*Prius tamẽ omnibus ejus diei officiis absolutis.*

Intra hunc terminum, si legatur officium privatim, non peccatur graviter, quãquam peccetur leviter, si nimium anticipetur, & faciliùs, si nimium differatur, v.g. si completorium legatur manè, matutinum post prãdium &c. Non est tamẽ obligatio privatim legendi horas tẽporibus proportionatis, v.g. matutinum nocte, laudes circa auroram, primam in ortu solis, tertiã aliquantò post, sextam circa meridiem, nonam post prandium, vesperas & completorium accedente jam vespera: nam ob cõtinua humanæ vitæ impedimenta isti rigori est derogatum, idq; etiam in officio publico, in quo tamen strictior est obligatio servandi statutas horas. Optima autem regula sit recepta consuetudo, quæ nihilominus etiam potest infringi ob causas, v.g. ob concionem, processionem &c. Alioquin juxta plurimos Doctores posset in officio publico graviter peccari v.g. si completorium caneretur manè. Quod equidem Vasq. negant, secluso scãdalo, eò quòd circumstantia ista temporis non videatur tanti momenti. Saltem in officio privato faciliùs datur causa excusans mutationem temporis, v.g. anticipationem parvarum horarum ob studium, iter, visitationem infirmorum, secutura impedimenta &c.

*Nimia horarum dilatio vel anticipatio est leviter peccaminosa.*

*Quæ tempora singulis horis correspondeant.*

*Non sunt necessariò servanda, etiam in officio publico, ob justam causã.*

*Et secluso scandalo.*

Petes, an, qui ratione infirmitatis, alteriusve legitimi impedimenti, nequit aliquã horam canonicam tempore debito v.g. vesperas post, & alias horas ante, meridiem recitare, teneatur prævenire, aut vesperi omnes legere? Pro negativa sententia citat *Diana p.4.Tr.4.Resol.10. Canum, Henriquez* & alios. Sed oppositа, tamquam communis & vera, est tenenda. Licèt enim talis præceptũ legendi horas implere nequeat quoad temporis istius circumstantiam, potest tamen; adeoque debet, quoad substãtiam: quod utique pro qualibet diei parte currit, si in alia non impleatur.

24. *Impedimentum prædictionis legendi horas antequam teneatur.*

Locus ad recitãdum horas privatim sufficit quicumque decẽs, ubi non impediatur attentio. At officium publicum dicendum est in Ecclesia, itaque ex stricto præcepto, quod concernit Ecclesias Cathedrales, Collegiatas & Regulares. Patet ex recepta & universali consuetudine. Unde *Clem. l. de celebrat. Miss.* mandatur superioribus, quatenus curent in privatis Ecclesiis pulsari horis debitis. Ecclesiarum Parochialium & capellarum obligatio ex usu & institutione singularum est dijudicanda.

25. *Recitatio privata locum est quicumque decens: publica Ecclesia.*

Ad officium autem publicum recitandum cõparere debent beneficiarii choro deputati juxta institutionem beneficiorum & cõsuetudinem (nisi aliud cogat necessitas) beneficium enim datur propter istud officium. Estque juxta *Suarez* & plurimos alios contra *Reginaldũ* & alios gravis obligatio, adeo ut ultra trimestre, annuè permissum, se absentantes à choro notabili tempore graviter peccent. Quantum autem tempus censeatur notabile non satìs constat. *Suarez* vix unum diem audet à mortali excusare: quod tamen nimis rigorosum videtur; ideoque *Bonacina* & alii etiam tres vel quatuor dies à mortali excusant.

26. *Ad quam comparere debent beneficiarii juxta institutionem & consuetudinem; Ita ut graviter peccent, se absentantes per notabile tempus. Et quod sit tale.*

Religiosi tamen singuli non sunt adeò strictè ad chorum obligati, dummodo superior invigilet, ut officium publicum debitè persolvatur: qui tamen non facilè admittere debet absentationes, præsertim frequentes. Singuli quoque religiosi in defectum aliorũ debent providere, ut officium debitè peragatur. De cetero debent attendi statuta & consuetudines cujusque religionis. An autem per solos novitios huic obliga-

27. *Secùs est de singulis religiosis in particulari.*

*An per solos novitios huic obligationi satisfieri possit,*

obligationi satisfieri possit, dubitatur. Et quidem pars affirmativa est satis probabilis: eò quòd novitii, utì privilegiis professorum gaudent, ita quoque eorundem onera persolvere posse videantur: quamquam ad illa non teneantur.

28. *Vox recitantis debet esse per se audibilis.*

Vox recitantis horas debet esse intelligilis, seu audibilis per se, & sepositis impedimentis juxta Doctores communiter: præcipitur enim oratio vocalis, qualis non est, nisi ex allisione aëris ad labia & dentes formetur verus sonus: hic autem debet esse per se audibilis, sive ab adstante, sive ab ipso saltem pronuntiante. *Filiucius* tamen pro scrupulosis (qui etiam in manifestis sunt anxi) probabilem reputat sententiam *Azorii*, docentis sufficere, ut formetur vox movendo labia, etsi à nemine, etiam ipso recitante, percipi possit.

*Sive ab adstante, sive ab ipso legente.*

*Regula pro scrupulosis.*

29. *Quis corporis habitus in legēte requiratur;*

Habitum corporis decet assumi magis congruentem reverentiæ & attentioni: potest tamen satisfieri obligationi, sive flectendo, sive stando, sive sedendo sive ambulando recitentur horæ. Immo nequidem est obligatio stando aut flectendi; ubi ceremoniæ id præscribunt, quæ non videntur in rigore obligationis positæ aut receptæ: sed tantùm gratiâ majoris devotionis & solemnitatis.

*Signanter ubi rubricæ stationem vel genuflectionem præscribunt.*

## QUÆSTIO IV.

### *De Studio & Devotione in Recitatione Horarum Requisitis.*

30. *Horæ sunt recitandæ studiosè & devotè.*

INNOCENTIUS III. c. *Dolentes, de Celebrat. Miss.* in virtute obedientiæ præcipit, ut divinum officium studiosè celebretur pariter & devotè. Quæ obligatio juxta Doctores etiam afficit officium privatim recitantes. Porrò ut studiosè celebretur, requiritur, ut celebretur integrè, & inter partes ejusdem horæ non fiat interruptio. Ad integritatem requiritur primò ut non fiat syncopa, id est, ut non omittantur verba. Secundò, ut non fiat mutilatio syllabarum. Syncopatio, si enormis sit est peccatum mortale, præsertim in officio publico: mutilatio syllabarum, præsertim ultimarum, non tam facilè est mortalis. Immo secundùm *Lessium* & alios, etsi notabilis sit, tantùm est venialis, aut, si involuntaria sit, nullum peccatum est: eò quòd non violetur præceptum in re gravi, cùm maneat integra precum substantia, sensusque & significatio verborum perseveret. Quod quidem admitti potest, ordinariè loquendo, saltem quando mutilatio fit circa ultimam syllabam. Ad syncopationem & mutilationem quoque spectat, si in officio, choraliter recitando, pars una suum versum incipiat, antequam altera suum finiverit.

*Ad studium hoc requiritur horarū integritas, Vt videlicet recitentur sine syncopa & mutilatione.*

31. *Possunt ni-*

Integritati tamen non obstat, quòd officium, etiam extra chorum, recitetur alternatim cum socio, prout declarat praxis Ecclesiæ: adeò ut non sit curandum, etiamsi alter ad horas non sit obligatus, vel etsi sit distractus. Quòd si sint plures duobus, non potest unus legere primum versum, secundus secundum & tertius tertium: sed juxta usum & praxim Ecclesiæ, duplici duntaxat inter eos facto choro, alternatim recitare debent. Perinde autem est, sive plures sint ex una parte, sive pauciores. Hic modus etiam applicari potest ad ea, quæ ex voto vel pœnitentia sunt legenda.

*hilominus persolvi alternatim cum socio.*

*Quid agendum, si sint plures duobus.*

Præterea probabiliùs satisfacit, qui attentè audiens, quæ ab alia chori parte recitantur, submissè recitat suam partem. Hāc enim simpliciter legit, & quamvis eam sociis non communicet, socii tamen communicant ei partem suam. Non posse tamen talis percipere distributiones, saltem integras, (*Suarez, Bonacina* & alii assignant medietatem pro sola præsentia in choro) nisi fundatio, privilegium, vel præscripta cōsuetudo canonicos ad solam præsentiam obliget pro obtinendis distributionibus, & officium dici debeat solùm per vicarios.

32. *Satisfacit alterā chori partem attentè audiēs & suam submissè legens.*

*An & quas possit talis recipere distributiones.*

Econtra si quis, partem suam altè & distinctè recitans, non percipiat, quantumvis conetur, partem, quam socius vel pars altera chori legit, censet *Saa V. Horæ Canonicæ n. 9.* talem satisfacere nihilque esse supplendum: sed hoc in rigore est falsum: nam talis non magis cum aliis communicat, quàm surdus, qui omnino censendus est non satisfacere (quidquid *Bassæa* oppositum censeat non improbabile post alios, quos citat *V. Horæ Canonicæ n. 13.*) utpote nullatenus particeps cōmunicationis choralis, veluti per auditum faciendæ: equidem monet *Layman l. 4. Tr. 1. c. 5. n. 8.* non esse scrupulosè repetenda, si quædam minoris momenti non distinctè percipiantur.

33. *Partem suā altè recitans, sed oppositū chorum non audiens satisfacere nō videtur.*

Hinc, quæ supplentur per organa & instrumenta musica, sunt privatim recitanda: ideoque non incongruè alibi à cantoribus altâ voce nomine chori supplentur. Similiter impeditus in thurificando, transferendo libros &c. debet supplere, quæ nec legit, nec audivit, ut habet usus & opinio communior: etsi *Reginaldus, Layman supra n. 7.* & alii putent absque hoc satisfacere. Quod saltem verum est quoad obtinendas distributiones.

34. *Hinc quæ supplentur per organa, privatim sunt recitanda.*

*Idem est de quā thurificator nec audit nec legit.*

Interruptio sine causa facta inter partes ejusdem horæ tantùm est venialis, etsi notabilis sit, ut habet probabilior sententia: quia continuatio videtur tantùm quid accidentale & minoris momenti; cùm singulæ partes habeant suum pondus & significationem, sintque per se quædam preces seu laudes. Si adsit justa causa, nulla latet culpa v.g. præceptum superioris, vel charitas ad aliquid faciendum, quod commodè nequit differri, si interponatur brevis

35. *Interruptio etiam notabilis non est nisi venialis,*

*Et datâ causâ, nullum peccatum.*

& pia

& pia meditatio vel oratio jaculatoria gratiâ excitandæ devotionis &c.

36. *Potest separari matutinum à laudibus.*

Licitum tamen est privatim separare matutinum à laudibus ut habet communis consuetudo, primævæ constitutioni conformis, quæ tamen consuetudo non habet locum in separandis nocturnis, etsi olim probabiliùs separari solitis: quamquam facilius videatur posse fieri interruptio inter illos quàm inter partes alterius horæ. Dum autem matutinum deorsum à laudibus legitur, decenter consuevit concludi collectâ, sicut parvæ horæ; de quo tamen non extat præceptum aut rubrica. Ita *Bonacina* contra nonnullos.

*Communi officii collectâ claudendum.*

37. *Interrumpens animo repetendi, satisfacit, etsi non repetat lecta.*

Petes: An, qui interrumpit officium animo repetendi jam lecta, satisfaciat, si postea non repetat, sed solùm sequentia adjungat? Resp. conformiter ad dicta in materia de legibus *disp. 3. n. 80.* probabiliùs satisfacere, saltem si postea mutet propositum, & jungat cetera: quia verè recitavit totum id, ad quod tenebatur.

38. *Ad horas requiritur attentio;*

Alterum, *quod* c. *Dolentes* præcipitur, erat devotio sive attentio & reverentia. Supposito autem ex dictis *disp. præc. n. 31.* ad orationem ex præcepto divino graviter obligatoriam, sub mortali requiri attentionem internam, dubium est, an ad orationem ex solo præcepto Ecclesiastico obligantem, videlicet ad horas canonicas prædicta attentio requiratur: Et quidem communior, securior & magis pia opinio asserit requiri & sufficere aliquam ex iis, quas *sup. disp. præc. n. 30* recensuimus: adeò ut voluntariè distractus per notabilem partem divini officii obligatorii graviter peccet, & teneatur, per se loquendo, ad repetitionem: immo, juxta plerosque, etiam ad restitutionem fructuum beneficii: quod postremum tamen varii auctores hujus sententiæ non admittunt.

*Secundùm communiorem in re.*

*Quâ deficiente varii contra alios censent faciendam fructuũ restitutionem.*

39. *Modò distractio sit perfectè voluntaria; & quando sit talis. Notandum pro scrupulosis.*

Requiritur tamen, ut distractio interna sit perfectè voluntaria, sive quia directè volita, sive quia volita interpretativè, dum quis perfectè advertit, non solùm, quid cogitet, sed insuper, quòd per hoc distrahatur, seu divertatur ab oratione, & tamè negligit cor ad Deum revocare. Quod notandum maximè pro scrupulosis, qui non debent facilè quidquam repetere, etsi in fine psalmi vel horæ advertant se fuisse distractos, præsertim cùm in repetitionibus eædem imperfectiones subesse soleant. Quare mente ad Deum revocatâ tunc pergendum est sine ulla turbatione vel anxietate.

40. *Probabile tamen est ex præcepto Ecclesiæ solùm requiri externam.*

Nihilominus censeo valdè probabile ab ecclesia non præcipi attentionem internam, sed solùm externam, ut scilicet servetur forma orationis & abstineatur ab operibus externis, cum quibus interna attentio nequit consistere, verbaque rectè pronũtientur. Sic *Lugo, Colinck* & plures alii, & probabile censent varii auctores oppositæ sententiæ. Ratio est: quia ecclesia non præcipit actus internos, qui tantùm requiruntur, ut opus externum honestè & virtuosè fiat, prout solùm requiritur attentio ad externam veram orationem; utpote quæ non minùs sine attentione in specie sua morali subsistit, quàm exhibitio libelli supplicis, sacrificium, absolutio &c. sine attentione facta. Deinde quamdiu potestas ecclesiæ non sufficienter probatur se extendere ad actus illos internos, qui ad externum tantùm requiruntur, ut virtuosè fiat, standum est pro libertate. Aliud est de illis actibus, qui sunt absolutè necessarii, ut actus externus liberè & humano modo ponatur. Quare sub præceptum lectionis horarum censetur cadere intentio orandi seu Deum colendi: adeoque non satisfaceret, qui cum externa devotione materialiter tantùm, aut historicè vel fictè horas recitaret.

*Quod varie probatur.*

Præterea alioquin mortaliter peccaret, & ad repetitionem teneretur, qui officii partem notabilem legisset cum distractione venialiter culpabili; utpote qui non posuisset actum orationis. Denique voluntariè distractus in precibus liberis ne quidem venialiter peccaret: non enim esset distractus in vera oratione.

41. *Manent aliquem virtualem actum religionis.*

Non obstat 1. quod oratio sit essentialiter actus religionis, adeoque honorationis Dei; sit autem potiùs inhonoratio, dum adest voluntaria distractio. Nam equidem manere potest materialiter & ex objecto actus religionis & honorationis; per talem autem facilè fit inhonorari Deum ratione circumstantiæ vitiosæ, ut patet in sacrificio cum irreverentiâ, etiam exteriori, oblato, quod nihilominus manet actus religionis, etsi formaliter non virtuosus.

*Neque contradicit c. Dolentes.*

Non obstat etiam c. *Dolentes sit.* illud enim taxat indevotiones externas sub officio chori, v.g. fabulas &c. præcipiens devotionem, scilicet externam, & à prædictis abstinentiam.

## QUÆSTIO V.

### *De Causis à Recitatione Horarum Excusantibus.*

42. *A Lectione horarum excusat primò gravis infirmitas. Secùs est de levi.*

PRIMÒ excusat notabilis infirmitas ejusve periculum, ecclesiæ non volente cum tanto incommodo ad horarum recitationem nos obligare. Secùs est de levi infirmitate, v.g. dolore capitis, stomachi, pectoris &c. alias capitis & linguæ operationes non impediente. Faciliùs tamen excusat infirmitas nõ adeò gravis à recitatione publica in choro, quàm à privata. Ità dubio de gravitate morbi, sive periculi standum est judicio medici: qui si & ipse de eadem dubitet, putat probabiliter *Bonacina* cum aliis contra *Suarez* infirmum excusari; utpote qui in observantia præcepti Ecclesiastici non tenetur se gravi periculo exponere

*In dubiâ gravitate quid agendum.*

contra

contra benignam Ecclesiæ mentem, Securius tamen est in eo casu accedere dispensationem, ob possessionem, quæ apparet stare pro lege.

43. *Ea excusatus nec per alium, nec per alias preces debet supplere.*

Quando autem quis ratione infirmitatis per seipsum nequit horas persolvere, non debet alium, qui legat, substituere, nec eum voluntariè recitantem audire, neque per alias preces supplere, ut habet constans omnium Doctrina. Si autem quis præ infirmitate (idem cum proportione est de aliis impedimentis) nequeat totum officium recitare, dubium est, an teneatur ad partem. Et quidem Varii Doctores, censentes omnes septem horas unico injunctas esse præcepto, talem simpliciter eximunt ab obligatione horarum, etiam partialium, quas persolvere posset, exemplo missæ, ad cujus partem v. g. Evangelium non tenetur, qui totam audire non potest. Sed quia ex hac opinione videtur sequi, eum, qui vesperas legere nequit, à toto officio liberum fore, hinc alii censent, eum dumtaxat, qui nequit majorem officii partem recitare, ad nullam teneri, majori parte ad se trahente minorem.

*Si talis nequeat recitare totum officium, secundùm multos ad nihil tenetur.*

44. *Verùm tamen ad eas quas commodè potest recitare partes.*

Verùm absolutè dicendum est, eum, qui omnes horas persolvere nequit, ad eas saltem teneri, quas commodè potest. Quod quidem in sententia *Lessii*, singulis horis distinctum præceptum assignantis, clarum est: in opposita tamen, quam suprà probabiliorem diximus, etiam locum habet: nam licèt præceptum illud sit unicum, tamen materiam divisibilem & seorsim per partes facilè persolubilem afficit: ideoque ad eam, quæ independenter ab aliis partibus persolvi potest, obligare censendum est, sicut obligatio mille florenorum fertur in partem, si ad totum se extendere nequeat.

45. *Secundò excusat legitima dispensatio, & quis eam dare possit.*

Secundò excusat legitima dispensatio. Quam saltem ex privilegio dare possunt superiores Ordinis nostri, & ex Regula Annuntiatarum potest concedere Mater Ancilla cum consilio discretarum & Prælatorum vel Confessoris. Episcopis verò respectu suorum clericorum & beneficiatorum nulla quoad hoc, per se loquendo, competit potestas: eo quòd præceptum lectionis horarum sit pontificium, in quo Episcopus, per se loquendo, dispensare nequit. Oborto tamen dubio, an clericus hic & nunc ad horas teneatur, potest Episcopus declaratoriam ferre sententiam: immo quidni in casibus frequentioribus interdum occurrentibus possit dispensare, juxta normam in *Tract. de Legib.* assignatam.

46. *Tertiò ignorantia invincibilis obligationis.*

Tertio excusat ignorantia invincibilis obligationis. Unde qui ex oblivione inculpabili horas omittit, non peccat. Quamquam si advertat, id sibi frequenter contingere, dum statis temporibus nunquam persolvit, omni culpâ non vacet. Quòd si quis dubitet, an recitaverit, stat possessio pro præcepto. Secùs est, si, certus de recitatione, dubitet de psalmo aliquo in hora certò recitata incluso: tunc enim præsumitur psalmus ille cum reliqua materia cohærenter esse recitatus, quamquam ob naturalem inadvertentiam, uti sæpe fit, memoriam subterfugiat.

*Qui dubitat, an recitaverit, per se loquendo, tenetur.*

47. *Quartò excusat metus gravis. Quintò carentia fructuum. Sextò gravis occupatio & necessaria.*

Quartò excusat metus gravis mali, qui facilè contingere posset in locis hæreticorum. Quintò carentia fructuum beneficii. De quo suprà in materia de beneficiis. Sextò gravis occupatio & necessaria, quæ sine notabili incommodo proprio aut proximi omitti non potest aut differri. Quo titulo aliquando excusari possent confessarii, concionatores &c. An autem horæ sint anticipandæ vel transactâ occupatione omnes legendæ, resolutum est *sup. n.* 24. Non potest tamen aliquis voluntariè suscipere munus aut officium cum lectione horarum perpetuo incompossibile, nisi accedat dispensatio, ut rectè observat *Suarez* contra *Caramuelem* docentem, quòd is, qui ex officio sibi legitimè injuncto singulis diebus duodecim horis occupatur, ad horas non teneatur.

*Nisi ex officio sit perpetuò incompossibili cum lectione.*

48. *Denique excusat impotentia.*

Denique excusat impotentia. Qualis est, si sit lingua impedita ad vocaliter orandum; si quis nequeat habere breviarium, vel si sit cæcus: nihilominus hi sciant pleraque memoriter, juxta antedicta, aut nisi cæcus possit commodè satisfacere legendo cum socio: quamvis etiam ab hoc onere cæcum, præsertim non beneficiarium, quidam liberent, eò quòd legere cum socio sit privilegium, quo quis non tenetur uti. Immo *Bonartius* apud *Diana P. 4. Tr. 4. Resol. 221*, quoque beneficiarium eximit, ut & ipse *Diana*, quamquam socii adhibitionem consulant.

*An cæcus teneatur adhibere socium, si cum eo recitare possit.*

# DISPVTATIO TERTIA.

## *De Reverentia debita Festis & Locis Sacris. Item de Decimis Primitiis & Oblationibus.*

### QUÆSTIO I.

### *Quid dies Festi? A quo instituti? Et quid in iis fieri Præcipiatur?*

1. *Quid dies festi & unde sic dicti.*

DIES Festi veteribus Romanis erant, in quibus vel sacrificia Diis offerebantur, seu victimæ feriebantur, vel ludi in honorem Deorum instituebantur, vel feriæ agebantur. Unde quidam festum à feriis, quas olim fesias dictas contendunt, derivant, aliis aliunde ipsum derivantibus. Christianis verò dies illi nuncupantur festi, qui in honorem alicujus Sancti, vel divini mysterii rememorationem ab Ecclesia sunt divino cultui mancipati. Inter illos jure antiquitatis primum locum obtinet dies dominicus ab Apostolis immediatè institutus, ut Judæorum sabbato succedat, prout habet communis traditio contra paucos apud *Castro Palao de Obs. Fest. punct.* 1. *n.* 3. infundatè docentes illum esse jure divino institutum.

2. *Est in Ecclesia potestas eos instituendi.*

Porrò esse in Ecclesia potestatem instituendi festa, est de fide ex perpetuo usu & traditione Ecclesiæ; adeò ut non solum *Clemens, Ignatius, Iustinus* & alii, temporibus Apostolorum proximi, sed & ipse *Ioannes* Apostolus *Apoc.* 1. meminerit diei Dominicæ: *fui*, inquit, *in spiritu in Dominica die.* Et *Actor.* 20. *Una autem sabbati* (id est, juxta Patres, prima seu unâ die post sabbatum, quæ est dominica) *cùm convenissemus ad frangendum panem.* Similiter ex antiquissimis Patribus apud *Suarez* & *Filliucium* constat antiquitas variorum Festorum Christi, Deiparæ, & aliorum sanctorum. Quin immo ipsi nostrates hæretici servare coguntur non solùm dominicos dies, sed etiam varios alios dies festos, scilicet Nativitatis & Ascensionis Christi. Item feriam secundam Paschæ & Pentecostes, ac diem immediatè sequentem Festum Nativitatis: quorum institutio provenit utique ab Ecclesia. Præterea, etsi potestati Ecclesiæ obloquantur, ipsimet tamen similem temerè usurpare conantur, instituentes & rigorosè servari præcipientes dies precum, quibus vacant à servilibus & in suis Synagogis congregantur. Sanè cùm lumen naturæ dictet, Deum aliquando esse colendum, rectissimè Ecclesia determinat tempus, alioquin non satis determinatum; prout ipse Deus pro Judæis determinaverat sabbatum & quædam alia festa, quibus postmodum nonnullæ aliæ solemnitates adjunctæ sunt, ut patet ex *Esther.* 8. & 1. *Machabæorum.* 1.

*Ipsis hæreticis quædam festa observantibus.*

*Et similem potestatem temerè usurpantibus.*

3. *Non competit illa principibus secularibus:*

Potestas tamen hæc non competit Principibus secularibus: etsi olim Imperatores nonnulla circa festorum observantiam statuisse legantur per Ecclesiæ tolerantiam, quæ tamen non obligabant independenter ab Ecclesiæ consensu. Competit itaque tum Pontifici respectu totius Ecclesiæ: tum etiam Episcopis respectu suarum diœcesium, ut habet perpetuus Ecclesiæ usus. Debet tamen quoad Episcopos accedere consensus cleri & saltem tacitus populi, juxta c. *Conquestus de Feriis*: etsi, usu multis in locis introducto, sufficiat consensus cleri, & ad festorum abrogationem solius Episcopi voluntas sufficiat.

*Sed Pontifici respectu totius Ecclesiæ & Episcopis respectu suarum Diœcesium.*

4. *Quid hic possit quæri: institutionem festi in honorem sancti nondum canonizati.*

An autem hæc Episcoporum potestas etiam extendatur ad institutionem festi in honorem Beati nondum canonizati, dubitatur. Affirmat *Suarez* & alii: eò quòd beatificatio in re sit quædam canonizatio, licèt minori apparatu celebrata. Negat *Sanchez, Azorius* & alii, quos citat & sequitur *Diana P.* 3. *Tract.* 5. *Resol.* 9. quibus favet praxis, ut apud ipsum *Diana* videre est.

5. *Ad festum Episcopale etiam tenentur religiosè exempti.*

Porrò ad observantiam festi, ab Episcopo cum consensu cleri & populi constituti, tenentur etiam regulares exempti. Secùs est, per se loquendo, juxta *Rodriguez* & *Layman* de festo, ad quod populus se adstrinxit voto per Episcopum approbato: quamvis per accidens propter scandalum possent obligari ad se exteriùs conformandum.

6. *Quid circa festorum introductionem valeat consuetudo, remissivè.*

Quid circa festorum introductionem possit consuetudo, pendendum est ex dictis *Tract. de Legibus disp.* 3. *Quæst.* 6. eatenus enim consuetudo festum introducere potest, quatenus habet vim legis, hoc autem quomodo & quando fiat, ex citato loco sumendum est. Interim videri potest *Bassæus in suppl. V. Festum I. n.* 3. & *seqq.*

7. *Durant festa à media nocte in mediam noctem.*

Incipiunt festa à media nocte & terminantur in sequenti media nocte, ut patet ex usu Ecclesiæ Romanæ, qui teste *Suarez* per totam ferè Europam invaluit, etsi alia alibi possit esse consuetudo, & c. 1. *de Feriis* & c. 1. *de consecrat. dist.* 3. potiùs dicatur dominicam esse celebrandam à vespera in vesperam. Immo congruè institui posset festus dies colendus solùm usque ad meridiem.

*Esse aliter per consuetudinem fieri queat.*

Præ-p-

8. *Præceptum festorum partim est affirmativum.*

Præceptum festorum, partim est affirmativum, quatenus præcipit aliquid fieri, scilicet Missam audire, de qua in materia de sacrificio Missæ: partim negativum, quatenus aliquid fieri prohibet. De eo ut affirmativo hîc *Quæst* agemus, de eodem quatenus negativo *Quæst. sequenti* acturi.

*Et eatenus solum præcipit auditionem Missæ.*

Præter auditionem Missæ nihil jure divino vel Ecclesiastico præcipitur fieri in die festo, ut patet ex usu & sensu communi fidelium. Unde audiendus non est *Poncius disp. 29. n. 30.* docens quemlibet diebus festis ad actum fidei, spei & charitatis obligari. Similiter *Navarchanus* à nobis relatus & refutatus in materia de sacramentis *Tract. 3. disp. 8. n. 223.* docens eum, qui Missam non audit in die dominica, teneri Deum speciali aliquo cultu colere.

9. *Non concionem.*

Cum majori apparentia potest moveri difficultas de concione, de qua *Tridentinum sess. 24. c. 4.* ait: *moneat Episcopus populum diligenter, unumquemque teneri parochia sua interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Verùm non loquitur de rigorosa obligatione juris positivi: tum quia id satis indicant verba, *ubi commodè id fieri potest*; tum quia non determinat tempus & dies audiendi concionem; tum quia Doctores & fideles communiter à tempore *Tridentini* usque nunc rigorosam obligationem istis verbis contineri non intellexerunt. Tum quia ipsum *Tridentinum sess. 22. in Decreto de observandis in Missa ad Episcopos*, ait; *moneant* (nota hoc verbum) *populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis & majoribus festis, accedant.* Tum quia pastores non tenentur rigidè præcepto singulis diebus festis concionari, ut patet ex usu: ergo nec populus concioni interesse. Videtur quidem *Trid. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4.* præcipere, ut saltem dominicis & solemnibus diebus festis prædicent; non tamen censeri ad culpam gravem obligare, nisi dilatio sit nimia. Ita *Suarez*, *Bonacina* & alii. Explicat autem *Suarez* locum Tridentini objectum de obligatione charitatis, quâ quisque tenetur sibi providere de scientia necessaria ad salutem & implectionem mandatorum Dei. Nominatur verò parochia, gratiâ exempli ordinarii, eo quòd ubique etiam in pagis sit aliqua parochia, & per se ibi ex officio debeant fieri instructiones.

*Explicatur Tridentinum.*

*Ad quam & qualiter teneantur parochi.*

## QUÆSTIO II.

### *De Operibus, tum Servilibus, tum Liberalibus, in die Festo prohibitis.*

PER præceptum de colendo die festo, quatenus est negativum, prohibentur fieri opera servilia & nonnulla liberalia, idque sub gravi peccato ex genere suo, nisi excuset levitas materiæ, ut habet communis sensus Doctorum & Fidelium. Quænam autem censeatur gravis materia, dissentiunt Doctores. *Suarez* putat relinquendum judicio prudentis, attentâ qualitate operis. Quod si sit valde servile, putat *Bonacina*, sufficere unam horam: *Filliucius* duas: Alii adhuc majus tempus statuunt.

10. *Partim est negativum & eatenus inhibet opera servilia & quædam liberalia.*

*Idque sub gravi suppositâ materiæ gravitate, & quæ sit talis.*

Opera autem servilia sunt, fodere, suere, & similia: quæ sic vocantur, quòd propriè & per se servis competant. Dicuntur etiam mechanica quòd per artes mechanicas dirigantur. Distinguuntur ab operibus liberalibus, quòd hæc non habeant effectum materialem & corporeum, vel si habeant, is principaliter ordinetur ad animum excitandum vel instruendum: mechanica autem respiciant effectus corporeos & in corporis commodum proximè cedentes, v. g. domum, vestimentum &c. Unde labor, diuturnitas aut fatigatio non facit opus esse servile, quod alioquin tale non esset; ut patet in studio, oratione, concionibus diu protractis cum magna fatigatione. Similiter nec intentio lucri, quæ operi extrinseca est, ut patet in professione philosophiæ ob stipendium. Ecclesia itaque simpliciter prohibet opera in se servilia non attendens extrinsecam intentionem operantis.

11. *Quæ dicantur opera servilia, & quæ liberalia.*

Hinc scribere, cùm sit locutio quædam permanens ex se ordinata ad instructionem mentis propriæ vel alienæ, velut opus liberale non est prohibitum die Festo, idque juxta Doctores communiùs, etsi fiat ob mercedem: quia equidem est liberale. Idque verum est, etsi scribens non intelligat, quæ scribit: hoc enim per accidens est, nec mutat naturam operis, illudve servile facit; uti neque locutionem, etsi loquens non intelligat, quæ dicit.

12. *Hinc scribere non est servile.*

*Etiamsi ob mercedem fiat.*

*Vel scribens non intelligat.*

Idem probabiliùs est de transscriptione, etsi fiat ex officio & pacta mercede, prout fit à notariis & scribis: transscribere enim est verè scribere, estque impertinens ad naturam scriptionis, utrùm scribens ex se, vel alio, quem auribus percipit, dictante, vel (quod fit in transscriptione) aliam chartam oculo inspiciente, scribat.

13. *Idem est de transscriptione.*

Petes, an pingere & imprimere characteres sit opus servile prohibitum in die Festo? Resp. aff. Prima pars probatur: quia pingere respicit opus sensibile, & externum

14. *Pingere autem servile est.*

artefactum, utì constructio domûs, statuæ &c. Quod autem pictura ob similitudinem cum prototypo excitet ejusdem cognitionem seu memoriam, sicque mentem instruat, per accidens est, & competit omni simili respectu similis alterius. Quare pari ratione sculpere, conflare, acu pingere & similia deberent dici non esse servilia. Faciliùs tamen potest cum picturibus dissimulari ob contrariam nonnullorum sententiam & praxim multorum etiam Romæ; præsertim quando solùm fiunt quædam delineationes, aut pingitur gratiâ recreationis.

*Etsi subinde facile excusabit.*

15. *Idem est de impressione.*

Secunda pars probatur: quia ad impressionem concurrunt duo, videlicet impressio ipsius præli supra chartam, & artificiosa characterum compositio, sive formarum fabricatio, ut loquuntur: ipsa autem impressio communi judicio est servilis & mechanica, utpote directa ad imprimendum chartæ talem figuram, qualis est in ipso plumbo, sicut imprimitur ceræ sigillum, quod est plane mechanicum. Huic autem actioni per accidens est, quòd figura inde resultans sit signum aliquod mentis, sicut scriptura: cùm ex impressione sigilli aut æneæ imaginis tale signum non resultet, quæ tamen est actio ejusdem rationis. Compositio autem characterum similiter est servilis, utpote præparatio materiæ & fabricatio instrumenti mechanici ad opus mechanicum, scilicet ad ipsam impressionem. Nonnulli tamen (inter quos *Leayman* & *Diana*) permittunt typographis ordinationem characterum in die Festo.

*Et cur potiùs, quàm de scriptione.*

16. *Secùs est de itineratione.*

Petes, an itinerari sit opus servile? Resp. negativè: est enim potiùs opus naturale terminatum ad ubi, ordinatum ad corporis conservationem & negotia ubique peragenda, nec directum per artem mechanicam. Unde etiam licitum est deferre onera ad usum itineris necessaria, utpote accessoria itineri, secùs est de aliis oneribus opus servile exigentibus. In quibus tamen attendenda est consuetudo passim nota, & necessitas aut notabilis utilitas præsertim publica.

*An & quæ illi liceat jungere onera deferenda.*

17. *Quid de venatione, aucupio & piscatione dicendum.*

De venatione, piscatione, aucupio, ordinariè non fit magnus scrupulus. Tum quia juxta nonnullos non sunt servilia; aut saltem talia non reputantur, dum fiunt ob recreationem, & potissimùm in industria consistunt; tum quia tunc saltem usus illa permittit. Alioquin in rigore videntur servilia: cùm consistant in effectu corporali, qui proximè ad corporis utilitatem ordinatur, sicut colligere ligna, lapides &c.

18. *Item actuali militia.*

De militia, prout est actualis pugnæ congressus, idem dicendum videtur: cùm sit exercitium artis mechanicæ, & habeat effectum corporalem. Ordinariè tamen licet in die festo ob necessitatem aut publicam utilitatem. Adde judicio variorum Doctorum actum militarem censeri liberalem: prout etiam fortasse est ars gladiatoria: quæ tamen, etsi mechanica foret, exercitium illius consuetudo permittit diebus Festis.

*Et artis gladiatoria usu.*

Similiter opera coquinæ, etsi servilia, licent diebus Festis, ut patet ex usu. Immo & ob necessitatem, & ne populus Christianus judaizare videretur, apparent à principio nunquam prohibita: etsi hanc libertatem usus paulatim extenderit ad præparationem ciborum non necessariorum, pastillorum &c. item ad collectionem fructuum eodem die, ut saniores & meliores sint: item ad occisionem & excoriationem animalium, coctionem panum, quando non potuerunt commodè præveniri.

19. *Licent opera coquinæ & alia hùc spectantia.*

Præterea quædam opera servilia sunt licita die Festo, quæ fiunt in honorem & cultum Dei, si videlicet immediatè ad cultum Dei spectent, v. g. gestare imaginem aut crucem in supplicatione, ministrare in organis: hæc enim, cùm sint cultui divino intrinseca, seu intimè connexa, censentur licita cum ipso cultu. Idem est de præparatoriis ad cultum divinum, si sint ei valde vicina, & quasi ad illum determinata, ut pulsare campanas, ornare altaria &c. Secùs, si sint remotiora, v. g. scopis templum mundare, parietes tapetibus ornare &c. quamquàm, ob materiæ parvitatem, & conjunctionem cum divino cultu, non censeantur mortalia. Immo, si ratio adsit, v. g. si inadvertenter aut ob impedimenta sint pridiè omissa, excusantur ab omni culpa. Multò minùs licita sunt, quæ omnino accidentaliter & remotè respiciunt cultum Dei, v. g. colere agros Ecclesiæ, lapides advehere, dealbare parietes Ecclesiæ &c. Nec nisi ob necessitatem aut legitimam licentiam excusantur mulieres, quæ diebus Festis pro Ecclesia nent, aut opus textile faciunt.

20. *Item quæ immediatè ad honorem Dei spectant.*

*Secùs de iis quæ tantùm remotè.*

*Nisi subinde justa ratio excuset.*

*Quid de mulieribus pro Ecclesia laborantibus.*

Opera liberalia diebus Festis prohibita sunt in primis mercatus. Quo nomine secundum Doctores intelliguntur primò publicæ nundinæ, quæ semel aut bis in anno fiunt. Secundò nundinæ hebdomadales. Tertiò contractus privati emptionis, locationis & similes. Quoad hæc tamen consuetudo multum derogavit præcepto, quæ à prælatis noscitur & toleratur, & à confessariis est inspicienda.

21. *Liberum mercatus.*

*Nisi consuetudo excuset.*

Secundò prohibetur placitum; quo nomine generaliter prohibitæ intelliguntur sententiæ, sive civiles, sive criminales: omnisque strepitus judicialis omnino irritatur. *Conquestis de Feriis.*

22. *Item placitum.*

Quare illicita & invalida est inchoatio causæ per citationem partis, processus, sive causæ cognitio, & quæ eò pertinent, sententiæ prolatio. Unde invalida est citatio, si fiat à judice in die Festo, aut pro die Festo. Si autem per eam man-

*Hinc illicita & invalida est citatio in vel pro die festo facta.*

detur

detur comparitio intra decem dies v. g. & decimus dies sit festus, dubium est, an valeat. Quidam apud *Castro Palao p. 7. n. 3.* negant; alii tamen probabiliùs affirmant. Sed quo die facienda sit comparitio inter se non convenerant, quibusdam asserentibus, eam in proximum diem habendam esse differendam, aliis decimum diem præveniendum existimantibus. Quòd si judex sit in loco, ubi non est festum, reus autem in loco, in quo est festum, existimat *Bonacina de observ. sabbat. punct. 2. num. 19.* valere citationem: secùs existimat de sententia utpote judicis locum, non rei, ubi citatio spectante; adeoque secundum ejusdem regulas metiendâ.

*Quid si per accidens in festum incidat.*

23. *Idem est de examine testium, etiam prævie ad festum inchoato, seclusâ consuetudine.*

Invalidum similiter & illicitum est examen testium, non solum, si necdum fuerit inchoatum prævio juramento, quod in die festo præstari nequit, sed etiamsi ita inchoatum fuerit, seclusâ consuetudine, juxta *Bonacina sup. n. 21.* & alios ab ipso citatos contra multos Canonistas, putantes testimonium tunc retrotrahi ad diem juramenti.

*Idem denique est de sententia executione.*

Denique prohibita ob strepitum est sententiæ executio *Leg. fin. C. de feriis*: immo probabiliùs est nulla. Vide *Suarez c. 30. num. 11.* Nihilominus advocatus die festo licitè studet, processui; quæ didicit, scripto mandat; judicem etiam scripto informat; privatim cum procuratore de liteagis; consilia pro clientibus conficit &c. Similiter juxta Doctores communiùs licita est appellatio, quæ etsi ad actus judiciales pertineat, consuetudine tamen non videtur sub eisdem prohibita.

*Secùs est de quibusdam aliis advocati functionibus.*

*Quid de judicio arbitri.*

Judicium arbitri, si sit verus arbiter & judex, adeoque procedens modo judiciali, similiter prohibitum est, ut deciditur *L. Omnes dies C. de feriis*: secùs si non sit judex, sed solùm amicabilis compositor.

24. *Et juramentum tam judiciali quàm extrajudiciali.*

Denique prohibetur die festo juramentum judiciale *c. 1. de Feriis.* Ex quo capite *Suarez c. 30. n. 17.* & plures alii idem docent de extrajudiciali, quando per illud firmantur mercatus & contractus, similiaque pacta. Nihilominus licitum est juramentum, & tractatio causæ judicialis, si necessitas urgeat aut pietas suadeat, ut *c. ut.* habetur.

## QUÆSTIO III.

### *De causis ab observatione Festorum excusantibus.*

25. *De causis ab observatione cujus præcepti quatenus affirmativi excusantibus remissis.*

AB hac observatione, uti & aliarum legum humanarum, variæ causæ excusant. Cùm autem præceptum de colendo die festo, juxta ante dicta, partim sit affirmativum, partim negativum, de eo utrovis modo sumpto procedit quæstio, cum hoc tamen discrimine, quòd, quatenus affirmativum, difficiliùs admittat excusationem, quàm quatenus negativum, ob cultum divinum, quem ratione affirmativi præscribit, utique brevi spatio per missæ auditionem exhibendum. Quænam autem causæ ab auditione missæ, & consequenter ab observatione hujus præcepti, quà affirmativi excusent, videndum est in materia de sacrificio missæ, *Quæst. 16.* Quare de causis ab ejusdem, quatenus negativum est, observatione excusantibus, restat agendum.

26. *Ab observatione ejusdem quatenus negativi excusat necessitas propria.*

Atque in primis excusat necessitas sustentandi seipsum vel propriam familiam, estque ipsa potissimùm attendenda ex statu personæ vel familiæ, utpote per operis aliàs prohibiti exercitium promovendo, aut conservando, & per abstinentiam ejusdem operis notabiliter lædendo. His enim concurrentibus sufficiens æstimatur necessitas. Quòd si de ejus sufficientia dubitetur, recurratur ad judicium viri prudentis, maximè confessarii, vel parochi, qui insuper dispensationem, si opus fuerit, ex usu & consuetudine, adhibere poterit, & sic insufficientiam causæ supplere.

27. *Hinc excusantur pauperes.*

Hinc primò excusantur pauperes, aliter victum & amictum comparare non valentes: uti & pater, competentem filiabus suis dotem, alias non comparabilem, suo labore procurans. Secundò agricolæ tempore messis, fatores & vindemiatores timentes periculum, sive ob pluviam, sive ob concursum militum, sive aliunde. Tertiò coquentes lateres, calcem, vitrum &c: quæ opera inchoata non possunt sine damno notabili interrumpi. Quartò famuli & uxores, qui præcepto heri vel mariti coguntur laborare, alioquin domo excludendi aut malè tractandi: modo tamen præceptum illud in contemptum diei Festi & Ecclesiasticæ potestatis non imponatur; prout aliquando ab hæreticis imponi constat: tunc enim opera mandata sunt omnino illicita. Similiter si famuli & famulæ diebus ferialibus ita occupentur, ut suis vestibus resarciendis tempus non inveniant, eas in die festo resarcire possunt.

*Agricolæ.*

*Coctores laterum, calcis &c.*

*Uxores, famuli & ancillæ quando excusentur.*

28. *Barbitonsores.*

Quintò excusantur barbitonsores, ubi & quatenus est justa & à prælatis scita ac tolerata consuetudo: quæ apud rusticos, veluti tota die in agris versantes, faciliùs honestari & tolerari potest. Sextò sartores, dum res non patitur dilationem, ut contingit in conficiendis vestibus lugubribus, sponsorum, & aliis, quarum pro tunc est indigentia ad decentiam statûs, vel dum aliàs timent notabile incommodum.

*Sartores.*

29. *Item excusat necessitas publica.*

Sicut ab observatione festi excusat necessitas privata, ita multò magis publica. Hinc excusantur milites tempore belli aggeres vel muros extruentes, operarii pontes & vias publicas, sine dilatione reficiendas, reparantes, vel alia obsequia, sine incommodo non differribilia, pro bono publico præstantes.

30. *Vti & necessitas proximi.*

Excusat quoque necessitas proximi. Hinc chirurgo, pharmacopolæ & aliis licet in die festo operari ad succurrendum infirmo, ad extinguendum incendium, & ad quævis proximi mala gravis momenti avertenda. Hinc etiam licet in die festo serviliter operari, ut ex lucro per eleemosynam succurratur notabili & certæ pauperis indigentiæ, cui aliter succurri nequit; secùs si illi aliter subveniri commodè possit.

*Atque occursus lucri cessantis.*

Excusat etiam occursus lucri, certo anni tempore transitorii, prout Ecclesia indulget idcirco piscationem halecum. Idem est de aliis piscibus, similiter occurrentibus, & quovis alio lucro transitorio, quolibet modo repentè occurrente: lucrum enim tunc cessans reputatur pro damno.

31. *Ac denique dispensatio, & cui competat illam dare.*

Denique excusat dispensatio, quam dare potest Pontifex, Episcopus, immo & parochus, juxta ante dicta: nullatenus autem judex sæcularis, qui etiam nequit laicum, de licentia Episcopi laboraptem, sub prætextu suæ prohibitionis punire, prout declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum teste *Diana p. 4. Tract. 1. Res. 94.*

## QUÆSTIO IV.

## *Quid Locus Sacer, & quid in eo fieri prohibeatur?*

32. *Quis hic censeatur locus sacer & qua loca comprehendat.*

Nomine loci sacri hîc intelligitur omnis ille, qui publicâ Episcopi auctoritate deputatus est ad sacramenta ministranda, vel divina officia peragenda. Quales sunt Ecclesia consecrata vel benedicta, cæmiterium pro sepulturis fidelium publicè deputatum, & oratoria publica per Episcopum deputata ad divinum cultum. Secùs est de oratoriis privatis secundum consecratis, aut benedictis. Quoties autem in loco sacro fit aliquis actus, ob loci reverentiam ab Ecclesia prohibitus, committitur sacrilegium: lex enim humana potest materiam virtutis, alioquin liberam, facere necessariam; idque facere censetur eo ipso, quo similem materiam accipit.

33. *In eo in primis prohibentur fieri actus Ecclesiam polluentes.*

Prohibet primò Ecclesia illos actus, qui locum sacrum polluunt, ut sunt homicidium culpabile, injuriosa humani sanguinis effusio, humani seminis effusio mortaliter peccaminosa, sepultura excommunicati vitandi aut pagani. De quibus vide materiam de sacrificio missæ, *quæst. 11. n. 117. & seqq.* Putat tamen *Layman l. 5. Tr. 5. c. 5. n. 2.* & alii, per prædictos actus nullum locum violari, sic ut reconciliatione indigeat, nisi sit consecratus vel benedictus auctoritate Episcopi. Verùm sufficere deputationem, quæ est instar benedictionis, & facit, ut loca ad usus profanos redire non possint, docet *Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 15. n. 39. Bonacina Tom. 2. disp. 3. q. 6. punct. vlt. n. 5.* & alii; & quoad cœmeteria colligitur ex c. *vn. de consecrat. Ecclesiæ.*

*An per eos sic violetur ut reconciliazione indigeat secluso consecratione & benedictione.*

Petes: An per prætatos actus inferatur gravis irreverentia locis sacris, etiam secluso lege positivâ, ut proiude antecedenter ad eam sint sacrilegi, & in detestationem sacrilegii Ecclesia inflixerit hanc pœnam, quòd nimirum per illos loca sacra polluantur? Resp. neg. cum *Sanchez sup. n. 4* & aliis contra *Suarez c. 3. n. 8.* non enim apparet tam gravis irreverentia ex natura rei per hoc, quòd v. g. sepeliatur paganus, aut excommunicatus in loco sacro, potiùs, quàm mortuus in malo statu; idem est de copula conjugali, si (quod passim docent) per illam etiam polluatur locus sacer. Nec etiam apparet, cur, secluso lege Ecclesiæ, potiùs sit graviter sacrilega effusio sanguinis in loco sacro, quàm gravis læsio, vel percussio sine effusione sanguinis. Idem est de tactibus impudicis aliisque peccatis sive internis, sive etiam externis.

34. *Secluso Eccl. prohibitione prædicti actus non sunt mortaliter sacrilegi.*

*At facilius venialiter.*

Nihilominus apparet posse peccari contra reverentiam loci sacri, etiam citra legem Ecclesiasticam, spectato jure seu ratione naturali; prout juxta communem apprehensionem videtur rectæ rationi repugnare v. g. exoneratio ventris facta in Ecclesia citra necessitatem &c. secluso tamen contemptu, prohibitione positivâ rariùs aut nunquam erit sacrilegium mortale, sive sit opus alioquin peccaminosum, sive indifferens.

35. *Secundò in loco sacro prohibentur generaliter tacta sæcularia.*

Secundò prohibentur in loco sacro placita sæcularia: immo omni robore firmitatis carent ex c. *Decet de immunitate Ecclesiarum in 6.* idque non tantùm usus de languinis effusione & corporali pœna agitur, sed omnino generaliter, ut patet ex verbis *nulla inibi causa per laicos, criminalis maximè, agitetur, sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena &c.* Secùs est de judiciis Ecclesiasticis, & aliis quibusdam actionibus jurisdictionis sæcularis, cum placito fori pituque judiciali similitudinem habentibus, ut sunt electio, præsentatio, collatio doctoratus, auctoritate regiâ conferendi, & similes, ut notat *Suarez* hîc *c. 4. n. 13.*

*Secùs est de judiciis Ecclesiasticis.*

36. *Tertiò concilia & conciones de materia temporali.*

Tertiò prohibentur in loco sacro c. *citato* universitatum & societatum quarumlibet concilia & conciones, quando scilicet materia est temporalis & sæcularis: secùs est quando est Ecclesiastica vel pertinens ad pietatem. Quartò ibidem prohibetur mercatus fieri in Ecclesiis earumque cœmeteriis. Excusat tamen facilè necessitas, præsertim si vendantur res ad usum templi necessariæ; item usus. Sæpe etiam est parvitas materiæ, Quintò prohibetur furtum c. *Quisquis 17. q. 4.* ubi dicitur: *sacrilegium committitur, auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Existimat tamen *Lessius*

*Quartò mercatus.*

*Quintò furtum.*

*Quid si res non sacra sit tantum per accidens in loco sacro.*

l. 2. *de irreligiositate c.* 15. *Sanch. 3. num.* 14. & alii non esse furtum sacrilegum, si res non sacra sit in loco sacro tantum per accidens & quasi materialiter, v. g. quia casu ibi est relicta, vel quia persona est ibi, quæ illam secum defert; secùs, si ibi sit per se, & tamquam in custodia, aut in pignus, vel ad ornatum commodata &c. Tamen *Suarez c.* 5. *num.* 7. *Bonacina sup. num.* 17. & plures alii generaliter asserunt, eò quòd Canon generaliter loquatur, & sit latè explicandus, utpote in materia favorabili, vergente in reverentiam & immunitatem Ecclesiæ.

37. *Pœna in fures sacrilegos à jure lata.*

Porrò fures Ecclesiam spoliantes ex c. *Conquesti de Sent. excom.* juxta communem sententiam incurrunt excommunicationem, si furto sacrilego jungant Ecclesiæ infractionem: immo juxta nonnullos apud *Castro Palao* hîc *punct.* 2. *n.* 4. aliis communiùs apud eumdem contradicentibus etiamsi Ecclesiæ perfractio non accedat.

*Et à judice ferenda.*

Pœna autem à judice ferenda ex *L.* 4. §. *Mandatis autem ff. ad Leg. Iul. peculatus* ejusdem arbitrio relinquitur, etiam juxta praxim receptam ad ipsam mortis pœnam extendenda.

38. *Nonnulla alia in templo fieri prohibita recensentur.*

Denique nonnulla alia variis juribus prohibentur fieri in templo, videlicet jumentum illuc introduci, ludi turpes seu turpia spectacula, vel comediæ inhonestæ fieri, item seditiones, conclamationes, impetus, vana, & multò fortius scœda & profana colloquia, quælibet confabulationes &c.

## QUÆSTIO V.

### *Quæ, & quibus locis competat Immunitas? Quæ personæ eâ gaudeant, & quos habeat effectus?*

39. *Quid immunitas Ecclesiastica.*

IMMUNITAS Ecclesiastica generaliter nihil est aliud, quàm libertas & exemptio ab oneribus vel subjectione, sive coactione potestatis laicæ seu temporalis.

*Alia est realis, alia personalis.*

Estque triplex, realis, quâ gaudent Ecclesiæ bona, quatenus sunt exemptâ à tributis: personalis, quâ gaudent personæ Ecclesiasticæ, quatenus sunt immunes ab oneribus & judiciis sæcularibus: localis, quæ competit ipsis Ecclesiis, quatenus ibi existentes sunt immunes à laica potestate. De hac solâ agitur hoc loco.

*Alia localis.*

40. *Hæc jure mutuano competit Ecclesiis christianorum.*

Immunitas hæc localis concessa est templis Christianorum aliisque locis sacris jure humano, etsi valde conformi ipsi juri divino. Patet ex jure canonico 17. *q.* 4. & *Tit. de immun. Eccles.* Comprehenduntur autem hîc sub locis sacris non solùm Ecclesiæ consecratæ vel benedictæ earumque cœmeteria, sed etiam oratoria publica ad divina officia deputata, idque juxta Doctores communiùs, etsi in eis nundum ceperint divina celebrari. Insuper etiam alia loca, quæ in jure censentur sacra & religiosa, scilicet monasteria religiosorum quoad totum claustrum seu habitationem: item hospitalia auctoritate Episcopi erecta, ipsa quoque domus Episcopalis, si saltem annexam habeat capellam, aut constructa sit intra quadraginta passus ab Ecclesia cathedrali, prout Varii requirunt, Aliis (inter quos *Diana P.* 1. *Tr.* 1. *Resol.* 27.) neutram ex his duabus conditionibus necessariam existimantibus. Secùs dicendum est de domibus Cardinalium, atque etiam de oratoriis privatis.

*Et aliis locis quæ recensentur.*

41. *Hoc privilegium extendit consuetudo ad sacerdotem actu sacramentum Eucharistiæ portantem.*

Hoc immunitatis privilegium videntur Doctores communiter, favente eis consuetudine, extendere ad sacerdotem sacram Eucharistiam deferentem & tabernaculum eam actu continens. Unde reus ad hæc asyla confugiens, ob sacramenti reverentiam inde violenter abstrahi non posset: quamquam in rigore non sit immunitas Ecclesiastica, neque omnes eosdem cum ea habeat effectus, ut rectè observat *Bonacina de immun. Eccles.* §. 2. *n.* 11. ubi in fine addit, se audivisse, receptam alicubi consuetudinem esse, ut reus amplexans sacerdotem, quicumque ille sit, etiamsi sacram Eucharistiam non portet, tutus sit, nec in carcerem conjici possit.

42. *Eo omnes omnino gaudere est probabile.*

Immunitate hâc omnes omnino homines gaudere est probabile, ob indistinctam Canonum locutionem. Nihilominus cum Variis excipiendi videntur clerici: nam alioquin religiosi, cùm sint in locis exemptis, non possent puniri & incarcerari. Quare sicut judicium Ecclesiasticum non prohibetur in Ecclesia, sic nec circa clericum existentem in Ecclesia. Unde in Bulla Gregorii XIV. quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli*, tantùm fit mentio de laicis delinquentibus, qui confugiunt ad Ecclesias. Atque ita habet praxis teste *Bonacina sup.* §. 3. *n.* 7.

*Quamquàm oppositum quoad clericos sit probabilius.*

Nec refert immunitatem Ecclesiasticam concessam esse loco, qui clericis & laicis communis est: quia loco quidem concessa est, sed cum respectu ad personas, quibus hunc favorem concedi congruebat; quales sunt laici, & non clerici, ob rationes antè dictas. Non potest tamen clericus ab Ecclesia abstrahi, nisi per judicem Ecclesiasticum, ut patet. Immo si ageretur de crimine contra clericum ad finem aut eo probato depositus, degradatusque traderetur corporaliter puniendus brachio sæculari, eo casu extrahi non posset, uti relato *Diana* tradit *Zypæus in Analysi jur. Pontif. Tit. de Immunit. Eccles. n.* 9.

43. *Idem est de infidelibus conversionem recusantibus.*

Præterea nonnulli excipiunt infideles. Quod saltem verum videtur de iis, qui nolunt converti, ex *L.* 8. *Cod de his, qui ad Ecclesiam*; quæ, etsi sit civilis, servanda est, utpote non solùm non præjudicans Canonibus, sed etiam eis conformis, cùm c. *bus.*

*Inter alia de immun. Eccles.* significetur, immunitatem servandam esse juxta statuta Canonum & consuetudines legum civilium.

44. *Ad locum sacrum confugientes nullus potest de abstrahere vel aliquid nocibilitatis eis inferre.*

Immunitas ista parit hos effectus, *ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam vel residentes inde abstrahere, aut quodcumque nocibilitatis vel damni vel spolii* (intellige rerum propriarum: alienis enim licitè spoliarentur, ut fieret restitutio vero domino) *residentibus in loco sancto inferre* c. *diffinivit* 17. *q.* 4. Neque etiam impedire quis potest, quo minùs eis præstentur alimenta, vestitus, & similia ad vitam necessaria *L. præsenti Cod. de his, qui ad Eccl.siam:* nam aliàs fieret coactio & privilegium inutile. Potest tamen Ecclesia extra locum sacrum deforis obsideri, ut, si reum sponte contingat discedere, mox capiatur. Si autem violentè extractus sit ex loco sacro, debet eidem, aut æquè tuto & commodo, ac loco sacro restitui. Unde talis actus est nullus, & consequenter omnes actus judiciales consequentes; utpote injurioſi & fundati in captione injusta, adeoque damna omnia sunt reparanda.

*Potest tamen locus deforis obsideri.*

45. *Quid de reo violenter aut per blanditias à loco sacro abducto, & deinde per judicem sæcularem apprehenso.*

Idem est juxta *Diana P.* 1. *Tr.* 1. *resol.* 16. cõtra *Suarez c.* 13. *n.* 17. de reo, per satellites vel alios violenter ab ecclesia abstracto, & postea per judicem sæcularem apprehenso. Secùs juxta Varios, alijs (teste *Castro Palao* hic *punct.* 11. *n.* 3.) cõtradicentibus, est de eo, qui per blanditias, deceptiones, aut promissiones sine coactione à loco sacro abducitur; utpote qui nullatenus violentè inde abstrahitur, quod tamen requiritur ad hoc, ut loco sacro foret restituendus.

46. *Aut è manibus satellitum violenter abstracto & ad Ecclesiam confugiente.*

Sed quid, si reus è manibus satellitum violenter ereptus ad Ecclesiam confugiat? Eum curiæ sæculari restituendum censet *Bassæus V. Immunitas n.* 14. eò quòd judex sæcularis in eum jam acquisierit jus, quo per injustam abstractionem non potest privari: ideoque violenter ei ereptus est restituendus, ubicumque fuerit reficuti violenter ab Ecclesia abstractus eidem est reddendus. Oppositam tamen sententiam docet *Diana P.* 6. *Tr.* 8. *resol.* 5.

*Reus in loco sacro existens nequit damnari ad pœnam corporalem.*

Denique reus, in loco sacro existens, nequit damnari ad mortem vel ad pœnam c. *Inter alia.* Quod tamen aliqui restringunt ad pœnam corporalem. Vide *Castro Palao sup. n.* 9. *& seqq.*

47. *Violator immunitatis Ecclesiasticæ peccat peccato sacrilegii, & insuper injustitiæ.*

Qui autem immunitatem Ecclesiasticam violaverit, peccat in primis peccato sacrilegii, juxta Doctores communiter, & patet 17. *q.* 4. scilicet contra reverentiam loci sacri, ob quam extractio rei, & similes actus sunt ab Ecclesia prohibiti. Deinde juxta Doctores communius peccat contra justitiam respectu rei seu refugi, qui injustè & violentè privatur suâ libertate, & in quem, eatenus à jurisdictione exemptum, exercetur indebitè jurisdictio, veluti si in personam Ecclesiasticam. Denique est ipso facto excommunicatus per Bullam *Gregorii XIV.* idque secundùm *Diana P.* 1. *Tr.* 1. *resol.* 15. & alios, nonnullis aljs contradicentibus, etiamsi violenta abstractio tantùm attentetur, effectu non secuto.

*Estque ipso facto excommunicatus.*

## QUÆSTIO VI.

### *In quibus casibus locum habeat Immunitas Ecclesiastica, & in quibus non?*

RESPONDEO non solùm in criminalibus (de quibus est certissimum) sed etiam in civilibus, v.g. in causa debitorum, ut tamquam probabilius docet *Suarez c.* 11. *n.* 3. *Bonacina de immun. Eccles. §.* 4. *n.* 1. & alii, & consonat praxis. Nec obstat, quòd c. *Id cõstituimus* & in Bulla Gregorii XIV. fiat mentio de reis. Nam tales sunt, præsertim in materia favorabili, qui in judicium vocantur, sive criminaliter, sive civiliter; accedente eo, quòd *L.* 1. *Cod. de his, qui ad Ecclesiam* apertè supponatur, quòd ad Ecclesias cõfugientes evitare possint crimina vel pondera debitorum. Idque verum est, quamvis sint de fuga suspecti, vel debito publico obstricti, aut decoxerint cum magno reipublicæ detrimento: cùm hi casus in bulla Gregoriana non excipiantur.

48. *Immunitas non solùm in criminalibus, sed etiam in civilibus locum habet.*

Nihilominus quædam crimina sunt jure excepta, in quibus locum non habet immunitas, quæ tum in antiquis juribus, tum distinctè & ordinatè recensentur in Bulla Gregorii XIV.

Itaque immunitate carent primò latrones publici, id est, qui palam & publicè seu in viis publicis, in terra vel in mari, præsidentur, vel vias publicas obsident, ut transeuntes invadant & spolient, vel ob frequentata latrocinia communiter pro latronibus habentur.

49. *Ea in primis carent latrones publici.*

Secundò depopulatores agrorum, qui scilicet diripiunt alienos agros, id est, segetes vel fructus surripiunt, agros sive vineas vastant vel incendunt, idque etsi non sint nocturni, eò quòd Bulla Gregoriana generatim loquatur. Quamvis c. *Inter alia, de immun. Eccles.* solùm fiat mentio de nocturnis.

*Depopulatores agrorum.*

*Etiam non nocturni.*

Tertiò committentes homicidia & mutilationes in Ecclesijs, aut earum cœmeterijs (secùs est de alijs delictis, utpote in Bulla Gregoriana non expressis, quantumvis de ijs possit esse par ratio, ut rectè *Bonacina sup. n.* 11. & alii, contra *Suarez sup. n.* 7. & alios antiquiores) quia in eo, in quo quis deliquit, puniri debet; & frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem, ut dicitur c. *Finali de immun. Eccles.* Estque perinde, sive committantur ibi sub spe immunitatis, sive non: item sive committantur

50. *Committentes homicidia & mutilationes in Ecclesia vel cœmeterio.*

mittantur ibi ex proposito, sive non, sed solùm ex subita rixa: nam textus loquitur indistinctè.

51. *Occisores proditorii, & qui censeantur tales.*

Quartò immunitate carent occidentes proximum proditoriè, id est, per industriam insidiosam, dum vel amicitiam simulant, vel dolosè ad occidendum accedunt, vel dum alter nil minus cogitat. Excipit *Bonacina sup. n.* 14. & alii occidentem inimicum, etsi à tergo, vel dormientem, vel etsi per fenestram sclopeto illum petat, eò quòd talis in rigore non dicatur proditor. Equidem actus seu modus est proditorius ac insidiosus & comprehensus c. 1. *De homicidio*, quod per Bullam Gregorianam explicatur. Quare vereor, ne praxis præfatæ exceptioni adversetur.

52. *Rei assassinatûs, & qui sint tales.*

Quintò assassini seu rei assassinatûs. Cujus rei sunt non soli ipsi assassini, id est, qui pecuniâ aut alio pretio accepto vel promisso conducti homines incautos, seu nihil tale ab eis expectantes, prævio mandato occidunt: verùm etiam cooperatores & mandantes seu conductores; adeoque ni omnes immunitate non gaudent.

*Hæresis.*

Sextò hæresis rei, quales sunt non solùm ipsi pertinaciter errantes, sed etiam auxilium & refugium præbentes. In locis tamen, ubi hæretici impunè degunt, nec ob hæresim puniuntur, videntur gaudere, sicut ceteri immunitate in criminibus non exceptis, juxta *Diana p. 1. tr. 1. resol. 29.*

*Et læsæ majestatis in personam proprii principis.*

Septimo rei læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis, subintellige proprii.

53. *Præter alla ta crimina non sunt alia immunitate privantia.*

Hæc sola crimina post Bullam Gregorianam (quæ est septima in Bullario Romano inter Constitutiones Gregorii XIV. & refertur à *Rodriguez tom. 2. q. 50. art. 3.*) sunt exceptæ: idque cum derogatione juris & consuetudinis, ut docet *Diana sup. resol. 1.* & plurimi alii. Unde audiendi non sunt, qui apud *Castro Palao punct. 10. num. 3.* ex identitate vel majoritate rationis, illam exceptionem ad alios casus non expressos censent extendendam. Quare raptores virginum, adulteri, sodomitæ, incendiarii &c. immunitate gaudent, nisi ratione delictorum in Bulla Gregoriana exceptorum, eâ privantur.

54. *Modus extrahendi reum è loco sacro in crimine excepto.*

Notandum tamen confugientem ad locum sacrum in criminibus exceptis, non posse mox eo ipso extrahi per laicam potestatem, sed juxta Bullam *Gregorii* requiri expressam facultatem Episcopi vel Officialis, & ut interfit persona Ecclesiastica habens facultatem ab Episcopo aut Officiali. Quæ dum adsunt, obligantur superiores, etiam exempti, tradere seu consignare, sive curare tradi seu consignari reum in manus petentium, idque absque ulla irregularitatis nota, ut expressè decernitur in Bulla citata. In qua præterea ordinatur, ut post extractionem rei ex loco sacro, priusquàm tradatur laicæ potestati, detineatur in carcere nomine Episcopi, donec ab ipso, vel ejus deputato, cognitum fuerit, an gaudeat immunitate, nec ne: ad quod tamen sufficit cognitio per summariam informationem. Vide *Bonacinam sup. §. 7.* & alios, signanter *Zypæum Tit. de Immunit. Eccles.*

## QUÆSTIO VII.

### *De Decimis, Primitijs & Oblationibus.*

55. *Decimæ unde sic dictæ. Non sunt puræ eleëmosynæ.*

Decimæ sic sunt dictæ, quasi decima pars seu portio, quæ detrahitur ex ijs rebus, quæ nobis divino munere obveniunt, nobisque quodammodo frugiferæ sunt. Has nullo jure Sacerdotibus esse debitas, sed puras eleëmosynas, contendit *Joannes Wicleff* in *Concilio Constantiensi sess. 8.* meritò damnatus. Per decimas namque præstatur subsidium ministrantibus spiritualia, utique eis debitum, juxta lumen rationis naturalis, ipsamque scripturam *1. ad Corint. 9. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* & *Matth. 10. dignus est operarius cibo suo.*

*Sed merces labori Sacerdotum debita.*

56. *Idque ex jure naturæ quoad substantiam: secùs quoad taxam.*

Quare decimæ, in quantum sunt sustentatio ministrorum Ecclesiæ, seu secundùm substantiam (ut loquuntur) debitæ sunt jure naturali: secundùm quotam autem seu taxam decimæ partis sunt juris Ecclesiastici juxta Theologos communiter contra Canonistas. Ex nullo enim capite, quantùm ad hoc, jus divinum satis constat. Immo si subesset, non posset consuetudine abrogari, prout tamen tolli vel mutari potest ista quota, & de facto quoad plurimos fructus sublata est multis in locis. Eatenus itaque sunt solùm juris divini latè loquendo, sive quatenùs sunt Deo dedicatæ; sive exemplariter & imitativè, quatenus in veteri testamento fuerunt pro Levitis determinatæ decimæ, & ad illius imitationem sunt determinatæ ab Ecclesia pro suis ministris.

*Secundùm quam propriè sunt juris Ecclesiastici; imitativè, divini.*

57. *Jus primarium decimarum, utpote spirituale, laicis competere nequit.*

Cùm autem jus primarium decimarum fundetur in titulo spirituali, scilicet ministerio Ecclesiastico, nequit convenire laicis, juxta *D. Thomam* & Doctores cõmuniter apud *Lessium de decimis c. 39. dubit. 4. n. 19.* adeoq; nec potest ab eis præscribi. Jure tamen primario pænes Ecclesiam remanente, potest quandoque laicis competere jus secundarium, sive ex præscriptione quadraginta annorum cum titulo, aut temporis immemorabilis sine titulo juxta *Lessium sup.* sive ex elocatione, venditione aut donatione. Quomodo etiam Pontifices solent interdum dare laicis decimas in feudum, etiam perpetuum, ob merita Ecclesiæ exhibita aut exhibenda. Idemque potebant Episcopi ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. in quo facultas hæc

*Secùs est de secundario.*

*Quod subinde à Pontificibus in feudum etiam perpetuum transfertur in laicos.*

est

est illis adempta. Qui tamen jus feudale ab Episcopis antea acceperant, poterant retinere.

*Qui illud in alium laicum de consensu Episcopi transferre possunt.*

Similiter possunt illud in alium laicum transferre de consensu Episcopi, sicut Episcopus potest feudum semel legitimè constitutum conferre alteri, si ad Ecclesiam redierit per mortem vasalli c. *fin de rebus Ecclesiæ non alienandis*, & c. *ex parte tua de feudis*. Similiter possunt illud conferre loco pio, de consensu Episcopi, ad cujus Ecclesiam decimæ pertinebant c. *Cùm Apostolica, de his, quæ fiunt à Prælatis.*

*Aut in locum pium.*

58. *Decimæ aliæ sunt prædiales: aliæ personales & aliæ mixtæ.*

Decimæ aliæ sunt prædiales, quæ ex agris, molendinis, ædium locatione, & similibus proveniunt: aliæ personales, quæ ex arte, negotiatione &c. aliæ mixtæ, quæ partim ex prædijs, partim ex industria, ut fructus animalium v.g. fœtus, lana &c. Quamvis autem spectato jure scripto decimæ sint solvendæ ex omni re & opere frugifero; adeoque non solæ prædiales, sed etiam personales & mixtæ: tamen universali quasi consuetudine personales sunt abrogatæ, ut testatur *Castro Palao de decimis punct. 6. n. 10.* De quarum proinde debito & solvendi modo non est inquirendum, sed tantùm de prædialibus & quibusdam mixtis, quas consuetudo (quæ in his partibus valde varia est, sic ut ubique suus sit usus retinendus) solvendas docet, agendum restat, à quo, quibus & quomodo debeantur.

*Personales consuetudo abrogavit.*

59. *Ad prædiales tenentur omnes, qui habent prædium alicui Ecclesiæ titulo non spirituali subjectum.*

Tenentur itaque ad decimas omnes illi, qui prædia alicui Ecclesiæ, titulo non spirituali, subjecta habent, sive sint clerici, sive laici, sive fideles, sive infideles, etiam pagani, sive sint privati, sive integræ communitates, & pia loca, nisi aliquo privilegio, præscriptione, compositione vel transactione sint exempta. Ratio est: quia solutio decimarum est onus, rei, non personæ annexum; adeoque ad quemcumque dominum prædium devolvatur, cum eo devolvitur & onus solvendi decimas. Cui autem Ecclesiæ solutio illa facienda sit, ex consuetudine petendum est, quæ hac in re maximè attendi debet.

60. *In principio nascentis Ecclesiæ debebantur decimæ cæteris clericorum.*

Quod ad eos attinet, quibus decimæ sunt solvendæ, notandum est, in principio nascentis Ecclesiæ, decimas fuisse communi clericorum cætui persolvendas, quas tūc Episcopus unicuique pro sua qualitate, labore & indigentia elargiebatur: successu verò temporis & crescente decimarum cumulo, pluribus clericis sunt applicatæ: & aliis quidem titulo beneficij; alijs titulo obsequii vel curæ animarum; alijs ex gratia & privilegio. Et quidem animarum curam habentibus, etiam exclusâ Ecclesiæ constitutione, ex justitia debentur decimæ, tamquam merces pro labore: secus est de alijs. Summo autem Pontifici, tamquam universali Ecclesiæ Pastori & rectori, decimas exigenti, eæ solvendæ sunt ab omnibus, tum sæcularibus, tum clericis, etiam Episcopis: nec ad unam decimam est restringendus, sed plures pro sui gravitate exigere potest. Decimæ novales de jure cedunt Parocho juxta *Zypeum Tit. de Decimis* c. 12. apud quem plura de his vide. Novales autem sunt, quæ debentur ex agro noviter ad culturam redacto, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuerit, & qui ante culturam nullum, vel modicum fructum, supple decimabilem, adferebat.

*Nunc autem diversitate pro diversitate tituli.*

*Novales cui debitæ.*

*Quid per illas significetur.*

61. *Decimæ solvendæ sunt integræ, ante deductionem expensarum, cujusvis, &c. Earum defraudatio quale sit peccatum.*

Sunt autem decimæ prædiales solvendæ integrè c. *Commissum* & c. *Tua nobis, de decimis* & quidem ante deductionem expensarum, quæ fieri solent in colendis prædijs, item censuum, tributorum &c. ut patet ex usu, & c. *Cùm non sit, de decimis*; adeò ut defraudantes decimas peccent contra justitiam, veluti fraudantes Ecclesiam jure acquisito, & contra religionem, quatenus sunt debitæ titulo spirituali & causâ Dei, ob quod defraudatio illarum à Canonibus vocatur sacrilegium.

62. *Primitiæ quid significent. Non obligant.*

Primitiæ (quæ significant primos fructus aut fœtus Deo oblatos) non sunt jure naturæ præceptæ, etsi sint rationi conformes, cujus instinctu fuerunt quoque nonnullis Gentibus usitatæ. Jus autem positivum est consuetudine abrogatum.

63. *Oblationes per se loquendo.*

Oblationes (quæ significant quælibet Deo oblata, v.g. pecunias, cereos &c.) similiter non obligant, secluso pacto aut voto. Excipe, nisi sint necessariæ ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ: tunc enim obligant juxta quotam à Prælatis determinatam, vel consuetudine aut conventione introductam. Quæ consuetudo etiam locum habet in benedictionibus nuptiarum, funeribus, Sacramentorum administratione & similibus. Quibus autem cedant oblationes factæ in Ecclesijs aut capellis, vide *Suarez c. 7.*

DIS-

# DISPVTATIO QVARTA.

## De Voto.

### QUÆSTIO I.

### Quid & quotuplex sit Votum?

1. *Votum est promissio Deo facta,*

VOTUM est promissio Deo facta. Unde simplex propositum, quantumvis firmum, aliquid faciendi, aut etiam vovendi, non est votum, & per se loquendo non obligat. Quod confessarii diligenter attendere debent circa simpliciores pœnitentes. Promissio autem, intelligitur valida, in definitione voti. Ad quam.

*Tale non est ullum propositum quantumvis firmum.*

2. *Ad votum requiritur deliberatio ad mortale sufficiens.*

Primò requiritur, ut sit deliberata, sic ut in materia peccati deliberatio sufficeret ad peccandum mortaliter: deliberatio enim, quæ sufficit ad se obstringendũ diabolo, sufficit ad se obstringendum Deo: neque censetur quis sibi velle onus per promissionem imponere, nisi perfectè volens. Hinc non oritur obligatio, si votum fiat ex subito motu aut consuetudine rationem præveniente, utì nec si ex semiplena deliberatione v. g. si vovens, alteri rei intentus, solùm tenuiter & confusè advertat, quid voveat. Immo ex tali voto, utpote simpliciter invalido, ne quidem oritur obligatio sub veniali.

*Vnde ex voto sine tali deliberatione facto nulla oritur obligatio.*

*Nequidem sub veniali.*

3. *Cur potiùs ad peccatum veniale sufficiat semiplena deliberatio, quàm ad votum,*

Nec refert, quòd semiplena deliberatio sufficiat ad peccatum veniale: quia plus requiritur ad valorem voti, quàm ad tale peccatum, ad quod etiam sufficit negligentia & indirecta voluntas, quæ tamen ad votum nullatenus sufficit, Deo ad valorem hujus perfectam deliberationem, formalem vel virtualem, simpliciter requirente, sine qua factum votum nullatenus acceptat. Qui autem ex levitate sine matura deliberatione vovet, regulariter peccatum veniale (nisi & hoc ipsum excusetur indeliberatio) committit, ut & ille, qui sic jurat. Posset tamen ratione voluntarii periculi vovendi actiones illicitas, aliove ex capite subinde, etsi rarò, mortaliter peccare. Quod si res, quæ indeliberatè vovetur, sit levis, v. g. oratio angelica, censet *Sanchez* & *Valentia* apud *Castro Palao de voto disp. 1. punct. 4. n. 5.* contradicente ipso *Castro Palao*, nullum esse peccatum.

*An vel quis peccatum committat sine sufficienti deliberatione vovens.*

4. *Secundò requiritur ad votum, ut sit voluntarium.*

Secundò requiritur, ut sit voluntaria, seu spontanea, scilicet sine metu vel errore. Quod ad metum attinet, is, si gravis sit & injustè incussus ad extorquendum votum, irritat illud; prout de voto professionis solemnis declaratur c. 1. *de his quæ vi metusve causâ fiunt.* & de aliis similiter passim tradunt Doctores: de his tamen non est expressum aliquod jus Ecclesiasticum: neque de illis & de voto solemni professionis est omnino par ratio: ideoque cum *D. Thoma*, *D. Bonaventura*, *Scoto* & alijs antiquioribus apud *Lessium l. 2. c. 40. dub. 3. n. 17.* recurrendum videtur ad jus naturæ, eò quod Deus non videatur velle talem promissionem acceptare, qualem nec acceptaret vir probus, si sibi fieret. Immo nonnulli Doctores idem docent de metu levi, quantùm ad forum conscientiæ: tametsi id alii passim non admittant, & in foro externo indubiè non admitteretur. Si verò metus sit justus, aut injustus quidem, sed non eo sine incussus, valet votum; prout in simili de matrimonio dicitur.

*injustè incusso extortum est irritum; Solemne quidem professionis jure Ecclesiastico.*

*Cetera autem jure naturali. Secùs est de voto ex levi vel justo metu emisso.*

5. Quod ad errorem sive dolum attinet, si versetur circa accidentalia, valet votum, etiamsi versetur circa causam motivam voti, prout in simili de matrimonio dicitur: alioquin plures professiones essent nullæ & irritæ. Poterit tamen id esse causa facilioris dispensationis: si votum sit dispensabile. Immo Nonnulli distinguunt inter votum simplex & solemne, dicentes, votum simplex factum per errorem vel dolum circa causam finalem & motivam non esse validum, eò quòd censeatur emissum sub tacita conditione, si causa subsistat: votum tamen solemne esse validum, eò quòd assumens statum perpetuum censeatur eum velle assumere, etsi intercedat dolus vel error, modò non sit circa substantialia.

*Inter votum simplex & solemne ex errore emissum nonnulli distinguunt.*

Nihilominus *Lessius sup. dub. 2. n. 12.* & alii hanc distinctionem rejiciunt: & forte in re est parva differentia, eò quòd in particularibus casibus alii fortasse dicerent esse errorem circa accidentalia, in substantiam voti aliquo modo redundantia. Itaque

*Alijs ea distinctionem rejicientibus.*

6. *Vera doctrina statuit, omne votum ex errore circa aut in substantiam redundante esse irritum. Quod variè declaratur.*

Si error aut dolus, qui est causa voti, versetur circa substantiam voti, aut aliquid redundans moraliter in substantiam voti, ipsum planè irritum est defectu consensûs, cui nihil adeo contrariatur, quàm ejusmodi error. Contingit is diversis modis: primò si sit circa partem notabilem rei promissæ, ut si quis voveat peregrinationem Hallensem; quia putat solùm esse iter unius horæ: vel dare in eleëmosynam nummum, quem manu tenet, quia putat, quòd sit argenteus, cùm sit aureus.

Secundò

Secundò si sit error circa materiam operis, ut si quis v. g. voveat ingredi determinatum monasterium, putans esse ordinis Sancti Francisci, cùm sit alterius ordinis. Tertiò si sit circa personam, cui opus præstandum est. Quartò, si sit circa causam formalem operis, v. g. si non sit pauper; cui alioquin erat promissa eleemosyna. Quintò contingit hic error, si sit circa finem vovendi extrinsecum, qui spectetur tamquam merces operis promissi, v. g. si quis voveat eleemosynam pro sanitate parentis, quem dein intelligit jam tum obiisse; vel voveat peregrinationem pro felici successu matrimonii, quem dein mutato proposito vult ingredi religionem. Secus est de vovente religionem, ut eligatur in prælatum: votum enim tenet, etiamsi non sequatur electio, eò quòd finis iste non redundet in substantiam voti, nec faciat votum tacitè conditionatum, utì fit in aliis casibus. Sextò denique si error sit circa vim seu naturam voti v. g. si vovens neciat votum aliter obligare, quàm sub veniali, vel putet posse relaxari pro suo libitu.

7. *Tertiò requiritur ad votum intentio se obligandi.*

Tertiò ad votum seu promissionem requiritur, ut promittens habeat intentionem se obligandi: hac enim deficiente solùm est fictum votum: cùm votum non subsistat sine obligatione, nec obligatio sine voventis intentione, ex qua nasci debet. Secus est juxta Doctores passim, si sit quidem intentio vovendi, & se obligandi, simul tamen adsit intentio non observandi, seu non implendi: sicut enim hæc intentio potest votum subsequi, sic & comitari ab initio: quemadmodum etiam potest quis validè velle baptizari, & obligationes vitæ Christianæ suscipere, cum intentione non observandi. Vide *Lessium c. 40. dubit. 1. num. 7.* Quartò, ut sit de re grata promissario, de quo *Quæst. seq.* Quintò, ut promittens se possit obligare, de quo *Quæst. 4. de irritatione voti.*

*Secus est de intentione implendi.*

*De aliis requisitis remissivè.*

8. *Votum aliud est personale, aliud reale, & aliud mixtum.*

*Aliud temporale, aliud perpetuum. Aliud expressum, aliud tacitum.*

Votum est multiplex. Primò aliud est personale, quo promittitur nuda actio personæ vel omissio, v. g. peregrinatio, abstinentia à fornicatione &c. Aliud est reale, quo promittitur aliquid pretio æstimabile distinctum ab actione voventis, v. g. oblatio pecuniæ: Aliud mixtum, quo utrumque simul promittitur, v. g. peregrinatio cum oblatione doni. Secundò aliud est temporale, quod ad certum tempus, aliud perpetuum, quod ad vitam voventis durat. Tertiò aliud est expressum, quod fit diserte verbis, aliud tacitum, quod fieri censetur eo ipso, quo aliquid voluntariè fit, cui votum est annexum aut præsupponitur, prout fieri posse tacitam professionem dicetur *Disp. Seq.* & multi putant fieri tacitum votum in susceptione ordinis, de quo in materia de Sacramento Ordinis. Quartò votum aliud est simplex, aliud solemne, quod scilicet annexam habet susceptionem statûs immutabilis.

*Aliud simplex; aliud solemne.*

De his duabus ultimis voti speciebus dubitatur, an differant specie essentiali, an verò tantùm accidentali? Et quidem Varii censent differre essentialiter. Ex quo inferunt peccatum contra castitatem, voto solemni promissam, & peccatum contra eamdem, simplici voto promissam, specie differre; adeoque circumstantiam voti solemnis in confessione esse explicandam. Aliis tamen, quos citat & sequitur *Sanchez de Matrim. l. 7. Disp. 25. n. 6. & l. 5. Moral. c. 1. n. 7.* placet prædicta vota non nisi accidentaliter distingui, eò quod habeant idem objectum, videlicet continentiam. Qui proinde opposita faciunt corollaria, nempe idem specie contra utrumque votum committi peccatum, etsi gravius, dum repugnat voto solemni, quàm dum simplici.

9. *Quæ an differant specie.*

Quintò aliud est absolutum, aliud conditionatum: & hoc iterum vel est simpliciter conditionatum, quando scilicet conditio non apponitur instar pœnæ, vel pœnale, quando scilicet vovetur pœna, sub conditione delicti futuri.

10. *Aliud simpliciter est absolutum & aliud conditionat.*

## QUÆSTIO II.

## De Materia Voti.

Materia voti dicitur, quidquid Deo promittere possumus. Quod quidem proximè est actio aliqua humana (sub qua etiam intelligitur abstinentia ab actione) in nostra potestate constituta: remotè autem est objectum ejusdem actionis.

11. *Materia voti proxima, est actio humana. Remota ejusdem objectum.*

Primò itaque opus, quod Deo promittitur, debet esse in nostra potestate: ad impossibile enim non est obligatio, nec Deus ejusmodi stultam promissionem acceptat.

12. *Debet esse in nostra potestate.*

Hinc invalidum est votum de non quam peccando venialiter (quidquid dicat *Bonacina de voto punct. 4. §. 3. n. 4.*) quippe quod est de objecto per ordinaria Dei auxilia moraliter non possibili.

*Hinc irritum est votum de non peccando venialiter.*

Nec refert, quòd lex naturalis omnia peccata venialia præcipiat vitari: nam inde non sequitur idem posse votum, utpote cujus obligatio non sequitur immediatè ex ipsa natura rationali, utì obligatio legis naturæ, sed ex libera voventis voluntate, eaque prudenti & à Deo acceptanda, qualis non est illa, qua quis se obligat ad aliquid moraliter impossibile, ideoque obligatio ex lege naturali resultans in materia ad salutem non necessaria, qualis est vitatio omnium venialium, non exigit majorem, quam physicam, objecti possibilitatem: obligatio autem ex voto orta insuper moralem.

*Cur potius lex naturæ, quam votum adimpleri moraliter impossibile obligat.*

De

13. *Votum omnia mortalia vitandi tenet.* De voto vitandi omnia peccata mortalia dicendum est, illud omnino valere: quamquam non sit passim suadendum. Idem censet *Sanchez de voto c. 5. num. 13.* & *Lessius dub. 7. num. 33.* de voto vitandi omnia peccata venialia, quantum in nobis est: Sed non improbabiliter contradicit *Castro Palao punct. 8. n. 12.* eo quòd votum illud videatur esse de objecto humana ratione non cognoscibili. De voto autem vitandi omnia peccata censet *Suarez l. 2. de voto c. 3. n. 16.* contra *Sanchez l. 4. Moral. c. 10. n. 19.* ipsum saltem obligare ad vitanda mortalia. Idem cum proportione est de quovis alio voto, materiam partim possibilem, partim impossibilem afficiente.

*Quid de voto vitandi quantum in nobis est venialia:*

*Vel simpliciter omnia peccata.*

14. *Debet etiam materia voti esse grata Deo.* Secundò debet esse opus gratum promissario, scilicet Deo, in cujus honorem & obsequium fit votum: aliàs enim Deus promissionem non acceptat. Quare irritum est votum de opere peccaminoso: immo promittere Deo se peccaturum mortaliter est grave peccatum. Idem est juxta Doctores passim contra *Navarrum* & alios apud *Lessium sup. n. 39.* etsi opus promissum sit tantùm veniale peccatum: idque ob gravem injuriam, quæ divinæ bonitati infertur, dum in ejus obsequium offertur, quod noscitur ejus bonitati displicere, in quo irrisio, immo tacita blasphemia continetur. Præterea irritum est votū de opere indifferenti: non enim gratius est Deo illud fieri, quàm omitti. Excipe, nisi adsit bonus finis à vovente intentus, & adhuc perseverās, ad quem deserviat res indifferens. Sic multi rectè vovent non ludere lusibus alioquin licitis, non transire per certam plateam, non accedere certum consortium, eò quòd sæpè sint occasio peccandi.

*Vnde vovere peccatū, etiam leve, si graviter malum; & irritum votum.*

*Similiter irritum est votum de re indifferenti bono sine voventis non honestatâ.*

15. *Debet quoque esse melior suo opposito.* Tertiò debet votum esse de re meliori, seu nimirum, ut gratius Deo sit illud fieri, quàm omitti. Promissio namque est quædā gratificatio: adeoque nemo congruè aliquid promittit alteri, cui gratius esset ipsum non fieri, aut fieri oppositum. Quare votum debet non adversari consiliis, nisi aliqua circumstantia faciat opus non esse consilii respectu personæ voventis. Unde regulariter non valet votum de non danda elemosyna, de non ingrediendo religionem, de incundo matrimonio, de non vovendo. Posset tamen suaderi scrupulosis aut levibus ad vovendum, ut promittant, se non emissuros votum, nisi de consilio Confessarii vel directoris. Quod si post tale votum, Confessarii consilio non petito, equidem voveant, votum tenet. Idem juxta *Sanchez c. 8. n. 37.* contra aliquos ab ipso citatos, est de voto non sollicitandi nec acceptandi Episcopatum, quantum in se est.

*Notabile pro scrupulosis.*

*Quid de voto non procurandi vel accersandi Episcopatum.*

*Item de voto nubendi.* Similiter Varii docent, votum nubendi factum ab eo, qui non potest se continere, esse validum, eò quòd tali personæ melius sit nubere. Verùm tali melius esset uti sanctioribus remediis ad frenandum concupiscentiam, quàm nubere. Si tamen nullum aliud remedium sibi vellet applicare, melius esset ei nubere, quàm uri: sed tunc objectum voti potiùs est ratio remedii, quàm ipsum matrimonium.

16. *Sub votum cadunt etiā opera præcepta.* Petes, an opera præcepta cadant sub votum? Resp. Aff. cum Doctoribus unanimiter: nam etiam opera præcepta sunt Deo grata, & gratiora oppositis: nec aliquid impedit, quò magis præcedenti vinculo sive obligationi adjiciatur novum per promissionem: quod patet ex perpetuo usu Ecclesiæ, quo non solùm vovetur abstinentia à nuptiis, sed etiam præcepta jure naturæ abstinentia ab illicitis voluptatibus carnis. Atque ita Tertiarii S. Francisci vovent servare omnia mandata Dei.

17. *Votum tamen Tertiariorum Sācti Francisci non inducit novam obligationem,* De quo voto inquiri potest an novam inducat obligationem, ita ut Tertiarius aliquid præceptum divinum transgrediēs duplici peccet peccato, uno contra votum, altero contra præceptum? Et quidem affirmativè censuit *Dian. Carthusianus* apud *Lucam Wadd. Tom. 2. opusc. S. Francisci in Notis ad 3. Reg. c. 20. n. 11.* Sed cum eodem *Waddingo* aliisque pluribus, quos citat, respondendum est negativè. Et ita declaratum est à *Nicolao IV. Constit. Supra montem* & Leone X. *Constit. Inter cetera,* in qua declaratur in regula Tertiariorum *nulla obligatoria sub peccato mortali vel veniali* cōtineri. Idem ex *D. Thoma* & *Caietano* docet *Waddingus sup.* de Tertiariis S. Dominici. Ex quo fit, ut ex vi illius voti solùm obligetur Tertiarius facere pœnitentiam sibi à superiore pro transgressione impositam; idque dumtaxat sub veniali obligatione juxta *Marchant* in locum illum tertiæ Regulæ.

*Nisi ad pœnam.*

## QUÆSTIO III.

### De Obligatione Voti.

18. *Bonum & laudabile est Deo vovere.* CERTUM est de fide, laudabile & gratum Deo esse aliquid ipsi vovere, animo ei deferendi cultum. Scriptura enim commendat vota, atque ad ea emittenda & implenda hortatur, fideliter implentes laudat, non implentes redarguit, ut patet *Psal. 75. Isaiæ 19.* & alibi. Signanter autem de votis circa materiam non præceptam (quæ tāquam superstitiosa, hæretici redarguunt) sit mentio *Deuter. 23. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum; si nolueris polliceri absque peccato eris.* Ratio præterea naturalis dictat, bonum esse votis Numen honorare; quòd etiam omnes Gentes fecerunt circa Deos suos. Deinde per votum firmat homo voluntatem suam immobiliter ad præstandum Deo obsequium, idque in propriam voventis utilitatem & commodum. Immo, ceteris paribus, melius est opus factum ex voto,

*Etiam in materia præcepta.*

quàm sine voto, ut patet ex commendatione scripturæ; & quia hoc titulo pertinet ad specialem & perfectam virtutem religionis? Neque ex voto oritur alia necessitas, quàm obligationis, quam etiam oritur ex divinis præceptis: relinquitur autem perfecta libertas indifferentiæ, immo datur occasio novi & meritorii usûs libertatis.

19. *Parità, obligationem,*

Præterea certum est apud Catholicos ex voto oriri obligationem in conscientia: ut patet ex scriptura relata. Ratio est: quia si oriatur obligatio ex promissione facta homini, quantò magis ex promissione facta Deo? Obligatio autem hæc spectat ad religionem sive fidelitatem erga Deum. Unde ex genere suo est gravis, sic ut violans votum in gravi materia committat grave sacrilegium, tamquam Deo infidelis. Excusat tamen juxta omnes, tum imperfecta deliberatio, tum levitas materiæ, quæ sicut in aliis præceptis, sic etiam in materia religionis dari potest, v.g. in levi irreverentia facta Deo. Idque verum est, etsi parva materia sit totalis materia voti, juxta Doctores communiter, contra paucos existimantes peccaturum mortaliter, qui omitteret salutationem angelicam, si sit tota materia voti. Quod planè incredibile est, & oppositum patet exemplo rigorosæ promissionis homini factæ de re levi, etsi per modum contractûs onerosi.

*Videlicet fidelitatis ad Deum. Eamq; ex genere suo gravem.*

*Nisi indeliberatio,*

*Vel parvitas materiæ etiam totalis, excusset.*

20. *Potest vovens in materia gravi se obligare leviter: Non tamen in levi graviter.*

Nihilominus potest vovens pro libitu suo promittere rem gravem sub levi obligatione, aut sub levi pœna, ut patet exemplo præceptorum & promissionum homini factorum, & quia votum non obligat ultra intentionem voventis. Non potest tamen è contra rem levem vovere sub gravi obligatione: quia materia non est capax, nec Deus eatenus acceptat. Unde nec ipsum ejus naturæ cadens in levem materiam graviter obligat.

21. *Obligatio voti in quavis materia est ejusdem speciei.*

Petes I. An obligatio voti in quavis materia sit ejusdem speciei? idem consequenter est de voti violatione. Resp. Affir. est enim in quavis materia obligatio fidelitatis erga Deum; & consequenter violatio voti in quavis materia habet oppositionem ejusdem rationis contra eamdem virtutem: nam dum quis vovet v.g. jejunare, non obligatur ex virtute temperantiæ, sicut dum lege Ecclesiastica est præceptum jejunium, sed tantùm ex virtute religionis seu fidelitatis erga Deum. Disparitas inter vota & leges est, quòd vovens sibi non præcipiat directè jejunium, sed tantùm illud promittat: hâc autem promissione suppositâ, exurgit præceptum divinum naturale, quo jubetur: Esto fidelis Deo in promissis. Idem est de juramento in quavis materia.

*Differentia quoad hoc inter vota & leges.*

*An materia transgressionis voti in confessione exprimenda.*

Hinc infert *Sanchez l.4. Moral. c.11.n. 24. in fine*, contradicente *Suarez l.5. de Voto c.3.n.9.* in confessione non debere exprimi in specie materiam transgressionis voti, nisi aliunde præcepta sit.

Petes II. an ex sponsione, quam in baptismo faciunt catechumeni, dum per se (aut, si infantes sint, per patrinos) abrenuntiant diabolo & operibus ac pompis ejus, exurgat stricta obligatio voti? Ratio dubitandi sumitur ex dictis Conciliorum & Patrum urgentium sponsionem & pactum sive juramentum istud, ut loquuntur. Unde *Marchant Tom.3. Tract.2. Tit. 2. & 3.* fusè hoc exaggerat, quasi ex hoc titulo exurgat specialis obligatio, etiam in baptizatis in infantia. Verùm hoc est contra communem sensum & praxim: aliàs enim omnia baptizatorum peccata essent sacrilegia. Deinde ista sponsio omittitur in baptismo non solemni: & tamen non minor est obligatio in sic baptizatis, quàm in aliis. Præterea non est verosimile, in parvulis consurgere obligationem voti personalis ex abrenuntiatione, quæ fit per patrinos. Quare sponsio ista solùm declarat propositum verum baptismi & obligationum subsequentium, sive declarationem eorumdem: vi enim baptismi consequitur obligatio abrenuntiandi diabolo & adhærendi Christo ejusque fidei & præceptis.

22. *Promissio in baptismo facta non est votum.*

*Sed tantùm declarativa propositi suscipiendi baptismum, obligationes subsequentes.*

Petes III. Quid dicendum sit de illo, qui dubitat de voto? Resp. si dubitet, an voverit, & post diligens examen dubium maneat, potest resolvere pro sua libertate, quam possidet. Si autem certus sit, se emisisse votum, & dubitet, an satis deliberatè emiserit, tenetur voto: quia pro hoc stat possessio & præsumptio. Factum enim seu votum constat, & deliberatio præsumitur, nisi aliud certò aut saltem verosimiliter probetur. Idem est, si sciat se voviisse, sed dubitet, an se intenderit obligare: nam factum constat & intentio proportionata præsumitur, nisi aliud probetur. De quo, & pluribus aliis dubiis fusè agit *Franciscus Bardi disceptat. 6. de Conscientia dubia c.1. per totum.*

23. *Dubium an voverit, non tenetur voto.*

*Secùs est, si certum de voto, dubitet de deliberatione sufficientia.*

*Vel de intentione se obligandi.*

Petes IV. Quomodo sit facienda voti interpretatio? Resp. esse faciendam hoc modo, ut obliget juxta circumstantias, quas vovens determinatè intendit. Si is nullas determinaverit, nec de ejus intentione constet, attendenda sunt verba voti, sic tamen, ut strictè explicentur, servatâ verborum proprietate & communi intelligentiâ. In dubio autem de intentione se obligandi graviter vel leviter, spectanda est exigentia materiæ voti, quasi esset materia alicujus legis divinæ vel humanæ.

24. *Modus interpretandi vota.*

Hinc sequitur I. eum, qui vovit simpliciter castitatem, & dubitat, an voverit servandam intra vel extra religionem, satisfacere illam extra religionem servando. Econtra qui scit se voviisse castitatem, & dubitat, an voverit perpetuam, an temporalem, tenetur ad perpetuam, si sciat se voviisse verbis perpetuitatem sonantibus,

25. *Corollaria.*

bus qualia juxta *Diana P.4.Tr.3. Resol.10.* sunt hæc, *Voveo castitatem.* Si verò omnino sit verborum immemor, ad solam temporalem tenetur juxta statim dicenda. Similiter qui scit se vovisse rosarium, & dubitat, an se voluerit obligare ad rosarium quindecim, vel sex decadum, aut ad tertiam ejus partem, solùm tenetur ad tertiam partem, quippe quæ nomine rosarii simpliciter appellari solet.

26. *Dum nihil certi de obligatione voti haberi potest, mitior pars est amplectenda.*

Quod si neque ex verbis, neque ex aliis circumstantiis intentio voventis possit colligi, benignior pars est eligenda. Hinc juxta *Diana P.4.Tr.4.Resol.181.* & alios, quos citat, contra *Sanchez sup.c.22.n.21.* qui habet votum pœnale, si dubitet, an pro prima dumtaxat vice, vel etiam pro qualibet sequenti voluerit se ad pœnam obligare, neque ex ullo capite alia intentio possit colligi, solùm tenetur pro prima vice.

27. *Ad quid obligetur qui se obligavit ad statim exequendum.*

Sequitur II. si fuerit animus voventis se obligare ad votum statim exequendum, teneri id facere statim, id est, primâ occasione congruâ: si verò præfixerit certum tempus, teneri eo elapso, dum commodè potest: voti enim obligatio pendet ab intentione. Si autem vovens nullum tempus præfixerit, tenetur, cùm tempus erit commodum juxta morem voventis, adeò ut tunc possit impletionem differre usque ad tempus, quo sperat se illud commodiùs, quietiùs aut devotiùs impleturum. Unde tunc dilatio rarò est mortalis. Immo *Marchant Tom.2. Tract.3. Tit.4. q.4.* circa finem generaliter docet tunc tantùm esse veniale peccatum, nisi gravissima aliqua negligentia cum periculo illud non implendi conjuncta sit. Faciliùs dilatio nimia est mortalis, cum terminus est à vovente præfixus, si videlicet dicat gravem inordinationem prudenter à confessario dijudicandam ex circumstantiis.

*Ad quid ille, qui voto circum tēpus non præfixit.*

28. *Votum personale regulariter non est per alium implendum:*

Petes V. An votum personale possit aut debeat adimpleri per alium. Resp. regulariter negativè: quia materia talis voti simpliciter emissi est actio propria ipsius voventis. Unde qui nequit illud per se implere, non debet per alium: immo nec potest per alium, si possit per se. Secus est, si vovens expressè intenderit se obligare ad opus faciendum per alium, casu quo non posset per se: tunc enim tenetur per alium. Item si disjunctivè voverit per se vel per alium opus aliquod facere, v.g. audire missam &c. satisfacit utrovis modo. Idem est, si votum habeat hunc sensum stylo curiæ, prout habet votum Episcoporum, quod in sua consecratione emittunt, visitandi quotannis limina Apostolorū: intelligitur enim per se vel per alium; & ita solent alicui committere Romæ commoranti, ut eorum nomine visitet.

*Nisi vovens id expressè intenderit,*

*Vel stylus curiæ voti ita interpretatur.*

29. *Secus est de voto reali:*

Quod autem attinet ad vota realia, hæc sunt adimplenda per alium, etiam hæredem, ad quem transit res cum suo onere: si videlicet vovens ipse non impleverit. Unde c. *Licet de voto* & *L. Si quis cum ff. de pollicitationibus*, talia vota seu promissiones dicuntur pertinere ad onera hereditatis, & posse heredem ad ea cogi sub privatione hereditatis. Idem est de voto mixto, quâ parte est reale. Unde si quis voverit peregrinari ad locum sacrum, & ibi offerre aliquod donarium, si vovens sit mortuus non impleto voto, hæres ad solum donarium manet obligatus. Nec obstat, quòd peregrinationi fuerint impendendi reales sumptus: hoc enim tantùm est accessorium ad votum personale peregrinationis.

*Et mixto, quâ parte est reale. Corollariū de voto peregrinationis, si vovens jam sit defunctus.*

Petes VI. An votum, quo parentes devovent filios religioni, obliget illos? Resp. certum esse, quòd non, nisi filii ad adultam ætatem pervenientes in illud consentiant. Quare Canones & Concilia, quæ significant filios obligari, intelligenda sunt cum prædicta restrictione.

30. *Qualiter parentes queant filios religioni devovere.*

## QUÆSTIO IV.

### De Cessatione Voti per Irritationem.

VAriis modis cessat obligatio voti. Primò votum conditionale cessat ob non eventum cōditionis appositæ. Secundò votum tēporale cessat lapsu temporis, v.g. votum castitatis ad annum, cessat elapso anno. Idem est de voto affixo certo tempori, v. g. jejunandi diebus sabbatinis in honorem beatæ Virginis. Plerumque tamen circumstantia temporis seu diei non additur ad finiendam obligationem, sed tamquam terminus, intra quē impleri, & ultra quem non liceat votum differri exequendum, idque juxta *Bonacina de Voto punct.5. §.1. n.11.* & alios, quos citat, in dubio est præsumendum. Tertiò cessat cessatione materiæ, v.g. si materia fiat absolutè vel respectu voventis impossibilis, indifferēs, sive inutilis, mala, majoris boni impeditiva: hoc enim rerum statu cessat votum, sive absolutè, sive pro tempore, quo materia permanet talis. Hæc etiam revocari potest cessatio causæ finalis. Quartò cessat votum irritatione. Quintò commutatione. Sextò dispensatione. De quarto modo hac quæstione agemus, de duobus posterioribus in sequentibus quæstionibus acturi. Itaque

31. *Obligatio voti cessat vel non eveniente conditione appositā: Vel elapso tempore præfixo;*

*Vel cessante materia.*

*Vel denique irritatione, commutatione aut dispensatione.*

Irritatio voti est annullatio sive cassatio voti facta ab habente desuper potestatem & dominium: illi namque, qui non sunt sui juris, sed perfectè subjecti alteri in omnibus, vel saltem quoad voti materiam, cùm in vovendo dependeant ab alterius consensu, censentur vota, quæ ab illis emittuntur, juxta Doctores unanimiter, sive ex natura rei, sive saltem ex jure communi, includere tacitam conditionem, nisi superior, vel is, cujus interest, contradixerit. Quare si hic votum intelligens ei contradicat, votum annul-

32. *Quia irritatio voti.*

*Competit omni habēti potestatem in voluntatem voventis aut materiam voti.*

*Non requirit causam.*

annullet, absolutè re it fieri opus promissum &c. cessabit eo ipso obligatio voti. Irritans autem votum non debet habere aliam causam, quàm suum arbitrium, à quo votum dependet, quod nulla lege approbare tenetur. Unde si absque causa irritet, ad summum venialiter peccabit: immo, per se loquendo, ne quidem veniáliter, nisi quatenus esse posset actus odiosus.

33. *Absoluta irritatio numquam revivisc it. Secùs est de suspensione executionis.*

Porrò votum semel, simpliciter irritatum nō reviviscit, utpote simpliciter extinctum, quātumvis superior postea facultatem det, aut irritationem retractet. Subinde tamen non est absoluta irritatio; sed tantùm suspensio executionis, quatenus superior prohibet ad tempus voti executionem, vel quatenus etiam ignorans votum prohibet opus promissum pro aliquo tempore, aut præcipit aliquid incompossibile. Specialiter autem vota novitiorum tantùm suspenduntur à prælatis, in quantum executio esset impedimento probationi. Immo absolutè irritari nō possunt: cùm in illos prælati nec dum habeant perfectum jus & damnativam potestatem. Unde, si non profiteantur, vota reviviscunt, durante adhuc tempore, quo vota alioquin obligassent: si autē profiteantur, commutātur in vota professionis. Quāvis ex justa causa possint probabilius à prælatis vota novitiorum absolutè tolli per dispensationem vel commutationem: cùm in illos prælati habeant jurisdictionem.

*Qualis, & non irritatio, in vota novitiorum competit Prælatis.*

*Aliud est de commutatione & dispensatione.*

34. *Omnia religiosorum vota à Prælato sunt irritabilia,*

Hinc sequitur I. omnia vota religiosorum (ad quæ licitè emittenda non requiritur positivus superiorum consensus, ut certum est) posse à prælato irritari, ob perfectam in omnibus subjectionem & dependentiam voluntatis subditi à volūtate prælati: sic ut ex communi sensu & usu Ecclesiæ, ac interpretatione juris, censeatur omnibus illorum votis inesse conditio, nisi superior contradixerit. Excipitur votum religionis arctioris: cùm enim transitum ad illam jura permittant, etiam nolente superiore, censentur eatenus religiosum à prælato eximere, & sui juris facere. Ita *Marchant To. 2. Tract. 3. Tit. 4. q. 6. d. 5.* & alii Doctores passim.

*Excepto voto arctioris religionis.*

35. *Similiter id potest Pontifex.*

Unde Pontifex, quatenus habet potestatem dominativam in omnes religiosos vi voti professionis (ut dicetur *disp. seq. quæst. 6.*) potest similiter tamquam supremus prælatus omnia illorum vota irritare. Aliud est (juxta Doctores communiter apud *Castro Palao disp. 2. punct. 2. n. 2.* contra nonnullos apud eumdem *num. 1.* quorum sententiam improbabilem censet *Lessius dub. 13. n. 81.*) de votis reliquorum Christianorum, in quos non habet similem potestatem, quoad omnia, sed tantùm jurisdictionem. Idem est de votis subditorum respectu Episcoporum; qui tamen possunt vota clericorum sibi subditorum irritare, in quantum obsunt Ecclesiæ, cui serviunt.

*Aliud est de votis reliquorum Christianorum.*

36. *Possunt itē*

Econtra Abbatissæ & reliquæ Monialium præfectæ, etsi careant jurisdictione spirituali ad dispensanda vel commutanda vota, nō tantum ea, quæ ad gubernationem domesticam spectant, ut post *Azorium* limitat *Castro Palao sup. punct. 8. n. 7.* sed etiā quævis alia irritare possunt per potestatem dominativam, quā Moniales vi voti plenè illis subjiciuntur. Non possunt tamē prælati irritare vota propria, aut illorum irritationem alteri delegare (quod tamen possunt circa dispensationem & commutationem suorum votorum) ibi enim locum non habet potestas dominativa, quæ respicit tātùm subditos. Extendit autem se facultas irritandi etiam ad vota Papæ reservata (secus est de potestate dispensandi) quia etiam in illis materia voti & voluntas subditi est plenè sub dominio prælati.

*Illud Præsidentiæ monialium in votis suarum subditarum.*

*Nulli Prælati in proprio voto.*

*Potestas irritativa extenditur ad vota Papæ reservata.*

Petes, An prælatus possit irritare votum, quod semel approbavit? Resp. Affir. si necdum sit mandatum executioni, nec confirmatum ab altiore superiore. Ita cōmuniter Doctores. Ratio est: quia per priorem consensum non desinit esse superior, nec amittit dominium in subditum; adeoq; licut in fieri, sic etiam in conservari, dependet votum à consensu vel dissensu illius. Si tamen desit causa rationabilis, peccabit superior, & quidem juxta *Sanchez l. 4. Moral. c. 27. n. 32. Lessium dub. 13. n. 76.* & alios mortaliter ex genere suo, eò quòd materia, etsi sit in potestate prælati, ex ejus consensu sit obstricta Deo, & tamen impediat, ne Deo offeratur. Immo *Marchant sup.* contra alios cōmuniùs putat sine causa, non tantùm illicitè, sed etiam invalidè tale votum irritari: eò quòd per datum consensum existimet potestatem irritādi esse restrictam, & religiosum in hoc sui juris factum. Nihilominus successor nō tenetur consentire in votū à prædecessore approbatum, nec graviter peccat illud irritando, etiam sine causa. Immo *Suarez l. 6. c. 8. n. 9.* & alii non improbabiliter censent etiam eumdem superiorē id agendo tantùm peccare venialiter: eò quòd solum videatur quædam inconstantia (non autem violatio voti) etiamsi materia promissa Deo quidem non offeratur, sed tamen ei non maneat obstricta.

*Vel semel approbata.*

*Sed non sine gravi peccato, si desit causa.*

*Aliud est de successore.*

*Immo quoad eumdem superiorem aliqui probabiliter venialiter.*

Sequitur II. omnia vota impuberū irritari posse à patre aut habente quasi patriam potestatem, qualē habet tutor, & patre defuncto, mater, si sit tutrix, aliàs non. Ita cōmuniter Doctores: & colligitur ex c. *Mulier* 32. q. 2. & c. *Puella* 20. q. 2. Ratio est, quia ob defectū maturitatis judicii in impuberibus jura voluerunt omnia eorum vota sic subjecta præfatis, ut semper ipsi esset tacita conditio, nisi contradixerit pater, tutor &c. Idem juxta *Suarez l. 6. c. 6. n. 23.* est de hero, si pupillus careat parentibus & tutoribus. Hæc autem vera sunt, etsi voventes retulerint ea vota exequenda post tempus pubertatis; quia equidem habent prædictam tacitam conditionem.

38. *Vota impuberum sunt irritabilia ab habente patriam potestatem.*

*Etiamsi referantur exequenda tempore pubertatis.*

Petes,

39. *Vel qui in impubertate vovit, jam ad pubertatem pervenerit.*

Petes, An vota ante pubertatem emissa possint adhuc irritari à prædictis, postquã pupillus acquisierit pubertatem? Resp. Aff. cum *Marchant sup. Navarro, Diana, Sylvio* & aliis apud *Bassæum V. Votum V.n.* 13. quia vota ista erant conditionata, nec tractu temporis istam conditionem amittunt: secus est, si pubes factus votum ratificaverit. In dubio autem præsumitur. non ratificasse; quia illud est facti: factum autem non præsumitur, nisi probetur. Deinde in dubio standum est pro libertate. Porrò debet ratificatio procedere ex certa scientia & non ex errore, quo putabat se absolutè obligatum. Immo *Marchant sup.* docet votum irritari posse, si renovatio postea fiat ex consideratione prioris facti: ista enim renovatio videtur sequi conditiones prioris voti. Secus est juxta ipsum, si denuo vovisset absque ullo respectu ad prius votum: tunc enim teneret tamquam novum votum à pubere emissum.

*Nisi factum ratificet. quod in dubio non præsumitur.*

40. *Puberum vota tantum sunt indirectè à parentibus irritabilia.*

Sequitur III. Vota puberum non posse à parentibus irritari, nisi quatenus disciplinæ, familiæ & patriæ potestati obsunt: horum enim vota tantùm subsunt parentibus ratione materiæ, non ratione dominii in voluntatem. Unde irritari non possunt vota religionis, communionis, confessionis &c. Secus est de votis peregrinationum, jejuniorum, saltem multorum, & similium, quorum executio ad regimen domesticum spectat.

41. *Vù & vota realia minorennium. Nisi sint de bonis liberæ dispositionis.*

Realia quoque vota usque ad annum 25. ætatis irritari possunt à curatoribus: nã eo usque non habent puberes administrationem. Unde ob oppositam rationem, id locum non habet, si minorennis habeat bona liberæ dispositionis, scilicet castrensia vel quasi castrensia, aut habeat veniam ætatis.

*Vel relata in tempus, quo erunt sui juris.*

Idem juxta *Lessium c.4.dub.14.n.85.* si vota realia relata sint in tempus, quo erunt sui juris: tunc enim non officiunt administrationi curatorum.

42. *Idem quod est de votis famulorum & servorũ respectu dominorum.*

Sequitur IV. circa vota famulorum & famularum herum nihil aliud posse, quàm suspendere vota obsequio sibi debito præjudicantia, cùm in illos non habeat potestatẽ dominativam. Similiter dominus irritare non potest vota servorum, quæ non præjudicant obsequio & juri domini: in his enim servi sunt sui juris. Secus est, si præjudicent juri, quod in servos habet, & respiciant tempus, quo domino subduntur.

43. *Et votis uxoris respectu mariti.*

Sequitur V. maritum posse irritare omnia vota uxoris, quæ ipsi, prolibus vel rei familiari incõmoda videntur. Secus est juxta *Rodriguez in Summa casuum Tom.2. c.92. n.5. Lessium dub.15.n.89. Sylvium 2.2.q.88. art.8.concln.7.* & alios de iis, quæ marito vel familiæ non præjudicant, nec liberæ administrationi familiæ, aut libertati in uxorem: in his enim eorumve exercitio mulier non est subjecta viro, sed in aliis dumtaxat vir est caput mulieris, quæ de cetero est socia, etsi œconomicè subjecta viro, tamquam socio majori, non sicut famula hero, sed ipsa quoque jus aliquod in familia administranda possidens.

Multorum tamen opinio est, maritum posse irritare omnia vota uxoris, sicut pater vel tutor vota impuberum. Solet equidem in hac sententia communiter excipi votum continentiæ de licentia mariti ab uxore emissum: eò quòd vi per datam à se licentiam cedat juri suo, quod aliquin habere supponitur ad irritandum. Si tamen juxta *Sanchez l.4.Moral.c.34.n.17.* post tale votũ uxor sacrilegè restituat iterum viro suo integram & expeditam in suum corpus potestatem, poterit vir illud votum irritare: & quidem validè, sed illicitè sine causa, licitè autem cum causa. Econtra uxor illa solùm vota mariti potest irritare, quæ juri & potestati illius in maritum generant aliquod præjudicium, v.g. vota longorum jejuniorum, austeritatum, actuumque insolitorum, quæ illum ineptum redderent ad debitum conjugale aut notabiliter violarent mutuam societatem, & domestica officia.

44. *Multi tamen marito directam in omnia uxoris vota potestatem tribuunt; Excepto saltem voto continentiæ de utriusque consensu emisso.*

*Vota mariti ab uxore indirectè tantum sunt irritabilia.*

## QUÆSTIO V.

### *De Commutatione Voti.*

COMMUTATIO voti est substitutio operis honesti loco alterius Deo promissi sub eodem vinculo. Hoc autem vinculum non tam nascitur ex auctoritate superioris commutantis, quàm ex consensu acceptantis, qui censetur sibi imponere obligationem secundi voti, sub conditione tamen, nisi malit redire ad priorem obligationem, quod sibi liberum est (quidquid nonnulli contradicant, quando commutatio est facta in melius) cùm totum fiat in favorem obstricti votõ, favori autem quilibet renuntiare possit, juxta c. *Statuimus de Regularibus.*

45. *Quid commutatio voti.*

*Eâ factâ ejus voventi liberum ad priorem obligationem redire.*

Hinc, si sæpius facta sit commutatio, potest servari quodvis eorum, in quod facta est, ut observat *Lessius c.40. dub.16. n.* 111. Immo consequenter, qui commutationi renuntiavit, potest ad eamdem redire, nisi renuntiando novum votum emittere voluerit, quod etiam reditui ad primum votum æqualiter obstare potest, ut notat *Suarez l.6.c.20.n.13.*

46. *Vel si sæpius facta sit, quodvis eorum, in quæ facta est, eligere.*

Ex his tamen non sequitur, quòd, si factâ commutatione, materia subrogata fiat impossibilis, maneat obligatio, uti secundùm dicta semper manet libertas, ad priorem redeundi: nam prima obligatio per commutationem translata est ad determinatam illam materiam, quæ subrogata est: ideoque quoad priorem materiam totaliter est extincta, nisi à vovente, privilegio commutationis renuntiante, reassumatur, prout reassumi posse, aliunde ostensum est.

47. *Non tamen est necesse ad primam materiam redire secundâ factâ impossibili.*

48. *Commutatio fit in melius, in æquale vel in minus.*

Commutatio vel fit in bonum melius, vel in æquale vel in minus. Illud autem dicitur melius, non quod est in se præstantius aut excellentius, sed quod omnibus spectatis est Deo gratius hic & nunc. Unde etsi oratio sit opus præstantius jejunio aut gestatione cilicii: potest tamen hoc esse gratius Deo, magisque expediens ad salutem, carnis mortificationem &c.

49. *Prima potest fieri propriâ auctoritate.*

Potestas commutandi in bonum, quòd sine tergiversatione est melius, fieri potest propriâ voventis auctoritate: in hoc enim censetur Deus consentire: nam quilibet consentit recipere melius & gratius loco minoris boni. Unde c. 3. *de jurejurando* dicitur: *Promissum non infringit, qui in melius illud cõmutat.* Quare omne votum est commutabile in votum religionis: nam (ut dicitur c. *Scripturæ, de voto*) *reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare.* Idque censetur facere eo ipso, sive implicitè, sive ex juris auctoritate; nisi profitens explicitè oppositum intendat.

*Et quidem semper in votum religionis.*

50. *Hujus autem in Episcopatum minimè.*

Petes I. An votum ingrediendi religionem possit propriâ auctoritate commutari in Episcopatum, qui est status majoris perfectionis? Resp. Neg. Ita expressè habetur c. *Per tuas, de voto.* Ratio est: quia Episcopatus non est status majoris perfectionis, quasi hominem ad majorem perfectionem adducat (id enim potiùs facit status religionis) sed quia secundùm rectum ordinem prærequirit & præsupponit perfectionem jam comparatam, & quidem in gradu sublimiori ab eo, qui ad Episcopatum promovetur.

51. *Procedunt dicta etiam de voto in favorem tertii facto, sed nondum acceptato.*

Petes II. An, qui vovit aliquid in favorem unius Ecclesiæ, possit propriâ auctoritate illud commutare in evidenter melius, quod sit in commodum alterius Ecclesiæ? Resp. Aff. si tamen prior Ecclesia votum necdum acceptaverit; adeoque nullum jus acquisierit: nam res alteri Ecclesiæ offerenda tunc est Deo gratior. Idem est de voto eleëmosynæ certo pauperi dandæ, quod potest propriâ auctoritate commutari in votum eleëmosynæ alicui pauperiori dandæ, modò cetera sint paria, & prior pauper promissionem non acceptaverit, ut contra *Henriquez l. 7. c. 30. n. 5.* & alios docet *Bonacina de voto punct. 7. §. 3. n. 6.*

52. *Commutatio in minus facienda est à potente dispensare: In æquale, à potente commutare, Servatâ morali æqualitate.*

Potestas commutandi in æquale vel in minùs bonum competit illis, qui habent potestatem dispensandi; idque à fortiori, ut patet. Qui autem habent præcisè potestatem vota commutandi, debent illud commutare in opus moraliter æquale, juxta arbitrium boni viri vel in melius: æqualitas enim mathematica est cognitu impossibilis. Et quamquam Nonnulli requirant in commutatione facienda omnimodam similitudinem, ut scilicet votum reale in reale, personale in personale commutetur, non apparet tamen talis necessitas: quia poterit adhuc servari similitudo & proportio moralis, etsi votum reale commutetur per personale, vel contrà. Immo probabile est, habentes potestatem commutandi vota, etsi tantùm delegatam, posse illa mutare in minus ex justa causa: sicut probabile est, posse mutari in evidenter æquale propriâ auctoritate, eò quòd non videatur Deo fieri injuria, dum res æquè grata subrogatur; quâvis oppositum sit longè tutius.

*Hâc tamen nonnulli contradicunt.*

53. *Ad commutationem in melius causa non requiritur. Pro aliis causa assignantur.*

Ad commutandum votum in melius non requiritur specialis causa: ad commutandum autem in æquale, præsertim per superiorem sufficit major propensio voventis; ad commutandum denique in minus requiritur aliqua causa, minor tamen, quàm ad dispensandum, ut patet. Sufficit autem gravis molestia vel fragilitas voventis cum periculo violandi votum.

Quæ de commutatione voti dicta sunt etiam locum habent in commutatione obligationis sive debiti orti ex violatione voti, v. g. dandi eleëmosynam, si contingeret obligatum ad castitatem illam violare.

54. *Commutatio voti in jubileo emissa potest ea transacta fieri, si cetera ea durâm impleta sint.*

Pro fine nota, si quis tempore jubilæi per oblivionem vel alia de causa non petierit dispensationem vel commutationem suorum votorum (idem est de absolutione reservatorũ) posse id postea fieri etiam per non habentem alioquin potestatem, dummodo intra tempus jubilæi impleverit opera ad ejus consecutionem requisita, ut docet *Lessius dub. 16. n. 109.* & alii contra *Suarez l. 6. c. 16.* Ratio est: quia per hoc, quòd tempore jubilæi implevit opera præscripta, acquisivit jus ad commutationem votorum obtinendam, quæ est privilegium, quod non constat ita ad tempus jubilæi esse restrictum, sicut opera præcepta. Tempore autem jubilæi non tantùm intra, sed etiam extra confessionem, commutari posse vota, cum aliis, quos citat, docet *Bonacina sup. n. 16.* idque sine reincidentia, licèt opera ad consecutionem jubilæi requisita postea à pœnitente non adimpleantur. Si autem talis pœnitens peccet, dictum est in *Tract. de Pœnit. disp. 4. quæst. 13. n. 102.* ubi etiam alia huc spectantia videri possunt.

*Potest quoque fieri extra confessionem.*

## QUÆSTIO VI.

### De Dispensatione Voti.

55. *Quid dispensatio voti.*

DISPENSATIO voti est condonatio obligationis voti facta ab habente potestatem jurisdictionis, justa de causa. Quæ condonatio fit nomine Dei, quatenus Ecclesia auctoritate sibi à Christo concessâ remittit obligationem voti, nomine Dei cedendo juri, quod ipse ex voto acquisierat. Quare non est mera interpretatio, quâ declaretur ob causam occurrentem votum cessare: nam id facere potest quilibet prudens, æquè ac superior. Deindè dispensa-

*Non est mera interpretatio.*

pensatio plerumque datur, quando constat voti obligationem alioquin subesse & remansuram fuisse.

56. *Requirit justam causam: & quam.*

Requiritur autem justa causa ad valorem dispensationis juxta Doctores communiter; nam non aliter censetur Deus conditionem nomine suo faciendam ratificare, aut facultatem condonandi dedisse. Porrò justæ causæ sunt honor Dei, utilitas Ecclesiæ, aut gravis ipsius voventis, ejusdem valdè periculosa fragilitas &c. faciliorem dispensationem reddit voventis levitas, inconstantia, timor animi, perturbatio in vovendo, puerilis ætas, incommoditas &c. Regulariter verò miscenda est commutatio in aliquod onus saltem temporale juxta prudens arbitrium; eò quòd non facilè subsit causa se sola sufficiens ad plenam dispensationem.

*Regulariter admiscenda commutatio.*

57. *Potestas dispensandi competit Ecclesiæ.*

Potestatem dispensandi in votis à Christo esse concessam Ecclesiæ, est de fide ex universali praxi & traditione, contineturque in generali potestate solvendi, de qua *Matth.16.& 18.* quæ potestas respicit omne vinculum, non tantùm culpæ & pœnæ, sed etiam voti, juramenti & simile, quod homo erga Deum contrahere potest, & aliquando solvi oportet aut expedit: neque censeri debet Christum potestatem regiminis Ecclesiæ adeò necessariam subtraxisse.

58. *Et quidem Summo Pontifici ex jure divino.*

Residet hæc potestas primò universaliter & jure divino in Summo Pontifice. Hinc juxta Doctores communiter contra *D. Thomam 2.2. q.88. art.11.* & paucos alios, potest justa de causa dispensare etiam in votis solemnibus religiosorum; quod & ipsum subinde fecisse ex historiis constat. Nec est ulla ratio postulans istã potestatis restrictionem, præsertim cùm solemnitas voti sit ex institutione Ecclesiæ, & obligatio voti solemnis & simplicis sint ejusdem rationis. Nec obstat c. *Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum*, ubi *Innocentius III.* ait: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Nam loquitur Pontifex in sensu composito statûs monachalis; non autem in sensu diviso, quo scilicet quis eximatur à statu monachali.

59. *Jure ordinario Episcopi respectu suorum subditorum.*

Secundò jure ordinario residet hæc potestas in Episcopis respectu subditorum suæ diœcesis, etiam dum sunt extra illam; qui proinde non possunt habere dispensationem ab Episcopo loci, per quem solùm transeunt. Secùs videtur, si quidem non habeant in loco domicilium, inceperunt tamen ibi habitare cum intentione manendi majori parte anni. Possunt autem Episcopi dispensare in omnibus votis, exceptis Papæ reservatis; qualia stylo potiùs Curiæ, quàm jure scripto, censentur ordinariè quinque, scilicet votum castitatis integræ & perpetuæ, votum religionis approbatæ, votum peregrinationis ad limina Principum Apostolorum, ad sanctum Jacobum, & ad Terram sanctam. Putant tamen aliqui (inter quos *Ranormitanus* apud *Lessium dub. 18. n.122.*) vota peregrinorum non reservari, si fiant causâ devotionis, &c. non subsidii. Sed hic consuetudo videtur esse in contrarium, inquit *Lessius* & ex eo *Bassæus V. Votum VII. n.13.* Econtrà *Marchant*, vir utique in omni praxi versatissimus, *Tom.2. Tract.3. Tit.4. quæst.4. dub.4.* credit in illis votis Episcopos posse dispensare ex usu communi & interpretatione justa: videtur enim usus contra reservationem præscripsisse. Sic ille.

*Exceptis quinque votis Papæ reservatis.*

*De tribus peregrinationis votis quid habeat consuetudo.*

Hinc Episcopi possunt dispẽsare in votis castitatis non perpetuæ, suscipiendi statum Begginarum, non fornicandi, non nubendi, non petendi debitum, suscipiendi sacros Ordines. Item in quibusdam qualitatibus voti reservati, ipso reservato manente quoad substantiam, v.g. cum eo, qui vovit ingredi religionem strictiorem, ut possit ingredi laxiorem. Item in voto non reservato, in quod Pontifex commutaverat votum reservatum: nam tunc est novum votum non reservatum.

60. *Allegantur varia vota ab Episcopis dispensabilia.*

Petes, An nullo casu possit Episcopus dispensare in voto simplici castitatis integræ & perpetuæ? Resp. Aff. cum Doctoribus communiter. Primò enim *Lessius sup. n.127.* & alii contra *Suarez l.6.c.26.num.4.* docent, posse Episcopum dispensare in simili voto per metũ emisso, etsi non omnino gravem, nec per se sufficientem ad irritandũ votum; eò quòd reservatio tamquam odiosa sit strictè interpretãda de voto perfectè voluntario, & non coacto. Secundò in dubio, utrùm votum sit validum vel reservatum: intelligitur enim reservatio de casibus certis: in dubiis autem benignior interpretatio est sequenda.

61. *Dispensat Episcopus in voto castitatis integræ & perpetuæ aliquibus casibus. Primò si sit emissum ex metu, si non adeo grave. Secundò in dubio de valore vel reservatione voti.*

Tertiò in voto conditionato, antequam conditio sit impleta: nam eo usque non est votum perfectum, quale solùm censetur reservatum. Impletâ autem cõditione, cùm fiat absolutum, non potest dispensare juxta Doctores passim: contrarium tamẽ est probabile in voto pœnali, quo vovet quis castitatem, v.g. si hoc vel illud peccatum cõmittat: nam tale votum non fit ex affectu castitatis, sed potiùs in pœnam, ut ex metu obligationis ad castitatem peccatum evitetur. Immo Varii Doctores (inter quos *Diana P.3.Tr.5. Resol.25.* cum aliis, quos citat) idem probabiliter censent de quibusvis cõditionatis, eò quòd non videantur perfecta vota castitatis, scilicet in radice, utpote non procedentia ex directo affectu ad rem promissam; quod tamen *Lessius dub.18.n.131.* cum plerisque aliis non admittit.

62. *Tertiò in voto conditionato non dũ impleta conditione. Secùs hâc impleta.*

*Etsi Nonnulli contradicant.*

Quartò in voto disjunctivo, quo votetur v.g. castitas vel jejunium perpetuum, antequam scilicet vovens aliquam partem determinaverit: sicut enim hic potest eligere partem non reservatam, sic Episcopus

63. *Quartò in voto disjunctivo de una parte non reservata.*

potest cum ipso dispensare. Secùs est, si jam elegerit partem reservatam. Quintò in voto accessorio ad aliud principale non reservatum, v.g. si quis vovet non nubere sub pœna servandæ castitatis vel ingrediendi religionem, sublato per Episcopum voto non nubendi, tollitur aliud accessorium: at si principale sit reservatum, potest tantùm dispensare in accessorio.

*Quintò in voto accessorio ad principale non reservatum.*

64. Sextò cum conjuge, qui post votum castitatis contraxit matrimonium, potest ob periculum incontinentiæ dispensare, ut petat debitum, immo ut petèdo consummet: soluto tamen matrimonio redit obligatio voti, quod proinde tantùm est dispensatum partialiter & ad tempus. Idem est juxta plures Doctores, aliis contradicentibus, si conjuges emiserint, contracto jam matrimonio, votum perfectæ continentiæ mutuo consensu, & postea ingruat periculum incontinentiæ, prout habet usus inveteratus Episcoporum. Immo plures putant Episcopum posse dispensare in voto castitatis perpetuæ & integræ, etiam ante contractum matrimonium, si difficilis sit ad Pontificem recursus ob paupertatem, sexum vel aliam causam: si immineat periculum incontinentiæ, infamiæ, scandali aut gravis damni tertii: quamvis alii dicant, Episcopum tunc non posse simpliciter dispensare, sed ad tempus, quo durat periculum, voti executionem suspendere.

*Sextò cum conjuge durante matrimonio.*

*An aliquando ante matrimonium.*

65. Tertiò residet potestas ordinaria dispensandi in votis suorum subditorum penes prælatos regularium exemptorum, qualis residet penes Episcopos respectu suorum subditorum: illi enim sunt pastores ordinarii cum jurisdictione spirituali in subditos, sicut Episcopi in suos. Parochi autem & simplices confessarii etiam Monialium, nullam habent facultatem dispensandi jure ordinario: sicut nullam habent jurisdictionem nisi in foro sacramentali: quamvis illis possit facultas dispensandi delegari ab habentibus potestatem ordinariam.

*Prælati regulares in votis de jure dispensant cum suis subditis, ubi Episcopi cum suis.*

66. Itaque quartò confessarii ordinum mendicantium, & qui participant in eorum privilegiis, habent potestatem delegatam dispensandi in omnibus votis, in quibus de jure Episcopi, sive in omnibus votis Papæ non reservatis. Ita concessit Julius II. Congregationi Benedictinorum & *S. Bernardi*, Martinus V. item Benedictinis, Innocentius VIII. vivæ vocis oraculo Minoritis. Addit *Bassæus V. votum VII. n.* 10. concessionem Eugenii IV. factam congregationi *S. Justinæ*. Ex quibus à fortiori patet potestas confessariorum Mendicantium ad vota cōmutanda. Quibus adde Paulum III. qui expressè concessit confessariis Societatis Jesu ab ordinario approbatis facultatem cōmutandi omnia vota (etiam jurata ex extensione Gregorii XIII.) undecumque venientium ad confessionem in alia pietatis opera, exceptis quinque reservatis. Denique pro Missionariis, sive pro euntibus ad conversionem quorumcumque infidelium sive hæreticorū amplissima facultas dispensandi, etiam in votis simplicibus castitatis & religionis, data Carmelitis discalceatis & consequenter aliis Mendicantibus, à Clemente VIII. *Bulla, Dominici gregis*, refertur à *Bassæo sup. n.* 29.

*Vis & ex privilegio confessarii Mendicantes, aliique cum ipsis in privilegiis communicantes.*

Facultas porrò delegata generaliter cōfessariis Mendicantium intelligitur à *Rodriguez*, *Suarez*, *Tamburino*, *Sanchez* apud *Cassaum sup. n.* 28. & aliis passim, cum restrictione de votis in quibus possunt Episcopi dispensare de jure, seu jure ordinario, non autem de iis, in quibus competit Episcopis facultas ob extraordinariam necessitatem v.g. periculum incontinentiæ, dum non est accessus ad Pontificem: isti enim casus exinde non censentur episcopales, aut Episcopo jure subjecti, sed dispensatio Episcopi cadit in materiam verè reservatam ex quadam benigna interpretatione Pontificiæ voluntatis. 67. *Limitatur communiter hæc potestas ad vota ab Episcopis dispensabilia.*

Hinc confessarii Mendicantium possunt dispensare in voto castitatis emissum à cōjuge post contractum matrimonium, etsi de licentia alterius conjugis (dummodo ambo non voverint continentiam communi consensu & contractu) nam solum est votum castitatis imperfectæ; adeoque non reservatum Papæ, cùm equidem talis conjux teneatur reddere debitum. Non possunt tamen vi generalium privilegiorum dispensare ad petendum debitum durante matrimonio, cum iis, qui illud contraxerūt cum voto castitatis antea emisso, utpote reservato Papæ. Specialiter equidem hanc facultatem, uti & dispensandi cum incestuosis ad petendum debitum eis concessit Pius V. vivæ vocis oraculo, si tamen prius deputentur à Provinciali, quæ deputatio est necessaria juxta tenorem concessionis & praxim: quamvis aliqui oppositum putent apud *Diana P. 5. Tr. 13. Resol. 46.* ubi id ipsum non improbabile existimat. Et hæc quidem dicta sunt inhærendo communi explicationi facultatum confessariis Mendicantium generaliter factarum. 68. *Unde dispensant in voto castitatis durante matrimonio emisso: Dummodo non sint emissa mutuo consensu. Secùs est de emissis ante matrimonium: Nisi ad hæc à Provinciali deputentur.*

Nihilominus miratur *Crousers in § 7. Reg. S. Francisci lect. 29.* fieri communiter præmissam restrictionem privilegiorum: cùm in præfatis circumstantiis & casibus extraordinariæ necessitatis dispenset Episcopus auctoritate delegabili & perpetuo annexa dignitati episcopali; adeoque jure ordinario, quo manet in Episcopis dicta facultas, quamdiu non fuerit eis legitimè subtracta circa similes casus. Quare in eisdem casibus & circumstantiis posse dispensare confessarios Mendicantium, sicut Episcopos, putat satis probabile. Cujus sententia satis placet *Bassæo suprà*, qui refert visam in consistorio Cardinalium *Anno* 1629. & toleratam fuisse. Accedit, quòd privilegia ista sint latè interpretanda; pa- 69. *Præmissa limitatio aliquibus non placet.*

da; patiantur autem hanc interpretationem.

70. *An potestas dispensandi & commutandi vota extendat se ad juramenta.*

Pro fine quæ dubium esse, an qui habet potestatem delegatam dispensandi sive cõmutandi vota, censeatur habere similiter facultatem dispensandi seu commutandi juramenta? Negat *Lessius l.2.de juramento c.42.dub.12.n.60.* & alii, eò quòd votum & juramentum sint disparata, nec unum comprehendatur sub alio in propria verborum significatione, ultra quam non sunt privilegia extendenda. Affirmat non improbabiliter *Suarez de irritat. vot. l.6.c.14. n.6.* & alii, si firmo sit de juramentis Deo factis, quibus nullum hominis jus acquiritur, eò quòd hæc videantur induere rationem voti. Quod certius est de juramentis confirmatoriis voti, seu accessoriis ad votum, qui enim potest tollere principale, potest & accessorium.

# DISPUTATIO QUINTA.

## De Statu Religioso.

### QUÆSTIO I.

### De Requisitis ad Statum Religiosum.

1. *Quid status hîc.*

STatus hîc non accipitur pro quavis conditione, in quâ homo perstat & permanet: juxta quam statûs acceptionem, dictus est status innocentiæ, legis naturæ, status hujus vitæ &c. sed status hîc accipitur strictiùs pro conditione vitæ immobilis, per quam alteri adstricti sumus. Sic *D. Thomas 2.2.q.183.art.1.* & alii communiter dicunt esse tres status, videlicet Episcoporum, qui Ecclesiæ, Religiosorum, qui divino cultui, & Conjugum qui sibi mutuo obstricti sunt pro tota vita.

2. *Item Religio.*

Nomen ergo Religionis hîc non sumitur pro virtute, quâ Deus colitur, nec pro forma cultûs omnibus communis, vel pro talis formæ professione, per quam homo mancipatur divino obsequio, quantum est necessarium ad salutem, unde dicitur Religio Christiana: sed pro particulari forma & professione, quâ homo ex libera sua voluntate penitus se divino addicit obsequio. Hæc supponit omnia, ad quæ obligat communis Religio, & insuper quædam alia superaddit, quæ ad perfectionem conducunt, hujusque professores vocantur Religiosi. His notatis

3. *Ad eam requiruntur tria vota essentialia.*

Dico ad essentiam Religionis perfectæ & completæ requiri tria vota perpetua paupertatis, castitatis & obedientiæ & approbationem Ecclesiæ. Prima pars probatur: quia cùm juxta communem omnium fidelium sensum Religio sit forma quædam seu obligatio ad formam vitæ ducentis ad imitationem Christi & charitatis perfectionem: hæc autem perfectio obtineri moraliter non possit, nisi bona externa, carnis voluptates & propriæ voluntatis usus, tamquam præcipua perfectionis impedimenta, amoveantur, hinc ad statum Religiosum moraliter necessaria sunt tria vota, per quæ animus à prædictis impedimentis stabiliter & permanenter liberetur & perfectioni acquirendæ adaptetur.

*In Scriptura commendata.*

Ideoque de volũtaria paupertate *Matth.* 19. dicitur: *si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes.* Et de castitate ibidem, *sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum*: & clariùs *1.Corinth.7.* Apostolus multis inculcat statum matrimonii obesse perfectioni: statum autem castitatis efficere, ut Deo vacari possit. De obedientia habetur ad *Philippens.2.* quod Christus factus sit pro nobis obediens, qui utique dedit formã statûs perfectionis. Unde *Matth. 16.* dicit. *Si quis vult post me venire abneget semetipsum.*

4. *Unde sacerdotes non sunt eo ipso Religiosi.*

Hinc Sacerdotes non sunt eo ipso Religiosi: quia non faciunt votum paupertatis, aut rigorosæ obedientiæ, & ideo non offerunt se Deo in perfectum holocaustum, sicut faciunt illi, qui per obedientiam consecrant animam Deo, per castitatem corpus, per paupertatem res externas. Et sic expediunt se ab omnibus, quæ non sinunt liberè animam ad perfectionem adspirare, & in bono se exercere.

5. *Insuper requiritur approbatio Ecclesiæ.*

Secunda pars, scilicet quod requiratur etiã approbatio Ecclesiæ, probatur ex communi usu & sensu Ecclesiæ; & ratio est: quia sine hac approbatione non potest esse status spiritualis distinctus à communi statu Christianorum, sed omnes essent merè laici subjecti potestati sæculari. Ergo cum status Religiosus sit spiritualis, dependet ab approbatione Ecclesiæ: hâc enim mediante dependet à Christo: & sic Religiosus obedit suo prælato, tamquam Christo, seu tamquam à Christo potestatem habenti & ejus vices gerenti.

*Quo sensu consistat in tribus votis essentialibus.*

Nec obstat, quòd Religio dicatur consistere in tribus votis substantialibus: hoc enim intelligendum est de eo, quod requiritur ex parte voventis, ultra quod ex parte suscipientis requiritur auctoritas, ut per se satis patet.

6. *Cur subjectio per tria vota alteri*

Dices: potest se quis alteri subjicere per tria vota: ergo approbatio Ecclesiæ non est necessaria ad essentiam Religionis. Resp.

facta non sufficiat ad essentiam Religionis.

N. C. quia illo casu superior non habebit potestatem spiritualem & Ecclesiasticam, sed merè naturalem & ab altero susceptam, & tantùm ex vi voti tenebitur vovens ei obedire, non autem ex vi jurisdictionis.

Unde non poterit ei infligere pœnam spiritualem. Deinde per illam potestatem non repræsentabit Christum, nec ejus vices geret: cùm ab illo potestatem non acceperit. Præterea si quis alicui communitati tali modo esset præpositus, status ille non esset tam immobilis: quandoquidem talis communitas & congregatio facilè posset dissolvi, si nimirum superior renuntiaret juri suo, vel si, eo jure suo spoliato, subditi nollent alium eligere; ergo dicta approbatio est essentialis completo statui Religionis.

7. Approbatio hac an immediatè à Pontifice facienda.

Nota I. non esse necessarium, ut hæc approbatio immediatè fiat à Pontifice: nam antiquæ Religiones videntur ab Episcopis approbatæ. Postea tamen Pontifices totam hanc causam sibi reservarunt, ut patet ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & Concilio Lugdunensi sub Gregorio IX. Unde patet vota Religionis non approbatæ ipso facto esse irrita, uti & vota paupertatis & obedientiæ emissa in Religione non approbata: quia illa dicunt intrinsecum ordinem ad superiores in Religione. Idem probabile est de voto castitatis: quia non censetur Ecclesia illud acceptare nomine Dei, quando fit in Religione, quam prohibet: nec videtur vovens intendere se obligare, nisi ad castitatem in Religione servandam. Si tamen absolutè intendat vovere erit validum. Ita *Lessius c. 41. dub. 1. n. 14.*

8. Item ea necessaria sit votorum solemnitas.

Nota II. Secundùm Doctores & antiqua jura ad statum Religiosum requiri solemnitatem votorum: sed hæc per se non est necessaria, modò vota simplicia acceptétur ab Ecclesia & emittantur in aliqua congregatione approbata: quia solemnitas votorũ solo jure Ecclesiastico est introducta: ergo si Ecclesia vota simplicia in ordine ad statum Religiosum acceptet, per illa fient veri Religiosi, qui in aliqua Religione approbata illa emiserint. Constat hoc ex *Constitut.* Gregorii XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*, quâ statuit, ut clerici Societatis Jesu pro Religiosis habeantur, & contrarium vetat doceri sub pœna excommunicationis & inhabilitatis ad omnia beneficia & officia Ecclesiastica. Et licèt in illa societate non sit ultrò citròque stabilitas & obligatio (quia Societas non obligatur Religiosis, etiamsi Religiosi obligentur Societati, ut non possint dimissionem datâ operâ procurare) Pontifex tamen potest dispensare in solemnitate votorum, ut dictum est; adeoque potest dispensare in hac stabilitate, aut eam non requirere, quantum est ex parte Religionis, ut possit liberè & justas ob causas suos dimittere. Vide *Lessium c. 41. dub. 1.*

## QUÆSTIO II.

### *De Religionum Diversitate, Perfectione, & qui eas ingredi possint?*

Suppono diversitatem non provenire ex votis essentialibus aut approbatione Ecclesiæ: quia hæc omnibus sunt communia.

9. Religionum diversitas ex fine earumdem sumitur.

Dico I. Diversitas Religionum provenit ex particulari fine cujusq; ordinis: quidam enim instituti sunt ad functiones vitæ cõtemplativæ, ut sunt omnes Ordines Monachales, scilicet *Basilii, Benedicti, Bernardi* &c. Alii, ut se occupent in functionibus vitæ activæ, v. g. ad servitium pauperum, defensionem Ecclesiæ &c. Alii denique in functionibus vitæ tam activæ, quàm contemplativæ, ut sunt Ordines mendicantes.

10. Et ex ritibus cuique proprijs.

Secundò provenit illa diversitas ex particularibus ritibus, quibus Ordo quilibet utitur ad vota essentialia meliùs observanda, ut sunt diversitas habitûs, statutorum, asperitatum &c. etiam inter ejusdem regulæ professores, quæ diversitas non modicum est ornamentum Ecclesiæ & ad hoc ordinatur, ut quisque secundùm capacitatem & desiderium perfectionis possit eligere Religionem sibi magis convenientem.

11. Perfectio autem vitæ fine, & qui Ordines tenus sint perfectiores.

Dico II. Si perfectio Ordinis desumatur à fine, perfectiores sunt, qui insistunt contemplationi, quàm qui tantùm se dant actioni. Patet ex illo Christi: *Maria* (dedita contemplationi) *optimam partem elegit.* Illi tamen, qui utrique simul insistunt, id est, contemplata in proximorum salutem expendunt, sunt ceteris perfectiores, ut patet exemplo Christi, qui orationi conjunxit prædicationem & alia opera, procurandæ proximorum saluti idonea.

12. Vel ex mediis, & qui eorum tenus sint.

Dico III. Si perfectio Ordinum spectetur ex mediis, quibus tendunt in finem, illi sunt perfectiores, sive sint contemplativi, sive activi, vel etiam mixti, qui aptioribus mediis ad finem intentum contendunt. Unde, ceteris paribus, quò major urget obedientia & paupertas, eò Religio est perfectior.

13. Religiosi ingredi possunt, qui sunt sui juris, & non alii. Quid de Episcopo.

Quod attinet ingredientes, certum est posse omnes & solos illos ingredi, qui sunt sui juris. Unde primò Episcopi, qui sunt obligati suis Ecclesiis sine licentia Pontificis probabiliùs invalidè profitentur: votum tamen Religionis ab eis emissum est validum: quia fieri potest, ut illud, & ipsis, & Ecclesiis sit melius, adeoque si voverint, tenebuntur Pontifici indicare & obtentâ licentiâ ingredi.

Quid de conjugatis.

Secundò conjuges consummato matrimonio sine mutuo consensu invalidè profitentur. Patet ex c. *Quidam* & c. *Placet. De conversione conjugatorum.* Qualiter autem fas sit ingredi sine consensu compartis ante cõsummationem matrimonii: item qualiter ex mutuo

ex mutuo consensu possint conjuges ingredi Religionem etiam post consummationem, traditur in materia de Sacramento matrimonii: ubi quoque exponitur casus adulterii (idem ex constitutione juris est de hæresi post separationem facta in judicio Ecclesiæ) eò quòd illud sit sufficiens causa perpetui divortii.

14. *Requisit ingredi servus.*

Tertiò servus non potest ingredi Religionem absque consensu domini c. *Si quis* 17. q. 2. quia quoad actiones totus est domini: unde si quis professionem fecisset, restituendus esset domino, licet tunc teneretur servare castitatem, si scilicet absolutè & independenter à Religione promisisset eam. Quod si autem per triennium ab anno probationis non fuerit quæsitus, non est restituendus, sed reddenda sunt tantùm ea, quæ in monasterium intulit. Ita *cap. cit.*

15. *Nec filius in gravi necessitate patris.*

Quartò filius non potest intrare Religionem, si parens ejus gravi necessitate prematur, & nequeat illi, nisi in sæculo maneat, providere: jure enim naturæ tenetur eo casu parentem alere. Hoc tamen intellige, nisi filius non posset in sæculo sine gravi animæ periculo manere: quia non tenetur se exponere illi periculo animæ ad subveniendum parenti in temporalibus. Idem est dicendum de parente, si filius in eadem necessitate constituatur: quia etiam parens jure naturæ tenetur filium alere.

16. *Quo casu etiam professus exire tenetur.*

Quòd si filius stante ea necessitate professionem emiserit, tenebitur egredi & parenti subvenire: ubi verò subvenerit, vel parens mortuus fuerit, tenebitur ad Religionem redire: quia professio ejus non fuit nulla, sed solùm suspensa: si verò post professionem ille casus necessitatis parenti obvenerit, non tenetur egredi, nec potest repugnante Prælato: quia jam est sub potestate Prælati & non parentis: obtentâ verò licentiâ non poterit habitum dimittere, nisi aliter parenti non poterit subvenire commodè. Quod solùm intelligendum est de gravi necessitate, in qua possit uterque sustentari, licèt ægrè: nam in extrema necessitate teneretur egredi, petitâ tamen priùs, etsi non obtentâ licentiâ.

*Quid si necessitas post professionem obvenit.*

17. *Item quid in gravi fratrum aut sororum necessitate.*

In gravi necessitate fratrum aut sororum, sui juris existentium, non tenetur Religiosus statum suum deserere: immo juxta *Suarez l. 5. c. 6. n. 4.* & alios, potest eâ non obstante Religionem ingredi, quamquam aliqualis dilatio indubiè laudabilis sit, seclusò voto Religionem determinato tempore ingrediendi: tali autem voto supposito *Castro Palao de Statu Relig. disp. 1. punct. 7. §. 5. n. 13.* contra *Sanchez. l. 4. Mor. c. 20. n. 32.* in periculo impudicitiæ sororum id licere existimantem, censet ob nullam gravem fratrum vel sororum necessitatem propriâ auctoritate posse differri ingressum ultra præfixum tempus.

Quintò non possunt ingredi Religionem impuberes: nam in omnibus subsunt parentibus vel tutoribus. Ubi autem ad annos pubertatis pervenerint, possunt etiam invitis parentibus Religionem intrare. Denique non potest ingredi Religionem, qui caret conditionibus requisitis juxta cujusque Religionis regulas & statuta. Qualiter autem alii, ut defloratos virginis sub promissione etiam ficta matrimonii, obligatus ære alieno, vel ad danda rationicinia &c. impediantur ab ingressu Religionis, colligi potest ex dictis in *Tract. de jure & justitia.*

18. *Impuberes & alii Religionem ingredi non valentes recensentur.*

## QUÆSTIO III.

### *De Requisitis ad valorem Professionis.*

SUPPONO professionem fieri vel expressè, dum quis utitur aliquâ formâ professionis, quâ animum suum declarat: vel tacitè; idque tripliciter. Primò ferendo per triduum habitum professorum, ubi is aliquo signo externo distinctus est. c. *Constitutionem De Regularibus in 6.* Secundò si tali habitu susceptò faciat aliquod opus professis proprium statim fit professus. c. *Vidua de Regularibus.* Tertiò si in Religione, in qua non est distinctio habitûs novitiorum & professorum, deferat habitum per totum annum, in termino anni censetur professus c. *Ex parte de Regularibus.* Debent tamen hæc fieri animo saltem tacito profitendi, & consentiente illo, cujus est ad professionem admittere. Verùm hujus professionis tacitæ post *Tridentinum* non est magnus usus, nisi ad ratificandam professionem expressam, quando ex aliquo defectu fuisset irrita, ut statim dicetur.

19. *Professio alia est expressa; alia tacita.*

Ad professionem autem, ut validè emittatur, requiruntur aliqua, vel ex dispositione juris antiqui vel novi *Tridentini.* Et quidem ex parte profitentis requiritur primò ætas sexdecim annorum completorum, ut expressè statuitur in *Tridentino sess. 25. de Regularibus c. 15.* & professio ante talem annum facta nullam planè inducit obligationem nullumque effectum. Ubi tamen *Tridentinum* non est receptum, standum videtur juri antiquo, quo minor ætas sufficiebat.

20. *Ad valorem professionis requiritur in primis ætas sexdecim annorum.*

Secundò requiritur annus novitiatus cõpletus (& quidem juxta Doctores communissimè, contra nonnullos, de momento in momentum, *Argumento legis 3. §. Minorem ff. de Minoribus*) ita ut eo non impleto professio sit nulla, & Prælati admittentes aliquem ad professionem, anno probationis non expleto, peccent mortaliter, utpote contravenientes *Tridentino supra*: & insuper Mendicantes sint excommunicandi &

21. *Deinde annus novitiatus de momento in momentum completus.*

di & suspensi ipso facto ab officio admissionis ad professionem c. *Non solùm. De Regularibus in 6.*

22. *Non quidem solaris, sed politicus seu civilis.*

In anno verò bissexto duo dies computantur pro uno, & hic etiam quoad annum probationis computari debent: nam cùm hæc materia sit politica & civilis de ea civiliter loquendum est. Unde annus probationis non debet esse annus solaris & naturalis, qui necessariò continet 365. dies & sex circiter horas; sed debet esse annus à republica ut talis declaratus. Ita *Rodriguez Tom. 3. qq. Regul. q. 15. art. 5. Sanchez l. 5. Moral. c. 4. nupp. 5.*

23. *Excepto casu mortis novitii imminentis.*

*Pius V.* tamen citatus apud *Rodriguez suprà art. 6.* concessit Monialibus Sancti Dominici, ut novitia, judicio medici statim moritura, pro sua consolatione & utilitate spirituali ante annum completum probationis, modò ætatem sufficientem habeat, profiteri possit in manibus Priorissæ, & lucrari indulgentiam plenariam. In hac concessione communicant Mendicantes, eamque non esse revocatam à Gregorio XIII. testatur *Rodriguez suprà.* An autem ejusmodi novitiæ succedat monasterium, dubitatur. Negat cum aliis *Rodriguez suprà.* Affirmat *Sanchez sup. num. 16.* & cum eo, aliisque *Diana P. 3. Tract. 2. Resol. 17.*

24. *Debet ipsa per esse integer & continuus.*

Hinc annus novitiatûs secundùm sententiam communissimam Doctorum, ut sit legitimus, debet esse integer & continuus, nec sufficit, quòd sit interpolatus. Qualis autem interruptio ad discontinuationem anni novitiatûs sufficiat inter Doctores controvertitur. *Lessius c. 41. dub. 7. num. 59.* paucorum dierum interruptionem non sufficere existimat. *Suarez* putat hanc discontinuationem ex gravitate actionis interrumpentis esse desumendam, ut si quis dimittendo religionis habitum extra monasterium dimittatur aut egrediatur animo non redeundi, etiam ad brevissimum tempus; secus si habitu tantùm spolietur, etiam per diem, & postea mutatâ sententia propriâ vel Superiorum iterum induatur. Vide ipsum *Tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. num. 6. & seqq.*

*Qualis interruptio sufficiat ad discontinuationem.*

*Et an in monasterio peragendus.*

Non est tamen de rigore necessarium, ut ipse annus in monasterio peragatur, modò cum licentia superioris, & sub ejus obedientia extra monasterium transigatur, ut ostendit *Sanchez l. 5. c. 4. num. 27.*

25. *Ad ejus inchoationem non requiritur annus decimus quintus cõpletus.*

Ad inchoandum autem annum novitiatûs non est necesse ex vi *Tridentini* habere annum decimum quintum expletum, ut notat *Lessius cap. 41. dub. 7.* quia professio tantùm, non verò annus novitiatûs habet determinatum tempus. Nec etiam necesse est, statim absoluto novitiatu admittere ad professionem, modò sit justa causa differendi. Vide plura de his apud citatos auctores.

26. *Novitius debet esse liber ab impedimentis substantialibus.*

Tertiò ut nullum habeat impedimentum ex iis, quæ tamquam essentialia sunt constituta in isto ordine. Si verò esset impedimentum, non tamen ex substantialibus filius Religionis, licèt peccaret profitendo illud subticendo, tamen professio esset valida.

27. *An requiratur valetudo exercitiis Ordinis proportionata.*

Quartò requirunt aliqui valetudinem, ut possit communia Ordinis exercitia & austeritates obire. Sed *Sanchez sup. n. 52.* ex aliis deducit validè profiteri, cùm possit servare tria vota, quæ sunt verè substantialia: statutia enim & regulæ tunc tantùm obligant, quando non est justa causa ea non observandi. Talis autem infirmus obligaret se ad ea servanda, quando justa causa non excusaret.

28. *Quis error valeat professionē irritet.*

Quintò requiritur, ut non contingat error circa substantiam rei promissæ. De quo multa *Sanchez lib. 10. de Matrimonio disp. 9.* qui tandem *num. 21.* concludit professionem Religionis esse validam ex quocumque errore professam, modò error ille non sit circa substantiam rei votæ: ut si quis profiteretur in Religione Sancti Dominici putans se profiteri in Religione Sancti Francisci, aut substantialia regulæ vel institutæ, additque professionem æquiparari matrimonio quoad hoc, quòd sicut matrimonium per solum errorem personæ irritatur, ita etiam professio per errorem similem errori personæ: nisi forte circumstantiæ per modum conditionis à vovente intenderentur: nam tunc professio, non subsistente tali conditione, esset irrita.

29. *Et quis metus.*

Sextò ut non intercedat metus gravis injustè incussus ad extorquendam professionem: hanc enim esse invalidam communiter docent Doctores ex c. *Perlatum de iis, quæ vi metusve causâ fiunt.* Metus autem gravis & levis respectum dicunt ad personas, quibus metus infertur, & in puellis faciliùs contingit, quàm in viris.

30. *Omnes requiritur legitima admissio.*

Septimò ex parte monasterii requiritur admissio ejus, qui potestatem habet, ut patet ex natura contractûs: professio namque est contractus reciprocus, quo Religiosus se obligat in perpetuum ipsi ordini & ipse ordo se obligat ad eum alendum & regendum in spiritualibus juxta institutum. Ut autem hæc admissio sit legitima debet esse potestas in admittente.

Hinc si vota admittantur ab eo, qui legitimam potestatem non habet, votorum emissio non facit religiosum. Qualis autem debeat esse potestas, & cujus sit admittere, ex consuetudine & particularibus Religionum statutis plurimum pendet.

31. *Ex professione ætatis invalida nulla oritur obligatio.*

Nota I. Professionem factam ante ætatem à *Tridentino* requisitam nullâ parere obligationem, ne quidem in ratione voti simplicis. Idé est de professione invalida conjugati facta invitâ parte. De cetero Doctores satis

satis communiter censent professionem invalidam defectu potestatis in admittēte habere vim voti simplicis castitatis ex c. *Consuluit, Qui Clerici vel vovent.* Nihilominus cum varijs Doctoribus existimo hæc procedere quoad præsumptionem fori externi: si enim vovens intenderit specialiter manere in ista religione & emittere vota dependenter ab incorporatione in talem ordinem, tunc si professio fuerit irrita, nullo modo coram Deo obligatur: si verò emiserit non ita dependenter ab ista religione in particulari, sed ex affectu castitatis in genere, tunc præsumptio juris procedit etiam in foro interno.

*An saltem habeat vim voti simplicis castitatis.*

32. *Professio invalida qualiter ratificetur.*

Nota II. Professionem invalidam ratificari aut sola præsumptione juris, aut etiam verè coram Deo. *Tridentinum supra c.* 19. præsumit eum, qui vi, metu aut ante ætatem est professus invalidè, si ante quinquennium non reclamaverit, tacitè ratificasse suam professionem; ideoque non esse audiendum in judicio post quinquennium à professione: immo negat quinquennium si fugerit dimisso habitu. Verùm talis si verè non intenderit coram Deo ratificare suam professionem, sed expectare tempus opportunum recedendi, non est Religiosus, quantumcunque sit contra eum præsumptio juris & de jure. Nec talis etiam in foro externo est sine remedio post quinquennium: quia potest petere à Judice restitutionem in integrum & allegare impotentiam reclamandi, quòd scilicet isto quinquennio fuerit prohibitus reclamare, aut nesciverit se posse. Juris autem ignorantia admittitur, maximè in minoribus, rudibus, aut mulieribus, qui facilè in integrum restituuntur. Quod si non audiatur aut non possit probare invaliditatem professionis, quæ tamen est invalida, docet *Lessius c.* 41. *dub.* 7. eum sepositio scandalo posse fugere nec teneri ad vota, nisi ratione scandali.

33. *Ad hanc ratificationem non requiritur nova admissio.*

Nota III. Quando invalidè professus ratificat suam professionem, eo tempore, quo nullum est impedimentum juris, tunc verè fieri professum, neque esse opus nova admissione Prælati: cùm Pontifex statuendo, ut talis ratificatio Religioso ad professionem sufficiat, censeatur supplere admissionem Prælatorum immediatorum, & reliquos defectus juris, quos in hoc negotio supplere potest. Mens autem Pontificis à Doctoribus communiter colligitur ex c. *Significatum De Regularibus.* & ex c. 1. *de Regularibus in* 6. Aliud est in matrimonio ob impedimentum invalidè contracto, ad cujus ratificationem requiritur novus utrimque consensus: nam in matrimonio nequit Ecclesia consensum alicujus supplere. Vide *Sanchez l.* 2. *De Matrimonio Disp.* 35. *n.* 2. & *Disp.* 27. *n.* 2.

## QUÆSTIO IV.

### *Quibus Modis Tridentinum consulat libertati professionis?*

VARIA statuit *Sess.* 25. Primò *c.* 16. Ut 34. *Nulla renuntiatio vel obligatio novitii tenet, nisi secuta professione.* *nulla renuntiatio aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causa pia valeat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secutâ professione.* Excipiuntur autem clerici Societatis Jesu.

Idem dicendum putat *Lessius l.* 2. *de Statu Religioso c.* 41. *dub.* 4. *n.* 40. de renuntiatione vel obligatione facta intuitu professionis ante novitiatum: nam hæc æqualiter officit libertati profitentiū, cui omnino consulere voluit *Tridentinum.* Sed cōtradicit *Sanchez l.* 7. *c.* 5. *n.* 4. tum quia hoc clarè in verbis Concilii non exprimitur, tum quia, ut ipse refert, in regio prætorio Granatensi, lite utrimque agitatâ, sic pronuntiatum est à sex regiis judicibus, & idem declaratum refert à Congregatione Cardinalium.

*Quid si facta sit ante novitiatum.*

Nota tamen I. Per prædicta non prohiberi testamentum: quia non est renuntiatio vel obligatio, nec admit libertatē: cùm non habeat vim ante professionem. Et idem dicendum est de quavis alia dispositione conditionali relata in tempus professionis, ac de alia revocabili.

35. *Secus est de testamento, aliisq; dispositionibus in tempus professionis conditionatè relatis.*

Nota II. Non vetari nec irritari contractus onerosos Novitii, in quibus æquale recipitur: finis enim hujus decreti in his non militat, nec sunt renuntiatio, nec pura obligatio. Item non irritantur contractus, quibus novitius exponitur periculo lucri & jacturæ, quales sunt contractus societatis & ludi: quia nec hi renuntiationis vel obligationis nomine intelliguntur, nec per hos dicitur novitius se spoliare bonis aut minuere patrimonium.

36. *Et contractibus onerosis novitii.*

Nota III. Novitium non posse esse fidejussorem nec posse remittere debita, aut renuntiare juri petendarum rationum à tutoribus vel aliis receptoribus. Potest tamen integros & perfectè redditos cōputus comprobare. Vide *Sanchez sup. n.* 35.

37. *Qui nequit esse fidejussor.*

Nota IV. Decretum Concilii probabilius etiam habere locum in renunciatione beneficii ecclesiastici: tum quia hoc decretum universim agit de renuntiatione; tum quia finis ejus in hoc quoque locum habet. Et ita declaravit congregatio Cardinalium, ac tenet *Sanchez sup. n.* 38. addens idem dicendum de renuntiatione officiorum temporalium.

38. *Nec renuntiare beneficio Ecclesiastico.*

Petes: An donationes causâ mortis monasterio factæ valeant, si novitius ante professionem moriatur & eas non revocet? Resp. affirmativè cum *Suarez l.* 5 *c.* 16. *n.* 11.

39. *Potest donare causâ mortis.*

nam per Concilium non prohibetur novitio condere testamentum, quod tamen morte naturali ante professionem secutâ confirmatur: ergo etiam donatio causâ mortis naturalis morte naturali secutâ confirmabitur: quia est par ratio. Deinde illa non potest dici renunciatio vel alienatio simpliciter (de quibus Concilium loquitur) cùm ob hoc non minuatur libertas in professione facienda vel omittenda.

40. *Prohibet Trid. omnem bonorum traditionem monasterio faciendam ante professionem.*

Secundò Concilium *supra* excepto victu & vestitu vetat quamcumque actualem traditionem bonorum novitii, per quam in potestatem, usum, administrationem, vel etiam dominium monasterii veniant, etiam non obstante quacumque obligatione illa reddendi si non sequatur professio. Ita *Suarez l. 5. c. 9. n. 16.* Et satis patet ex ipso *Tridentino*. Circa quod

41. *Non autem modicas eleëmosynas,*

Nota I. Tridentinum ibi non prohibere modicas eleëmosynas à novitio vel propinquis monasterio vel pauperibus factas: & hoc, quia illæ non obstant libertati egressus. Similiter non prohibetur, quin parentes possint facere eleëmosynas monasterio, si sint de bonis propriis, nec in dote vel bonis novitii computentur. Ita cum aliis *Sanchez sup. n. 22. & 23.*

42. *Qualiter obligetur Religio novitio egredienti restituere, quæ intulerat.*

Nota II. Etsi *Tridentinum* præcipiat, ut abeuntibus ante professionem omnia, quæ sua erat, restituantur, tamen non teneri Religionem restituere novitio egredienti id, quod intulerat in suam sustentationem, nisi aliquid supereset. Quod si nihil contulerit, sed tantùm se obligaverit ad solvendas expensas, non poterit Religio impedire liberù ejus egressum: poterit tamen, eo concesso, debitum exigere. Citra tamen promissionem novitius non obligatur ex lege justitiæ ad solvendas expensas: tum quia reditus & eleëmosynæ Monasterii sunt etiam ad alendos novitios, tum quia novitius in ingressu sese offert ad servitium & utilitatem communitatis.

43. *Ordinatio Trid. circa libertatem puellarum profiteri volentium,*

Tertiò statuit *c. 17. V.* *si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat: nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quàm exploraverit Episcopus, vel eo absente vel impedito ejus Vicarius, aut aliquis eorà sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatè diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat.* Vult deinde ut de tempore professionis uno mense antea teneatur Præfecta monasterii Episcopum certiorè reddere, alioquin sit ab officio suspensa quàdiù Episcopo videbitur.

44. *Etiam adhibito anathemate in eos, qui puellam directè vel indirectè ad professionem cogunt.*

Quartò *c. 18.* anathemati subjicit omnes, qui quomodocumque virginem vel mulierem quamcumque invitam ad ingressum, habitù vel professionem coëgerint, vel scientes eidem actui præsentiam, consensum vel auctoritatè interposuerint, aut ad hoc consilium, favorem vel auxiliù dederint nisi in casibus in jure expressis, qui sunt sequentes. Primò, quando priùs religionem voverunt possunt cõpelli, ut votum impleant. Secundò, quando unus conjugum conscius dispositionis juris consentit in alterius professionem vel tacitum ordinum susceptionem. Tertio, quando quis crimen admisit ob quod in religionem est detrudendus.

Nota I. Per *ly*, *quomodocumque*, comprehendi etiam indirectâ coactionem, qualis est, si parens filiam quotidie malè tractet, verbis vel actibus contumeliosis. Existimat tamen *Suarez sup. n. 5.* hoc fieri debere ex intentione, ut animo affecta religionem ingrediatur: nam si fiat ex defectu amoris vel naturali austeritate, nõ incurritur hæc censura, dùmodo pater tempore ingressûs non intelligat filiam non sponte ingredi: si enim hoc intelligens remedium non adhiberet, jam violentiam moraliter consummaret.

45. *Secùs si intervenisset dolo cuilibet seclusus.*

Nota II. Omnia de quibus loquitur Concilium, scilicet de præsentia, auxilio &c. referenda esse ad coactionem, ideoque si hæc non interveniat, non habere locum dictam censuram. Unde licèt dolus non minùs minuat voluntarium, quàm coactio, tamen qui consilio suo decipit, non incurrit hanc pœnam: nam dolus non est coactio & lex pœnalis non est extendenda. Deinde congregatio Cardinalium censuit patrem non incurrere hanc censuram, qui filiam instituit heredem sub conditione, quod monasterium ingrediatur, eò quòd illa non sit inductio per vim, sed potius per concupiscentiam.

46. *Qui Trid. consulat libertati Religionis contra volentes ingressum impedire.*

Nota III. Ob libertatem religionis *Trid. sup.* eamdem censuram extendere ad eos, qui impediunt virgines aut mulieres aliàs ingredi volentes religionem sine justa causa. Ubi, quia Concilium generaliùs loquitur, quàm suprà, etiam comprehendere voluit quoscũque modos injustos, non tantùm per vim directè vel indirectè illatam ipsi feminæ, sed eos etiam, qui per similem vim monasterio illatam impediùt receptionem. Deinde etiam eos, qui per dolum vel fraudem, etiã quæ circa monasterium versetur, ingressum impediunt. Non tamen incurritur hæc pœna, si solùm per preces impediatur: nam preces non sunt verũ impedimentum.

47. *Præfata pœna non incurritur, nisi effectus secutus.*

Nota IV. Hanc pœnam non incurri, nisi actu sequatur effectus, nempe ingressus in monasterium in ordine ad suscipiendũ aliquando habitum aut faciendã professionem, aut suscipiatur actu habitus, aut professio emittatur, aut de facto femina ab ingressu impediatur. Nec impedientes viros aut cogentes ad monasterium, licet peccent, hanc excommunicationem incurrunt: cùm pœnæ non sint extendendæ.

## QUÆSTIO V.

### *Quos effectus habeat Novitiatus & professio Religiosa?*

48. *Novitii gaudent*

NOVITII primò gaudent privilegio clericali quantum ad immunitatem, uti in

privilegio clericali. ut in Canonem incidat, qui novitium percusserit, juxta c. *Religioso de sententia excommunicationis in 6.*

Fori. Secundò gaudent privilegio fori. Immo Episcopus non potest de delictis Novitii religionis exemptæ, aut alijs ejus usus cognoscere, nisi se illi subjiciat. Videri potest de his *Sanchez l.4.c.39.n.17.*

Et sui Ordinis. Tertio Novitii probabiliùs gaudent privilegijs Ordinis. Ita *Sanchez sup. & l.6.c.10.n.22.* & alii, quos citat.

Etsi ejusdem præceptis per se non obligentur. Quartò, licet Novitii non possint in cõscientia obligari præcepto Superioris vel Regulæ (ut passim docent Doctores) saltem per se, id est, secluso scandalo aliorũ: ratione enim istius tenentur subinde vel statum relinquere vel in rebus communibus se conformare. Tenẽtur tamen ita subjacere religiosæ disciplinæ, ut per violentiam non resistant: nam hoc est necessarium ad convenientem gubernationem & ad vitandas magnas confusiones in monasterio, ideoq; habitũ suscipiens virtualiter ad hoc se obligat, pactum iniens cum Religione, ut quamdiu permanet, sicut ab ea doceri, dirigi & sustẽrari debet, ita etiã religiosè corrigi possit.

49. An novitius possit castigari & postea dimitti. Petes: An Novitius possit castigari & postea dimitti? Resp. affirmativè, si delictũ sit tale, ut per dimissionẽ non sufficiẽter puniatur, v. g. si per hoc daretur novitijs occasio libere peccãdi & deficiẽdi in sua vocatione.

Hinc ne delicta maneant impunita putat *Suarez l.5.c.16.n.18.* Novitium ad tempus posse detineri in carcere, nec hoc esse cõtra c. *Statuimus* extra, & c. *Non solùm in 6. De Regularibus*, quæ præcipiũt Novitium liberè dimitti: loquuntur enim per se seu re integra, non verò impediunt justã punitionem delicti, ratione cujus Novitius specialiter subjectus est judici ecclesiastico & Prælato suo, à quo puniri & torqueri potest, si sit necesse, ut rectè docuit *Navarrus Consilio 5. De foro competenti.*

50. Potest Prælatus novitium cogere per censuras. Quintò, Prælatus potest Novitiũ cogere per censuras ad opera præceptorum, sicut Episcopus: tale enim præceptum non fundatur in voto obedientiæ, sed in jurisdictione ecclesiastica, quam Prælati habent etiam in Novitios.

51. Novitius habet jus ad professionem. Sextò, Novitius acquirit jus ad professionem, ita ut fiat ei injuria, si sine justa causa dimittatur, & habeat jus agendi contrà Religionem, ne expellatur.

Et quale. Dubium est, an illud jus Novitii sit rigorosum & jus justitiæ commutativæ. Negant Aliqui nominatim *Sanchez l.5.c.4.n.59.* Affirmat cum pluribus *Lugo*, cujus sententia est tenenda. Vide ipsum *De justitia Disp.9.sect.3.n.57.* Puto tamen cum *Sanchez supra* posse expelli Novitium, cujus vita rationabilem incutit timorem inidoneitatis & mali successûs: nam non tenetur Religio se exponere periculo nec potest, dum notabilis est causa timoris.

52. Per se non obligatur ad perseverantiam. Petes: An Novitius per se contrahat aliquam obligationem ad perseverandum in statu suscepto? Resp. negativè: quia Novitius liberè exire potest, ut dicitur c. *Statuimus* extra, & c. *Non solùm in 6. de Regularibus.* Deinde nulla est lex talẽ obligationem inducẽs, nec intercedit aliquod votum vel promissio, ut suppono, nec intervenit ibi ingratitudo ergà Deum: licèt enim vocatio ad Religionem fuerit gratia: nõ tamen ideo obligat ad hunc gratitudinis mõdũ, scilicet perseverantiam: nam nullo jure aut ratione hoc probari potest: quia possit quis se ostendere gratum Deo in sæculo bene vivendo, vel religiosos mores imitando: quamquam ob infirmitatem animi nolit in Religione perseverare.

Nisi eam voverit. Nec obstant quædam jura, quæ vetant Novitium redire ad sæculum: nam loquuntur de eo, qui in ingressu perseverantiam voverat. Vide *Lessium l.2.c.41.Dub.5.*

53. Effectus religiosa professionis recensentur. Professio religiosa præterquam quod tribus votis obstringat hominem totum Deo & Religioni: Primò solvit vota simplicia priora, ut dictum est. Secũdò acquirit profitens condonationem omnis pœnæ peccatis debitæ in purgatorio, non instar Sacramentorum ex opere operato, sed ex opere operantis: quia excellentissimam tribuit Deo pro peccatis satisfactionem obligãdo se firmiter ad perpetuam sæculi abrenuntiationem, ut post *D. Thomam 2.2.q.189.art.3.ad 3.* passim tradũt Scolastici, quæ condonatio per emissionem votorum multò impetratur certiùs, quàm per indulgentiam plenariam. Vide hanc rem pulchrè apud *Hieronymum Platum l.1.De Bono Status religiosi c.13.* Tertiò tollit irregularitatem defectu natalium, non absolutè: quia talis (seclusâ dispensatione) non potest eligi ad prælaturam vel beneficium habens curam animarum, sed solùm ex parte, ut possit talis ordinari & beneficium simplex obtinere.

Aliæ irregularitates non per professionem sed specialibus privilegijs ordinum tolluntur. Unde falluntur, qui putant irregularitatem provenientem ex homicidio vel bigamia tolli Religionis ingressu.

## QUÆSTIO VI.

### *Ad quid vi Voti Obedientiæ teneatur Professus & specialiter Franciscanus?*

54. Vi voti obedientiæ Religiosus subjicitur tum suo Prælato. Tum summo Pontifici. DICO 1. Tenetur vi voti parêre suis Prælatis, non solùm Regularibus, sed etiam Romano Pontifici. De Regularibus est certum. De Pontifice probatur: quia ille est supremus Religionum omnium Generalis: ergo si suis immediatis parêre teneantur, multò magis directo & supremo eorum superiori.

Hinc Religiosi non solùm quà Christiani tenentur ei parêre tamquam Vicario Christi: sed etiam quâ Religiosi vi voti tamquam peculiari suo Superiori potestatem dominativam in ipsos habenti.

55. *Prælatus quidem dum præcipit secundum regulam.*

Dico II. Tenentur obedire præcipienti secũdùm regulam. Probatur: quia id primò & per se in voto obedientiæ continetur.

Secundùm regulam autem præcipere censetur, non solùm quando ea injungit, quæ expressè in Regula continentur, sed etiam ea, quæ implicitè & indirectè: nempe quia necessaria ad regulæ observãtiam. Pro quo

Nota Prælatum Regularem cõmuniter loquẽdo accepisse vi voti obedientiæ limitatam tantùm jurisdictionem & dominium in subditos, secundum regulã scilicet, quàm vovens profitetur: non enim fuit intentio ejus se amplius obligare quàm ad obedientiam juxta talem regulam. Unde præcipienti præter regulam aut supra eam non tenetur obedire, ut ostendit *Sanctus Bernardus l. De Præcepto & Dispensatione c.* 8.

56. *Non verò dum novas austeritates introducit.*

Hinc volenti novas austeritates introducere nõ tenetur parere: nec Capitula generalia possunt edere præcepta novum & arctiorem modũ continentia, nisi à singulis in particulari approbẽtur: vel si Capitulum tales leges ferat, obligarent tantùm eos, qui consentirent, aut in posterum professuros: non verò eos, qui iam professi sunt, aut non consenserunt.

57. *An rigore regulæ per legitimam consuetudinem mitigato Religiosi ad primævam tenerentur.*

Quando rigor regulæ fuisset cõsuetudine legitimâ mitigatus non tenerentur professi antiquam & primævã servare; quia in professione sua intenderunt servare regulã mitigatam nec se obligare ad majores austeritates, quàm tẽpore suæ professionis servatas invenerint. Si tamen Capitulum generale, aut hi, quorum est leges cõdere, vellent regulam collapsam ad pristinum statum reducere, tenerẽtur professi eam reformationem acceptare, nisi expresè intendissent in sua professione non aliã servare, quàm quæ tunc servabatur, ut ex communi sententia tradit *Sanchez l.* 6. *c.* 2. *n.* 32. Ratio est: quia ex vi professionis, quando expresè aliud non intendit, professus cẽsetur se voluisse obligare ad procurandam illius Religionis conservationem, ad quam cùm maximè necessaria sit regulæ in pristinum statum restitutio, ad hanc procurandam vel non impediendam se tacitè obligasse censendus est. Vide *Marchant in Resolutionibus* concernentibus Regulares *casu* 1.

58. *Moniales tenentur admittere clausuram.*

Et inde à fortiori infertur Doctores teneri Moniales admittere reformationem *Bonifacii VIII. c. un. De Statu Regularium in* 6. innovatam à *Tridentino sess.* 25. *c.* 5. *de Regularibus*, de servanda clausura aut ea introducenda: quia clausura est omnino necessaria feminis ad plenã voti castitatis observãtiam.

59. *An Superior possit præcipere Religiosis, ut eant inter infideles.*

Nota II. Ex eo, quòd nimis difficilia, in regula non contenta, non possit superior præcipere, bene inferri, nõ posse Religiosis, quorũ regula id non jubet, præcipi, ut eant ad missiones Indicas, vel inter hæreticos cum periculo vitæ & magnis incommodis: ac propterea aliquid operari votum solemne, quod emittunt professi Societatis Jesu de obediendo Pontifici circa missiones, & quod emittunt Fratres Minores de obediendo in omnibus, quæ non sunt contra regulam & suam, ut nox dicetur.

Nota III. Licet virtus obedientiæ, si strictè sumatur, versetur solùm circa rem præceptã: tamen, si illa sit valde perfecta, inclinare aliquo modo Religiosum ad faciẽdam omnem voluntatem Superioris, etsi præceptum non imponeret: tunc enim voluntatem suam generatim vult esse pendentem à voluntate Superioris. Sed hoc intelligendũ est de rebus communibus & minoribus: nam in extraordinarijs & magni momenti expedit non prævenire voluntatem Superioris: sed aliquando etiam expectare præceptum, ut in accepta prælatura &c.

60. *Item an obedientia inclinet subditum ad faciendam omnem Superioris voluntatem.*

Quænam autem & in quibus debeatur Abbatissis obedientia, videri potest apud *Sanchez l.* 6. *c.* 1. ubi *n.* 19. tenet illas non posse imponere præcepta spiritualia subditis, id est in ordine ad finem spiritualem, cujus contrarium tamen docet *Suarez l.* 10. *c.* 11. *n.* 20. valde probabiliter.

61. *In quibus debeatur obedientia Abbatissis.*

Dico III. Fratres Minores ultra commune obedientiæ votum speciali voto sunt adstricti ad obediendum Romano Pontifici & vacante sede, Ecclesiæ. Patet ex c. 1. Regulæ. Quando tamen aliquid præcipit Pontifex fidelibus censetur etiam Franciscanis idem præceptum injungere potestate jurisdictionis universalis.

62. *Fratres Minores speciali voto obligantur Romano Pontifici.*

Dico IV. Fratres Minores tenentur obedire suis Superioribus in omnibus, quæ non sunt contra animam & regulam. Patet ex *c.* 10. regulæ.

63. *Suis autem Superioribus, in omnibus animæ & regulæ non contrarijs. Quæ sint talia.*

Contra regulam censentur, quæ vel sunt contra præcepta regulæ, vel contra statuta, ad regulæ puritatem servandam ordinata.

Contra animam sunt, quæ vel sunt peccatum, vel proximè incentivũ ad peccatum mortale, seu proximum illis habent periculũ. His duobus terminis clauditur obedientia Fratris Minoris. Non tamen idcirco est liberũ Superiori mandare, quæ lubet: debent enim præcepta esse rationabilia & fieri ex justa causa spectatâ gravitate, alijsque circũstantijs. Unde Sanctus Franciscus improbasse & annullasse legitur præceptam per Fratrem Eliam generaliter à carnibus abstinentiam, quarũ usum liberum permittit regula. Similiter monet *D. Bonaventura in c.* 12. regulæ non esse injungendã ex obedientia missionem inter Saracenos & alios infideles, nisi ijs, qui voluerint ire. Præterea non sunt injungẽdæ notabiles austeritates aliæq; virtutes heroicæ statum vitæ evangelicæ in regula promissæ notabiliter excedentes: id enim foret irrationabile, imo id noluit S. Franciscus, ut habet expositio sine titulo.

64. *Qualiter obliget votum simplex obedientiæ.*

Petes I. Ubi & ad quid obliget votũ simplex obedientiæ? Resp. I. posse hominem per votum simplex obedientiæ se obligare Deo & hominibus, ita ut duplici obligatione simul obstringatur, fidelitatis respectu hominis, & religionis respectu Dei, ut per se patet. Similiter potest seorsim se obligare

obligare soli Deo, aut econtra seorsim soli homini, ut etiam patet. Quando autem se obstringit soli Deo, vovens Deo se acturum aut omissurum, quod homo præceperit aut vetuerit, tunc homo præcipiens solùm applicat materiã voti citra obligationem ullam voventis erga ipsum hominem: sicut si quis voverit omni pauperi petenti dare eleëmosynam, non obligatur pauperi, sed Deo, erga quem exurgit obligatio voti, positâ petitione pauperis velut conditione applicante materiam voti: & hoc posteriori modo consetur regulariter emitti votum simplex obedientiæ, ut scilicet tantùm obliget respectu Dei ex virtute religionis. Immo *Suarez l.10. c.2. n.14.* putat jure ecclesiastico statutum, ut per tale votum non inducatur obligatio respectu hominis.

Circa hoc votum est notanda Fratri Minori voluntas Sancti Francisci, qui in priori sua regula, quæ tamen non obligat, expressè cavet, ne ulla penitus mulier ab aliquo Fratre recipiatur ad obedientiam.

Resp. II. Quantum ad modum obligationis hujus voti simplicis ex parte materiæ præcipuè spectãdas esse conditiones, generalis voti, scilicet ut sit de re possibili, honesta & non impeditiva majoris boni. Deinde votum hoc quoad varietatem & difficultatem operum præcipiendorũ, limitatur per proportionem ad personam ventem & ad statum, seu modum vivendi, quem assumit, aliàs enim votũ esset indiscretum. Hinc ex voto simplici nõ potest quis obligari ad mutandum vel non mutandum statum, ut v. g. vidua ingrediatur Religionem vel non nubat, intellige, nisi expressè etiam in hoc vovisset obedire.

65. *An obedientia possit obligare ad opus vitæ activæ hic & nunc impeditivum contemplationis.*

Petes. I. An possit quis ex vi voti obedientiæ obligari ad faciendum opus vitæ activæ, quando est impeditivum contemplationis: cùm tunc opus præceptum vietatur impeditivum majoris boni? Resp. affirmativè, & dico illas actiones exteriores non posse dici impeditivas majoris boni: quamvis enim ex sola sua specie non sint æquè perfectæ, tamen ob circumstantias possunt esse Deo gratiores, scilicet quod per eas impleatur promissio Deo facta, quod in ijs humilitas & abnegatio proprii judicii exerceatur. Et ex hoc motivo omissio boni potest habere formalem bonitatem, licèt in se bona non sit.

## QUÆSTIO VII.

### *Quid operetur in Religiosis, specialiter Franciscanis Votũ Castitatis?*

66. *Votum solemne castitatis irritat matrimonium contrahendum. Et dirimit contractum*

DICO I. Votum solẽne castitatis reddit Religiosos inhabiles ad matrimonium, adeo ut illud non tantùm illicitè, sed etiam invalidè attentarent cõtrahere, ut patet ex c. *Quod votum, De voto in 6.* & alijs juribus. Prætera idem votum dirimit matrimonium contractum, si tantùm sit ratum & non consummatum, ut definit *Tridentinum sess. 24. can. 6.* De quibus plura in materia de Sacramento Matrimonii. *nondum consummatum.*

67. *Et in Religiosis inducit obligationem abstinendi ab omni actu externo vel interno contra castitatem.*

DICO II. Votum castitatis inducit in Religiosis obligationem abstinendi ab omni actu interno & externo, qui sit contra castitatem, scilicet à turpibus cogitationibus, delectatione morosa, pollutione & omni actu venereo, ita ut quidquid in sæcularibus extra conjugium est peccatum contra castitatem, in religioso præterea sit sacrilegium mortale vel veniale prout peccatum contra castitatem est mortale vel veniale. Patet ex natura voti.

68. *Ac in Fraciscanis insuper vitandi suspecta consortia.*

DICO III. Fratres Minores vi regulæ specialiter obligantur in materia castitatis vitare suspecta cõsortia mulierum. Patet ex *c.11.* regulæ. Ab his autem optimè sibi cavet, qui juxta monitum Seraphici Patris Francisci *collat. 6.* cum mulieribus non tractat negotia, nisi cùm sanctam pœnitentiam vel melioris vitæ consilium religiosa petitione deposcunt.

*Et quæ sint talia.*

Suspecta verò consortia mulierum sunt, quæ etsi mala non forent, immo etsi essent ab omni impudicitia aliena, tamen in aliquo vel aliquibus nata sũt generare suspicionem impudicitiæ. In quo obligatoria castitas Fratrum Minorum excedit obligationem ceterorum, qui vi voti tantùm tenentur vitare, quæ castitati per se repugnant, & immunditiæ præbent incentivũ: Fratres Minores autem etiam ea, quæ vel solam impudicitiæ suspicionem in alio generare possent. Si tamen hic ex pura malitia procederet, non deberet ejus suspicio curari. Unde oportet, ut suspicioni aliqualis detur occasio, v.g. si locus sit solitarius sequestratus & obscurus, sive tempus nocturnum, vel aliàs importunum, si aspectus sint fixi & incontinentes, verba dissoluta & scurilia & similia, præsertim si monitione factâ non omittantur. De quibus vide *D. Bonaventuram c. c.11.* Regulæ & alios expositores.

69. *Ad quid obliget votum simplex castitatis extra Religionem.*

Petes. Ad quid obligetur, qui extra Religionem emittit votum simplex castitatis? Resp. obligari primò ad abstinendũ ab omnibus ijs, à quibus Religiosi professi. Unde etiam obligatur abstinere à matrimonio, quamvis illud foret validum, nam si contrahat, vel id facit animo consummandi & sic votum violat, vel animo ingrediendi Religionem, & sic facit injuriam vel saltem contra charitatem decipiendo conjugem, quæ si id sciviſſet, contrahere noluisset.

*Non licet eo emisso contrahere matrimonium animo ingrediendi Religionem.*

Sunt tamen aliqui Doctores, qui putant posse aliquem contrahere matrimoniũ emisso voto castitatis perpetuæ, si animo ingrediendi Religionem id faciat: sed quod dixi est probabilius: licet aliquando causa subesse possit ad contrahendũ matrimonium animo ingrediendi Religionem, ut si gravi metu urgearis, vel ut proles ante susceptа legitimetur, vel si non possis aliter Parentum custodiam, qui te à Religione impediunt, evadere: vel si aliàs grave scandalum oriretur.

Nec debitum petere.

Secundò tenetur, si cum eo voto matrimonium cõtraxisset, abstinere ab ejus usu, adeo ut non possit petere debitum, sed consummato matrimonio solùm reddere.

70. An possit reddendo debitum matrimonium consummare.

An autem possit reddendo debitum matrimonium consummare, dubium est inter Doctores. Quidam dicunt eum teneri ad ingrediendam Religionem, eo quòd non sublit aliud medium servandæ castitatis: sed verius est eum ad hoc non obligari; nam Religionem non vovit, nec ingressus in eam est medium ordinarium ad servandam castitatem: cùm ergo eo casu perfecta voti observatio cẽseatur ei facta impossibilis, eò quòd per media ordinata non possit eam observare, tenebitur solùm ad id, quod potest, scilicet ad non petendum debitum. Idem dicendum est, si contracto matrimonio rato, votum castitatis emiserit, nisi forsan civerit, se id non posse implere absque ingressu in Religionem; adeoque implicitè ad ingressum Religionis se obstrinxerit.

Comparti adulteræ nequit debitum reddere.

Tertiò si conjux incidat in adulterium tenetur alter non ampliùs reddere debitum, sed perfectè servare castitatem: ut etiam si conjux obierit non poterit ad secundas nuptias transire.

71. Votum hoc sponsalia subsequentia irritat, non præcedentia.

Denique si votum castitatis vel religionis sit emissum ante sponsalia, reddit ea irrita, si contrahantur. Est communis Doctorum. Si verò post sponsalia votum castitatis emittatur, probabilius est ea non dissolvi: quia in præjudicium sponsæ factum est, nec jus hoc votum in sponsalibus excipit, sicut excipit votum Religionis, quod reddit sponsalia irrita. Vide *Disp.* 1. *De Sponsal. n.* 38.

## QUÆSTIO VIII.

### *Quos effectus habeat votum paupertatis Religiosæ, signanter Franciscanæ?*

72. Per votum paupertatis abdicatur proprietas & dominium.

Per votum paupertatis voluntariæ professitur Religiosus se nihil habere, vel habere posse tamquam proprium: quod quidem sanctè emitti tam certũ est, quàm statum religiosum esse sanctum, & Deo gratum. Specialiter autem Alexander IV. Bullâ particulari damnat Hæreticos asserentes, meliùs esse sua retinere & ex ijs eleëmosynas facere. Et meritò: cum Scriptura apertè testetur esse opus consilii & supererogationis, ad quod, tamquam perfectius oppositò, invitat Christus *Matth.* 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes* &c. & *Lucæ* 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet non potest meus esse discipulus.* Idemque patet exemplo Apostolorum, quorum nomine Petrus dixit Christo *Matth.* 19. *Ecce nos reliquimus omnia.*

73. Hæc abdi-

Nihilominus in ea præcisè sistendo, non continet aliquam honestatem amabilem, sicut continet eleëmosyna, oratio &c. indifferens enim est divitijs uti vel non uti: magnam tamen honestatem continet, quatenus est medium utilissimum ad perfectionem acquirendam, ut patet ex verbis Christi relatis: divitiæ enim cor illaqueant & perfectionem suffocant, mentem à Deo & spiritualibus avocando & terrenis involvendo, ut experientia docet. Ut autem ostendamus, quomodo Religiosus in recipiendo, retinendo, utendo alieno &c. procedere debeat.

catio non ratione sui, sed finis ad quem tendit, est honesta.

74. Paupertas religiosa excludit receptionem cujuscunque dominii privati.

Dico I. Religiosus vi voti paupertatis nequit recipere dominium alicujus rei nomine proprio. Patet ex *Tridentino sess.* 25. *c.* 2. *de Regularibus* & alijs juribus. Ex quibus & communi omnium doctrina ac sensu Ecclesiæ constat, Religiosum solemniter professum etiã incapacem esse omnis dominii. Quæ incapacitas non nisi in jus ecclesiasticum est referenda: etsi enim possit quis se propria voluntate privare omni dominio, non tamen se facere inhabilem ad illud recipiendum, si voluntatem mutare velit.

75. Immo & usum cujuscunque rei temporalis à consensu Superiorum independentem.

Dico II. Vi voti paupertatis prohibetur Religiosis sub peccato, ex genere suo mortali, abstinere à receptione, detentione, alienatione & usu cujuscumque rei temporalis sine licentia Superioris. Ita Doctores unanimiter tradunt ex juribus, signanter *Tridentino sup.* ubi Superioris permissionem exigit ad usum bonorum mobilium, addens: *Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit.* Ratio est: quia Religiosus vovet nihil habere seu possidere, consequenter nihil recipere aut cõtrectare nomine proprio: hæc enim omnia sũt actus proprietatis. Solùm itaque potest precariò rebus uti de licentia aliena, scilicet Superioris. Estque perinde, etiamsi dominium rei maneat apud donantem: nam usus assumptus arbitrio proprio & non Prælati, etsi consentiente domino, non excusat à vitio proprietatis.

76. Corollaria.

Hinc vi voti paupertatis debet Religiosus nihil velle habere, possidere, usurpare tamquam proprium, id est, affectu retinẽdi jure suo, seu independenter à voluntate Superioris. Unde etiam debet esse paratus quovis momento exui usu & possessione rei, ad nutum Superioris: neque aliquid alitèr dare vel alienare: adeò ut etiam dispensator aliquarum rerũ nequeat eas nisi ad arbitrium Superioris distribuere: sic ut eo ipso, quo à voluntate Superioris recedit, incurrat judicium proprietatis, dispensans quasi dominus & ab alterius arbitrio non pendens. Immo nec potest quispiam absque Superioris facultate, permissa ad usum proprium, alijs dare mutuo aut commodato: est enim simplex usuarius, idque precariò, quamdiu Superiori videbitur: concedere autem rem alteri, non est usuarii sed usufructuarii. Unde etiam debet in rebus, quibus utitur, adhibere

Ad proprii usũ permissa nequit Religiosus alijs mutuo aut commodato dare.

bere diligentiam, saltem communiter ab hominibus adhiberi solitam, immo majorem, quàm à domino, in custodia vel consumptione rerum, præsertim quæ ipsius curæ committuntur, v.g. in libris, candelis, charta, vestimentis &c.

77. *Nec usurpare res communes sine licētia, quæ quo ad has facilè præsumitur:*

Præterea nequit usurpare sine licentia res communes v.g. libros &c. quæ tamen quia facilè præsumitur, non facilè subierit peccatum mortale, præsertim si res non pereat, nec extra ordinem concedatur; vel etsi usu cōsumatur, tamen sumatur ad usum proprium in parva quantitate & sine notabili detrimento monasterii. Immo ob materiæ parvitatem, sæpe excusatur à mortali cōmodans alteri etiam extraneo, v.g. librum ad aliquod tempus. Similiter ex levitate materiæ aut præsumpta licentia excusatur à mortali receptio rei ea intentione, ut statim tradatur communitati. Item quando aliquid accipitur ad usum proprium loco alterius rei similis, quæ ex bonis communibus data est vel danda fuisset. Qualis autem licentia Superioris requiratur & sufficiat, dicemus. *Quæst. seq.*

*Accedente parvitate materiæ.*

78. *Monasterium succedit omnia bona Religiosi succedit ex jure communi.*

Petes I. An & quæ bona Religiosi transeant ad monasterium? Resp. si monasterium non habeat jus successionis (prout ex *Trident. Sess. 25. c. 3.* non habent monasteria Minorū & Cappucinorum, & ex statutis suis tam domus professæ, quàm Collegia Iesuitarum, ut docet *Lessius dubio 10. n. 81.*) omnia bona Religiosi, de quibus ante professionem non disposuit, devolvuntur ad hæredes ab intestato. Si autem habeat monasterium jus succedendi, sicut possidendi bona etiā immobilia (prout habent reliqua monasteria) succedit in omnia bona Religiosi, etiam immobilia, de quibus ante professionem non disposuerat. Et hæc quidem de jure communi. More tamen Hispanorum, Belgarum, & Gallorum monasterium non succedit, sed proximiores consanguinei, nisi ex pacto bona monasterio reserventur.

*Obstat tamen subinde mos patriæ.*

79. *Quidquid professus acquirit, monasterio acquirit.*

Petes II. Cui acquirat Religiosus post professionem? Resp. quidquid acquirit, acquirit monasterio c. *Abbates* 18. *q.* 2. & alibi. In quo similis est partim servo, qui nihil sibi, sed totum domino acquirit: partim filio, quo inscio aut invito potest paterfamilias acceptare hereditatem filio oblatam, sic & monasterium: quod tamen non tenetur ex Religiosi, etsi Prælati, delicto, nisi in quantum aliquid conversum est in commodum monasterii: nam *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*, ut habet regula 76. juris *in 6.*

*Nisi acquirat ex beneficio extra monasterium.*

Excipe nisi Religiosus habeat beneficium extra monasterium vel ordinem: is enim acquirit beneficio non monasterio, cui proinde non cedunt, quæ supersunt post mortem, & fuerunt ex beneficio seu ejus intuitu acquisita c. *Statutum* 18. *q.* 1. Secùs est de acquisitis aliunde, scilicet eleëmosyna, legato, propria arte &c. nisi sit planè exceptus à Prælatis Regularibus: tunc enim omnia acquirit beneficio. Intelligitur autem exceptio de beneficijs non unitis monasterio ex indult. Sedis Apostolicæ, ut censeantur spectare ad mensam Abbatis vel monasterii (prout varia unita sunt) fructus enim inde superflui post mortem cedunt monasterio. Vide *Clem. un. de Supplenda negligentia Prælatorum.*

*Eique non unitæ.*

80. *Altissima Fratrum Minorum paupertas declaratur.*

Dico III. Altissima paupertas, quam profitentur Fratres Minores, excludit omne dominium & jus politicum cujusvis rei temporalis, tam mobilis, quàm immobilis, tam in communi, quàm in particulari, contenta solo usu simplici facti, ut patet ex *c. 6.* Regulæ & declarationibus variorum Pontificum, in materia *De Justitia & Jure Dis. 4. Quæst. 3. §. 4.* relatis & expensis.

81. *Quarum rerum Ecclesia sibi assumpserit dominium.*

Dominium porrò Ecclesiæ, Oratorii, Ecclesiæ annexi & cæmeterii est penes Sedem Apostolicam. Reliquarum autem rerum, etiam mobilium, & unico actu consumptibilium similiter assumpserunt in se Pontifices, nisi tamen illud sibi reservarint ipsi donantes. Vide dicta à nobis loco jam citato *n.* 48. & *seqq.*

*An etiam pecuniarum.*

Excipit tamen Nicolaus III. dominium rerum, quarum usus nullo modo potest esse licitus Fratribus, scilicet pecuniarum & rerum ad illas reducibilium: quarum proinde dominium usque ad alienationem manet penes donantes; adeo ut dum Fratres recurrunt ad pecuniam in necessitate, accedant ad Syndicos, non tamquam tales, sed tamquam amicos & depositarios seu ministros dantium. Tamen Martinus V. etiam assumpsisse noscitur dominiū pecuniarum, quod donantes à se ablegasse censentur: sic ut consequenter expendi debeant per Syndicos tāquam procuratores Sedis Apostolicæ. Qui modus servatur in familia Ultramontana, & defenditur fusè à *Marchante* in particulari *Relectione Theologica de Syndicis*, tamquam consonus puritati Regulæ, immo tamquam admissus à Familia Cismontana, etiam in statutis novissimè *Toleti* recognitis Anno 1633. cujus tamen oppositum manifestè protestantur eadem statuta *c. 3. §. 3. n. 1.* idemque significant *§. 2. n. 6.*

82. *Hinc nequeunt Fratres Minores habere annuos reditus, nequidem pro sacristia.*

Hinc sequitur I. Fratres Minores non posse habere annuos reditus, ne quidem pro Ecclesia aut sacristia. Tum quia Clemens V. indefinitè decernit, illos repugnare statui Fratrum, & computari inter immobilia, tum quia eos non esse capaces redituum simpliciter decernit Clemens VII. in quodam Brevi edito Anno 1526. Quare immeritò *Sanchez l. 7. c. 27. n. 29.* & *Lugo* contrarium asserunt, ut suam, sive domuum professarum, in hoc puncto paupertatem præ nostra extollant. Quæ consequentia nihilominus non subsisteret: cùm equidem non ad ordinem (prout monasterium & Ecclesia cum bonis mobilibus ad domum

professam) sed ad Sedem Apostolicam jus & proprietas redituum spectaret.

83. *Vir nec possunt emere, vendere &c.*

Sequitur II. Fratres Minores nil posse propriè emere, vendere, mutuare, oppignorare, commodare, pacta, conventiones, obligationes facere, debita contrahere &c. mutuum, commodatum, pignus recipere &c. De quibus vide expositores Regulæ, signanter *Marinare in caput 6. Tit.* 3. per varias quæstiones de his differentem.

84. *Qualiter teneantur ad usus arctos.*

Dico IV. Etsi paupertas evangelica essentialiter absolvatur abdicatione omnis juris & proprietatis: tenentur tamen Fratres Minores vi professionis ad usus arctos & pauperes in Regula expressos, v. g. usum vilium vestimentorum, & duarum tantùm tunicarum, non usum calceamentorum &c. in reliquis autem per Regulam non expressis v.g. ædificijs, ornamentis &c. obligantur ad usus moderatos, utì conformiter ad altissimam paupertatem declararunt Nicolaus III. & Clemens IV. Quæ moderatio non consistit in indivisibili, estque judicanda per Prælatos secundum qualitatem locorum, temporum, personarum, & rerum. Vide Pontificum Declarationes ante citatas & Regulæ expositores, qui etiam alia huc spectantia, v. g. usum pecuniarum Fratribus Minoribus vi Regulæ inhibitum, sufficienter tractant.

## QUÆSTIO IX.

### *Quale peccatum sit proprietas? Quæ licentia ab ea excuset? & quæ proprietariorum pœnæ.*

85. *Quale & quotuplex peccatum sit proprietas.*

Dico I. Proprietas est peccatum sacrilegii, scilicet ratione violationis voti ut patet.

Dico II. Ordinariè insuper proprietas est peccatum furti, utpote usus rei alienæ invito domino v. g. monasterio (cujus loco in Ordine Fratrum Minorum est Pontifex) ad quod res Religioso oblata & ab eodem acceptata statim devolvitur.

Dixi, *ordinariè*, si enim concedens Religioso usum rei, velit retinere dominium, Religiosus cõmittet sacrilegium, non furtum. E contra, si Religiosus, consentiente Prælato, usurparet res alienas, furaretur, & tamen nõ esset proprietarius seu sacrilegus,

86. *Quam ad proprietatem mortalem requiratur materia quantitas.*

Dico III. Proprietas est peccatum mortale, quãdo usurpatur ea quantitas, quæ est materia sufficiens furti mortalis: nam sicut ista quantitas sufficit ad gravem injustitiam erga proximum, sic etiam ad gravem injuriam erga Deum in materia Religionis. Ita plerique Doctores. Esset tamẽ leve peccatum proprietatis, si res in se sit levis, etsi conjuncta sit gravis damnificatio, v. g. si furando acum inferatur proximo grave detrimentum: non enim est contra votum paupertatis alterum damnificare, sed usurpare res temporales sine licentia.

87. *Ab ea excusat licentia expressa:*

Petes I. Qualis licentia Superioris requiratur ad hoc, ut excuset à peccato proprietatis? Resp. Ut sincerè & securè in hoc procedatur, requiritur licẽtia expressa, dum commodè peti potest: alioquin probabiliter præsumpta cum intentione manifestandi Superiori primâ opportunitate: intelligo, quando res adhuc extat. Ratio est: quia sic magis receditur à receptione aut detentione rei proprio nomine seu auctoritate.

*Vel tacita.*

Resp. II. Spectare in rigore loquendo consensum tacitum seu probabiliter præsumptum, etiam quando patet ad Superiorem accessus saltem ad excusandum à mortali. Ita plurimi Doctores. Ratio est: quia nõ dicitur res fieri nomine proprio & absque licentia Superioris, quando ejusmodi consensus adest. Deinde expressi & taciti eadem est virtus, ut dicitur *c. 2. de Rescriptis, & l. Cum quid ff. de Rebus Creditis*, eademque in jure regulariter æquiparantur ut *Glossa in l. Expressa ff. De Regulis Juris.* Hæc autem licentia tacita aliquãdo supponit præsentem voluntatẽ & ratihabitionem Superioris, v. g. quando Superior videns, non tantùm dissimulat permissivè eò quòd non possit commodè hîc & nunc contradicere. (hæc enim non sufficeret) sed approbativè scilicet, cùm posset facilè contradicere & facet. Item quãdo usus, in Religione, præsertim etiam timoratorum, à Superiore toleratus habet, ut aliqua ad certam quantitatem recipiantur non petitâ licentiâ. In monasterijs tamen bene ordinatis non conceditur hæc facultas generaliter, nisi in rebus parvi momẽti & crebrò occurrentibus.

88. *Aut probabiliter præsumpta.*

Aliquando autem facultas hæc non respicit voluntatem præsentem, sed futuram sub cõditione, quia videlicet, si Superior sciret, foret contentus. Et ista propriè dicitur licentia præsumpta. Signa autem varia sunt ex quibus possit prudẽter præsumi ista voluntas, scilicet ex cõditione & qualitate tam Superioris, quàm subditi: si hic sit vir gravis amicus & ille dulcis & proclivis ad condescensiones similes, nec solitus eas graviter reprehendere, & maximè ex actibus præteritis, si simili casu præsumptam fuisse licentiam, offendat sibi non ingratum. Item ex qualitate rei, utpote levis & fere nullius momenti. Ex facto ipso, utpote cedente in utilitatem monasterii.

*Et unde talis sit cognoscenda.*

89. *Non possit ab unoquoque & utique quoque præsumi.*

Hinc fit à quibusvis Religiosis & in una quaque Religione non eamdem posse prudenter præsumi licentiam, utì nec in unoquoq; monasterio & respectu Superiorum quorumcumque, sed attendendam qualitatem Religionis, Superioris & monasterii &c. Porrò hæc præsumpta licentia est securior, quando non tãtùm præsumitur Superior fore contentus, si veram peterem, sed etiam præsumitur non ægrè laturus istam veniæ præsumptionem. At minùs secura est quando Superior ægrè ferre noscitur, si non petatur,

petatur, dum peti potest licētia expressa. fieri enim potest, & sæpe fit, ut displiceat absolutè receptio rei etiam quoad substātiam, nisi expressa licentia, dum peti potest, adsit: cùm tamen sciatur non neganda re, quamvis notabilis, si petatur. Idque censet *Lugo disp. 3. sect. 7. n. 123.* de mente omnium Prælatorum in Religionibus in quibus viget observantia paupertatis, quæ aliàs enervationi pateret. Et tunc quidem tollitur præsumptio licentiæ. At quando quidem non est invitus, quoad substātiam receptionis, sed tantùm quoad modum, isque non adeo gravitet displicet, ut censeatur velle jus suum quoad substantiam servare (quod prudenter ex signis præmissis est pensandum) posset transire licentia præsumpta, sic ut excuset à mortali, etsi ne tunc quidem à veniali.

90. *An res cum tali licentia recepta postea sit Superiori manifestanda.*

Petes II. An res accepta ex præsumpta licentia debeat postea, si extet, manifestari Prælato? Resp. affirmativè, nisi perseveret eadem causa præsumendi licētiam in retentione, quæ fuit in acceptione: nam etiam requiritur licentia ad retinendum. Unde si ob defectum commoditatis aliquid ex præsumpta licentia recipiatur, quod alioquin sine expressa licentia recipi non potuisset, debet postmodum indicari Prælato, ut retineri possit, si adhuc extet, aliàs non. Quando autem datur licentia ad recipiendum censetur dari ad distribuendum, si res sint, quæ solent accipi, ut distribuantur.

91. *Quid de occultante res ita acceptas.*

Petes III. An sit proprietarius, qui ea, quæ cum licentia sufficienti habet, abscōdit, ne Superior aut ejus Successor invenire possit aut revocare licentiam? Resp. Affirmativè: quia talis vult perseverare in possessione rei independenter à voluntate Prælati, à qua tamen continuò debet pendere, ne sit proprietarius. Secus est, si occultet ne ab alijs auferantur, paratus semper patefacere omnia Prælato: aut quando non timet quidem Prælatum revocaturum, erubescit tamen refricari Prælato memoriam aut veretur reprehendi ob modum, quo recepit, scilicet sine expressa licentia, etsi cum tacita sufficienti ad vitandum peccatum, saltem grave proprietatis: vel denique quando res habetur cum licentia Prælati Superioris, ad quem fuisse recursum Prælatus inferior ægrè ferret vel revocari curaret.

92. *Licentia debet esse voluntariè concessa.*

Petes IV. An licentia debeat esse voluntariè concessa? Resp. affirmativè. Quare extorta per vim, metum aut fraudem non excusat Religiosum à vitio proprietatis. Immo nec licentia extorta per preces importunas, si Superior illam tantùm concedat, ut se liberet à molesta vexatione subditi, alioquin nullatenus concessurus: tunc enim potiùs est violentia, quàm licentia. Secus si precibus exoratus postea libenter concedat. Idem est juxta *Sanchez l. 7. c. 19. n. 18.* quando Superior concedit licentiam, ut vitet murmurationem subditi, quem novit alioquin effundere murmurationes velut injuriâ affectum: eò quòd tunc sit coacta permissio ad vitandum majus malum.

93. *Non sufficit debita.*

Petes V. An sufficiat licentia secundùm rectam rationem debita, etsi illam neget Superior? Resp. negativè: etsi enim peccet, subditus tamen non peccat abstinendo à re negata, ut supponitur (aliàs, si ita non supponatur, posset subditus licitè procedere, v. g. succurrere sibi aut proximo extremè indigenti, quod etsi durū videatur, erit tamen probabile & dulce cogitanti, quòd propter Deum abnegaverit omnia & præsertim propriam voluntatem; durissimo judicio eum, qui sic præest, manente.

94. *Quid de licentia ad usus turpes vel superfluos.*

Petes VI. An licentia concessa ad usus vanos, turpes aut superfluos excuset Religiosum nō solùm in acceptione & detentione, sed etiā in similibus usibus à vitio proprietatis? Resp. verosimiliter affirmativè cum *Lugo sup. n. 132.* contra *Sanchez sup. n. 2.* & alios. Colligitur ex cōmuni sensu: non enim judicatur emptio rerum pretiosarum aut curiosarum, facta de licentia Prælati, esse invalida, nec venditor obligatus ad restitutionem pretii etsi talis Religiosus equidem peccet contra votum, quatenus non servat statum pauperis, prout etiam per similes excessus peccaret ipse Prælatus, totusque conventus, non tamen peccato proprietatis: sicut peccaret quidem contra charitatem propriam aut temperantiam, qui habēs licentiam generalem accipit piscem noxium sanitati, non tamen dicitur proprietarius.

Itaque receptiones & usus illi quidē sunt prohibiti, similiter licentia seu facultas ad illos, non tamen irritantur, quando non cedunt in grave damnum temporale conventus, uti supponitur, cùm potuissent eadem expendi licitè in usus honestos. Sicut *Tridentinum sess. 25. c. 2. de Regular.* præcipit in supellectili servari moderamen convenientis statui paupertatis, non tamen invalidat acceptionem, aut possessionem superflui, quasi monasterium ad illud non acquirat jus. Itaque licētia prædicta non faceret usus istos licitos, sed tantùm non proprietarios.

95. *Potest talis licentia concedi non solùm validè, sed etiam licitè.*

Porrò eiusmodi licentia non tantùm validè, sed etiā licitè videtur posse cōcedi, non quidē expressè, & in particulari, ne videatur Prælatus determinatè in usum turpem consentire: sed in genere, non restringendo ad usum licitum, quod videtur cōsonum praxi in alijs licentijs & dispēsationibus: nam dispēsatus ad comedendū carnes die jejunii nō peccat cōtra legem Ecclesiæ, etsi commedat furtivas & sanitati noxias aut immoderatè. Similiter dispensatus ad celebrandū tempore interdicti non peccat cōtra legem Ecclesiæ, etsi celebret in malo statu. Potest namque in similibus (adeoque etiam in præsenti proposito.) Prælatus dare subdito generalē facultatem relinquendo conscientiæ & arbitrio subditi licitum usum, aliunde ei præceptum. Sicut Deus ipse dat voluntatem cum potentia bene & malè agendi, ordinem

nem facere totalem cum potestate bene & malè consecrandi &c. Immo Varii contra *Sanchez sup. n.* 30. non improbabiliter putant, talem facultatem censeri contentam in generali facultate, quæ à Prælato conceditur, utì juxta prædicta in alijs materijs non censetur facultas illimitatè concessa restringi ad usus honestos.

96. *An parva proprietates coalescant in unam magnam, utì furta.*

Petes VII. An Religiosus multa parva successivè recipiens, sine sufficienti licentia, tandem peccet mortaliter, sicut, qui committit plura parva furta? Resp. affirmativè si priora nondum sunt consumpta: sic enim detinet & possidet rem notabilem sine licentia Superioris, si verò sunt usu consumptibilia, & de facto consumpta, sine ordine ad inferendum communitati notabile detrimentum, aut ad consumendum rem notabilem, non videtur fieri mortale: nam Superiores non solèt similibus parvis consumptionibus graviter offendi, nec confessarij tales arguere gravis peccati, etsi confiteantur se sæpius venialiter peccasse contra votum paupertatis, potiùs quàm si confiteantur se sæpius leves transgressiones obedientiæ aut cõtinentiæ admisisse. Aliud est de furtis: nam supponuntur domini esse notabiliter inviti, etiãsi priùs ablata sint consumpta, quando tandem gravis exurgit quantitas, etsi necessariò major, dum tempus, præsertim notabile, interjacet inter unum & aliud leve furtum: non supponuntur autem ita inviti Superiores circa subditos, utpote qui sunt in monasterio, velut filijfamilias in domo patris. Præterea talis Religiosus factâ consummatione nihil retinet aut possidet, sicut fur etiam post consumptionem retinet moraliter seu virtualiter cum potestate restituendi alienum notabile, etsi paulatim acceptum.

97. *Triplex proprietariorum pœna. Prima.*

Dico IV. Triplex est pœna proprietariorum. Prima, Religiosus, qui inventus fuerit ne in morte quidem proprium abjecisse, sepeliendus est in sterquilinio cum pecunia sive re proprietariè possessa, saltem secundùm partem c. *Cum ad Monasterium de Statu Monachorum.* Immo si in loco sacro sepultus sit, extrahi debet, si sine notabili scandalo fieri possit c. *Super quodam* eodem titulo, est autem sermo de proprietarijs in re notabili, unde evidenter colligatur mortuus esse in malo statu.

*Secunda.*

Secunda, proprietarius est reclusus ad agendam pœnitentiam c. *fin. de Regularibus.*

*Tertia.*

Tertiam addit *Tridentinum sess.* 25. *c.* 2. *de Regularibus, ut si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit.* Loquuntur autem jura de possidentibus, accipientibus, seu retinentibus proprium, non autem de dantibus seu expendentibus. Vide *Sanchez l.* 7. *c.* 20. *n.* 11. & *Bassæum V. Paupertas Religiosa n.* 20. ubi quasdam declarationes Cardinalium ad citatum *Conc. Trid.* locum adducit.

## QUÆSTIO X.

### *De Religiosis ad aliam Religionem transeuntibus, item de Ejectis, Fugitivis & Apostatis.*

98. *Licitus ex jure communi Religiosi transitus ad arctiorem Religionem.*

AD primam quæstionis partẽ respondeo jure communi licitum esse personis religiosis transitum ad arctiorem Religionem, præviâ maturâ deliberatione & studio melioris ac tutioris vitæ: petitâ tamen, sic bonum obedientiæ contemni videatur, etsi non obtentâ Prælati sui (intelligo illius, ad quem alioquin spectat admissio ad Religionem) licentiâ c. *Licet De Regularibus.* Quod, esto specificet de viris, tamen etiam extenditur ad feminas, ut rectè *Rodriguez Tom.* 2. *Quæst. Regul. q.* 52. *art.* 6.

*Spectata hujus arctitudine potius quam absolutâ perfectione.*

Consideratur autem in hoc transitu non tam major absolutè Religionis perfectio (ut vult *D. Thomas* 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. & quidam alii) quàm rigor & arctitudo: indeque jure communi licitum est omnibus, etiam mendicantibus, transire ad Carthusienos, quorum tamen Religio non est religiuis simpliciter perfectior, sed reputatur strictior in observantijs externis, scilicet solitudine, silentio, continuo cilicio, & prolixitate officii.

99. *Ad laxiorem Religionẽ quando licitus transitus.*

Ad laxiorem verò Religionem transitus quidem datur, personis religiosis, sed petitâ, atque etiam obtentâ licentiâ Prælati & justa de causa, sine qua nec Pontifex potest facultatẽ dare, cùm interveniat quædam votorum dispensatio, quæ sine causa validè fieri nequit. Est communis Doctorum & hæc quidem attente jure communi locum habent.

100. *Qualiter jus commune per privilegia sit alteratum.*

Attamẽ hæc juris dispositio diversimodè per decreta vel privilegia variorũ Pontificum cum diversis Ordinibus cõcessa est alterata seu limitata, nam *Extrav. viam ambitiosa de Regularibus*, prohibetur mendicãtibus transitus ad non mendicãtes (præterquam Carthusianos) sic ut ipso facto excommunicentur tam recipientes, quàm qui recepti sunt.

Præterea varijs Ordinibus prohibetur transitus etiam ad Carthusianos sine licentia obtenta, utì Capucinis, Jesuitis, & juxta *Hieronymum à Politio in c.* 2. *Regulæ n.* 85. generaliter Fratribus Minoribus: etsi his sufficere putet *Rodriguez sup. art.* 18. licentiam petitam. Sicut etiam Capucinis inhibitum est sub excommunicatione & inhabilitate ad quævis officia & actus legitimos recipere Observantes sine licentia speciali à Summo Pontifice, per litteras Apostolicas obtenta, sic ut receptio & professio aliter facta sit nulla, ut patet ex *Bulla* 17. *Sixti V. in Bullario Rodriguez.*

101. *Inhabilitas à Trid.*

Nota Religiosos quoslibet, ad alium Ordinem etiam cum legitima licentia transeuntes,

*flida mendicantibus ad non mendicantes transeuntibus.*

seuntes, debere sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo manere ac incapaces esse quorumcumque beneficiorum sæcularium etiam curatorum, sic *Tridentinum sess. 14. c. 11.* Præterea ex *Clem. Ut Professores De Regularibus*, Mendicantes trànseuntes, etiam de consensu Pontificis ad non mendicantes (an sub his Carthusiani debeant censeri comprehendi, disputatur) redduntur inhabiles ad quasvis dignitates & beneficia intra & extra Ordinem, & ad curam animarum, omniaque officia & administrationes, sic ut ne quidem possint esse aliorum Vicarii, vel locum tenentes neque vocem in Capitulo habeant, etsi hoc sibi ab alijs liberè concedatur.

102. *Tenetur Superior Religiosum redeuntem iterum recipere,*

Petes I. An Superior teneatur recipere Religiosum, cui concessit licentiam trànseundi ad arctiorem Religionem, si, ante professionem in ea, revertatur? Resp. affirmativè cum *Miranda Tom. 1. Man. q. 31. art. 18.* ubi idem extendit ad casum, quo Religiosus omni jure, quod ad primam Religionem habet, renuntiaverit.

103. *Ad quod Monasterium spectent bona Religiosi transeuntis ad aliam Religionem.*

Petes II. Ad quod Monasterium spectent bona Religiosi ad aliam Religionem trànseuntis? Resp. illa spectare ad primum, si capax sit: idque verum est juxta *Azorium Tom. 2. l. 12. c. 15. q. 3.* & alios, etiamsi Religioso obveniant bona eo tempore, quo moratur in secundo monasterio ante professionem: post hanc autem quæcumque bona acquirit, secundo monasterio acquirit, si id bonorum capax sit. Vide *Bassæum in Supplem. V. Religio n. 27. & seqq.*

104. *Nequit Religiosus ejici sine causâ. Potest cum ea.*

Quod ad secundam quæstionis partem attinet Religiosus nequit ejici à Religione sine justa causa, ob jus acquisitum per incorporationem factam in professione. Ex justa tamen causa expelli posse patet ex praxi omnium Religionum: nam secundùm *Bernardum* apud *Lessium c. 41. dub. 14. n. 106.* melius est, ut pereat unus, quàm unitas: & secundùm *Hieronymum in Epist. ad Galatas c. 5. Scintilla statim ut apparuerit extinguenda est & fermentum à massa vicinia removendum, secanda putrida carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat.*

105. *Talis est incorrigibilitas.*

Justa autem causa expulsionis jure est incorrigibilitas. Quis autem censeatur incorrigibilis explicat constitutiones Ordinis nostri à Sede Apostolica approbatæ *c. 6. §. 18.* Varia quoque desuper decrevit Congregatio Cardinalium approbante Pontifice ad Annum 1624. 21. Septembris. Totum decretum refert *Bassæus V. Religio VI. n. 3.* Etsi autem nunquam vindicatur publicatum, his saltem in locis, non tamen est contemnendum, saltem ob molestias fori externi.

106. *Etiam respectu Monialis, quam tamen præstat includi.*

Attento autem juris communis rigore & paritate rationis posset etiam expelli Monialis ob incorrigibilitatem: non est tamen consuetum, sed consultiùs perpetuò recluditur, si alia non sit spes emendationis.

107. *Item occultatio defectus essentialis.*

Denique, præter incorrigibilitatem, justa causa expulsionis est, si Novitius emiserit professionem occultato defectu, qui in illa Religione censetur essentialis, in quo spectandæ sunt constitutiones Ordinum.

108. *Ejectus non tenetur petere iteratam receptionem.*

Religiosus absolutè ejectus, secundùm *Diana P. 3. Tract. 2. Resol. 60.* & alios contra *Bassæum sup. n. 7.* non tenetur se ulteriùs præsentare, ut recipiatur: immo, juxta *Navarrum Consil. 80. De Regularibus*, non potest compelli à Superioribus, ut redeat, licèt contrarium sit multò probabilius, videlicet eum teneri reverti, si à suo Superiore fuerit requisitus: unde si nolit redire potest & debet excommunicari tamquam contumax, sic habet Concilium Lugdunense *c. ultimo* sub Gregorio X. Si verò tantùm ad tempus sit ejectus, tenetur in conscientia se emendare, & se iterum Superiori præsentare.

*Ad quam tamen potest compelli*

109. *Tenetur ad vota essentialia quantum status permittit,*

Religiosus ejectus, cùm maneat verus Religiosus, obligatur ad vota essentialia, quantum status ejectionis patitur, licet ex parte cesset executio ob defectum materiæ. Censetur autem ei commissa administratio temporalium, etsi non sibi acquirat alicujus rei dominium, sed monasterio: quamvis non improbabiliter putet *Navarrus Comment. 2. de Regularibus n. 33.* Pontifici vel Episcopo eum acquirere & non monasterio, cùm ampliùs non sit ejus membrum. Vide *Castro Palao de Statu Relig. disp. 3. punct. 19.* Probabiliùs etiam non tenetur observantijs monasticis & regulis, ut jejunijs, vigilijs, silentio &c. sicut nec uti veste monachali, immò nec potest eâ uti, cùm sit eâ spoliatus.

*Secùs est de observantijs monasticis.*

110. *Quis dicatur fugitivus & apostata.*

Quantum ad tertiam & quartam quæstionis partem: fugitivus est, qui sponte discedit, idque vel animo deserendi institutum & sic est Apostata, vel ut se extra potestatem Superioris, vel ad tempus libere vagetur cum animo redeundi, & sic solùm dicitur fugitivus.

111. *Quas pœnas incurrat.*

Qui fugit, dimisso habitu est excommunicatus, licet animo apostatandi id non faciat c. *Ut periculosa ne Clerici vel Monachi in 6.* quia habitum suæ Religionis temerè dimisit. Qui verò fugit habitu retento, etiam animo apostatandi, probabile est eum non esse communi jure excommunicatum, licèt sit Apostata, & possit excommunicari & pœnis apostasiæ puniri: immo per Constitutiones Ordinis nostri *c. 6. §. 20.* excommunicatur Apostata etiam cum habitu. Sed quia multi Ordines de his particularia habent statuta & diversa, illa & alii Auctores, de his plura tractantes in facti contingentia consumantur.

DISPU-

# DISPVTATIO SEXTA.

## De Iuramento & Adjuratione.

### QVÆSTIO I.

### Quid Iuramentum, Quotuplex & an licitum?

1. *Quid iuramentum & cur introductum.*

IVRAMENTVM est attestatio divini Numinis vel invocatio divini testimonii ad fidem faciendam vel promissionem firmandam. Unde jurare est Deum in testem vocare. Introductum est autem juramentum in confirmationem veritatis ex defectu humanæ probationis, ut sic, sine litibus imposito, homines in pace vivãt. Nec putet quis, per juramentum peti à Deo miraculum: quia jurans non petit, ut Deus nunc testetur, sed quando ei placuerit, saltem in judicio extremo: & hoc sufficit ad fidem faciendam: nullus enim præsumitur tam malus, ut audeat Deum facere testem falsi. Deinde, ut ait *D. Thomas 2.2.q.89.art. 1. ad 3.* Deus sæpe manifestat veritatem in præsenti vita per internam inspirationem, per facti nudationem, rei occultæ patefactionem, vel denique per pœnam mentientis, quando quis execratoriè juravit. Hinc sequitur malè jurare eum, qui irreverenter jurat, vel sine causa, vel levi de causa.

2. *Fieri potest per explicitam Dei invocationem vel implicitam in creaturu.*

Invocatio Dei per juramentum dupliciter fieri potest, scilicet explicitè, cùm nomen ejus nominatur dicendo, per Deum: & implicitè, cùm in creaturis nominatur. Porrò creatura quatuor modis invocari potest. Primò secundùm se, & sic non est juramentum: quia ipsa per se non potest esse testis, saltem ut prima veritas. Quod addo: quia licet Sancti subinde agnoscant id, quod dicimus & testari possint super eo, tamen respectu illorum erit potiùs actus duliæ, quàm juramentum. Secundò ut in creatura relucet lumen divinum & sic implicitè Deus invocatur ut testis & est verum juramentum. Ita, qui jurat per cælum, censetur jurare per eum, qui ibi habitat, qui per templum, tamquam per eum, qui ibi colitur, qui per Evangelia, tamquam per auctorem &c. Et quo Numen divinum specialiùs creaturæ assistit, eo maius est juramentum. Hinc per omnem rem jurare possumus, quamvis non soleamus jurare per res viles ob speciem indecentiæ. Tertiò ut creatura est aliquid ad nos pertinens, quod Deo obligamus, & dicitur juramentum execratorium, ut cùm dicimus per animam, per vitam parentis &c. Quartò ut creatura falsò putatur habere aliquid divinitatis, & sic erit blasphemia, & species idololatriæ. Similiter blasphemia est, si quis impudenter juret per membra Christi & Sanctorum, quasi in eis sit aliquid pudendum.

*Et hoc variis modis.*

Ex dictis colligitur I. non esse juramentum, quando non intercedit invocatio Dei explicita vel implicita, & intentio jurandi. Unde dicere per fidem meam, in fide boni viri, per meam conscientiam &c. non est juramentum: quia sic loquens tantùm ostendere intendit se loqui ex virtute fidei & veritatis ac notitia conscientiæ, quam vir probus in dictis suis adhibere debet: aliud est si quis per fidem intelligat fidem Catholicam vel primam veritatem. Similiter non jurat dicens, Deus scit, Deus videt &c. si tantùm intendat affirmare Deum ista scire: quia tunc deest intentio jurandi. Secùs si aliter intendat.

3. *Cui invocationi accedere debet intentio jurandi.*

Colligitur II. Perjurium esse grave peccatum, quia perjurus, quantum in se est, facit Deum approbare falsum pro vero, quæ est maxima injuria. De quo dicemus plura *Quæst. 5.*

4. *Perjurii malitia.*

Juramentum multipliciter dividitur. Primò in id, quod fit verbis, & in id, quod fit alio modo. Secundò in explicitum & implicitum. Tertiò in illud, quod fit per Deum, & in illud, quod fit per creaturas. Quæ omnia satis patent ex terminis. Quartò in contestatorium, quo Deus tantùm in testem vocatur, v.g. testis mihi sit Deus, testor Deum, juro per Deum, & in execratorium, in quo etiam vocatur in Judicem, nimirum nos, vel aliam rem nobis gratam vel conjunctam obligando, ut Deus in ea nos puniat, si fallimus, v.g. per animam, per salutem filii, Regis &c. Non differunt tamen hæc juramenta specie in ratione juramenti: quia in utroque vocatur Deus in testem; in illo tantùm ut testetur; in hoc verò ut etiam puniendo aperiat veritatem, si ei contraventum fuerit.

5. *Multiplex juramenti divisio.*

*Signanter in contestatorium & execratorium.*

Quintò dividitur juramentum in simplex & solemne, quæ satis patent. Nec solemne habet aliquam specialem malitiam, si violetur, supra simplex, si nullum adsit scandalum. Sextò in assertorium, promissorium & comminatorium. Assertorium adhibetur solùm, ut probetur, quod aliter probare non possumus. Promissorium est, quo alteri intendimus nos obstringere, seu promissionem nostram firmare. Comminatorium est, quo alteri minamur pœnam,

6. *In simplex & solemne.*

*In assertorium, promissorium & comminatorium.*

Adverte in assertorio nullam oriri obligationem

7.

*In assertorio solum confirmatur veritas: ex aliis oritur obligatio; & quæ.*

gationem, sed veritatem solùm confirmari: in promissorio oriri obligationem ad alterum & in comminatorio oriri obligationem ad infligendā pœnam, & hoc ex reverentia juramenti, cui supponitur homo non contraventurus. Hinc in assertorio tantùm requiritur una veritas, quæ asseritur, & hæc si absit, semper erit mortale: quia omnes veritates in ordine ad testimonium Dei sunt materia gravis & ejusdem rationis. In promissorio verò & comminatorio requiritur duplex veritas, una præsens utpote quod habeas animum exequēdi, quod dicis: altera futura, quæ consistit in executione. Prima est principalis & semper necessariò requisita: secunda est minùs principalis, & læpè citra peccatum abesse potest.

8. *Juramentum est licitum.*

Quod ad ultimam quæstionis partem attinet, fide tenendum est contra diversos hæreticos (quos vide apud *Alphonsum à Castro V. Juramentum*) juramentum in debitis circumstantiis esse licitum. Probatur ex omnibus illis scripturis, in quibus legimus Sanctos Patres, Prophetas & Apostolos jurasse. Deinde constat ex *Psalmo 62. Laudabuntur omnes, qui jurant in eo. Deuteron. 6. Dominum Deum tuum timebis & illi soli servies ac per nomen illius jurabis.* Præterea constat ex usu omnium gentium, & ratio favet: quia per juramentum Deo defertur honor & timor & res certam veritatem acquirit.

9. *Neque à Christo posita causa, sed tantùm ea seclusa, redarguitur.*

Dices I. *Matth. 5.* dicitur: *Ego autem dico vobis non jurare omnino neque per cælum &c.* Resp. Christum ibi redarguere duos errores Judæorum. Primus erat licere quâvis occasione jurare, modò verum esset juramentum. Alter erat juramentum per creaturas non obligare, ut patet *Matth. 23.* ubi de hoc reprehenduntur. Itaque vult Christus citra necessitatem non esse jurandum, neque per Deum, neque per creaturas, eò quòd non sit parva irreverentia tantum testem invocare sine causa, & ideo subjungit: *Sit autem sermo vester, est, est, non, non, quod autem his abundantius est, à malo est*, id est, ubi sufficit simplex affirmatio vel negatio, jurare est à diabolo.

10. *Quale juramentum clericis inducat jus Canonicum.*

Dices II. *c. Clericum 22. q. 1.* decernitur *Clericum per creaturas jurantem acerrimè objurgandum, si perstiterit in vitio, excommunicandum.* Resp. illud saput loqui de jurante per creaturas more Ethnico, tamquam per Deos quosdam: hoc autem turpe est Christiano & scandalosum: quia per hoc videtur illis cultus divinus deferri.

*An qui sit ordinabile ad res humanas.*

Dices III. Juramentum est cultus Dei: ergo non licet illum ordinare ad res humanas: ergo non licet jurare ad contractus humanos firmandos. Resp. juramentum non esse cultum divinum absolutè, sed in certa causa, scilicet quādo aliter fidem facere non possumus, & tunc non est illicitum uti re divinâ ad finem humanum: sic enim utimur Sacramentis & orationibus ad consequendam sanitatem.

Porrò ad hoc ut juramentum sit licitum tres requiruntur conditiones, quæ solent juramenti comites appellari. De quibus sit

## QUÆSTIO II.

### *Quænam sint Juramenti Comites & an ejus obligatio sit personalis?*

11. *Tres juramenti comites assignātur.*

TRES conditiones seu comites juramēti habentur *Jeremiæ 4. Jurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio & in justitia.* Veritas porrò ad juramentum requisita in hoc consistit, quòd jurans certò existimet rem ita se habere, sicut jurat: ita ut rem, quā jurat ut certam, probabilem vel dubiam, non levi conjectura, sed prudenter, & moraliter certo pro tali reputet.

12. *Si desit veritas in assertorio semper est mortale perjurium.*

Hinc si quis deliberatè juret falsum, etiam in levi materia, est perjurus & mortaliter peccat, etiamsi ex joco, consuetudine, bono & necessario fine, aut timore, adhæc gravissima de causa juret. Ratio est: quia per hoc, quod Deum scienter adducit in testem falsi gravissimam ei infert injuriam: nam, quantum in se est, in æstimatione hominum destruit & aufert à Deo primæ veritatis attributum, significando eum posse testificari falsum tamquam verum.

*Etiam defectu solitæ certitudinis requisitæ.*

Secundò in juramento assertorio, si desit veritas ex parte certitudinis & modo confirmandi, est mortale: quia jurans se exponit periculo juramenti falsi, & in actu exercito dicit falsum, scilicet se certò scire v. g. quod non certò scit: secùs est, si juret se ita sentire, aut illud esse verosimile &c.

*Vel considerationis circumstantiarum, exponendo se juramenti periculo.*

Tertiò peccat mortaliter, qui exponit se periculo jurandi falsum, ut quia non satìs inquirit & considerat circumstantias. Si tamen dicatur falsum materialiter, id est, cum sufficienti advertentia & æstimatione veritatis, non erit mortale perjurium: quia perjuriū non tam attenditur ex re jurata, quàm ex intentione & conscientia jurantis.

13. *Si desit in assertorio justitia regulariter est tantùm veniale.*

Si justitia desit in juramento assertorio (de promissorio infra dicemus) id est, si res sit illicita, regulariter est tantùm veniale, ut docet *Suarez l. 3. de Juramento c. 12. n. 7.* Ratio est: quia quamquam in eo aliqua subinde irreverentia inferatur Deo, adducendo eum in testem rei levis vel etiam malæ, tamen per hoc ipsi propriè non infertur macula, sicuti quando deest veritas.

*Quamquā possit subesse esse mortale.*

Dixi, *regulariter*, quia erit mortale, si simul non adsit sufficiens veritas. Deinde videtur etiam mortale, si juramentum assumatur, ut instrumentum peccati, ut si per juramentum confirmetur detractio infamatoria: videtur enim tunc gravis irreverentia: cùm assumatur Dei veritas in ordine ad nocendum proximo.

14. *Idem est si desit judicium.*

Si judicium desit, id est, si sine justa causa & imprudēter juretur, ordinariè erit tantùm veniale: quia tunc non latet gravis irreverentia.

15. *Quale peccatum sit consuetudo incautè jurandi.*

Petes: Quale sit peccatum consuetudo incautè jurandi? Resp. I. Consuetudo jurandi indiscriminatim verum & falsum etiam cum advertentia, quamdiu voluntaria est, constituit hominem in statu peccati mortalis. Ratio est: quia ex vi illius consuetudinis est homo in maximo periculo pejerandi.

Dixi, *quamdiu voluntaria est*, quia si homini efficaciter displiceat, vi illius displicentiæ & propositi interrumpitur consuetudo, & licet adhuc versetur in periculo peccati, non tamen in æquali, nec in periculo voluntario. Resp. II. Si ex consuetudine sæpè juretur falsum, non quidem ex directa voluntate dicendi falsum, sed solùm, quia sine debita cautione fit, est mortale, constituitque hominem in statu damnationis. Resp. III. Si consuetudo sit tantùm jurandi sine judicio & justitia, tali modo, ut nunquam sit periculum peccàdi mortaliter in istis juramentis, talis consuetudo non constituit hominem in statu damnationis. Est tamen ista consuetudo omnino dissuadenda.

16. *Corollaria.*

Ex dictis sequitur I. quoties peccatur per incautam jurationem, æquè peccari, sive juretur verum, sive falsum: quia tota ratio hujus peccati consistit in periculo, cui jurans se exponit, cum jurat.

Sequitur II. In confessione explicanda esse omnia juramenta prolata cum advertentia incertitudinis vel insufficientis discussionis, & similiter pœnitentem debere efficaciter proponere ab illis omnino abstinere, & adhibere media à confessario ad hoc suggesta.

17. *Obligatio juramenti ex parte jurantis est merè personalis.*

Ad secundam quæstionis partem Respondeo I. Obligatio juramenti ex parte jurantis est merè personalis, sic ut nullo modo ad successores vel heredes tranſeat. Ita D. *Thomas q. 98. a. 2. ad 4.* & alij. Ratio est: quia sicut nemo jurat nisi voluntariè, ita nemo obligatur juramento, nisi consentiat. Poterit tamen aliqua obligatio transire ad heredes non ex juramento, sed ex pacto promissorio, cui juramentum conjunctum est. Hinc si aliqua promissio fuerit invalida, sic ut non obliget heredes, licèt juramento firmetur, non propterea transit ad heredes.

Ex hoc colliges quid dicèdum, si major Capituli, vel Communitatis pars juret aliquid facere, scilicet dissentiètes & successores ex juramento non obligari, quamquam ex consuetudine vel alio modo obligari possint.

18. *Ex parte ejus verò, cui juratur, subinde transit ad Successores.*

Respondeo II. Obligatio juramenti ex parte ejus, cui juratur, aliquàdo extendit se solùm ad personam, cui juratur, aliquando etiam ad successores ejus, quod ex verbis & intentione jurantis colligendum est. V. g. quando quis jurãs Regi Hispaniarum obedientiam, fertur in officium & non in personam obligatur etiam successori. Intentio autem maximè dignoscitur ex natura actus, cui adjungitur, intellige in ordine ad sciendum, quid juretur; non autem in ordine ad obligationem. Videri potest *Bonacina To. 2. disp. 4. q. 1. punct. 15.* & *Castro Palao disp. 2. punct. 11.*

Solet hîc inquiri, an juramentum valideт contractum irritum: sed in *Tract. de Contractibus disp. 1. q. 4.* difficultas hæc decisa est. Præterea hîc quæri posset, an jurans debeat se conformare menti ejus, qui juramentum petit: sed resolutio ejus pẽdet ex quæstione, an liceat uti restrictione mẽtali, de qua vide disputationem ultimam hujus Tractatus, ubi de veritate agemus: quando enim esset mendacium tunc juramẽtum additum esset perjurium: quandò autem non esset mẽdacium, nec juramentum additum esset perjurium.

*De aliis hic tractari poterit ubi remissive.*

## QUÆSTIO III.

### *Quando & Quomodo peccetur in Iuramento Promissorio?*

19. *Jurans sine intentione servandi quod jurat, mortaliter peccat.*

Dico I. Quid, quod promittitur, jurans non intendat servare, est mortale perjurium. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia Deus adducitur ad testandum mẽdacium, scilicet ad testandam intentionem in jurante servandi & exequendi id, quod juratur, quæ tamen non subest.

20. *Idem est, si desit animus promittendi seu obligandi.*

Dico II. Quando juramentum cadit super promissionem, idque sufficienter exprimitur, tunc jurare sine intentione promittendi seu se obligandi est perjurium. Patet: quia deest veritas, cùm non adsit intentio se obligandi, super quam cadit juramentum.

21. *Imò etiam si desit sua intentio animus jurandi, si externe juret, perjurii.*

Dico III. Jurare exteriùs sine intentione jurandi, ex genere suo est mortale contra Religionem. Ita *Suarez l. 3. c. 17. n. 2.* & alii communiter. Probatur: tum quia per talem jurandi modum in re gravi & perniciosa nomen Dei assumitur in vanum, utpote quod potiùs ad deceptionem, quàm veritatis confirmationem, adhibetur. Tum quia modus ille jurãdi principali juramenti fini cõtrariatur: nisi enim homines teneantur sub gravi obligatione conformare suam intentionem expressioni exteriori, omnis utilitas & efficacia juramenti evertitur.

22. *Objectiones solvuntur.*

Dico I. Talis non verè, sed tantùm apparenter jurat: ergo non dicit perjurium; adeoq; nec gravem cõmittit irreverentiam. Resp. Neg. ult. Seq. quamquam enim sit tantùm apparens perjurium, est tamen graver: quia ipsa fictio perjurii est Deo valdè injuriosa, & multùm nociva hominum necessitati & societati, ut dictum est.

Dices II. Omnes Doctores excusant à gravi culpa juramenta urbanitatis, inter aulicos fieri solita, similiter juramenta Dominorum, quibus promittunt pœnam subditis: quæ tamen ordinariè fiunt vel sine intentione jurandi, vel sine intentione exequendi promissionem. Resp. similia juramenta ordinariè excusari à mortali, primò: quia fiunt cum intentione jurandi, non absolu-

*Modus interpretandi juramenti urbanitatis & similia.*

absolutè, sed cum conditione, si hoc vel illud feceris, si consenseris, si non sis nimiùm reluctatus, si non judicaverim meliùs expedire. Secundò: quia fiunt in materia indifferenti seu impertinente & sine debita ratione. Tertiò propter eamdem rationem licèt juramentum obligaverit, tamen facilè solvitur ex animi mutatione absque gravi culpa propter materiæ levitatem.

23. *Conclusio tam in juramento promissorio quam assertorio verificatur.* *An aqualiter habeat locum sive juretur verum sive falsum.*

Adverte conclusionem habere locum, tam in juramento assertorio, quàm promissorio, ut patet. Item habere locum sive juretur verum, sive falsum, certum tamen est in hoc (exemplo fictæ idololatriæ) quàm in illo casu. *Suarez* enim *sup. n.6.* & *Lessius c. 42. n.42.* juramentum externum sine intentione jurandi factum citra obligationem jurandi, & sine injuria tertii, à mortali excusant: quia licèt ratione fictionis nomen Dei sumatur in vanum, non tamen cũ gravi irreverentia ex parte materiæ & modi, & ideo licèt sit culpa, non tamen gravis, sicut qui jurat sine attentione. Deinde sufficit ad finem juramenti, quòd sine fictione exhiberi debeat, & quòd hæc obligatio sit proportionata materiæ, de qua agitur.

24. *An ex tali juramento oriatur obligatio.*

Petes: An ex juramento externo, sine intentione jurandi facto, oriatur obligatio Religionis ex vi juramenti? Resp. Neg. cum *Bonacina hic punct. 7. n. 2.* & aliis. Ratio est: quia sine intentione jurandi non subsistit juramentum, quod proinde verè & à parte rei obligationem inducere nequit, utì in simili nec inducit votum, sine animo vovẽdi exteriùs emissum. In foro tamen externo, sicut pro juramenti validitate, ita & pro nascente inde obligatione, judicabitur, secundùm illud *Gregorii l. 26. Moral. c. 7. Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina verò judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde.*

Dixi, *Ex vi juramenti*: quia ratione scãdali vel damni alioquin orituri potest jurans obligari ad servandum juramentum fictum. An ex juramento externo, sine intentione se obligandi vel exequendi facto, oriatur obligatio, resolvi potest ex dictis *disp. præced. quæst. 1.* de obligatione ex simili voto oriunda.

## QUÆSTIO IV.

## *Quænam sit Obligatio Iuramenti Promissorii?*

25. *Promissio jurata inducit obligationem sub mortali.*

DICO I. Promissio jurata inducit obligationem ex genere suo sub mortali. Est certum & indubitatum apud omnes. An autem non impletiò hujusmodi promissionis possit excusari à mortali ratione levitatis materiæ, inter Doctores controvertitur. Negant *Lessius c. 42. n. 23. Wiggers c. 5. n. 155.* & alii censentes in juramento promissorio Deum invocari, non tantùm in testem veritatis præsentis, quod nempe promittens verè intendat promissionem implere, sed etiam futuræ, scilicet executionis, ut latiùs videre est apud ipsos locis citatis. *An excuset levitas materiæ.*

26. *Sententia affirmantis probabilitas ostenditur.*

Affirmant *Suarez l. 3. de Juramento c. 6. Sylvius 2. 2. q. 98. art. 3. concl. 5. Coninck de Sacramentis disp. 22. dub. 7. n. 53.* & alii plures apud *Diana P. 4. Tract. 4. Resol. 70.* eò quòd è contra sentiant, quòd in juramẽto promissorio Deus adducatur ut testis prælẽtis promissionis & dans auctoritatem futuræ executioni, non verò ut ejusdem testis: ad eum modum, quo Princeps, vel alius vir magnæ auctoritatis, contractibus humanis interponitur, ut eosdem suâ auctoritate firmet, pro irreverentia sibi facta reputaturus, si, quod in sua præsentia cõclusum est, postea non impleatur. Unde sicuti Princeps talis, impletione non secutâ, propterea non censetur esse inductus ad testificãdum falsum, ita neque Deus. Vide *Sylvium sup.* ubi in responsione ad argumenta variè conatur id ostendere. Quæ proinde sententia verè probabilis est: tum ob auctoritatem Doctorum eam tenentium: tum ob fundamenta, quibus innititur.

27. *Iuramentum non obligat ad illicitum.*

DICO II. Quando executio ejus, quod est promissum, vel dat licentiam peccandi juranti vel alteri, non obligat juramentum. Ratio est: quia juramẽtum nequit inducere obligationem ad illicitum, cùm ad hoc nemo obligari possit, ut per se patet.

28. *Quale peccatum committat ita jurans.*

Petes: Quale sit peccatum tale quid jurare? Resp. I. si desit animus exequendi, erit perjurium defectu veritatis primariò requisitæ, adeoq; mortale. Si autem adsit animus exequendi, jam ratione illius affectûs, quem includit, erit mortale vel veniale, pro gravitate operis exequendi. Resp. II. Quatenus tale juramentum est testificatio Dei super re illicita facienda est etiam peccatum contra Religionem grave vel leve pro ratione materiæ. Ita *Suarez l. 3. c. 19. Lessius sup. dub. 4. n. 18.* Ratio est: quia velle propositum suum in malo firmare Dei auctoritate est Deo irreverentiam inferre gravem vel levem prò gravitate vel levitate materiæ.

29. *Non profitetur ipso facto Deo placere peccatum.*

Dices I. Adhibens ita Deum in testem committit blasphemiam, utpote qui ipso facto profitetur Deo placere peccatum: cùm ideo Deum adducat ad confirmandam assertionem, ut credatur ad ejus reverentiam pertinere illam facere veram, supposito juramento. Resp. Neg. Ass. qui enim jurat non profitetur materiam juramenti Deo placere (ut patet in juramento assertorio de re iniquissima) sed Deum esse testem veritatis, & eum nullo modo posse adduci in testẽ falsitatis; adeoque non opus secundùm se, sed veritatem ipsam esse Deo conformem. Deinde qui jurat non attendit, an ratione materiæ sit conformis divinæ voluntati: sed solùm attendit formaliter ad rationem

veritatis & ad propositi immutabilitatem ex conceptione generali, quod id, quod juratur, quodammodo fiat immutabile.

30. *An & unde obligetur taliter juransi habere propositum peccandi.*

Dices II. Sic jurans tenetur habere propositum peccandi venialiter, ne alioquin sit perjurus: ergo mortaliter peccat: quippe qui nomen Dei ad hoc assumit, ut in malo suo proposito immutabiliter firmetur, quod sine gravi in Deum irreverentia non videtur fieri posse. Resp. sic jurantem obligari quidem ad habendum propositum peccandi venialiter, ut vitet mortale perjurium: at hoc non oritur ex natura & vi juramenti, aut talis actionis, sed ex inordinata voluntate, quæ se illi perplexitati immiscet. Quia tamen propositum (ad quod testificandum Deus invocatur) non excedit culpam venialem, ideo neque illa inordinatio ex sua specie excedit culpam venialem juramenti.

31. *Similiter juramentum contra divina consilia non est mortaliter peccaminosum.*

Hinc patet, non committi etiam peccatum mortale ab eo, qui jurat se aliquid facturum contra divina consilia, ut si juret se non susceperum statum religiosum, non servaturum perfectam & perpetuam castitatem intendens inire matrimonium. Ita *Bassæus in Supplem. V. Juramentum n.* 8. & alii, quos citat.

32. *Juramentum de re indifferenti &c. non obligat.*

Dico IV. Juramentum de re indifferenti, vel de eo, cujus oppositum est melius, non obligat, nisi sit factum in favorem alterius. Constat ex *quæst. 2. de Voto*: est enim eadem utriusque ratio. Dixi, *nisi sit factum &c.* tunc enim obligat, nisi homo remittat: quia in promissione facta homini spectatur, quid illi sit gratius, in promissione verò facta Deo, quid melius.

33. *Secus est de eo quod gravi metu extorquetur.*

Dico V. Juramentum gravi metu extortum obligat. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *Lessius dub.* 6. *Wiggers dub.* 9. aliique plurimi cõtra alios relatos à *Sanchez l.* 4. *de Matrim. disp.* 20. *n.* 3. Probatur ex c. *Si verò de Jurejurando* aliisque juribus citatis à *Wiggers sup.* qui etiam conclusionem de metu injustè incusso ad extorquẽdum juramentum intelligit. Vide etiam *Bassæum V. Juramentum 11. n.* 6. ubi corollaria hinc deducibilia proponit.

34. *Quid de eo quod ex errore vel dolo emittitur.*

Dico VI. Si dolus vel error versetur circa substantiam actus promissi, juramentum appositum non obligat: si autem versetur circa rei qualitatem, & dolus causam dederit, obligat, donec errore vel dolo detecto irritetur. Vide quæ diximus *disp.* 1. *de Contract. quæst.* 2. juramentum enim sequitur naturam actus, cui apponitur. Ex quo ulteriùs sequitur juramentum non ligare, nisi stantibus conditionibus appositis, etiam tacitis, quæ à jure exprimuntur. De quibus *Glossa in* c. *Quemadmodum de Jurejurando.*

35. *An liceat petere juramentum à pejeraturo.*

Petes I. An licitè exigatur juramentum ab eo, qui scitur pejeraturus? Resp. I. inducere aliquem ad juramentum modo indebito præstãdum, semper est peccatum mortale vel veniale pro ratione defectûs in tali juramento. Resp. II. Si exigatur juramentum non quidem determinatè, sed ut id, quod verum est, juretur, non est peccatum, etsi quis sciat alterũ pejeraturum, si justa causa subsit juramentum exigendi. Ratio est: quia exigitur ab altero, quod licitè fieri potest. Nec obstat, quòd detur occasio mali: quia ex illa tantùm sequitur scandalum passivum.

36. *Vel à parte verum quod jurat, & inducens novit esse falsum.*

Petes II. An liceat exigere juramentum ab eo, qui bona fide jurabit contra veritatem, id est, firmiter sibi persuadens esse verum, quod est falsum? Resp. Neg. Cum Doctoribus communiter cõtra paucos Recentiores. Ratio est: quia respectu petentis est inductio ad falsitatem testificandam & jurandam, quod est intrinsecè malum. Unde non magis licet talis inductio, quàm inductio ad materialem fornicationem, materialem idololatriam & similia peccata, ratione invincibilis ignorantiæ peccantium à formali malitia excusata.

Nec refert, quòd jurans in casu dato ex parte sua committat actum virtuosum: nam etiam copula quæ à partibus putatur maritalis & adoratio hostiæ, quæ putatur consecrata, sunt formaliter actus virtuosi: & tamen qui novit errorẽ subesse, nequit ignorantibus prædictos actus materialiter malos suadere: adeoque nec potest inducere ad juramentum materialiter falsum, non obstante bonitate religionis juranti inde obventurâ.

37. *Antè dicta juramenta comminatorio applicantur.*

Postremò notandum idem ferè esse dicendũ de juramẽto comminatorio, quod de promissorio: quoties enim malũ pœnæ promittitur, quod inferre est malum, non obligat tale juramentum. Item quando intervenit aliquid, ratione cujus melius est nõ impleri, quàm impleri. Item quandõ mutatur status rei, ut qui jurat se castigaturũ filium, non tenetur, si postea veniam petat patratus corrigi. Item si malum inferendum inutile putetur, aut majoris boni sit impeditivum, ut si per castigationem juratam filii timeatur turbatio pacis familiæ.

## QUÆSTIO V.

## *De Cessatione Iuramenti, Perjurio ejusque Pœnis.*

38. *Juramenti obligatio impeditur per jus.*

Dico I. Obligatio juramenti impeditur per legem positivam statuentem, ut nullam obligationem inducat. Sic *Tridentinum sess.* 25. *c.* 16. irritat juramentum adjectum renuntiationi bonorum, si fiat ante bimestre, quod præcedit ipsam professionem.

*Qui hoc fiat.*

Dices: Obligatio juramenti est naturalis: ergo non impeditur per legem humanam. Resp. N. C. cùm enim jũramentum promissorium non obliget, nisi acceptetur, non potest nasci obligatio, si is, in cujus favorem fit, per legem fiat inhabilis ad acceptãdum.

Quod

Quod autem possit per legem induci illa inhabilitas, non est dubium. Deinde cùm inferior, cui jungitur, possit remittere obligationem, poterit ex justa causa idem superior; idque eo ipso, quo quis tentaverit se juramento obligare, si ita statuat. Nec hoc est contra veritatem juramenti: quia semper subintelligitur tacita conditio, si velis, si non remiseris, si possis acceptare &c.

39. *Iam inducta tollitur mutatione materiæ. Condonatione.*

Dico II. Obligatio juramenti jam inducta tolli potest, primò mutatione materiæ, ut si materia fiat impossibilis, aut illicita Superiore vetante. Secundò condonatione: quivis enim remittere potest obligationem factam in suum favorem; etsi juramentū esset Deo factum per modum voti: subintelligitur enim, si is, in cujus favorem fit, velit acceptare, vel nisi remittat: quia nemo prudēs censetur se obligare ad benefaciendum invito. Tertiò commutatione, ut si is, cui factum est, concedat aliud opus loco illius, quod juramento promissum est: ad hoc autem opus factâ commutatione jurans non obligatur ex juramento, sed tantùm ex pacto: quia in commutatione obligatio subsequens non exigitur sub juramento: secus est in commutatione voti.

*Commutatione.*

*Irritatione.*

Quartò tollitur obligatio juramenti irritatione, quando materia promissa subest alterius potestati. Et in hoc idem dicendum est, quod diximus de irritatione voti: solùm excipiuntur juramenta Minorum: etsi enim Curatores possint eorū vota realia, in quantum obstant eorum administrationi, irritare, nō tamen juramenta ex *L. 1. & 2. Cod. Si adversus venditionem*; ubi illis non conceditur restitutio in integrum, etsi ex contractu læsi sint; quia juramentum supplet defectum ætatis.

*Dispensatione.*

Quintò dispēsatione quæ fit auctoritate Superioris, & quidem si juramētum habeat speciem voti, vel sit accessorium ad votum, potest solvi tam dispensatione, quàm commutatione ab eo, qui potest à voto ejusmodi materiæ absolvere potestate ordinariâ: quia accessorium sequitur suum principale: est autem illi accessorium, quando tantùm additur, ut animus sit firmior ad votum implendum.

40. *Professione.*

Ob hanc rationem omnia ejusmodi juramēta extinguuntur professione Religionis approbatæ, immo potest quivis tale juramentum à se factum commutare in melius, etsi factum esset in favorem tertii: quia si verba promissionis ad illum directa non sint, nullum jus ille acquirit: si tamen juramentum promissorium in favorem hominis factum & valdè acceptatum sit, à nemine, etiam Pontifice, ipso invito potest commutari vel solvi, nisi intercesserit injuria, metus vel injusta pœna ejus, cui promissum est, vel bonum commune aliud postulet.

41. *Qua ratione fiat commutatio vel*

Adverte etiam quando fit commutatio vel dispensatio juramenti, solùm fieri appositione vel detractione alicujus conditionis, quæ tacitè in juramento continebatur v.g. nisi Superior, cui materia subest, contradicat, nisi ipse sua auctoritate condonet, non verò condonatione nomine Dei: quia non potest Superior condonare obligationem non inferendi Deo injuriam vel irreverētiam, qualis, juxta ante-dicta, inferretur, si, quod juratum est, non impleatur. Quid autem possint Regulares quoad dispensationem in juramento dictum est *disp. 4. quæst. 6.*

*dispensatio juramenti.*

Juramento opponitur perjurium, quod sumitur dupliciter. Primò latè pro quovis juramento, cui deest aliqua ex tribus comitibus *sup. quæst. 2.* recensitis. Secundò propriè & per se sumitur pro juramento, cui deest veritas, super quam cadit juramentum, sive assertorium sive promissorium, soletque hoc perjurium appellari assertorium, eò quod desit præsens veritas juramento asserta: præter quod etiam datur perjurium infidelitatis, dum videlicet promissio jurata non impletur: hoc tamen perjurium secundùm multos, aliis contradicentibus, non semper est mortale, sed tunc tantùm, quando materia est gravis: de quo ante.

42. *Perjurium quid.*

Periurii assertorii enormitatem declarat *Augustinus Serm. 28. de Verbis Apost. c. 2.* dicens: *Da alium, quod scit falsum esse, & dicit verum esse, & jurat tamquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis quàm ista detestanda sit bellua & de rebus humanis exterminanda?* Quanta autem præcisè sit malitia perjurii videri potest apud *Suar. l. 3. c. 3.* & *Poncium disp. 60. n. 70.* qui eam ponunt infra malitiam peccatorum, virtutibus Theologicis per se oppositorum, sed supra malitiam peccatorū (exceptâ blasphemiâ & idololatriâ) religioni per se repugnantium; adeoque supra simoniam & fractionē voti: & etiam supra quodvis peccatū contra proximum commissum. Hoc tamen alii non admittunt, contendentes homicidium gravius esse perjurio. De quo vide auctores citatos & *Lessium c. 42. n. 75.*

43. *Ejusdem gravitas.*

Pœnæ perjurii apud diversas nationes sunt diversæ & graves. Utroque jure tam canonico, quàm civili perjuri sunt infames, ut patet ex *c. Infames 6. q. 1.* & *L. Si quis major Cod. De transactionibus.* Quænā autem ad hujus infamiæ incursum requirantur aut ab eodem excusent, videri potest apud *Lessium sup. n. 74. Castro Palao de Juramento disp. 1. punct. 11. Bassaum V. Juramentum V. n. 1.* ubi etiam alias periurii pœnas recensent.

44. *Et pœna.*

## QUÆSTIO VI.

### *De Adjuratione.*

Dico I. Adjuratio, quæ est actus religionis, est rei sacræ contestatio ad alterum permovēdum. Colligitur ex *D. Thoma 2. 2. q. 90. art. 1.* Convenit adjuratio cum juramento in hoc, quod sicut juramentum

45. *Quid Adjuratio.*

*Et qualiter à juramento distinguatur.*

adhibetur ad dandam auctoritatem assertioni vel firmitatem promissioni, ita adjuratio ad dandam efficaciam jussioni vel deprecationi: differt autem in hoc, quòd in juramento auctoritas & reverentia Dei adhibeatur, ut moveat ipsum jurantem: in adjuratione verò interponatur reverentia Dei alteriusve rei sacræ ad movendum eum, qui adjuratur, ut faciat vel omittat, quod adjurans intendit.

46. *Fit præcipiendo vel precando.*

Adjuratio potest fieri duobus modis, scilicet præcipiendo & precando. Illa habetur *2. ad Timoth. 4. Testificor coram Deo* &c. & *1. ad Thessalon. ultimo* & aliis. Hæc habetur in orationibus Ecclesiæ, quando per Christum petimus exaudiri, ut in Litaniis per adventum ejus &c.

47. *Directè adjurantur solæ res rationales.*

Dico II. Propriè solæ res rationales adjurari possunt. Ratio est: quia sicut solæ illæ utuntur ratione, ita & solæ reverètiâ rei sacræ permoveri possunt ad aliquid agendum vel omittendum. Unde res inanimatæ per se & directè adjurari non possunt, sed tantùm indirectè, sic ut adjuratio dirigatur ad eum, à quo moveri possunt. Sic exorcizatur aqua & alia similia, ut virtus divina nobis in eorum usu assistat diabolique vires contundat. De peccato autem quod in adjuratione creaturæ irrationalis committitur censet *Castro Palao de Adjurat. punct. 3. n. 6.* id per se esse mortale, quamquam regulariter culpam venialem non excedat ob simplicitatem adjurantis. Vide etiam *Bassæum V. Adjuratio n. 3.*

*Indirectè etiam irrationales.*

48. *Ad reverentiam adjurationis requiritur, ut fiat propter Deum. Et hoc sine fictione.*

Dico III. Ad debitam reverentiam adjurationis plura requiruntur. Primò ut fiat propter verum Deum in se vel in Sanctis: aliàs petere aliquid per falsos Deos est idolatria. Secundò, ut fiat sine fictione & ex justo veroque desiderio obtinendi; aliàs erit peccatum irreligiositatis. Ratio est: quia quacumque ratione nomen Dei in vanum assumatur peccatum est: assumitur autem in vanum, si adjuratio per nomen Dei fictè fiat. Videtur tamen hoc peccatum ordinariè esse veniale quia levis est materia & non infertur gravis injuria Deo. Idem est cèlendum de peccato, quod committit dives petendo eleemosynam propter Deum. Tertiò ut cadat *Deinde ut cadat super materiam licitam.* super materiam justam seu licitam: nam si res sit turpis fit injuria Deo, quia interponitur ut dans favorem & auctoritatem actioni turpi. Erit autem hoc peccatum grave vel leve pro ratione materiæ, ut suprà diximus de juramento. Deinde ut non fiat leviter & quavis occasione.

*Denique ut servetur proportio inter adjurantem & adjuratum.*

Quartò in adjuratione debet servari conveniens habitudo adjurantis ad adjuratum, scilicet ut adjuretur imperio, qui ejus capax est, & sola prece, qui imperii non est capax. Hoc posteriori modo debet adjurari Deus, Sancti, Superiores, Amici &c. in quos non habet adjurans potestatem: priori modo debet adjurari diabolus, ut docet *Augustinus lib. 10. de Civit. Dei c. 22.*

49. *Quis exorcismi à diabolo deleant aut possint peti.*

Hinc quando fiunt Exorcismi nihil debet peti, quod non cedit in illius confusionem & expulsionem, vel ad aliorum utilitatem, qualia ab hoste absque ullo signo benevolentiæ peti possunt: si tamen aliqua inutilia, solùm ex curiositate, petantur, non est statim mortale, ut docet *Suarez l. 4. c. 2. num. 9. Lessius c. 42. dub. 13. num. 71.* & alii, quibus contradicit *Castro Palao sup. punct. 4. n. 8.* eò quòd talis postulatio non possit esse nisi deprecatoria, quæ, fatentibus plerisque prioris sententiæ patronis, semper est mortalis, nisi inadvertentia excuset. Plura quæ de adjuratione dæmonis per exorcismos Ecclesiæ faciendis, hîc à Doctoribus solent observari, vide à nobis tradita *P. 1. Tract. 3. disp. 4. q. 9.* videri etiam potest *Castro Palao loco cit.*

50. *An adjuratio ex imperio Superioris inducat obligationem in materia religionis.*

Petes: An adjuratio per imperium Superioris facta inducat obligationem in materia religionis? Resp. Neg. cum *Suarez sup. c. 4. n. 16.* Ratio est: quia potestas Superioris vel Judicis ad extorquendam veritatis confessionem non ordinatur ad cultum religiosum Dei, sed ad humana judicia & negotia terminanda: ergo non potest dictam confessionem præcipere sub ratione cultùs religiosi: & quamvis possit juramentum exigere (quia, ut ait *Apostolus ad Hebræos 6. Omnis controversiæ eorum finis ad cõfirmationem est juramentum*) adjuratio tamen ad hoc non est introducta, sed solùm, ut ex divini nominis cõmemoratione alter amore vel timore moveatur extra omnem obligationem. Hinc *Genesis 47.* postquam *Jacob* adjurasset *Joseph* & ille obtulisset facere, exegit etiam juramentum. Itaque si fiat adjuratio & non exigatur juramentum, poterit quidem ex justitia vel obedientia obligari, non tamen ex virtute religionis.

DISPU-

# DISPUTATIO SEPTIMA.

## De Superstitione.

### QUÆSTIO I.

### De Superstitione in Genere & prima ejus specie, Idololatria.

1. QUONIAM virtus Religionis, utì aliæ virtutes, in medio consistit, hinc contra eam peccatur vel per excessum, & vocatur Superstitio: de qua in hac Disputatione agemus, vel per defectum, & appellatur Irreligiositas de qua *disp. seq.* Superstitio itaque est vitium Religioni oppositum per excessum, non quasi in cultu divino excedat ultra præscriptum veræ religionis: sed quia exhibet cultum divinum, cui non debet, vel alio modo, quàm debet, rectèque describitur esse falsa religio, id est, vitiosus cultus veri vel falsi Dei: quamquam enim superstitio maximè committatur per cultum falsorum Deorum: habet tamen etiam locum in cultu veri Dei, ut patet in cultu ab hæreticis offerri solito.

*Quid Superstitio.*

2. Superstitio dividitur in superstitionem cultus indebiti seu incongrui & superstitionem ratione rei cultæ. Hæc est cultus falsorum Deorum; illa est cultus perversus veri Dei. Superstitio cultus indebiti subdivitur in superstitionem cultus falsi & cultus superflui. Cultus falsus dicitur vel ratione falsæ significationis, ut si quis coleret Deum ceremoniis judaicis, quæ significat Christum venturum: item si quis imitetur vel simulet falsum cultum, ut si falsis miraculis velit veram doctrinam confirmare, vel proponat falsas reliquias: item si mutet materiam vel formam Sacramentorum, maximè Sacramenti Eucharistiæ animo colendi Deum. Hæc superstitio ex genere suo est peccatum mortale, utpote gravis in Deum irreverentiæ illativa, ut post *Suarez, Lessium* & alios, quos citat, docet *Bonacina Tom. 2. disp. 3. quæst. 5. punct. 1. n. 2.*

*Dividitur in superstitionem cultus indebiti & rei cultæ. Et illa iterum in superstitionem cultus falsi.*

Et superflui. Superstitio cultus superflui est, cùm præter Ecclesiæ morem ponitur religio in quibusdam circumstantiis vel rebus, in quibus non est ponenda, ut in numero, situ, tempore &c. ut quòd tot sint candelæ, tali modo dispositæ &c. Deinde ad hanc speciem pertinere videtur, si quis in horis vel missa, relictis rubricis, alias pro sua devotione adhibeat: estque hæc superstitio gravis vel levis pro gravitate vel levitate materiæ, ut docent Auctores citati.

3. Superstitionis ratione rei cultæ quatuor sunt species, videlicet idololatria, divinatio, observatia superstitiosa & magia. Vel enim diabolus honoratur ut Numen & est idololatria; vel colitur, ut aliquid occultum revelet, & est divinatio, vel ut cooperans in operando, & sic est Superstitio vanarum observationum vel magia. De prima hujus superstitionis specie hac quæstione agemus, de aliis in sequentibus acturi.

*3. Superstitio ratione rei cultæ quatuor species.*

4. Itaque idololatria derivatur ab idolo, quod nihil est aliud, quàm imago vana & instabilis, seu imago rei, quæ est destinata ad indebitum cultum alicui tribuendum. Hinc imagines Sanctorum & Regum non sunt idola: tum quia sunt imagines rerum verarum, institutæ ad repræsentandum id, quod verè fuit: tum quia non sunt destinatæ ad cultum indebitum.

*4. Idololatria derivatur ab idolo, quod describitur.*

Idololatria generatim & metaphoricè sumitur pro omni peccato, quo quis mortiferè inhæret creaturæ: propriè autem est cultus, quo creatura loco Dei colitur. Exhibetur autem ille non solum sacrificio (quod soli Deo debetur) sed etiam quovis alio signo honoris, quo intendimus creaturæ tribuere aliquam excellentiam Deo propriam, ut si quis detegat caput ad imaginem Minervæ tamquam numinis sapientiæ.

*Quid idololatria.*

5. Prima origo idololatriæ fuit desiderium præsentiæ mortuorum: cùm enim parentes mortuos filios summè desiderarent præsentes, illis statuas erexerunt, in quibus filios tamquam præsentes cernerent. Ita clarè colligitur ex *Sap. 14.* Deinde ipsæ statuæ tamquam numine plenæ & animatæ coli cœperunt: & quia diabolus statuis illis mox ut dicatæ erant, se insinuavit, putabant Ethnici se posse Deos facere, quam potestatem miratur & extollit *Trimegistus*, ut refert *Augustinus V. 8. de Civit. Dei c. 23.* Ex his postmodum factum est, quòd Ethnici capti pulchritudine, & virtute corporum cœlestium & elementorum, nec considerantes, unde eam haberent, etiam eis cultum divinum exhibere ceperunt, & eorum imagines adorare, ut habetur *Sap. 13.* Postremo crescente pravâ consuetudine cuique deventum est, ut si aliquid esset, quod aliquâ utilitatem vel noxam adferret hominibus, mox pro Deo coleretur ad commoda conseqenda & incommoda avertenda, sic Bovem, Capram, Crocodilum &c. coluerunt: proveniebat hoc ex falsa imaginatione, quâ putabant omnibus hujusmodi rebus vim aliquam invisibilem præsidere & connexam esse, à qua regerentur: quam proinde precibus ac sacrificiis placandam censebant.

*Ejus prima origo & progressus.*

6. *Quæ fuerit prima, secunda &c. idololatria.*

Ex dictis patet, primam idololatriam fuisse cultum hominum mortuorum, qualis est *Jovis, Martis* &c. secundam cælorum, statuarum & dæmonum in statuis: tertiam elementorum & partium mundi, ut Solis, Lunæ &c. quartam aliarum rerum humano generi commodarum vel noxiarum.

7. *Est peccatum mortale gravissimum.*

Idololatria peccatum mortale est gravissimum, eò quòd peccans honorem divinum ipsamque divinitatem, quantum in se est, transferat in creaturam: sicuti etiam in republica gravissimum censeretur crimen, honorem regium ipsamque regiam majestatem in alium, quàm legitimum principem, ex plena scientia, quantum in se est, transferre: ideoque sicut hoc est crimen læsæ majestatis humanæ, ita & illud læsæ majestatis divinæ. Et quidem *Suarez l. 2. de Superstit. c. 6. n. 15.* quem sequitur *Castro Palao disp. 1. de Superstit. punct. 2. n. 2.* docet idololatriam peccata virtutibus moralibus opposita (secus censet de iis quæ virtutibus Theologicis per se opponuntur) excedere in malitia: nos postea eam cum blasphemia conferemus.

## QUÆSTIO II.

## *De Divinatione ejusque Speciebus.*

8. *Quid sit divinatio,*

DIVINATIO hîc est inquisitio de aliquo occulto, quod humano modo cognosci non potest, ope vel disciplinâ dæmonis facta. Quamquâ enim dæmones non possint certò cognoscere futura (circa quæ maxima ex parte versatur divinatio) quæ à libero arbitrio alterius dependent, longè tamen plura de futuris rebus, quàm homines cognoscunt. Primò quia cognoscunt omnes causas naturales & earum vim, ut solis, lunæ &c. ex quibus facilè colligunt, qui effectus secuturi sint ex parte illarum: remotè autem etiam colligunt ex complexione corporum humanorum, in quid voluntas maximè propendeat. Secundò quia summam habent experiétiam: millies etiam observarunt, quid & ex quo in causis liberis sequi soleat, & quibus rebus humana volùtas impellatur. Tertiò cognoscere possunt ab angelis beatis vel ex scripturis, quas melius intelligunt, quam homines. Quartò quia vident in locis longinquis effectus jam inchoatos.

*Quàm multa in futurum prænoscere queant dæmones, & unde.*

9. *Divinatio alia expressam dæmonis invocationem, alia implicitam continet. Prior varios sub se modos comprehendit.*

Divinatio alia fit per expressam dæmonis invocationem; alia per implicitã. Prior vocatur Necromantia continétque varios sub se modos, secundùm quos diabolus interiè consulitur, vel consultus respondet: nam consuli solet primò per sacrificia animalium & tunc respondere solet per signa apparentia in extis animalium & vocatur Haruspicium. Secundò per preces in idolis & tunc respondere solet per ipsa idola, & vocatur Oraculum. Tertiò per preces in suis Prophetis, qui vocantur Pythonici & Pythonissæ, & tunc respondere solet per umbilicum vel alias partes inhonestas, teste *Origine l. 7. contra Celsum.* Quoad alios modos vide alios auctores.

10. *Posterior etiam variè subdividitur.*

Posterior divinatio subdividitur in illam, quæ fit per media non facta operâ hominum, & in eam quæ fit per talia media. Prima ex his ulterius subdividitur in eam, quæ fit per situs & motus astrorum vocaturque Astrologia judiciaria (de qua egimus *disp. 6. de Deo Creatore q. 5.*) item in eam, quæ fit ex garritu avium, appellaturque Augurium: in eam, quæ fit ex volatu aviũ & dicitur Auspicium: in eam, quæ fit per lineamenta manûs & nuncupatur Chiromantia: in eam, quæ fit occasione alicujus verbi ab homine fortuitò vel alia occasione, quàm divinans intendat, prolati, & vocatur Omen. Denique in eam, quæ fit ex somniis, non à causa naturali, puta constitutione cæli, aëris propriive corporis, vel à Deo, sed à dæmone immissis: à quo autem somnia oriantur vel immittantur nullâ notitiâ certitudinali, sed tantùm conjecturali, ex dispositione, quam somnia post se relinquunt, vel ex fine, ad quem movent, desumendâ, concludi potest: si enim dicta dispositio vel finis in bonum tendat, Deo: si verò in malum, dæmoni tamquam causæ somnia adscribenda esse conjectant Doctores.

11. *Quando allata divinationes sint superstitiosæ.*

Tunc autem & non aliàs, jam allegatæ divinationes sunt superstitiosæ, quando ex astris, garritu volatuque avium & lineamentis somniisque humanis colliguntur effectus, ex natura rei vel divina ordinatione inde non colligibiles. Alioquin satis constat ex garritu & volatu avium mutationem auræ, ex somniis mutationem sanitatis, infirmitatis, occultam humorum qualitatem, quantitatem & efficaciam posse conjectari: prout etiam naturalistæ ex lineamentis corporis humani ejusdem robur aut debilitatem conjectare solent, ut apud *Aristotelem in problematibus* & alios videre est.

12. *Quid sortilegium.*

Altera species divinationis per implicitam dæmonis invocationem, quæ fit ex actione aliqua humana ad divinandum directa, vocatur sortilegium: quod propriè significat rei futuræ per sortes explorationẽ. Triplices autem sunt sortes, videlicet divisoriæ, consultatoriæ & divinatoriæ. Divisoriæ sunt, per quas decernitur, cui sit res aliqua tribuenda, sive sit honor, pœna vel functio: hæ sortes per se sunt licitæ extra casum electionis Ecclesiasticæ (in quo prohibentur c. *Ecclesia vestra, de Sortileg.*) ut post *Suarez de Superst. c. 12. n. 3. Sanchez l. 2. Moral. c. 38. n. 57.* & alios, quos citat, docet *Castro Palao de Superst. disp. 1. punct. 6. n. 2.* & *Bassæus in Supplem. V. Divinatio n. 13.* qui etiam referunt casus, in quibus per accidens illicitæ fiunt sortes divisoriæ.

*Sortes aliæ sunt divisoriæ, eæque per se extra casum electionis Ecclesiasticæ, licitæ.*

Con-

13. *Alia consultatoria quæ per se sunt illicita.*

Consultatoriæ sunt, quando ex iis quæritur divinum consilium, ut sciatur in negotio obscuro, quid agendum sit. Hæ sunt regulariter illicitæ, velut tentationem Dei involventes & prohibitæ c. *Sortes 26. c. 5.* nisi ex instinctu divino vel in necessitate in re ardua, deficiente humano cõsilio cum debita in Deum reverentia & fiducia adhibeantur juxta illud *Proverb. 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.*

14. *Et alia divinatoria, quæ constituunt sortilegium superstitiosum.*

Sortes divinatoriæ sunt, quæ adhibentur ad inquirendam futurorum eventuum veritatem, constituuntque sortilegium superstitiosum; tamquam attribuentes dæmoni futurorum præsciẽtiam, soli Deo propriam, tacitumque cum eodem dæmone cum ad sortes dirigendas, tum ad effectus præfinatos procurandos, involventes pactum: nam à nulla alia causa, quàm à diabolo cum aliqua apparentia potest sortium moderatio ad occulta & futura significanda expectari.

15. *Divinatio ex genere suo est peccatum mortale.*

Divinatio ex communi Doctorum sententia est peccatum mortale ex suo genere, sive fiat cum expressa sive cum tacita dæmonis invocatione. Ratio est: quia divinatio importat cõsortium & societatem cum dæmone, perpetuo Dei hoste: nam per divinationẽ homo disciplinæ diaboli se subjicit, ab eo occulta aut futura edocendus, ipsiusque documentis fidem præstiturus, adscriptâ plerumque eidẽ futurorum præscientiâ, soli Deo propriâ juxta illud *Isaiæ 41. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum & sciemus quia Dy estis vos.*

16. *An levitas materiæ à mortali excuset.*

Unde existimat *Bonacina Tom. 2. disp. 3. quæst. 5. punct. 3. n. 16.* post alios, quos citat, non dari parvitatem materiæ à mortali excusantem, si divinatio seriò fiat. Si verò joci causâ quis ostendat se velle futura divinare, interim credens totum esse futile & inane, communiter Doctores censent talem non incidere in culpam gravem: tamen *Castro Palao sup. punct. 3. n. 6.* hunc usum ratiõ à mortali excusandum putat.

Similiter *Bonacina sup. n. 18.* divinationem per somnia, sortes &c. à mortali liberat, si quis per simplicitatem (quod in mulierculis facilius locum habet) illis fidem præstet, ex si ex rusticitate putet à Deo esse, vel tenuiter credat.

17. *An liceat à dæmone petere, ut quid revelet, eo modo quo scire possit.*

Petes I. An sit superstitiosum petere à dæmone, ut aliquid revelet, eo modo, quo potest cognoscere? Resp. Affir. cum *Suarez sup. c. 8. n. 16.* Ratio est: quia per hoc ipsum dæmon intendit aliquid usurpare de excellentia Dei & honore illi ab hominibus debito, in hoc saltem, quod homo, Deo relicto, ad ipsum recurrat, se illi subjiciendo pro auxilio: ergo in hoc illi cooperari tamquam ejus auxilio quis indigeret est superstitio. Deinde licèt fortè in principio dæmon non consulatur, ut infallibilis veritatis, tamen intendit hominem inducere ad talem æstimationem vel saltem, ut eam profiteatur & signis ostendat, & ideo consulens dæmonem tale periculum incurrit: periculum autem peccati & ipsum peccatum sunt ejusdem rationis.

18. *An divinatio cum tacita & expressa dæmonis invocatione sint ejusdem speciei.*

Petes II. An divinatio cum tacita & cum expressa dæmonis invocatione habeant malitiam ejusdem speciei? Resp. Affir. cum *Reginaldo, Lessio, Layman* & aliis, quos citat, & sequitur *Bassæus V. Divinatio n. 5.* Ratio est: quia tacita & expressa eadem est ratio: tametque exemplo professionis tacitæ & expressæ.

19. *Divinatores non sunt ipso facto excommunicati.*

Petes III. An divinationes exercentes, vel divinos consulentes sint ipso facto excommunicati? Resp. probabilius esse quòd non: nam c. *Si quis ariolos 26. q. 5.* (in quo excommunicatio illa infligi deberet) intelligi potest, adeoque debet, de excommunicatione ferendæ sententiæ, ipsum sic interpretante consuetudine, ut post *Suarez* docet *Bonacina sup. n. 22.*

## QUÆSTIO III.

### *De Vana Observantia.*

20. *Quid vana observantia.*

Vana observantia est superstitio, quâ media inutilia adhibentur ad præstandum vel omittendum aliquid, ad quod illa media nec à Deo, nec à natura virtutem habent. Ut cùm ex consideratione alicujus eventûs fortuiti colligit quis aliquid prosperi vel adversi, & inde actiones suas moderatur. Distinguitur à divinatione, quòd hæc circa speculativam occultorum aut futurorũ effectuum cognitionem versetur: illa verò ad opus aliquod præstandum vel omittendum tendat, quæ proinde pactum cum dæmone importat; utpote intendens opus aliquod per media planè inutilia consequendum, adeoque per dæmonem promovendum.

*Distinguitur à divinatione.*

21. *Tres ejus species accidentales enumerantur.*

Vanæ observantiæ tres communiter statuuntur species, nempe ars notoria, observantia sanitatum & observantia eventuum. Ad has species ceteræ sunt revocandæ, sive cum expressa, sive cum tacita dæmonis invocatione fiant. Quæ species secundùm *Castro Palao disp. 1. de Superstit. punct. 8. n. 6.* post *Suarez l. 2. de Superstit. c. 14. nu 10.* & *c. 15. num. 2.* materialiter dumtaxat differunt, in substantiali malitia superstitionis planè convenientes.

22. *Scilicet ars notoria, quæ describitur.*

Ars notoria est ratio consequendi scientiam infusam absque labore per media ad hoc inutilia, ut sunt inspectiones quarumdam figurarum, prolationes verborũ ignotorum & similia vana & ineficacia adminicula. Hâc arte Anabaptistæ utuntur, dum cœnæ suæ poculo sumpto in instanti aliquando scripturarum, anteà omnino ignoratarum, scientiam consequuntur, dæmone indubiè eam suggerente, vel (ut vult *Sylvius 2. 2. q. 96. art. 1.*) ipso per eorum os loquente,

quente, ipsosque ita dementante, ut scripturas se intelligere putent. Unde per Ecclesiæ exorcismos, à Catholicis adhibitos, non raro illa scientia ipsis non sine confusione adimitur: quin & ad fidem Catholicam conversi in primam ignorantiam revertuntur, ut refert *Marchant To.2. Tr.2. part.3. Tit. 1q.2. §.2.*

*Est ex genere suo mortale.*

Hæc observantia ex genere suo est peccatum mortale: quippe quæ continet tacitam cum dæmone, à quo scientiæ infusio expectatur, societatem.

23. *An scientia per dæmonem semel acquisita liceat uti.*

Dubium autem moveri potest, an acquisitâ semel, ope dæmonis, scientiâ postea liceat uti? Affirmat *Suarez sup. c.17.n.1.& 2. Sanchez l.2. Moral.c.41.n.1.& c.42.n.20.* aliique plures modò conservatio aut usus illius scientiæ independenter à dæmone adhibeatur. Ratio est: quia scientia ex se bona est, & peccatum, quo acquisita & parta fuit, jam pertransiit & desiit.

24. *Quid observantia sanitatum.*

Observantia sanitatum est superstitio, quâ adhibentur media inania & inutilia ad sanandos morbos hominum vel brutorum: ut contingit, dum ad sanitatis conservationem, recuperationem, vulnerum sanitatem, dolorum mitigationem, ab hostibus protectionem, adhibentur verba, signa, ceremoniæ, nec à Deo, nec à natura, ad id vires habentia.

25. *Licitum est gestare Agnos Dei &c.*

Licitum tamen est gestare Agnos Dei, verba scripta, Evangelium Sancti Joannis &c. ad sanitatem recuperandam, conservandam, similesve effectus obtinendos, ut testatur *S. Augustinus Tract. 7. in Joannem* dicens: *Cum caput tibi dolet, laudamus, si Evangelium ad caput tibi posueris.* Ut tamen ratio superstitionis faciliùs excludatur advertendum est cum *Sylvio sup. art.4. Marchant* & aliis, ne ignota nomina vel characteres admisceantur. Deinde ne aliquid falsi addatur v. g. quod Christus febribus laboraverit: similiter ne ponatur foes in modo scribendi, portandi vel suspendendi, aut simili loci, temporis &c. observatione, ad divinum cultum reverentiamque minimè pertinente. Denique ne infallibiliter, sed tantùm cum bona in Deum fiducia effectus desideratus expectetur. Quomodo autem à vana observantia excusari possint quædam ceremoniæ in diversis Ecclesiis & peregrinationibus ad Sanctorum Reliquias toleratæ & continuâ quasi consuetudine approbatæ, videri potest apud *Marchant sup. dub.2.* & *Wiggers hic dub.15.*

*Cautela.*

26. *Hæc superstitio ex genere suo est mortalis.*

Hæc superstitionis species ex genere suo est peccatum mortale, nisi ignorantia excuset: eò quòd saltem implicitè à dæmone sanitas aut similis effectus, aliàs per media adhibita non comparabilis, expectetur. Unde parvitas materiæ per se nequit excusare à mortali; utpote relinquens societatem & commercium cum dæmone, quod in quavis materia gravem continet malitiam. *Valentia* nihilominus *Tom.3. disp.6.q.13. punct.* 3. in fine excusat à mortali ob parvitatem materiæ, dum non intercedit expressum cum dæmone pactum, ut si quis annulum semel moveat super filium. Quod etiam admittit *Sanchez c.40.n.25.& 13.* si hoc semel faciat joco ad experiendum effectum causâ curiositatis.

*An parvitas materia excuset.*

Observantia eventuum contingit, quando fortuitò aliquid contingit vel occurrit, ex quo homo sibi vel alteri aliquid prosperi vel adversi conjectat: indeque suas actiones moderatur: ut si egredienti domum occurrat vulpes aut lepus, aut si picam pictantem audiat, & inde malum sibi augurium præsagiat: ideoque domum repetat.

27. *Quid observantia eventuum.*

Hanc observantiam, etsi divinationi valdè vicinam & affinem, ab ea tamen distinguit *Bonacina Tom.2. disp.3.q.5. punct.4. n.* 22. post *Lessium c.43.n.66.* in eo, quòd in hac observantia signa, ex quibus præsagium sumitur, fortuitò occurrant aut incidant: in divinatione verò ex proposito quærantur & adhibeantur. Deinde quod in hac observantia principaliter intendatur directio operationum; in divinatione autem notitia futurorum aut occultorum.

*Et qualiter à divinatione distinguatur.*

Hanc observantiam ex genere suo esse peccatum mortale docet *Lessius sup. Bonacina n.23.* aliiq; ab eo citati: quamquam ratione ignorantiæ & bonæ fidei homines simplices sæpissimè à mortali excusentur.

*Est ex genere suo mortalis.*

## QUÆSTIO IV.

## *Quid & Quotuplex Magia & quæ ejus Fundamenta?*

28. *Magia alia naturalis,*

Magia alia est naturalis & alia superstitiosa, quæ ab aliis diabolica appellatur. Naturalis est ratio quædam operandi mira per causas naturales absque dæmonis opera. Hanc magiam, etsi de se non malam, tamen ut periculosam & sensim ad superstitiones manuducentem cavendam monet *Wiggers de Superstit. dub.17. num.102.* post *Malderum, Suarez* & alios.

*alia superstitiosa.*

Magia superstitiosa, de qua solùm hic agimus, est quædam ratio operandi mira per signa ope dæmonum: sicut enim magia naturalis utitur causis naturalibus, ita superstitiosa utitur quibusdam signis, quibus ex quodam pacto allicitur dæmon, ut faciat, quod magus petit.

*Et hæc rursus est duplex.*

Magia superstitiosa iterum duplex est, seu potiùs duplicem habet finem. Primus finis est ostentatio vel aliud commodum proprium vel alienum, & sic communi nomine vocatur magia. Secundus finis est dānum alicui inferendum & dicitur maleficium, veneficium vel sortiaria.

29. *Habet quædam fundamenta. Primum.*

Magia habet quædam fundamenta, ne statim appareat diabolum esse auctorem operum magicorum, ut faciliùs hominibus curiosis & stupidis hæc ars commendetur. Primum est: mundum & singulas ejus partes ha-

Secundum. tes habere animam rationalem. Secundum: nomina Deorum & Dearum non esse nomina dæmonum, sed istarum animarum: quatenus enim habent vim intelligēdi, vocant nomine masculino, & quatenus animant corpus, feminino. Hæc fundamēta excogitata sunt, ut, quando magi expressè invocant dæmones, non videantur ipsos invocare, sed animas præfatas, quas dicunt esse bonas virtutes à Deo in ministerium & utilitatem hominis per mundum distributas.

Tertium. Tertium fundamentum est, præter angelos bonos & dæmones malos, esse multos dæmones bonos, quorum alii sunt cælestes & præsunt stellis & animabus earum: alii elementares, ex quibus alii sunt aërii,

Quartum. alii ignei. Quartum, animā humanam, quando exardescit in magnum desiderium, habere potestatem ad imprimendum verbis, scripturis & imaginibus vim quādam, quæ naturaliter efficax sit ad effectum desideratum agendum, modò proportionem ad hunc effectum habeant, quæ in eo significando sita est: v.g. si velis alicui nocere adhibenda sunt verba significantia noxam.

Quintum. Quintum est, imagines & characteres siderum & signorum cælestium sub congrua sibi constellatione formatos accipere eamdem vel similem vim cum ipsis sideribus.

Hæc duo postrema excogitata sunt ad persuadendum omnes incantationes, adjurationes &c. naturaliter operari per vim à sideribus, vel ab anima impressam; adeoque actiones magicas esse naturales. Sed hæc omnia vana sunt & contra omnem rationem, & quartum fundamentum est contra Scripturam *Matth. 6. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* & *Matth. 5. Non potes unum capillum album facere aut nigrum.*

30. Magia ex genere suo peccatum mortale est, utpote continens expressam vel tacitam dæmonis invocationem ac proinde societatem & benevolentiam erga illum, & ordinariè multa alia peccata annexa habet, de quibus magi in confessione sunt interrogandi, ut hæresis & infidelitas, abnegatio Dei & Sanctorum execratio, idololatria, blasphemia in Deum & Sanctos, profanatio & abusus rerum sacrarum, maximè earum, quæ ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum pertinent, luxuria & nefariæ cum dæmone commixtiones, denique damna proximorum, homicidia, præsertim infantium necdum baptizatorum, quorum ossiculis ad varia præstigia & maleficia utuntur magi, mortes animalium, vastationes segetum & similia.

31. Magiam non excusari à mortali ob parvitatem materiæ patet ex ante dictis de aliis superstitionis speciebus, traduntque à *Toleto, Filiucio, Lessio, Sanchez, Diana* apud *Basæum V. Magia n. 2.*

32. Petes: qualiter cognosci possint opera magica? Resp. cognosci posse tribus modis. Primo ex conditione causarum, quæ adhibentur, ut si expressè invocetur diabolus, item si preces adhibeantur, quæ-nus falsa permixta sunt, item si verba exotica, characteres, imagines, ligaturæ &c. præter Ecclesiæ morem: cùm enim effectus, qui intenditur, nequeat ab his causis produci, nec producatur à Deo, sequitur quod à solo diabolo, qui in positione harum causarum inefficacium implicitè invocatur. Nec obstat, quòd interdum non nisi verba sacra adhibeantur: quia non diriguntur ad Deum, nec eo sensu proferuntur: quo sacra sunt, sed animo profano, id est, ad obtinendum effectum, vel alium, ad quem ex Dei vel Ecclesiæ institutione non sunt ordinata. *Opera magica dignosci possunt ex conditione causarum adhibitarum.*

Secundo ex conditione operationis, ut cum repentè curatur animal absque miraculo, item si parvo tempore multa milliaria conficiantur, si hîc pungatur imago cerea Petri v. g. & ille alibi doloribus conficiatur. Tertio ex effectûs conditione, videlnet si effectus humanam industriam superet. Sunt autem ejusmodi plura, quæ à magis operâ dæmonum re ipsa, vel secundùm speciem fiunt: quædam enim fiūt circa elementa, ut excitādo tempestates: quædam circa corpora animalium, ut celerrimè transferendo, eaque transformando, infe-cendo morbos, aut morbos mirabiliter curando, impediendo læsiones & similia: quædam circa animam conjunctam corpori, ut operando omnia ea, quæ ex corporis dispositione pendent, v. g. amentiam, odia, amores &c. *Ex conditione operationis.* *Vel ex conditione effectus.*

## QUÆSTIO V.

### *An liceat tollere signa magica eo fine ut dæmon nocere desinat?*

SAtis constat illa signa posse licitè tolli ex indignatione vel odio facinoris, quo maleficus ea posuit, velut tesseram sui cum dæmone pacti; vel in contemptum ac detestationem, tum diaboli, tum magicæ superstitionis, ut observat *Sylvius q. 96. art. 4.* sed difficultas est, an signa illa amovere vel destruere liceat ea intentione, ut cesset nocumentum à dæmone alioquin inferendum. Ad quam 33. *Licet signa magica tollere ex indignatione vel odio in dæmonem.*

Dico I. Non licet tollere signa magica per novum maleficium. Ratio est: quia adhibitio novi maleficii est intrinsecè mala, tamquam expressum vel tacitum cum dæmone pactum involvens. Unde nulla utilitas vel necessitas prædictam malitiam abstergere potest. 34. *Numquam tamen per novum maleficium.*

Dico II. Licitum est tollere signa magica absque maleficio, ea intentione, ut dæmon nocere desinat. Ita passim Doctores cum *Scoto 4. d. 34. num. 4.* ubi dicit hoc esse meritorium contra *Estium 4. d. 34. §. 8. & 9.* quem 35. *Eo secluso licet tollere ex intentione ut cesset nocumentum.*

quem sequitur *Sylvius sup. concl. 3.* Ratio est: quia ejusmodi amotio signorum non est invocatio dæmonis ex natura rei, sed potiùs eversio prioris pacti; neque etiam ex intentione operantis, ut quæ illi prorsus est contraria: ergo simpliciter est licita, cùm aliunde non sit illicita. Patetque insuper exemplo sublationis signorum hostilium, inter homines, ipsi nocumenti cessaturi faciendæ. Si quis enim iniisset pactum cum hoste, quòd dato signo domum vel urbem incenderet, is, qui tale pactum sciret, absque ulliùs cum hoste societatis vel pacti nota signum illud amovere posset.

36. Dices I. Qui tollit signa magica eo fine, ut diabolus nocere desinat, effectum desideratum non expectat à causa naturali, neque à voluntate humana, neque per miraculum à voluntate Dei aut Sanctorum: ergo expectat eum à diabolo, quod est illicitum, velut implicitam dæmonis invocationem continens. Resp. effectum desideratum expectari à Deo, non quidem miraculosè, sed juxta ordinariam ejus legem obtinendum: quamquam enim Deus absolutè posset dæmoni permittere nocumentorum inferendorum continuationem independenter à quorumlibet signorum positione: juxta ordinarium tamen suum agendi modum eam non permittit, nisi malitiâ humanâ per signorum quorumdam adhibitionem suo modo concurrente & cooperante: quibus proinde signis sublatis de per se à Deo iperari potest nocumentorum, aliàs inferendorum, cessatio.

*Quæ cessatio expectatur à Deo, non à dæmone.*

37. Dices II. Qui tollit signa magica modo prædicto, immiscet se pacto malefici cum dæmone, quod est hujusmodi, ut, signo posito, diabolus nocere incipiat, & eo sublato desinat. Resp. non esse necesse, quod duplex illud pactum inter dæmonem & maleficum intercesserit, sed potest fuisse unicum, videlicet ut posito signo dæmon noceat, quo signo sublato, dæmon ulteriùs nocere non permittitur: atque ita potest æstimare, quisquis signa magica tollit, nisi aliùnde sibi constet duplex pactum intercessisse. Quo posito adhuc licitum erit signa magica tollere, per actiones ad hoc ex se vel Dei aut Ecclesiæ ordinatione idoneas, ut docet *Wiggers n. 141.*

*Idq; sine periculo se immiscendi pacto dæmonis.*

38. An autem in hoc casu signa magica tollere liceat per talem actionem, quæ neque ex natura sua, neque ex Dei voluntate, vim habet impediendi maleficium, major est difficultas, eaque ad conclusionem nostram (ad cujus verificationem sufficiunt præmissa) impertinens & disparata. In qua apparet *Wiggers hic dub. 21. n. 144.* non satis intelligibile, quomodo actio, nec ex se, nec ex Dei vel Ecclesiæ ordinatione vim habens impediendi maleficium, possit adhiberi ex intentione maleficium impediendi, absque aliqua communicatione cum dæmone. Nihilominus oppositum, pro quo *Wiggers sup. n. 143.* refert *Suarez*, *Malderum* & alios, non est improbabile, eò quòd videatur talis actio posse adhiberi ad hoc, ut, signo magico per eam sublato, Deus dæmonem coerceat, ne ulteriùs nocere pergat: atque ita cessatio maleficii seu nocumenti per talem actionem intenta non expectatur ex prædicti dæmonis pacto, sed à Deo, juxta ordinariam suam legem, sublato signo dæmonem ab ulteriori nocumento cohibente. Alia, quæ objici solent, ex dictis solvi possunt. Interim videri potest *Lessius c. 44. dub. 6.*

*Quid si actio signorum destruct. neque ex se neque ex ordinatione Dei vel Ecclesiæ ad id vim habeat.*

39. Ex dictis sequitur, esse obligatorium signa magica tollere, dum ille, qui eorum conscius est, commodè potest: quia tenetur impedire tum peccata per illa signa, tamquam conditionem sine qua non, committenda: tum damna inde proximo obventura, ut observat *Sanchez l. 2. Moral. c. 41. n. 22. Suarez l. 2. de Superstit. c. 17. n. 13.* & alii. Si tamen sine gravi sui vel tertii incommodo signa illa tollere non possit, ad id non tenetur.

*Conscius signorum tenetur ea tollere.*

40. Similiter ex dictis resoluta manet difficultas illa, an non solùm licitum sit signa magica tollere, eo fine, ut diabolus per ea nocere desinat, sed etiam ponere alia signa, per quorum positionem expiret pactum prius & diabolus nocere desinat: nam si illa signa ex se, vel Dei aut Ecclesiæ ordinatione, habeant virtutem destructivam maleficii, omnino licitum est illa adhibere. Si verò neque ex se, neque ex Dei aut Ecclesiæ ordinatione, prædictam habeant virtutem, sed sint omnino indifferentia, procedendum est iuxta alterutram sententiam *num.* 38. cum suo fundamento allatam.

*Similiter licet signa magica tollere per apositionem signorum contrariorum.*

41. Petes: An liceat à malefico petere dissolutionem maleficii? Resp. id non licere, si dissolutio fieri nequeat nisi per novum maleficium, ut patet ex dictis *concl. 1.* idque etiamsi maleficus ad hoc se paratū exhibeat: cùm equidē novi maleficii adhibitio maneat intrinsecè mala, ad quam proinde nullus inducī potest. Nec obstat, quòd ex justa causa liceat petere juramentum ab eo, qui sciturus pejeraturus: quia in hoc casu solùm petitur actio, quæ bene & malè fieri potest: in illo autem, quæ non nisi malè.

*Non licet à maleficio petere dissolutionem maleficii per novum maleficium.*

Unde consequenter *Bonacina hic punct. 5. n. 6.* post *Suarez* & *Sanchez*, quos citat, docet ex justa causa maleficum simpliciter induci posse, ut maleficium tollat, quando potest modo licito, etiamsi illicitum quoque adhibere possit. Hoc tamen limitat *Wiggers dub. 23.* ad casum, quo inducens persuadet sibi probabiliter maleficum non usurum malâ arte, quando aliter potest: si verò certò aut probabiliter credat & sibi persuadeat, maleficum tali arte usurum, etsi aliter possit, putat tunc non licere. Quæ tamen limitatio difficultatem patitur, ob exemplum juramenti, quod, exigi potest ab eo, qui moraliter certò æstimatur pejeraturus, mo-

*Quid si maleficus moraliter certò, maleficio sit usurus, etsi aliter posset.*

rus, modo tamen possit non pejerare: ideoque *Castro Palao punct.12. n.4.* probabiliùs censet etiã in hoc casu licitè à maleficio peti dissolutionem maleficii. Hoc saltem constat maleficum ex lege charitatis debere ab inducente excitari, ut maleficum modo licito dissolvat: nam quisque tenetur, ubi commodè potest, proximi peccatum impedire.

# DISPUTATIO OCTAVA.

## De Irreligiositate.

1. *Irreligiositas Religioni opponitur per defectum. Ejus species.*

IRreligiositas Religioni per defectum opposita, ut ante diximus, est defectus cultûs Deo debiti. Cõprehenditque sub se tentationem Dei, sacrilegium, blasphemiam, simoniam, perjurium & voti violationem: sed de his duobus postremis vitiis in præcedentibus actũ est, & de *Simonia disp. seq.* agemus, de reliquis nunc acturi.

## QUÆSTIO I.

### De Tentatione Dei.

2. *Tentatio dupliciter sumitur.*

TEntatio sumitur dupliciter. Primò ut idem sit, quod ad malum incitare, quo modo diabolus homines tentat. Secundò significat dictum vel factum, quod adhibetur ad capiendum experimentum de alterius qualitatibus, ut de potentia, scientia, justitia &c. juxta hanc significationem sumitur tentatio hoc loco.

3. *Quid Tentatio Dei.*

Est igitur tentatio Dei actus Religioni oppositus, quo quis absque justa causa dicit aut facit aliquid ad capiendum experimentum de divina aliqua perfectione, ut de potentia, sapientia, justitia, misericordia aliisve Dei attributis. Dicitur esse actus Religioni oppositus: quia est quædam in Deum irreverentia velle de ipsius perfectione experimentum sumere absque justa causa, relictis mediis à Deo institutis: sicut etiam in humanis contra observantiam suo Superiori debitam subditus delinquit, qui absque justa causa de virtutibus ejus experimentum capere præsumit.

*Vnde malum.*

*Et in quo ejus malitia sita.*

Unde malitia hujus vitii consistit in irreverentia erga Deum, ex indebita extraordinarii auxilii divini postulatione desumpta: quemadmodum enim reverentia Deo debita in eo sita est, quòd consideratâ illius majestate & nostrâ vilitate intra limites ab ipso nobis præfixos nos contineamus, ne videlicet audaciùs, quàm ipse concesserit, ad eum accedamus, ita irreverentia nascitur ex illius defectu.

4. *Quidam eam opponunt spei.*

Aliqui tamen Doctores (inter quos *Sanchez l.2. Moral. c.34. n.4. Reginaldus l.17. n. 229.*) docent tentationem Dei etiam opponi virtuti spei, quatenus tentans Deum aliquid ab eo obtinere sperat modo indebito.

Dictum est, *absque justa causa*: quia si illa adsit, non erit tentatio, ut si fiat ex divino instinctu, v.g. si quis habeat donum miraculorum, gratiam sanitatum, vel si honor Dei & Ecclesiæ id exigat. Hinc juxta *Azarium 1.p.l.9.c.2. punct.7.* & alios excusatur, qui à Deo petit divinæ suæ voluntatis manifestationem, ut eidem per omnia conformet suam.

5. *Tentatio Dei alia est expressa.*

Tentatio Dei alia est expressa, alia interpretativa. Expressa tunc cõtingit, quando aliquid fit expresse ea intentione, ut experimentum capiatur de aliqua Dei perfectione, ut si quis se in puteum conjiciat, ut experiatur, an Deus eum lædi permittet.

*Ea ex se mortalis.*

Hanc tentationis speciem ex vi sui objecti præcisè, omni aliâ malitiâ seclusâ, docet *Suarez de Irrelig.c.2. nu.16.* contra aliquos, quos tacito nomine refert *num.15.* & post eum *Sylvius q.97. art.4.* esse peccatum mortale: eò quòd extraordinarium Dei auxilium postulare, sine justa causa, videatur notabilem contra Deum irreverentiam continere.

6. *Alia interpretativa.*

Interpretativa contingit, quando aliquid fit absque explicita quidem intentione sumendi experimẽtum de divina aliqua perfectione, requirit tamen extraordinarium Dei auxilium, illudque à Deo temerè expectatur: ut si quis exemplo Christi velit jejunare quadraginta diebus, expectãs se à Deo sine cibo confortandum: secùs si tam diu velit jejunare, ut sese occidat, tũc enim peccatum illud non habebit rationem tentationis Dei, quæ non potest fieri sine respectu ad Deum, ut post *Lessium*, *Suarez* & alios observat *Bonacina Tom.2. disp.3. q.9. n.3.*

7. *Quando sit peccatum mortale.*

Tentatio interpretativa Dei est peccatũ mortale, quando provenit ex crassa ignorãtia, vel dubitatione alicujus attributi divini, vel articuli fidei, quem homo scire tenetur. Secundò quando conjuncta est magno periculo vitæ, aut gravis læsionis, ut si quis, relictâ scalâ, sese præcipitem daret ex turri. Tertiò ratione scandali: concurritque in his casibus duplex malitia, una tẽtationis Dei, quæ desumitur præcisè ex irreverentia Deo per tentationem illata; altera ex transgressione alterius virtutis v.g. fidelitatis, charitatis &c. Quartò denique in mortalem degenerat tentatio, quando procedit ex curiositate: eò quòd tentans actu suo tunc profiteatur Deum esse fautorem curiosorum, non sine magna in Deum irreverẽtia, nisi ex levitate materiæ (prout hanc tentationis speciem à mortali posse excusari

*Et an excusetur ex levitate materiæ.*

censent

censent Doctores communiùs contra *Castro Palao disp.2.de Vitiis Relig. oppos. punct.4. n.9.*) vel inconsideratione excusetur.

## QUÆSTIO II.

### *De Sacrilegio.*

8. *Quid sacrilegium.*

SACRILEGIUM, si nominis etymologiam spectemus, idem est, quod rei sacræ legium sem furtum. Solet tamen modò latiùs sumi, & quidem aliquando pro quavis irreverentia Deo facta: quo sensu etiam cõprehendit impios cultus. Propriè autem, ut ad hunc locum spectat, sumitur pro violatione rei sacræ, seu irreverẽtia, quæ Deo infertur per indignam tractationem rei sacræ. Cùm autem tria sint genera rerum sacrarum, videlicet personæ, loca & aliæ res ad divinum cultum ordinatæ, hinc etiam tres exurgunt

*Est triplex.*

species sacrilegii: una ratione personæ, altera ratione loci & tertia ratione alicujus alterius rei ad divinum cultum ordinatæ, quæ solet simpliciter dici sacrilegium ratione rei sacræ.

9. *Aliud ratione personæ;*

Sacrilegium ratione personæ cõmittitur, quando in Sacerdotem, aut Clericum, vel Religiosum manûs violentia injicitur, sive id fiat percussione, occisione, mutilatione, sive alia gravi injuria. Deindè quando exercetur actus contra castitatem à persona, vel circa personam, Deo per votum castitatis consecratam. Denique quando Clericus indebitè trahitur ad tribunal sæculare.

*Aliud ratione loci;*

Sacrilegium ratione loci committitur, quando Ecclesia, altare &c. violatur & profanatur, effringitur, spoliatur &c. de quibus suprà egimus, agendo de reverentia debita locis sacris.

*Et aliud ratione rei sacræ, quod iterum multiplex.*

Ad sacrilegium ratione rei sacræ multa spectãt, cum res sacra hîc sit multiplex: aliquæ enim sanctitatem efficiunt, ut sunt Sacramẽta: vel sunt instrumenta in rebus sacris administrandis, ut vasa sacra, ornamẽta &c: vel significãt res sacras, ut verba sacra. Unde uti verbis sacræ Scripturæ ad superstitiones, immo ad facetias, est sacrilegium. Vel sacra repræsentãt, ut imagines Christi & Sanctorum: vel sunt particulæ aut res sacrorum, ut sunt Reliquiæ: vel sunt mensura actionum sacrarum, ut dies dominici & festivi: vel ad sustentationem sacrorum sunt dicata, ut bona Ecclesiarum. Harum rerum indignæ tractationes sunt sacrilegia, diversæ tamen speciei, ratione diversæ sanctitatis rerum.

10. *Majus per se est sacrilegium quo major violatur sanctitas.*

Sacrilegium, ceteris paribus, eò est gravius, quò majorem sanctitatem obtinet res, quæ violatur, v.g. majus est peccatũ violare sacramentum, quàm locum sacrum. Dixi, *ceteris paribus*, quia in hoc etiam est considerandæ conditio operis, quo violatur: an nimirum multùm repugnet sanctitati, ut majus est confringere imagines, quàm sine devotione communicare.

*Est mortale: & quando.*

Sacrilegium est mortale, primò quando aliquid fit in contemptum rei sacræ. Secundò quando notabiliter cõtravenitur sanctitati rei sacræ, & gravis irreverentia ei irrogatur, ut si quis obstrictus voto castitatis cõmittat actũ carnis in suo genere mortalem.

Petes: An contravenire voto sit sacrilegium? Resp. I. contravenire voto castitatis est sacrilegium: quia vovens castitatẽ corpus suum Deo consecrat, ut immune maneat ab omni contaminatione libidinis, ex qua consecratione peculiarem cõtrahit sanctitatem, cujus violatio est sacrilega. Resp. II. cùm in aliis votis aliarum virtutum non ita quis consecretur Deo, sed tantùm ad exhibendum opus Deo promissum, hinc non tam propriè est sacrilegium, sed magis perfidia contra fidelitatem.

11. *Quando violatio voti sit sacrilegium.*

Pro fine notandum est cum *Sylvio q.99. art.3.* non omne peccatum à persona sacra, vel in personam sacram cõmissum, esse sacrilegium propriè & formaliter, sed illud tantùm, quod directè committitur contra sanctitatem personæ. Hinc inebriatio, superbia, mendacium &c. à persona sacra cõmissa non sunt sacrilegia, prout nec est ira in talem personam exercita citra injuriæ illationem.

12. *Non omne peccatum à persona sacra vel in eam commissum est sacrilegium.*

Ad dignoscendum itaque generaliter sacrilegii malitiam, attendendum est, ad quid persona, locus vel res sit sanctificata, & videndum, an actus contra illud, ad quod sanctificata dicitur, committatur: si ita sit, sacrilegii ratione habet; aliàs non. Et sic, quia quilibet Ecclesiæ sanctificatus est quoad exemptionem ab oneribus & jurisdictionibus sæcularibus, non autem ad puritatem à libidine, hinc sacrilegium perpetrat, qui illam exemptionem violat; secùs si in eo fornicetur.

*Regula generalis.*

## QUÆSTIO III.

### *De Blasphemia.*

13. *Quid blasphemia.*

BLASPHEMIA generaliter idem est, quod convitium vel maledictum in aliquem, præsertim alicujus excellentiæ & dignitatis, juxta illud Apostoli *Corinth.1.c.4. Blasphemamur, & obsecramus.* Propriè autẽ sumpta blasphemia, est injuriosa in Deum locutio, seu est cõtumelia in Deum verbo irrogata. Cõtumelia opponitur honori, & generatim idem est, quod omne signũ vel factum, quo honori alterius derogatur. Hinc alia est contumelia factorum, ut si quis alteri in faciem spuat; alia verborum, & hæc est blasphemia: sicut enim non omnis honoratio Dei est laus, sed tantùm ea, quæ verbis fit, ita non omnis inhonoratio est blasphemia: quia hæc adversatur laudi divinæ. Unde blasphemia opponitur Religioni, utpote quæ laudi & honori Dei, quæ Religio tuetur, directè adversatur.

14. *Dividitur in enuntiativam.*

Blasphemia primò dividitur in enuntiativam, imprecativam & dehonestativam. Enuntiativa est, quando tribuitur aliquid Deo ejus excellentiæ derogans, ut si dicatur cõ-

tur crudelis, injustus &c. vel quando negatur aliquid ei competens, ut cùm negatur filii æqualitas, vel Dei existentia: vel denique dum tribuitur creaturæ aliquid Deo competens: per hoc enim significatur, quòd Deus nō distinguatur à creatura. Sic Pharisæi *Lucæ* 11. dicebant *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia:* ubi erat duplex blasphemia, cùm tribuatur diabolo, quod Deo convenit, & Christo commerciū cum diabolo. Blasphemia imprecativa est, cùm quis optat Deo malum: & talis est blasphemia damnatorum ac pessimorū hominum. Dehonestativa est, cùm quis membra Christi vel Sanctorum indecorè & inhonestè nominat.

*Imprecativam & dehonestativam.*

15. Blasphemia secundò dividitur in hæreticalem & non hæreticalem. Hæreticalis est, quæ hæresim cōtinet. Talis est omnis enuntiativa. Non hæreticalis, quæ non continet hæresim: ut sunt omnes blasphemiæ, quæ fiunt optando, imperando & imprecando: item quæ fiunt nominando aliquid, quod in Deo invenitur, per modum contumeliæ & irrisionis. Huc spectant multæ vulgares blasphemiæ, quæ ex iracūdia proficiscuntur, ut displiceant Deo, ad despectum Dei &c.

*Secundò dividitur in hæreticalem & non hæreticalem.*

16. Petes: An contumelia in Sanctos sit blasphemia? Resp. I. Affir. si redundet in Deum, ut si quis expressè intendat in Deum, volēs illius honori detrahere: item si cogitet quidē de Sanctō, sed cum aliqua expressa habitudine ad Deum, tamquam peculiaris amici, ministri &c. Resp. II. si tantùm feratur in Sanctos & non sit respectus ad Deum, non erit blasphemia, sed peccatum oppositum duliæ. Videtur tamen semper aliquo modo tale peccatum aggravari, quia tendit in objectum, quod de se aliquo modo redundat in Deum, & consequenter aliquo modo est blasphemia. Ita *Suarez l. 1. de Irreligiositate c. 5. n. 6. Lessius c. 35. dub. 5. n. 23.* & alii.

*An & quando contumelia in Sanctos sit blasphemia.*

17. Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale. Ita omnes. Ratio est, quia in ea per cōtumelias Deus impetitur: advertit autem *Suarez sup. c. 6. n. 1.* ut sit propriè blasphemia debere proferri per modum convitii, aliàs si tātùm materialiter, vel ex levitate, aut joco proferatur, censet fore peccatum levitatis & irreverentiæ: quia nomen in vanum assumitur: non autem blasphemiæ. Hoc tamen limitat *Sanchez l. 2. c. 32. n. 2.* ad casum, quo jocus dicēdi modus impediat divini honoris diminutionem, ex illis verbis blasphemis alioquin per se inferendam: si verò modus dicendi ex se natus sit Deum inhonorare, censet jocum à blasphemia non excusare.

*Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale.*

18. Blasphemia ex levitate materiæ nequit esse venialis, nisi simul accedat subreptio: nā sicut perjurium assertorium, etiam in minimo, gravem cōtinet malitiam, ita quoque blasphemia vera & formalis, in quantumcumque parva materia, gravem in Deum irreverentiam involvit. Censet quidem *Sylvius 2. 2 q. 13. art. 2.* & post eum *Bassæus in Supplem. V. Blasphemia n. 5.* in blasphemia contra Sanctos dari posse levitatem materiæ, si Sancti cōsiderentur secundùm propriam excellētiam, sine respectu ad Deum: verùm tunc non est propriè blasphemia, ut ante monuimus.

*Nequit ex quasi levitate materiæ.*

Subreptio à mortali excusans fieri potest primò: si quis ex subitanea passione prius proferat verbum, quàm attendat ad sensum: tunc enim dicit quidem verbum blasphemum, sed non blasphemando. Secundò ex prava consuetudine, quæ licèt non excuset, quamdiu voluntaria est: nihilominus, si in ipso actu tollat advertētiam, non erit nova malitia, saltem mortalis, in ipso actu: tenetur tamen quis talem cōsuetudinem corrigere: quia illi actus, in quos prorumpit, sunt divino honori injuriosi: unde id omittendo censetur honorem Dei parvipendere: ideoque graviter peccat, & in confessione tenetur exprimere, se talem consuetudinem habere, & neglexisse eam corrigere.

19. *Prout excusat subreptio.* *Quid de consuetudine blasphemandi.*

Quod attinet gravitatem blasphemiæ comparativè ad alia peccata, censendum est eam, ex præcisa ratione blasphemiæ, esse minus peccatum, quàm sit infidelitas: eò quòd hæc opponatur virtuti theologicæ; illa verò tantùm morali, quæ est Religio. Dixi, *ex præcisa ratione &c.* quia blasphemia potest habere adjunctam hæresim & infidelitatem, quo casu simplicem infidelitatem in malitia superabit. Similiter si procedat ex intentione convitiandi Deo, sive ex odio ejusdem, sive ex furore iracundiæ, gravissimum est peccatum inter ea, quæ Religioni opponuntur: cùm in tali blasphemia intendatur malum Dei; in aliis non ita. Unde eatenus gravius est idololatriâ, perjurio, violatione voti, & sacrilegio: si autem non fiat ex intentione convitiandi Deo, sed ex ira in hominem vel impatientia, non videtur gravius idololatriâ. Blasphemiam autem simpliciter esse perjurio graviorem docet *S. Augustinus l. contra mendacium c. 19.* Vide *Bassæum sup. n. 6.*

20. *Blasphemia ex ratione sua est infidelitate minor.* *Secùs si aliæ malitiæ adjungantur.* *Quo casu potest etiam superare idololatriam.*

Dubitatur autem hìc an omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei? Ad quod in primis dicendum est: hæreticales specie differre à non hæreticalibus. Similiter eas, quæ procedunt ex odio Dei, desperatione &c. sic differre ab aliis, ita non procedentibus: idque ob extraneam saltem infidelitatis, odii &c. malitiam, in blasphemiis illis respectivè imbibitam. Si verò spectetur sola malitia blasphemiæ propria, docet *Sanchez sup. n. 38.* & alii omnes blasphemias esse ejusdem speciei: ideoque in confessione non esse explicandam blasphemiæ speciem, sed solum numerum, nisi aliundè nova malitiæ species adjungatur.

21. *Blasphemiæ hæreticales & non hæreticales specie differunt.* *Secùs quidam putat, si sola blasphemiæ malitia spectetur.*

Hanc tamen sententiam *Arriaga disp. 24. de Fide sect. 5. n. 42.* censet valdè difficilem. Et sanè, spectando præcisam blasphemiæ malitiam, longè aliter videtur Deo injuriosum

22. *Quod tamen universim non admittitur.*

sum & contumeliosum blasphemare contra Spiritûs sancti vel Christi divinitatem, quàm ejus membra inhonestè & indecorè (sic videlicet, ut formalem blasphemiæ rationem induat) nominare. Similiter censet *Arriaga* diversas specie blasphemias committi ab eo, qui Deum posse peccare & posse errare blasphemãdo asserit. Unde quoties blasphemiæ, sive hæreticales, sive non hæreticales, notabiliter diversimodè honori & laudi divinæ adversantur, in confessione sunt determinatè in particulari, non tantùm quoad numerum, sed etiam quoad speciem explicandæ: sic qui per blasphemiam negaret Christo divinitatem nostramque redemptionem, utramque blasphemiam in particulari, quoad speciem & numerum, exprimere teneretur.

# DISPUTATIO NONA.

## De Simonia.

### QUÆSTIO I.

### Quid & Quotuplex Simonia.

1. *Etymologia nominis, Simonia & qui ejus primi auctores.*

NOMEN, Simonia, desumptum est à Simone Mago, qui primus in novo Testamento hoc vitio infectus legitur *Act.* 8. ubi refertur ipsum voluisse ab Apostolis sibi pecuniâ comparare potestatem, ut quibuscumque manus imponeret, Spiritum sanctum acciperent: idque, juxta *S. Gregorium hom. 4. in Evangelia* & alios Patres ac Doctores, eo fine, ut ex hac potestate quæstum faceret, aliis Spiritum sanctum vendendo. Alioquin in veteri Lege, ante Simonem Magum, aliqui hoc crimine coinquinati leguntur, ut *Balaam Numer.* 22. *Giezi* 4. *Reg.* 5. quos refert *A Lapide* in locum *Act.* 8. citatum. Ideoq; *Adrianus quodlib. q* 9. Simoniam apud Doctores vetustiori vocabulo Balamiam dictam asserit. Et *D. Thomas* 2.2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 4. ait, Simoniacos etiam posse dici Giezitas: usus tamen pro nomine, Simonia, simpliciter invaluit.

2. *Quid Simonia.*

Simonia communiter definitur esse studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, pretio temporali. Dicitur, *voluntas*, id est, actus voluntatis, *studiosa*, hoc est, deliberata. Hinc motus voluntatis non plenè deliberatus, aut ex ignorantia inculpatæ procedens, non facit hominem simoniacum. Dicitur, *emendi vel vendendi*, comprehendendo sub his terminis omnem contractum non gratuitum, quo videlicet aliquid datur, vel accipitur non gratis, sed quasi pretio temporali interveniente, sive id fiat per emptionem, sive permutationem, sive locationem &c.

3. *Quid res spirituales in allata definitione.*

Dicitur, *aliquid spirituale*, hoc est, quod à Deo, ut auctore gratiæ, procedit, vel ad eum, ut auctorem gratiæ, ordinatur. Hujusmodi autem res in triplici sunt differentia, quædam enim sunt essentialiter spirituales, ut virtutes & dona supernaturalia Spiritûs sancti: secùs est de scientiis naturalibus, etsi in entitate sua physica spiritualibus: pro quarum proinde usu pretium recipi potest sine periculo Simoniæ, ut post alios observat *Wiggers dub.* 11. *nu.* 59. qui de usu Theologiæ aliter sentit, quam pro temporali pretio docere, non tantùm inordinatum, sed etiam simoniacum esse censet *num.* 65. quod tamen non placet *Sylvio* 2.2. *q.* 100. *n.* 3. ubi probabilius æstimat oppositum.

*Et quid de usu scientiarum, ut ratione Theologiæ.*

Aliæ res sunt spirituales & supernaturales causaliter, ut sacramenta, quæ, etsi in substantia sua sint planè materialia, tamen sunt gratiæ supernaturalis causativa. Huc etiam spectat potestas miraculorum, consecrationes & benedictiones Ecclesiæ, & similia ad gratiam supernaturalem ex se dispositiva & excitativa, v.g. conciones sacræ. Aliæ denique res sunt effectus virtutis supernaturalis, sive potestatis spiritualis, ut dispensatio, absolutio, patratio miraculorum &c.

*Aliæ res spirituales enumerantur.*

Additur, *vel spirituali annexum*, id est, quod cum re spirituali conjunctionem habet, idque vel impropriè, ut officiũ sacristæ, œconomi Ecclesiæ &c. vel proprie, & tunc vel antecedenter, ut jus patronatûs, quod præsupponitur præsentationi ad beneficium & institutioni, vel consequenter, ut beneficia Ecclesiastica, quatenus dicunt jus ad proventus Ecclesiasticos, præsupponunt enim titulum, sive officium spirituale: vel concomitanter, ut labor in administratione Sacramentorum.

4. *Quæ res censeantur spiritualibus hic annexæ.*

In his autem rebus spiritualibus & annexis aliquando reperitur aliquid secundum se pretio æstimabile, ut in ornamentis Ecclesiæ, calicibus, vestibus sacris &c. in aliquibus verò non, ut in donis & gratiis Spiritus sancti. Hæ posteriores nullatenus vẽdi possunt; secus est de prioribus, quæ præcisè ratione materiæ, per se pretio æstimabilis, vendi possunt, quantum est ex natura rei, nisi videlicet Ecclesia id prohibeat. Cavendum tamen, ne ratione spiritualitatis cariùs vendantur, alioquin Simoniæ macula non evitatur.

5. *Res spirituales an possint venire ratione materiæ pretio æstimabilis.*

Additur denique, majoris explicationis gratiâ, *pretio temporali*, quo nomine cõprehenditur pecunia, & quidquid pecuniâ æstimabile,

6. *Quid hic pretium temporale.*

mabile est, & interdum æstimari solet; & in pretium ac contractum deduci, ut inquit *Marchant Tom. 3. Tr. 10. Tit. 6. q. 6.* soletque à Doctoribus ex c. *Salvator 1. q. 3.* triplex assignari, scilicet à manu, à lingua, & ab obsequio. Pretium à manu dicitur pecunia, & quidquid pro munere deferri aut vendi solet, ut vestis, equus, bos, domus, ager & similia. Pretium à lingua vocatur, quod officio linguæ præstari solet, ut sunt laudes, vituperia & similia. Pretium ab obsequio est, ministerium aliquod in rebus tēporalibus, ut famuli, œconomi &c. unde qui similia in pactum, vel quasi pactum deducunt, & inde sibi beneficia comparant, simoniæ labem incurrunt. Aliud est, si spirituale pro spirituali in pactum deducatur: sic enim sine vitio Simoniæ possunt duo pacilci mutuas preces, mutuam operam in audiendis confessionibus &c.

*Aliud est à manu;*

*Aliud à lingua & aliud ab obsequio.*

7. Ex dictis patet Simoniam esse peccatum Religioni oppositum, cujus malitia consistit in irreverentia orta ex indigna tractatione rei sacræ vel spiritualis, quæ cùm sit nobis gratiosè à Deo concessa in nostram & proximi salutem, redigitur tamen in ordinem rerum tēporalium, & profanis contractibus subjicitur, prout expressit Sanctus Petrus *Act.* 8. ad Simonem Magum dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.*

*Simonia est peccatum Religioni oppositum.*

*Quo sensu in jure vocetur hæresis.*

Notatur quidem Simonia nomine hæresis c. *Presbyter 1. q. 1. c. Quoties, de Simonia* & alibi: non est tamen propriè hæresis, ut advertunt Doctores cum *Glossa in c. Firmissimè, de Hæreticis*, apud *Suarez lib. 4. de Simonia c. 1. n. 6.* sed tantùm impropriè quoad externam professionem, quatenus Simoniacus externa venditione rei spiritualis profitetur in actu exercito rem illam esse pretio temporali æstimabilem, vel qua Simonia in primo suo auctore in Lege nova & aliquibus ejus sequacibus relatis à *Sylvio q. 100. art. 1.* veram hæresim internam conjunctam habuit, quatenus Simoniaci illi per hæresim existimabant, rem spiritualem esse pretio temporali æstimabilem.

8. Est autem Simonia ex genere suo peccatum mortale: immo *Sylvius sup.* post alios putat eam nunquam esse peccatum veniale ex levitate materiæ: eò quòd res nulla tam parvo gradu possit esse supernaturalis, quin sit magna in Deum irreverentia, eam velle pretio temporali æstimare. *Molina* tamen *Tom. 1. Tract. 2. disp. 92. n. 5. Reginaldus l. 23. c. 11. n. 166.* & alii materiæ parvitatem in Simonia agnoscunt. Pro foro saltem externo, quando pretium est longè inferius re tradita, observat *Bassæus V. Simonia 1. n. 3.* & innuitur c. *Etsi quæstiones, de Simonia*, levitatem materiæ à Simonia posse excusare, eò quòd tale pretium facilè præsumatur datum esse liberaliter.

*Est ex genere suo peccatum mortale.*

*An admittat levitatem materiæ.*

9. Simonia juxta communem sententiam contra *Durandum* apud *Lessium dub. 4. n. 24.* & paucos alios, nullam Simoniam juris humani admittentes, dividitur primò in eam, quæ est juris divini, & quæ humani. Prior jure divino naturali est prohibita, committiturque in emptione, aut venditione rei purè spiritualis, v. g. Sacramentorum: quæ Simonia communiter dicitur esse prohibita, quia mala, non autem mala, quia prohibita. Posterior jure humano prohibetur, committiturque in venditione rerum, quæ quidē per se & seclusâ lege Ecclesiasticâ sunt vendibiles, per hanc tamen, ob reverentiā rei sacræ connexæ, invendibiles factæ sunt: quemadmodum enim Ecclesia, eximendo locum sacrum à jurisdictione & potestate sæculari, facit, ut judex inde abstrahens reum, peccet, non tantùm contra obedientiam, sed etiam contra Religionem: ita quoque, rem temporalem ob reverentiam rei sacræ annexæ eximendo à sæcularibus mercimoniis, facit, ut, qui eam vendere attentat, peccet, non tantùm contra obedientiam (ut vult *Durandus*) sed etiam contra Religionem, commisso Simoniæ peccato. Sic qui vendit beneficia secundùm partem temporalem, Simoniam juris humani committit.

9. *Dividitur in Simoniam juris divini & juris humani.*

*Quatenus Ecclesia eximendo pro se facit res aliquas necessariam materiam Religionis.*

10. Secundò dividitur Simonia in mentalem, conventionalem & realem. Mentalis propriè est, non quodlibet internum propositū, quo aliquis vult exteriùs Simoniacè contrahere (quamvis & hoc ita appellari posset) sed propositum internum, quo aliquis, dum cōfert quidpiam spirituale, intēdit alium obligare ad reddendum temporale, vel contrà: ut si quis det alicui centum aureos, vel ei inserviat, cum intentione eum obligandi ad conferendum beneficium. Conventionalis committitur, quando propositum obligandi procedit ad externam conventionem, sine executione utrimque facta, sive hoc fiat verbis expressis, sive implicitis, sive oblatione pecuniæ: estq; hæc Simonia duplex, una pura, quando scilicet ex neutra parte est cōpleta: altera mixta, ex reali, ut quando pretium est datum, sed nondum translatum beneficium, aut contra. Hujus species est Simonia confidentiæ, de qua *infrà n. 24.* Realis est, quando pactio ex utraque parte est impleta, saltem inchoatè: ut si collatum sit beneficium & pars saltem pretii soluta.

*Secundò dividitur in mentalem.*

*Conventionalem.*

*Et realem.*

## QUÆSTIO II.

### *Qualiter Committatur Simonia Juris Divini?*

11. DIco I. Committitur Simonia juris divini, si pro actione spirituali, ut tali, aliquid exigatur. Patet: quia Sanctitas sic æstimatur pretio temporali. Cùm autem pleræq; actiones spirituales non exerceantur sine labore, inquiri solet, an pro ipso labore aliquid exigi possit. Labor autem alius

*Exigere aliquid pro actione spirituali ut tali Simonia juris divini est.*

est intrinsecus actioni spirituali, prout celebrationi Missæ intrinsecum est, ad altare stare &c. alius est extrinsecus, qui non ex natura rei, sed tantùm per accidens, cum actione spirituali conjungitur, sivè antecedenter sivè concomitanter, sic celebrationi Missæ extrinsecum est, quod certo loco certo tempore & non aliter sit celebrandum. Hoc supposito,

12. *Secùs si quid accipiatur pro laboribus extrinsecis.*

Dico II. Non est Simonia aliquid accipere pro laboribus extrinsecis, seu per accidens conjunctis actioni spirituali, sivè sint prævii, sivè concomitantes. Ratio est: quia illi labores sunt temporales & pretio æstimabiles. Sic cantor potest aliquid exigere pro labore & artificio cantandi, item Sacerdos pro obligatione celebrandi certo loco & tempore, & pro labore itineris. Deinde quia privare se libertate & facultate aliarum actionum est pretio æstimabile. Similiter qui procurat alteri beneficium potest exigere compensationem laborum, v. g. ob scribendas litteras &c. non tamen ob pinguedinem beneficii, nec ob procurationem ejusdem. Similiter non licet aliquid exigere pro præsentatione, electione, vel collatione beneficii: cùm accipiant suam æstimationem in ordine ad beneficium. De quo *quæst. seq.*

13. *Vel per modum stipendii sustentationis.*

Dico III. Non est Simonia dare, exigere vel accipere aliquid pro sustentatione ministri sub obligatione ministerii vel rei spiritualis, non per modum pretii, sed stipendii. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia administrantibus populo spiritualia debetur ex justitia sustentatio, ut habetur 1. *Corinth.* 9. & *Matth.* 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Unde vocatur à Doctoribus stipendium sustentationis: cùm enim ministri Ecclesiæ in utilitatem sæcularium privent se facultate vacandi negotiis sæcularibus, ex quibus possent se sustentare, tenentur sæculares ex justitia illos alere, sicut aliquis tenetur alere gerentem sua negotia: quia non possunt munia sua exequi sine decenti sustentatione. Hoc titulo licitum est aliquid exigere pro missa, concione, Ecclesiarum consecratione, visitatione &c. eodem titulo ministeriis Ecclesiasticis annexi sunt proventus, non tamquam pretium rerum sacrarum, sed tamquam stipendia necessaria sustentationi, juxta cujusque dignitatem.

14. *De quo etiâ licet pacisci quantum est ex natura rei.*

Petes: An liceat ministris pacisci de stipendio sustentationis, v. g. pro missa, catechismo, concionibus &c? Resp. Aff. quantum est ex natura rei, sivè ministri sint pauperes, sivè divites: quilibet enim potest pacisci de eo, quòd sibi jure naturæ debetur. Qui autem sic pacisceuntur cavere debent, ne habeant intentionem pacisceudi de pretio officii spiritualis, sed tantùm de sustentatione, quod proinde judicare debent, ne imperiti ex tali pacto offendantur, ut rectè monet *Caietanus* & alii. Ubi verò stipendium sanctionis à Prælatis est determinatum non potest excedi sine injustitia, & facilè præsumeretur esse Simonia, eò quòd illud arbitrarium videatur accipi velut pretium operis spiritualis.

15. *Pro labore rei spiritualis intrinseco non licet pretium exigere.*

Dico IV. Pro labore rei spiritualis intrinseco, non licet aliquid per modum pretii exigere. Est communior Doctorum apud *Castro Palao de Simonia punct.* 11. *n.* 2. contra pleroscque ab eodem citatos *num.* 1. Ratio est: quia res spirituales cum labore suo intrinseco unum opus constant: ideoque si pretium aliquod pro labore accipiatur, censetur etiam pro re spirituali accipi, juxta illud, quod c. *Si quis objecerit* 1. *q.* 3. dicitur: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

16. *Hinc pro labore collationi Sacramentum intrinseco exigi non potest pretium. Posset tamen ad redimendum vexationem exigi pecuniola baptizato nolenti prolem.*

Hinc sequitur I. pro baptizatione, absolutione, ordinatione, aliave Sacramentorum collatione, non licere aliquid accipi tamquam pretium. Si tamen in necessitate minister detrectet prolem baptizare, nisi acceptâ pecunia, probabilius est tunc licere ipsi pecunias dare, non pro collatione baptismi, sed ad redimendam injustam ministri vexationem, & removendum impedimentum salutis prolis baptizandæ. Monet tamen *Wiggers de Simonia disp.* 6. *n.* 27. si alius adsit baptizare potens, potiùs ad eum esse recurrendum, quàm injustam ministri vexationem dicto modo redimendam.

17. *Pro actu dispensationis nihil potest recipi per modum pretii. Immo nec per modum sustentationis à Prælato Papa inferiorium. Potest tamen culpa imponi dispensato.*

Sequitur II. pro dispensatione in votis, juramentis, impedimentis matrimonii, & quibusvis legibus Ecclesiasticis, nihil per modum pretii recipi posse sine Simonia: nam dispensatio est usus potestatis spiritualis, omnino invendibilis. Quod autem à Prælatis Pontifice inferioribus (secùs est de ipso Pontifice, ut observat *Wiggers n.* 44.) nihil exigi possit, etiam per modum sustentationis, docent communiter Doctores ob prohibitionem *Concil. Trid. sess.* 25. *c.* 18. *de Reform.* Non est tamen contra mentem Concilii, quod imponatur dispensato onus largiendi eleëmosynam aliquam pauperibus, monasterio vel ad pium causam, idque per modum mulctæ, per quam recessus à lege communi compensetur: dignum enim & justum est, ut, qui vult eximi à lege communi, difformitatem istam aliqua mulcta compenset, ne aliàs nimis facilè detur omnibus occasio recedendi à communi lege.

*Ministri episcoporum sine Simonia non tamen possunt omni pacto, possunt aliquid exigere pro talibus damnis forsitan &c.*

Ministri tamen Episcoporum pro litteris ordinis suscepti, dimissoriis, aut sigillo aliquid exigentes, non incurrunt Simoniæ notam, ut rectè observat *Marchant sup. Tit.* 7. *quæst.* 2. eò quòd scriptio litterarum, charta, sivè pergamenum & impressio sigilli sint res temporales pretio æstimabiles. Hoc equidem ipsis inhibitum est à *Tri-*

*dentino*

*dentino sess. 21. c. 1. de Reform.* ubi tamen permittit, ut *Notarii in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis aut testimonialibus, decimam tantùm unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo.*

18. *Est simonia, recipere aliquid pro ingressu Religionis.*

Petes: An pro ingressu Religionis seu pro ipsa professione & Statu Religioso aliquid possit dari tamquam pretium? Resp. Neg. hæc enim sunt res omnino spirituales & ordinis supernaturalis, & ita vetatur c. *Nullus* 1. q. 2. & aliis juribus. Donis verò aliquem ad Religionem allicere, præterquam quod subinde scandalosum sit & libertati professionis noxium, speciem quoque Simoniæ habet, ut insinuatur 2. *Quam pio* 1. q. 2. licèt in rigore non sit Simonia.

*Quid de pactione dotis.*

Prout nec est, si monasterium virorum aut feminarum, quod non est abundans & dives, paciscatur cum ingrediente de dote vel alia donatione, pro congruenti & sufficienti sustentatione, ut expressit Clemens VII. apud *Marchant Tom. 3. Tract. 10. Tit. 6. quæst. 10.* & quamvis expresse loquatur de monialibus, idem tamen cum proportione intelligendum est de viris, ut post *Tamburinum* notat idem *Marchant.* Ubi advertenda est ordinatio *Concil. Trid. sess. 25. c. 3. de Regularibus*, præcipiens, ut *in monasteriis & domibus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleëmosynis commodè possit sustentari.*

*Maximè si monasterium sit dives.*

Si verò monasterium sit dives, ita ut sine gravamine aliorum, sufficiat alendo ei, qui ingreditur, docet *Sylvius q. 100. art. 3. concl. 5.* post *D. Thomam* & alios, quos citat, committi Simoniam, si aliquid pro ingredientis sustentatione recipiatur. Verùm cùm sustentatio non sit spiritualis, censet *Poncius disp. 56. num. 31.* & alii non esse in rigore Simoniam. Vide latiùs *Marchant sup.*

## QUÆSTIO III.

### *Qualiter Committatur Simonia juris Humani?*

19. *Simonia juris humani principaliter locum habet in beneficiis.*

SIMONIA juris humani primò & principaliter locum habere videtur in materia beneficiorum, consideratorum secundùm partem suam temporalem: cùm enim jus ad proventus temporales sit in se quid temporale, etsi annexum rei spirituali, videlicet titulo, non appareat illud jure divino invendibile, quamvis propter respectum & conjunctionem ad titulum sit invendibile ex Ecclesiæ constitutione: si tamen in venditione prædictur titulus, clarum est tunc fore materiam Simoniæ juris divini. Et hoc sensu considerant plerique Doctores beneficia, asserentes ea esse jure divino invendibilia, eo quod jus percipiendorum fructuum sit spirituale: considerant enim illud jus, ut à parte rei creatur & dependet ex titulo, sive officio spirituali, atque adeo ut in se titulum illum tamquam fundamentum involvit.

20. *An jus ad fructus sine Simonia juris divini possit vendi.*

Immo quandoquidem nullus, Pontifice inferior, possit jus ad fructus dividere à titulo, præsumetur esse Simoniacus, etiam contra jus divinum, quisquis alius pro jure fructuum pecuniam exigit, quantumvis protestetur se titulum resignare gratis: non enim potest transferre titulum, nisi eo ipso trasferat jus fructuum, neque jus fructuum aliter, quàm mediante translatione tituli; adeoque censebitur exigere pecuniam pro titulo spirituali. In re tamen non videtur necessarium, ut committatur Simonia juris divini: quia etiamsi jure non potuerit jus fructuum à titulo separare, potuit tamen illud facere pacto, seu tentare facere, & sic pro eo exigere pretium, considerando illud quasi à titulo separatum, ut docet *Lessius c. 35. n. 20.*

21. *Committitur Simonia juris humani in receptione pretii pro præsentatione, electione &c. ad beneficium.*

Itaque Simonia juris humani committitur, si pretium aliquod detur, vel accipiatur, pro præsentatione ad beneficium, pro electione, confirmatione, investitura aut collatione, ut habet communis sententia & colligitur ex c. *Matthæus de Simonia.*

22. *Qualiter licitum sit volentibus eligere inidoneum præsentare pecunias pro electione idonei.*

Licitum tamen est volentibus eligere inidoneum offerre pecuniam, ut non eligatur inidoneus, & consequenter, ut eligatur aliquis idoneus in genere: per hoc enim tantùm directè redimitur, seu præcavetur injuria, alioquin Ecclesiæ inferenda per indigni ministri electionem: non est tamen licitum offerre pecuniam pro electione alicujus certæ personæ, etiam dignissimæ, nisi contingeret, unicum dumtaxat esse idoneum, ut eligatur: tunc namque directè per pecuniam procuratur non electio indigni & indirectè tantùm electio digni, ut observat *Poncius disp. 56. n. 39.*

23. *An committatur in permutatione beneficiorum facta sine auctoritate Superioris.*

Deinde Simonia juris humani committitur in permutatione beneficiorum, facta sine auctoritate Superioris, ut patet ex c. *Quæsitum*, aliisque juribus. Hæc tamen Simonia non est rigorosa (uti & nonnullæ aliæ de quibus in sequentibus) sed tantùm quadam imitatione & similitudine, quatenus datur spirituale pro spirituali contra præceptum Superioris: cùm alioquin ratio Simoniæ exigat pretium temporale dari pro re spirituali. Possunt tamen volentes permutare sine peccato priùs inter se tractare de permutatione facienda, etiam usque ad mutuam obligationem, de non reliendo donec Superior consensum denegaverit. Nomine autem Superio-

ris intelligitur Episcopus, vel alius habens jurisdictionem Episcopalem, etiamsi non habeat ordinem & dignitatem.

24. *Tertiò committitur in resignatione beneficiorum ad confidentiam.*

Tertiò committitur Simonia juris humani in resignatione beneficiorum, dum resignans intendit resignatarium obligare, ut idem beneficium sibi, vel alteri, aliquando resignet, aut fructus aliquos, vel pensionem alteri præstet, & vocatur Simonia confidentiæ, mentalis quidem, si in mente absolvatur, externa verò, si exteriùs sufficienter exprimatur, quæ pœnas juris infert, ut patet ex Bulla Pii V. relata à *Navarro c.23. n.110.*

25. *Qualiter committitur in resignatione, qua fit in favorem tertii.*

Idem est, quando resignatio beneficii in favorem tertii fit in manibus Prælati, Papâ inferioris (secus si in manibus Pontificis, ut declarat quotidiana praxis) præcedente aut interveniente ejusdem promissione de conferendo beneficio illi tertio; omnis enim pactio (quæ hîc intervenit) in spiritualibus Simoniam continet c. *Quæsitum, de rerum permutatione, c. Tua nos, de Simonia* & alibi sæpè. Secùs censet *Lessius dub.17. n.86.* quando Prælatus non promittit cõferre beneficium tertio, eò quòd nulla propriè tunc interveniat pactio. Hujusmodi tamen resignationes, ob imaginem Simoniæ, juxta stylum Curiæ Romanæ non possunt fieri nisi in manibus Pontificis.

26. *Item in resignationibus retinetur.*

Ex quibus patet resignationes reciprocas non posse etiam coram ordinario fieri, v.g. resigno meum beneficium in favorem tui nepotis, ut resignes tuum in favorem mei nepotis: præterquam enim quòd sit resignatio, continet etiam pactum resignationis reciprocæ, contra inhibitionem juris c. *Quæsitum, de rerum permutatione.* Idem dicendum est de resignatione triangulari & quadrangulari, ut vocant, v.g. cedo meo beneficio in favorem Petri, ut hic cedat suo in favorem Pauli, & hic suo in favorem meum, ob majorem uniuscujusque commoditatem. Vide *Lessium n.88. Castro Palao, de Simonia punct. 17.* alios.

27. *Committitur quoque in resignatione beneficiorum retenta pensione sine legitima auctoritate.*

Similiter vitium Simoniæ incurrit, qui beneficium alteri resignat, privatâ auctoritate sibi reservando aliquam pensionem, ut habet communis doctrina, teste *Wiggers dub.15. n.89.* Si tamen legitima auctoritas (qualis indubiè est Pontificia, de Episcopali vide *Wiggers sup.*) accedat, omnino licita est hujusmodi resignatio.

28. *Denique cõmittitur in venditione quorumdã officiorum rebus sacris conjunctorum.*

Denique Simonia juris humani committitur in venditione quorumdam officiorum, ut sacristæ, œconomi, advocati Ecclesiæ & similium ex c. *Salvator 1.q.3.* in quibus officiis nihil latet sanctitatis, ob quod jure divino essent invendibilia: sed tantùm Ecclesia prohibet illa vendi, ob conjunctionem cum rebus sacris: quarum proinde sanctitati necessariò contravenit, qui illa vendit.

## QUÆSTIO IV.

### *Quas Pœnas juris inducat Simonia?*

29. *Simonia merè interna nullas inducit pœnas. Quæ simoniæ inducit pœnas ipso facto.*

SUPPONO, ex doctrina communiter admissa, nullam Simoniam merè internam inducere pœnas juris. Deinde suppono, etsi in aliis Simonia sit grave peccatum, solam tamen Simoniam in collatione ordinum, beneficiorum & ingressu Religionis induxere pœnas juris ipso facto. His suppositis,

30. *Quas pœnas juris inducat simoniaca commissa circa ingressum Religionis.*

DICO I. Committentes Simoniam realem circa ingressum Religionis in primis incurrũt excommunicationem, scilicet tam personæ dantes, quàm recipientes aliquid ratione ingressus Religionis. Secundò communitas, si consenserit in hanc Simoniam, incurrit suspensionem ab officio capitulari, pertinente ad jurisdictionem vel administrationem Ecclesiasticam. Utrumque patet ex *Extrav. Sanè non in vinea Domini, de Simonia.* Tertiò simoniacè admissi ad Religionem videntur jure inhabiles ad manendum in illo monasterio, & cogendi sunt ad aliud monasterium, si ipsis conscius est Simonia commissa, ut patet ex c. *De Regularibus, de Simonia*, & c. *Dilectus 2. eod. tit.* quamdiu tamen non compellũtur possunt manere: professio enim non est invalida, quamquam non acquirant jus præbendæ regularis, seu portionis ordinariæ, neque jus vocis activæ & passivæ, nisi cum ipsis dispensetur.

31. *Quas inducat commissa in collatione Ordinum.*

DICO II. Conferens ordinem per Simoniam realem in primis est excõmunicatus, ut habetur *Extrav. Cum detestabile, de Simonia.* Secundò est suspensus à collatione ordinum, etiam primæ tonsuræ, ut habetur in Bulla Sixti V. edita contra malè promoventes & promotos, quæ incipit, *Sanctem & salutare*: in qua insuper aliæ nonnullæ pœnæ continentur, ut, suspẽsio ab executione omnium Pontificalium, interdictum ab ingressu Ecclesiæ, à quibus solus Pontifex potest absolvere.

32. *Et quas commissa in eorumdem susceptione.*

DICO III. Qui per Simoniam realem suscepit ordinem in primis est excommunicatus ipso facto. *Extrav. Cùm detestabile citat.* secundò est suspẽsus ab executione omnium ordinum. Tertiò si in illis ministraverit fit irregularis. Quartò solus Pontifex potest eum absolvere, & cum ipso dispensare, si crimen fuerit publicum, & deductum ad forũ contentiosum. Si verò sit occultum poterit absolvere & dispensare Episcopus vigore *Tridentini sess.24. c.6. de Reform.* seclusâ tamen Bullâ Sixti V. quæ revocat omnes facultates etiam à *Tridentino* concessas, per quas tales possent absolvi.

33. *Denique quas pœnas inducat commissa circa collationem beneficiorum.*

DICO IV. Qui per Simoniam realem confert vel procurat alteri beneficium (sub quo intellige etiam Abbatiam, Prioratum & alias prælaturas Regularium) eligendo, præsentando,

sentando, postulando, instituendo, confirmando vel etiam commendando, est ipsò facto excommunicatus. *Extrav. Cùm detestabile, de Simonia.* Ipse quoque accipiens beneficium per Simoniam realem, in primis est ipsò facto excommunicatus. Secundò collatio & provisio est simpliciter nulla, neque ullum jus tribuit: adeoque nec provisus facit fructus suos, sed tenetur beneficium dimittere. *Extrav. Cum detestabile cit.* Quod etiam locum habet in eo, qui quidem Simoniam ipse non commisit, sed alius pro eo, si fiverit & non contradixerit. Immo juxta Doctores communiter contra *Navarrum* & *Ugolinum* apud *Suarez l. 4. de Simonia c. 57. n. 34.* provisio est ipsò facto nulla, etiamsi Simonia sit commissa ab aliis, provisò ignorante, saltem regulariter; idque in pœnam eorum, qui provisum simoniacè promovere voluerunt, ut constat ex c. *Nobis fuit*, & c. *Sicut tuus, de Simonia.* Vide *Suarez sup.*

34. *Quis inhabilitatem ex hac Simonia ortam possit tollere.*

Dubitari autem potest, quis hanc inhabilitatem tollere possit? Equidem, si Simonia sit publica, & facta consentiente beneficiario, ac deducta ad forum externum, est communis sententia Doctorum, satisque colligitur ex juribus citatis, eam per solum Papam tolli posse. Si verò sit omnino occulta, quidam putant Episcopum vi concessionis factæ in *Tridentino sup.* posse in ea dispensare. Obstant tamen Declarationes Cardinalium, quas ex *Tamburino* & *Garcia* refert *Marchant Tom. 3. Tract. 10. Tit. 7. quæst. 5.*

35. *An propriâ auctoritate permutantes beneficia incurrant praedictas pœnas.*

Similiter dubitatur, an, propriâ auctoritate beneficia permutantes, incurrant allegatas Simoniæ realis pœnas? Affirmativam sententiam communiorem asserit *Lessius dub. 25. n. 141.* tametsi negativam verè judicet probabilem: & meritò; quia in tali permutatione non committitur Simonia propriè dicta, de qua tamen intelligi possunt; adeoque debent, leges pœnales, simpliciter loquentes, utpote strictè intelligendæ. Plura de his vide apud *Lessium sup.*

36. *Quas pœnas inducat Simonia confidentiæ.*

Dico V. Simonia confidentiæ varias quoque pœnas juris inducit, juxta omnes Doctores, & satis patet ex Constitutionibus Pij IV. & Pij V. nam in primis ejusmodi simoniaci, si sint Episcopi aut Prælati, incurrunt pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ; si autem non sint Prælati, incurrunt ipsò jure pœnam excommunicationis Papæ reservatæ. Secundò beneficia sic obtenta ipsò jure vacant, & reservantur collationi Pontificis. Tertiò privantur omnibus beneficiis & pensionibus obtentis, sed post sententiam, saltem declaratoriam criminis. Demique incurrunt inhabilitatem ad quævis beneficia, intellige etiam post sententiam declaratoriam, ut docent Nonnulli; & ita putat usu receptum *Lessius dub. 26. n. 147.* Vide etiam *Wiggers dub. 22. n. 115. & seqq.*

Dico VI. Nulla Simonia conventionalis, excepta eâ, quæ dicitur confidentiæ, inducit ipsò facto pœnas juris; cùm verò utrimque in totum vel in partem completa fuerit, transit in Simoniam realem & incurruntur pœnæ juris contra eam statutæ, quæ retrotrahitur ad tempus pactionis, etsi plùs post annum compleatur.

37. *An etiam pœnas inducat Simonia conventionalis.*

## QUÆSTIO V.

### *An Simoniacè accepta debeant dimitti aut restitui, & cui?*

UNA ex Simoniæ pœnis est obligatio restitutionis rei spiritualis simoniacè acceptæ, vel pretii temporalis pro re spirituali recepti, distinctâ quæstione tractanda.

38. *Beneficium Ecclesiasticum simoniacè acceptum cum fructibus est dimittendum.*

Dico I. Qui simoniacè consecutus est beneficium Ecclesiasticum, tenetur illud dimittere & fructus restituere. Patet manifestè ex *Extrav. Cùm detestabile, de Simonia*, in qua expressis terminis declarantur electiones, postulationes, provisiones & quævis aliæ dispositiones, per Simoniam realem factæ, esse irritæ & nullum jus tribuere, nec provisos facere fructus suos, sed sub periculo animæ suæ ad eorum restitutionem teneri.

39. *Secus est de aliis rebus spiritualibus simoniacè acceptis.*

Ceteræ autem res spirituales, per Simoniam acceptæ, non sunt restituendæ, cùm de illis jus canonicum id non constituerit, uti de beneficio constituit: jus autem divinum, seclusâ omni lege ecclesiasticâ, nulla res spiritualis, per Simoniam acquisita, est restituenda, ut patet in beneficio, de quo tamen potissima est difficultas: nam collatio ex jure naturæ fuit valida, cùm in collatore sit potestas & voluntas transferendi beneficium, & in accipiente capacitas & voluntas acceptandi, quæ sufficiunt ad translationem dominii.

*Quod ostenditur in Sacramentis & Religione.*

Debet quidem simoniacè ordinatus ab usu ordinis desistere, cùm sit ab eo suspensus, juxta dicta *quæst. præced.* & sic dimittit Sacramentum quoad usum, ipsum tamen Sacramentum secundùm se dimittere nequit, ut per se patet. Similiter, qui simoniacè est professus, tenetur dimittere Religionem, sed non nisi post sententiam. Idem censet *Lessius dub. 30. n. 168.* de metallis benedictis, jure patronatus, licentia eligendi confessarium &c.

40. *Jura objecta solita explicantur.*

Nec refert, quòd c. *fin. de Pactis*, & c. *Præterea, de Transactionibus*, dicatur pactiones & convētiones omnes in spiritualibus nullius omnino esse momenti: nam si dicta capita & similia intelligenda sint, non solùm de materia beneficiali, sed de quavis alia spirituali, loquuntur de pactionibus, inducētibus obligationem in futurum, quæ omnino irrita est, utpote obligans ad malum: non verò de similium conventionum executione,

cutione, videlicet actuali traditione, & receptione pretii temporalis pro re spirituali, quæ, etsi illicita, valida tamen est. Major est difficultas de pretio pro re spirituali dato, an & cui illud sit restituendum. Ad quam

41. *Pretium pro re spirituali ex justitia debita receptum est jure divino restituendum.*

Dico II. Si quis accepit pretium pro re spirituali, quam ex justitia tenebatur gratis dare, jure divino tenetur ad restitutionem pretii. Est communis & per se patet: talis enim non tantùm contra Religionem: sed etiam contra justitiam commutativam peccavit. Hinc Parochus, cui est congrua sustentatio assignata, tenetur ad restitutionem, si pro Sacramentorum administratione, contra Ecclesiæ consuetudinem, mercedem aliquam exigat & accipiat.

42. *Secus est, si recipiatur pro incommodo temporali annexo.*

Dico III. Si quis in gratiam alterius privat se aliqua re spirituali, & pro incommodo temporali annexo exegerit compensationem temporalem, non tenetur jure divino ad restitutionem. Probatur: quia damnum illud est pretio æstimabile, & nemo tenetur illud gratis pro altero sustinere, ut si quis spoliet se suo beneficio, illudque in alterum transferat. Idem est de omni alio jure vel re spirituali, ex cujus privatione evenit incommodum temporale in honore seu fortunis.

43. *Quid si recipiatur pro incommoditate spirituali.*

Immo aliquibus apud *Suarez c.59.n.43.* videtur pro sola incommoditate spirituali, quam quis patitur in gratiam alterius se privando reliquiis sacris v.g. posse sine labe injustitiæ aliquam compensationem exigere, estò non sine Simonia: eò quòd illa incommoditas appareat pretio æstimabilis. *Suarez* tamen ex opposito fundamento censet oppositum esse verius.

44. *Quid dicendum de pretio dato pro commodis temporalibus beneficio annexis.*

Similiter multi docent, conferentem bona spiritualia commodum temporale annexum habentia v.g. canonicatum, pro pretio temporali, non teneri ad restitutionem ex jure naturæ: eò quòd commodum temporale annexum, apud homines pretio æstimetur. Dissentit tamen cum aliis *Suarez n.38.* docens collatores bonorum illorum spiritualium, tamquam reipsos dispensatores ex justitia obligari ad conferendam gratis commoditatem rei spirituali annexam. Hoc saltem constat, omnes beneficiorum collatores, Pontifice inferiores, suppositâ invaliditate venditionis beneficiorum, à jure communi inflicta, ex jure naturæ teneri ad restitutionem pretii simoniacè accepti: idque ante omnem Judicis sententiam: *Cùm* illud *sine gravi sua salutis periculo retinere non possint*, ut dicitur c. *De hoc, de Simonia.*

Secus docet *Lessius dub.30.n.169.* de pretio simoniacè recepto pro Religionis ingressu: illud enim non nisi post latam à Judice sententiam judicat restituendum, & colligitur ex *Extrav. Sane, de Simonia*, in qua permittitur acceptum retineri (intellige usque ad sententiam Judicis) modò in communem usum conventus, & non in privatum Abbatis vel Abbatissæ, convertatur.

45. *Aut pro ingressu Religionis.*

Dico IV. Qui pretio temporali absque suo incommodo confert aliquid spirituale, quod nō habet annexum commodum temporale, ut sunt Sacramenta & sacramentalia, tenetur jure divino ad restitutionem, nisi illud pretium præsumatur gratis datum, vel non excedat debitam sustentationem. Ratio est: quia ministri Ecclesiæ non habent jus pro administratione spiritualium exigendi pretium aliquod, sed solam requisitam sustentationem, unde, quia sine jure tale pretium extorquent, obligantur jure naturali ad restitutionem.

46. *Pretium datum pro re spirituali, secluso omni commodo & incommodo temporali, est jure divino restituendum.*

Petes: Cui sit facienda restitutio pretii simoniacè accepti? Resp. I. Si beneficium vel alia res spiritualis nondum est tradita, debet jure naturæ fieri restitutio ei, à quo pretium est acceptum, ut docent plerique Recentiores contra *Covarruvias ad regul. Peccatum parte 2. §. 2. n. 7.* existimantem erogandum esse pretium in pios usus, & colligitur ex c. *Veniens, de Simonia.*

47. *Pretium simoniacè receptum est restituendum danti, si res spiritualis nondum sit tradita.*

Resp. II. Si beneficium vel res spiritualis sit tradita, pretium restituendum est Ecclesiæ, aut erogandum in alios pios usus, etiam ante sententiam Judicis. Est communis Doctorum contra *Soto l. 9. q. 8. art. 1.* quatenus docet ante sententiam Judicis esse restituendum danti, & post sententiam ei, cui Judex adjudicaverit. Sed quod respondimus est verius & conformius juribus c. *De hoc*, & c. *Audivimus, de Simonia*, ut videre est apud *Lessium dub.31.* Ratio est: quia Ecclesia mandans Simoniaco, ut pretium acceptum restituat, non intendit favere aut prodesse alteri Simoniaco, qui pretium dedit, quod tamen fieret, si huic ante sententiam esset facienda restitutio.

48. *Hæc verò tradita debent esse Ecclesiæ vel in alios pios usus erogandum.*

Nec refert, quòd forsan dominium pretii manserit apud eum, qui illud dedit (ut prætendit *Soto*) quandoquidem non sit translatum in accipientem: nam eo ipso, quo hic juxta præceptum Ecclesiæ erogat illud in pios usus, privatur is, qui pretium dederat, omni jure ad illud, quod Ecclesia in pœnam justè ordinare potuit, ut ita & dans & accipiens pretium, lueret pœnam.

49. *Solvitur objectio.*

DISPU

# DISPUTATIO DECIMA.

## De Reliquis Virtutibus Justitiæ Annexis.

### QUÆSTIO I.

### De Pietate & Observantia.

1. *Varia acceptio vocis, pietas.*

PIETAS aliquandò sumitur generaliter pro Religione, quâ Deus colitur: quia autem is colitur quovis opere bono, hinc omne opus bonum dici solet opus pietatis. Secundò accipi solet Pietas pro operibus misericordiæ, quæ cùm à Deo maximè mandentur, ipse licèt neminem, quem revereatur, habeat, plus tamen nominari solet. Tertiò sumitur Pietas pro speciali virtute, Justitiæ affini, quæ definiri solet, Virtus quâ debitus honor & obsequium defertur iis, qui post Deum sunt præcipui ortûs nostri auctores. Quales sunt primò parentes: secundò patria: tertiò consanguinei, quatenus in ipsis est aliquid parentum. Sicut enim per virtutem Religionis inclinamur ad exhibendum cultum Deo, tamquam primò nostræ creationis principio: ita quoque per virtutem Pietatis inclinamur ad exhibendum cultum & obsequium parentibus & patriæ tamquam præcipuis post Deum vitæ nostræ auctoribus & conservatoribus.

*Quid proprie hic sumitur.*

2. *Obligat ad reverentiam parentum externam, Et internam.*

Porrò tenemur ex virtute Pietatis ad cultum & reverentiam parentum, non solum externam, quæ præstatur signis & officiis externis, v. g. illis assurgendo, faludando, honorificè de illis loquendo, damna ab illis propulsando &c. sed etiam ad internam, quæ consistit, tum in positivo actu amoris, benevolentiæ, æstimationis &c. tum in odii, malevolentiæ, rancoris, contemptus interni &c. fuga.

3. *Qui peccatur mortaliter contra externam parentum reverentiam.*

Hinc qui verbo, gestu aliove signo gravem in communi æstimatione hominum, juxta morem Regionis, parentibus irreverentiam infert, mortaliter peccat. Indicat passim id sacra Scriptura: *Exodi* 21. *Proverb.* 20. *Deuteron.* 27. & alibi, & quidem injuriam, quæ aliis hominibus illata foret mediocris, notat *Marchant Tom.* 2. *Tract.* 5. *Tit.* 1. *quæst.* 2. *dub.* 1. esse gravem, si parentibus inferatur, quod in nonnullis casibus specificat *Bassæus V. Filium num.* 4.

Idem est dicendum de talibus prolium actionibus, quæ sunt graviter exacerbativæ, contristativæ vel afflictivæ parentum, ut indicatur *Proverb.* 19. & alibi. Quænam autem in hac parentum exacerbatione vel afflictione sit materia gravis, videri potest apud *Marchant sup. dub.* 2.

4. *Qui contra internam.*

Similiter qui gravi odio, malevolentiâ, indignatione, contemptu in parentes suos fertur mortaliter peccat: estque hæc circumstantia necessariò in confessione explicanda, ut observat post alios *Bassæus sup. num.* 2. eò quòd illi actus habeant specialem malitiam oppositam pietati parentibus debitæ. Possent ulteriùs varii casus in particulari hîc proponi, in quibus pietatis erga parentes obligatio solet examinari, v. g. ad quid in necessitate parentum teneatur filius ante vel post ingressum & professionem Religionis: item ad quid obligetur ante assumptionem status matrimonialis, sed quoniam hæc alibi sufficienter tradita sunt, non sunt hîc repetenda.

5. *Pietas est specialis virtus.* *Ejus objectum materiale.* *Formale.*

Ex dictis patet Pietatem esse specialem virtutem ab aliis distinctam, utpote quæ habet speciale objectum, in quod sub ratione aliqua particulari tendit. Hoc porrò objectum est cultus & obsequium parentibus & patriæ debitum ratione nostræ principiationis & conservationis. Cultus quidem est objectum quod; ratio verò formalis, sub qua à Pietate respicitur, est ratio debiti orti ex principiatione, quod debitum adeo magnum est, ut juxta *Philosophum* à nobis exhauriri non possit per redditionem æquivalentis, intellige in eodem rerum ordine: alioquin potest filius parentibus, non solum æquale, sed & majus beneficium exhibere, ut si eos ab infidelitate convertat & spiritualiter in Christo regeneret. Per hoc tamen non extinguitur in filio obligatio Pietatis: sed hæc semper manet, etiam post mortem parentum, quos defunctos si filius in honore vel fama lædat, contra pietatem peccat.

6. *Item objectum cui.*

Objectum cui principale hujus virtutis sunt parentes: deinde patria, velut quæ parentes fovet, & necessaria ac opportuna ad ortum & educationem filiorum suppeditat. Tertiò consanguinei, in quantum aliquid de parentibus communicant.

7. *Dicta applicari possunt virtuti parentibus Spiritualibus debitum reddenti.*

Quæ de Pietate in parentes carnales dicta sunt cum proportione extendit *Lessius l.* 2. *c.* 46. *num.* 9. ad virtutem, quæ respicit debitum, quod parentibus spiritualibus, tamquam secundariis vitæ spiritualis auctoribus, est reddendum. Sed hæc virtus potest etiam sub Observantia comprehendi,

hendi, de qua jam est agendum.

8. *Observantia unde dicta.* Itaque observantia dicitur ab observando: observare autem propriè est aliquid anxiè speculari vel notare. Unde Superiores debitè observamus, si eos velut anxiè contemplemur, tum reverendo, tum ad eorum actiones, quibus aliquid petunt vel imperant, attendendo.

*Quid sit.* Rectè autem definitur Observantia esse virtus, quâ debitus cultus exhibetur Superioribus & aliis, qui nos gubernant actu vel potentiâ. Unde sicut Pietas defert cultum parentibus, tamquam ortûs & educationis nostræ præcipuis post Deum principiis, ita quoque Observantia defert cultum Superioribus, tamquam principiis gubernationis & directionis. Ex quo etiam liquet discrimen inter Pietatem & Observantiam.

*Qualiter à pietate differat.*

9. *Objectum ejus materiale.* Deinde ex his patet objectum quod Observantiæ esse cultum propter gubernationem nostram deferendum iis, qui nos actu gubernant & dirigunt, vel saltem adeo sunt excellentes, ut de per se sint capaces regiminis nostri. Ratio verò formalis, quæ cernitur in objecto quod, est ratio debiti, orti ex gubernatione actuali vel possibili jam dicta. Objectum denique cui sunt Superiores & aliæ personæ in dignitate constitutæ, nos gubernare idoneæ. Ratio autem formalis, sub qua observantia illas spectat, est actualis vel aptitudinalis gubernatio seu directio.

*Formale.*

*Et objectum cui.*

10. *Minùs quàm Pietas obligat.* Ex quo ulteriùs constat obligationem Pietatis majorem esse, quàm Observantiæ: majus enim est principium ortûs, quàm gubernationis. Quod si directores nostros colamus in quantum curant bonum commune, hoc non erit propriè loquendo officium Observantiæ, sed Pietatis in patriam, inquit *Sylvius quæst.* 101. *art.* 3. vel justitiæ legalis, ut inquit *Lessius suponum.* 15. Unde Principi in extrema necessitate debet potiùs succurri, quàm patri in pari necessitate constituto, non ex obligatione Observantiæ, considerando Principem, quatenus te gubernat, sed ex obligatione Pietatis in patriam vel justitiæ legalis, considerando ipsum, quatenus est persona publica, quæ regno aut provinciæ præsidet.

*In pari tamen necessitate gravi Princeps præferendus patri.*

11. *Qualiter contra observantiam peccetur.* Tametsi ergo Observantia minùs, quàm pietas, vere tamen obligat: ideoque contra hanc virtutem peccant, qui in Superiores verbo, gestu aliove signo sunt irreverentes: gravitas autem malitiæ ex antedictis de gravitate peccatorum, contra virtutem Pietatis commissorum, proportione servatâ, desumi potest: quæ enim aliàs esset levis vel mediocris irreverentia, potest esse gravis, si Superiori illata censeatur in communi hominum æstimatione ejus auctoritati, reverentiæ, vel dignitati graviter adversari.

12. *Observantia est unica.* Observantia alia defert Superioribus cultum ob excellentiam politicam vel humanam, & vocatur observantia politica: alia ob dignitatem vel perfectionem cum Religione conjunctam vel ad numen divinum ordinatam, & vocatur Religiosa. De quibus & aliis ulterioribus observantiæ speciebus latiùs videri potest *Lessius sup. dub.* 3.

## QUÆSTIO II.

### *De Obedientia & Inobedientia.*

13. *Obedientia unde dicta.* OBEDIENTIA sic dicta est quasi obaudientia: quia per eam præceptum Superiorum quasi auditur & admittitur. Duplex autem solet communiter assignari obedientia, materialis videlicet & formalis. Materialis dicitur, per quam exequimur quemlibet actum præceptum, etsi non fiat expresse ea intentione, ut præceptum impleamus. Hæc obedientia non est specialis virtus: sed ad omnes virtutum actus, qui sunt sub præcepto, se extendit. Obedientia formalis est, quâ præstatur opus præceptum sub hac ratione, quia præceptum est: & hæc est specialis virtus: quia, etiamsi ad omnes virtutum actus se extendat, tamen eos sub formali quadam ratione considerat, sub qua ab aliis virtutibus non attingitur, videlicet quatenus debiti sunt ratione præcepti.

*Alia est materialis.*

*Formalis alia.*

14. *Quodnam sit hujus objectum.* Objectum materiale quod obedientiæ est omne opus præceptum. Objectum formale quod est debitum ratione præcepti seu honestas specialis in actu resultans, ex eo, quod sit à Superiore præceptus. Objectum cui est Superior. Unde qui Superiorem non habet, formalis obedientiæ incapax est.

15. *Varia enumerantur obedientia formalis species.* Obedientiæ variæ sunt species pro varietate potestatum imperandi: sicut enim alia est potestas præceptiva divina, alia humana, & hæc rursus vel Ecclesiastica vel politica, cui annectitur œconomica sive domestica, ita quoque obedientia alia est divina, alia humana, & hæc rursus alia est Ecclesiastica, alia politica sive civilis, quæ membra ulteriùs subdividi possunt.

*Non nisi accidentaliter distinctæ.* Hæ porrò obedientiæ species non nisi accidentaliter inter se differunt, ut post *D. Thomam q.* 104. *art.* 2. *ad* 4. docet *Lessius c.* 46. *n.* 26. *Sylvius ad quæst. & art. D. Thomæ cit.* Ratio est: quia, licet potestates præceptivæ sint diversæ rationis, obedientia tamen secundùm se considerata tantùm respicit opus, ut debitum ex præcepto, latè de eo, qui legitimam habet potestatem præcipiendi, qualiscumque illa potestas sit, sive divina, sive humana: hæc enim potestatum distinctio per accidens & materialiter se habet ad obedientiam formalem.

Unde

Unde rectè ait *D. Bernardus Tractat. de Præcepto & Dispensatione c.12. Sive Deus, sive homo Victrius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Accedit, quòd potestas Superior v. g. divina implicitè includatur in humana, & câ ratione utraque eamdem speciem obligationem suo præcepto inducat; ut latiùs prosequitur *Lessius sup.* Vide etiam quæ diximus *Disp. 5. de peccatis quæst. 6.*

16. *Objectioni occurritur.* Potest quidem Obedientiæ adjungi alia virtus v. g. Religionis, si quis propter Dei reverentiam ejus præcepta impleat. Pietatis, si quis parentibus obtemperet propter paternam potestatem, quam explicitè considerat, & ex ea tamquam motivo ad præcepti implectionem se accingit: hoc tamen non est necessarium ad formalem obedientiam, quæ solùm requirit, ut opus procedat ex affectu satisfaciendi præcepto, sub generali & præcisa ratione præcepti considerato.

17. *Obedientiæ præstantia.* Hujus virtutis Obedientiæ christianæ, seu omnibus christianis communis (de Religiosa, quæ adhuc est perfectior, ante actum est) præstantia patet tum ex bonis, quæ propter Deum contemnit, tum ex speciali suo objecto. Et quidem si priori modo præstantia virtutum æstimetur, optimè docet *D. Thomas sup. art.* 3. Obedientiam omnibus virtutibus moralibus anteponendam: quia Obedientia propriam contemnit & abjicit voluntatem: ceteræ autem virtutes morales non nisi bona corporalia. *Est inferior Religione.* Si verò posteriori modo virtutum præstantia æstimetur, Religio est Obedientiâ præstantior, utpote quæ proximiùs, quàm Obedientia, ex se erga Deum versatur, ei debitum cultum deferendo.

*Quo sensu melior sit obedientia quam victimæ.* Nec obstat illud 1. *Regum* 15. *Melior est obedientia, quàm victimæ*: nam sensus est, melius est facere, quod Deus jussit, quàm, eo omisso, offerre victimas voluntarias aut prohibitas, ut inquit *Lapide*, in D. locum. Similiter virtutibus supernaturalibus, tamquam immediatè Deum spectantibus, Obedientia omnino est inferior.

18. *Formalis obedientia non est sub præcepto.* Petes: An Obedientia formalis sit sub præcepto? Resp. Neg. quia nullum extat hujusmodi præceptum, quo Deus vel ecclesia mandet opus impleri ea intentione, ut præcepto satisfiat: sed ad cujuscumque præcepti completionem sufficit, ut opus præceptum faciamus propter intrinsecam ejus bonitatem, aut ut Deo placeamus. Immo probabile est Superiorem humanum non posse præcipere, ut opus ex formali obedientia fiat: tum quia iste modus operandi non est necessarius, ut opus illud sit actus virtutis, cum possit esse talis ratione propriæ & intrinsecæ suæ bonitatis; vel quia fit ex motivo alterius virtutis, v. g. charitatis, absque intuitu præcepti: tum quia actus internus probabiliter non potest præcipi ab homine, nisi quatenus est necessarius ad constituendum externum in aliqua virtutis specie. De quo vide plura in *Tract. de Legibus Disp. 3. Quæst.* 8. *Fortè nec præcipi potest ab homine.*

19. *Obedientia opponitur inobedientia.* Obedientiæ opponitur inobedientia, quæ, sicut obedientia, alia est materialis, alia formalis. *Alia est materialis;* Illa est cujusvis præcepti transgressio. Unde est circumstantia generalis cum quovis peccato transcendens: estque gravis vel levis, prout præceptum violatum graviter vel leviter obligat. Hæc est violatio præcepti, ut præcepti, ut quando illud violatur ex intentione expressa ipsum violandi & suo facto ei adversandi. *Alia formalis,* Continet autem hæc inobedientia duplex peccatum, unum consistens in prævaricatione præcepti obligantis ad faciendum vel omittendum opus; alterum consistens in transgressione præcepti, vetantis contemni mandatum Superiorum. *Duplicem malitiam continens.*

20. *Ex genere suo est mortalis.* Inobedientia formalis ex genere suo est peccatum mortale: graviter enim adversatur rectæ rationi nolle præcepto obedire, ex intentione expressa illud violandi, & consequenter illud contemnere: quem contemptum declarat *Sanctus Bernardus de Præcepto & Dispensatione cap.*14. explicans illud 1. *Regum* 15. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*, ubi dicit: *Non est non acquiescere, sed nolle acquiescere, ut non jussionis simplex ipsa transgressio: sed voluntatis superba contemptio scelus idololatriæ reputetur: non est enim id ipsum nolle obedire & non obedire, hoc quippe interdum erroris est, nonnumquam & infirmitatis: illud verò aut odiosæ pertinaciæ aut contumaciæ non ferendæ.* Quantò autem major est ille, qui præcipit, tantò majus peccatum est, esse illi inobedientem, inquit *Sylvius quæst.* 105. *concluss.* 1. Unde gravius peccatum est formalis inobedientia, erga Deum, quam erga hominem commissa. *Eoque gravior quo major Legislator contemnitur.*

21. *Objectio solvitur.* Nec refert, quòd Deus præcipiat obedientiam Superioribus, tamquam vices suas gerentibus, exhibendam: ideoque *Luca* 10. Christus dicat: *Qui vos spernit, me spernit*: nam formalis contra Superiorem humanum inobedientia est tantùm materialis contra Deum, quando violatur præceptum humanum, ut

tale, sine formali & explicita intentione contraveniendi præcepto divino, prout fieri potest.

22. *Potest esse venialis ex indeliberatione actus.* Formalis inobedientia potest esse venialis ex imperfectione actûs non satis deliberati. An similiter ex parvitate materiæ, non ita constat: & quidem si procedat ex perfecto & absoluto contemptu præcepti vel Superioris quâ talis, omnino dicendum est, levitatem materiæ nunquam à mortali excusare, sive legislator sit Deus, sive homo, ut latiùs patet ex dictis *de Peccatis Disp. 7. num. 63. & seqq.* Si verò non procedat ex absoluto contemptu, veluti si quispiam non obediat Superiori, ut contraveniat ejus præcepto in minimo, paratus tamen absolutè ipsi obedire in majoribus, docet *Sylvius sup. articulo 1.* talem inobedientiam esse solùm venialem, eò quòd non involvat contemptum nisi imperfectum. Vide quæ diximus loco statim citato. *De Peccatis num. 65. in fine.* *An etiam ex levitate materiæ.*

## QUÆSTIO III.

### *De Gratitudine & Vindicatione.*

23. *Quid gratitudo.* GRATITUDO, quæ & gratia dicitur, sumitur pro virtute, quæ respicit debitum ex beneficio natum. Unde inclinat ad beneficium beneficio compensandum: describiturque ab *Augustino l. 83. qq. quæst. 31. in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi voluntas continetur.* Extendit se ad omnes, à quibus aliquod beneficium accepimus, ut ad Deum, parentes, Superiores & homines privatos.

24. *An sit specialis virtus.* Est autem virtus hæc specialis ab aliis distincta: nam ex eo, quòd beneficium beneficio compensetur, specialis resultat honestas, utque gratitudini, & non alteri virtuti, propria. Quod quidem satis patet in gratitudine erga particularem benefactorem, qui privatum aliquod beneficium nobis contulit. Si verò attendatur debitum, ortum ex beneficijs collatis à Deo & parentibus, censet *Viggers dub. 3. num. 13.* post *D. Thomam quæst. 106. art. 1.* & alios gratitudinem non distingui à Religione & Pietate: idem est de observantia, si spectetur debitum, natum ex beneficio gubernationis à Superioribus accepto. Vide *Lessium cap. 47. numero 2. & sequentibus.*

25. Officia gratitudinis possunt quinque enumerari. Primum beneficii æstimatio, si non ex rei magnitudine, saltem ex affectu donantis, qui in beneficijs gratuitis semper est considerandus, juxta illud *Senecæ lib. 1. de Benef. cap. 6. Beneficium non in eo, quod sit aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo.* *Officia gratitudinis enumerantur. Primum.*

Secundum est benigna acceptatio: aliàs enim & beneficium & animus donantis contemni censetur, & ulteriorum beneficiorum collationi via præcluditur. Per ipsam verò benignam acceptationem, veluti alicujus commodi vel oblectationis in animo donantis causativam, censetur aliqua inchoata compensatio pro beneficio fieri, juxta illud *Senecæ lib. 2. de Benef. cap. 35. Vis reddere beneficium? accipe benignè.* *Secundum.*

Tertium est gratiarum actio, quæ consistit in benevola accepti beneficii protestatione ad benefactorem cum quadam sui subjectione & obligationis recognitione directa. Estque hæc gratiarum actio quædam beneficii compensatio, quatenus per eam benefactor honore afficitur, & quædam in ipso majoritas agnoscitur. Est autem magis accommodanda affectui dantis, quàm rei donatæ, ut docet *D. Thomas sup. articulo 5.* *Tertium.*

Quartum est grata commemoratio, id est, ut tempore & loco habeatur memoria beneficii accepti, non solùm apud nos, sed etiam apud alios, datâ occasione referendo & ad laudem ac honorem benefactoris condignè exaltando beneficii magnitudinem. Alioquin qui beneficii collati obliviscitur, conferendorum indignus convincitur: ut proinde meritò dicat *Seneca l. 5. Benef. cap. 1. Ingratissimus omnium est, qui beneficii obitus est.* *Quartum.*

Quintum est reciproca beneficii præstatio sive relatio, ut videlicet tempore & loco beneficium re vel obsequio reddatur: quamvis enim beneficium statim sit recompensandum quoad benevolum animi affectum, non tamen quoad doni retributionem, quæ tunc demum facienda est, quando benefactori videtur futura opportuna, ac proinde non nimis citò, nec minùs tardè, sed pro opportunitate benefactoris beneficium est beneficio compensandum. *Quintum.*

26. *Qualiter pauperes possint exercere gratitudinem.* Ex his patet non solùm opulentos, sed etiam pauperrimos posse esse gratos pro beneficijs acceptis, nimirum benefactorem honorando, laudando, pro eo orando, ipsi gratias agendo, beneficium benevolo animo, quando datur, acceptando & retinendo, ut observat *Sylvius quæst. 107. art. 3.* ubi etiam *Quæst.* 106.

106. *art.* 3. addit gratiam deberi benefactori, etiamsi hic postea injuriam inferat: eò quòd, licet nullum antea beneficium contulisset, oporteret tamen ei ignoscere: cùm autem nunc quidem læserit, sed præterea beneficium contulerit, debetur ei plus, quàm venia. Ita ille.

27. *Ingratitudo gratitudini oppositæ alia est materialis. Et quale peccatum;*

Virtuti gratitudinis opponitur vitium ingratitudinis: sicuti autem inobedientia alia est formalis & alia materialis: ita quoque ingratitudo. Materialis committitur, quando omittitur aliquod debitum gratitudinis officium, vel quidpiam contra benefactorem positivè committitur, non tamen ex ejus contemptu. Non est hæc ingratitudo grave peccatum (immo potest quandoque esse nullum, ut docet *Lessius sup. dub.* 3. *nu.* 18.) nisi sit graviter contra aliam alterius virtutis obligationem. Formalis dicitur, quando in re vel in mente beneficium contemnitur, veluti benefactorem ejusve animum despiciendo, aut minoris, quàm par est, æstimando, obligationis erga illum elidendi gratiâ. Est autem hæc ingratitudo duplex, alia privativa & alia contraria, privativa dicitur, quando quis non agnoscit beneficium, quod, quando & ubi deberet agnoscere: contraria, quando insuper fit aliquid veræ gratitudini repugnans.

*Alia formalis.*

*Et hæc rursus alia est privativa & alia contraria.*

28. *Privativa quando sit peccatum mortale;*

Ingratitudo privativa potest esse mortalis, si procedat ex temerario judicio, ut si sine sufficienti fundamento judicetur beneficium ex simulato affectu datum, & ideo debita tempore & loco gratitudinis officia omittantur: potest tamen esse venialis ex levitate & imperfectione contemptus vel ex levitate materiæ, nisi ratione scandali aut alio ex capite gravis accedat malitia. Contraria similiter gratitudo pro conditione ejus, quod agitur, quandoque est veniale peccatum, quandoque mortale, & quidem speciale, quando committitur in benefactorem, quatenus talem, ut post *D. Thomam*, *Tannerum* & alios observat *VViggers dub.* 4. *num.* 20.

*Quando veniale.*

*Item quando contraria.*

29. *Quid vindicatio.*

Vindicatio incidit cum justitia vindicativa, respicitque debitum ex delictorum, cui satisfacit per condignæ pœnæ inflictionem: atque adeo ponit æqualitatem inter delictum & pœnam. Definitur autem esse virtus, quâ persona habens publicam auctoritatem pro delicto condignam imponit pœnam. Dicitur *habens publicam auctoritatem*: quia privatâ auctoritate vindictam sumere non licet, juxta illud *Roman.* 12. *Non vosmetipsos defendentes*, id est, ulciscen-

*Non licet privatis hominibus.*

res seu vindicantes, ut videre est apud *A Lapide* in D. locum.

Possunt nihilominus privati homines hujus virtutis hoc statu frui: quàmvis enim per se vindicationem exercere nequeant, possunt tamen affectu & voluntate optare, ut delictum puniatur: tum quia id honestum est, tum quia sic debitus ordo servatur, & si quid collapsum est, ad debitum ordinem revocatur, injuriaque parti læsæ compensatur, qui fines ab ipso quoque judice, pœnam infligente, attendi debent, ut puniendo actum justitiæ vindicativæ exerceat: alioquin, si pœnam infligat, ut reo malè sit, non actum virtutis, sed odii committit, utì & quilibet privatus idem ad eumdem finem optando.

30. *Qui tamen hujus virtutis hoc statu non necessariò destituuntur.*

Vindicationi se immiscet justitia commutativa, quatenus judex, ex pacto tacito vel expresso cum Republica inito, tenetur delinquentibus pœnam correspondentem infligere, sicuti custos tenetur furem à silva, quam ex pacto custodit, arcere, ac proinde tenetur ad restitutionem damnorum ex neglectu vindictæ Reipublicæ vel parti læsæ obvenientium. Si actus vindictæ spectetur tamquam medium, boni communis conservativum, pertinebit vindicatio ad justitiam legalem, quæ inclinat membra communitatis ad procurandum bonum totius. Si denique ordinetur ad bonum privatum vindicantis vel alterius, pertinebit ad charitatem sui vel proximi, ut latiùs prosequitur *Smising. De Deo uno Tract.* 3. *Disp.* 4. *num.* 77. ubi censet nullum justitiæ vindicativæ actum dari, quin ad aliquam aliam virtutem pertineat, neque ullam dari obligationem ex ea provenientem, nisi se immisceat alterius virtutis obligatio. Unde concludit, vindicationem non esse specialem aliquam virtutem.

31. *An sit specialis virtus.*

Econtra *VViggers dub.* 5. *num.* 23. post alios communiter, ut ex *Tannero* refert, putat vindicationem esse specialem quamdam virtutem, veluti quæ versatur circa specialem rationem honesti, consistentem in hoc, quòd malefactori debita pœna, secundùm mensuram delicti, infligatur & læso per peccatum reparetur suo modo ablatum, quod per se decens est, ut præmiserat *n.* 21.

Vitia huic virtuti opposita sunt crudelitas & nimia remissio: hæc per defectum; illa per excessum. Vide quæ diximus *Disp.* 2. *de Temperantia n.* 101.

32. *Vitia illi opposita.*

## QUÆSTIO IV.

### De Veritate & Mendacio.

33. *Quid virtus vel. veritatis.*

VERITAS prout hîc sumitur est virtus inclinans ad rectum usum signorum exteriorum, ad mentem nostram patefaciendam institutorum, ut videlicet menti & conscientiæ sint conformia, sic eam foris significando, qualis intus latet. Oriturque hujus conformitatis obligatio ex ipsa natura rationali, quatenus instituta est, ut sit socialis, qualis esse non potest, nisi per voces aliaque signa externa homines mutuas suas cogitationes mentesque transfundant & externæ manifestationi credant. Cujus credulitatis fundamentum est debitum illud veracitatis, quod quisque in verbis & alijs signis externis servare æstimatur.

*Vnde ejus obligatio nascatur.*

34. *Malitia mendacii oppositi in quo consistat. Ejus definitio allegatur.*

Unde malitia mendacii veritati oppositi, consistit in eo, quòd quis aliud significet verbis vel factis, & aliud habeat in mente, quod in violationem & dissolutionem humanæ societatis & commercii tendit. Definitur esse locutio contra mentem, sub locutione comprehendendo quamlibet externam significationem, sive verbis fiat, sive scripto, sive gestu, sive alia ratione: aliud enim mendacium committitur verbis, aliud factis: illud propriè & simpliciter vocatur mendacium; hoc simulatio. Atque hoc modo mentiuntur, qui in gestibus & alijs externis actionibus præ se ferunt gaudium, dolorem, compassionem, amicitiam &c. cùm nihil horum subsit. Hujus species est hypocrisis, quâ videlicet quis se simulat, justum, pium aut virtuosum, cùm non sit.

*Dividitur in illud quod committitur verbis & quod factis.*

35. *Item in jactantiam & ironiam.*

Aliter dividitur mendacium in jactantiam, dum quis majora de se prædicat, quàm revera subsint, & ironiam, dum minora prædicat, vel laudabilia negat, quæ tamen insunt. Undè ironia veritati opponitur per defectum, jactantia per excessum. Denique mendacium dividitur in jocosum, officiosum & perniciosum, quod utilitatis causa, & perniciosum, quod in injustam alterius læsionem cedit.

*Denique in jocosum, officiosum & perniciosum.*

36. *Omne est intrinsecè malum.*

Omne mendacium, sive verbis, sive factis committatur, est ita intrinsecè malum, ut nullo casu sit licitum. Patet ex c. *Super eo de Usuris*, ubi Innocentius III. ait, Divini verbi præcepto prohiberi, ne quis, etiam pro alterius vita servanda, mentiatur. Constat etiam ex Scripturis passim obvijs *Levit.* 19. *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. Pfverb.* 13. *Verbum mendax justus detestabitur. Ad Coloss.* 3. *Nolite mentiri invicem* & alibi. Consonant quoque Sancti Patres (& post eos Theologi communiter) inter quos Sanctus *Augustinus* duobus libris id ipsum fusè tradit, quorum unus est *de Mendacio* & alter *contra Mendacium.*

37. *Non defuerunt tamen sentientes ipsum aliquando licere.*

Non defuerunt tamen olim, qui mendacio patrocinantes ipsum licere putaverint. Tales fuerunt plerique Philosophi gentiles, ut *Sophocles*, *Euripides*, *Democritus*, quin & ipse *Plato*, ac post eum *Otigenes* apud *Hieronymum lib.* 1. *contra Ruffinum cap.* 4. qui auctoritate *Platonis* deceptus, magnam post se Græcorum sequelam traxit. Putat tamen *Lessius cap.* 47. *dub.* 6. *numero* 39. plerosque posse excusari, quod mendacium vocent etiam orationem alio sensu dictam vel habentem tacitam mentis limitationem, seu restrictionem. Ut autem sciatur, quæ restrictio mentalis sit propriè dictum mendacium & quæ non.

38. *Licitum uti æquivocatione in verbis, & quando.*

Nota, nos posse varijs modis loqui alio sensu, quàm ab audiente intelligatur, ac in primis utendo æquivocatione vel amphibologiâ in verbis, quæ secundùm communem usum duplicem habent sensum, ferè æquè communem ut, *Aio te Æacida Romanos vincere posse.* Hujusmodi æquivocatione uti, suppositâ justâ causâ (secùs est eâ seclusâ, cùm virtus veracitatis obliget, ne sponte detur audienti occasio erroris, sicut aliæ virtutes obligant, ne alteri sine causa detur occasio vitiorum oppositorum) non est malum: cùm enim oratio externa verè sit de se manifestativa sensûs à loquente intellecti, non potest ullo modo habere rationem mendacij; adeoque per se licet. Quod autem detur audienti occasio erroris, nihil refert: quia loquens eam non tenetur vitare suppositâ justâ causâ.

39. *Etiam in sensu minus obvio.*

Secundò potest oratio externa, à nobis exteriùs prolata, habere quidem duplicem sensum, sed unum communiùs, alterum verò rariùs usitatum. Quo modo *Matth.* 11. Joannes Baptista dicitur Elias, videlicet functione & officio. Talem etiam orationem ex justa & rationabili causa loquens de per se potest intelligere in alterutro sensu, etiam minùs obvio, licèt audiens inde sumat occasionem erroris, modo aliud malum inde non sequatur, quod prætensæ causæ præponderet: nam talis etiam oratio prout exterius profertur, est conformis menti & conscientiæ loquentis; adeoque à malitia mendacii planè libera, seclusâ tamen justâ causâ id non licet, ut patet ex dictis *n. præced.*

Tertiò

40. Tertiò possumus cum alijs loqui, utendo talibus verbis, quæ secundùm se sumpta, & prout exteriùs proferuntur sunt falsa, etiam suppositis omnibus circumstantijs hîc & nunc consignificantibus, si tamen jungantur cum illis, quæ in mente retinentur & à loquente subintelliguntur, sunt vera; ut si quis dicat, dabo tibi librum, in mente reticendo conditionem hanc, si tibi debeam, sub qua & non aliàs, dare vult. De hoc tertio modo potissima est difficultas, an restrictio mentalis sit licita, nec ne. *Suarez Tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 3. cap. 10. & 11. Lessius cap. 42. dub. 9. num. 47. Reginaldus, Sanchez* & alii, quos citat & sequitur *Diana Part. 3. Tract. 6. Resol. 30.* affirmant. *Malderus* verò *Sylvius, Layman, Coninck* & alii apud eumdem *Diana loc. cit.* negant. Cum quibus

41. *Purâ restrictione mentali non licet uti.* Dicendum est restrictionem purè mentalem omnino esse illicitam. Probatur I. quia oratio, cum tali restrictione prolata, videtur continere verum mendacium: cùm secundùm totum id, quod in ea habet vim significandi, sit difformis conceptui loquentis; adeoque falsa: nam non significat secundùm eam partem, quæ intus reticetur, sed tantùm secundùm eam, quæ exteriùs profertur, quippe quæ sola ab audiente percipitur & in eo generat conceptum de re significata. Confirmatur ex *Sancto Augustino lib. de Mendacio cap. 3.* generaliter dicente, *ille mentitur, qui aliud habet in animo & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat.* Similiter in illud *Psalm. 51. Lingua dolosa* ait: *Quid est lingua dolosa? Ministra fallacia est lingua dolosa, aliud in corde gestantium, aliud in ore promentium.* Quod æqualiter habet locum, sive tacitâ in mente restrictio adjiciatur sive non: adeoque si quod ore profertur, seclusâ restrictione solâ mente conceptâ, contineat dolum ab *Augustino* redargutum, etiam continebit, dum tacita in mente restrictio accedit: cùm hæc neque mutet rem significatam, neque vim significativam orationis exteriùs prolatæ.

*Sed committitur mendacium.*

*Et dolus ab Augustino redargutus.*

Probatur II. quia usus restrictionum mentalium totam societatem & commercium humanum evertit: utpote qui dat audienti semper ansam dubitandi, an loquens non retineat in mente aliquam limitationem per orationem externam non significabilem, adeoque an loquenti sit fides adhibenda: idque verum est etiamsi loquens expressè asseveret, se non uti restrictione mentali: quia in hoc ipso forte utitur eâ, juxta illud *Sancti Augustini lib. de Mendacio cap. 8. Quomodo cre-*

42. *Societasque humana pervertitur.*

*dendum est ei, qui putat aliquando esse mentiendum, ne fortè & tunc mentiatur, cùm præcipit, non credamus.*

Dices I. Non tenetur homo totam mentem suam circa rem, de qua est sermo, aperire: adeoque non tenetur omnia verba exprimere, quibus ea apponatur, & consequenter poterit partem exprimere & partem tacitus addere. Resp. estò homo non teneatur simpliciter totam mentem suam audienti aperire, tenetur tamen in expressione, quæ per orationem externam fit, non admittere difformitatem inter mentem suam & externam orationem, alioquin secundùm se futuram falsam, & verâ mendacii malitiâ inficiendam, ut ex ante dictis satis patet. 43. *Solvitur Prima objectio.*

Dices II. Qui utitur restrictione mentali, non intendit orationem externam solitariè secundùm se sumptam, asserere, sed tantùm quatenus conjuncta est cum verbis tacitè in animo subintellectis, quod fieri potest sine mendacio, ut constat ex facto Ezechielis Prophetæ, ita suam prophetiam incipientis, *Et factum est*, quæ verba explicans *D. Gregorius homil. 2. in Ezechielem* dicit, eum ita incipere, quia internam orationem cum externa conjungit. Resp. cùm interna loquentis intentio verbaque tacitè subintellecta audienti non innotescant, revera totum illud, quod habet rationem signi, manet falsum, veluti internæ menti difforme, & consequenter in mendacium degenerat. 44. *Secunda.*

Ad id, quod additur de Ezechiele, dicendum est, quod sumendo particulam, *&*, per modum conjunctionis, Propheta visioni, seu internæ cum Deo locutioni intentus, immediatè connectat externam locutionem, non quidem ita, ut externa secundùm se sit falsa, sed hâc loquendi formulâ innuendo se exteriùs continuare locutionem, quam interiùs cum Deo inchoaverat. Hoc & non aliud vult *D. Gregorius*. Verùm *A Lapide* in D. locum Ezechielis post *S. Augustinum in Psalm. 4. Origenem, Maldonatum* & alios, notat vocem, *&*, per Pleonasmum (id est per redundantiam seu superfluè) addi, more Hebræorum, libros suos vel narrationes per particulam, *vau*, id est, *&*, exordientium, ut alijs exemplis ostendit *A Lapide* ibidem.

Dices III. Dum quis solus secum loquitur, orationem partim exteriùs proferens, partim in animo per mentalem restrictionem subticens, non dicetur mentiri, quantùmvis oratio externa seorsim sumpta esset falsa: ergo nec is, qui ita alteri loquitur. Resp. Neg. C. quia dum quis secum loquitur, men- 45. *Tertia.*

tem suam, utpote probè notam, per externa signa indicare non debet: dum verò alteri loquitur, eam non nisi per verba prodit, quæ si menti sint dissona, falsa sunt & mendacium continent. Nec refert quod loquens non habeat expressam voluntatem mentiendi, sed potius contrariam, quia licet habeat simplicem velleitatem non mentiendi; habet tamen voluntatem interpretativam, eamque efficacem mentiendi, hoc ipso, quo vult efficaciter proferre orationem sola restrictione mentali, & non aliter verificabilem. Alia quæ objici possent, vide soluta *Disp. 3. de Fide Quæst. 3.*

46. *Similiter in juramentis illicita est restrictio purè mentalis.* Ex his patet restrictionem purè mentalem nullatenus esse licitam in juramentis: cùm enim per orationem externam, non nisi per talem restrictionem verificandam; adeoque simpliciter falsam, præstentur, à ratione perjurii nequeunt excusari: secus est de juramentis, per talia verba præstitis, quæ verum aliquem sensum, à jurante ex justa causa intentum, etsi ab eo, cui juratur, non intellectum, habent, ut post alios docet *VViggers de Juramento dub. 12. n. 94.* tunc enim simpliciter juratur verum, non falsum. *Secùs est de æquivocatione, datâ justâ causâ.*

## QUÆSTIO V.

## De Affabilitate & Liberalitate.

47. *Affabilitas ab Amicitia distinctio,* AFFABILITAS interdum appellatur nomine amicitiæ, in re tamen ab ea differt: nam amicitia est mutua quorumdam benevolentia, utrimque nota, & in quadam communicatione fundata, ut ex Philosopho describit *Smising. de Deo Uno Tract. 3. disp. 4. num. 84.* Sic amicitia studiosorum fundatur in communicatione in studijs: amicitia militum, in communione rerum militarium, amicitia virtuosa, in communicatione & similitudine virtutis: affabilitas verò non postulat talem communicationem.

48. *Ejusdemque definitio.* Affabilitas recte definitur esse virtus, quæ ad talem in verbis & factis serijs inclinat mediocritatem, secundùm quam alicujus conversatio est proximo grata & accepta. In quo spectanda est conditio, tum personæ loquentis vel agentis, tum eorum, coram quibus loquitur vel agit, & reliquæ circumstantiæ.

Dixi, *factis serijs*, quia pro mediocritate in jocis servanda assignari solet *ex Philosopho lib. 4. Ethicorum cap. 9.* Eutrapelia. Observat tamen *Smising sup. num. 86.* hanc virtutem ab Affabilitate essentialiter non differre, sed tantùm materialiter, penes materiam, in qua versatur: nam dum versatur in serijs vocatur simpliciter affabilitas, dum in jocis, Eutrapelia. *Qualiter differat ab Eutrapelia.*

49. *Quod sit objectum Affabilitatis.* Ex his patet Affabilitatem tendere in actiones nostras, quibus cum proximo conversamur, easque habere pro objecto materiali. Ratio objectiva, in objecto materiali reperta, est debitum fundatum in natura nostra sic instituta, ut sit sociabilis. Objectum cui est proximus, quocum est conversandum.

50. *Ei per excessum opponitur adulatio.* Contra Affabilitatem peccatur per excessum & per defectum: per excessum peccant, qui in familiari congressu nimium, dictis aut factis contra præscriptum rectæ rationis, excedunt in nimia blanditia omnia approbantes & laudantes, qui si id faciant utilitatis causa, vocantur Adulatores, si solùm ut placeant, appellantur simpliciter Blandi. *Per defectum morositas seu litigium.* Per defectum peccant, qui in consortijs solent ab alijs ordinarie dissentire & eis contradicere ad tædium & molestiam eorum: vocanturque morosi: cùm autem hinc nata sint sequi litigia, *D. Thomas* vitium hoc morositatis appellat nomine litigij.

51. *Quæ ex se non sunt nisi venialia.* Vitia hæc Affabilitati opposita ex ratione sua non sunt nisi venialia, ut patet in adulatione: hæc enim solùm est quidam excessus in studio alijs placendi, eosque in consortijs recreandi: quæ de se non sunt gravia, per accidens tamen possunt esse talia, ut si quis adulatur alteri in peccatis ab eo commissis aut committendis, illa etiamsi virtutum pallio obvolvendo, honestando & approbando; & sit unus ex illis, quibus *Isaiæ 5.* dicitur: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*: vel si per adulationem intendatur finis graviter malus, ut si quis aduletur alteri, nocumenti corporalis vel spiritualis ei inferendi causâ: de quo *Proverb. 27.* dicitur: *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis:* Cui consonat illud *Augustini in Psalm. 69. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris*: vel denique si accedat scandalum, datâ per adulationem alicujus gravis peccati, quod adulator potuerat & debuerat prævidere, occasione. *Quod est. dicitur de adulatione.* *Quo qualiter per accidens possit esse mortale.*

52. *Idem quoad differre in morositate.* Patet idem in morositate seu litigio: per hoc enim vitiū solùm adfertur proximo aliqua molestia & tædium, quod per se non

non est grave, nisi per accidens proximus ad gravem indignationem aut mœrorem inde provocetur. Absolutè tamen spectando utrumque hoc vitium secundum se præcisè, litigium pejus est adulatione: nam magis repugnat rectæ rationi in consortijs esse molestum & morosum, quàm in blanditijs excedere, nisi ratione materiæ, finis vel effectus (ut frequenter contingit) adulatio morositatem excedat.

*Quodnam sit gravius adulatio vel morositas.*

53. *Liberalitas unde dicta.*

Liberalitatem Quidam sic dictam volunt, quòd libero proficiscatur ex animo. Alii sic dictam contendunt, quod libero homine digna sit, qui nec se divitijs, nec has sibi adstrictas patitur, sed animum ab eis liberum habere intendit. Definitur autem esse virtus, quæ moderatur amorem divitiarum, & consequenter inclinat ad eas elargiendum secundùm rectam rationem. Unde divitiæ sunt materia remota hujus virtutis; proxima est affectus illarum, quem liberalitas moderatur, ne possessorem à legitimo usu earum retrahat, vel eas prodigat. Ex quo hujus virtutis utilitas, immo necessitas, elucet: necessarium enim est, habere affectum divitiarum, secundùm rectæ rationis regulas temperatum.

*Qualiter definiatur.*

*Ejus materia remota divitiæ; proxima harum affectus.*

*Quî habeat locum in pauperibus.*

Non est tamen virtus Liberalitatis ita propria divitibus, ut nequeat reperiri, quoad meritum & honestatem suam, etiam in pauperibus: quippe qui etiam possunt habere affectum erga hujus virtutis exercitium, à quo per accidens defectu materiæ impediuntur. Deinde Liberalitas non tam spectatur ex multitudine & magnitudine datorum, quàm ex affectu dantis, qui in paupere, rem exigui momenti elargiente, potest esse major, quàm in divite, magna munera animo non prompto elargiente.

54. *Et cum justitia convenire ac ab eadem discrepet.*

Ex his patet Liberalitatem convenire cum Justitia in eo, quòd utraque sit ad alterum & versetur circa res externas: differt autem in perfecta ratione debiti: nam debitum Justitiæ est rigorosum; Liberalitatis solùm morale fundatum in quadam decentia & honestate, ut habet *D. Thomas quæst.* 117. *art.* 5. *ad* 1.

55. *Et per defectum opponitur avaritiæ.*

Liberalitati per defectum opponitur Avaritia, quia deficit in erogando (à quo Liberalitas potissimum appellatur) prohibet enim ab elargitione divitiarum ubi recta ratio eam postulat. Alio autem sensu potest dici Liberalitati opponi per excessum, quatenus scilicet excedit in æstimatione & immoderato affectu divitiarum, ad eas nimio studio acquirendas vel possidendas impellens.

Quatenus Avaritia præcisè opponitur Liberalitati, solùm est peccatum veniale, utpote non aliud importans, quàm inordinatum affectum erga divitias acquirendas vel retinendas. Potest verò esse mortalis, si intercurrat violatio alterius virtutis, ut si immoderatus divitiarum amor impellat ad injustam earundem acquisitionem vel possessionem: tunc enim Avaritia opponitur Justitiæ, & pro gravi vel levi ejusdem violatione gravis quoque vel levis est. Deinde si ex Avaritia, homo ita suis divitijs affigatur, ut propter eas acquirendas vel possidendas paratus sit violare præceptum aliquod graviter obligans, puta auditionis sacri, eleëmosynæ &c. peccatum mortale committit.

56. *Quæ catenus est solùm venialis. Aliunde potest esse mortalis.*

Avaritia numeratur inter peccata capitalia: quia ex illa, sicut ex alijs peccatis capitalibus, multa alia vitia proficiscuntur. Porrò septem Avaritiæ filias enumerat *D. Gregorius* apud *Lessium cap.* 47. *num.* 60. nempe obdurationem cordis, inquietudinem mentis, proditionem, fraudem, perjurium, fallaciam & mendacium. De quibus videri potest *Bassæus V. Avaritia num.* 2. Unde patet meritò ab *Ecclesiaste cap.* 5. & 6. multa contra hoc vitium differi, quibus ejus malitia, etiam ab Apostolo ad *Rom.* 1. *ad Ephes.* 5. *ad Coloss.* 3. damnata, ostenditur, & miseria eorum, qui hoc vitio innodantur, enucleatur.

57. *Est vitium capitale.*

*Cujus filia ex S. Greg. enumerantur.*

Liberalitati per excessum opponitur prodigalitas, quæ est vitium, quo exceduntur limites rectæ rationis in erogatione divitiarum: prodigus enim dicitur, qui pecunias ubi, quando & quibus non debet, vel plus, quàm secundùm rectam rationem debet, elargitur. Quòd si respiciatur, non ad divitiarum elargitionem, sed ad earum amorem, prodigalitas Liberalitati opponitur per defectum, quatenus minùs, quàm ex rectæ rationis præscripto oportet, divitiarum cura geritur. Et ita loquitur *Viggers dub.* 9. Liberalitati per excessum opponens Avaritiam, per defectum prodigalitatem.

58. *Liberalitati per excessum opponitur prodigalitas.*

*Quæ describitur.*

Hoc peccatum ex genere suo solùm est veniale: quia prodigus est dominus suarum divitiarum, quas dum prodigè expendit, sine gravi alterius virtutis violatione, non est unde graviter peccet: simpliciter tamen peccat; quia licet verum habeat suarum divitiarum dominium, Deus tamen vetat eas aliter, quàm recta ratio dictat, expendi.

59. *Ex genere suo est solùm venialis.*

Est

*Minor avaritiâ.*

Est autem prodigalitas ex propria sua ratione minus peccatum, quàm avaritia: partim quia minus recedit à Liberalitate, velut ad quam pertinet dare, in quo excedit prodigus & deficit avarus: partim quia prodigus multis prodest, in quos sua distribuit; avarus verò vix ulli: partim quia facilius prodigalitas, quàm avaritia, curatur, egestate scilicet vel egestate medente.

60. *Per accidens* Potest tamen prodigalitas esse peccatum mortale, si quis suas divitias prodigat cum notabili aliorum damno vel scandalo, aut alicujus præcepti graviter obligantis violatione. De quo vide *Lessium c. 47. dub. 8. n. 62.* *dens potest esse mortale.*

Et hæc de virtutibus, tum in communi, tum in particulari de Theologicis, Fide, Spe & Charitate, necnon de Cardinalibus, præsertim Justitia, ac Religione ceterisque annexis, & vitijs oppositis, dicta sufficiant, ad laudem & gloriam ejus, qui omnium virtutum fons & origo est.

FINIS.




INDEX

# INDEX
## PRÆCIPUARUM RERUM,
## QUÆ
## IN HAC TERTIA PARTE
## CONTINENTUR


### A.

Abbas.

ABBATIBUS *quandoque competit potestas conferendi beneficia.* pag. 483. n. 23.
*Quam potestatem habeant Abbates administrandi fructus suorum Beneficiorum.* p. 303. n. 107.

Abductio.

*Abducens à Religione sine vi vel fraude Novitium aut etiam Professum, non incurrit obligationem ex justitia.* p. 324. n. 3.
*Quid si circa Canditatum sit adhibita vis vel fraus.* ibid. n. 4.
*Quid denique si id fiat circa professum.* p. 325. n. 5.

Aborsus.

*Pro conservatione vitæ pregnantis non licet directe procurare aborsum fetus animati.* p. 329. n. 23.
*Immo nec inanimati.* ibid.
SANCHEZ *oppositum sentientis fundamentum dissolvitur.* ibid. n. 26.
*Ad vitandam infamiam licitam esse procurationem aborsus, non est probabile.* ibid. n. 25.
*Indirecta procuratio aborsus fetus nondum animati ob conservationem vitæ pregnantis licet.* p. 329. n. 27.
*Secus est de aborsu fetus animati, si spes prolis vivæ edendæ subsit.* ibid.
*Quid si talis spes absit.* ibid.

Absens.

*Absenti qualiter voluntas donantis insinuanda* p. 401. n. 13. *Vide* Donatio.
*Abesse quamdiu possit beneficiarius.* p. 488. n. 48. & seqq. *Vide* Beneficiarius.

Abstinentia.

*Quid Abstinentia.* p. 268. n. 41.
*Quæ ejus regula.* ibid.
*Quæ vitia opposita.* ibid. n. 43.
*Commoda abstinentiæ quæ.* p. 269. n. 45.
*Quibus modis contra abstinentiam peccetur.* ibid. n. 46.
*Vide* Cula.

Acceptio Personarum.

*Acceptio Personarum quid sit.* p. 478. n. 1.
*Quæ ad illam requirantur.* ibid.
*In Deo non habet locum.* ibid. n. 2.
*Ex genere suo est peccatum mortale.* ibid.
*In quorum bonorum distributione potissimum versetur.* ibid. n. 3.

Acceptatio. Acceptilatio.

*Quid Acceptilatio secundum jus commune.* p. 384. n. 4.
*Moribus hodiernis non est usus acceptilationis.* ibid.
*Acceptatio prærequiritur ut obliget Donatio.* p. 400. n. 4.
*Facienda est per promissarium aut Procuratorem.* p. 401. n. 13. *Vide* Donatio.

Accessio.

*Accessio alia naturalis, alia industrialis, utraque est varia.* p. 310. n. 53.
*Accessione qui dominium acquiratur.* ibid.
*Vide* Dominium.

Accusatio. Accusator.

*Accusatio quid sit.* p. 472. n. 35.
*An exigat inscriptionem.* ibid.
*An eam præcedere debeat privata monitio.* ibid. n. 36.
*An ex rigore justitiæ.* ibid. n. 37.
*An saltem ex charitate.* ibid. n. 38.
*Quando quis teneatur alterum accusare; quando non possit.* ibid. n. 39.
*Quando possit aut teneatur ab accusatione desistere.* ibid. n. 40.

Addictio.

*Additionis pactum in diem quod dicatur.* p. 441. n. 56.

Acedia.

*Vox Acedia quid importet.* p. 239. n. 11.
*Interdum sumitur pro passione meræ naturalis corporis.* p. 240. n. 11.

*Interdum pro tristitia appetitus sensitivi.* ibid.
*Acedia prout est in voluntate & generaliter quid importet.* ibid.
*Quale peccatum sit.* ibid. n. 12.
*An licitum sit aliquem pœnitere assumpti Sacerdotii vel Monachatus.* ibid. n. 13.
*Acedia specialiter quid & quale peccatum.* ibid. n. 14.
*Quæ Acedia sit capitale peccatum.* ibid. n. 15.
*Qualiter vincatur.* ibid. n. 16.

Adjuratio.

*Quid Adjuratio.* p. 549. n. 45.
*Qualiter distinguatur à juramento.* p. 550. n. 45.
*Fit præcipiendo vel precando.* ibid. n. 46.
*Directè ejurantur sola res rationales; indirectè etiam irrationales.* ibid. n. 47.
*Ad reverentiam Adjurationis quædam requirentur.* ibid. n. 48.
*An Adjuratio ex imperio superioris inducat obligationem in materia Religionis.* ibid. n. 50.

Adventitium.

*Peculium Adventitium quodnam censeatur.* p. 300. n. 8.
*Vide* Peculium.

Adulatio.

*Adulatio quid.* p. 574. n. 50.
*Quale peccatum.* ibid. n. 51.
*Adulator quomodo ad restitutionem teneatur.* p. 364. n. 53.

Adulter. Adulterium.

*Adulterum seu Adulteram in flagranti delicto occidere, illicitum.* p. 331. n. 36.
*Pro injuria per adulterium commissa qualis debeatur satisfactio.* p. 339. n. 90.
*An pecuniaria.* p. 340. n. 91.
*Quæ sit obligatio partu secuto.* ibid. n. 92.
*Debet moraliter constare quod proles sit adulterina.* ibid.
*Quid si de duobus adulteris dubitetur cujus sit.* ibid.
*Adulter an teneatur compensare legitimis damna sive adultera suppositionem suaserit, sive non.* ibid. n. 93.
*Quî adultera teneatur cavere damna legitimorum.* ibid. n. 94.
*Rarissimè tamen tenetur crimen patefacere.* ibid. n. 95.

Advocatus.

*Advocati qui & unde dicantur.* p. 476. n. 62.
*Quæ in eis requirantur.* ibid. n. 63.
*Advocatorum juramentum.* ibid.
*Quomodo peccent contra suum juramentum.* p. 477. n. 64.
*Quando licitum advocato suadere partibus transactionem.* ibid. n. 65.
*An licet Advocato patrocinari causæ dubiæ vel practicè improbabili vel minus probabili.* ibid. n. 66.
*An Advocatus possit tueri habentem jus in possessorio, sed iniquam causam in proprietate,* ibid. n. 67.

Æqualitas.

*Æqualitas quæ inter ludentes requisita.* p. 463. n. 58.
*Virtutes non omnes sunt æquales.* p. 20. n. 73.
*Vide* Virtus.

Æquivocatio.

*Licitum est uti æquivocatione in verbis & quando.* p. 572. n. 38.
*Latria in sensu minus obvio.* ibid. n. 39.
*An liceat uti æquivocatione in juramentis.* p. 574. n. 46.

Ætas.

*Cujus ætatis esse debeat præfecta Monialium.* p. 485. n. 34.
*Quæ ætas ad valorem professionis requiratur.* p. 531. n. 20.

Affabilitas.

*Affabilitas ab amicitia distinguitur.* p. 574. n. 47.
*Quid Affabilitas.* ibid. n. 48.
*Qualiter differat ab Eutrapelia.* ibid.
*Quod ejus objectum.* ibid. n. 49.
*Illi per excessum opponitur adulatio; per defectum morositas.* ibid. n. 50.

Affectus.

*Affectus erga rem, an pretium augeat.* p. 434. n. 20.
*Affectus credulitatis specialem habet honestatem.* p. 142. n. 18.
*Vide* Credulitatis affectus.

Agnus Dei.

*Licitum est gestare agnos Dei.* p. 537. n. 25.

Agricola.

*Agricolis an liceat laborare in die festo.* p. 513. n. 27.

Alea.

*Alearum nomine quî lusus intelligatur.* p. 441. n. 61.
*Qualiter olim per leges proscriptus.* ibid.
*Quæ an hodie in Usu.* ibid.
*Alearum lusus qui Clericis per Canones prohibeatur.* ibid. n. 62.
*An vel qualiter hi canones vigeant.* p. 465. n. 62.

Ambiguum.

*Deus potest uti verbis ambiguis.* p. 37. n. 19.
*Quibus de causis id à Deo fiat in scriptura.* ibid. n. 20.

Ambitio.

*Ambitio quid sit,* p. 279. n. 106.

Amicitia.

*Quid Amicitia.* pag. 574. n. 4.
*Distinguitur ab Affabilitate.* ibid.

Amor.

*Amorem Dei & proximi propter Deum elicit eadem simplex charitas.* p. 209. n. 41.
*Vide* Charitas. Affectus.

Anatocismus.

*Anatocismus quid sit.* p. 415. n. 11. *Est jure prohibitus.* ibidem.

Angelus.

*Angelis quorum dominium competat.* p. 297. num. 74.

Animalia.

*Animalia an liceat infidelibus vendere.* p. 181. num. 73.
*Animalium Sylvestrium, vulneratorum, cicuratorum &c. quî dominium acquiratur.* p. 307. n. 137. *& seqq.* *Vide* Dominium.

Annus.

*Annus Novitiatus ad valorem professionis debet esse completus.* p. 531. n. 21.
*Non quidem solaris, sed politicus seu civilis.* p. 532. n. 22.
*Excepto casu mortis.* ibid. n. 23.
*Debet esse integer & continuus.* ibid. n. 24.
*Qualis interruptio sufficiat ad discontinuationem.* ibid.

Anthicresis.

*Antichresis quid & an usuraria.* p. 416. n. 14.
*Vide* Usura.

Apes.

*Examina apum quando liceat capere.* pag. 309. n. 145.

Apostata.

*Apostata quis dicatur.* p. 543. n. 110.
*Quas pœnas incurrat.* ibid. n. 111. & p. 186. n. 99.

Apostolus.

*Omnes Apostoli secundaria sunt fundamenta Ecclesiæ.* p. 13. n. 6.
*An* Matth. 18. *par potestas pariquè modo omnibus conferatur.* ibid. n. 8.
*Quî contentio sit orta inter Apostolos de primatu, etiam post promissionem Christi declaratam.* p. 114. n. 10.

Apprehensio.

*Apprehensio quid.* p. 295. n. 62.
*Varii modi apprehensionis.* ibid. n. 63.
*Apprehensio vera quæ.* ibid.
*Apprehensio ficta quibus modis contingat.* ibidem.

Approbatio.

*Approbatio an sit de essentia Status Religiosi.* p. 529. n. 3.
*An immediatè à Pontifice facienda.* p. 530. num. 7.

Arma.

*Arma præstare Judæis & Paganis aliisque reipublicæ Christianæ inimicis, qualiter inhibitum.* p. 181. n. 71.

Arrha.

*Quid Arrha & qualiter apponi possit contractus perfecto.* p. 396. n. 81.
*Ejus amissio præsupponit culpam.* ibid.
*Quî differat à pœna conventionali.* ibid.
*Leges dantes locum pœnitentiæ amittenti Arrham qualiter intelligenda.* ibid. n. 82.

Arrogatio.

*Arrogatio Judicii quid.* p. 455. n. 3.
*Vide* Usurpatio Judicii.

Ars.

*Quid Ars Notoria.* p. 553. n. 22.
*Est ex genere suo peccatum mortale.* pag. 554. n. 22.

Aspectus.

*Aspectus elicitus ob solam delectationem oriundam ex intuitu pulchræ personæ non videtur grave peccatum.* p. 267. n. 37.
*Aspectus partium inhonestarum personæ alterius sexûs regulariter censetur mortalis.* ibid.
*Quorumdam tamen limitatio.* ibid.

Assecuratio.

*Assecuratio quid sit.* p. 461. n. 45.
*Ordinariè fit pro pretio.* ibid.
*Assecuratio citra periculum aut post cognitum mercium interitum, non datur.* ibid. n. 46.
*Si communiter sukerit periculum, sciens id modo non subesse, an paciscì queat de pretio assecurationis.* ibid. n. 47. *& seq.*
*Assecuratio mutuatarii fundat justum lucrum in mutuante.* p. 420. n. 86.
*Vide* Mutuum.

Assassinatus.

*Rei assassinatus non gaudent immunitate Ecclesiasticâ & qui sint tales.* p. 517. n. 52.

Astrologia.

*Astrologia judiciaria quid.* p. 552. n. 19.

Astutia.

*Astutia quid.* pag. 260. n. 21.
*Diversimodè sumitur.* ibid.

Athanasius.

*Quid symbolum Athanasii.* p.111.n.173.
*Vide* Symbolum.

Attentio.

*Attentio multiplex assignatur.* p.502.n.30.
*In omni oratione jure divino naturali requiritur interna.* ibid.
*Qualis requiratur in horis Canonicis ex præcepto Ecclesiastico.* p.508.n.38.& seqq.

Avaritia.

*Quid Avaritia.* p.575.n.55.
*Quale peccatum.* ibid.n.56.
*Est vitium capitale.* ibid.n.57.
*Ejus filia.* ibid.

Auctoritas.

*Ob auctoritatem divinam oportet secundum Apostolum postponere rationes humanas & adhærere mysteriis fidei.* p.28.n.11.
*An vel quâ ratione verum sit fidem resolvi ultimatè in auctoritatem Ecclesiæ.* ibid.
*Testimonii auctoritas resolvitur in veracitatem testis.* ibid.n.12.
*In omni fide assentimur propositioni ob auctoritatem dicentis.* ibid.
*Auctoritas in judicante necessaria.* p.465.n.2.

Aucupium.

*Aucupium an licitum in die festo.* p.512.n.17.

Audacia.

*Audaciam moderatur Fortitudo.* p.281.n.2.

S. Augustinus.

*Augustinus non sensit omnia opera infidelium esse peccata.* p.17.n.63.
*Concilia plenaria priora quæ juxta Augustinum emendentur posterioribus.* p.104.n.145.

Auxilium.

*Auxiliari infidelibus vel eorum auxilium petere, an liceat.* p.249.n.72.

B

Baptismus.

*Si infans esset moriturus sine Baptismo teneris eum cum periculo vitæ baptizare.* p.218. n. 94.
*Promissio in baptismo facta non est votum.* p. 522.n.22.

Barbarus.

*Barbari an sint subjugandi, & an inde Romani laudandi.* p.179.n.59.
*Vide* Infidelis.

Barbitonsores.

*Barbitonsores an laborare possint in die festo.* p. 513. n.28.

Beatitudo, Beatus.

*Octo Beatitudines explicantur.* p.12.n.42.
*An consistant in actibus, an in habitibus.* ibid.
*Non distinguuntur ab ordinariis virtutibus, eorumve actibus.* ibid.n.43.
*Cur appellentur beatitudines.* ibid.
*Vide* Virtus.
*In Beatis manet Charitas sine fide.* p.22.n.81.
*Habitus spei in illis qualiter maneat juxta nonnullos.* ibid.n.82.
*Virtutes acquisitæ manent in Beatis.* p. 23. n. 84.
*Beatitudinis dilatio potest ex charitate interdum appeti.* p.216.n.83.
*Beatis an competat orare.* p.501.n.23.
*Pro iis qualiter possimus orare.* p.502.n.25.

Belgium.

*In Belgio an licitum uti Bibliis linguâ vulgari.* p.61. n.55.
*Sententia* Marchant *circa lacticinia quoad Belgium.* p.273.n.73.
*Edicta Principum Belgii contra duellantes.* p. 254. n.101.
*In Belgio loco interdicti, utì possidetis, est manutenentia.* p.297.n.69.
*Dominium immobilium quî transferatur in Belgio.* p.311.n.157.
*In Belgio an servi fiant liberi beneficio Regionis.* p.302. n.10.
*Mores Belgii in materia præscriptionis.* p. 316. n.190. & seqq.
*Vide* Præscriptio.
*Edicta Principum Belgii contra libellos famosos.* p.343. n.15.
*In Belgio quî requiratur diploma Principis in judicio exhibendum ad cessionem bonorum.* p. 380. n.142.
*Quid cedens bonis in Belgio retinere possit.* p. 381. n.143.
*Mores Belgii circa præferentiam debitis.* p.372. n. 98.
*In Belgio quævis dispositio de re excedente valorem trecentorum florenorum, debet fieri in scripto.* p.386. n.20.
*Vide* Contractus.
*In Belgio de quibus bonis possit disponere uxor.* p. 392.n.55.
*Belgii consuetudines contractus minorum & pupillorum sine auctoritate mambrinorum, nitos, pro nullis habent.* p.394.n.68.
*Juxta edicta Belgii non possunt minores facere ullas donationes &c. nisi parentibus, avis &c.* ibid. n.69.
*In Belgio conceditur restitutio adversus contractum juratum.* p.398.n.96.
*In Belgio vi edicti perpetui quæ solemnitas ad testamenta requiratur.* p.407.n.51.
*Vide* Testamentum.
*In Belgio quomodo prohibeatur Ecclesiæ seu Monasteriis succedere in bonis immobilibus.* p. 411. n.69.

*In Belgio census personales sunt in vigore.* p. 445. n. 78.
*In Belgio census novi irredimibiles non possunt constitui.* p.446.n.80.
*In Belgio monetâ permissâ potest venditor censum pecuniarium æstimato pretio redimere.* ibid. n.82.
*Vide* Census.

## Bellum.

*Quid Bellum.* p.245.n.41.
*Qui distinguatur à Seditione & Rixa.* ibid.
*Aliud offensivum, aliud defensivum.* ibid.
*Illicitum esse Bellum, qui, & quomodo dixerint.* ibid. n.42.
*Aliquando Bellum esse licitum fides docet.* ibid. n.43.
*Patet ex lege naturæ & scripta.* ibid.
*Ex monito Joannis Baptistæ.* ibid. n.44.
*Ex aliis locis novi Testamenti.* ibid. n.45.
*Ex consensu PP. & sensu ac praxi Ecclesiæ.* ibid. n. 46.
*Et denique ex ratione.* ibid. n.47.
*Nonnulla Scripturæ loca opponuntur, ac dissolvuntur.* p.246.n.48.
*Loca Patrum explicantur.* ibid. n.49.
*Specialiter dictum S. Martini ad Julianum Apostatam.* ibid. n. 50.
*Explicatur Canon Concilii Nicæni.* ibid. n.51.
*Solvitur objectio desumpta ex belli incommodis.* ibid. n.52.
*Argumentum Lutheri de bello contra Turcas dissolvitur.* ibid. n.53.
*Belli liciti tres conditiones assignantur.* ibidem num. 54.
*Authoritas bellum indicendi est penes supremam rempublicam seu Principem.* ibid.
*Bellum suscipere, quâ etiam aliis inferioribus sit licitum.* p.247.n.55.
*An inter Christianos præ requiratur licentia Pontificis.* ibid.n.57.
*Justæ belli indicendi causa assignantur.* ibidem n. 58.
*Quæ exemplis è sacra Pagina petitis confirmantur.* ibid. n.59.
*Bellum præcedere debet petita, nec obtenta satisfactio.* ibid. n.60.
*Injuriam valdè gravem subesse oportet.* p.248. n. 61.
*Nonnulla ad ejus consequentiis ingravescunt in ordine ad justificandum bellum.* ibid. n.62.
*Damna Ecclesiæ quî attendenda.* ibid.
*Pro causâ belli non sufficit ampliatio finium, aut famæ celebritas.* ibid. n.63.
*Non invidia contra potentiorem, aut ejus, ne quando fortè noceret, suppressio.* ibidem n. 64.
*Bellum utrimque justum, an dubium.* ibid. n.65.
*Belli justitia qualiter examinanda.* ibid. n.66.
*Quid agendum in dubio de jure regni ab alio possessi.* p.249. n.67.
*Quid si neuter sit in possessione.* ibid.
*Rationabilior dicendi modus explicatur.* ibid. n. 68.
*Quale examen competat subditis militare volentibus.* ibid.n.69.
*Aut jussione constrictis.* ibid. n.70.
*Dubius de justitia, non potest injussus militare.* ibid. n.71.
*An inter subditos & extraneos distinguendum.* ibid.
*Quid censendum de paratis ad omnem militiam.* ibid.
*Infidelibus auxiliari, vel eorum auxilium petere, an liceat.* ibid. n.72.
*Quando non liceat.* ibid. n.73.
*David sub Rege Achis non pugnavit contra Israëlitas.* p.250. n.73.
*Nulla intentio quî ad bellandum requiratur.* ibi. n. 74.
*Clericis est inhibitum militare.* ibid. n.75.
*Congruentia quæ prohibitionis.* ibid.
*Specificantur Clericis interdicta aut licita in bello.* ibid. n.76.
*De periculo irregularitatis.* ibid.
*De quibus Clericis Canones loquantur, aut intelligantur.* p.251. n.77.
*Clerici simul Principes, possunt bellum indicere, & per alios gerere.* ibid. n.78.
*Ad quid teneatur Princeps in Bello.* ibid.n.79.
*Ad quid Præfecti, & milites.* ibid.
*Quænam peccata in militia occurrant.* ibidem n. 81.
*Quis defectus radicalis.* ibid.
*Quæ peccata Præfectorum.* ibid. n.82.
*Quî peccent milites circa rusticos & hospites.* ibid.
*Excusatio ex carentia stipendii petita discutitur.* ibid. n.83.
*Quid liceat in Belli progressu & post victoriam.* p.252. n.84.
*De insidiis bellicis.* ibid.
*An possint occidi nocentes.* ibid. n.85.
*An etiam innocentes.* ibid. n.86.
*Qui nomine Innocentium intelligantur.* ibid.
*Bona eorum, signanter Ecclesiasticorum, an prædæ exposita.* ibid. n.87.
*Mobilia bello capta cujus sint.* ibid. n.88.
*An hostes possint subdi captivitati, etiam innocentes & Christiani.* ibid. n.89.

## Beneficentia.

*Beneficentia quid.* p.223. n.12.

## Beneficium.

*Quid Beneficium Ecclesiasticum.* p.480.n.10.
*Quænam in eo considerandæ.* ibid.
*Præbenda quibus modis accipiatur.* ibid.n.11.
*Perpetuitas requisita deficit in vicaria temporali.* p.481. n.12.
*An in beneficiis regularibus.* ibid.
*An in sæcularibus ad nutum amovibilibus.* ibid.
*Beneficium quâ authoritate instituendum.* ibid. n.13.

*Excluduntur quædam fundationes, & Capellaniæ castrenses, & pensio.* ibid. n. 14.
*Beneficium aliud regulare, aliud sæculare.* ibid. n. 15.
*In dubio præsumitur sæculare.* ibid.
*Sæcularia Regularibus, & contra, quæ concedi possint.* ibid.
*Beneficia Regularia in commendam quomodo dentur.* ibid.
*Beneficia alia majora, alia minora, alia curata, alia non curata, alia duplicia, alia simplicia.* ibid. n. 16.
*Personatus hodie plerique inter simplicia beneficia censentur.* ibid.
*Alia item beneficia sunt manualia, alia non manualia.* ibid. n. 17.
*Alia patrimonialia, alia non patrimonialia.* p. 482. n. 17.
*Quid Beneficia monocula.* ibid.
*Beneficia acquiruntur potissimum præsentatione, sequente institutione, electione, aut postulatione, subsequente confirmatione; collatione libera, & quid illa sint.* ibid. n. 18.
*Institutio sumpta pro investitura pœnes quos sit.* ibidem.
*Quid jus patronatus.* ibid. n. 19.
*Vide* Patronatus.
*Intra quod tempus sit facienda præsentatio vacantis Beneficij.* ibid. n. 21.
*An præsentans indignum jure excidat pro ista vice.* ibid.
*An præsentato possit accumulari novus.* ibid.
*Collatio beneficiorum pœnes quos spectet.* p. 483. num. 23.
*Quid possit capitulum sede vacante.* ibid.
*Prærogativa Pontificis qua.* ibid. n. 24.
*Jus nominationis datum Academiæ Lovaniensi.* ibidem.
*Solis dignis beneficia sunt conferenda.* p. 483. n. 25.
*Quid si idoneus nequeat reperiri.* ibid.
*An sufficiat non constare de indignitate.* ibid.
*Magis digni an præferendi.* ibid. n. 26.
*Qui censeantur tales.* ibid.
*Gravissima Tridentini verba.* p. 484. n. 27.
*Quando secus agere sit peccatum mortale.* ibid.
*An etiam in beneficijs non curatis.* ibid. n. 28.
*An ex promotione minus digni oriatur obligatio restituendi.* ibid. n. 29.
*An saltem ex promotione indigni.* ibid.
*Quid si dignior postponatur in concursu.* ibid.
*Quibus casibus possit præferri minus dignus.* pag. 485. n. 30.
*Quid si hoc modo sit impedienda electio indigni.* ibid. n. 31.
*Quid si non appareat spes juvandi dignissimum.* ibidem.
*An resignari oporteat beneficium dignissimo.* ibid. num. 32.

Beneficii acquisitio.

*Varia requiruntur ad beneficium obtinendum.* pag. 485. n. 33.
*Quid ex parte natalium.* ibid.
*Quæ ætas.* ibid. n. 34.
*Ad quod officium requiritur tonsura.* p. 486. n. 35.
*Celibatus.* ibidem.
*Scientia.* ibid. n. 36.
*Morum honestas.* ibid. n. 37.
*Carentia excommunicationis.* ibid.
*De suspenso & irregulari.* ibid.
*De interdicto.* ibid.
*De intruso.* ibid.
*Habilitas ex parte corporis.* ibid. n. 38.
*Intentio status Ecclesiastici & Ordinis.* ibid. n. 39.
*An liceat parochiam suscipere cum animo resignandi.* ibid. n. 40.
*Beneficio sufficienti alterum superaddere illicitum.* pag. 487. n. 41.
*Insufficienti aliud addere quid licitum sit,* ibid.
*Sufficientia beneficii qualiter æstimanda.* ibid. num. 42.
*Beneficia unita instar unius censentur.* ibid.
*In pluralitate beneficiorum, quid Pontifex valeat dispensare.* ibid. n. 43.
*Quæ sint compatibilia.* ibid. n. 44.
*Quæ incompatibilia primi generis.* ibid. n. 45.
*Quæ incompatibilia secundi generis.* pag. 488. num. 46.

Beneficii amissio.

*Beneficia quæ amittantur ipso jure.* pag. 491. n. 61.
*Qui per condemnationem judicis.* ibid.
*Qui vacent per mortem aut tacitam renuntiationem.* ibid.
*Qui per renuntiationem expressam.* ibid. n. 62.
*Quæ à quo admittenda.* ibid. n. 63.
*Potest fieri per procuratorem.* ibid. n. 64.
*Ab infirmo facienda viginti diebus ante mortem.* p. 492. num. 64.
*Qui publicanda.* ibid.
*Renuntiatio in favorem qualiter licita aut illicita.* ibid. n. 65.
*Renuntiatio ex causa permutationis, qui licet.* ibid. n. 66.
*An de ea privatim inter partes tractare licitum.* ibid. n. 67.
*Cujus auctoritas intervenire debeat.* ibid.
*Consensus Patroni an necessarius.* ibid.
*Reservatio pensionis fundatur in stylo Curiæ.* ibid. n. 68.
*An creari possit per ordinarium.* p. 493. n. 68.
*An per Principes sæculares.* ibid.
*An possit redimi.* ibid. n. 69.
*Novitius nequit renuntiare beneficio Ecclesiastico.* p. 533. n. 38.

Beneficiariorum obligatio.

*Residentia personalis in beneficijs curatis quo iure requiratur.* p. 488. n. 47.
*Qualis absentia permittatur Episcopis.* ibid. n. 48.
*Aut inferioribus curatis.* ibid. n. 49.
*De residentia Canonicorum.* ibid.
*Excusantur à residentia Canonici, qui sunt in obsequio Episcopi vel Papæ, vel licentiam debitam habent.* ibid. n. 50.
*Item*

*Item docentes vel audientes Theologiam aut jus canonicum.* ibid.
*Quos fructus hi percipiant.* p. 489. n. 51.
*Non lucrantur quotidianas distributiones.* ibid.
*Exceptis quibusdam casibus.* ibid. n. 52.
*Quid requiratur ad lucrandas distributiones.* ibid. n. 53.
*An prius percepta debeant reddi victori litis.* ibid. n. 54.
*An duplici gaudens officio lucretur duplices.* ibid. n. 55.
*Quæ beneficia non postulent residentiam.* p. 490. n. 56.
*Quid si fundatio respiciat aliquem qui missas celebret.* ibid.
*Beneficiati obligantur ad horas canonicas.* ibid. n. 57.
*Quibusdam exceptis.* ibid.
*Etsi majorem partem proventuum dent substitutis.* ibid.
*Quid si nequidem per alium quidpiam percipere possint.* ibid. n. 58.
*Quid si fructus sint valde tenues.* ibid.
*An teneantur in anno carentiæ.* ibid. n. 59.
*An omittentes horarum lectionem teneantur ad restitutionem fructuum.* p. 491. n. 60.
*Quomodo & quibus faciendum.* ibid.
*Beneficiarius cum cæteris in choro non cantans an & quas poss. recipere distributiones.* p. 507, n. 32.

Bestialitas.

*Bestialitas est gravior Sodomiâ.* p. 265. n. 26.
*Differt specie morali à Sodomia, & molitie.* ibidem.

Blasphemia.

*Quid Blasphemia.* p. 558. n. 13.
*Dividitur in enunciativam, imprecativam, & dehonestativam.* ibid. n. 14.
*Hæreticalem & non hæreticalem.* p. 559. n. 15.
*An; & Quando contumelia in Sanctos sit Blasphemia.* ibid. n. 16.
*Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale.* ibid. n. 17.
*Neque excusat levitas materiæ.* ibid. n. 18.
*Prout excusat subreptio.* ibid. n. 19.
*Quid de consuetudine blasphemandi.* ibid.
*Blasphemia ex ratione sua est infidelitate minor.* ibid. n. 20.
*Secùs si aliæ malitiæ adjungantur.* ibid.
*Quo casu potest etiam superare idololatriam.* ibid.
*Blasphemiæ hæreticales & non hæreticales specie differunt.* ibid. n. 21.
*Secùs quidam putant, si sola blasphemiæ malitia spectetur.* ibid.
*Quod tamen universim non admittitur.* ibid. n. 22.

Bona fides.

*Bona fides qui requiratur ad præscriptionem.* p. 313. n. 172.
*Bona fides prærequiritur in præscriptione etiam immemorabili.* p. 314. n. 174.
*Bona fides an in præscribente præsumatur.* ibid. n. 178.
*Vide* Præscriptio.

Bonum.

*Bona alia sunt necessaria vitæ, alia statui.* p. 227. n. 39.
*Item alia sunt superflua vitæ, alia statui.* ibid.
*Quomodo & quanter illa sint distribuenda.* ibid.
*Vide* Eleemosynæ præceptum.
*Bona vacantia ad quos spectent.* p. 309. n. 147.
*Bona mobilia Peregrinorum in hospitali, qui intestati moriuntur, deficientibus hæredibus, in pias causas sunt distribuenda.* ibid.
*Quid si hæres ex uno tantum latere desit.* ibid.
*Vide* Dominium.
*Bona immobilia quæ censeantur.* p. 315, n. 184.
*Quæ differentia inter bona communia, publica, universitatis & singulorum.* p. 299. n. 83.
*Bona vacantia ad quos spectent.* p. 309. n. 147.
*Quidnam sint animi bona.* p. 324. n. 1.
*Bona Ecclesiastica an præda in bello exposita.* p. 252. n. 87.
*Mobilia bello capta cujus sint.* ibid. n. 88.
*Bona Castrensia quæ & cujus sint.* p. 300. n. 87.
*Item quæ & cujus sint quasi castrensia.* ibid. n. 88.
*Vide* Castrensia bona.
*Bona vacantia ad quos spectent.* p. 309. n. 147.

Breviarium.

*Breviario Romano qui uti debeant.* p. 504. n. 10.
*Qui non teneantur illud acceptare.* ibid.
*An privatim eo omnes uti possint.* ibid. n. 11.
*An qui Romano utuntur teneantur ad officium* B. MARIÆ. ibid. n. 13.

Brutum.

*An bruta delectentur objectis auditûs.* p. 261. n. 23.

## C.

Cambium, Campsor.

*Cambium quid sit.* p. 426. n. 64.
*Distinctio cambij à mutuo.* ibid.
*Quid Campsor aut campsarius.* ibid.
*Cambium aliud siccum; aliud reale.* ibid. n. 65.
*Reale aliud minutum; aliud locale.* ibid.
*Aliud purum; aliud mixtum.* ibid. n. 66.
*Aliud simplex; aliud compositum.* ibid. n. 67.
*Ad Cambij minuti justitiam quæ requirantur.* ibid. n. 68.
*Titulus ejusdem est locatio operæ & obsequij.* ibid. n. 69.
*An labor numerandi aut scribendi æstimari possit.* ibidem.
*An in Campsore ad justitiam Cambij officium cambiendi prærequiratur.* ibid. n. 70.

*Alius titulus est interesse.* p.427. n.71.
*Postremus diversa qualitas moneta.* ibid. n. 72.
*Cambij localis quanta utilitas.* ibid. n.73.
*Pretium ejus sæpè variatur.* ibid. n.74.
*Quî constituatur.* ibid.
*Communi æstimatione statutum non facilè improbandum.* ibid. n.75.
*Tituli qui potissimum à mercatoribus æstimantur.* ibid. n.76.
*Quorum stylus amplius declaratur.* ibid. n.77.
*De Cambio Francofurtensi.* p.428.n.77.
*Praxis mercatoria objectionis discussione elucidatur.* ibid.
*Absens pecunia in materia cambij habet rationem mercis cujusdam.* ibid. n.79.
*Alij tituli Cambij assignantur.* ibid. n.80.
*Cambium mixtum quando licitum.* ibid. n.81.
*Recambia quadruplicia proponuntur & examinantur.* p.429. n.82. *& seqq.*
*De Cambio Besuntino seu Placentino.* ibid. n.84.
*Constitutio Pij V. de Cambijs, an usu recepta.* ibid. n.86.
*In ea damnantur Cambia sicca tamquam usuraria.* ibid.
*Quæ conditiones in ea præfigantur Cambijs realibus.* ibid.

Canonicus.

*Canonicus tenetur ad residentiam.* p.488.n.49.
*Quanto tempore abesse possit.* ibid.
*Canonici à residentia excusantur, qui sunt in obsequio Episcopi vel Papæ, vel debitam præsentiam habent.* ibid. n.50.
*Item docentes Theologiam vel jus canonicum.* ibid.
*Quos fructus hi percipiant.* p. 489. n. 51.
*Non lucrantur quotidianas distributiones.* ibid.
*Exceptis quibusdam casibus.* ibid.n.52.
*Quid requiratur ad lucrandas distributiones.* ibid. n.53.
*An prius perceptæ debeant reddi victori litis.* ibid. n. 54.
*An duplicis gaudens officio lucretur duplices.* ibid. n. 55.

Canonizatio.

*Canonizatio fieri posset non declarans præsentem gloriæ cælestis statum.* p. 134. n. 99.
*Immo regulariter est hujusmodi in Ecclesia juxta* Sinnich. ibid.n. 100.
*Quæ doctrina tolerari nequit velut contraria communi sensui Doctorum & Fidelium.* p.135. n. 101.
*Item orationibus publicis Ecclesiæ.* ibid.n.102.
*Et apertè Bullis ipsis Canonizationis.* ibid. n. 103.
*Notandum circa* Joannem XXII. ibid. n. 104.
*In Canonizatione præsentem gloriam cælestem declarari concluditur stylo consueto Ecclesiæ.* p. 136. n. 106.
*Quod apertè confirmat Bulla* Gregorij XV. *de* B. Petro Alcantara. ibid.
*Vide* Miracul.

Capitulum.

*Capitulum sedevacante quæ beneficia possit conferre.* p.483. n.23

Casu.

*Carnium comestio die veneris, an & quando licere possit inter hæreticos.* p. 166. n. 50.
*Carnis humanæ manducatio cur illicita.* p. 269. on. 47.
*Qualiter liceat ejus usus ad medicinas.* ibid.
*An in extrema necessitate fas sit aut debitum comedere carnem humanam.* ibid. n. 48.

Castitas.

*Quid Castitas.* p. 262. n. 7.
*An distinguatur à pudicitia.* ibid.
*Castitas alia perfecta, alia imperfecta seu conjugalis.* ibid. n. 9
*Perfecta alia vidualis, alia virginalis.* p. 263 n. 10.

Castitas Religiosa.

*Religiosus & voti castitatis tenetur abstinere ab omni actu externo vel interno contra castitatem.* p.537. n. 67.
*Ac in Franciscanis insuper vitandi suspecta consortia.* ibid. n. 68.
*Et quæ sint talia.* ibid.
*Ad quid obligat votum simplex castitatis extra Religionem.* ibid. n. 69.
*Non licet ex emisso contrahere matrimonium animo ingrediendi religionem.* ibid.
*Vide* Votum.

Castratio.

*Castratio non licet ad vitandas vel superandas carnis tentationes.* p.327. n. 14.
*Factum Origenis improbatur.* ibid.
*Concupiscentia inde non mitigatur.* ibid.
*Nullatenus licita est castratio ad retinendam vocis suavitatem.* ibid. n. 16.

Castrensia bona.

*Quænam bona Castrensia, & qualiter sint filiorum familias.* p.300. n. 87.
*Quænam quasi castrensia.* ibid. n. 88.
*Filij familias de bonis castrensibus & quasi castrensibus contrahere possunt.* p. 391. n. 53.
*In bonis castrensibus vel quasi castrensibus non dependent minores à suis curatoribus.* p. 394. n. 70.

Census.

*Potissima vocis, Census, acceptio.* p. 443. n. 67.
*Quid contractus censualis.* ibid.
*Census alius reservativus, alius consignativus.* ibid. n. 68.
*Hic alius personalis, alius realis, alius mixtus.* ibidem.
*Item alius fructuarius, alius pecuniarius: alius certus, alius incertus, perpetuus & temporalis, ac vitalitius.* p. 444. n. 69.
*Emptio censûs realis etiam consignativi est licita.* ibid. n. 70.
*Occurritur objectioni.* ibid. n. 71.

Condi-

*Conditiones requisitæ.* ibid. n.72.
*Census realis an pereat re pereunte.* ibid.
*Quid censendum de facto nihilominus solvendi pensionem.* ibid.
*An possit exigi hypotheca & quia ea operetur.* ibid. n.73.
*Requiritur justum pretium, & quodnam sit tale.* ibid. n.74.
*An vel quæ conditiones sint requisitæ à* Martino V. *&* Calisto III. p.445.n.75.
*Quo sensu* Pius V. *contractus non servatis conditionibus à se requisitis decernat usurarios.* ibid.
*Conditiones hæ recensentur.* ibid. n.76.
*Non sunt omnes juris naturæ.* ibid. n.77.
*De quibus censibus* Bulla Pij V. *agat.* ibid.
*An obliget extra dictionem Papalem & ubi usu recepta.* ibid.
*Census personales an liciti seclusâ Bullâ prafatâ.* ibid. n.78.
*An eorum obligatio transeat ad hæredes.* p.446. n.79.
*An & qui accedere ei possit hypothecaria.* ibid.
*De censibus mixtis.* ibid.
*Census irredimibiles vetiti jure positivo, & liciti jure naturæ.* ibid. n.80.
*Census utrimque redimibiles an liciti.* ibid. n.81.
*An liceat pactum de non redimendo nisi eâdem monetâ.* ibid. n.82.
*Quid statutum in Belgio.* ibid.
*An possit census constitui ex mercibus.* ibidem n.83.
*An ex pecunia debita.* ibid.
*Vel etiam credita.* p.447.n.84.
*Ad quid teneatur emptor census infra justum pretium.* ibid. n.85.
*Census vitalitii an sint liciti.* ibid. n.86.

Cessio Bonorum.

*Quid sit cessio bonorum.* p.380.n.141.
*An vel qui excusetur à restitutione.* *Vide* Causæ excusantes à restitutione.

Charitas.

*Quid significet charitas.* p.201. n.1.
*Charitas supernaturalis describitur* ibid.
*Ipsum esse Spiritum sanctum sensit Magister loquens de actuali dilectionis principio.* ibid. n.2.
*Quidquid secùs ipsam explicet* Arriaga. ibid.
*Charitas est donum animæ inhærens.* ibid. n.3.
*Probatur ex Tridentino.* ibid.
*Scripturis.* ibid.
*& ratione.* p.202. n.4.
*Quo sensu dicatur Deus esse charitas.* ibid. n.5.
*Exponitur* Augustinus. ibid.
*Potuisset dilectio Dei semper produci ab ipso sine interventu habitus infusi.* ibid. n.6.
*Et interdum de facto ita producitur.* ibid.
*Charitas est virtus supernaturalis à ceteris distincta ejus eminentior.* ibid. n.7.
*Nec non vera hominis cum Deo amicitia.* ib. n.8.
*Non obstante eo quod Deus omnia ad se referat, nec sit inter ipsum & homines æqualitas.* ibid. n.9.
*Declaratur id ipsum applicando conditiones amicitiæ solitas assignari.* ibid. n.10.
*Infantes gratia præditi qui sint amici Dei.* p. 203. n.11.
*Charitas potest augeri.* ibid. n.12.
*Physicè à Deo, meritoriè & instrumentaliter unde.* ibid.
*Augmentum charitatis habitualis est intensivum, non extensivum.* ibid. n.13.
*Est ejus locus augmento quamdiu status hujus vitæ perseverat.* ibid. n.14.
*Occurritur objectioni.* ibid.
*Explicatur dictum* Augustini. ibid.
*An in augmento charitatis detur gradus.* p.204. n. 14.
*Quo sensu charitas distinguatur in incipientem, proficientem & perfectam.* ibid. n.15.
*Charitatem intrinsecè minui, non implicat.* ibid. n. 16.
*De facto tamen numquam minuitur etiam per venialia.* ibid.
*Evasioni Altisiodorensis occurritur.* ibid. n.17.
*Aliud effugium præcluditur.* ibid.
*Qui venialia minuant fervorem charitatis & familiaritatem divinæ amicitiæ.* ibid. n.19.
*Charitas semel habita potest amitti.* p.205.n.20.
*Auctoritates nonnullæ discutiuntur seu exponuntur.* ibid. n.21.
*Amissam semel non omnes recuperant.* ib. n.22.
*Amittitur non solâ infidelitate sed quovis peccato mortali.* ibid. n.23.
*Demeritoriè tantum.* ibid.
*Idem habitus charitatis in via & patria.* p.206. n. 24.
*Actus tamen differunt specie.* ibid. n.25.
*Habitualis charitas non est in Beato necessariò intensior quam in viatore.* ibid. n.26.
*Sive eodem.* ibid.
*Sive in diversis.* ibid. n.27.
*Quo sensu minor in regno cælorum sit major Joanne Baptista viatore.* ibid. n.28.
*Charitas actualis patriæ est intensior in eodem charitate viæ.* p.207. n.29.
*Non ita in diversis.* ibid. n.30.

Charitatis objectum.

*Deus est objectum primarium charitatis.* p.207. n. 31.
*Secundarium proximus.* ibid. n.32.
*Quinam hoc nomine intelligantur.* p.207.n.33.
*Formale motivum infinita Dei bonitas.* ib.n.34.
*Sive adæquatè spectetur.* p.208.n.35.
*Sive inadæquatè in singulis perfectionibus infinitis.* ibid. n.36.
*Qui perfectiones respectum ad extra dicentes sint motivum charitatis.* ibid. n.37.
*Identitas non obstat quin perfectiones seorsim ut̀ considerantur sic amentur.* ibid. n.38.
*An vel qua ratione diligatur Deus ob beneficia collata.* ibid. n.39.
*Qui per charitatem desideremus juxta* Augustinum *Dei faciem.* ibid. n.40.
*Eadem simplex charitas elicit amorem Dei & proximi propter Deum.* p.209.n.41.
*Variis objectionibus occurritur.* ibid.
*Diversi, quibus id contingit, modi specificantur.* ibid. n.42.& 43.

*Dilectio proximi ob ſtam intrinſecum perfectionem, etſi ſupernaturalem, eſt actus amicitiæ moralis.* ibid. n. 44.

Præceptum Charitatis Dei.

*Quænam contineantur præcepto diligendi Deum.* p. 209. n. 45.

*Specialiter an actus interior dilectionis Dei ſuper omnia.* p. 210. n. 46.

*Occurritur objectionibus.* ibid. n. 47.

*Deum ſuper omnia intenſivè diligendum vi præcepti nonnulli negarunt.* ibid. n. 48.

*Communis tamen doctrina aſſerens ſufficere dilectionem ſuper omnia appretiativè probatur.* ib.

*Idipſum amplius confirmatur.* ibid. n. 49.

*Major appretiatio qui ſtet cum minori intenſione.* p. 211. n. 50.

*Hujuſmodi dilectio Dei etiam ſupra nos ipſos eſt juxta inclinationem naturalem.* ibid. n. 51.

*Poteſt hoc præceptum in vita impleri,* ibid. n. 52.

*Explicantur quædam dicta* Auguſtini. ibid.

*An ſatisfiat huic præcepto per actum naturalem* ibid. n. 53.

*Quandonam obliget incertum eſt, variæq; de hoc opiniones.* ibid. n. 54. & ſeq.

*Judicium de ſingulis.* ibid. n. 56.

*Notanda.* p. 212. n. 57.

Proximi.

*Præceptum dilectionis proximi concernit etiam inimicos.* ibid. n. 58.

*An odium inimicorum in lege veteri præceptum aut permiſſum fuerit.* ibid. n. 59.

*In ſcriptura quo ſenſu mala peccatoribus imprecentur Sancti.* ibid. n. 60.

*Tria continentur præcepto dilectionis proximi.* p. 213. n. 61.

*An præcipiatur interna & formalis dilectio proximi.* ibid. n. 62.

*Probatur quod non & confirmatur.* ibid.

*Differentia inter Deum & proximum quantum ad hoc.* ibid. n. 63.

*Sufficit dilectio implicita in dilectione Dei ſuper omnia contenta.* ibid. n. 64.

*Ulterior confirmatio præmiſſorum.* ibid. n. 65.

*Ad quid obliget dilectio inimicorum.* ibid. n. 66.

*Qualiter ſit eis remittenda offenſa.* ibid.

*An remittenda ſit ſatisfactio pro injuria vel damno.* p. 216. n. 67.

*Illicitum eſt practicè ſeu ordinariè loquendo excludere inimicum à beneficiis communibus.* ib. n. 68.

*Quid cenſendum ſi odium & ſcandalum abſit.* ibid. n. 69.

*Quando excluſio prædicta ſit licita.* ibid.

*Signa ſpecialis benevolentiæ an vel quando inimicis exhibenda.* ibid. n. 70.

*Dilectio amici & dilectio inimici in nonnullis invicem excedunt.* ibid. n. 71.

*Ordinariè tamen & ceteris paribus dilectio inimici eſt melior & magis meritoria.* p. 217. n. 72.

*Probatur ex ſcriptura.* ibid.

*Patribus & ratione.* ibid. n. 73.

*Quo ſenſu Chriſtus dicat nõ eſſe majorem dilectionẽ quam ſubire mortem pro amicis.* ibid. n. 74.

*Ex eo quod pejus ſit odiſſe amicum non ſequitur amorem oppoſitum eſſe meliorem amore inimici.* ibid. n. 75.

Charitatis Ordo.

*Ordo charitatis poſt Deum incipit à nobis ipſis.* p. 217. n. 76.

*In bonis neceſſariis obligamur nos præferre proximo.* p. 216. n. 77.

*Sic nec ne minimum veniale pro ſalute proximi poſſimus committere.* ibid. n. 78.

*Neceſſitas tamen proximi poſſet interdum abſtergere malitiam.* ibid.

*Charitas ſemper magis inclinat ad id quod hic & nunc magis obligat.* ibid. n. 79.

*Ex charitate nequit eligi abſolutè carentia gratiæ aut gloriæ.* ibid. n. 80.

*Proponitur difficultas ſolita de Moyſe & Paulo.* ibid. n. 81.

*Quid Moyſes petierit.* ibid.

*Quid Apoſtolus cupiens eſſe anathema à Chriſto.* ibid. n. 82.

*Dilatio Beatitudinis poteſt ex charitate interdum appeti.* ibid. n. 83.

*In ſpiritualibus non obligatoriis charitas inclinat, non neceſſe nos præferri proximo.* ibid. n. 84.

*Regula generalis.* p. 217. n. 84.

*In corporalibus bonum commune præferendum privato, pari neceſſitate exiſtente.* ibid. n. 85.

*In iis, quæ non tenemur conſervare, quin poſſit præferri proximus.* ibid.

*Vitam propriam pro aliena exponere, an licitum.* ibid. n. 86.

*Sententia negans proponitur.* ibid.

*Variæ probationes examinantur.* ibid. n. 87.

*In quarum inſufficientia fundatur ſententia affirmans.* ibid. n. 88.

*Inhærendo ſententiæ neganti, ſolùm eſſe culpam venialem, vel concurrente aliquâ causâ nullam, non malè ſentit* Suarez. ibid. n. 89.

*Immo ſanctè vitæ exponitur concurrente altiori motivo.* p. 218. n. 90.

*Quod variis exemplis declaratur.* ibid.

*In non neceſſariis bonum ſpirituale alienum poſſe poni poteſt pro rio temporali.* ibid. n. 91.

*Neceſſitas ſpiritualis, alia extrema, alia gravis, alia levis.* ibid.

*Salus proximi præponenda bonis corporalibus etiã vitæ propriæ.* ibid. n. 92.

*Saltem in extrema neceſſitate.* ibid. n. 93.

*Qualiter de ea conſtare debeat.* ibid.

*Corollaria.* ibid. n. 94.

*Variis caſus recenſeri ſoliti non continent extremam neceſſitatem.* ibid.

*Extra caſum extremæ neceſſitatis non currit tanta obligatio in privatis.* ibid. n. 95.

*Currit tamen in Prælatis ſeu obligatis ex officio, etſi ſit ſolum gravis neceſſitas.* ibid. n. 96.

*Qui in illis non poſſunt renuntiare officio.* p. 219 n. 96.

*Quid cenſendum etiam de privatis in gravi neceſſitate communitatis.* ibid. n. 97.

*Ad quid teneatur privatus in gravi neceſſitate ſpirituali proximi.* ibid. n. 98.

*Inter proximos eſſe ſervandum ordinem dilectionis oſtenditur.* ibid. n. 99.

*Quod non ſolum de effectu, ſed etiã de affectu quoad appretiationem intelligendum eſt.* ib. n. 100.

Expli-

*Explicantur quædam locutiones* AUGUSTINI. ib.
*Variè conjunctiones proximi nobiscum.* ib. n. 101.
*Conjunctior ceteris paribus in necessitate præferendus.* p. 220. n. 101.
*Quis sit ordo seu præferentia inter propinquos.* ibid. n. 102.
*Inversio ordinis in quibus non gravis.* ibid.
*De præferentia patris præ matre.* ibid. n. 103.
*Parentum præ prolibus & harum præ uxore.* ibid. n. 102.
*Inter extraneos qui præferendi.* ibid. n. 105.
*An consanguineo cujusvis gradus possit interdum præferri extraneus.* ibid. n. 106.
*Conjunctio naturalis ceteris regulariter prævalet.* ib.
*An vel quo sensu sint magis diligendi meliores.* ibid. n. 107.
*An in Patria manebit ordo charitatis.* p. 221. n. 108.

Charitatis effectus.

*Charitatis effectus sunt gaudium, pax, misericordia, beneficentia, eleemosyna & correptio fraterna.* p. 221. n. 1.
*Quid gaudium.* ibid.
*Quid pax & quotuplex.* ibid. n. 2.
*Pax impii fucata.* ibid.
*Qui charitas pacem generet.* p. 222. n. 3.
*Non est perfecta in hac vita.* ibid.
*Cur non semper generet pacem cum proximo.* ib.
*Misericordia unde sic dicta.* ibid. n. 4.
*Vide* Misericordia.
*Beneficentia describitur.* p. 223. n. 12.
*Vide* Beneficentia.
*Correptio fraterna quid.* p. 232. n. 63.
*Vide* Correptio fraterna.

Christianus.

*Christiani bello capti an possint subdi captivitati.* p. 252. n. 89.
*Inter Christianos utrimque servitus an detur.* p. 382. n. 100.

Christus.

*Christus sit & manet supremum caput Ecclesiæ.* p. 111. n. 1.
*Reliquit visibile caput Vicarium, sed unicum, nec supervacaneè.* p. 112. n. 1.
*Christus fundamentum singulare Ecclesiæ multis titulis.* ibid. n. 6.
*Christo quo tempore an cœperit orare.* p. 501. n. 21.

Clementia.

*Quid Clementia.* p. 278. n. 101.
*Quæ vitia ei opposita.* ibid.

Clericus.

*Inhibitum est Clericis militare.* p. 250. n. 75.
*Congruentia quæ prohibitionis.* ibid.
*Specificantur Clericis interdicta aut licita in bello.* ibid. n. 76.
*De quibus Clericis Canones loquantur, aut intelligantur.* p. 251. n. 77.
*Clerici simul Principes possunt bellum indicere, & per alios gerere.* ibid. n. 78.
*Clerici sunt absoluti & liberi domini bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium.* p. 305. n. 119.
*Penes quos sit dominium immobilium, & supellectilis Ecclesiæ.* ibid. n. 120.
*Clerici sunt domini fructuum beneficii etiam quoad superflua sustentationis.* ibid. n. 121.
*Vulgata quædam probatio expenditur.* p. 306. n. 123.
*Aliter probatur.* ibid. n. 124. & seqq.
*Nil juris competit, etiamsi olim, pauperibus in proventus Ecclesiasticos.* ibid. n. 126.
*An sit Clericis interdictum testari de bonis Ecclesiasticis.* ibid. n. 127.
*Quo sensu vocentur patrimonium Christi & res pauperum &c.* ibid. n. 128.
*Non expendens superflua in pias causas restituere non tenetur.* ibid. n. 129.
*Esto graviter peccet.* ibid. n. 130.
*De subtractis congruæ sustentationi quid censendum.* p. 307. n. 131.
*Justa sustentatio qualiter taxanda.* ibid. n. 132.
*Quæ censeatur hic materia notabilis.* ibid. n. 133.
*Considerandæ in pia expensione superfluorum.* ib. n. 134.
*An hæc obligatio oriatur ex natura rei, an verò ex ordinatione Ecclesiæ.* ibid. n. 135.
*Venatio quæ Clericis interdicta.* p. 308. n. 140.
*Clericis qualiter interdicta negotiatio* p. 432. n. 12.
*Quæ actiones affines sint eisdem permissæ aut interdictæ.* ibid. n. 13.
*An possint negotiari per alios.* ibid.
*Clericis qualiter per Canones prohibitus ludus alearum.* p. 464. n. 62.
*Ad condemnationem Clerici quot testes requirantur.* p. 473. n. 43.
*Clerici an exempti à tributis.* p. 496. n. 83.
*Clerici sacrorum ordinum obligantur ad horas Canonicas.* p. 503. n. 3.
*Secùs de Clericis Minorum Ordinum etiam quoad officium* B. MARIÆ. ibid.
*Clerici an gaudeant immunitate Ecclesiastica.* p. 515. n. 42.
*Clericis an inhibitum Juramentum.* p. 545. n. 10.

Codicillus.

*Codicillus quid differat à testamento.* p. 406. n. 45.
*Clausula codicillaris quid operetur.* ibid.
*Codicilli, an comprehendantur Edicto Belgii quoad solemnitates in testamentis requisitas.* p. 407. n. 52.
*Codicilli usurariorum manifestorum sunt invalidi.* p. 424. n. 54.

Collatio. Collator.

*Quid collatio beneficii.* p. 482. n. 18.
*Collatio beneficiorum penes quos residеat.* p. 483. n. 23.
*Collator tenetur idoneo conferre.* ibid. n. 25.
*Magis digni, an præferendi.* ibid. n. 26.
*Gravissima Tridentini verba contra conferentes indignis.* p. 484. n. 26.
*Vide* Beneficium.
*Collator potest & debet conferre beneficium minus digno, relicto digniori, patrono illum præsentante.* p. 485. n. 30.
*In periculo ne introducatur indignus, & dignissimus adjuvari nequeat, an possit conferri minus digno.* ibid. n. 31.

Columba Columbaria.

*Columbas alterius ad tuum columbarium illecebris strictis allicere, illicitum.* p. 308. n. 144.
*An & qualiter licita sint columbaria.* ibid.

Comessatio.

*Comessatio quale peccatum.* p.269. n.50.
*Vide* Gula.

Commodatum.

*Quid Commodatum.* p.459. n.33.
*Qualiter in eo determinetur tempus.* ibid.
*Qui differat à locatione, mutuo & precario.* p. 460 n.34. & 35.
*Commodatis tempus quando expiret.* ibid.
*A commodatario & commodante qua servanda.* ibid. n.37.
*Commodans an rem repetere possit in casu subitæ indigentiæ.* ibid.

Commutatio.

*Commutatio quæ differat à mutuo.* p.414. n.4.
*Quid Commutatio Voti.* p.525. n.45.
*Vide* Votum.
*Commutatio juramenti qualiter fiat.* p.549. n.41.

Compensatio.

*Occulta compensatio quæ valida, quæ illicita.* p. 358. n.20.
*Qui licita.* ibid. n.21.
*Cautela.* ibid.
*An rem suam per vim recuperare liceat.* ibid. n. 22.
*Compensatio liquidi debiti, qui excusat à restitutione.* p.376. n.117.
*In quibus debitis locum habeat.* ibid.
*Compensatio est alia quæ dicitur debiti recuperatio.* ibid. n.118.
*Hæc quando liceat.* ibid.
*Compensatio authoritate propriâ famulis de insufficientia stipendii querentibus vix illis permittenda.* ibid.

Concilia.

*Quid sint Concilia Ecclesiastica, & quotuplicia.* p.98. n.114. & seq.
*Quorum sit indicere & præsidere.* ibid.
*Quoad Concilia generalia id competere Pontifici Romano, variè ostenditur.* ibid. n.116. & seqq.
*Cur Pontifices hac in re agnoscere soliti sint Imperatores.* p.101. n.127.
*An aliquo casu possit congregari generale Concilium sine authoritate Papæ.* ibid. n.128.
*Quid si in necessitate non sit Papa Concilium generale congregare.* ibid. n.129.
*Ad Synodum generalem non debent convenire omnes fideles, neque laici ut judices, neque de facto adesse omnes Episcopi.* ibid. n.130.
*Quæ sint requisita ut Ecclesiam universalem repræsentet.* ibid.
*Convocandi primariò Episcopi, qui sunt in Concilio judices cum decisivo suffragio.* ibid. n.131.
*An Pontifex teneatur majorem partem sequi.* p.102. n.132.
*Pontificis est Concilia confirmare.* ibid.
*Jus suffragii potest Papa tribuere non Episcopis.* ibid. n.133.
*Eo gaudent Cardinales & Generales ordinum.* ibidem.
*An sit Laicis absolutè communicabile.* ibid. p. 134.
*Imperatores non subscripserunt ut judices.* ibid.
*Causa convocandi Generalia Concilia.* p. 102. n. 135.
*Non probant absolutam necessitatem sed utilitatem.* ibid. n.136.
*Aliquorum tamen Conciliorum est necessitas.* ib.
*Particularia sine approbatione Pontificis possunt errare.* ibid. n.137.
*Secùs si sint ab eo approbata.* p.103. n.137.
*Quanam illa sint.* ibid. n.138.
*Concilia generalia à Pontifice approbata qui sint infallibilis regula fidei.* ibid. n.139.
*Probatur id variè.* ibid. & seqq.
*Concilia plenaria priora, quæ juxta* AUGUSTINUM *emendentur posteriorsbus.* p.104 n.145.
*Alius* AUGUSTINI *locus exponitur.* ibid. n.146.
NAZIANZENUM *non esse adversarium sed patronum generalium Conciliorum legitimorum, ostenditur.* ibid. n.147.
*An Concilium generale sit infallibile ante confirmationem Pontificis si Legati instructionem certam & habeant, & sequantur.* ibid. n.148.
*Quid si eam non sequantur, aut contra eos Concilium malignetur.* p.105. n.149.
*Quid denique si Legati instructione careant, & Patres sincerè procedant.* ibid. n.150.
*Opinio affirmans infallibilitatem proponitur.* ibid.
*Opinio negans præfertur.* ibid. n.151.
*Quæ origo Conciliorum.* ibid. n.152.
*Varia nonnulli recensent Apostolorum Concilia.* ibid.
*Concilium generale auctoritatem suam habere immediatè à Christo, olim quidam dixerunt.* ibid. n. 153.
*Quod refellitur.* p.106. n.153.
*Concilium generale esse supra Papam quidam olim docuerunt, eademq; decrevit Concilium Constantiense & Basilense.* ibid. n.154.
*Oppositum est certum: quod expressè Concilium Lateranense ultimum.* ibid. n.155.
*Colligitur ex Scriptura, modo loquendi Conciliorum, doctorq; celeberrimos.* Prima Sedes à nemine judicatur. ibid. & seq.
*Robur Conciliorum à Pontifice.* ibid. n.157. & seq.
*Concilia generalia Orientis recensentur.* p.107. n. 159.
*Concilia generalia Occidentis enumerantur.* ibid. n. 160.
*Concilia generalia reprobata.* p.108. n.161.
*Quid censendum de Concilio Ariminensi.* ibid. n. 162.
*Concilia partim approbata, partim reprobata.* ibid. n.163.
*An hujusmodi sit Sardicense.* p.109. n.163.
*Quid censendum de Synodo Sirmiensi.* ib. n.164.
*Quid de Concilio Quinisexto in Trullano.* ibid. n. 165.
*Quid de Francfordiensi, Constantiensi & Basileensi.* ibid. n.166.
*Concilium Pisanum nec apertè probatum, nec clarè reprobatum.* ibid. n.167.

*Quæ additio aut mutatio in fide Concilii Nicæni sit inhibita.* p. 111. n. 174.
*Quæ in Conciliis censeantur esse fidei.* p. 132. n. 88.
*Concilium Constantiense non infregit fidem datam Joanni Hus & Hieronymo Pragensi.* p. 177. n. 53.

Concubinatus.

*Concubinatus quid superaddat simplici fornicationi.* p. 265. n. 24.
*Quæ pœna illius.* ibid.

Conditio.

*Conditio de futuro suspendit valorem contractus.* p. 385. n. 13.
*Vide* Contractus.
*Conditio impossibilis vitiat contractum inter vivos.* ibid. n. 15.
*Conditio apposita contractui Emptionis-venditionis, quid operetur.* p. 430. n. 4.

Condonatio.

*Condonatio injuriæ seu pacificatio an contineat condonationem damnorum.* p. 337. n. 74.
*Condonatio plena læsi quid operetur.* ibid. n. 75.
*Condonatione qualiter tollatur obligatio juramenti.* p. 549. n. 39.

Conductio. Conductor.

*Conductor de jure an sit potior emptore.* p. 450. n. 5.
*Conductione inita per defunctum, an teneatur heres.* p. 451. n. 9.
*A conductione villæ vidua post annum depellitur.* ibid.
*Conductor elapso tempore nequit cogi aut cogere ad prorogationem.* p. 452. n. 12.
*Conductore finito tempore manente in re conducta cum tolerantia, censetur iterata conductio.* ibid.
*Pro quanto tempore.* ibid.
*Conductori quando facienda pensionis remissio.* ibid. n. 13.
*Qui ratione sterilitatis.* ibid.
*An remissio locum habeat in colono partiario.* ib.
*An damnum evenire debeat fructibus adhuc pendentibus.* ibid. n. 16.
*An pensio augenda ob insolitam uberatem.* p. 453. n. 17.

Conjux.

*Donatio inter conjuges qualiter valeat aut non valeat.* p. 405. n. 35.
*Conjuges liberè testantur etiam junctim.* p. 410. n. 64.
*Varius locis hæc potestas restricta.* ibid.
*Observanda circa testamenta conjugum simul facta.* p. 412. n. 78.
*Conjuges confitentes in matrimonio sine mutuo cõsensu invalidè profitentur.* p. 530. n. 13.

Consensus. Consentiens.

*Consensus verus internus requiritur ad valorem contractus.* p. 386. n. 23.
*Vide* Contractus.
*Consentientes in furtum quomodo peccent ac teneantur ad damna præstanda.* p. 364. n. 50.
*Vide* Furtum.

Constantia.

*Quid Constantia.* p. 283. n. 18.
*Quæ ejus materia.* ibid.
*Quæ vitia opposita.* ibid.

Consuetudo.

*Consuetudo jurandi quale peccatum.* p. 546. n. 15.
*Item quale sit consuetudo blasphemandi.* p. 559. n. 19.
*Consuetudines Belgij, vide* Belgium.

Consulens.

*Consulens quomodo teneatur ad restitutionem.* p. 362. n. 42.
*Consilio revocato quando teneatur, & quando non.* ibid.
*Differentia inter mandantem & consulentem.* ibid.
*An certus de damno, dubius an consilium datum affluxerit, ad restitutionem teneatur.* ibid. n. 43.
*Non requiritur generatim ut consulens sit causa sine qua non damni.* p. 363. n. 44.
*Vide* Furtum.
*An liceat Reo consulere fugam.* p. 476. n. 60.

Contentio.

*Quid contentio, quotuplex, an, & qualiter peccaminosa.* p. 243. n. 29.

Continentia.

*Quid continentia.* p. 262. n. 8.
*Non rectè numeratur inter partes potentiales temperantiæ.* ibid.

Contractus.

*Quid contractus latè dictus.* p. 383. n. 1.
*Quid strictè dictus.* ibid. n. 2.
*Ejusdem uberior definitio explicatur.* ibid. n. 3.
*Quid Contractus explicitus, quid implicitus seu quasi contractus.* p. 384. n. 5.
*Divisio Contractus in nominatum & innominatum.* ibid. n. 7.
*Quid & quinam contractus bonæ fidei, & stricti juris.* ibid. n. 10.
*An moribus nostris sint omnes bonæ fidei.* p. 385. n. 11.
*Contractus alius absolutus, alius conditionatus.* ibid. n. 12.
*Differentia inter utrumque.* ibid.
*Conditio de futuro qui suspendat valorem.* ibid. n. 13.
*An ea pendente sit liberum resilire.* ibid. n. 14.
*Exceptio in matrimonio.* ibid.
*Conditio impossibilis an vitiet contractum.* ibid. n. 15.
*Modus Contractui qui adjiciatur.* ibid. n. 16.
*Eum non suspendit.* ibid.
*In dubio, an sit censendus modus, an conditio.* ibid.

*Donatum sub modo an transeat ad haredes.* ibid. n. 17.
*Contractus alii perficiuntur consensu.* ibid. n. 18.
*Alii re, alii verbis, puta stipulationes.* ibid.
*Alii denique Scripturâ.* p. 386. n. 18.
*Quando contrahentes censeantur suspendere consensum usque ad scripturæ confectionem.* ibid. n. 19.
*Notanda pro Belgis.* ibid. n. 20.
*Contractus alius onerosus, alius grativus.* ibid. n. 21.
*Alius respectivus, alius non respectivus.* ibid.
*Stat Contractus cum voluntate non implendi, si adsit voluntas se obligandi.* ibid. n. 22.
*Quid si ex ignorantia sit voluntas contrahendi, & tamen non se obligandi.* ibid.
*Quid contractus mutui.* p. 399. n. 1.
*Vide* Mutuum.
*Contractus quibus pecunia pupillares dantur mutuo sunt usurarii.* p. 421. n. 39.
*Contractus emptionis-venditionis perficitur consensu.* p. 430. n. 2.
*Qualis esse debeat.* ibid. n. 4.
*Vide* Venditio.
*Contractus societatis quid sit.* p. 447. n. 87.
*Contractus libellaticus quid sit.* p. 453. n. 20.
*Quid superficiarius.* ibid.
*Quid contractus censualis.* p. 458. n. 21.
*Qualis contractus sit assecuratio.* p. 461. n. 45.
*Novitius an possit inire contractus oneroses.* p. 533. n. 34.

## Consensus requisitus.

*Consensus internus verus requiritur ad valorem.* ibid. n. 23.
*Occurritur objectioni.* ibid. n. 24.
*An per leges possit consensus supplere* p. 387. n. 25.
*Exterior expressio consensus qualiter requiratur.* ibid. n. 26.
*Qualiter dirigenda ad eum cum quo contrahitur.* ibid. n. 27.
*An acceptatio alterius debeat vicissim innotescere offerenti.* ibid. n. 28.
*Forma externa seu solemnitas juris quæ servanda.* ibid. n. 29.
*Si sit solemnitas substantialis, ejus defectus reddit contractum, etiam in conscientia, nullum.* p. 388. n. 30.
*Varii quomodo oppositum sentiant.* ibid. n. 31.
*Error alius est causa contractus, alius incidit in contractum.* ibid. n. 32.
*Error quiscumque circa substantiam irritat contractum.* ibid. n. 33.
*Secus est de errore circa qualitatem.* ibid. n. 34.
*Dolus circa qualitatem dans causam contractui, non irritat illum ex natura rei.* ibid. n. 35.
*Quædam limitatio.* ibid.
*Facit tamen dolus irritabilem, si sit solubilis.* ibid. n. 36.
*Immo etiam jure positivo non sunt irriti ipso facto contractus stricti juris.* p. 389. n. 37.
*Secus apparet probabiliter de contractibus bonæ fidei.* ibid.
*Quamvis & hos non esse plane irritos sit valdè probabile.* ibid. n. 38.
*Probatur ex jure & congruentia.* ibid. n. 39.
*Quæ responderi possit ad legem oppositas.* ibid. n. 40.
*Si deceptus quis fuerit à se vel a tertio, contractus valet.* ibid. n. 41.
*An irritabilis si gratuitus.* ibid.
*An etiam si oneroſus.* ibid. n. 42.
*Opinio negans valdè probabilis.* ibid.
*Opposita nihilominus non improbabilis.* ibid. n. 43.
*Metus, quicumque non irritat regulariter contractus ex jure naturæ.* p. 390. n. 44.
*Jure positivo varii contractus irritantur.* ibid. n. 45.
*Ceteri non sunt irriti, sed irritabiles.* ibid. n. 46.
*Sive sint stricti juris, sive bonæ fidei.* ibid.
*Probatur ex jure, & occurritur objectionibus.* ibid. n. 47.
*Metus gravis etiam à tertio incussus causâ contractûs facit irritabilem.* ibid. n. 48.
*Vide* Metus.

## Contractûs Subjectum.

*Qui generatim ad contrahendum habiles.* p. 391. n. 52.
*Inhabiles qui carent usu rationis.* ibid.
*Quid de Religiosis.* ibid.
*Quid possint filiifamilias.* ibid. n. 53.
*Quid censendum de moribus ex jure communi.* ibid. n. 54.
*Quid attentis moribus nostris, qui declarantur.* p. 392. n. 55.
*Prodigus post interdictum ad obligationem contrahendam inhabilis.* ibid. n. 56.
*Vide* Prodigus.
*Qualiter possint contrahere minorennes.* p. 393. n. 61.
*Vide* Minor.
*Pubertati proximus alium sibi obligare potest non vicissim, nisi auctore tutore.* ibid. n. 64.
*Vide* Pubertas.
*Restitutio in integrum quanto tempore ea competat.* p. 394. n. 71.
*Quibus præterea detur beneficium restitutionis.* p. 395. n. 78.

## Confirmatio Contractûs.

*Modi firmantes contractus.* p. 396. n. 79.
*Juste imponitur resilienti aut non implenti contractum pœna conventionalis.* ibid.
*Conditiones servandæ.* ibid. n. 80.
*An debita ante sententiam.* ibid.
*Qualiter contractus perfecto apponi possit arrha.* ibid. n. 81.
*Vide* Arrha.
*Quæ concipienda, & circa quos contractus fides fiat.* ibid. n. 83.
*Vide* Fide jussio.
*Juramentum ut firmet contractus debet esse permissorium.* p. 397. n. 91.
*Vis confirmandi contractus ei an competat, aliter quam ex beneficio legum.* ibid.
*Qui effectus hujus confirmationis.* p. 398. n. 92.
*An verè hæc vis competat.* ibid. n. 93.
*Prima opinio affirmans quoad contractus naturaliter*

liter validos negans quoad omnino nullos rejicitur. ibid.
Secunda generaliter negans valdè probabilis. ib. n. 94.
Occurritur objectioni. ibid. n.95.
Explicatur Auth. Sacramenta puberum. ibid. n. 96.
An ei derogatum per usum. ibid.
Signantur in Belgio. ibid.
Objiciuntur Canones. ibid. n.97.
Responsio seu opinio quorumdam. ibid.
Responsio aliorum. ibid.
Instantiæ occurruntur. p.399.n.98.
Tertia opinio affirmans est communior & valdè probabilis. ibid. n.99.
Quid circa eam observandum. ibid.
De ratificatione contractuum. ibid.

Contumelia.

Quid contumelia, p.343,n.12.
Quî differat à detractione. ibid.
Ceteris paribus est gravior detractione. ibid.
Contumelia in Sanctos, an sit blasphemia. p.559. n. 16.

Cooperans.

Quinam cooperantes ad furtum, & ad quid teneantur. p.365. n.58.
Vide Furtum.
Usurario cooperantes qui teneantur ad restitutionem. p.425.n.59.

Correptio fraterna.

Correptio fraterna cur sæpiùs correctio vocetur. p.232. n.63.
Quid ipsa sit. ibid.
Quî distinguatur à judiciali. ibid.
Cadit sub præceptum. ibid. n.64.
Probatur auctoritatibus & ratione. ibid. & n. 65.
Occurritur objectioni. ibid. n.66.
Correptio est actus charitatis. ibid. n.67.
Et ex virtute charitatis obligat sic ut ejus defectus sit propriè peccatum contra charitatem. ibid. n.68.
Quos obliget præceptum correptionis. ibid.n.69.
Ac etiam peccatores. p.233. n.69.
An ii sacerdotes speciatim obligentur à peccatis desistere, saltem si sint Prælati. ibid.
Corripiendi, quotquot correptione indigent, etiam superiores à subditis. ibid. n.70.
Quæ cautela ab inferioribus adhibenda. ibid n.71.
Etiam infideles sunt per se loquendo corripiendi vi præcepti. ibid.n.72.
Materia præcepti correptionis quâ graviter obligantis, sunt peccata mortalia. ibid.n.73.
Venialium correptio non graviter obligat. ibid.
Immo juxta plurimos simpliciter non obligat. ibid. n.74.
Judicium Auctoris. ibid.
Cur Christus solum meminerit peccati à fratre commissi contra ipsum corripientem. p. 234. n. 75.
An correptio respiciat propriè peccata præterita, an verò futura. ibid. n.76
Peccantes ex ignorantia, an vel qui corripiendi. ibid. n.77.
Prima conditio requisita ut correptio obliget est notitia sufficiens delicti. ibid.n.78.
Cura inquisitionis facilè nimia in privatis. p. 235. n.78.
Secunda conditio, ut mea correptio proximo supponatur esse necessaria. ibid.n.79.
Tertia, ut sit spes fructûs. ibid. n.80.
Quid agendum in mortis discrimine, si cum dubia spe fructus pungatur majus deteriorationis periculum. ibid.n.81.
Qui facilè & frequenter excusentur ab obligatione corripiendi. ibid. n.82.
Qualiter excuset periculum gravis damni. ibid. n. 83.
Correptio sit charitativa, opportuna, & in peccatis secretis secreta; in publicis publica. ibid. n.84. & seqq.
Cautela quædam. ibid.
Ordo à Christo pro peccatis occultis præscriptus exigit, ut primò secretè, dein coram testibus fiat monitio. ibid. n.88.
Quorsam hi adhibendi. ibid.n.89.
Post hæc denuntiatio facienda Ecclesiæ. ibid.n.90.
Christus solum declarat jus naturæ. ibid. n.91.
An vel cur Joseph accusaverit fratres sine monitione prævia. ibid.n.92.
Intentio Christi quî hic spectanda & servanda. p.237. n.93.
Quid agendum superiori, dum omissâ monitione secretâ, peccatum denuntiatur ei ut patri. ibid. n. 94.
An vel quando ad eum deferri possit loco adhibitionis testium. ibid.
Quî in peccatis perniciosis omittendus ordo præscriptus. ibid. n.95.
Vitiosa occultatio charitate pallitata redarguitur. ibid.
An excuset rationabilis cessio juris ad famam ab ordine correptionis. ibid.n.96.

Credere.

Credenda non debent constare ratione; immo captum rationis sæpe excedunt. p.38. n.25.
Explicatur illud Joan.20. Quia vidisti me Thoma credidisti. p.41.n.35.
An credi potuerit resurrectio oculari visu. ibid. n. 36.
Quî credere possit Philosophus existentiam Dei scientificè cognitam, varii variè explicant. ibid. n.37.
Alia explicatio hujus difficultatis. ibid. n.38.
An Philosophus Christianus certior sit ora gentili de existentia Dei. p.42. n.39.
An & qualiter articulos symboli sensibus perceptos crediderit Despara & Apostoli. p. 42. n. 40.
Simplices quando credere obligentur. p.47.n.61.
An eis aliquid falsi proponi queat, ita ut credere teneantur. ibid.
Quî differant credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. p.156. n.78.

Credi-

Credibilitas.

*Evidentia credibilitatis stat cum obscuritate mysteriorum.* p.45. n.51.
*Quæ in iisdem de facto reperiuntur.* ibid.
*Varia signa eam generant.* ibid.n.52.
*Evidentia credibilitatis relinquit inevidentiam rei creditæ.* p.46.n.49.
*Unde contingat illam à multis non admitti.* p. 47. n.59.
*Credibilitatis motiva non eadem, neque omnia in singulis concurrunt.* ibid. n.60.

Creditor.

*Ordo inter Creditores servandus, dum debitor non est solvendo.* p.370. n.85.
*Vide* Restitutionis Ordo.
*Creditor Principis an possit frandatione vectigalis sibi compensare.* p.496.n.81.

Credulitatis affectus.

*Credulitatis affectus specialem honestatem habet.* p.142. n.18.
*Non est in substantia supernaturalis, sed in modo.* ibid. n.19. & seq.
*Cujus oppositum malè impingitur* Scoto. ibid.

Crimen.

*Revelare crimen proximi uni vel alteri, an mortale.* p.545. n.23.
*Vide* Detractio.
*Crimen alterius sciens quando nequeat in judicio testari.* p.473. n.42.
*Quædam crimina sunt jure excepta in quibus locum non habet immunitas Ecclesiastica.* p. 517. n.49.
*Vide* Immunitas.

Criminis falsi impositio.

*Crimen falsum sibi imponere non est contra justitiam.* p.347.n.35.
*Quando licitum sit vel non.* ibid.
*An per se loquendo sit grave peccatum.* ibid.
*Ne ad evidendum mortem potest quis sibi falsum crimen imponere.* ibid. n.36.
*Etsi neque graviter peccat agendo.* ibid. n.37.
*Locus* Augustini *explicatur.* ibid.
*Ad evadenda levia tormenta graviter est illicitum imponere sibi crimen, ob quod est morte multandus.* ibid. n.38.
*Si gravissimi sunt tortura cruciatus varii excusant à culpa gravi.* ibid. n.39.
*Eorum fundamentum allegatur?* ibid.
*Opposita nihilominus sententia probatur.* ib.n.40.
*Confirmatur ex* S.Hieronymo. p.348.n.41.
*Objectioni satisfit.* ibid.n.42.& seq.
*An teneatur innocens falsam confessionem revocare.* ibid.n.44.

Criminis revelatio.

*Ad vitandam mortem licet pandere crimen proximi, etiam secreto cognitum, non obstante infamiâ.* p.348. n.45.
*Probatio* Lessij *discutitur.* ibid.
*Vera ratio.* ibid. n.46.
*Duplex limitatio.* p.349.n.47.
*Idem censendum, etsi reo infamando simile malum immineat.* ibid. n.48.
*An hæc locum habeant, si nova crimina sit injuriose exorta.* ibid. n.49.
*Sententia affirmans probatur.* ibid.
*Instantiæ in contrarium.* ibid.
*Sententia negans præfertur.* ibid.
*Regula* Cardinalis de Lugo *notanda.* ibid.n.50.
*Ad impediendum malum proximi qualiter licita sit detectio criminis alieni.* ibid.n.51.
*Si plus quàm necesse reveletur, contra charitatem delinquitur; immo & contra justitiam.* p.350. n.52.
*Objectioni respondetur.* ibid. n.53.
*Simulatio innocenti nociva licitè detegitur.* ibid. n.54.
*Corollaria.* ibid.
*Secùs si simulatio nemini noceat.* ibid.n.55.
*Pro obtinendo lucro non licet detegere crimen proximi.* ibid. n.56.

Crudelitas.

*Quid Crudelitas.* p.278.n.101.
*Quale sit peccatum.* ibid.
*Quî à feritate distincta.* ibid.

Culpa.

*Culpa quid.* p.320.n.18.
*Quid culpa lata.* ibid.
*Altera est aliâ latior.* ibid.
*In jure comparatur dolo.* ibid.
*Quid culpa levis.* ibid. n.19.
*Quid Levissima.* ibid.
*Exemplum singularum.* ibid.
*Culpa juridica quî differat à Theologica sive Philosophica.* ibid. n.20.
*Damnum ne ex culpa gravi juridica oriatur, cavere & natum præstare tenemur.* ibid.n.21.
*Non tamen in foro conscientiæ semper nulla subsit culpa Theologica seu Philosophica.* p.321. n.22.
*Ex Contractu quî nasci possit debitum præstandi culpam etiam levissimam.* p.322.n.29.
*Vide* Restitutio.

Cultus.

*Cultus est species quædam honoris.* p.497.n.1.
*Cultus Sanctorum, an ad virtutem Religionis spectet.* p.498. n.7.

Curator. Curatela.

*Invitis Curator an detur.* p.393. n.58.
*Qualiter moribus cautela desinat.* ibid. n.59.
*Inter tutores & curatores an hodie distinctio, vel quæ.* ibid. n.60.
*Minoribus etiam invitis per mores curator datur, etiam parens.* ibid.
*Curator an possit juramenta Minorum irritare.* p.549. n.39.

Curiositas.

*Quid curiositas & quale peccatum.* p.279.n.110.


Dam-

## D.

### Damnati.


IN Damnatis nulla manet virtus Theologica. p. 21. n. 78.
An vel quomodo virtutes acquisitæ. p. 23. n. 84.
Vitia manent in damnatis. p. 24. n. 92.
Vide Vitium.
Damnati retinent jus ad famam. p. 346. n. 34.
Damnatis an competat orare. p. 501. n. 22.
Pro damnatis orari non potest. ibid. n. 25.


### Damnificatio. Damnum.


Damnum casu ortum an quis præstare debeat. p. 320. n. 16.
Damnificatio deliberata pro sui qualitate obligat ad reparationem damni. p. 322. n. 28.
Quid censendum si intercesserit deliberatio imperfecta seu venialis. ibid.
Damna realia mortuo occidente, mutilante aut vulnerante, transeunt ad hæredes damnificantis. p. 336. n. 70.
Secus est de mulctis. ibid.
Vide Homicidium.
Damna ex dilata solutione debitorum ratione contractûs quis pati cogatur. p. 376. n. 115.
Quid damnum emergens. p. 419. n. 30.
In quibus rebus habeat locum. ibid.
Damnum ne ex culpa gravi juridica oriatur, cavere, & natum præstare tenemur. p. 320. n. 21.
Vide Culpa.


### David.


David sub rege Achis non pugnavit contra Israëlitas. p. 250. n. 73.


### Debitor. Debitum.


Debitor non potest sine gravi peccato sponte sua gratificando præferre unum creditorem personalem non petentem alteri. p. 374. n. 105.
Debitor qui non est solvendo nequit repudiare obtatam hæreditatem. ibid. n. 186.
Debiti remissio an sub donatione comprehendatur. p. 400. n. 2.


### Dæmon.


Qua fides Dæmonum memorata Jacobi 2. & qua inter hanc & fidem peccatoris differentia. p. 22. n. 79.
Peccatum cum Dæmone quale. p. 265. n. 26.
In exorcismis à Dæmone quænam possint aut debeant peti. p. 550. n. 40.
Quam multa in futurum prænoscere queat dæmones, & unde. p. 552. n. 8.
Divinatio sit per Dæmonis invocationem. ibid. n. 9.
An liceat à Dæmone petere ut quid revelet eo modo quo fieri potest. p. 553. n. 17.
An scientia per Dæmonem semel acquisita liceat uti. p. 554. n. 23.


### Decimæ.


Decimæ unde sic dictæ. p. 517. n. 55.
Non sunt puræ eleëmosynæ. ibid.
Sed merces labori Sacerdotum debita. ibid.
Atque ex iure naturæ quoad substantiam, secus quoad taxam. ibid. n. 56.
Secundum quam propriè sunt juris ecclesiastici; imitativè, divini. ibid.
Jus primarium decimarum, utpote spirituale, laicis competere nequit. ibid. n. 57.
Secus est de secundario. ibid.
Quod subinde à Pontificibus in feudum etiam perpetuum transfertur in laicos. ibid.
Qui illud in alium laicum de consensu Episcopi transferre possunt. p. 518. n. 57.
Aut in pium locum. ibid.
Decimæ aliæ sunt prædiales, aliæ personales, aliæ mixtæ. ibid. n. 58.
Personales consuetudo abrogavit. ibid.
Ad prædiales tenentur omnes, qui habent prædium alicui ecclesiæ titulo non spirituali subjectum. ibid. n. 59.
In principio nascentis Ecclesiæ debebantur decimæ cœtui clericorum. ibid. n. 60.
Nunc autem diversis pro diversitate tituli. ibid.
Novales cui debitæ. ibid.
Quid per illas significetur. ibid.
Decimæ solvendæ sunt integræ ante deductionem expensarum, censuum &c. ibid. n. 61.
Earum defraudatio quale sit peccatum. ibid.


### Defensio.


Defensio sui cum occisione invasoris, an liceat aut obliget. p. 335. n. 60.
An similiter licita sit talis defensio proximi. ibid. n. 61.
Vide Occisio invasoris.


### Deflorator.


Deflorator sub promissione matrimonij ad hoc tenetur. p. 339. n. 85.
Vide Stuprum.


### Defunctus.


Defuncti retinent jus ad famam. p. 346. n. 34.


### Deliberatio.


Deliberatio qualis ad votum requiratur. p. 519. n. 2.
Vide Votum.


### Denuntiatio.


Denuntiatio in judicio est duplex. p. 408. n. 18.
Denuntiationem evangelicam quî debeat præcedere privata monitio. p. 472. n. 36.
An ex rigore justitiæ. ibid. n. 37.


### Depopulator agrorum.


Depopulatores agrorum non gaudent privilegio immunitatis Ecclesiasticæ. p. 516. n. 49.


### Depositum.


Quid depositum. p. 460. n. 38.
Quando ei misceatur locatio aut mutuum. ibid.
An restitutio depositi possit differri per obiectam compensationem. ibid. n. 39.


### Desperatio.


Describitur desperatio. p. 198. n. 49.
Et amplius declaratur. ibid.
Est in voluntate. ibid. n. 50.
Non coincidit cum judicio secuturæ damnationis. ibidem.
Judicium quî formandum de tentationibus contra spem. ibid. n. 51.
Quæ contra illas remedia. ibid. n. 52.

*Variæ radices desperationis.* ibid. n. 53.
*Quando concurrat judicium infidelitatis, quando non.* p. 199. n. 54.
*Quam periculosum & grave sit peccatum desperationis, demonstratur.* ibid. n. 55.
*Revelari absolutè posset alicui futura damnatio.* ibid. n. 56.
*Si qua talis rei revelatio fieret accipienda ordinariè foret tamquam comminatoria.* ibid.
*Suppositâ absolutâ revelatione liceret judicium conforme tristitiaque de non secutura beatitudine.* ibid. n. 57.
*Non tamen abominatio illius aut vilipensio.* ibid.
*Uti nec patratio peccati, etiam illius ob quod talis foret damnandus.* ibid.
*Desperatio licita foret ei, cui damnatio revelaretur ob peccatum commissum negato auxilio pœnitendi.* ibid. n. 58.
*Secus, si hoc ad sufficientiam non desit, aut revelatio fundetur in peccato futuro.* ibid. n. 59.
*An talis dici possit sperare.* p. 200. n. 60.

## Detractio.

*Detractio quid.* p. 343. n. 12.
*Qui differat à susurratione.* ibid. n. 13.
*Qui à diffamatione.* ibid. n. 14.
*Pessimus detractionis modus consistit in libellis famosis.* ibid. n. 15.
*Detractio fit directè quatuor modis.* p. 344. n. 16.
*Indirectè totidem.* ibid.
*Generaliter & injustè fit impositione falsi, aut evulgatione occulti criminis.* ibid. n. 17.
*Ad correctionem proximi quî possit aperiri peccatum illius.* ibid. n. 18.
*Detractio est ex genere suo peccatum mortale.* ibid. n. 19.
*Quamvis ex mera loquacitate procedat.* ibid.
*Etsi tunc locum habere possit imperfecta advertentia.* ibid.
*Quæ, uti levitas materiæ, excusat à gravi culpa.* ibid. n. 20.
*Quæ censeatur materia gravis.* ibid.
*Qui defectus veniales & interdum mortales, sint levis materiæ.* ibid. n. 21.
*Quid censendum de peccatis generalius expressis,* ibid. n. 22.
*Item de defectibus naturalibus.* ibid. n. 23.
*Signanter natalium.* p. 345. n. 23.
*An liceat revelare crimen suppresâ personâ,* ibid. n. 24.
*An liceat sine asseveratione audita referre.* ibid. n. 25.
*Revelare crimen proximi uni vel alteri, an mortale.* ibid. n. 26.
*Excusat justa causa.* ibid.
*Damnum grave extrinsecum facit id esse mortale.* p. 345. n. 27.
*Immo etiam hoc secluso est mortalis detractio.* ibid. n. 28.
*Occurritur objectioni.* ibid. n. 29.
*Qui peccet auditor ad detractionem inducens.* p. 346. n. 30.
*Vel qui de ipsa latatur.* ibid. n. 31.
*Vel qui non impedit.* ibid. n. 32.
*Quænam excusent audientem.* ibid. n. 33.
*Defuncti etiam retinent jus ad famam.* ibid. n. 34.
*Imo & damnati.* ibid.
*Historici quî excusabiles.* ibid.
*Sententia limitata publica, non tribuit facultatem ulterius divulgandi.* p. 351. n. 61.
*Publicitas absoluta facti quî excuset.* ibid. n. 62.
*Publicitas secundum quid v. g. in Collegio non excusat.* ibid. n. 63. *Vide* Publicum.
*Quid si infamis bonâ vitâ infamiam obliteraverit.* ibid. n. 64.
*An factum injustè publicatum ulterius citra injuriam spargatur.* p. 352. n. 65.
*An infamis de uno crimine possit infamari de alio.* ibid. n. 66.
*Detractio parit obligationem restituendi famam.* p. 352. n. 67. *Vide* Famæ restitutio.

## Devotio.

*Devotio multipliciter sumitur.* p. 499. n. 8.
*Propriè sumpta quid.* ibid.
*Est specialis, quodam tamen sensu etiam universalis, religionis actus.* ibid.
*Causa ejus principalis est Spiritus S.* ibid. n. 9.
*Quibusdam dispositionibus ex parte quoque nostra concurrentibus.* ibid.
*Effectus gaudium spirituale.* ibid.
*Tristitia per accidens hæc subordinata.* ibid.
*Impedimenta devotionis recensentur.* ibid.

## Deus.

*Deus nequit mentiri de potentia ordinaria, juxta fidem.* p. 33. n. 1.
*Objiciuntur variæ Scripturæ loca.* ibid. n. 2.
*Quo sensu Deus dicitur immittere spiritum mendacij aut decipere seu seducere.* ibid.
*Comminationes & promissiones qui ordinariè intelligendæ.* ibid. n. 3.
*Deum absolutè non posse mentiri certum est, immò de fide.* p. 34. n. 5.
*Probatur ex Scripturis, consensu Patrum, & multiplici ratione.* ibid.
*Infallibilitas Dei in servandis promissis fide certa.* ibid. n. 7.
*Pariter certum est, Deum non posse mentiri per actum, ac per se ipsum.* ibid. n. 8.
*An homo ad mentiendum nomine proprio possit præcepto vel consilio Dei excitari.* p. 35. n. 9.
*An supposito quod malitia divinitus foret separabilis à mendacio, consequens esset Deum posse mentiri,* ibid. n. 10.
*An in casu invincibilis ignorantiæ mendacium possit à Deo præcipi.* ibid. n. 11.
*An Deus possit se solo infundere habitum vel actum erroris.* ibid. n. 12.
*Vide* Error.
*Uti potest verbis obscuris, ambiguis, æquivocis aut quibus aliquid tacitè subintelligitur.* ibid. n. 19.
*Quibus ex causis id à Deo fiat in Scriptura Sacra.* ibid. n. 20.
*Deus uti nequit restrictione purè mentali.* p. 37. n. 21.
*Objectionibus ex ratione & Scriptura satisfit.* ibid. n. 22. & seqq.

*Deus est obiectum primarium Charitatis.* p.207. n. 31.
*Deus qua ratione diligatur ob beneficia collata.* p.208. n.39.
*Deus quomodo super omnia diligendus.* p.210.n. 48. & seqq.
*Vide* Charitas.
*Dominium inabdicabile in omnes creaturas qui Deo competat.* p.297.n.73.

Dilectio.

*Dilectio Dei & proximi.* p. 201. n.1. & seqq.
*Vide* Charitas.

Diligentia.

*Diligentia in rebus alienis conservandis quæ adhibenda,* p.320.n.19. & seqq.
*Vide* Culpa.

Discordia.

*Discordia quid & quam varia.* p.242. n.26.
*Oppositio potest variis virtutibus.* ibid. n.27.
*Quando opponatur charitati.* ibid.n.28.

Discursus.

*Actus fidei non est discursivus.* p.139. n.9.
*Vide* Fidei actus.

Dispensatio.

*Penes quos sit potestas dispensandi in præcepto jejunii.* p.277. n.94.
*Quinam possint dispensare in lectione horarum.* p. 509. n.45.
*Quid dispensatio voti.* p.526. n.55.
*Quam causam requirat.* p.527. n.56.
*Quibus competat potestas dispensandi in votis.* ibid. n.57. & seqq.
*Vide* Voti dispensatio.
*Potestas dispensandi in votis, an extendat se ad juramenta.* p.529.n.70. & p.549.n.39.
*Qua ratione fiat dispensatio in juramento.* p.549. n. 41.
*Pro actu dispensationis nihil potest recipi per modum pretij.* p. 562. n. 17.
*Dispensato an possit multa imponi.* ibid.

Disputatio.

*Disputatio de fide cum Hæreticis non est per se mala.* p.172. n.30.
*Quæ scientia requiratur ex parte disputantis.* ibid. n. 31.
*Est laicis interdicta, etiam doctis.* ibid. n. 32.
*Idque sub obligatione ex genere suo gravi.* p.173. n. 32.
*Prohibitio limitatur ad disputationem formalem.* ibid. n. 33.
*Non habet locum in necessitate aut gravi & evidenti utilitate.* ibid.
*Non vigent locis hæresi infectis.* ibid. n.34.
*Ad disputationem licitam ex parte finis quid requiratur.* ibid.n.35.
*Quid requiratur ex parte effectus.* ibid. n.36.
*Qui præcedendum cum dubijs, frigidis, zelosis in suo errore.* ibid. n.37.
*Quî cum obstinatis ex mera malitia.* p. 174. n. 38.
*Notabile.* ibid.
*Postrema conditio licitæ disputationis.* ibid.

Dissimulatio.

*Dissimulatio in Luthero adhibita quam perniciosa Ecclesiæ fuerit.* p.188. n.11.
*Dissimulare fidem an licitum.* p. 162. n. 28.
*Vide* Fidei simulatio.
*Dissimulare fidem veram & simulare falsam quî differant.* p. 163. n.33.

Distractio.

*Distractio in oratione quale peccatum.* p. 502. n. 31.
*Distractio an & qualiter vetita Clericis ex præcepto Ecclesiæ.* p. 508. n.40. & seq.

Distributio.

*Beneficiarius in Choro non cantans an & quas possit recipere distributiones.* p.507.n.32.

Dives.

*Dives an propter divitias præ paupere honorandus.* p.479.n.4.

Divinatio.

*Quid divinatio.* p.552.n.8.
*Divinatio alia expressam dæmonis invocationem continet, alia implicitam.* ibid. n.9.
*Prior sub se varios modos comprehendit.* ibid.
*Posterior etiam variè subdividitur.* ibid.n.10.
*Quando allatæ divinationes sint superstitiosæ.* ibid. n.11.
*Divinatio ex genere suo est peccatum mortale.* p. 553. n.15.
*An levitas materiæ à mortali excuset.* ibid.n.16.
*An divinatio cum tacita & expressa dæmonis invocatione sint ejusdem speciei.* ibid.n.18.
*Divinatores an sint ipso facto excommunicati.* ibid. n.19.
*Divinatio distinguitur à vana observantia.* ibid. n. 20.

Divisio bonorum.

*Deus in naturæ institutione non fecit divisionem dominiorum.* p. 299. n.81.
*In statu innocentiæ an facta fuisset divisio.* ibid.
*Post peccatum licita, imò necessaria fuit.* ibid. n. 82.

Dolus.

*Dolus quid.* p.300. n.17.
*Est semper præstandus.* ibid.
*Dolus opponitur prudentiæ per excessum.* p.260. n. 21.

Dominium. Dominus.

*Quid Dominium in generali.* p.287. n.22.
*Quid Dominium jurisdictionis.* ibid.
*Quid proprietatis.* ibid.
*Quod inter ipsum & alterum discrimen.* p.288. n. 22.

*Aliud est perfectum, aliud imperfectum.* ibid. n. 23.
*Hoc aliud directum, aliud utile.* ibid.
*Quid Dominium perfectum.* ibid. n. 24.
*Etiam rerum incorporalium datur Dominium.* ibidem.
*Quæ res corporales, quæ incorporales.* ibid.
*Lex potest ujus alterius dominii impediri v.g. in pupillo, bonis vinculatis, salva perfectione dominii.* ibid. n. 25.
*Opinio* Cardinalis de Lugo. ibid.
*Dominium plurium in eamdem rem partiale dicitur, aliud totale seu in solidum.* ibid. n. 26.
*Ad dominium transferendum quî requiratur titulus & traditio.* ibid. n. 27.
*Usum facti posse separari à Dominio est communis doctrina.* p. 291. n. 44.
*Probatur ex regula* S. Francisci, *sensu Religionis, expositoribus regulæ & constitutionibus.* ibid. n. 45.
*Declaratione* Gregorii IX. p. 292. n. 46.
Nicolai III. ibid.
Clementis V. *& aliorum Pontificum.* ibid. n. 47.
*Discutiuntur acta* Joannis XXII. ibid. n. 48.
*Quæ per multos Successores sunt cassata, firmatis anterioribus declarationibus* Nicolai III. *&* Clementis. V. ibid. n. 49.
*Quas ante indignationem conceptam ipse Joannes probaverat.* ibid. n. 50.
*Quam revocationem fecerit.* ibid.
*Idem probatur ratione.* p. 293. n. 51.
*Diversus id ipsum declaratur.* ibid. n. 52.
*Rationes similes præformatæ à* S. Bonaventura, *cujus verba allegantur.* ibid. n. 53. *& seqq.*
*Objectio adversarii & solutio* S. Bonaventuræ. p. 294. n. 55.
*Notanda ejusdem dicta.* ibid.
*Objectio ex jure civili petita dissolvitur.* ibid. n. 56.
*Consumptio rerum quî fiat justè à Franciscanis citra dominium.* ibid. n. 57.
*Non sequitur usuras fore licitas.* ibid. n. 58.
*Quæ hac de re mens* S. Thômæ q. 78. art. 1. ibid.
*Ulterius eadem difficultas expenditur.* ibid. n. 59.
*Judicium de doctrina cuiusdam Neoterici.* p. 295. n. 60.

Dominii subjectum. Objectum.

*Sola natura intellectualis est capax Dominii.* p. 297. n. 71.
*Usus actualis rationis non requiritur ad Dominium, sed ad ejus usum.* ibid. n. 72.
*Dominium inabdicabile in omnes creaturas, quî Deo competat.* ibid. n. 73.
*Quorum Dominium cõpetat Angelis.* ibid. n. 74.
*Homo non est dominus vitæ ac membrorum.* p. 298. n. 75.
*Occurritur quibusdam objectis.* ibid. n. 76.
*Actiones liberæ sunt in hominum Dominio.* ibid. n. 77.
*Nec non Famâ.* ibid. n. 78.
*Probatur diversimodè.* ibid.
*Quam tamen illicitè prodigimus, maximè dum est proximo necessaria.* ibid. n. 79. *&* p. 347. n. 35.
*Sub dominium hominum cadunt bona externa, quæ fortunæ dicuntur.* p. 298. n. 80.
*Deus in naturæ institutione non fecit divisionem dominiorum.* p. 299. n. 81.
*Quæ in statu innocentiæ divisa non fuissent.* ibidem.
*Post peccatum divisio dominiorum licita.* ibid. n. 82.
*Immo necessaria fuit.* ibid.
*Quæ differentia inter bona communia, publica, Universitatis & singulorum.* ibid. n. 83.
*Quæ dicantur nullius.* ibid.
*Moris & victoris Dominium qui sibi principes hodie vindicent.* ibid. n. 84.
*Quale Dominium competat soluto thoro superstiti.* p. 301. n. 96.
*An servi de rigore juris civilis habeant aliquarum rerum Dominium.* p. 302. n. 102.
*An ex consuetudine & voluntate Domini.* ibid. n. 103.
*Dominii etiam imperfecti incapaces sunt Religiosi professi.* p. 303. n. 104.
*In quo fundetur hæc incapacitas.* ibid. n. 105.
*Quid competat Prælatis & beneficiariis regularibus.* ibid. n. 107.
*Quid assumptis ad Episcopatum.* ibid. n. 108.
*Notanda constitutio* Tridentini *circa peculia regularium personarum.* ibid. n. 109.
*Quam utilis illius observantia.* ibid.
*Quæ praxis probanda.* ibid. n. 110.
*An* Tridentinum *statuat jus novum.* p. 304. n. 110.
*Communitati Religiosorum potest competere Dominium.* ibid. n. 111. *& seq.*
*Excipitur congregatio etiam universalis Minoritarum,* ibid. n. 113.
*Quorum paupertas indubitanter est altior & perfectior.* ibid.

*Vide* Dominium.

*Quid censendum de jubilibus ad bona altiora vel spiritualibus.* ibid. n. 114.
*Possessio immobilium vi* Tridentini *libera etiam pauperibus Clarissis, etsi privilegium non acceptarint, cui etiam renuntiavit Societas* Jesu, *quoad domos professas, cum quadam exceptione.* ibid. n. 115.
*Potest consistere status Religiosus cum Domino particulari.* p. 305. n. 116.
*Patet ex declaratione Ecclesiæ circa Societatem* Jesu. ibid.
*An in hujusmodi consensus superioris sit necessarius ad valorem,* ibid. n. 117.
*Solvitur objectio desumpta ex* c. Cum ad monasterium de Statu Monach. ibid. n. 118.
*Clerici sunt absoluti & liberi Domini patrimonialium.* ibid. n. 119.

*Vide* Clericus.

*Penes quos sit dominium immovilium & supellectilis Ecclesiæ.* ibid. n. 112.

Dominii acquisitio.

*Dominium acquiritur occupatione, accessione, traditione & possessione.* p. 307. n. 136.
*Item præscriptione.* p. 312. n. 162. *& seqq.*

*Quorum Dominium occupatione comparetur.* p. 307. n. 136.
*Dominium ferarum qui acquiratur.* ibid. n. 137.
*Quousque retineatur.* p. 308. n. 138.
*Fera laqueo inextricabiliter inhærens, an, & quando sit laqueum ponentis.* ibid. n. 141.
*Ad quem spectet fera vulnerata.* ibid. n. 142.
*Quid censendum de animalibus domesticis.* ibid. n. 143.
*Quid de cicuratis.* ibid. n. 144.
*Notanda circa columbas.* ibid.
*Quid censendum de examine apum.* p. 309. n. 145.
*Inventa & derelicta cuius sint.* ibid. n. 146.
*Quid de ejectis metu naufragij.* ibid.
*Missilia Principis qui fiant nostra.* ibid.
*Vacantia bona ad quos spectent.* p. 309. n. 147.
*Quid si hæres ex uno tantùm latere desit.* ibid.
*Cui cedat thesaurus inventus.* ibid. n. 148.
*An sequatur emptorem prædij consscium thesauri.* ibid. n. 149.
*Quid de inventione recenter peractorum.* ibid.
*Quid censendum si locus thesauri sit emphiteuticus aut feudalis.* p. 310. n. 150.
*Quid mores statuant.* ibid. n. 151.
*Mineralia quorum sint.* ibid. n. 152.
*Accessione qui Dominium acquiratur, sive sit naturalis, quæ varia, sive industrialis, quæ etiam multipliciter contingit.* ibid. n. 153.
*Inscriptum alienæ chartæ cuius sit.* ibid. n. 154.
*An idem de pictura facta in aliena tabula.* ibid.
*Notanda circa implantationem.* ibid.
*Quid censendum de commixtione & confusione.* ibid. n. 155.
*Traditione qui comparetur Dominium.* ibid. n. 156.
*Quid si conditionata sit.* ibid.
*Dominium immobilium qui transferatur in Belgio.* p. 311. n. 157.
*Qui possessione bonæ fidei comparetur Dominium fructuum.* ibid. n. 158.
*An etiam strictè naturalium.* ibid. n. 159.
*Objectio dissolvitur.* ibid.
*Domino rem vendicante restituendi sunt, citra usucapionem fructus exstantes, non consumpti.* ibid. n. 160.
*An consumpti saltem in quantum quis factus est ditior.* ibid. n. 161.
*Quid statutum circa possessorem universalem.* ibid. n. 162.
*Quid censendum de possessore malæ fidei.* p. 312. n. 162.
*Dominium rei venditæ & traditæ non transit semper in emptorem.* p. 371. n. 86.
*Quando transeat.* ibid.

Donum.

*Donum Spiritus Sancti quæ.* p. 13. n. 45.
*Vide* Virtus.

Donatio. Donatum.

*Donatio est contractus latè dictus.* p. 383. n. 1.
*Vide* Contractus.
*Donata vel legata ubi sint restituenda.* p. 375. n. 113.
*Donatum sub modo an transeat ad hæredes.* p. 385. n. 17.
*Modi impossibilitas non vitiat donationem.* ibid.
*Quid donatio.* p. 399. n. 2.
*An remuneratoria sit simplex donatio.* ibid.
*Quid observandum in praxi.* ibid.
*An sub donatione comprehendatur debiti remissio.* p. 400. n. 2.
*Realis quem effectum habeat.* ibid. n. 3.
*Verbalis qui differat à promissione.* ibid.
*Acceptatio requiritur ut obliget donatio.* ibid. n. 4.
*Juxta communiorem sententiam ex natura rei.* ibid. n. 5.
*Firmitas probationum huius doctrinæ indagatur.* ibid. n. 6.
*Quid censendum si misso nuntio donans silenter donationem revocet.* ibid. n. 7.
*An locus sit acceptationi pro hæredibus donatarii.* ibid. n. 8.
*Acceptatio donationis facienda est per promissarium vel procuratorem.* p. 401. n. 13.
*An taciturnitas præsentis sit censenda acceptatio.* ibidem.
*Absenti qualiter insinuanda voluntas donantis.* ibidem.
*An acceptari queat post mortem donantis recensetur triplex opinio.* ibid. n. 14. & 15.
*Ad quid teneatur nuntius cujus culpâ donatio non potuit tempestivè acceptari.* p. 402. n. 16.
*Regulariter nemo potest pro alio absente stipulari.* ibid. n. 17.
*Vide* Stipulatio.
*Quinam donare possint.* p. 404. n. 34.
*Donatio inter conjuges qualiter valeat, aut non valeat.* p. 405. n. 35.
*Qualiter donatio facta filio non emancipato.* ibid. n. 36.
*Donatio omnium bonorum quomodo invalida.* ibid. n. 37.
*Donatio excedens 500. solidos qualiter indigeat insinuatione.* ibid. n. 38.
*Donatio quando revocabilis ob ingratitudinem.* ibid. n. 39.
*An ipso facto revocata.* ibid.
*Qualiter revocetur supervenientibus donanti prolibus.* ibid. n. 40.
*Donatio inofficiosa quomodo revocetur.* p. 406. n. 41.
*Quando ob notabilem status mutationem.* ibid.
*Quid donatio causâ mortis, & qualiter differat à facta inter vivos.* ibid. n. 42.
*In dubio præsumitur facta inter vivos.* ibid.
*Quamdiu sit revocabilis & quando censeatur revocata.* ibid.
*Requirit acceptationem.* ibid. n. 43.
*Qui conveniat cùm legatis.* ibid.
*An Novitius possit donare causâ mortis.* p. 533. n. 39.

Dubium.

*In dubio melior est conditio possidētis.* p. 296. n. 66.
*Dubium supervenions an vitiet præscriptionem.* p. 313. n. 73.

## Duellum.

*Quid duellum.* p. 253. n. 92.
*Quî differat à rixa.* ibid.
*Aliud est solemne, aliud privatum.* ibid.
*Damnati ad mortem, an jussi à principe duello licitè concertent.* ibid. n. 93.
*An liceat duellum ad terminationem belli.* ibid. n. 94.
*Aut reprimendos in eo impetus hostiles.* ibid.
*An ad vitæ defensionem liceat.* ibid. n. 95.
*Duella gladiatorum illicita.* ibid. n. 96.
*Similiter assumpta ad probationem vel purgationem criminis.* p. 254. n. 97.
*An licitum in casu injustæ accusationis ex qua certò sequetur mors.* ibid. n. 98.
*An prætextu defendendi honoris licitè duellum suscipiatur.* ibid. n. 99.
*Communis sententia negans defendi.* ibid. n. 100.
*Edicta principum Belgij contra duellantes summatim recensentur.* ibid. n. 101.
*Quæ pœna Ecclesiastica contra duella statuta.* p. 255. n. 102.

# E.

## Ebrietas. Ebrius.

*Ebrietas perfecta est peccatum mortale.* p. 270. n. 51.
*Augustini mens expenditur.* ibid. n. 52.
*Quando Ebrietas censeatur voluntaria.* ibid.
*An licitum sit se inebriare metu mortis ab alio inferendæ.* ibid. n. 53.
*An saltem sit licitum ex præscripto medici.* ibid. n. 54.
*Quæ signa Ebrietatis.* ibid. n. 55.
*An vel quando sit mortalis potitatio retento usu rationis.* ibid. n. 56.
*Quî sit illicitum provocare ad æquales haustus.* p. 271. n. 57.
*An liceat alterum inebriare, ut sic impediatur à graviori malo.* ibid. n. 58.
*Cur Ebrietas varijs in locis minoris fiat.* ibid. n. 59.
*Opinio Auctoris Neoterici de peccato gulæ refertur ac refutatur.* ibid. n. 60. & seq.
*An necessariò adsit alterius legis transgressio.* ibidem.
*Alia Ejusdem Auctoris dicta refelluntur.* ibid. n. 62.
*Opinio ejusdem de malitia ebrietatis expenditur.* ibid. n. 63.
*Alia de potitationibus dicta ejusdem breviter reprobantur.* p. 272. n. 64.
*An censendus sit se inebriasse, qui potitat cum nausea vini usque ad privationem usus rationis, præcisè ut satisfaciat amico.* ibid. n. 65.
*Si ebrius in mortali constitutus à se aut alijs esset occidendus, teneris cum periculo vitæ impedire si potes.* p. 218. n. 94.

## Ecclesia.

*Ecclesiæ etymologia & variæ acceptiones.* p. 69. n. 1.
*Quæ sit propria hujus loci.* ibid.
*Alia antecedens, alia consequens adventum Christi.* ibid. n. 2.
*Synagoga pars erat Ecclesiæ.* ibid.
*Ecclesia Christi qui sit una vel non una cum veteri.* ibid.
*Quid sit Ecclesia Christi in terris militans.* ibid. n. 3.
*Non constat solis prædestinatis, perfectis aut justis, sed malis etiam reprobis gravibusque & apertis peccatoribus.* ibid. n. 4. & seq.
*Probatur ex parabolis evangelicis & alijs scripturis.* p. 70. n. 5.
*Errores oppositi supponunt alios errores unde pullulant.* ibid. n. 7.
*Quo sensu nomen ovium sit electis proprium; quo non.* p. 71. n. 9.
*Exponuntur loca* Augustini. ibid. & seq.
*Ecclesia quo sensu dicatur sancta, sine macula, tota pulchra.* ibid. n. 11.
*Exponitur locus* Isaiæ 54. & Apostoli 1. Cor. 10. ibid. n. 12. & p. 72. n. 13.
*Quo sensu mali secundum Patres non sint membra Christi.* ibid. n. 14.
*Quo sensu* Augustinus *dixerit solos sanctos esse Ecclesiam cui data claves.* ibid.
*Error Centuriatorum quoad dualitatem Ecclesiæ cum suo fundamento refertur & dissolvitur.* ibid. n. 15.
*Infideles non sunt in Ecclesia.* ibid. n. 16.
*Immo nec Cathecumeni simpliciter loquendo, qui tamen sunt in ea secundum quid.* ibid.
*Idem est de Hæreticis manifestis & Apostatis.* ibid. n. 17.
*Idem quoque est de Schismaticis.* p. 73. n. 18.
*Idem de Excommunicatis justè.* ibid. n. 19.
*Exponitur locus* Augustini. ibid.
*An & qualiter Hæretici occulti censendi sint in Ecclesia, explicatur.* ibid. n. 20. & p. 74. n. 21.
*In quo consistat unitas Ecclesiæ.* p. 81. n. 49.
*Hæc competit soli Ecclesiæ Catholicæ.* ibid. n. 50.
*Consensio doctrinæ fidei in membris Ecclesiæ expenditur.* p. 82. n. 52.
*Quæ differentia inter sectas ex Ecclesia & ex alijs sectis prodeuntes.* ibid. n. 55.
*Ecclesiæ sanctitas in quo consistat.* p. 83. n. 56.
*Ecclesiæ doctrina qui recta.* ibid.
*Inde consequens sanctitas cultorum.* ibid.
*Argumentum inde desumptum.* ibid. n. 57.
*Efficacia doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ in conversione gentium.* p. 84. n. 61.
*In sola Ecclesia Catholica lumen propheticum reperitur.* p. 86. n. 68.
*Vera Ecclesia quo sensu sit Catholica.* ibid. n. 69.
*Inde patres explodunt hæreticorum conventicula.* ibid. n. 70.
*Soli veræ Ecclesiæ olim & modo proprium nomen Catholicæ ejusque signum.* p. 87. n. 72.
*Occurritur objectioni.* ibid. n. 73.
*Conatus frustranei antiquorum ac recentiorum hæretico-*

*hæreticorum contra nominis Catholicæ prærogativam.* ibid. n.75.
*De nomine Papisticæ & Romanæ Ecclesiæ.* ibid.
*Ecclesia vera est Apostolica: primo ratione Cathedræ Romanæ.* p.88. n. 76.
*Secundò ratione successionis.* ibid. n. 77.
*An sit de fide individuum catum sub obedientia* Alexandri VII. *Christi doctrinam profitentem esse veram Ecclesiam.* p.94.n.97.
*Ecclesia à Catholicis non præfertur Scripturæ.* p. 97.n.112.
*Ecclesijs Christianorum jure humano competit immunitas.* p. 515. n.40.
*In Ecclesia committens homicidium vel mutilationem non gaudet immunitate ecclesiastica.* p. 516. n. 50.

Ecclesiæ indefectibilitas.

*Ecclesiæ initium ab Adam & Hæva.* p.74.n.22.
*Quo sensu ab Abel vel ab Enos.* ibid.
*Ex quo capit, non defecit imprimis usque ad Moysem.* ibid. n.23.
*Exinde perseveravit in Israelitis plurimis, etiam tempore adorationis vituli, & sub Helia & Antiocho.* ibid. n.24.
*Immo nec defecit tempore passionis Christi.* p.75. n. 25.
*An fides tunc manserit in Apostolis etiam Petro.* ibidem.
*Quid significet ultimus cæreus qui in triduo hebdomadæ sanctæ manet accensus, & cur tempore Reperti extinguebatur.* ibid.
*Ecclesiæ Christi initium & perfectio.* ibid. n.26.
*Indefectibilis est usque ad finem mundi.* ibid.
*Quod variè ostenditur.* ibid. n.27. *& seqq.*
*Quo sensu orbis se esse Arianum miratus est.* p. 76. n. 31.
*Tempore Antichristi perseverabit Ecclesia visibiliter.* ibid. n. 32.
*Quædam loca Scripturæ explicantur.* p.77.n.33.

Ecclesiæ notæ.

*Quas Ecclesiæ notas statuant Hæretici, & quam infundatæ.* p.80. n.45.
*Objectio quædam ex Auctore operis imperfecti sub nomine* Chrysostomi Hom. 49. *discutitur.* ibid. n.46.
*Quatuor illustriores Notæ Ecclesiæ: prima quod sit* Una. p.81.n.48.
*Secunda, quod sit* Sancta. p.83.n.56.
*Tertia, quod sit & nomine* Catholica. p.86. n.69.
*Quarta, quod sit* Apostolica. p.88. n.76.
*Notæ Ecclesiæ ex* Augustino *recapitulantur.* p. 93. n. 96.
*Quantam hinc quietem sentiant veri Catholici.* ibidem.
*Gloria mystica illustrior Ecclesiæ nota.* p.85. n. 67.

Ecclesiæ visibilitas.

*Vera Ecclesia est visibilis, & qua ratione.* p.77. n. 34.
*Visibilitas Ecclesiæ diversimodè probatur.* ibid.n. 35. *& seqq.*
*Arguitur diversimodè ad hominem contra Novatores.* p.78.n.38.
*Ecclesia quo sensu appelletur domus spiritualis.* ibid. n. 39.
*Regnum Dei quo sensu non veniat juxta scripturam cum observatione.* ibid. n. 40.
*Explicatur locus* Hilarij. p.79. n.41.
*Visibilitas an, seu quo sensu sit nota Ecclesiæ.* ibid. n. 42.

Ecclesia controversiarum Judex.

*Scripturam solam esse regulam fidei tradunt Novatores.* p.94.n.98.
*Sine judicio Ecclesiæ Scriptura non est idonea terminandis controversijs.* p.95.n.100.
*Conditiones legitimi & supremi judicis.* ibid.
*Quæ ex conditionibus desit scripturæ.* ibid.
*Novatores coacti recurrunt ad scripturam prout substat privato judicio.* ibid.n.101.
*Quibus non favet scriptura, quin potius privatos remittit ad Ecclesiam.* ibid.
*Regula propriij judicij seminarium hæresum.* ibid. n. 102.
*Provocare ad scripturam prout substat privato judicio, est finaliter judicio proprio inniti, & alium judicem recusare.* ibid. n.103.
*Proscripti hujusmodi jam olim ab* Augustino. p. 96. n. 104.
*Inidonea quam sit hæc via terminandis controversijs.* ibid.
*Aliorum recursus ad spiritus privati dictamen refutatur.* ibid.n.105.
*Incompetens is judex est,* ibid.
*Idem spiritus meritò suspectus habetur.* ibid.
*Immo est spiritus mendacij & inconstans.* ibid.
*Et pallium iniquitatum.* ibid. n.106.
*Notabile quoad hæc exemplum,* ibid.
*Restat itaque judicium infallibile Ecclesiæ.* ib.107.
*Quanti ejus authoritatem fecerit* Augustinus. ibidem.
*Eiusdem perpetua praxis decidens controversias fidei.* ibid.n.108.
*Eiusdem infallibilis authoritas colligitur patenter ex ipsa scriptura.* p.97.n.109.
*Effugium Hæreticorum occluditur.* ibid. n.111.
*Judicium controversiarum non convenit omnibus membris Ecclesiæ collectim.* p. 98.n.113.

Effectus.

*Effectus quâ ratione sequatur vel non sequatur debiliorem partem suæ causæ.* p. 7. n. 6.

Ejectus.

*Ejectus à religione an obligetur ad horas canonicas.* p.503. n.6.
*Ejectus non tenetur petere iteratam receptionem.* p.543. n.108.
*Ad quam tamen potest compelli.* ibid.
*Ejectus tenetur ad vota essentialia quantum status permittit.* ibid.n.109.
*Secus de observantijs monasticis.* ibid.

Eleëmosyna.

*Quid eleëmosyna.* p.224.n.18.

*Est actus externus misericordiæ.* ibid.
*Cujus extant in Scriptura & Patribus insignia encomia.* ibid.
*Non potest salvare hærentem in peccatis seu sine pœnitentia.* ibid. n. 19.
*Exponitur illud* Lucæ 11. Date eleëmosynam & ecce omnia munda sunt vobis. ibid. n. 20.
*Eleëmosyna extinguit peccata mediante pœnitentiâ, quam impetrare solet.* ibid. n. 21.
*Idque ex congruentia speciali.* ibid. n. 22.
*Eleëmosynam qui generatim dare possint, qui non.* p. 225. n. 23.
*Specialiter quid possint uxores.* ibid. n. 24.
*Quid filij familias.* ibid. n. 25.
*Quid Religiosi.* ibid. n. 26.
*Quid gerentes curam communitatis.* ibid.
*Quid possint minorennes & pupilli, eorumque curatores.* ibid. n. 27.
*Quid denique famuli.* ibid.
*Eleëmosyna danda omni proximo egeno eâ non abusuro ad peccatum.* ibid. n. 28.
*Danda est quoque pauperibus voluntarijs.* ibid. n. 29.
*Quid de mendicis validis censendum.* p. 226. n. 30.
*Quid de extraneis.* ibid. n. 31.
*An ficto paupertatis titulo eleëmosynam accipiens, eam faciat suam.* ibid. n. 32.
*Quid incumbat executoribus ultimæ voluntatis in distributione facienda pauperibus.* ibid. n. 33.

Eleëmosynæ præceptum.

*Eleëmosynam esse in præcepto ostenditur.* p. 226. n. 34.
*In extrema necessitate esse obligationem iustitiæ, quo fundamento nonnulli existimaverint.* p. 227, n. 35.
*Esse obligationem solius charitatis, cum communi sententia probatur, & aliorum fundamentum evertitur.* ibid. n. 36.
*Locutiones quædam Patrum expenduntur.* ibid. n. 37.
*Quo sensu in extrema necessitate sint omnia communia.* ibid.
*Obligat præceptum eleëmosynæ in extrema necessitate; immo & in gravi.* p. 228. n. 41.
*Quando alius non creditur succursurus.* ib. n. 42.
*Notabile in praxi.* ibid.
*Quis ordo inter indigentes in necessitate servandus.* ibid. n. 43.
*In extrema necessitate succurrendum pauperi de superfluis naturæ.* ibid. n. 44.
*Discutitur signum dignoscendi extremam necessitatem.* ibid. n. 45.
*An sit obligatio succurrendi cum totali eversione status.* ibid. n. 46.
*Non est quoque obligatio circa eum, qui ex iusta sententia talem necessitatem patitur.* p. 229. n. 47.
*In gravi necessitate succurrendum de superfluis statui.* ibid. n. 48.
*An considerandus sit status præsens.* ibid. n. 49.
*Laudabilis charitas postponit statum necessitati gravi pauperum.* ibid. n. 50.
*In necessitatibus communibus dandam interdum eleëmosynam de superfluis ratione probatur.* ibid. n. 51. & 52.
*Solvitur objectio petita ex* 2. Cor. 8. ibid. n. 53.
*An expediat modicum dare singulis & pluribus, an totum uni vel paucis.* p. 230. n. 54.
*Non est obligatio inquirendi necessitates pauperum.* ibid. n. 55.
*Limitatio quædam.* ibid.
*An re & spe pauperi sufficiat succurrere mutuo, venditione dilatâ solutione &c.* ibid. n. 56.
*Varij asserunt.* ibid.
*Nonnulli cum aliqua limitatione.* ibid.
*Communior sententia negans probatur.* ibid. n. 57.
*Ne quidem obligatio conditionata in casu fortuito lautioris fortunæ est imponenda.* ibid. n. 58.
*Aliud est de eo, qui non est absolutè seu re & spe pauper.* p. 231. n. 59.
*Si etiam solius usus sit indigentia, sufficit hunc concedi.* ibid.
*Alia declaratio seu limitatio.* ibid.

Emphyteusis.

*Emphyteusis quid sit.* p. 453. n. 19.
*Qui differat à venditione & locatione.* ibid.
*In emphyteusim an transeat locatio longi temporis.* ibid.
*Emphyteusis distinguitur à contractu libellatico.* ibid. n. 20.
*Bona emphyteutica & censualia quæ differant.* p. 458. n. 21.
*In dubio qualia censenda.* ibid.
*An scriptura sit de substantia emphyteusis.* ibid.
*Emphyteusis qualiter dissolvatur lapsu temporis.* ibid. n. 22.
*Qualiter interitu rei.* ibid.
*Emphyteusis qualiter solvatur culpa emphyteutæ ob non solutam pensionem.* ibid. n. 23.
*Emphyteuta an expelli possit qui partem pensionis intra triennium solvit.* ibid. n. 24.
*Emphyteuta quæ excidat iure suo ob deteriorationem rei.* ibid. n. 25.
*Vel ob alienationem sine consensu domini.* ibid.
*An idem de donatione.* p. 459. n. 26.
*Emphyteusi alienata debet nexus emphyteuta domino directo solvere laudimium.* ibid. n. 27.

Emptio. Emptor.

*Quid emptio.* p. 430. n. 1.
*Emptio cur & quomodo introducta.* ibid.
*Qui emere possint.* p. 431. n. 9.
*Vide* Venditio.
*An emptor sciens excessum iustitiæ, censeatur condonare.* p. 434. n. 21.
*An obligationes possint minoris emi quam sit capitale.* ibid. n. 25.
*Emere librancias militares diminuto pretio, an liceat.* p. 435. n. 26.
*Emens rem nomine alterius an possit superfluum sibi retinere.* ibid. n. 29.
*Emptor qualiter teneatur indicare valorem mercis.* p. 438. n. 40.

*Diver-*

*Diversimodè id elucidatur.* ibid. n. 41.
*An emptoris sint fructus pendente ante persolutum pretium.* p. 440. n. 53.
*Pœnes emptorem est periculum & commodum rei venditæ cum pacto addictionis in diem.* p. 441. n. 56.
*Quid emptio cum pacto ut si displicuerit emptori res sit inempta.* p. 442. n. 59.
*Vide* Venditio.
*Emptio census realis licita est.* p. 444. n. 70.
*Emptor censûs infra justum pretium ad quid teneatur.* p. 447. n. 85.
*Vide* Census.
*Emere non possunt fratres Minores.* p. 540. n. 83.

Episcopus.

*Episcopus simul princeps potest bellum indicere & per alios gerere.* p. 251. n. 78.
*Episcopus legata ad certas pias causas, in aliud probabilius commutare nequit.* p. 413. n. 80.
*Episcopus nequit derogare juri patronatûs.* p. 482. n. 22.
*Episcopus potest beneficia conferre in sua Diœcesi.* p. 483. n. 23.
*Episcopi electi & confirmati omnia beneficia antea obtenta vacant.* p. 487. n. 45.
*Qualis Episcopis absentia à residentia permittatur.* p. 488. n. 48.
*Episcopus per se loquendo dispensare nequit in lectione horarum.* p. 509. n. 45.
*Episcopis competit potestas instituendi festa pro sua Diœcesi.* p. 510. n. 3.
*Vide* Festum.
*Episcopus dispensat in votis suorum subditorum jure ordinario.* p. 527. n. 59.
*Exceptis quinque Papæ reservatis.* ibid.
*An possit in tribus votis peregrinationis.* ibid.
*Varia vota ab Episcopis dispensabilia.* ibid. n. 60.
*Episcopus dispensat in voto castitatis integræ & perpetuæ diversis casibus.* ibid. n. 61 & seqq.
*Episcopus an possit ingredi Religionem.* p. 530. n. 13.

Error.

*An Deus possit se solo infundere habitum vel actum erroris.* p. 35. n. 12.
*Opiniones variæ recensentur.* ibid.
*Deus potest infundere habitum erroris in intellectu.* ibid. n. 13.
*A fortiori in lapide aut extra omne subjectum.* p. 36. n. 14.
*Immo probabilius idem dicitur de actu erroris.* ibid. n. 15.
*Solvuntur argumenta.* ibid. n. 16. & seqq.
*Errores falso ab hæreticis Conciliis affinguntur.* p. 104. n. 147.
*Error ex ignorantia culpabili procedens repugnat præcepto fidei.* p. 170. n. 29.
*Error circa substantiam contractum irritat.* p. 388. n. 33.
*Non circa accidens.* ibid. n. 34.
*Vide* Contractus.
*Error circa aut in substantiam voti redundans, ipsum irritat.* p. 519. n. 6.
*Quis error valori professionis obstet.* p. 532. n. 28.
*Error quis irritet juramentum.* p. 548. n. 34.

Eubulia.

*Quid Eubulia.* p. 259. n. 15.
*Est pars potentialis prudentiæ.* ibid.

Eutrapelia.

*Eutrapelia quid.* p. 574. n. 48.
*Quatenus differat ab affabilitate.* ibid.

Excommunicatio.

*Excommunicatio creditoris à restitutione non excusat.* p. 380. n. 139.
*Etiam non obstante quod contra excommunicationem innodatum possit in judicio excipi.* ibid. n. 140.
*An peccent arrogatione judicii excommunicati signanter tolerati.* p. 465. n. 3.
*Excommunicati sunt inhabiles ad beneficia.* p. 486. n. 37.
*Excommunicationem Bullæ cœnæ quinam incurrant.* p. 184. n. 83.
*Vide* Libri prohibiti.

Exorcismus.

*In exorcismis quænam à dæmone possint aut debeant peti.* p. 550. n. 49.

Extrema Necessitas.

*In extrema necessitate quo sensu omnia sint communia.* p. 227. n. 37.
*Extrema necessitas quo signo dignosci possit.* p. 228. n. 45. *Vide* Necessitas.

## F

Falcidia.

*Falcidia quid.* p. 410. n. 67.
*Unde sic dicta.* ibid.

Fama.

*Quid fama, quæve ejus radix.* p. 341. n. 1.
*Fama læditur sive per internum judicium, sive per exteriorem detractionem.* ibid. n. 2.
*Obligat restitutio famæ.* p. 352. n. 67.
*Vide* Detractio.
*Homo est dominus suæ famæ.* p. 298. n. 78.
*Quam tamen sine justa causa illicite prodigi.* ibid. n. 79.

Famæ Restitutio.

*Obligat restitutio famæ.* p. 352. n. 67.
*Et damnorum injustam infamationem consequentium.* ibid. n. 68.
*An etiam dum verum est crimen.* ibid.
*Obligatio infamantis an afficiat heredes.* ibid. n. 69.
*An heredes infamati possint deluper transigere.* ibid.
*An infamatio citra formalem culpam facta obliget ad restitutionem.* p. 353. n. 70.
*An superior teneatur ad restitutionem famæ per subditum injustè ablatæ.* ibid. n. 71.
*Restitutio famæ quam rara.* ibid. n. 72.

*Quis restituendi modus in crimine vero.* ibid. n. 73.
*Quis in crimine falso.* ibid. n. 74.
*Novabile.* ibid.
*An restitutio faciendo etiam apud auditores mediatos.* ibid. n. 75.
*An facienda cum jactura in bonis alterius ordinis.* ibid. n. 76.
*Excusantia à restitutione.* ibid. n. 77.
*An idcirco refricanda memoria, si delictum sit obliveni traditum.* p. 354. n. 77.
*Compensatio qui excuset.* ibid. n. 78.
*Vide* Honor.

Famulus.

*Famuli quas eleëmosynas facere possint.* p. 225. n. 27.
*Famuli usurariorum an teneantur ad restitutionem.* p. 425. n. 60.
*Quî plerumque bona fides excuset.* ibid. n. 62.

Femina.

*Quale peccatum excessus in ornatu feminæ contra modestiam cultus.* p. 280. n. 112.
*Femina an possit assumere vestem virilem.* ibid. n. 115.
*Femina an tempore pestis possit esse testis in testamentis.* p. 408. n. 53.
*An possit fide-jubere.* p. 397. n. 85.

Feræ.

*Ferarum dominium, quî acquiratur.* p. 307. n. 137.
*Fera laqueo inextricabiliter inhærens, an & quando sit ponentis laqueum.* p. 308. n. 141.
*Ad quem spectet fera vulnerata.* ibid. n. 142.

Feritas.

*Quid feritas & in quo à crudelitate distincta.* p. 278. n. 101.

Festum.

*Quid dies festi, & unde sic dicti.* p. 510. n. 1.
*Est in Ecclesiæ potestas eos constituendi.* ibid. n. 2.
*Ipsis hæreticis quædam festa observantibus.* ibid.
*Et simplem potestatem temerè usurpantibus.* ibid.
*Non competit illa principibus sæcularibus.* ibid. n. 3.
*Sed Pontifici respectu totius Ecclesiæ & Episcopis respectu suarum Diœcesium.* ibid.
*Quid hic possit quoad institutionem festi in honorem Sancti nondum canonizati.* ibid. n. 4.
*Ad festum Episcopale etiam quæ spectent Religiosi exempti.* ibid. n. 5.
*Quid circa festorum introductionem valeat consuetudo.* ibid. n. 6.
*Durant festa à media nocte in mediam noctem.* ibid. n. 7.
*Etsi aliter per consuetudinem fieri queat.* ibid.
*Præceptum festorum partim est affirmativum, & eatenus solum præcipit auditionem Missæ.* p. 511. n. 8.
*Non concionem.* ibid. n. 9.
*Explicatur Tridentinum.* ibid.
*Ad quam, an & qualiter teneantur Parochi.* ibid.
*Partim est negativum, & eatenus inhibet opera servilia & quædam liberalia, sub gravi culpa, suppositâ materiæ gravitate & quæ sit talis.* ibid. n. 10.
*Quæ dicantur opera servilia, & quæ liberalia.* ibid. n. 11.
*Hinc scribere non est servile.* ibid. n. 12.
*Etiamsi ob mercedem fiat, vel scribens non intelligat.* ibid.
*Idem est de transscriptione.* ibid. n. 13.
*Pingere autem servile est.* ibid. n. 14.
*Et subinde facile excusabile.* p. 512. n. 14.
*Idem est de impressione, & cur potius, quam de scriptione.* ibid. n. 15.
*Secùs est de itineratione.* ibid. n. 16.
*An & quæ illi liceat jungere onera deferenda.* ibid.
*Quid de venatione, aucupio & piscatione dicendum.* ibid. n. 17.
*Item actuali militia, & artis gladiatoriæ usu.* ibid. n. 18.
*Licent opera coquinæ & alia huc spectantia.* ibid. n. 19.
*Item quæ immediatè ad honorem Dei spectant.* ibid. n. 20.
*Secùs de iis quæ tantùm remotè, nisi subinde justa ratio excuset.* ibid.
*Quid de mulieribus pro Ecclesia laborantibus.* ibid.
*Inhibetur mercatus, nisi consuetudo excuset.* ibid. n. 21.
*Item placitum.* ibid. n. 22.
*Hinc illicita & invalida est citatio in vel pro die festo facta.* ibid.
*Quid si per accidens in festum incidat.* p. 513. n. 22.
*Idem est de examine testium, etiam prævio ad festum inchoato, seclusâ consuetudine.* ibid. n. 23.
*Idem est de sententiæ executione.* ibid.
*Secùs est de quibusdam aliis advocatis functionibus.* ibid.
*Quid de judicio arbitri.* ibid.
*Et juramento tam judiciali quam extrajudiciali.* ibid. n. 24.

Causæ ab observatione Festorum excusantes.

*De causis ab observatione hujus præcepti quatenus affirmativi excusantibus.* p. 513. n. 25.
*Ab observatione ejusdem quatenus negativi, excusat necessitas propria.* ibid. n. 26.
*Hinc excusantur Pauperes, Agricolæ, Coctores laterum, calcis &c.* ibid. n. 27.
*Uxores, famuli & ancillæ quando excusentur.* ibid.
*Barbitonsores & Sartores.* ibid. n. 28.
*Item excusat necessitas publica.* ibid. n. 29.
*Qui & necessitas proximi alicujus spiritualis lucri cessantis.* p. 514. n. 30.
*Ac denique dispensatio, & cui competat eam dare.* ibid. p. 31.

Feu-

Feudum.

*Quid Feudum.* p.459. n.28.
*Quî differat ab Emphyteusi.* ibid.
*Feudi quis capax.* ibid. n.29.
*Feudum quî relevari debeat.* ibid. n.30.
*Feudi alienatio.* ibid.
*Feuda in Gallia & Brabantia sunt ferè instar patrimonialium.* ibid.
*Quid in Flandria.* ibid.
*Licentia de iis testandi apud Brabantos promiscuè conceditur.* ibid.
*Feudo vendito quæ præferentia domino competat.* ibid. n.31.
*Feudum qualiter amittatur.* ibid. n.32.
*Qualiter proprietas vasallo consolidetur.* ibid.

Fidei Commissum.

*Fidei commissum quî differat à Legato.* p. 406. n. 46.
*Aliud particulare, aliud universale.* ibid.

Fidejussor. Fidejussio.

*Quid fidejussio.* p.396. n.83.
*Quî concipienda & circa quos contractus.* ibid.
*Præsupponit aliam obligationem, saltem naturalem.* ibid. n.84.
*Potest tamen fidejussor habere obligationem strictiorem.* ibid.
*An fidejussio possit præcedere obligationem principalem.* ibid.
*Qui fidejubere possint.* p.397. n.85.
*An mulier.* ibid.
*Vide* Mulier.
*Effectus fidejussionis.* ibid. n.87.
*Beneficium excussionis quale.* ibid.
*Hunc quî renuntietur.* ibid.
*Beneficium divisionis quale & quibus competat.* ibid. n.88.
*Quî renuntietur.* ibid.
*Quomodo & quando sit utrumque hoc beneficium applicandum.* ibid. n.89.
*Qualiter cesset fidejussoris obligatio.* ibid. n.90.
*Novitius nequit esse fidejussor.* p.533. n.37.

Fides.

*Fidei variæ acceptiones.* p.25. n.1.
*An aliquando in Scriptura sumatur pro fiducia.* ibid. n.2.
*Usitatè sumitur pro assensu credulitatis.* ibid. n.3.
*Per tropum etiam tribuitur ipsi objecto.* p.26. n.3.
*Fides Theologica quid.* ibid. n.4.
*Definitio Apostoli.* ibid.
*Fides quo sensu in substantia sperandarum rerum.* ibid.
*Quo sensu sit argumentum non apparentium.* ibid. n. 5.
*Fides quomodo dicatur lumen.* p.39. n.26.
*Fides quando præsumatur habita emptori.* p.371. n. 8.

Fidei Actus.

*Inter fidem & scientiam non est repugnantia quoad actum unius & habitum alterius.* p. 39. n. 27.

*Actus fidei & visionis beatificæ repugnant de potentia ordinata.* ibid n.28.
*Juxta multos etiam de potentia absoluta, sed non allegatur solida implicantia.* ibid. & seq.
*Solvuntur implicantiæ allegatæ.* ibid. & seqq.
*Actus fidei & notitiæ naturalis intuitivæ, aut propriæ scientificæ, connaturaliter non consistunt in eodem.* p.40. n.32.
*Probatur ex Scriptura etsi non efficaciter, & dictis Patrum.* ibid. & seq.
*Rationes diversæ allegantur, & probatur intrinseca repugnantia, quæ non videtur subesse.* ibid. n.34.
*Ratio Auctoris.* ibid. n.35.
*Inter actus fidei plurimi reperiuntur formalissimè practici.* p.139. n.8.
*Actus fidei non est discursivus.* ibid. n.9.
*Varii discursus susceptionem fidei præcedunt.* ibid. n. 10.
*Actus fidei est liber.* p.140. n.11.
*Præsertim libertate exercitii.* ibid.
*Qua ratione sit liber quoad specificationem, quâ ratione non.* ibid. n.12.
*Notanda quoad hoc circa hæreticos.* ibid. n.13.
*Assensus fidei necessarius divinitus non repugnat.* p.141. n.14.
*Ad assensum liberum Fidei datur motio voluntatis prævia, respiciens considerationem notarum Fidei.* ibid. n.15.
*An præterea requiratur positiva volitio imperans directè assensum Fidei.* ibid. n.16.
*Sententia* Scotistarum *negans probatur.* ibid.
*Opposita doctrina multum verosimilis esse ostenditur.* ibid. n.17.
*Assensus Fidei supernaturalis nequit esse falsus.* p.142. n. 21.
*Satisfit objectionibus.* p.143. n.22. & seqq.
*An assensus fidei possit saltem per accidens esse causa assensus falsi, ipsiusq; falsitatis.* p.144. n. 27.
*Assensus Fidei est certus.* ibid. n.28.
*Immo est certior scientificâ cognitione.* p. 145. n. 29.
*Cur magis vacillationibus incidentibus subjectus quam assensus evidens.* ibid. n.30.
*An assensus disjunctivæ ex contradictoriis sit certior unâ parte revelatâ.* ibid. n.31.
*Fidei supernaturalis assensus rectè consistit cum assensu opinionis aut fidei humanæ in eodem intellectu.* p.42. n.41.

Fidei Confessio.

*Præceptum confitendi fidem, aliud est divinum, aliud Ecclesiasticum.* p.157. n.4.
*Præceptum Ecclesiasticum quos concernat.* ibid.
*An graviter obliget.* ibid. n.5.
*Confessio Fidei an fieri possit per Procuratorem.* ib.
*Præcipitur fidei confessio in Scripturis præcepto affirmativo & negativo.* ibid. n.6. & seq.
*Affirmativum in casibus ordinariis satis impletur à fidelibus.* ibid. n.8.
*An ratione sui obliget.* ibid.
*Quî obliget ex charitate proximi.* ibid. n.9.
*Regula generalis de hoc præcepto.* p.158. n.9.

*Interrogatus de fide quando non teneatur respondere.* ibid. n.10.
*An teneatur, si interrogetur auctoritate publica.* ibid.
*Varii casus practici resolvuntur.* ibid. n.11.
*Non est signum negatæ fidei præcisa taciturnitas, uti nec interrogationis elusio, etsi publicâ potestate fiat.* ibid. n.12.
*Quel practicè judicandum in casu quo interrogatur quis à publica potestate.* ibid.n.13.
*An liceat pecuniis aut precibus redimere vexam urgentium ad respondendum de fide &c.* ibid. n. 14.
*Confessionem fidei in persecutione declinare per loquendo licitum.* p.159. n.15.
*Immo aliquando est præceptum, etiam Pastoribus.* ibid. n.16.
*Interdum tamen illicitum.* ibid. n.17.
*Interdum est liberum sive fugere, sive manere.* p. 160. n.18.
*Fidem in persecutione posse negari, variì Hæretici senserunt.* ibid. n.19.
*Fides oppositum docet.* ibid. n.20.
*Patet ex Scriptura.* ibid.
*Ex perpetuo sensu Ecclesiæ ac Patrum.* ibid. n.21.
*Et ratione.* ibid.
*Perinde est quidvis signis, sive directè & explicitè, sive indirectè & implicitè fides negetur.* ib. n. 22.
*Salvâ fidei confessione, quo sensu accepta nomina Papista, Fidelis &c. possint in casu negari.* ibid. n. 23.
*Negare quis posset se esse Sacerdotem vel Religiosum.* p.161. n.23.
*Negare fidem exterius cum æquivocatione aut restrictione est illicitum.* ibid. n.24.
*Patet ex sensu Ecclesiæ.* ibid.
*Et sensu & exemplis Martyrum.* ibid. n.25.
*Ac ratione Theologica.* ibid.n.27.
*Confessio externa est actus fidei.* p.156. n.1.
*Non est propriè actus ejus elicitus aut imperatus.* ibid.
*A quo ipsa imperetur.* ibid.n.2.
*Confessio est actus fidei juxta varias considerationes.* ibid. n.3.

## Fidei Habitus.

*De variis habitum fidei tangentibus.* p.137.n.1.
*Habitus fidei est simplex.* ibid. n.2.
*Nonnullis probationibus rejectis melior adducitur.* ibid.
*Habitus fidei constat gradibus intensivis.* p.138. n. 3.
*Quâ ratione fides sit major in uno quam in alio.* ibid.
*Habitus fidei distinguitur à speciebus intelligibilibus.* ibid. n.4.
*Non manet in hereticis etsi unico articulo discredentibus.* ibid. n.5.
*Occurritur objectionibus.* ibid. n.6.
*Habitus fidei non potest ex parte minui.* p.139. n. 7.
*Habitus fidei est simpliciter practicus.* ibid.n.8.
*Etsi quædam veritates fidei sint formaliter speculativæ.* ibid.

## Fidei Necessitas.

*Fides actualis non est necessaria parvulis baptizatis ad salutem ante usum rationis morientibus.* p.145. n.32.
*Fides actualis adulto peccatori necessaria est necessitate medii.* ibid. n.33.
*Probatur variè.* p.146. n.34.
*Sententia opposita refertur & censuratur.* ibid. n. 35.
*Scripturam adstruere necessitatem fidei majorem quam baptismi unde colligatur.* ibid.
*Philosophi gentiles non fuerunt sufficienti notitiâ præditi ad glorificandum Deum salutariter.* ibid. n.36.
*Explicatur illud Apostoli ad Rom.2.* Gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. ibid. n. 37.
*Actus fidei supernaturalis de lege ordinaria prærequiritur ad actum voluntatis supernaturalem.* ibid. n.38.
*Sine fide tamen supernaturali aliquem justificari non repugnat de potentia absoluta.* p. 147. n. 39.
*Opinio asserens sufficere de facto notitiam gratuitam ex creaturis haustam refertur, & reprobatur.* ibid.n.40.
*Qua fides explicita & quomodo differat ab implicita.* p.147.n.41.
*Fides explicita Dei semper fuit omnino necessaria.* ibid. n.43.
*Fides explicita remunerationis in altera vita semper necessaria fuit.* p.148. n.44.
*Fides explicita Mediatoris an, vel qualiter ante legem novam necessaria.* ibid.n.45.
*Fides explicita Incarnationis aut Trinitatis non fuit illo tempore necessaria.* ibid.n.46.
*Locus* Nazianzeni *elucidatur.* ibid.
*Sine fide explicita Mediatoris an casu raro potuerit obtineri justificatio.* p.149. n.47.
*Fides explicita Incarnationis & Trinitatis est necessaria in lege nova.* ibid. n.48.
*An in omni casu etiam invincibilis ignorantia.* ibid. n.49.
*Fidei explicitæ necessitatem de mysteriis Christi pro quovis tempore videtur adstruere locus* Augustini. p.150. n.53.
*Ejus tentum expenditur.* ibid.n.54. & seq.
*Cum fidei mysteria ignorante qualiter agendum confessario.* p.153. n.68.
*Fidei mysteriorum ignorantia invincibilis, an interdum detur.* ibid.n.69.
*Infideles non damnandi ob meram ignorantiam, sed quare.* ibid.
*Fidei ignorantiam non facit necessario culpabilem sufficientia auxilii.* ibid.n.70.
*Nequit quilibet in sua fide salvari.* p.79.n.4.

## Necessitas Medii.

*Quænam censeantur necessaria necessitate medii.* p.145. n.33.
*Qui necessitas medii distinguatur à necessitate præcepti.* ibid.

Obliga-

*Obligatio curatorum instruendi suos in iis, quæ juxta probatorum Auctorum sententias sunt necessaria scitu necessitate medii.* p.147. n.42.
*Necessitas medii quoad mysterium Trinitatis insufficienter à quibusdam infertur ex mysterio Incarnationis.* p.148. n.49.
*Opinio distinguens inter necessitatem ad justificationem & necessitatem ad salutem requisitam.* ibid. n.50.
*Exemplum* Cornelii Centurionis *expenditur.* ib. n. 51.

## Necessitas Præcepti.

*Quanam censeantur necessaria necessitate præcepti.* p.145. n.33.
*Quorum fides seu notitia explicita sit necessaria necessitate præcepti.* p.150. n.56.
*Sententia asserens sufficere in genere credi quod credit Ecclesia reprobatur.* ibid.
*Necessaria necessitate medii sunt pariter necessaria ex præcepto.* p.151. n.58.
*An sint necessaria scitu eo ipso mysteria, quæ Ecclesia solemnizat.* ibid.
*Ex præcepto sunt omnibus scienda & credenda contenta symbolo Apostolorum.* ibid. n.59.
*Non sufficit illud scire memoriter idiomate ignoto.* ibid. n.60.
*An debeat saltem sciri memoriter.* ibid.
*Contenta rudi modo nosci sufficit.* ibid.
*Quod de Trinitate, Incarnatione, conceptu de Spiritu sancto exemplificatur.* ibid.
*An sit necessitas quoad omnes credendi ut symbolum perpetuam* Mariæ *virginitatem.* ibid. n. 61.
*Non est obligatio stricta sciendi quasdam circumstantias in symbolo expressas.* p.152. n.61.
*Quid censendum de descensu ad inferos.* ibid. n.62.
*Quid de sessione ad dexteram Patris.* ibid. n.63.
*Quid de Communione Sanctorum.* ibid.
*Non tenentur præcepto sciendi impotentes ad intelligendum quædam mysteria.* ibid.
*Quorum Sacramentorum necessaria cognitio.* ib. n. 64.
*Necessitas sciendi præcepta Decalogi & quinque Ecclesiæ.* ibid. n.65.
*Quid censendum de signo crucis.* ibid. n.66.
*Quando incipiat obligatio præmissa discendi.* p. 153. n.67.

## Fidei Objectum.

*Quodnam genuinum objectum materiale fidei.* p.26. n.6.
*Ad ipsum spectant sola actu revelata, etiam ipsa fides & veracitas Dei.* ibid.
*Dari absolutè posset veracitas non potens credi supernaturaliter, immo nec revelabilis, etsi de facto non detur.* ibid.
*Objectum Fidei complexum quid.* p.27. n.7.
*Quid complexe.* ibid.
*Subjectum Fidei quid.* ibid.
*Deus est subjectum primarium primitate dignitatis, & attributionis.* ibid. n.8.
*Inter objecta fidei, an vel qualis ordo.* ibid. n.9.
*An omnia æqualiter ad fidem pertineant.* ib. n.10.
*Varia de objecto formali sententia refutantur.* p. 28. n.11.
*Communis & vera sententia pro objecto formali statuit primam veritatem in revelando.* ib. n.12.
*In quo prima veritas consistat, declaratur.* ibid. n. 13.
*An simplices ab ea moveantur.* ibid. n.14.
*Uno modo Ecclesia spectata testimonium est ratio cognita revelationis.* p.29. n.15.
*Idem de ipsa alio modo considerata amplius declaratur.* ibid. n.16.
*Qua ratione propositio Ecclesiæ sit necessaria.* ibid.
*Defectus omnium hæreticorum hac in parte.* ibid. n. 17.
*Qualiter in resolutione fidei vitetur circulus.* ibid. n. 18.
*Non posse pro ratione credendi statui lumen fidei declaratur.* p.30. n.19.

## Fidei Præceptum.

*An præceptum fidei sit naturale.* p.155. n.75.
*Præceptum credendi quo tempore per se obliget.* ibid. n. 76.
*Quando obliget per accidens.* ibid. n.77.
*Præceptum fidei explicitæ non est Ecclesiasticum, sed divinum.* ibid. n.74.

## Fidei Simulatio.

*Non licet umquam sacrificando idolis aut similibus factis simulare falsam religionem.* p. 162. n. 28.
*Possunt tamen per jocum aut in scena similes actus repræsentari.* ibid. n.29.
*Solvitur difficultas de Naaman Syro* 4. Reg. 5. ibid. n.30.
*Explicatur difficultas de simulatione Jehu.* ibid. n. 31.
*Explicatur illud* Apostoli: Factus sum Judæis tamquam Judæus. ibid. n.32.
*Discutitur factum S. Eusebii Vercellensis.* ibid.
*Qui differant, dissimulare veram fidem, & simulare falsam.* p.163. n.33.
*Licitè occultatur fides vestitu communi nationis infidelis.* ibid. n.34.
*Numquam id licet verbo aut signo præcepto gestari in honorem falsæ sectæ.* ibid.
*Triplex genus vestium infidelitatem denotantium.* ibid. n.35.
*Ad fidem occultandam juxta multos nullum horum esse licitum probatur.* ibid. n.36.
*Opposita sententia adfertur & declaratur.* ibid. n. 37.
*Quid in praxi censendum.* p.164. n.39.
*Christiani in necessitate possunt omittere gestationem vestis præscriptæ à principe infideli ad hoc ut dignoscantur.* ibid. n.40.
*Limitatio quædam discutitur.* ibid. n.41.
*Qualiter liceat comparere ad Hæreticorum sepulturas & nuptias.* p.165. n.45.
*Citra peccatum contra fidem posset quis adire templa hæreticorum ad videndam eorum Calvinisticam aut ceremonias Judaicas.* ib. n.46.
*Idem per se est de accessu ad conciones hæreticorum.* ibid. n.47.

*Dissuadendus tamen ille accessus & quando.* ibid. & seq.
*Edictum Regis Angliæ hac de re expenditur.* ib. n. 49.

Fidei Subjectum.

*Subjectum Fidei quid.* p. 27. n. 7.
*Vide* Fidei objectum.

Fides Bona.

*Bona Fides qui requiratur ad præscriptionem.* p. 313. n. 172.
*An per superveniens dubium bona fides tollatur* ibid. n. 73.
*Vide* Præscriptio.

Filius.

*Filii-familias qui.* p. 300. n. 86.
*Quomodo olim jure Romano erant sub patria potestate instar servorum.* ibid.
*Quæ inter utrosque differentia.* ibid.
*Postmodum hæc temperata circa Filios.* ibid.
*Quadruplex nunc eorumdem peculium.* ibid. n. 87.
*Peculium castrense qualiter sit filiorum familias.*
*Vide* Peculium.
*An filio familias censeatur adventitia merces operarum extraordinariarum.* p. 301. n. 93.
*Mores hodierni qui.* ibid. n. 94.
*Filii familias de quibus bonis contrahere possint.* p. 391. n. 52.
*Filio non emancipato donatio facta quomodo valeat.* p. 405. n. 36.
*Filii naturales, qui censeantur jure civili, sive canonico.* p. 411. n. 73.
*Filii naturales quomodo à Patre possint jure scribi heredes.* ibid. n. 71.
*Quid ad illos devolvatur ab intestato.* ibid.
*Matris qui succedant naturales.* ibid. n. 72.
*Filii familias sine consensu parentum mutuum accipientes non tenentur solvere.* p. 414. n. 5.
*Quidam casus excipiuntur.* ibid.
*Filius an gravi patris necessitate nequit ingredi Religionem.* p. 531. n. 15.
*Quo casu etiam professus teneatur exire.* ibid. n. 16.
*Quid si necessitas post professionem obveniat.* ibid.

Fœnus.

*Quid fœnus, & qui fœneratores.* p. 474. n. 6.
*Vide* Usura.

Fornicatio.

*Simplex fornicatio est peccatum mortale juxta fidem.* p. 265. n. 23.
*Ratio illius malitiæ unde sumatur.* ibid.
*Concubinatus quid superaddat simplici fornicationi.* ibid. n. 24.
*De pœnis illius.* ibid.

Fortitudo.

*Quid fortitudo generatim sumpta.* p. 281. n. 1.
*Quid specialius sumpta.* ibid.
*An sit virtus specialis.* ibid.
*Moderatur timorem, audaciam & tristitiam.* ibid. n. 2.
*An vestetur circa passiones, an immediatè circa actiones.* ibid.
*Qui sint actus fortitudinis.* ibid. n. 3.
*Martyrium qui sit actus fortitudinis.* ibid. n. 4.
*Quæ sint testamenta fortitudinis.* ibid. n. 5.
*Ei per defectum opponuntur timiditas & ignavia, vitia invicem connexa.* p. 282. n. 6.
*An sint gravia peccata.* ibid.
*Per excessum opponuntur intimiditas & temeritas.* ibid. n. 7.
*Unde nascuntur.* ibid.
*Qualiter sint peccaminosa.* ibid.
*Partes fortitudinis sunt, Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, Longanimitas, Perseverantia seu Constantia.* ibid. n. 8.
*Qualiter patientia se habeat ad fortitudinem.* p. 283. n. 14.

Frater Minor.

*Fratrum Minorum altissima paupertas excludit omne omnium temporalium, etiam mobilium dominium, tam in speciali quam in communi.* p. 304. n. 113.
*Vide* Dominium.
*Fratres Minores non possunt heredes constitui.* p. 411. n. 69.
*Fratres Minores speciali voto obligantur Pontifici.* p. 536. n. 62.
*Suis superioribus in omnibus animæ & regulæ suæ non contrariis.* ibid. n. 63.
*Quæ sint talia.* ibid.
*Frater Minor vi Regulæ specialiter obligatur in materia castitatis vitare suspecta mulierum consortia.* p. 537. n. 68.
*Quæ sint talia.* ibid.
*Fratrum Minorum altissima paupertas declaratur.* p. 539. n. 80.
*Quarum rerum Ecclesiæ sibi assumpserit dominium.* ibid. n. 81.
*An etiam pecuniarum.* ibid.
*Fratres Minores nequeunt habere annuos reditus, neque idem pro sacristia.* ibid. n. 82.
*Fratres Minores non possunt vendere, emere &c.* p. 540. n. 83.
*Fratres Minores qualiter teneantur ad usum arctos.* ibid. n. 84.
*Fratribus Minoribus an interdictus transitus ad Carthusianos.* p. 542. n. 100.

Fraus.

*Fraus prout opponitur prudentiæ quid.* p. 260. n. 21.
*Qui peccet & ad quid teneatur qui alterum inducit ad malum per vim vel fraudem.* p. 324. n. 2.
*Quid si fraus absfuerit.* ibid.
*Vide* Abductio.
*Fraudes in ludo quæ permissæ.* p. 463. n. 57.

Fructus.

*Fructus Spiritus S. quinam & unde sic dicti.* p. 14. n. 49.
*Vide* Virtus.
*Fructus rei venditæ ante solutionem pretii ad quem pertineant.* p. 440. n. 53.
*Quid de fructibus medii temporis quando contractus dissolvitur.* p. 442. n. 61.
*Item quid de fructibus perceptis & pendentibus tempore retractus.* ibid. & p. 443. n. 66.
*Fructus ex re furtiva percepti an & quinam restituendi.* p. 360. n. 34. & seqq.
*Vide* Furtum.

Fuga.

*An reo mortis licita sit fuga è carcere.* p. 475. n. 57.
*Vide* Reus.

Fugitivus.

*Fugitivus è religione quis dicatur.* p. 543. n. 110.
*Quas pœnas incurrat.* ibid. n. 111.

Furtum. Fur.

*Quid furtum.* p. 355. n. 1.
*Damnificatio citra commodum damnificantis impropriè furtum.* ibid.
*Rapina quid differat à furto.* ibid. n. 2.
*Item iniqui contractus.* ibid.
*His dicuntur furta fraudulenta, rapinæ, violenta, propriè dicta, occulta.* ibid.
*Omnia prohibentur per illud:* Non furtum facies. ibid. n. 3.
*Quid plagium, & quid differat à furto.* ibid. n. 4.
*Furtum est ex genere suo mortale.* p. 356. n. 5.
*Levitas materiæ facit, ut sit veniale.* ibid.
*Quæ gravis materia furti.* ibid. n. 6.
*Prima opinio refertur & probatur statuens gravitatem materiæ esse æstimandam ex quantitate in bonis fortunæ communi & morali judicio notabili, sine respectu ad diversa genera personarum.* ibid.
*Variam defendendi modi.* ibid. n. 7.
*Opinio statuens aureum.* ibid.
*Opinio statuens florenum vel mercedem diurnam operarii honesti.* ibid.
*Qui graviter interdum delinqui possit etiam ablatione rei minimæ.* ibid. n. 8.
*Secunda opinio adducitur statuens gravitatem materiæ non dari esse pro varia personarum, locorum &c. varietate.* ibid. n. 9.
*Varii modi illam explicandi.* ibid.
*Quid attendendum pro praxi.* ibid. n. 10.
*Quid circa furta filiorum.* ibid.
*Parva furta coalescunt etiam subtracta diversis.* p. 357. n. 11.
*De quibus specialiter idem confirmatur.* ibid. n. 12.
*Evasioni cuidam occurritur.* ibid. n. 13.
*Differentia inter auferentem modica ex occasione, & ex intentione.* ibid. n. 14.
*Qui requiratur major materia.* ibid. n. 15.
*Furta famulorum.* ibid. n. 16.
*An tollendæ gravi culpæ sufficiat restitutio materiæ quæ parte est gravis.* ibid. n. 17.
*Qualiter peccent plures quorum singuli ab eodem modicum surripiunt.* p. 358. n. 18.
*An fur continuò peccet, donec restituat.* ibid. n. 19.
*Furi restitutio sic facienda, ut perfecta indemnitas sit domino.* p. 359. n. 23.
*Qualiter fur teneatur præstare casus fortuitos.* ibid. n. 24.
*An teneatur si res certò simili casu erat apud dominum peritura.* ibid. n. 25.
*Opinio communior negat.* ibid.
*Quæ non procedit, si non erat certus apud dominum rei interitus.* ibid. n. 26.
*Vel si per injuriam erat peritura.* ibid.
*Neque etiam in foro externo.* ibid.
*Immo variorum opinione nequidem in foro conscientiæ.* ibid. n. 27.
*Quid si culpa furis res pereat certò citra culpam peritura apud dominum eo loco & tempore.* ibid. n. 28.
*Quomodo teneatur fur, si factus sit ditior.* ibid. n. 29.
*Vel alio loco aut tempore eam deseruerit.* p. 360. n. 29.
*Res apud furem meliorata est tota domino restituenda.* ibid. n. 30.
*An deductis expensis.* ibid.
*Corollarium.* ibid. n. 31.
*Quid agendum si res manserit in eodem statu.* ibid. n. 32.
*Quid si detersorata.* ibid. n. 33.
*Fructus percepti qui non sunt meræ industriæ, sunt restituendi.* ibid. n. 34.
*Etsi dominus eos non fuisset percepturus.* ibid. n. 35.
*Vii & non percepti à fure, sed percipiendi à domino.* p. 361. n. 35.
*Quantumvis hic non meliorasset rem, à fure cujus fructus negligentiore, melioratam.* ibid. n. 36.
*Qualiter sit resarciendum damnum incultus in re crescente.* ibid. n. 37.
*Vide* Restitutio.
*Furtum in loco sacro est sacrilegium.* p. 514. n. 36.
*An etiam si res non sacra tantum per accidens sit in loco sacro.* ibid.
*Pœna in fures sacrilegos à jure lata & à judice ferenda.* p. 415. n. 37.

Cooperantes Positivè.

*Cooperantes ad injustam damnificationem graviter peccant.* p. 361. n. 38.
*Novem modi cooperandi recensentur.* ibid.
*Mandans qui peccet & teneatur ad restitutionem.* ibid. n. 39.
*Quid si in damnum non insuerit mandatum.* ibid.
*Quid si sit revocatum.* ibid.
*Ratum habens maleficium suo nomine patratum, non tenetur in qualitate mandantis.* ibid. n. 40.
*Multò minùs si factum non fuerit nomine ipsius.* p. 362. n. 40.

*An sequatur irregularitas in materia homicidii.* ibid.
*Objectionis satisfit.* ibid. n. 41.
*Consulens quomodo teneatur ad restitutionem.* ibid. n. 42.
*Consilio revocato quando non teneatur.* ibid.
*Quando è contra teneatur.* ibid.
*Differentia inter mandantem & consulentem.* ibid.
*An certus de damno, dubius an consilium datum influxerit, teneatur ad restitutionem.* ibid. n. 43.
*Non requiritur generatim ut consulens sit causa sine qua non damni.* p. 363. n. 44.
*Si alter erat planè determinatus ad damnum, an teneris ad restitutionem.* ibid. n. 45.
*An tenearis si moveris, ut propterea citius, animosius &c. fieret.* ibid.
*Opinio affirmans probatur.* ibid.
*Opinio negans cum suo fundamento.* ibid. n. 46.
*Contra hanc arguitur.* ibid. n. 47.
*Ad quid tendatur suadens furti dilationem in crastinum.* ibid.
*Quid censendum de eo qui suadet auferri minus.* ibid.
*Vel qui è contra suadet auferri aliquid amplius.* ibid.
*An volenti furari majus licitè suadeatur, ut furetur minus à tertio.* ibid. n. 48.
*Quid si fur hæreat anceps inter utrumque.* ibid.
*An saltem in genere possit ingeri minora mala potius facienda.* ibid.
*Opinio* Lugo *&* Pontij. p. 364. n. 49.
*Consentientes quomodo peccent ac teneantur ad damna præstanda.* ibid. n. 50.
*Quid censendum de suffragantibus post sufficientem numerum suffragiorum.* ibid. n. 51.
*Limitatio quædam.* ibid. n. 52.
*Palpo quomodo teneatur.* ibid. n. 53.
*Receptatores obligati quinam sint.* ibid.
*Qui excusentur.* p. 365. n. 54.
*An excusetur qui furem ad excem quæsitum occultat.* ibid.
*An advocatus licitè furem defendat.* ibid.
*Participans in præda ad quid teneatur.* ibid. n. 55.
*Participantes in injusta actione qui.* ibid.
*Ad quid teneantur.* ibid.
*In exspoliatione urbis an singuli teneantur in solidum.* ibid. n. 56.
*Triplex circa hoc opinio, prima negans, secunda affirmans, tertia utrasque concilians.* ibid.
*Arguitur in favorem secundæ opinionis.* ibid. n. 57.

Cooperantes Negativè.

*Quinam sint cooperantes negativè.* p. 365. n. 58.
*Obligati ex officio vel contractu tenentur ad reparationem damni.* ibid.
*Iidem specificantur.* p. 366. n. 59.
*Famuli ad quid teneantur hac in re.* ibid.
*Quæ causa prædictos excuset.* ibid. n. 60.
*An compensanda sint mulctæ neglectæ.* ibidem n. 61.
*Secluso officio vel contractu, obligat sola charitas ad damnum impediendum.* ibid. n. 62.
*Quid si quis alteri suadeat, ne impediat.* ibid.
*Variæ Canones explicantur.* ibid. n. 63.
*An privatus pecuniâ acceptâ non clamans teneatur ad restitutionem.* ibid. n. 64.
*Quo ordine teneantur cooperantes restituere.* p. 367. n. 65.
*Opinio affirmans aliquorum refertur inter cooperantes non teneri unum ante alterum, sed singulos pro rata.* ibid.
*Contraria opinio communis probatur.* ibid. n. 66.
*Quis dicatur teneri primo loco, quis secundo, qui in eodem gradu.* ibid.
*Primo loco tenetur qui alienum in se vel æquivalenti habet.* p. 367. n. 67.
*Secundo loco mandans.* ibid.
*Tertio executor.* ibid.
*Quarto cæteri positivè cooperantes.* ibid.
*Quando inter hos sit ordo.* ibid.
*Postremo loco tenentur cooperantes negativè.* ib. n. 68.
*Quis inter eos sit ordo.* ibid.
*Vi vel fraude impellens ad mandandum aut aliter cooperandum priori loco tenetur.* p. 368. n. 69.
*Remissio uni cooperantium facta qui excusat cæteros.* ibid. n. 70.

G

Gabella.

*Vid gabella.* p. 493. n. 70.
*Gabellæ ratione retractûs non sunt iterato solvendæ.* p. 443. n. 66.

Gnome.

*Gnome quid sit.* p. 259. n. 15.
*An sit pars potentialis prudentiæ.* ibid.

Gratitudo.

*Quid gratitudo.* p. 570. n. 23.
*An sit specialis virtus.* ibid. n. 24.
*Ejus officia sunt beneficii æstimatio, benigna acceptatio, gratiarum actio, grata commemoratio, reciproca beneficii præstatio.* ibid. n. 25.
*Qualiter pauperes queant gratitudinem exercere.* ibid. n. 26.

Gula.

*Gula vitium capitale varia præsertim luxuriam gignit.* p. 268. n. 44.
*Quæ præterea incommoda.* p. 269. n. 44.
*Gula ex communi sententia est veniale peccatum ex genere suo.* ibid. n. 49.
*Valdè credibile est eam posse fieri mortalem in genere suo.* ibid. n. 50.
*Opinio Auctoris Neoterici de peccato gulæ refertur.* p. 271. n. 50.

## H.

### Habitatio.


*Quid habitatio.* p.290.n.35.
*In quo ab Usu differat.* ibid.


### Heres.


*Damna realia transeunt ad heredes damnificantis.* p.337.n.78.
*Secus est de mulctis.* ibid.
*Quæ restitutio facienda heredibus damnificati.* ibid. *Vide* Restitutio.
*Heres Usurarij ad quid teneatur.* p.425.n.63.


### Hæresis. Hæreticus.


*Etymon vocis Hæresis.* p.169.n.14.
*Quid hæresis formalis.* ibid.
*An in regionibus hæreticis multi sint excusati ab hæresi formali.* p.171.n.23.
*An sit hæreticus qui negat articulum, quem falsò putat definitum.* ibid.n.26.
*Item qui negat conclusionem theologicam.* ibid.
*An pertinaciter dubitans de fidei mysterio sit hæreticus.* ibid.n.27.
*Defectu communionis hæreses quî arescant.* p.82.n.51.
*Inconstantia doctrinæ unde in hæreticis oriatur.* ibid.n.54.
*Impuritas qualis doctrinæ hæreticorum.* p.83.n.58.
*Defectus sanctitatis consequens.* p.84.n.59.
*Mores recentiorum hæreticorum pessimi.* ibid.n.60.
*Consideratio inde desumpta.* ibid.
*Deest hæreticis efficacia doctrinæ, quorum hac in parte genius describitur.* ibid.n.62.
*Hæreticis desunt Ecclesiæ Apostolicæ census.* p.89.n.81.
*Et Episcoporum successio, immo & Episcopi carent.* ibid.
*Manifestum est ijs, uti deest successio personarum, sic deesse successionem doctrinæ.* p.92.n.91.
*Hæresiarchis recentioribus nomen Episcopi quam inepte tribuatur.* p.89.n.82.
*Ex sola identitate doctrinæ apertè convincuntur novatores.* p.93.n.95.
*Hæreses olim damnatas resuscitant.* ibid.
*Inquietudo frequentium eorum quam fundata, & electio quam temeraria.* p.93.n.96.
*Genius Arianorum & aliorum hæreticorum circa tractationem Scripturarum.* p.80.n.47.
*Provocatio eorum ad scripturam an vel qualiter admittenda.* ibid.n.48.
*Manifestè refutantur hæretici ex eo quod tradant scripturam solam esse regulam fidei.* p.94.n.98.
*Præsumptio eorum quod intelligentiam scripturæ ab Augustino retundatur.* ibid.n.99.
*Novella hæresis ab* Innocentio X. *damnata de duplici capite, Petro & Paulo declaratur.* p.116.n.21.
*Eadem refutatur.* ibid.
*Ad Hæresim non requiritur ut fides aut baptismus præexstiterit.* p.148.n.7.
*Hæreticorum ritus an vel quando tolleri possint.* p.177.n.52.
*Hæreticis an data fides à Principibus & Ecclesia servari debeat.* ibid.n.53.
*Hæreticorum librorum lectio.* p.182.n.77. & seqq. *Vide* Libri prohibiti.
*Hæretici quadam festa instituunt & observant.* p.510.n.2.


### Hæreticorum Pœnæ.


*Pœnis Ecclesiasticis non subjacent non baptizati.* p.186.n.99.
*Sed soli hæretici atque etiam apostatæ.* ibid.
*Omnes pœnas hæreticorum incurrunt apostatæ.* ib.
*Requiritur ut peccatum sit externum.* ib.n.100.
*Non sufficit tamen merè externum.* ibid.
*Sufficit occultum.* ibid.
*Pœnæ spirituales hæreticorum recensentur.* ibid.n.101. & seqq.
*Pœnæ temporales enumerantur.* p.187.n.102.
*Pœnæ corporales variæ, etiam mortis.* ibid.n.103.
*Notanda pro Belgio.* ibid.n.104.
*Quam justè impositæ negant variij hæretici, non tamen* Calvinus. ibid.n.105.
*Justè mortem infligi est doctrina Catholica.* ibid.n.106.
*Patet ex declaratione, & canonibus ecclesiæ, nec non legibus Imperatorum.* ibid.
*Idem colligitur ex divina veteris testamenti ordinatione & locutionibus Scripturæ novi Testamenti.* ibid.n.107.
*Item ex Patribus.* ibid.n.108.
*Et ex antiqua in Ecclesia praxi.* p.188.n.109.
*Idem probatur ex ratione.* ibid.n.110.
*Et experientia.* ibid.n.111.
*Dissimulatio in Luthero adhibita quam perniciosa Ecclesiæ fuerit.* ibid.
*Notabile dictum* Hieronymi. ibid.
*Occurritur objectionibus ex scriptura petitis.* ib.n.112.
*Cur ab initio ecclesiæ non fuerint hæretici morte puniti.* ibid.
*Auctoritas* Chrysostomi *innixa verbis Christi* Matth. 13. *discutitur.* ibid.n.113.
*Hæretici non gaudent immunitate ecclesiastica.* p.517.n.52.


### Homicidium. Homicida.


*Homicidium an & quando liceat. Vide* Occisio.
*Homicidia committentes in Ecclesia vel cœmeterio non gaudent privilegio immunitatis ecclesiastica.* p.516.n.50.
*Nec homicidæ proditorij & qui censentur tales.* p.517.n.51.


### Restitutio ratione Homicidij.


*An pro damnis spiritualibus sit aliquid restituendum occiso.* p.335.n.62.
*Pro vita & membris nil ex rigore justitiæ restituendum.* ibid.n.63.
*Favet praxis tribunalium.* p.336.n.64.
*Denique favent leges.* ibid.n.65.
*Damna temporalia compensanda.* ibid.n.66.

*Quid ratione injuriæ agendum.* ibid.
*Pacificatio cum propinquis occisi ad quid necessaria.* ibid.
*Pro expensis funeris an aliquid restituendum.* ib. n. 66.
*Compensandæ expensæ in medicos.* ibid.
*Item operæ amissæ.* ibid.
*An detrahenda laboris impendendi æstimatio.* ib. n. 68.
*Qui facienda damnorum æstimatio.* ibid.n.69.
*Damna realia transeunt ad hæredes damnificantis.* ibid.n.70.
*Secus de mulctis.* p.337. n.70.
*Restitutio præmissorum etiam facienda hæredibus damnificati.* ibid.
*Damna aliis ex morte occisi obvenientia an restituenda.* ibid.n.71.
*Puta creditoribus, famulis, propinquis, pauperibus, parentibus, uxori, prolibus.* ibid.n.72.
*Judicium Auctoris.* ibid.n.73.
*Condonatio injuriæ seu pacificatio an contineat condonationem damnorum.* ibid.n.74.
*Condonatio plena læsi quid operatur.* ibid.n.75.
*An excuset à restitutione pœna talionis.* ib.n.76.
*Quid censendum, si vulneratus moriatur vulnere non existente lethali.* p.338.n.77.
*Ad quid teneatur occidens alterum nihilominus certò moriturum.* ibid.
*Ad quid teneatur invasus si occidendo excedat moderamen inculpatæ tutelæ.* ibid. n.78.

Homo.

*Homo non est dominus vitæ & membrorum.* p. 298. n.75.
*Occurritur quibusdam objectis.* ibid.n.76.
*Actiones liberæ sunt sub hominũ dominio.* ib.n.77.
*Nec non fama.* ibid.n.78.
*Sub hominum dominium cadunt bona externa.* ibid. n. 80. *Vide* Dominium.

Honestas.

*Quid honestas.* p. 262. n.6.
*Quo sensu sit pars integralis temperantiæ.* ibid.

Honor.

*Quid honor.* p.341.n.1.
*Qui honor supponat famam.* ibid.
*Læditur per Convitium, Improperium, Irrisionem, Subsannationem, Illusionem quæ describuntur.* p.354.n.79.
*Honorem lædere & non exhibere, qui distinguantur.* ibid.
*Eius reparatio quæ necessaria.* ibid.n.80.
*Qui modi reparandi.* ibid. n.81.
*Specialis humiliatio an interdum debita ante sententiam judicis.* p.355.n.82.
*Sumptio vindictæ an excuset prius offendentem.* ibid. n.83.

Horæ Canonicæ.

*Horæ Canonicæ quæ dicantur.* p.503.n.1.
*Quàm laudabiliter institutæ, etiam ab exordio Ecclesiæ.* ibid.
*Sunt numero septem; secundùm alios octo.* ibid. n. 2.
*Ad Horas Canonicas quinam obligentur.* ib.n.3.
*Et quo jure.* ibid.
*Quando obligatio recitandæ incipiat.* ibid.n.5.
*Ab iis recitandis liberatur religiosus electus nisi aliunde obligetur.* ibid.n.6.
*Quid de fugitivo.* ibid.
*Beneficiati an, & quando obligentur ad Horas Canonicas.* p.490..n.57. & seqq.
*An omittentes horarum lectionem teneantur ad restitutionem fructuum.* p.491.n.60.
*Vide* Beneficium.
*Obligatio recitandi Horas Canonicas est gravis supposita gravitate materiæ.* p.504.n.7.
*Tale censetur qualibet parva hora.* ibid.
*Omittens integrum officium verius unicum committit peccatum plurибus æquivalens, nisi internam voluntatem sæpius moraliter interrumpat.* ibid.n.8.
*Obligatus ad horas titulo ordinis, beneficij vel plurium beneficiorum unum tantum committit peccatum.* ibid.n.9.

Forma in recitatione servanda.

*Horæ Canonicæ sunt recitandæ iuxta formam Breviarij Romani.* p.504.n.10.
*Nisi consuetudo ducentorum annorum constitutionem* Pij V. *antecedens excuset.* ibid.
*Quam qui sequitur utendo alio breviario, probabiliùs nequit privatim uti Romano.* ibid. n. 11.
*Quod ipsum satis constat de utente breviario Romano, qui nequit satisfacere per alterum.* ibid. n. 12.
*Nisi per privilegium, quod varij extare censent, id indulgeatur.* ibid.
*Utentes breviario Romano non tenentur ad officium B. Virginis vel defunctorum, Psalmos pœnitentiales, vel Graduales.* ibid.n.13.
*Nisi obstet consuetudo constitutionem* Pij V. *antecedens.* ibid.
*Quâ suppositâ, præscriptis per rubricas diebus manet obligatio quoad chorum; non privatim.* ibidem.
*De officio defunctorum in die animarum constat, illud esse recitandum.* ibid.n.14.
*Idem est de Litanijs in festo* S. Marci *& tribus Rogationum.* p.505.n.15.
*Qualiter ad prædicta obligentur non intentes breviario Romano ex consuetudine petendum.* ibidem.
*Horas aliâ quàm latinâ linguâ recitans, satisfacit.* ibid.n.16.
*Etsi omnũ culpâ non careat.* ibid.
*Nisi saltem iusta causa excuset.* ibid.
*Peccatum est divino officio aliquid demere, vel per modum partis addere.* ibid.n.17.
*An excuset levitas materiæ si tamquam perpetuo duraturum addatur.* ibid.

Tempus & ordo.

*Cuique diei ex præscripto Ecclesiæ suum correspondet officium; in notabiliter brevius sine gravi peccato non commutabile.* p.505.n.18.

*Immo*

*Immo juxta varios nequidem in quasi æquivalens.* ibid. n.19.
*Aliis quoad hoc probabiliter contradicentibus.* ibidem.
*Si ex errore dies præfixus in recitatione præveniatur, eo occurrente, idem denuò officium est recitandum.* ibid. n.20.
*Ordo horarum inter se non obligat graviter.* ib. n. 21.
*Ideoque facilè justa subest eum invertendi causa.* ibidem.
*Quæ varia, tum pro privata, tum pro publica recitatione assignatur.* p.506.n.21.
*Tempus legendis horis præfixum est à media nocte in mediam noctem.* ibid. n.22.
*Excepto matutino cum laudibus pridie ad vesperam recitari soluto.* ibid.
*Immo juxta aliquos ab hora secunda; sed infundatè.* ibid.
*Prius tamen omnibus istius diei officijs absolutis.* ibidem.
*Nimia horarum dilatio vel anticipatio est leviter peccaminosa.* ibid. n.23.
*Quæ tempora singulis horis correspondeant.* ibid.
*Non sunt necessariò servanda, etiam in officio publico, cætá causâ & seclusa scandalo.* ibid.
*Impedimentum prævidens lectionem horarum anticipare tenetur.* p.506.n.24.
*Recitationis privatæ locus est quicumque decens, publicæ, Ecclesia.* ibid.n.25.
*Ad quam comparere debent beneficiarij juxta institutionem & consuetudinem.* ibid.n.26.
*Ita ut graviter peccent sese absentantes per notabile tempus.* ibid.
*Quid autem sit notabile tempus, declaratur.* ibid.
*Secus est de singulis Religiosis in particulari.* ibid. n. 27.
*An per solos Novitios huic obligationi satisfieri possit.* p.507.n.27.

Vox & habitus.

*Vox recitantis debet per se esse audibilis sive ab adstante sive ab ipso legente.* p.507.n.28.
*Regula pro scrupulosis.* ibid.
*Quis corporis habitus in legente requiratur; signanter ubi rubrica stationem vel genuflectionem præscribunt.* ibid. n.29.

Studium & devotio.

*Horæ sunt recitandæ studiosè & devotè.* p.507. n. 30.
*Ad hoc studium requiritur horarum integritas ut videlicet attentetur sine syncopa & mutilatione.* ibid.
*Possunt nihilominus persolvi alternatim cum socio.* ibid.n.31.
*Quid agendum si sint plures duobus.* ibid.
*Satisfacit alteram chori partem attentè audiens & suam submisse legens.* p.507.n.32.
*An & quas possit talis recipere distributiones.* ib.
*Partem suam alte recitans, sed oppositum chorum non audiens, satisfacere non videtur.* ibid.n.33.
*Hinc quæ supplentur per organa privatim sunt recitanda.* ibid.n.34.
*Idem est de ijs, quæ thuriferator nec audit nec legit.* ib.
*Interruptio etiam notabilis non est nisi venialis.* ib. n. 35.
*Et datâ causâ nullum peccatum.* ibid.
*Potest separari matutinum à Laudibus communi officij collectâ laudandum.* p.508.n.36.
*Interrumpens animo repetendi satisfacit, etsi non repetat lecta.* ibid.n. 37.
*Ad horas requiritur attentio.* ibid. n.38.
*Secundum communiorem externa.* ibid.
*Quâ deficiente Varij contra alios censent faciendam fructuum restitutionem.* ibid.
*Modò distractio sit perfectè voluntaria; & quando sit talis.* ibid.n.39.
*Notandum pro scrupulosis.* ibid.
*Probabile tamen est ex præcepto Ecclesiæ illum requiri externam.* ibid.n.40.
*Quòd variè probatur.* ibid.
*Manent equidem horæ ex objecto suo actus Religionis.* ibid. n.41.
*Neque contradicit* c. Dolentes. ibid.

Excusantia à lectione horarum.

*A lectione horarum excusat primo gravis infirmitas.* ibid. n.42.
*Secus est de levi,* ibid.
*In dubio de gravitate quid agendum.* ibid.
*Eâ excusatus nec per alium, nec per alias preces debet supplere.* p.509.n.43.
*Si talis nequeat recitare totum officium, secundum multos ad nihil tenetur.* ibid.
*Verius tamen ad eas, quas commodè potest recitare partes.* ibid.n.44.
*Secundò excusat legitima dispensatio.* ibid.n.45.
*Quis eam dare possit.* ibid.
*Tertiò ignorātia invincibilis obligationis.* ib.n.46
*Qui dubitat an recitaverit, per se loquendo, tenetur.* ibid.
*Quartò excusat metus gravis.* ibid.n.47.
*Quintò carentia fructum.* ibid.
*Sextò gravis occupatio & necessaria.* ibid.
*Nisi ex officio sit perpetuò incompossibilis cum lectione.* ibid.
*Denique excusat impotentia.* ibid.n.48.
*An cæcus teneatur adhibere socium, secum eo recitare possit.* ibid.

Humilitas.

*Quid humilitas.* p.288.n.102.
*Quod humilitatis fundamentum, & quanta eius cum charitate cōnunctio.* ibid.n.103.
*Non opponitur Magnanimitati.* ibid.
*Qui involvat actum Religionis.* ibid.n.104.
*Varij Humilitatis actus recensentur.* ibid.n.105.
*Humilitati quæ vitia opponantur.* p.279.n.106.

Hypotheca.

*Quid Hypotheca.* p.290.n.39.
*Quomodo creetur.* ibid.
*Quale sit ius Hypothecæ* p.291.n.40.
*Quam actionem pariat.* ibid.
*Hypotheca alia expressa, eaque conventionalis, vel prætoria; alia tacita.* ibid.n.41.
*Alia generalis, alia particularis.* ibid.
*Conventionalis in quibus bonis constitui queat.* ibid. n. 42.
*Hypotheca an possit exigi ab emptore census.* p. 444.n.73.

## I.

### Jactantia.


*Jactantia quid.* p. 572. n. 35.


### Idololatria.


*Idololatria unde dicatur.* p. 551. n. 4.
*Quid sit.* ibid.
*Ejus prima origo & progressus.* ibid. n. 5.
*Quanam fuerit prima, secunda &c. idololatria.* p. 552. n. 6.
*Est peccatum mortale gravissimum.* ibid. n. 7.


### Idolothyta.


*Idolothytis vesci an, & quî licitum vel illicitum.* p. 166. n. 51.
*Mens* Augustini *expenditur.* ibid.


### Jejunium.


*Quid significetur nomine jejunij.* p. 272. n. 66.
*Quodnam dicatur Ecclesiasticum.* ibid.
*Illud rectissimè indicit Ecclesia.* ibid.
*Generales hæreticorum contra jejunium cavillationes quæ.* ibid. n. 67.
*Quanam speciatim contra idem objiciant ex scripturis.* ibid. n. 68.
*Eadem dissolvuntur.* ibid. n. 69.
*Ecclesia non vetat cibos tamquam immundos ex se aut vi legis veteris.* ibid.
*Quâ ratione id faciat.* ibid.
*Expenditur illud Christi:* Quod intrat in os, non coinquinat animam. p. 273. n. 70.
*A quibus cibis sit diebus jejunij abstinendum.* ibid. n. 71.
*Usus ovorum & lacticiniorum quando & ubi permissus.* ibid.
*Regula observanda.* ibid.
*Abstinentiam ab ovis & lacticinijs an graviter præceperit Ecclesia.* ibid. n. 72.
*Sententiæ negantis fundamentum dissolvitur.* ibidem.
*Sententia* Marchantij *circa lacticinia quoad Belgium.* p. 273. n. 73.
*Quid censendum de usu adipis.* ibid. n. 74.
*Abstinentiam à pluribus refectionibus exigit lex jejunij.* ibid. n. 75.
*Quid nomine refectionis intelligendum.* ibid.
*Potus etiam immoderatus non frangit jejunium.* ibidem.
*Argumentum* Marchant *oppositum sentientis dissolvitur.* ibid. n. 76.
*An sumptio electuariorum solvat jejunium.* p. 274. n. 77.
*An bolus panis sumptus ne potus noceat.* ibid.
*Quæ licita sit cænula vespertina.* ibid. n. 78.
*Qualis esse debeat.* ibid.
*Quanta esse possit.* ibid. n. 79.
*Sufficit refectionem esse unicam moraliter.* ibid. n. 80.
*Corollaria inde deducta.* ibid.
*Modica sumptio extra tempus levis, sæpius repetita gravis.* ibid.
*Qualibet refectio ab carnibus interdicitur.* p. 274. n. 81.
*Juxta multos idem est de refectione in piscibus.* ibidem.
*Opposita sententia communiter recepta declaratur.* ibid. n. 82.
*Quædam illius limitatio discutitur.* p. 275. n. 83.
*Quid faciendum ei, qui in die jejunij mane bonâ fide jentaculum sumpsit.* ibid. n. 84.
*Tempora jejuniorum specificantur.* ibid. n. 85.
*Quæ jejunia sint in Provincia Mechliniensi observanda.* ibid. n. 86.
*In puerperio B. Virginis qui Belgis liceat usus carnium in Sabbatho.* ibid.
*Quid statuendum de abstinentia in Litanijs maioribus & minoribus.* ibid. n. 87.
*Quî possit per Episcopum aut Episcopali potestate præditum transferri dies jejunij.* p. 276. n. 88.
*Quinam obligentur generaliter lege jejunij.* ibid. n. 89.
*Notanda circa adolescentes minores 21. annis à jejunio excusatos.* ibid.
*Possunt ex voto adstringi ad jejunia, suntque professi adstricti ad jejunia Regulæ, non tamen omnia Ecclesiæ.* ibid.
*Qui tituli excusent à jejunio.* p. 276. n. 90.
*Quinam excusentur titulo impotentiæ.* ibid.
*Quid censendum de senibus.* ibid.
*Quinam excusentur titulo laboris.* ibid. n. 91.
*Qui excusentur titulo pietatis.* ibid. n. 92.
*Excusationes præmissæ quî non respiciant cibos vetitos.* p. 277. n. 93.
*Qui denique ratione dispensationis.* ibid. n. 94.
*Penes quos sit potestas dispensandi.* ibid.
*An dispensatus in carnibus censeatur dispensatus in secunda refectione.* ibid. n. 95.


### Ignavia.


*Ignavia quid.* p. 282. n. 6.
*Quale peccatum.* ibid.


### Ignorantia.


*Ignorantia invincibilis mysteriorum fidei an interdum detur.* p. 153. n. 69.
*Fidei ignorantiam non facit necessario culpabilem sufficientia auxilij.* ibid. n. 76.
*Vide* Fidei necessitas.
*An ignorantia vincibilis magis excusat ab hæresi, quam homicidio &c.* p. 171. n. 24.
*Qualis ignorantia obstet præscriptioni.* p. 313. n. 169.


### Illegitimus.


*Illegitimis an testari interdictum.* p. 409. n. 63.
*Illegitimis quis succedat ab intestato.* p. 410. n. 63.
*Illegitimis ex damnato coitu nati debentur alimenta.* p. 411. n. 70.
*Nil præterea eis relinqui potest à patre.* ibid.
*An saltem à matre.* ibid.
*Quid mores statuant.* p. 412. n. 74.
*Cum illegitimis potest dispensare Episcopus ad simplex beneficium.* p. 485. n. 33.

Immunitas.

*Quid Immunitas Ecclesiastica.* p.515. n.39.
*Alia est realis, alia personalis, alia localis.* ibid.
*Immunitas Ecclesijs aliisquè locis competit jure humano.* ibid. n.40.
*Quæ loca immunitate gaudeant.* ibid.
*Privilegium hoc extendit consuetudo ad Sacerdotem actu Sacramentum Eucharistiæ portantem.* ibid. n. 41.
*Eo omnes gaudere est probabile.* ibid.n.42.
*An etiam clerici.* ibid.
*An Infideles conversionem recusantes.* ibid.n.43.
*Immunitas quos effectus pariat.* p.516.n.44.
*Vide* Locus Sacer.
*Immunitatis Ecclesiasticæ violator peccat peccato sacrilegij & injustitiæ, estquè ipso facto excommunicatus.* ibid.n.47.
*Immunitas non solum in criminalibus, sed etiam in civilibus locum habet.* ibid.n.48.
*Eâ carent in primis latrones publici.* ibid.n.49.
*Depopulatores agrorum, etiam non nocturni.* ibidem.
*Committentes homicidia & mutilationes in Ecclesia vel cæmeterio.* ibid.n.50.
*Occisores proditorij, & qui censeantur tales.* p. 517. n.51.
*Rei assassinatus, & qui sint tales.* ibid. n.52.
*Rei hæresis & læsæ majestatis in personam proprij principis.* ibid.
*Præter allata crimina non sunt alia immunitate pollentia.* ibid.n.53
*Modus extrahendi reum è loco sacro in crimine excepto.* ibid.n.54.

Impatientia.

*Impatientia quid & qualiter peccaminosa.* p. 283. n.15.

Impotentia.

*Qualiter excusset à restitutione debitoris impotentia.* p.377.n.121.

Impressio.

*Imprimere an liceat in die festo.* p.512. n.15.

Imprudentia.

*Imprudentia oppositæ prudentiæ in quo consistat.* p.259. n.17.

Impuberes.

*Impuberum vota à quibus sint irritabilia.* p.524. n.38. & 39.
*Impuberes nequeant intrare religionem.* p.531. n. 18.

Impudicitia.

*Impudicitia in quo consistat.* p.266.n.30.

Inanis gloria.

*Inanis gloriæ quid sit.* p.279. n.107.
*Quale peccatum.* ibid.n.108.

Incestus.

*Incestus qui distinguatur à simplici fornicatione.* p.264. n.19.
*Quam malitiam ei superaddat.* ibid.

Inconsideratio.

*Inconsideratio quid sit.* p.259.n.18.
*Unde oriatur & quale sit peccatum.* p.260. n. 19.

Inconstantia.

*Inconstantia quid sit.* p.259.n.18.
*Unde oriatur & quale peccatum.* p.260. n.19.

Incontinentia.

*Incontinentia quale peccatum.* p.266.n.30.

Inducens.

*Quo peccet & ad quid teneatur inducens alterum ad malum per vim vel fraudem.* p.324.n.2.
*Quid si vis vel fraus abfuerit.* ibid.
*Inducens ad furtum.* *Vide* Furtum.

Inebriare.

*Inebriare seipsum quale peccatum.* p.270. n.51.
*An liceat se inebriare metu mortis ab alio inferendæ.* ibid.n.53.
*An saltem sit licitum ex præscripto medici.* ibid. n. 54.
*Vide* Ebrietas.

Infamia. Infamatio.

*Ad vitandam infamiam licitam esse procurationem abortus non est probabile.* p.329. n.25.
*Infamatio sui non est contra justitiam.* p.347. n. 35.
*Quando licita sit vel non.* ibid.
*An per se loquendo sit grave peccatum.* ibid.
*Vide* Criminis impositio.
*Infames sunt usurarij.* p.424. n.54.
*Infamia qualiter prærequiratur ad inquisitionem judicialem.* p.469. n.20. *& seqq.*
*Vide* Judicium publicum.
*Quid infamia judicialis.* ibid.n.23.
*Infamis infamiâ juris ad testandum in judicio inhabilis.* p.474. n.45.
*Qui tales.* ibid.
*Infamibus collatio beneficij facta irritanda decernitur.* p.486.n.37.

Infans.

*Quinam infantes ac infantiæ proximi.* p.392. n. 58.
*Infantiæ proximus non requirit auctoritatem indicis ad actus lucrosos.* p.393.n.63.
*Aditio hereditatis excipitur.* ibid.
*Promissio facta infanti videtur ejus loco acceptata per leges.* p.401. n.12.

Infidelitas. infidelis.

*Infidelitas alia positiva, alia negativa.* p. 167. n. 1.
*Utraque subdividitur in culpabilem & inculpabilem.* ibid.
*Infidelitatis positivæ tres species.* ibid. n.2.
*Ad quam speciem pertineat Turcismus.* ibid.n.3.
*Ad quam dubitatio in fide.* ibid. n. 4.
*Ad quam secta seductorum vel infidelitas philosophorum*

phorum gentilium. ibid. n.5.
Ad quos membrum pertineat Apostasia à fide. ibid. n.6.
Prædicta divisio non est generis in species stricte dictas. p.168. n.8.
Infidelitas purè negativa non est peccatum, sed pœna peccati ibid.n.9.
Privativa est peccatum. ibid.
Positiva est gravissimum peccatum. ibid.n.10.
Et quidem ex genere gravius peccatis contrarijs virtutibus moralibus. ibid.n.11.
Non tamen odio Dei. ibid.
An sit gravius desperatione. ibid.
Infidelitas in quo subjecto sit. p.169. n.12.
Qua infidelitatis species sit gravius peccatum. ibid. n.13.
Infidelitas perfecta absolutè dari potest quin ea sit proposita per ecclesiam. p.170. n.19.
Infidelitatis periculo se exponens an finem perdat. p.172. n.29.
Infideles baptizati, etsi in infantia aut per metum, possunt ad professionem veræ fidei compelli. p.174. n.39.
Secus est de non baptizatis, neque Christiano Principi subjectis. ibid. n.40.
Possunt tamen ibi compelli ne injuriosè prædicatores fidei tractent, aut impediant volentes audire. ibid. n.41.
Infideles subjecti principibus christianis possunt ab his cogi ad fidem audiendam. p.175.n.42.
Immo saltem indirectè, etiam ad fidem suscipiendam seu profitendam. ibid. n.43.
Directam coactionem non licere, recepta habet doctrina. ibid. n.44.
Probatur ex jure ecclesiastico, naturali & divino. ibid. & seq.
Non esse jure divino aut naturali illicitum tenet Scotus & alij. p.176. n.46.
Variè probatur sententia Scoti. ibid. & seq.
Fundamentis contraria sententia obviatur. ibid. n.49. & p.177. n.51.
Infideles subditi christianis Principibus cogendi, ut errores juri naturæ contrarios relinquant. ibid. n.54.
An necessariò præcedat prohibitio specialis punitionem eorumdem. p.178.n.55.
Ritus rationi non contrarios an vi tollere principes aut patienter tolerare possint. ibid.n.56.
Infideles non possunt cogi ab Ecclesia aut principibus ad vitia contraria naturæ relinquenda, si illis non sint subjecti. ibid. n.57.
Occurritur variis objectionibus ex auctoritate petitis. ibid. n.58. & seq.
An Barbari sint subjugandi, & an inde Romani laudandi. p.179. n.59.
Injuriam Deo factam per hujusmodi infideles cur nequeant ulcisci extranei. ibid.n.60.
Quid, quave ratione possint principes christiani agere contra infideles non subditos. ibid. n.61.
Infideles sunt capaces dominij. ibid.n.62.
Quo non privantur conversione subditorum. ibidem.
Immo nec privari possunt per Ecclesiam dominio jurisdictionis. ibid. n. 63.
Sed neque dominio proprietatis in servos, nisi per accidens, & quando. ibid. n. 64. & seq.
Infideles ex terris Christianorum non possunt assumi ad publica officia. p.180.n.66.
Privantur ibidem dominio servi hoc ipso, quo convertitur. ibid.
Qua communicatio cum infidelibus inhibita jure divino naturali. ibid.n.67.
An admittendi ad conjugia cum fidelibus. ibid.
An admittendi ad sacros ritus. ibid.
Interdictum ab Ecclesia christianis, ne se subjiciant servituti aut famulatus Judæorum. ibid. n. 68.
Item ne illos, aliosve infideles adhibeant in medicos. ibid.
Expenduntur inhibita c. nullus 28. q. 1. ibid. n. 69.
In domibus Judæorum nequeunt esse obstetrices aut nutrices. p.181. n.70.
An interesse queant mutuis convivijs. ibid.
An sit prohibitum aliquid legare judæo vel pagano. ibid. n. 71.
Subsidia ys præstare qualiter inhibitum. ibid.
An Canones agentes de Judæis sint extendendi ad omnes infideles aut saltem ad Mahumetanos. ibid. n. 72.
An liceat infidelibus vendere animalia, Judæis agrum, quibus credunt abusuri. ibid. n. 73.
An liceat vendere idola & simulia. ibid. n.74.
An idem sit de venditione & de confectione idoli dicendum. ibid.n.75.
Occurritur objectioni. ibid. n.76.
Vide Ecclesia.
Infidelibus auxiliari vel eorum auxilium petere quando liceat. p.249. n.72.
Quando non. ibid. n.73.
Infideles conversionem recusantes an gaudeant immunitate Ecclesiastica. p.515.n.43.

Ingratitudo.

Ingratitudo alia materialis, & quale peccatum. p. 571. n.27.
Alia formalis. ibid.
Hæc rursus alia est privativa, alia contraria. ibidem.
Privativa quando sit peccatum mortale, quando non. ibid. n.28.
Quando contraria. ibid.
Ob ingratitudinem quando revocabilis donatio. p. 405. n. 39.

Inimicus.

Præceptum dilectionis proximi concernit etiam inimicos. p. 2. n.58.
An inimicorum odium in lege veteri præceptum aut permissum fuerit. ibid. n.59.
Ad quid obliget dilectio inimicorum. p.213.n.68.
Qualiter sit eis remittenda offensa. ibid.
Illicitum est practicè seu ordinariè loquendo excludere inimicum à beneficijs communibus. p. 216. n. 68.
Quid censendum si odium aut scandalum absit. ibid. n. 69.
Quando exclusio prædicta sit licita. ibid.

*Signa specialis benevolentiæ an, vel quando inimicis exhibenda.* ibid. n. 70.
*Dilectio amici & dilectio inimici, in nonnullis invicem excedunt,* ibid. n. 71.
*Ordinariè & ceteris paribus dilectio inimici est melior & magis meritoria.* p. 217. n. 72.

Injuria. injustitia.

*Quid injustitia generatim sumpta.* p. 317. n. 1.
*Quid propriè sumpta.* ibid.
*Quid injuria.* ibid. n. 2.
*Dupliciter contingit.* ibid.
*Potest esse vel formalis, vel materialis, vel utraque simul.* ibid.
*Nemo facit injuriam nisi volens, nec patitur, nisi nolens.* ibid. n. 3.
*Qualiter quodammodo volenti fiat injuria,* ibid.
*An volenti fiat injuria dum is nequit juri suo cedere.* ibid. n. 4.
*Opinio communior negat.* ibid.
*Fundamentum opinionis affirmantis discutitur.* p. 318. n. 5.
*Actio externa an fiat injuriosa ex interiori affectu.* ibid. n. 6.
*Objectio ex jure desumpta solvitur.* ibid. n. 7.
*Impediens alterum quo minus consequatur bonum speratum, an faciat injuriam.* ibid. n. 8.
*Duplicitèr potest hæc injuria exerceri.* ibid. n. 9.

Innocens.

*Innocentis directa occisio semper est illicita.* p. 328. n. 19.
*Qui locus indirecta.* ibid. n. 21.
*Vide* Occisio.
*Innocentes an possint in bello occidi.* p. 252. n. 86.
*Qui nomine innocentium intelligantur.* ibid.
*Innocens an possit subdi captivati.* ibid. n. 89.
*Innocens probatus reus non amittit dominium rei abjudicatæ.* p. 467. n. 12.

Inobedientia.

*Inobedientia alia materialis, alia formalis.* p. 569. n. 19.
*Quæ dupliciter continet malitiam.* ibid.
*Est ex genere suo mortalis.* ibid. n. 20.
*Ejus gravior quo major legislator contemnitur.* ibidem.
*Potest esse venialis ex indeliberatione actus.* p. 570. n. 2.
*An etiam ex levitate materiæ.* ibid.

Inquisitio.

*Inquisitio est triplex.* p. 469. n. 19.
*Inquisitio generalis non prærequirit infamiam.* ibid. n. 20.
*An mixta.* ibid. n. 21.
*Vide* Judicium publicum.

Intemperantia.

*Intemperantia quid sit.* n. 262. n. 4.
*Cur vitium maximè probrosum.* ibid.

Intentio.

*Qualis intentio requiratur ad orationem.* p. 502. n. 30.

*Actio externa an sit injuriosa ex intentione nocendi.* p. 318. n. 6.
*Jurans sine intentione servandi quod jurat, mortaliter peccat.* p. 546. n. 19.
*Vide* Juramentum.

Interesse.

*Interesse duplici modo potest in pactum deduci.* p. 419. n. 32.
*Vide* Mutuum.

Invasor.

*Insania invasoris non tollit ius naturale defensionis.* p. 333. n. 41.
*Invasoris salus an præponenda vitæ defensoris.* ib. n. 42.
*An in defensione licitum sit interficere occisionem invasoris.* ibid. n. 44.
*Quis invasor censeatur.* ibid. n. 45.
*Vide* Occisio invasoris.

Inventa. Inventio.

*Inventio quid postulet.* p. 309. n. 146.
*Inventa & derelicta cuius sint.* ibid.
*Quid de inventione recenter perditorum.* ibid. n. 149.

Invidia.

*Quid invidia.* p. 241. n. 17.
*Quæ distinguatur à variis tristitijs.* ibid.
*Signanter ab æmulatione.* ibid. n. 18.
*Item ab indignatione & Nemesi.* ibid.
*Propria ratio invidiæ in quo consistat.* ibid. n. 20.
*Ordinariè inter quodammodo pares versatur.* ib. n. 21.
*Quale sit peccatum.* ibid. n. 22.
*Æmulationes & invidiæ mercatorum discutiuntur.* p. 242. n. 23.
*Quid fraternæ charitatis invidentia.* ibid. n. 24.
*An invidia sit peccatum capitale, & quæ vitia generet.* ibid. n. 25.

Ira. Iracundia.

*Quid ira.* p. 277. n. 97.
*Quando sit mala, quando bona.* ibid.
*Iræ vacuitas quando peccatum.* ibid.
*Quæ ira gravitèr culpetur* Matth. 5. ibid. n. 98.
*Dupliciter exceditur in ira.* ibid.
*Primò ex parte vindictæ, estque ex genere grave peccatum.* ibid.
*Secundò ex parte commotionis, estque regulariter veniale.* ibid. n. 99.
*An aliquando mortale.* ibid.
*Quæ filiæ iræ.* p. 278. n. 100.
*Quæ motiva temperandæ iræ.* ibid.
*Iracundia vitium capitale mansuetudini oppositum quo sensu per excessum.* p. 277. n. 98.

Ironia.

*Ironia quid.* p. 572. n. 35.

Irregularitas.

*Occidens injustum invasorem vita non incurrit irregularitatem ex jure.* p.332. n.40.
*Irregularitas quanam tollatur per religiosam professionem.* p.535. n.53.

Irreligiositas.

*Irreligiositas per defectum opponitur religioni* p.557.n.1.
*Eius species.* ibid.

Irritatio.

*Quid irritatio Voti.* p.523. n.32.
*Vide* Votum.
*Quando iuramentum possit irritari,* p.549.n.39.

Iter.

*Itinerare an liceat in die festo.* p.512. n.16.

Judæi.

*Judæis agnum vendere an liceat, quo creduntur abusuri.* p.181.n.73.
*Vide* Infidelis.

Judicium Publicum.

*Quid Judicium publicum.* p.465. n.1.
*Quenam ad eius justitiam requirantur.* ibid.n.2.
*Auctoritas in judicante necessaria.* ibid.
*Eius defectus quid operetur.* ibid.
*Quinam peccent arrogatione judicij.* ibid. n.3.
*An excommunicati, signanter tolerati.* ibid.
*An legitima sine acta privati titulo, ante sententiam declaratoriam.* p.466.n.4.
*Acta judicialia tyranni an licita & valida.* ibid. n.5.
*Quid censendum de judicibus inferioribus ab eo institutis.* ibid.
*Ad judicium requiritur etiam sufficiens cognitio causa.* ibid.n.7.
*Judex ex privata scientia nequit condemnare reum non citatum neque auditum.* ibid.
*Esto supremus Princeps.* ibid.
*Oppositum an improbabile.* ibid. n.8.
*An saltem auditis testibus, & non reo.* p.467. n.9.
*Quid agendum judici si manifestè probatum reum norit innocentem.* ibid.n.10.
*An possit condemnare, varia sententia.* ibid.n.11.
*Versor asserit posse in causis civilibus, non in criminalibus gravioribus, præsertim mortis.* ibid.
*Prima pars probatur.* ibid.n.12.
*An sic condemnatus amittat dominium rei abiudicata.* ibid.
*Secunda pars probatur ex scriptura.* ibid.n.13.
*Et ratione.* ibid.n.14.
*Satisfit obiectionibus.* p.468.n.15.
*Qualiter teneatur judex conformare judicium legibus.* ibid.n.16.
*Quomodo licita sit intercessio apud judicem pro relaxatione pœnæ.* ibid.n.17.
*Triplex procedendi modus adversus reum.* ibid. n.18.
*Via accusationis, denuntiationis, quæ est duplex, & inquisitionis.* ibid.
*Inquisitio triplex.* p.469.n.19.
*Inquisitio generalis non prærequirit infamiam* ibid. n.20.
*Quæ in ea sint deponenda.* ibid.
*Inquisitio mixta an prærequirat infamiã.* ib.n.21.
*Praxis Judicum discutitur & variè excusatur.* ibid.n.22.
*Inquisitio specialis regulariter de iure prærequirit infamiam.* ibid.n.23.
*Quid infamia hic.* ibid.
*An requiratur dum non agitur de punitione.* p. 470.n.24.
*Quæ supplcant illam.* ibid.n.25.
*Quibus casibus non requiratur.* ibid.
*An requiratur ex iure positivo.* ibid.n.26.
*An vel qualiter consuetudo huic derogaverit.* ib.
*Quid observandum delatori & judici.* ibid.n.27.
*Judex cavendum ne à se ipso inquisitionem specialem incipiat.* ibid.
*Tortura prærequirit semiplenam probationem, aut indicia æquivalentia.* ibid.n.28.
*Varia indiciorum genera.* ibid.
*Ex quibus quid statuendum index arbitrabitur.* ibidem.
*Nonnulla indicia velut ad torturam insufficientia reijciuntur.* ibid.n.29.
*Vide* Tortura.
*Iniquus index ad quid teneatur.* p.471. n.31.
*Corollaria.* ibid.n.32.
*Nonnulla limitationes.* ibid.n.33.
*Quæ observanda judici regulari.* ibid.n.34.
*Actus judiciales prohibiti in die festo.* p.512.n.22. & seqq.
*Placita secularia generaliter prohibentur in loco sacro.* p.514.n.35.

Judicium temerarium.

*Judicium temerarium quid.* p.341. n.3.
*Est ex genere suo mortale peccatum.* ibid.
*Probatur ex Scriptura.* ibid.n.4.
*Quo decalogi præcepto inhibeatur.* ibid.
*Accedit ratio* p.342.n.4.
*Defectu advertentiæ est nullum aut leve peccatum.* ibid.n.5.
*Unde plures frequenter excusantur.* ibid.
*Excusat etiam a gravi culpa levitas materiæ.* ib.
*Si absit temeritas, nulla est culpa.* ibid.n.6.
*Si non notabilis, est culpa levis.* ibid.
*Prout frequenter reperitur in opinione fundata.* ibid.
*An semper.* ibid.n.7.
*Quid censendum de meris suspicionibus.* ib. n.8.
*An vel quæ restitutio debeatur ob judicium temerarium.* ibid.n.9.
*An vel quomodo sint dubia in meliorem partem explicanda.* ibid.n.10.
*Quid consultissimè fiat,* p.343. n.11.
*Cavendum judicare possumus, quem non licet judicare malum.* ibid.

Juramentum.

*Quid iuramentũ & cur introductum.* p.54[illegible] n.1.
*Fieri potest per explicitam Dei invocationem vel implicitam in creaturis.* ibid. n.2.
*Et hoc variis modis.* ibid.
*Cui invocationi accedere debet intentio iurandi.* ibid.n.3.
*Multiplex*

*Multiplex juramenti divisio.* ibid. n.5.
*Signanter in contestatorium & execratorium.* ibid.
*In simplex & solemne.* ibid. n.6.
*In assertorium, promissorium & comminatorium.* ibid.
*In assertorio solùm confirmatur veritas: ex aliis oritur obligatio; & qua.* p.545. n.7.
*Juramentum est licitum.* ibid. n.8.
*Neque à Christo positâ causâ, sed tantum eâ seclusâ, redargutum.* ibid. n.9.
*Quale juramentum clericis inhibeat jus Canonicum.* ibid. n.10.
*Et qui sit ordinabile ad res humanas.* ibid.
*Juramentum ut firmet contractus debet esse promissorium.* p.397. n.91.
*Vide* Contractus.
*Juramentum solvendi usuras an servandum.* p. 399. n.99.
*Pollicitatio jurata an revocabilis.* p.401. n.9.
*Vide* Pollicitatio.
*Juramentum calumniæ quando possit reo deferri.* p.474. n.49.
*Juramentum Advocatorum, & quî contra illud peccent.* p.476.n.63.& 64.
*Tres juramenti comites assignantur.* p.545.n.11.
*Si desit veritas in assertorio, semper est mortale perjurium.* ibid. n.12.
*Etiam defectu solius certitudinis requisita.* ibid.
*Vel considerationis circumstantiarum, exponendo se perjurii periculo.* ibid.
*Si desit in assertorio justitia regulariter est tantum veniale.* ibid.n.13.
*Quamquam possit subinde esse mortale.* ibid.
*Idem est si desit judicium.* ibid. n.14.
*Quale peccatum sit consuetudo incautè jurandi,* p.546. n.15.
*Corollaria.* ibid. n.16.
*Obligatio juramenti ex parte jurantis est merè personalis.* ibid. n.17.
*Ex parte ejus verò, cui juratur, subinde transit ad successores.* ibid. n.18.
*An juratus debeat se conformare menti ejus qui juramentum petit.* ibid.
*Juratis sine intentione servandi quod jurat, mortaliter peccat.* ibid. n.19.
*Idem est si desit animus promittendi vel obligandi.* p.546. n.20.
*Immo etiam si desit simus internus animus jurandi, si externè juretur serio.* ibid. n.21.
*Objectiones solvuntur.* ibid.n.22.
*Modus interpretandi juramenta urbanitatis & similia.* ibid.
*Quod dictum est tam in juramento promissorio quam assertorio verificatur.* p.547. n.23.
*An æqualiter habeat locum sive juretur verum, sive falsum.* ibid.
*An ex tali juramento oriatur obligatio.* ibid. n. 24.
*Promissio jurata inducit obligationem sub mortali.* ibid.n.25.
*An excuset levitas materiæ.* ibid.
*Sententia affirmantis probabilitas ostenditur.* ibid. n. 26.
*Juramentum non obligat ad illicitum.* ibid.n.27.
*Quale peccatum committat ita jurans.* ibid. n. 28.
*Non profitetur ipso facto Deo placere peccatum.* ibid. n.29.
*An & unde obligetur taliter juratus habere propositum peccandi.* p.548. n.30.
*Similiter juramentum contra divina consilia non est mortaliter peccaminosum.* ibid. n.31.
*Juramentum de re indifferenti &c. non obligat.* ibid. n.32.
*Secus est de eo quod gravi metu extorquetur.* ibid. n. 33.
*Quid de eo quod ex errore vel dolo emittitur.* ibid. n.34.
*An liceat petere juramentum à pejeraturo.* ibid. n. 35.
*Vel à putante verùm quod jurat, & indicens novit esse falsum.* ibid. n.36.
*Ante dicta juramento comminatorio applicantur.* ibid. n.37.
*Juramenti obligatio impeditur per jus.* ibid.n.38.
*Quî hoc fiat.* ibid.
*Jam inducta tollitur mutatione materiæ.* p.549. n.39.
*Condonatione.* ibid.
*Commutatione.* ibid.
*Irritatione.* ibid.
*Dispensatione.* ibid.
*Professione Religiosa.* ibid.n.40.
*Quâ ratione fiat commutatio vel dispensatio juramenti.* p.549. n.41.
*Juramentum qualiter distinguatur ab adjuratione.* p.550.n.45.
*In juramentis illicita est restrictio purè mentalis.* p.574. n.48.
*An æquivocatio datâ justâ causâ.* ibid.

## Jus Patronatûs.

*Quid jus Patronatus.* p.482.n.19.
*Vide* Patronatus.

## Jus. Justitia.

*Justitia variæ acceptiones.* p.284. n.2.
*Quid justitia propriè.* ibid. n.3.
*Jus tripliciter sumitur.* ibid. n.4.
*Quid jus sumptum pro titulo seu potestate.* ib.n.5.
*Disoutitur vulgata descriptio juris, ipsumq; uberiùs declaratur.* p.285. n.6.
*Quodnam sit objectum formale justitiæ.* ibid.n.7.
*Quodnam materiale.* ibid.
*Quî reperiatur specialis honestas in objecto justitiæ.* ibid.
*Nemo sibi ex justitia propriè quidquam debet.* ib. n. 8.
*Quid censendum de desiderio alienæ justitiæ.* ibid.
*Versatur circa actiones potiùs quam Temperantia & Fortitudo.* ibid. p.9.
*Quî versetur circa passiones.* ibid.
*Divisio justitiæ in commutativam & distributivam, quî ordinariè explicetur.* ibid.n.10.
*Ista proportionem arithmeticam, hæc geometricam quî servet.* ibid. n.11.

*Distributiva non semper versatur circa plures personas.* p.286. n.12.
*Qui cæteras virtutes observant interdum proportionem geometricam.* ibid. n.13.
*Idemq; specialim in ipsa justitia commutativa declaratur.* ibid. n.14.
*An vel quæ propria justitiæ distributivæ honestas.* ibid. n.15.
*Ejus violatio præcisè non inducit obligationem restituendi.* ibid.
*Nisi quatenus jungitur violatio commutativa.* ibid.
*Quæ sola est justitia specialis & propriè dicta.* ibid. n.16.
*Quæ justitia legalis.* ibid. n.17.
*Qui distinguatur à justitia strictè dicta.* p.287. n.17.
*Qui à pietate.* ibid. n.18.
*Qui ab Obedientia.* ibid. n.19.
*Justitia vindicativa non est strictè dicta justitia.* ibid.
*Jus aliud ad rem, aliud in re.* ibid. n.20.
*Prius declaratur.* ibid.
*Posterius explicatur cum suis effectibus.* ibid. n.21.
*Quæ species juris in re.* ibid.
*Justitia distributiva in quibus potissimum versetur.* p.478. n.1.
*Justitia si desit in juramento assertorio, quale sit peccatum.* p.545. n.13.

## L

### Labor.

*Laboris impendendi æstimatio an detrahenda in restitutione.* p.336. n.68.

### Lætitia.

*Lætitia inepta filia gulæ.* p.268. n.44.

### Laicus.

*Detentio rei sacræ facta à laico cur non censeatur possessio.* p.296. n.65.
*Laicus an sit capax juris decimarum.* p.517. n.57.
*Vide* Decimæ.

### Latro.

*An liceat occidere latrones nocturnos.* p.334. n.53. & seqq.
*Latrones publici non gaudent immunitate Ecclesiastica.* p.516. n.49.

### Laudimium.

*Laudimium quid & qualiter debitum.* p.459. n.27.

### Laus.

*Quid laus.* p.341. n.1.

### Legatum.

*Quid legatum.* p.406. n.46.
*Qui differat à fideicommisso.* ibid.
*Legatum qui differat à donatione causâ mortis.* ibid. n.43.
*Legata profana fiunt caduca si nequeat impleri opus in quod legata sunt.* p.412. n.79.
*Secus de legatis pijs.* p.413. n.79.
*Quod opus eis substituendum, si nequeant in specie impleri.* ibid.
*Si possint impleri, Episcopus probabilius non potest ob causas commutare.* ibid. n.80.
*Nec ipse Pontifex sine legitimâ causâ.* ibid. n.81.

### Legatus.

*Legatus à latere potest conferre beneficia in provincia suæ legationis.* p.483. n.23.

### Lex.

*Lex tributaria an obliget in conscientia.* p.495. n.78.
*Quid lex commissoria in venditione & qui ejus effectus.* p.441. n.57.
*Lex naturæ cur potiùs ad moraliter impossibile quam votum obliget.* p.520. n.12.
*Lex positiva an possit impedire obligationem juramenti.* p.548. n.38.

### Libelli famosi.

*Libelli famosi quid sint.* p.343. n.15.
*Libellos famosos edens aut divulgans morte punitur.* ibid.
*Edicta Principum Belgy sub pœna patibuli & confiscationis bonorum vetant libellos famosos.* ib.

### Liberalitas.

*Liberalitas unde dicatur.* p.575. n.53.
*Quid sit.* ibid.
*Quanam ejus materia.* ibid.
*Qui habeat locum in pauperibus.* ibid.
*Cum justitia quomodo conveniat aut discrepet.* ibid. n.54.
*Per defectum ei opponitur avaritia.* ibid. n.55.
*Prodigalitas per excessum.* ibid. n.58.

### Librantia.

*Librantias militares emere diminuto pretio, an liceat.* p.435. n.26.

### Libri prohibiti.

*Lectio librorum hæreticorum quando illicita jure naturæ.* p.182. n.77.
*Quam justè ab Ecclesia sit interdicta.* ibid.
*Consonat vetus Ecclesiæ stylus.* ibid. n.78.
*Asseritur prohibitio facta in Bulla Cœnæ.* ibid. n.79.
*Quæ concernit etiam doctos in fide, firmos, & in quavis dignitate constitutos.* ibid. n.80.
*Opinio Marchant de Episcopo Belgy.* ibid. n.81.
*An cujus possit esse locus.* ibid.
*Quæ privilegia Societati sive Regularibus concessa.* ibid. n.82.
*Ad excommunicationem Bullæ incurrendam quanam requirantur.* p.183. n.83. & seqq.
*Excommunicationem incurrit legens epistolam aut brevem scripturam, varii affirmant, plures negant.* ibid. n.86.
*Judicium Auctoris.* ibid.
*An etiam comprehendantur censurâ, qui legentes audiunt, aut lecta recolunt memoriâ, vel orare petunt.* p.184. n.87.

*Aut*

*Aut materialiter instar psittaci legunt.* ibid.
*Aut intelligendo quidem, sed non efformando voces.* ibid.
*Qui determinanda gravitas materiæ.* ibid.
*Libros retinentes qui excommunicentur.* p.184. n. 88.
*Nomine imprimentium qui intelligantur in Bulla.* ibid.
*Adfertur altera prohibitio indicis librorum prohibitorum.* ibid. n.89.
*Quid potissimum in regulis indicis contineatur.* ibid. n.90.
*Excommunicatio non reservata à quibus incurratur.* p.185. n.90.
*A quibus incurratur sola culpa mortalis.* ibid.
*An libri prohibiti donec expurgentur licitè possint retineri.* ibid. n.91.
*Controversiarum lingua vulgari editarum lectio in Belgio non æstimatur interdicta.* ibid. n.92.

Locatio, Locator.

*Quid locatio-conductio.* p.450. n.1.
*Quæ ejus materia & finis.* ibid.
*Locare operam an censeatur artifex pro alterò laborans.* ibid. n.2.
*Locatio-conductio quî differat à venditione.* ibid. n. 3.
*Quam actionem pariat in conductore.* ibid. n.4.
*An etiam in successore locantis.* ibid.
*An conductor de jure sit potior emptore.* ibid. n. 5.
*Limitatio.* p.451. n.5.
*Quid mores alibi habeant.* ibid.
*Locationi factæ per maritum aut tutorem, an stare teneatur vidua & major.* p.451. n.6.
*An beneficiarius teneatur stare locationi antea factæ per prædecessorem.* ibid. n.7.
*Locator nequit ante lapsum termini rem elocatam repetere.* ibid. n.8.
*Casus nonnulli excipiuntur.* ibid.
*Quæ actio competat locatori in conductorem.* ibid. n. 9.
*An hæres teneatur conductione initâ per defunctum.* ibid.
*Quando sit pensio solvenda.* ibid. n.10.
*Ex apochis qui præsumatur solutio quoad annos præcedentes.* ibid.
*Pro pensionis locationis quâ maneant hypothecata.* ibid. n.11.
*Elapso termino conductor nequit cogere aut cogi ad prorogationem.* p.452. n.12.
*Tolerantia locatoris post lapsum termini, quid operetur.* ibid.
*Quando facienda pensionis remissio.* ibid. n.13.
*Sterilitatis ergo qui facienda remissio.* ibid. n.14.
*Quæ censeatur magna sterilitas.* ibid. n.15.
*An remissio locum habeat in colono partiario.* ib.
*An damnum evenire oporteat fructibus adhuc pendentibus.* ibid. n.16.
*An pensio augenda ob insolitam ubertatem.* p. 453. n.17.
*Observanda circa elocationem bonorum Ecclesiasticorum.* ibid. n.18.
*An locatio longi temporis transeat in emphyteusim.* ibid. n.19.

Locus Sacer.

*Quis censeatur locus sacer & quæ loca comprehendat.* p.514. n.32.
*In eo prohibentur fieri actus Ecclesiam polluentes.* ibid. n.33.
*An per eos sic violetur ut reconciliatione indigeat, seclusâ consecratione & benedictione.* ibid.
*Seclusâ Ecclesiæ prohibitione prædicti actus non sunt mortaliter sacrilegi.* ibid. n.34.
*At faciliùs venialiter.* ibid.
*Secundò in loco sacro prohibentur generaliter placita secularia.* ibid. n.35.
*Secus est de judiciis ecclesiasticis.* ibid.
*Tertiò Concilia & Conciones de materia temporali.* ibid. n.36.
*Quartò mercatus.* ibid.
*Quintò furtum.* ibid.
*Quid si res sacra sit tantùm per accidens in loco sacro.* p.515. n.36.
*Nonnulla alia in templo fieri prohibita recensentur.* ibid. n.38.
*Ecclesiis Christianorum competit jure humano immunitas.* ibid. n.39.
*Ad locum sacrum confugientes nemus potest inde abstrahere, vel aliquid nocibilitatis inferre.* p. 516. n.44.
*Potest tamen locus deforis obsideri.* ibid.
*Quid de reo violenter aut per blanditias à loco sacro abducto, & deinde per judicem sæcularem apprehenso.* ibid. n.45.
*Aut è manibus satellitum violenter abstracto & ad Ecclesiam confugiente.* ibid. n.46.
*Reus in loco sacro existens nequit damnari ad pœnam corporalem.* ibid.
*Violator immunitatis Ecclesiasticæ peccat peccato sacrilegii & insuper injustitiæ.* ibid. n.47.
*Est, ipso facto excommunicatus.* ibid.
*Vide* Immunitas.
*Modus extrahendi reum è loco sacro in crimine excepto.* p.517. n.54.

Lucrum.

*Quid lucrum cessans.* p.419. n.30.
*An pro eo mutuator possit aliquid accipere.* ibid.
*Vide* Mutuum.
*Lucri divisio in contractu societatis quî facienda.* p.447. n.89.
*Lucrum per fraudes in ludo non permissas comparatum, est restituendum.* p.463. n.56.

Ludus.

*Quid ludus.* p.463. n.55.
*An per se licitus etiam cum intentione lucri.* ibid.
*Quas conditiones postulet.* ibid. n.56.
*Quæ leges ludi.* ibid.
*Fraudes non permissæ quid operentur.* ibid.
*Quanam sint tales.* ibid.
*Quanam fraudes permissæ.* ibid. n.57.
*Inter ludentes quæ æqualitas requisita.* ibidem n. 58.

*Ad ludendum alterum inducens simulatione imperitiæ ad restitutionem tenet.* p.464. n.59.
*Dti & veritiam dissimulans seu tacens.* ibid.
*Quod tamen varii negant.* ibid.
*In ludo certus de victoria ratione sortis felicioris potest augere pretium.* ibid.
*Quid si alter velit ludere cognita vel contempta à partis peritia.* ibid. n.60.
*Quid nomine ludi alearum comprehendatur.* ib. n. 61.
*Qualiter per leges proscriptus.* ibid.
*An illæ hodie sint in usu.* ibid.
*Clericis qui prohibeatur per canones.* ibid. n.62.
*An vel qualiter hi vigeant.* p.465. n.62.

Luxuria.

*Quid luxuria.* p.264. n.17.
*Est peccatum mortale ex genere suo.* ibid.
*Et capitale.* ibid. n.18.
*Quæ ejus filiæ.* ibid.
*Quæ species vulgatæ luxuriæ, quæ propriæ.* ibid. n.19.
*Quæ omnis perfecta luxuria sit vel fornicatio vel peccatum contra naturam.* ibid. n.21.
*Quid hoc sit & cur sic vocetur.* ibid.
*Ejus divisio.* ibid. n.22.
*Ad luxuriam incompletam spectat incontinentia & impudicitia.* p.266. n.30.

## M

Magia, Magi.

*Magia alia naturalis, alia superstitiosa, & hæc rursum duplex.* p.554. n.28.
*Quinque habet fundamenta.* ibid. n.29.
*Est ex genere suo peccatum mortale.* p. 555. n. 30.
*Habetq; ordinariè multa peccata annexa quæ recensentur.* ibid.
*Neque excusatur ratione levitatis materiæ.* ib. n. 31.
*Quibus modis cognosci possint opera magica.* ib. n. 32.
*Licet signa magica tollere ex indignatione vel odio in damonem.* ibid. n.33.
*Numquam tamen per novum maleficium.* ibid. n. 34.
*Eo secluso licet tollere ex intentione ut esset nocumentum.* ibid. n.35.
*Quæ expectatur à Deo, non à damone.* p.556. n. 36.
*Iis sine periculo se immiscendi pacto damonis.* ibid. n.37.
*Quid si actio signorum destructiva neque ex se neque ex ordinatione Dei vel Ecclesiæ ad id vim habeat.* ibid. n.38.
*Conscius signorum tenetur ea tollere.* ibid. n.39.
*An liceat tollere per appositionem signorum contrariorum.* ibid. n.40.
*Non licet à maleficio petere dissolutionem maleficii per novum maleficium.* ibid. n.41.
*Quid si maleficus moraliter certò, maleficio sit insurus, etsi aliter possit.* ibid.

Magnanimitas.

*Quid magnanimitas.* p.282. n.9.
*Qui distinguatur à ceteris virtutibus.* ibid.
*Æstimat arduitatem virtutis, cetera spernit.* ibid.
*In quibus maximè eluceat.* ibid. n.10.
*Qui versetur circa honores.* ibid.
*Quæ vitia ei opponantur.* ibid.

Magnificentia.

*Quid magnificentia.* p.282. n.12.
*Quæ vitia ei opposita.* p.283. n.13.

Mandans.

*Mandans furtum quî peccet & teneatur ad restitutionem.* p.361. n.39.
*Quid si mandans per mandatum in damnum non influxerit.* ibid.
*Quid si mandans mandatum revocaverit.* ibid.
*Ratum habens maleficium suo nomine patratum non tenetur in qualitate mandantis.* ibidem n. 40.
*Multò minùs si factum non fuerit nomine ipsius.* ibid.

Mandatum, Mandatarius.

*Mandatum quid & quotuplex.* p.460. n.40.
*Mandatum quibus modis expiret.* p.461. n.42.
*An quid obligetur mandatarius & mandans.* p. 460. n.41.

Mansuetudo.

*Quid mansuetudo & quod ejus officium.* p. 277. n. 96.

Martyrium.

*Martyrium quî sit actus fortitudinis.* p.281. n.4.
*Martyrium notabile Clarissarum in urbe Ptolemaida.* p.325. n.7.

Mater.

*Emancipatio filiorum qualis matri competat.* p. 301. n.97.
*Ad conservationem vitæ matris illicitum est procurare abortum fœtus animati.* p.329. n.23.
*Immo & inanimati.* ibid.
*Fundamentum* Sanchez *oppositum sententiæ disputatur.* ibid. n.26.
*An ad vitandam infamiam id liceat.* ibid. n.27.

Matrimonium.

*Matrimonium qualiter contrahere non liceat coram ministris hæreticorum.* p.364. n.43.
*Qualiter id liceat coram Magistratu.* ibid. n.44.
*Qualiter licere possit etiam coram ministris.* p. 365. n.44.
*Matrimonium initum sub conditione impossibili, quomodo valeat.* p.385. n.15.
*Votum solemne castitatis irritat matrimonium contrahendum, & dirimit contractum necdum consummatum.* p.537. n.66.
*An liceat emisso voto simplicis castitatis contrahere*

*here matrimonium animo ingrediendi Religionem.* ibid. n.69.
*Vel petere debitum.* p.538. n.69.
*An possit reddendo consummare.* ibid. n.70.

Medium.

*Medium aliud rei, aliud rationis.* p.2. n.4.
*Medium rei habet justitia commutativa, etiam in permutatione rerum.* ibid. n.5.
*Medium rationis habet Temperantia & Fortitudo,* ibid.
*In quo præsiniendo faciliùs erratur.* ibid.
*Non consistit in indivisibili.* p.3. n.6.
*Est ordinariè, non semper inter extrema vitiosa.* ibid.
*Virtutes Theologica quî consistant in medio.* ibid. n. 7.

Membrum.

*Homo non est dominus membrorum.* p. 298. n. 75.
*Membra an liceat abscindere.* p.327.n.13.
*Vide* Mutilatio.

Mendacium.

*Quid mendacium.* p.572.n.34.
*Ejus malitia in quo consistat.* ibid.
*Dividitur in illud quod committitur verbis, & quod factis.* ibid.
*In jactantiam & ironiam.* ibid. n.35.
*In jocosum, officiosum & perniciosum.* ibid.
*Omne est intrinsecè malum.* ibid. n.36.
*Non defuerunt tamen sentientes ipsum aliquando licere.* ibid. n.37.
*Restrictio pura mentalis est mendacium.* p. 573. n. 41.
*Solvuntur objectiones.* ibid. n.43. & seqq.
*An Deus possit mentiri.* p.33.n.1.
*Vide* Deus.
*Quoad excusationem à mendacio non magis laborandum circa sanctos veteris quam novi Testamenti.* ibid. n.4.
*Examinatur mendacium apparens Jacob Patriarchæ.* ibid.

Mercator. Mercatus.

*Mercatorum titulo qui potissimum in cambiis æstimentur.* p.427. n.76.
*Quorum stylus ambitus declaratur.* ibid. n.77.
*Praxis mercatorum quoad cambia Francofurtensia objectionis discussione elucidatur.* p.428. n. 78.
*Mercatus inhibitus in die festo.* p.512. n.21.
*Et in loco sacro.* p.514. n.36.

Merx.

*Quid merx.* p.430. n.1.
*Merces ultroneæ quæ dilescant.* p.432. n.15.
*Mercium æstimatio unde crescat.* p.436.n.30.
*Mercis substantiale vitium est manifestandum.* ibid. n.32.
*Vitium in quantitate vel qualitate quî faciat contractum injustum.* ibid.
*Mercis vitiosæ quodnam pretium.* ibid.

Metus.

*Metus quicumque non irritat regulariter contractus ex natura rei.* p.390. n.44.
*Jure positivo varii contractus irritantur.* ibid. n. 45.
*Metus gravis, etiam à tertio incussus causat contractus facti irritabilem.* ibid. n.48.
*An inter metum & dolum quoad hoc differentia.* ibid. n.49.
*Metus justè incussus non reddit contractum irritabilem.* p.391. n.50.
*Metus justus non irritat matrimonium.* ibid.
*Quid censendum de metu levi.* ibid. n.51.
*In foro externo ex metu levi non datur actio.* ibid.
*Votum gravi metu ad id injustè incusso, extortum, est irritum.* p.519. n.4.
*Vide* Votum.
*Quis metus irritet professionem.* p.532. n.29.
*Juramentum ex gravi metu extortum an obliget.* p.548. n.34.

Miles. Militia.

*Militis testamentum excipitur à solemnitatibus jure communi requisitis.* p.407. n.48.
*Militia actualis an liceat in die festo.* p. 512. n. 18.

Mineralia.

*Mineralia quorum sint.* p.310.n.152.

Minor.

*Minoribus etiam invitis per mores curator datur, etiam parens.* p.393. n.60.
*In quorum alienatione requiratur decretum judicis pro pupillis ac minoribus.* ibid. n.61.
*Quid nomine alienationis hic intelligatur.* ibidem.
*Qualiter decretum hoc dandum ut valeat.* ibid. n. 62.
*An necessariam curatore destitutis, aut veniam ætatis habentibus.* ibid.
*Puberes minores an, vel quando dependeant à curatore.* p.394.n.67.
*An testari possint.* ibid. n.69.
*Notandum pro Belgio.* ibid.
*Qui minorennes.* p.393. n.58.
*Quid possint minores circa bona castrensia vel quasi castrensia.* p.394.n.70.
*Quî restitutio in integrum competat in præscriptione.* p.312. n.166.
*Quanto tempore in contractibus.* p.394. n.71.
*A quo petenda.* ibid.
*Quâ de causa danda.* p.395. n.72.
*An etiam minori contra alium minorem.* ibid. n. 73.
*An & majori causam conjunctam habenti.* p. 395. n.74.
*Effectus restitutionis.* ibid. n.75.
*Transit ad heredes.* ibid. n.76.
*Quibus modis cesset.* ibid. n.77.
*Venia ætatis quibus danda.* ibid.
*Eam habentibus, an competat restitutio.* ibid.

*Minorennium vota quomodo irritabilia.* p.525. n. 41.
*Minorum juramenta an possint irriteri à curatoribus.* p.549. n.39.
Minorita. *Vide* Frater Minor.

Miraculum.

*Gloria miraculorum illustris Ecclesiæ nota.* p.85. n. 63.
*Calumniis occurritur Novatorum.* ibid.
*Irrito conatu miracula attentarunt.* ibid. n.64.
*Idcirco ad oppugnandum se convertunt.* ibid. n. 65.
*Miracula examinanda sunt rigorosè.* ibid.
*Genius Novatorum quoad hoc.* ibid.
*Miraculum unicum omnes convellit.* ibid.
*Solvitur objectio vulgo desumi solita ex miraculis Antichristi.* ibid. n.66.
*An vel qui Vespasianus cœcum illuminaris, & claudum rectificaverit.* ibid. n.67.
*Miraculis probanda vocatio extraordinaria judicio ipsius Lutheri.* p.91. n.87.
*Miracula à morte patrata ex sensu Pontificum sunt signa præsentis gloriæ.* p.136. n.105.
*Etiam non obstante, quod Paschasius & Severinus in purgatorio existentes fecisse legantur miracula.* ibid.
*Vide* Canonizatio.

Misericordia.

*Misericordia unde sic dicta.* p.222. n.4.
*Ejus descriptio ex Augustino.* ibid.
*Alia generalior.* ibid.
*Respicit malum alienum.* ibid. n.5.
*Involuntarium.* ibid. n.6.
*Quî respiciat malum culpæ, passionem Christi & Martyrum.* ibid.
*Causa misericordiæ, amor.* ibid. n.7.
*Quî concurrat consideratio propriæ miseriæ.* ibid.
*Misericordia est actus virtutis.* ibid. n.8.
*Ac charitate indistincta.* ibid.
*Occurritur objectioni ex Apostolo desumptæ.* p. 222. n.11.
*Quænam sint opera misericordiæ corporalia.* ibid. n. 13.
*Sepulturæ officium cur à Christo omissum.* ibid. n. 14.
*Excessum reprehendit Chrysostomus.* ibid.
*Esse alioquin opus pium ostenditur.* ibid.
*Immo & opus misericordiæ.* ibid. n.15.
*Mens Augustini exponitur.* ibid. n.16.
*Quæ sint opera misericordiæ spiritualia.* p. 224. n. 17.

Modestia.

*Quid modestia & quotuplex.* p.278.n.102.
*Modestia morum an consistat in indivisibili.* p. 280. n.111.
*An ab affabilitate & amicitia distinguatur.* ibid.
*Vitia opposita quæ & quale peccatum.* ibid.
*Excessus innatus mulierum contra modestiam cultus solum est venialis per se loquendo.* ibid. n. 112.
*Mortalis autem per accidens.* ibid
*Quando locum habeat scandalum.* ibid.n.113.
*Quid censendum de nuditate pectoris.* ibid.
*Leges politicæ contra luxum quam utiles.* ibid. n. 114.
*In Belgio neglectæ.* ibid.
*An consentiant ad culpam.* ibid.

Modus.

*Quid modus, & quomodo contractui adjiciatur.* p.385. n.16.
*Valor contractus per modum non suspenditur.* ibid.
*In dubio an sit censendus modus an conditio.* ibid.
*Vide* Contractus.
*Donatum sub modo an transeat ad heredes.* ibid. n. 17.
*Modi impossibilitas an vitiet donationem.* ibid.
*Quomodo sit obligatio adimplendi modum.* ibid.

Monachus.

*An licitum sit aliquem pœnitere assumpti Monachatus.* p.240. n.13.
*Monachis qualiter interdicta negotiatio.* p.432. n. 12.
*Quæ actiones affines sint eisdem permissæ aut interdictæ.* ibid.n.13.
*An possint negotiari per alios.* ibid.

Monasterium.

*Monasterium successionis capax in bona religiosi succedit ex jure communi.* p.539.n.78.
*Monasterio acquirit quidquid professus acquirit.* ibid.n.79.
*Ad quod monasterium spectent bona Religiosi transeuntis ad aliam Religionem.* p.543.n.103.

Monialis.

*Monialium Præfecta cujus ætatis esse debeat.* p. 485. n.34.
*Monialium Præfecta potest irritare vota sibi subditarum.* p.524. n.36.
*Moniales tenentur admittere clausuram.* p.536. n. 58.
*Monialium Præfectis in quibus debeatur obedientia.* ibid.n.61.
*Monialis an possit ejici è monasterio.* p.543. n. 106.

Monopolium.

*Monopolium quid.* p.439.n.43.
*Quæ statuta adversus monopolia.* ibid.
*Monopolium ex indulto Principis quomodo licitum.* ibid. n.44.
*Quale monopolium sit injustum.* ibid.n.45.
*Quid si conspiratio solum sit de pretio rigoroso.* ibid. n.46.
*Quale censendum monopolium, si pauci mercem coëmant ut postea pro arbitratu vendant.* ibid. n.47.
*Alia monopolii genera expenduntur.* ibidem n. 48.

Montes Pietatis.

*Quid Mons pietatis* p. 421. n. 40.
*Unde originem traxerit.* ibid. n. 41.
*Quæ primæva constitutionis leges.* p. 422. n. 41.
*Varii Pontifices montes probarunt.* ibid. n. 42.
*Definivit* Leo X. *cum Concilio Lateranensi.* ibid.
*Dictum* Soti *post Concilium notatur.* ibid. n. 43.
*Probatur ratione Theologica & ex montium conditionibus.* ibid. n. 44.
*Occurritur objectioni.* ibid. n. 45.
*Montes Belgii speciales habent difficultates.* ibid. n. 46.
*Duæ è pluribus proponuntur.* ibid. n. 47.
*Ad priorem responsio.* p. 423. n. 49.
*Item ad posteriorem.* ibid. n. 50. & 51.

Morositas.

*Morositas quid.* p. 574. n. 50.
*Quale peccatum.* ibid. n. 52.

Mulier.

*Mulieris pro viro fidejussio, omnino irrita est.* p. 397. n. 85.
*Quando mulier fidejubens excidat à Privilegio S. C. Velleiani.* ibid. n. 86.
*An ei extrajudicialiter renuntiare possit.* ibid.
*Mulier in judicio ad stadum inhabilis.* p. 474. n. 45.
*Excessus ornatus mulierum, quale peccatum.* p. 280. n. 112.
*Vide* Modestia.

Mutilatio.

*Sui mutilatio extra necessitatem illicita.* p. 327. n. 13.
*Non licet castratio ad superandas vel vitandas carnis tentationes.* ibid. n. 14.
*Factum* Origenis *improbatur.* ibid.
*Concupiscentia inde non mitigatur.* ibid.
*Dicta Christi explicantur.* p. 327. n. 15.
*Nullatenus licita est castratio ad retinendam vocis suavitatem.* ibid. n. 16.
*Marcus abscindens sibi pollicem non fuit Evangelista.* ibid. n. 17.
*Mutilatio licita est, ut salvetur totum.* ibid. n. 18.
*Etiam ex causa naturum extrinseca, si physica sit.* ibid.
*Quid si moralis, v. g. jussio Tyranni.* ibid.

Mutuum. Mutuator. Mutuatarius.

*Quid mutuum.* p. 413. n. 1.
*In quibus rebus detur.* ibid.
*Ordinarie versatur circa usu consumptibilia.* ibidem n. 2.
*Quæ si casu non sint consumpta possunt reddi eadem numero.* ibid.
*In redditione mutui pecuniarii quid spectandum.* p. 414. n. 2.
*An interdum reperiri possit in iis, quæ usu non consumuntur.* ibid. n. 3.
*Qui differat à Precario, Commodato, Permutatione.* ibid. n. 4.
*Notanda circa mutuum filiorum familiæ.* ibid. n. 5.
*An extra mutuum reperiatur usura.* ibid. n. 6.
*Vide* Usura.
*An liceat petere mutuum sub usuris.* p. 415. n. 13.
*An ex mutuo liceat sperare reciprocum officium gratitudinis.* p. 416. n. 14.
*Quid si ipsum deducatur in pactum, aut remissum sit jure debita.* ibid. n. 18.
*An possit mutuatarius obligari ad frequentandam officinam.* ibid. n. 19.
*Aut ad opus ex charitate debitum.* ibid.
*An possit præfigi cessatio à frequentanda officina tamquam terminus reddendi mutuum.* p. 417. n. 20.
*Quid censendum, si excessus sit vel existimetur gratis donatus.* ibid. n. 21.
*Restitutio lucri quando facienda, etsi sine conventione datum fuerit.* ibid. n. 22.
*An mutuatarius possit in alterum transferre mutuum sub usuris acceptum.* ibid. n. 25.
*Ordinarie in mutuo censetur pactum de reddenda eadem quantitate, vel si pecuniarium sit de valore.* ibid. n. 26.
*An id locum habeat etsi certò præsideatur valoris rei mutuatæ variatio.* ibid. n. 27.
*Sententia affirmans.* ibid.
*Secunda negans declaratur.* ibid. n. 28.
*An si moneta ejusdem speciei sit ex pacto reddenda, eam satis sit reddere, etsi interea exauctoratam.* p. 419. n. 29.
*Quibus ex titulis liceat mutuanti accipere ultra sortem.* ibid. n. 30.
*Quid damnum emergens.* ibid.
*Quid lucrum cessans.* ibid.
*Ex his titulis etiam in pactum deductis potest quid exigi supra sortem.* ibid. n. 31.
*Oppositum male adscribitur* Scoto. ibid.
*Interesse duplici modo potest in pactum deduci.* ibid. n. 32.
*Requiritur ut sit fundatum interesse.* p. 420. n. 33.
*Compensatio lucri cessantis an possit exigi statim faciendo.* ibid.
*An ei locus sit, si mutuans servet aliam pecuniam otiosam.* ibid. n. 34.
*Quid censendum de periculo sortis amittendæ, aut difficulter recuperandæ.* ibid. n. 35.
*Assecuratio mutuatarii an fundet justum lucrum in mutuante.* p. 420. n. 36.
*Opponitur* c. Navigantibus *de usuris.* ibid.
*Variæ responsiones.* ibid.
*Non sufficit carentia pecuniæ aut obligatio non repetendi ante certum tempus.* ibid. n. 37.
*Probatur multipliciter.* ibid.
*Cur carentia pecuniæ nequeat pretium imponi.* p. 421. n. 38.
*Praxis mercatorum declaratur.* ibid. n. 39.
*Mutuum qui distinguatur à Cambio.* p. 426. n. 64.

## N


### Naaman.

*Naaman Syrus comitans Dominum ad locum idoli an peccarit.* p.162. n.30.

### Naufragium.

*Ejecta metu naufragii cujus sint.* p.309.n.146.

### Necessitas.

*Quotuplex sit necessitas.* p.218.n.91.
*Necessitas spiritualis alia extrema, alia gravis, alia levis.* ibid.
*Necessitas corporalis alia extrema, alia gravis, alia communis.* p.227.n.38.
*Necessitas extrema ex quo signo possit dignosci.* p.228. n.45.
*An in extrema necessitate liceat furripere ea quibus quis indiget.* p.231.n.60.
*An in gravi necessitate idem sit licitum.* ibid. n. 61.
*An vir honestus teneatur mendicare, si alias non possit nisi furripiendo sue necessitati providere.* ibid. n.62.
*Extrema necessitas excusat à restitutione.* p.377. n. 122.
*Vide* Restitutio.
*Qualiter excuset gravis necessitas.* ibid. n.126.
*Necessitas publica excusat ab observatione festorum.* p.513. n.29.

### Negligentia.

*Quid negligentia & quale peccatum.* p. 279. n. 110.

### Negotiatio.

*Quid negotiatio.* p.431. n.11.
*An licita.* ibid.
*Qualiter Clericis & Monachis interdicta.* p.432. n. 12.

### Notarius.

*An Notarii de jure aut consuetudine stipulentur generatim pro absentibus in privatis negotiis.* p.402. n.20.& 21.
*Notarii in testamentis nihil sibi suisq; adscribere possunt.* p.407.n.51.
*Notarius usurarum instrumentum conficiens peccat mortaliter, raro tamen ad restitutionem tenetur.* p.425.n.61.

### Novitius.

*Ad quæ teneatur avertens novitium à religione.* p.324. n.3.& seqq.
*Novitius ante ultimum bimestre an testari interdictum.* p.409. n.62.
*Novitii soli an possent satisfacere obligationi in choro recitandi horas.* p.507.n.27.
*Novitiorum vota qualiter possint à Prælatis irritari.* p.524. n.33.
*An etiam possint commutari vel dispensari.* ibid.
*Ad inchoandum novitiatum non requiritur annus decimus quintus completus.* p.532. n25.
*Novitius, ut valide profiteatur, debet esse liber ab impedimentis substantialibus.* ibid. n. 26.
*Nulla renuntiatio vel obligatio novitii tenet, nisi secuta professione.* p.533.n.34.
*Quid si sit facta ante novitiatum.* ibid.
*Series est de testamento aliisque dispositionibus in tempus professionis conditionate relatis.* ibid. n. 35.
*Et contractibus onerosis Novitii.* ibid.n.36.
*Qui nequit esse fidejussor.* ibid. n.37.
*Nec renuntiare beneficio Ecclesiastico.* ibid.n.38.
*Potest donare causâ mortis.* ibid.n.39.
*Prohibet* Tridentinum *omnem bonorum traditionem monasterio faciendam ante professionem.* p.534. n.40.
*Non autem modicas eleëmosynas.* ibid.n.41.
*Qualiter obligetur Religio novitio egredienti restituere, quæ intulerat.* ibid.n.42.
*Novitii gaudent privilegio clericali, fori, & sui Ordinis.* p.535. n.48.
*Etsi ejusdem præceptis per se non obligentur.* ibid.
*An novitius possit castigari & postea dimitti.* ibid. n.49.
*Potest Prælatus Novitium cogere per censuras.* ibid. n.50.
*Novitius habet jus ad professionem.* ibid. n.51.
*Et quale.* ibid.
*Per se non obligatur ad perseverantiam.* ib.n.52.
*Nisi eam vovrit.* ibid.


## O


### Obedientia.

*Obedientia unde dicta.* p.568. n.3.
*Alia est materialis, formalis alia.* ibid.
*Quodnam sit hujus objectum.* ibid. n.14.
*Variæ enumerantur obedientiæ formalis species.* n. 15.
*Non nisi accidentaliter distinctæ.* ibid.
*Objectioni occurritur.* p.569. n.16.
*Obedientiæ præstantia.* ibid. n.17.
*Est inferior religione.* ibid.
*Quo sensu melior sit obedientia quam victima.* ibid.
*Formalis obedientia non est sub præcepto.* ibid. n. 18.
*Forte nec præcipi potest ab homine.* ibid.
*Obedientiæ opponitur inobedientia.* ibid.n.19.

### Obedientia Religiosa.

*Vi voti obedientiæ Religiosus subjicitur tum latò, tum summo Pontifici.* p.535. n.54.
*Prælato quidem dum præcipit secundum Regulam.* p.536. n.55.
*Non verò dum novas austeritates introducit.* ib. n.56.
*An rigore Regulæ per legitimam consuetudinem mitigato, Religiosi ad primævam teneantur.* ibid. n.57.
*Moniales tenentur admittere clausuram.* ib.n.58.
*An superior possit præcipere Religiosis ut eant inter infideles.* ibid.n.59.
*Item an obedientia inclinet subditum ad fortiora omnem superioris voluntatem.* p.536.n.60.


*In qui-*

*In quibus debeatur obedientia Abbatissis.* p.536. n. 61.
*Fratres Minores obligantur speciali voto Pontifici.* ibid. n.62.
*Vide* Frater Minor.
*Suis autem superioribus in omnibus aliis quæ regulæ suæ non contrariis.* ibid. n.63.
*Quæ sint talia.* ibid.
*Qualiter obliget votum simplex obedientiæ.* ibid. n. 64.
*An obedientia possit obligare ad opus vitæ activæ hic & nunc impeditivum contemplationis.* p.537. n.65.

Oblatio.

*Oblatio quid significet.* p.518. n.63.
*An Ecclesiis debita.* ibid.

Observantia.

*Observantia unde dicta.* p.568. n.8.
*Quid sit.* ibid.
*Qualiter à pietate differat.* ibid.
*Ejus objectum materiale, formale, & objectum cui.* ibid. n.9.
*Minùs quàm pietas obligat.* ibid. n.10.
*Qualiter contra observantiam peccetur.* ibid. n. 11.
*Observantia est varia.* ibid. n. 12.

Observantia vana.

*Quid vana observantia.* p.553. n.20.
*Distinguitur à divinatione.* ibid.
*Tres ejus species accidentales enumerantur.* ibid. n. 21.
*Scilicet ars notoria, quæ describitur.* ibid. n.22.
*Est ex genere suo mortalis.* p.554. n.22.
*Quid observantia sanitatum.* ibid. n.24.
*Quid observantia eventuum.* ibid. n.27.
*Et qualiter à divinatione distinguatur.* ibid.
*An ex genere suo mortalis.* ibid.

Occisio. Occidere.

*Occidere propria auctoritate seipsum semper illicitum.* p.325. n.6.
*Probatur auctoritate & ratione.* ibid.
*Arcitum illud facit Dei jubentis auctoritas.* ibid. n.7.
*Per quam excusantur facta Sampsonis, Eleazari, Apollonii, & quorumdam aliarum virginum.* ibid.
*hæ uti Martyres colantur.* ibid.
*Ignorantiâ possunt quoque facta quarumdam virginum excusari.* ibid.
*Factum notabile Clarissarum Martyrum Ptolemaide.* ibid.
*Cautela.* p.336. n.7.
*An justè condemnatus auctoritate Judicis possit se occidere.* ibid. n.8.
*Sententia affirmans.* ibid.
*Communissima negans probatur.* ibid.
*An condemnato liceat statuti veneni sumptio.* ibid. n.9.
*An damnatus ut fame pereat, abstinere possit à cibis oblatis.* ibid.
*Discrimini apertæ mortis justa de causa se licet exponere.* ibid. n.10.
*Varia exempla allegantur.* ibid.
*Exulare è turri flagranti an licitum.* ibid. n.11.
*An licita suffossio turris, vel cumbustio navium in prælio.* ibid. n.12.

Occisio Innocentis.

*Innocentis directa occisio semper illicita.* p.328. n. 19.
*Etiam ad avertendum reipublicæ excidium.* ibidem.
*Innocens tamen tenetur se discrimini exponere.* ibid. n.20.
*Potestâ etiam invitus Tyranni dispositioni permitti.* ibid.
*Indirecta Innocentium occisio, quî licita.* ibid. n. 21.
*Licitum est dirigere tormentum bellicum in turrim hostilem in qua sunt Innocentes ligati, ad avertendam inde impugnationem.* ibid.
*Aliis casus allegantur.* ibid. n.22. & seqq.

Occisio malefactorum.

*Malefactores morte punire auctoritate privata non licet.* p.330. n.29.
*Licet publicâ, dum id suadet civitatis qualitas.* ibid. n.30.
*Locus ad* Rom. 13. *an id rectè probet.* ibid.
*Vulgata probatio examinatur.* ibid. n.31.
*Absurda opinio* Scoto *non rectè adscripta.* ibid. n. 32.
*Ejus mens explicatur.* ibid.
*Quid senserit, & alii cum ipso, de occisione simplicium furum.* ibid. n.33.
*Lex Cæsaria illam vetat.* p331. n.33.
*Quæ excusari queant praxis hodierna.* ibid.

Occisio Tyranni.

*Tyrannus usurpatione tituli an possit à privatis occidi.* p.331. n.34.
*An similiter Tyrannus ratione solius regiminis.* ibid. n.35.

Occisio Adulteri.

*Adulterum seu adulteram in flagranti delicto occidere, illicitum.* p.331. n.36.
*Leges Civiles solum concedunt parenti vel marito impunitatem.* ibid.
*Aut certè non sunt ab Ecclesia approbatæ.* ibid.
*Easdem improbat ita* Augustinus. ibid.
*Accedit ratio.* ibid. n.37.
*Ratio quorumdam examinatur.* ibid.

Occisio Invasoris.

*Injustum invasorem vitæ posse occidi quidam negarunt.* p.331. n.38.
*Dubitasse videtur nonnullis* Augustinus. p.332. n. 38.
*Opposita doctrina communissima probatur ex Scriptura & utroque jure.* ibid. n.39.
*Immo occidens nequidem incurrit irregularitatem ex jure.* ibid. n.40.
*Accedit ratio.* ibid. n 41.

*Insanus invasoris non tollit jus naturale defensionis.* ibid.
*Quisnam gladius sus in Scriptura reprobetur.* ib. n. 42.
*Salus invasoris cur ibi non præponenda vitæ defensioni.* ibid.
*Moderamen necessarium inculpatæ tutelæ in quo consistat.* ibid. n. 43.
*An in defensione rerum sit invendere occisionem invasoris.* ibid. n. 44.
*Quis censeatur invasor.* ibid. n. 45.
*An invasus teneatur sibi fugâ consulere.* p. 333. n. 45.
*An parans se ad invadendum censeatur interdum invasor.* ibid. n. 46.
*Varii casus non probandi, saltem in praxi.* ibid. n. 47.
*Honor an cum invasoris occisione defendi possit.* ibid. n. 48.
*Varii id agendi modi rejiciuntur.* ibid. n. 49.
*Non licet fugientem persequi & percutere.* ibid. n. 50.
*Detrahere volentem an liceat occidere.* p. 334. n. 51.
*Invasor pudicitiæ potest occidi, si ipsa aliàs non possit defendi.* ibid. n. 52.
*Invasor nocturnus bonorum fortunæ potest occidi.* ibid. n. 53.
*Uti & diurnus, si unà personam invadat.* ibid.
*Aliàs non, opinione quorumdam.* ibid.
*Contraria nihilominus colligitur ex* c. Cum olim de rest. spol. ibid. n. 54.
*Et* c. Dilecto de sent. excomm. in 6. ibid.
*Item ex* c. Interfecisti de homic. ibid. n. 55.
*Accedit ratio.* ibid. n. 56.
*Objectio ex* c. Suscepimus de homicid. *desumpta dissolvitur.* ibid. 58.
*Aliæ auctoritates explicantur.* p. 335. n. 58.
*Debent bona fortunæ esse notabilia.* ibid. n. 59.
*Defensio sui cum occisione invasoris, an obliget.* ibid. n. 60.
*An similiter licita sit defensio proximi.* ibid. n. 61.

Odium.

*Quid odium & quotuplex.* p. 237. n. 1.
*Creatura potest odisse Deum odio abominationis & inimicitiæ.* p. 238. n. 2.
*Effectus Dei sunt occasio accepta ad eliciendum odium ipsius secundum se.* ibid.
*Utrumque Dei odium est gravissimum peccatum.* ibid. n. 3.
*Odium inimicitiæ est omnium gravissimum.* ibid.
*Odium abominationis erga proximum non est semper grave peccatum.* ibid. n. 4.
*Immo sæpe est bonum.* ibid.
*Odium inimicitiæ erga proximum est ex genere suo mortale.* ibid. n. 5.
*An gravissimum inter respicientia proximum.* ibid.
*Qui distinguatur ab injustitia interiori.* p. 239. n. 6.
*Quæ sæpe odio adjungitur.* ibid.
*An sint odia ejusdem speciei, etsi diversi generis mala proximo desiderentur.* ibid. n. 7.
*Malum proximi interdum licitè desideratur ex bono fine.* ibid. n. 8.
*An Deus erga peccatores habeat odium inimicitiæ.* ibid. n. 9.
*Quæ ergo odii.* ibid. n. 10.
*An sit vitium capitale.* ibid.

Offensa.

*Offensa qualiter inimicis remittenda.* p. 213. n. 66.

Officium.

*Ad officia sæcularia indignos assumere quale peccatum.* p. 479. n. 5.
*Sive assumens sit supremus Princeps, sive inferior, sive resignans.* ibid.
*Immo juxta receptam Doctorum sententiam præferendus est dignior.* ibid. n. 6.
*Quorumdam probationes discutiuntur.* ibid.
*Alia probatio.* ibid.
*Opposita sententia speculativè non improbabilis.* ibid. n. 7.
*Quid practicè censendum.* ibid.
*Venditio officiorum quam perniciosa.* p. 480. n. 8.
*An sit intrinsecè mala.* ibid. n. 9.

Opus.

*Quæ dicantur opera servilia & quæ liberalia.* p. 521. n. 11.
*Qualiter in die festo prohibita.* ibid. & seqq.

Oratio.

*Oratio an immediatè Deum attingat.* p. 498. n. 3.
*Orationis multiplex acceptio.* p. 499. n. 12.
*Propriissima.* ibid.
*Secundum quam importat actum voluntatis.* p. 500. n. 13.
*Quod suadet tum auctoritas tum ratio.* ibid.
*Neque oratio vocalis est ratione orationis, sed signi vocalis est locutio.* ibid. n. 14.
*Actus intellectus ad orationem se habent concomitanter aut præsuppositivè.* ibid.
*Oratio vocalis, alia publica, alia privata.* ibid. n. 15.
*Quævis oratio sive mentalis, sive vocalis, est actus religionis.* ibid. n. 16.
*Oratio est adultis necessaria & practica.* ibid. n. 17.
*Necessitate hâc in divinis auxiliis utique ad salutem necessariis, fundata.* ibid.
*Unde oratio non ratione sui, sed ratione finis per eam obtinendi, obligat.* ibid. n. 18.
*Varii casus in quibus hæc obligatio cessat, recensentur.* p. 501. n. 18.
*Extra hos tamen casus etiam perseverat.* ibid. n. 19.
*Unde nequit longo tempore omitti.* ibid.
*Oratio competit soli creaturæ rationali superiorem & benefactorem agnoscenti.* ibid. n. 20.
*Nulli personæ divinæ quâ tali.* ibid. n. 21.
*An Christo quâ Homini.* ibid.
*Non damnatis.* ibid. n. 22.

*Secùs est de beatis tum Angelis tum animabus.* ibid. 23.
*Et viatoribus etiam peccatoribus ac animabus in purgatorio existentibus.* ibid. n.24.
*Orandum pro omnibus etiam inimicis.* ibid. n.25.
*Laudabiliter pro quovis in particulari.* ibid.
*Vel pro omnibus in generali.* ibid.
*Obligatoriè autem sic ut nemo ab oratione excludatur.* ibid.
*In oratione petenda sunt decentia.* p.502. n.26.
*Et quidem quæ ad salutem pertinent, absolutè: indifferentia autem sub conditione saltem tacita.* ibid.
*Mala autem culpæ, etiam venialis, minimè citra gravem Dei injuriam.* ibid. n.27.
*Secùs de malis temporalibus, secluso sinistro affectu.* ibid.
*An & quando oratio habeat infallibilem effectum.* ibid. n.28.
*Facta pro multis minus valet singulis, quàm si singulis appropriatur.* ibid. n.29.
*Ad orationem requiritur intentio orandi.* ibid. n. 30.
*Attentio quotuplex.* ibid.
*Qui requiratur.* ibid. n.31.
*Distractio quale peccatum.* ibid.

Ordo Religiosus.

*Ordinum religiosorum diversitas & perfectio unde desumatur.* p.530. n.9. & seqq.
*Vide* Religiosus.

Ornatus.

*Excessus ornatus mulierum contra modestiam cultus per se loquendo solùm est venialis.* p. 280. n.112.
*Mortalis autem per accidens.* ibid.

Osculum.

*Oscula triplici de causa fieri possunt.* p. 266. n. 31.
*Quanam sint licita.* ibid. n.32.
*Si sint causa delectationis concubitus sunt peccatum mortale.* ibid. n.33.
*Quid censendum de osculis factis ex joco &c.* ibid. n. 34.
*Oscula causæ delectationis inde consurgentis fiunt, primo cum delectatione quæ oritur ex proportione cum organo tactus.* p.267. n.35.
*Secundo cum delectatione venerea.* ibid.
*Priora censentur non libidinosa.* ibid.
*Secùs est de posterioribus.* ibid. n.36.

Ova.

*Ovorum usus quando & ubi permissus diebus jejunii.* p.273. n.71.
*Abstinentiam ab ovis in diebus jejunii an graviter præceperit Ecclesia.* ibid. n.72.

## P

Pactum Pactio.

*Quid pactum.* p.383. n.1.
*Qui differat à pollicitatione.* ibid.
*Quid pactum nudum & vestitum, & quænam sint talia.* p.384. n.7.
*Vide* Contractus.
*Pactum nudum obligat naturaliter, non civiliter.* ibid. n.8.
*Quid tamen in foro civili operetur.* ibid.
*An ex illo detur actio secundum jus canonicum.* ibid. n.9.
*Quid censendum juxta mores hodiernos.* ibid. n. 10.
*In pactis venditioni adjectis quid generatim observandum.* p.441. n.55.
*Vide* Venditio.

Pagani.

*Pagani qui dicendi.* p.167. n.2.
*An sit prohibitum aliquid legare Pagano.* p.181. n.71.
*Vide* Infidelis.

Palpo.

*Palpo quomodo teneatur ad restitutionem.* p. 364. n.53.
*Vide* Furtum.

Parens.

*Parentes in extrema necessitate sunt præferendi filiis.* p.220. n.104.
*Pater jure communi peculii profectitii est dominus, adventitii usufructuarius.* p.300. n.90.
*Quibus casibus patri non competat usus fructus in adventitiis filii.* p.301. n.91.
*Patria potestas an vel qui hodie vigeat.* ibidem n. 95.
*Patri emancipatio circa filios competit.* ibid. n. 97.
*Patria potestas quomodo præterea solvatur.* ibidem.
*Parentes qualiter queant filios religioni devovere.* p.523. n.30.
*Qualiter reverendi prolibus.* p.567. n.
*Qui peccetur mortaliter contra externam parentum reverentiam.* ibid. n.3.
*Qui contra internam.* ibid. n.4.
*Parenti in pari necessitate præferendus est Principi.* p.568. n.10.
*An pater in necessitate præferendus matri.* p. 220. n.103.
*Vide* Charitatis ordo.

Parochus.

*Quanta obligatio parochorum succurrendi subditis in gravi necessitate.* p.218. n.96.
*In illa nequeunt renuntiare officio suo.* p. 219. n.96.
*An liceat parochiale beneficium suscipere cum animo resignandi.* p.486. n.40.
*An Parochus in die festo teneatur habere concionem.* p.511. n.9.

Participans.

*Participans in præda ad quid teneatur.* p. 365. n. 55.
*Participantes in injusta actione qui.* ibid.

*Ad quid teneantur.* ibid.
*An exsponsione ab ibis an singulæ teneantur in solidum.* ibid. n. 56.
*Variæ opiniones examinantur.* ibid.
*Vide* Furtum.

Patientia.

*Quid sit patientia.* p. 283. n. 14.
*Qualiter se habeat ad fortitudinem.* ibid.
*Quî distincta à longanimitate.* ibid.
*Quæ vitia patientiæ opposita.* ibid. n. 15.
*Qualiter peccaminosa.* ibid.
*Quæ patientiæ incentiva.* ibid. n. 16.
*Quinam patientiæ gradus.* ibid. n. 17.

Patronatus.

*Quid jus patronatus.* p. 482. n. 19.
*Cujus efficaciæ.* ibid.
*Quid jus patronatus laici, quibus, quo titulo competat.* ibid.
*Quid jus patronatus ecclesiastici.* ibid. n. 20.
*Nequidem prius vendi potest nisi venditione universitatis.* ibid.
*Intra quod tempus sit facienda præsentatio vacantis beneficii.* ibid. n. 21.
*An præsentatus indignum jure excidat pro ista vice.* ibid.
*An præsentato possit accumulari novus.* ibid.
*Patronatus juri nequit Episcopus derogare.* ibid. n. 22.
*Potest Pontifex.* ibid.
*An æquè habere quoad jus patronatûs laici.* p. 483. n. 22.
*Notanda circa clausulas huic derogatorias.* ibidem.
*Patronus tenetur idoneum præficere.* ibid. n. 25.
*Vide* Beneficium.
*Patrono præsentante minus dignum debet collator digniore relicto illum instituere.* p. 485. n. 30.
*Consensus Patroni qualiter necessarius in renuntiatione beneficii.* p. 492. n. 67.

Paulus.

*Paulus etiam Judæorum & Petrus Gentium doctor extitit.* p. 115. n. 18.
*Cur Paulus antonomasticè dicatur Apostolus.* ibid. n. 19.
*Cur interdum picturæ eum exhibeant à dextris Petri.* p. 116. n. 19.
*An vel quo sensu Paulus dici possit Romanus Episcopus.* p. 117. n. 25.
*Cur Paulus Petrum in epistola ad Romanos specialiter non salutarit.* p. 121. n. 39.
*Vide* Petrus.

Pauper. Paupertas.

*Pauperum necessitates inquirendi non est obligatio.* p. 230. n. 55.
*Nihil juris competit etiam olim pauperibus in proventûs Ecclesiasticos.* p. 306. n. 126.
*Pauperes an excusentur ab observatione festorum.* p. 513. n. 27.
*Pauperes qualiter queant gratitudinem exercere.* p. 570. n. 26.
*In pauperibus quomodo locum habeat liberalitas.* p. 575. n. 53.

Paupertas Religiosa.

*Per votum paupertatis abdicatur proprietas & dominium.* p. 538. n. 72.
*Hæc abdicatio non ratione sui, sed finis ad quem tendit est honesta.* ibid. n. 73.
*Paupertas Religiosa excludit receptionem cujusvis dominii proprii.* ibid. n. 74.
*Immo & usum cujusvis rei temporalis à consensu superiorum independentem.* ibid. n. 75.
*Corollaria.* ibid. n. 76.
*Ad proprios usus permissa, nequit Religiosus aliis mutuo aut commodato dare.* ibid.
*Nec usurpare res communes sine licentia, quæ quoad has facilè præsumitur.* p. 539. n. 77.
*Accedente parvitate materiæ.* ibid.
*Altissima Fratrum Minorum paupertas excludit omne omnium temporalium, etiam mobilium tam in speciali quam in communi dominium.* ibid. n. 80. & p. 304. n. 113.
*Vide* Frater Minor. Dominium.
*Religiosus quomodo peccet contra votum paupertatis.* p. 540. n. 85. & seqq.
*Vide* Proprietas.

Pax.

*Quid pax & quotuplex.* p. 221. n. 2.
*Pax impii falsa.* ibid.
*Quî charitas pacem generet.* p. 222. n. 3.
*Non est perfecta in hac vita.* ibid.
*Cur non semper generet pacem cum proximo.* ibidem.

Peccatum.

*Peccatum veniale non minuit intrinsecè charitatem.* p. 204. n. 16.
*Minuit tamen fervorem & familiaritatem & vitæ amicitiæ.* ibid. n. 19.
*Vide* Charitas.
*Peccatum contra naturam quid sit, & quare sic dictum.* p. 264. n. 21.
*Dividitur in brutalitatem, mollitiem & sodomiam.* ibid. n. 22.
*Peccata contra naturam esse mortalia ex Scriptura & ratione ostenditur.* p. 265. n. 25.
*Peccatum cum dæmone quale sit.* ibid. n. 26.
*Peccatum etiam leve vovere, est graviter malum.* p. 521. n. 14.

Peculium.

*Peculii etymologia quæ.* p. 300. n. 85.
*Ejus à pecunia distinctio.* ibid.
*Quid significet generatim.* ibid.
*Quadruplex filiorum peculium.* ibid. n. 87.
*Quodnam peculium castrense & quatenus sit filiorum familias.* ibid. n. 87.
*Quodnam quasi castrense & qui spectet ad filios.* ibid. n. 88.
*Quid censeatur peculium adventitium.* ibidem n. 89.
*Quidnam censeatur profectitium.* ibid. n. 90.
*Hujus jure communi pater est dominus, istius usufru-*

*usufructuarius.* ibid.
*Quibus casibus pater non competat usufructus in adventitiis filii.* p.301.n.91.
*Quale peculium censeatur lucrum industriæ filii ex pecunia patris.* ibid.n.92.
*An filio familiæ censeatur adventitia merces operarum extraordinariarum.* ibid.n.93.
*Mores hodierni qui.* ibid. n.94.

Pensio.

*Pensio quid sit.* p.481.n.14.
*Non est naturâ suâ perpetua.* ibid.
*Quotuplex sit pensio.* ibid.
*Pensionarius an teneatur recitare officium B. Mariæ.* ibid.
*Pensionis reservatio in permutatione aut resignatione beneficiorum fundatur in stylo curiæ.* p. 492. n.68.
*An creari possit per ordinarium.* p.493.n.68.
*An per principes sæculares.* ibid.
*An possit redimi.* ibid. n.69.

Perfectio.

*Perfectio status religiosi unde desumatur.* p. 530. n.11. & seq.

Perjurium.

*Perjurii malitia.* p.544. n 4.
*Perjurium quid.* p.549. n.42.
*Ejusdem gravitas.* ibid. n.43.
*Et pœna.* ibid. n.44.

Permutatio.

*Permutatio quî differat à mutuo.* p.414. n.4.
*Permutatio in principio sola consueta.* p. 430. n. 1.

Perseverantia.

*Quid perseverantia.* p.283. n.18.
*Quæ ejus materia.* ibid.
*Quæ vitiis opposita.* ibid.

Personatus.

*Personatus plerumque inter simplicia beneficia censetur.* p.481.n.16.

Pertinacia.

*Quid pertinacia.* p.283. n.18.
*Pertinacia requiritur ad hæresim formalem.* p. 169. n. 5.
*Quæ non requirit singularem moram temporis, aut correptionem.* ibid. n.16.
*Ad pertinaciam quid requiratur & sufficiat.* ibid. n.17.
*Ab ea excusat ignorantia vincibilis etiam crassa.* p.170. n.20.
*Immo probabilius & affectata.* ibid.n.21.
*Quod limitatur, & magis declaratur.* ibidem n. 22.
*An sufficiat ad pertinaciam, quod ab Episcopis aut Inquisitoribus monitus, persistat credens eos in proponendo falli.* p.171.n.25.
*An pertinaciter dubitans de fidei mysterio sit Hæreticus.* ibid. n.27.
*Quid censendum de assensu opinativo mysterio-*
*rum fidei.* p.172. n.28.

S. Petrus.

*Petrus à Christo electus est in vicarium & supremum caput Ecclesiæ universalis.* p. 112. n. 2.
*Probatur ex Matthæi 16.* ibid.
*Occurritur objectioni.* ibid. n. 3.
*Stabilitur Scripturæ allegatæ sensus ex Patribus passim.* ibid. n.4.
*Non alii dissentiunt.* ibid. n.5.
*Petrus inter ceteros Apostolos specialis Ecclesiæ fundamentum.* p.115. n.6.
*An Petrus Matth. 16. responderit nomine ceterorum.* ibid. n.7.
*Qualiter hi Petro pares, qualiter inferiores & subordinati.* ibid.
*Qui juxta Augustinum Petrus in acceptione clavium sustinuerit personam Ecclesiæ.* ibid. n. 9.
*Petri primatûs probatur ex 2. Joan. 21. & variis prærogativis.* p.114.n.11.& seqq.
*Petrum ab Apostolis missum esse non derogat primatui.* p.115. p.16.
*Uti nec quod Apostolus restiterit Petro in faciem.* ibid. n.17.
*Similiter nec quod dicat sibi à Petro nihil esse collatum.* ibid.n.18.
*Quid significet, quod Petrus dexteram dedit Paulo.* ibid.
*Locus Clementis I. corruptus à Cutitur.* p.116. n. 20.
*In quo sit paritas inter Petrum & Paulum.* ibid. n. 23.
*Nonnulla Patrum de iis encomia sunt Apostolis communia.* ibid.n.24.
*Cur Petrus & Paulus dicantur Principes Apostolorum, Coryphæi, duo Luminaria, Collegæ.* ibid.
*Primatum Petro datum tamquam in successoribus permansurum, declaratur.* p.117. n.25.
*An Petrus Romæ sederit & obierit.* p. 121. n. 39.

Phreneticus.

*Si phreneticus in mortali constitutus à se aut aliis esset occidendus, teneris cum periculo vitæ impedire si potes.* p.218. n.94.

Pietas.

*Varia acceptio vocis, Pietas.* p.567.n.1.
*Quid prout sumatur in proprio sensu.* ibid.
*Obligat ad reverentiam parentum externam & internam.* ibid.n.2.
*Quî peccetur mortaliter contra externam parentum reverentiam.* ibid. n.3.
*Quî contra internam.* p.567. n.4.
*Pietas est virtus specialis.* ibid. n.5.
*Ejus objectum materiale & formale.* ibid.
*Item objectum cui.* ibid. n.6.
*Dicta applicari possunt virtuti parentibus spiritualibus debitum reddenti.* ibid. n.7.

Pignus.

*Quid pignus.* p.290. n.39.
*Quale sit jus pignoris.* p.291. n.40.
*Quam actionem pariat.* ibid.
*Vide* Hypotheca.

Pingere.

*Pingere an sit opus servile.* p.511. n.14.

Piscatio.

*Piscatio an licita in die festo.* p.512. n.17.

Plagium.

*Quid plagium & quid differat à furto.* p. 355. n. 4.

Pœna.

*Pœnæ usurariorum.* p.424. n.53. & seqq.
*Pœna talionis quid sit.* p.472. n.35.
*An in usu.* ibid.
*Pœna conventionalis quid.* p.396. n.79.
*An justè imponatur resilienti aut non implenti contractum.* ibid.
*Conditiones servanda in pœna conventionali.* ibidem n.80.
*An debita ante sententiam.* ibid.
*Pœna conventionalis quid differat ab Arrha.* ibid. n. 81.

Pollicitatio.

*Quid pollicitatio.* p.399. n.1.
*An pollicitatio jurata sit revocabilis.* p. 401. n. 9.
*An excipienda pollicitatio facta civitati.* ibid. n. 10.
*Aut ad pias causas.* ibid. n.11.
*Vel infanti.* ibid. n.12.

Pollutio.

*Pollutio non est tam grave peccatum quam bestialitas aut sodomia.* p.265. n.26.
*Sunt inter se specie morali distincta.* ibid.
*Nulla causâ vel casu licita est voluntaria pollutio.* ibid. n.27.
*Involuntaria non est peccatum.* p.266 n.28
*An de ea gaudere liceat.* ibid.
*Qui debeat esse voluntaria in se vel in causa.* ibid. n.29.

Pontifex.

*Quo sensu Pontifices Romani dicantur successores Petri, atque etiam Pauli, item eorumdem Vicarii.* p.117. n.26.
*Romanus Pontifex est Petri successor in primatu.* p.118. n.28.
*Primatum hunc agnoscunt Concilia, etiam præsentibus Orientalibus celebrata.* ibid.
*Idem primatus constat ex epistolis Sanctorum Pontificum, ac testimoniis Patrum.* ibid. n.29.
*Accedunt testimonia Imperatorum.* p.119. n.31.
*Et indubitata primatus indicia.* ibid. n.32.
*Jurisdictio Pontificum in ceteros Episcopos.* ibid.
*Sive eos instituendo, sive deponendo, sive ab aliis depositos restituendo.* ibid.
*Appellatum etiam fuit undequaque ab Episcopis ad Pontificem.* ibid. n.33.
*Idem Concilia indixerunt, præsiderunt illis & confirmarunt.* p.120. n.34.
*Jussiones Episcopis dederunt.* ibid.
*In canonibus dispensarunt.* ibid.
*Imperatores in Oriente degentes & Episcopos excommunicarunt.* ibid.
*Alibi habuerunt suos vicarios.* ibid. n.35.
*In dubiis ad ipsum velut supremum judicem recursum pro responsis.* ibid. n.36.
*De Pontifice ob suam præeminentiam nemo potest judicare.* ibid. n.37.
*Idem semper curam habuit propagandæ fidei.* ibid.
*Accedit ratio Theologica.* p.120. n.38.
*Cur primatus non debeatur Cathedræ Antiochenæ.* ibid.
*Mentiuntur hæretici ex concessione Principum provenire primatum Papæ.* p.121. n.40.
*Quid ordinaverit de eo Constantinus Magnus.* ib.
*An vel quid Constantinus Pogonatus.* ibid. n.41.
*Quid Photius.* ibid.
*Mendacium Calvini primatum in Gallos & Germanos referentis in Pipini & Caroli Magni concessionem, refellitur.* ibid. n.42.
*Arguitur esse referendum in Concilia aut consensum Apostolorum.* p.122. n.43.
*Falsissimum est oriri ex Conciliis habitâ ab iis consideratione urbis Imperialis.* ibid.
*Decretum Chalcedonense objectum quid resciissum fuerit.* ibid.
*Canon VI. Synodi Nicenæ declaratur.* ibid. n.44.
*Verba Æneæ Sylvii explicantur.* ibid. n.45.
*Quo sensu Apostoli voluerint Petrum esse suum Principem.* ibid.
*Nomen Episcopi universalis quo sensu improbandum, & ne Papæ quidem tribuendum.* ib. n.46.
*Quo sensu eidem, sed soli, tribuendum.* ibid. n.47.
*A Gregorio cur non usurpatum, & an improbatum.* p.123. n.47.
*An Carthaginense III. hunc titulum Pontifici non tribuendum decreverit.* ibid. n.48.
*An & quo sensu Pontifices dici possint Vicarii S. Petri.* ibid. n.49.
*Nomine Sedis Apostolicæ intelligitur Romana, quare.* ibid. n.50.
*Munus Romani Pontificis vocatur Apostolatus, quare.* ibid.
*Conjunctio primatus cum Romana Cathedra oritur ex facto Petri.* ibid.
*Juxta plures insuper ex mandato Christi.* p.124. n. 52.
*Judicium Auctoris.* ibid. n.53.
*Pontifex potest derogare juri patronatus Ecclesiastici.* p.482. n.22.
*An etiam laici.* p.483. n.22.
*Pontifex potest conferre beneficia.* ibid. n.23
*Pontifex potest absolutâ suâ potestate prævenire Ordinarium.* ibid. n.24.
*Pontifex in pluralitate officiorum qui valeat dispensare.* p.487. n.43.
*Pontificis competit potestas instituendi sedes pro tota Ecclesia.* p.510. n.3.
*Pontifex quorum possit vota irritare.* p.524. n.35.

*Potestas dispensandi in votis competit generaliter Pontifici jure divino.* p.527. n.58.
*Pontifici speciali voto obligantur Fratres Minores.* p.536. n.62.

Pontificis Electio. Depositio.

*Mos vetus eligendi Pontificem.* p.524. n.54.
*Mos hodiernus.* ibid.
*Quid olim jure vel facto circa electionem gerit potestas secularis.* ibid. n.55.
*Posse Pontificem sibi deligere successorem varii asserunt, plerique tamen negant.* p.525. n.56.
*Respondetur ad factum Petri designantis Clementem successorem.* ibid.
*Quando accipiat Pontifex electus potestatem, & à quo.* ibid. n.57.
*Pontifex sponte sua potest abdicare Papatum.* ib. n. 58.
*Occurritur objectionibus.* ibid.
*Deponi invitus nequit, quantumvis pessimus.* ibid. n.59.
*Occurritur objectionibus.* p.526. n.60.
*Dubius Pontifex quî possit deponi.* ibid. n.61.
*In casu hæresis potest Pontifex exauctorari invitus.* ibid. n.62.
*Non sufficit tamen hæresis interna.* ibid. n.63.
*Aut occulta seu non satis probata.* ibid.
*Quod ob hæresim manifestam excidat eo ipso, plures censent.* p.527. n.64.
*Alii tamen requirunt sententiam Ecclesiæ non tam deponentis, quam crimen declarantis.* ibid. n.65. & seq.
*An Pontifex possit fieri hæreticus.* ibid. n.67.
*An aliquis hactenus fuerit hæreticus.* ibid. n.68.
*Exponitur difficultas de Honorio I.* ibid. n.69.
*Item de Liberio.* p.528. n.70.
*Et subrogatus Felix II.* ibid. n.71.
*Qui legitimus fuit Pontifex.* ibid.
*Quâ id ratione factum.* ibid. n.72.

Pontificis infallibilitas.

*Pontifex sine Concilio Generali in definitionibus controversiarum fidei est infallibilis.* ibidem n.73.
*Varie probatur.* ibid. & seqq.
*Occurritur objectioni.* p.529. n.78.
*Cur Cyprianus S. Stephano Papæ opponens non fuerit hæreticus.* p.530. n.81.
*Explicatur Concilium Africanum.* ibid. n.82.
*Aquinas non esse de fide de singulari Pontifice, quod vere talis sit.* ibid. n.83.
*Hoc dato, essent nihilominus de fide ea quæ definit.* ibid. n.84.
*Juxta communiorem hodie opinionem est fidei, quod v.g. Alexander VII. sit legitimus Pontifex.* p.531. n.85.
*De fabula Joannæ Papissæ.* ibid. n.86.
*An aliqui Pontifices in responsis erraverint.* ibid. n. 87.
*Possunt privatim errare in fide aut moribus.* ibid.
*Quando censeantur loqui ex Cathedra, quando non.* ibid. n.88.
*Pontifex est infallibilis in decretis morum.* p. 532. n.89.
*Similiter in approbatione Religionum.* ibid. n.90.
*Error contra prudentiam non ni hujusmodi admitti possit.* ibid. n.91.
*Pontifex potest errare in particularibus quæstionibus factis.* p.533. n.92.
*Pontifex in nonnullis quæstionibus factis est infallibilis, signanter in Canonizatione Sanctorum.* ibid. 93.
*Probatur ex Bullis Pontificum, & ratione Theologica.* ibid. n.94. & seq.
*Locus Augustini quamvis suppositivius explicatur.* p.534. n.96.
*Pontifex est etiam in beatificatione Sanctorum infallibilis.* ibid. n.97.
*An sit par de hac quæ de Canonizatione certitudo.* ibid. n.98.
*Vide* Canonizatio.
*An Pontifex debeat definitionibus præmittere examen.* p.536. n.100.
*Quid si Pontifex definiret non præmisso examine.* ibid. n.108.
*Expenditur Bulla* Alexandri VII. *definitis quinque propositiones esse damnatas in sensu à Jansenio intento.* ibid. n.109.

Possessio.

*Possessionis Etymologica ratio.* p.295. n.61.
*Ejus descriptio.* ibid.
*Quâ requiratur detentionem seu per quos facienda.* ibid. n.62.
*Varii modi apprehensionis.* ibid. n.63.
*Apprehensio vera quæ, & quando necessaria.* ibid.
*Apprehensio ficta quibus modis contingat.* ibid.
*Juris dispositione confertur possessio sine apprehensione alterutra.* p.296. n.64.
*Usus Belgii.* ibid.
*Controversia nominalis de hac re.* ibid.
*Qualiter requiratur animi & juris adminiculum.* ibid. n.65.
*Qui effectus possessionis.* ibid. n.66.
*Qualiter ipsa probetur.* ibid. n.67.
*Quibus modis amittatur.* ibid. n.68.
*Loco interdicti, Utì possidetis, in Belgio est manutenentia.* p.297. n.69.
*Ordo ibidem procedendi in possessorio.* ibid.
*In causis signanter beneficialibus.* ibid. n.70.

Potus.

*Potus etiam immoderatus non frangit jejunium.* p.273. n.75.
*Vide* Ebrietas.

Præbenda.

*Præbenda quibus modis accipiatur.* p.480. n.11.
*Vide* Beneficium.

Præcipitatio.

*Præcipitatio quid sit.* p.259. n.18.
*Unde oriatur.* p.260. n.19.
*Quale peccatum.* ibid.

Prædium.

*Quæ prædia urbana, quæ rustica.* p.290. 38.
*Quales singulorum servitutes.* ibid.

Præla-

Prælatus.

*Quanta Prælatorum obligatio succurrendi subditis in gravi necessitate.* p.218.n.96.
*Prælatis regularibus in processu criminali suorum subditorum, quid observandum.* p.471.n.[illegible].
*Prælati qualiter possint vota novitiorum irritare.* p.524. n.33.
*Prælati regulares in votis de jure dispensant cum suis subditis, ubi Episcopi cum suis.* p.528.n.65. *Vide* Votum.
*Prælatus potest novitium cogere per censuras.* p. 535. n.50.
*An Prælatus possit præcipere religiosis, ut eant inter infideles.* p.536. n.59.
*Prælatus quale dominium competat.* p.303.n.107.

Præscriptio.

*Quotupliciter sumatur præscriptio.* p.312.n.163.
*Quid propriè significet, & qui ab usucapione distinguatur.* ibid.
*Per illam transfertur dominium etiam in foro conscientiæ.* ibid. n.164.
*Citra obligationem restituendi postea detecto errore.* ibid.
*Qui detur restitutio in integrum majoribus.* ibid. n.165.
*An etiam ratione ignorantiæ.* ibid.
*Qui restitutio competat minoribus.* ibid.n.166.
*Item Ecclesiis & piis locis.* ibid.
*Requiritur ad præscriptionem possessio continuata.* p.313. n.167.
*Item titulus.* ibid. n.168.
*Ignorantia juris communi sententiâ obstat præscriptioni.* ibid. n.169.
*Limitationes variæ.* ibid. n.170.
*Titulus an in præscriptione tricennali aut longioris temporis necessarius.* ibid. n.171.
*Bona fides quî requiratur jugiter.* ibid.n.172.
*Correctum hac in parte jus civile.* ibid.
*Quid agendum superveniente dubio.* ibid.n.173.
*Bona fides requiritur in præscriptione etiam immemorabili.* p.314. n.174.
*Vel quæ sit contra obligationes seu actiones personales.* ibid. n.175.
*Edicta nonnulla post silentium certi temporis denegantia actionem concernunt nerè forum externum.* ibid.n.176.
*Reus præscribens scienter contra actiones fisci non est in mala fide.* ibid.n.177.
*Idem passim DD. tradunt de præscribente libertatem à servitute rustica, cui prædium novit subjectum.* p.314. n.178.
*Differentia quoad hoc inter rusticas & urbanas servitutes.* ibid.
*Bona fides an in præscribente præsumatur.* ibid. n. 179.
*Ad præscriptionem requiritur tempus legale.* ibidem n.180.
*Pro mobilibus quidem cum titulo triennium, etsi sint Ecclesiæ.* ibid.
*An Romanæ competat hac in parte privilegium.* ibid.
*Sine titulo requiruntur triginta anni.* ibid.
*Pro immobilibus contra privatos decennium inter præsentes, vicennium inter absentes.* ibid.n.181.
*Qui tales censeantur.* ibid.
*Majus tempus quando requiratur.* ibid.
*Contra immobilia Ecclesiæ currit præscriptio centenaria si spectent ad Romanam, quadragenaria si ad alias.* p.315. n.182.
*Idem est de aliis locis piis.* ibid.
*Quorumdam specialia privilegia.* ibid. n.183.
*Quæ censeantur immobilia.* ibid. n.184.
*Bona Principis quomodo præscribantur.* ib.n.185.
*Quomodo Coronæ annexa.* ibid.
*An debita in recognitionem supremæ potestatis.* ibid. n.186.
*Item alia ei propria non tamen adeo ei intrinseca.* ibid.
*De actionibus personalibus, legatis &c.* ibid. n. 187.
*Res meræ facultatis non præscribuntur.* p. 316. n. 188.
*Secùs est de jure Patronatûs vel Beneficiis.* ibid.
*Triennalis pacifica possessio quid in Beneficiis conferat.* ibid. n.189.
*Mores nostri in materia præscriptionis.* ibid. n. 190.
*Quid de pretio rerum minutatim venditarum, salario famulorum, advocatorum, &c. statutum.* p.316. n.191.
*Restitutio contra læsionem quæ hîc præscribatur.* ibid.
*In Hollandia & Zelandia, quo tempore perficiatur præscriptio.* ibid. n.192.
*Præscriptio turbatur tripliciter.* ibid.n.193.
*Quando dicatur non procedere, quando dormire, quando interrumpi.* ibid.
*Quî continuetur usucapio accessione possessionis.* p.317. n.194.
*An eatenus bona fides auctoris prosit successori.* ibid.

Præsumptio.

*Præsumptionis multiplex acceptio.* p.200.n.61.
*Præsumptio per excessum oppositæ spei quæ.* ibid. n. 62.
*Duplex illius species infidelitatem supponens declaratur.* ibid. n.63.
*An & quomodo per illam amittatur habitus.* ibid. n.64.
*Tertia præsumptionis species, quæ appellatur Catholicorum explicatur.* ibid. n.65.

Præsentatio.

*Præsentatio ad beneficium. Vide* Beneficium. Patronatus.

Precarium.

*Precarium quî differat à mutuo.* p.414.n.4.
*Quid precarium & quale differat à commodato.* p.466. n.35.
*Quid precaria & quî differat à precario.* ib.n.36.

Pretium.

*Quid pretium.* p.430.n.1.
*Pretii determinatio qualiter requiratur, ut venditio subsistat.* p.431. n.6.

*Pretium aliud legitimum, aliud vulgare.* p.432. n. 14.
*Hoc habet gradus, summum, medium & infimum.* ibid.
*Qualiter de his judicandum.* ibid.
*In mercibus ultroneis quodnam justum pretium.* ibid. n. 15.
*In subhastationibus quodnam justum pretium.* ibid. n.16.
*Quid de mercibus minutatim venditis.* p.433. n. 16.
*Pretium legitimum, quando & in cujus favorem servandum.* ibid. n. 17.
*Quando non.* ibid.
*Vulgare quando servandum.* ibid. n.18.
*Læsio etiam modica est injusta & restitutioni obnoxia.* ibid.
*In foro externo datur actio deceptis ultra dimidium.* ibid. n.19.
*Quando censeatur talis deceptio.* ibid.
*Quamdiu duret hæc actio ex jure & moribus.* p. 434. n.19.
*An damnum prætensum venditoris sit titulus augendi pretium.* ibid. n.20.
*An propensio aut utilitas emptoris.* ibid.
*An hic sciens excessum censeatur condonare.* ib. n. 21.
*Pretium mercium unde crescat.* p.436. n.30.
*Res valde rarò quo pretio vendi queant.* ib. n.31.
*Quodnam pretium mercis vitiosæ.* ibid. n.32.
*Pretium mercium secretò mox minuendi sciens, an possim currente pretio vendere.* p.437. n.35.
*Vide* Venditio.
*An in casu quo magistratus decreto nondum publicato minuendum sciam.* p.438. n.38.
*Pretio non soluto an fructus pendentes fiant emptoris.* p.440. n.53.
*Pretium rei sub pacto commissorio venditæ, qui temperandum.* p.441. n.58.
*Pretium retractus qualiter & intra quod tempus offerendum.* p.443. n.65.
*Pretium aliud à manu, aliud à lingua, aliud ab obsequio.* p.561. n.6.
*Res spirituales an possint pretio temporali vendi.*
*Vide* Simonia.

Primitiæ.

*Primitiæ quid significent.* p.518. n.62.
*An obligent.* ibid.

Princeps.

*An principes teneantur ad restitutionem urgentes mutuatarios ad solvendas usuras promissas.* p. 425. n.59.
*Princeps supremus ex privata scientia nequit condemnare reum non citatum neque auditum.* p.466. n.7. & seqq.
*Princeps assumens ad officia secularia inidoneos, peccat mortaliter, & pro damno ad restitutionem tenetur.* p.479. n.5.
*An dignior præferendus.* ibid. n.6.
*Quid practicè censendum.* ibid. n.7.
*Princeps an possit officia vendere.* p.480. n. 8. & seq.
*Principibus secularibus non competit potestas instituendi festa.* p. 510. n.3.
*Princeps in pari necessitate præferendus quis.* p. 568. n. 10.

Procurator.

*Procurator quid.* p.461. n.43.
*Procuratori ad lites quid debeat constare de mandato.* ibid.
*In procuratore quæ ætas requisita.* ibid. n.44.
*An alium possit substituere.* ibid.

Prodigus. Prodigalitas.

*Prodigus post interdictum ad obligationem contrahendam est inhabilis.* p.392. n.56.
*Potest tamen alterum sibi obligare.* ibid.
*Non sufficit esse notorie prodigum, nisi accedat & promulgetur interdictum.* ibid. n.57.
*An mens sanior recuperata sit similiter declaranda.* ibid
*Quid prodigalitas.* p.575. n.58.
*Ex genere suo est solum venialis.* ibid. n.59.
*Minor avaritia.* p.576. n.59.
*Per accidens potest esse mortalis.* ibid. n. 60.

Professio.

*Professio alia expressa, alia tacita.* p.531. n.19.
*Ad valorem professionis requiritur in primis ætas sexdecim annorum.* ibid. n. 20.
*Deinde annus novitiatus de momento in momentum completus.* ibid. n.21.
*Non quidem solaris, sed politicus seu civilis.* p. 532. n. 22.
*Excepto casu mortis novitio imminentis.* ibid. n. 23.
*Debet insuper esse integer & continuus.* ibid. n. 24.
*Qualis interruptio sufficiat ad discontinuationem.* ibidem.
*Et an in monasterio peragendus.* ibid.
*Ad ejus inchoationem non requiritur annus decimus quintus completus.* ibid. n.25.
*Novitius debet esse liber ab impedimentis substantialibus.* p.532. n. 26.
*An requiratur assuetudo exercitijs Ordinis proportionata.* ibid. n.27.
*Qui error valori professionis obstet.* ibid. n.28.
*Et quis metus.* ibid. n.29.
*Denique requiritur legitima admissio.* ibid. n.30.
*Ex professione defectu ætatis invalida nulla oritur obligatio,* ibid. n. 31.
*An saltem habeat vim voti simplicis castitatis.* p.533. n.32.
*Professio invalida qualiter ratificetur.* ibidem n. 32.
*Ad hanc ratificationem non requiritur nova admissio.* ibid. n.33.
*Quibus modis* Tridentinum *consulat libertati professionis.* ibid. n.34.
*Prohibet omnem bonorum traditionem monasterio faciendam ante professionem.* p.534. n.40.
*Non autem modicas eleemosynas.* ibid. n. 41.
*Ordinatio* Tridentini *circa libertatem puellarum profiteri volentium.* ibid. n. 43.

*etiam adhibito anathemate in eos qui puellam directè vel indirectè ad professionem coguut.* ibid. n. 44.
*Secùs, si intervenerit dolo coactio secludatur.* ib. n. 45.
*Effectus religiosæ professionis recensentur.* p. 535. n. 53.
*Quidquid professus acquirit, monasterio acquirit.* p. 539. n. 78.
*Nisi acquirat ex beneficio extra monasterium.* ibidem.
*Eique non unito.* ibid.
*Professione Religionis approbatâ, an extinguantur juramenta.* p. 549. n. 48.

Proles.

*An proles in extrema necessitate sint præferenda uxori.* *Vide* Charitatis Ordo.
*Prolis expositio an vel quando liceat.* p. 341. n. 96.
*Exponentes ad quid teneantur ipsi hospitali.* ibidem.

Promissio.

*Quid promissio.* p. 399. n. 1.
*Promissio quâ differat à donatione verbali.* p. 400. n. 3.
*Acceptatio requiritur, ut obliget promissor.* ibid. n. 4.
*Juxta communiorem sententiam ex natura rei.* ibid. n. 5.
*Firmitas probationum hujus doctrinæ indagatur.* ibid. n. 6.
*Vide* Donatio.
*Promissio onerosa quâ obliget.* p. 403. n. 22.
*Promissio ob turpem causam ante opus nullatenus obligat.* ibid. n. 23.
*Juxta varios ne quidem secuto opere.* ibid. n. 24.
*Juxta plures, si ipsum per leges sit punibile.* ibid.
*Sed contrarium est cum communi tenendum, si opus non puniatur per leges.* ibid. n. 25.
*Immo probabiliter quoad forum conscientiæ etsi per illas puniatur.* ibid. n. 26.
*Corollarium.* ibid. n. 27.
*Dictum* Augustini *quoad hæc explicatur.* ibid.
*Promissio gratuita seria ex se graviter obligat in gravi materia.* ibid. n. 29.
*Quæ censeatur hic talis.* p. 404. n. 30.
*Quando non graviter obliget?* ibid. n. 31.
*Unde colligenda mens promittentis.* ibid. n. 32.
*Quibus modis desinat promissio obligare.* ibid. n. 33.
*Promissio in baptismo non est votum.* p. 522. n. 22.
*Promissio jurata inducit obligationem sub mortali.* p. 547. n. 25.
*An excuset levitas materiæ.* ibid. n. 26.

Propositio.

*Propositiones variè qualificantur, prout variis modis fidei repugnant.* p. 185. n. 93.
*Quid propositio hæretica.* ibid. n. 94.
*Quid erronea.* ibid.
*Quid hæresi aut errori proxima.* ibid.
*Quid hæresim sapiens aut de ea suspecta.* ibid.
*Quid male sonans.* ibid. n. 95.
*Quid piarum aurium offensiva.* ibid.
*Quid scandalosa.* ibid.
*Quid temeraria.* ibid. n. 96.
*Quid schismatica.* p. 186. n. 96.
*Quid seditiosa.* ibid.
*Quid blasphema.* ibid. n. 97.
*In propositionibus Theologicis censurandis Pontifex est infallibilis.* ibid. n. 98.

Propositum.

*Propositum quantumvis firmum non est votum.* p. 519. n. 1.
*An obliget.* ibid.

Proprietas.

*Quale & quotuplex peccatum sit proprietas.* p. 540. n. 85.
*Quanam ad proprietatem mortalem requiratur materia quantitas.* ibid. n. 86.
*An ab ea excuset licentia expressa, vel tacita.* ibid. n. 87.
*Aut probabiliter præsumpta.* ibid. n. 88.
*Et unde talis sit dignoscenda.* ibid.
*Non potest ab unoquoque, & ubique æqualiter præsumi.* ibid. n. 89.
*An res cum tali licentia recepta postea sit superiori manifestanda.* p. 541. n. 90.
*Quid de occultante res sibi acceptas.* ibid. n. 91.
*Licentia debet esse voluntariè concessa.* ibid. n. 92.
*Non sufficit debita.* ibid. n. 93.
*Quid de licentia ad usus turpes vel superfluos.* ibid. n. 94.
*Potest talis licentia concedi non solum validè, sed etiam licitè.* ibid. n. 95.
*An parvæ proprietates coalescant in unam magnam uti furta.* p. 542. n. 96.
*Triplex proprietariorum pœna.* ibid. n. 97.

Proximus.

*Proximus est objectum secundarium charitatis.* p. 207. n. 32.
*Quinam hoc nomine intelligantur.* ibid. n. 33.
*Vide* Charitatis Ordo.
*E quibus capitibus oriatur conjunctio proximi cum diligente.* p. 219. n. 101.

Prudentia.

*Quid prudentia generatim.* p. 256. n. 2.
*Quid strictè dicta.* ibid.
*Spectat ad intellectum.* p. 257. n. 3.
*Quo sensu vocari possit virtus moralis.* ibid.
*Circa quid versetur.* ibid.
*An solum consideret honestum vel turpe.* ibid.
*An judicium prudentiæ possit interdum esse falsum.* ibid. n. 4.
*Dubitatio subsequens non inficit actum præteritum.* ibid. n. 5.
*Unde ipsa oriatur.* ibid.
*Prudentia non est habitus sui generis unus sed aggregatione.* ibid. n. 6.
*Officia prudentiæ quæ assignentur à D. Thoma.* ibid. n. 7.
*Consultatio non est propriè actus prudentiæ.* ibid.
*Quod judicium sit propriè prudentiæ.* ibid.
*Præcipere non est actus prudentiæ.* ibid.


*Non*

*Non solum media sed & fines prudentia præscribere potest,* ibid. n.8.
*Expenditur mens D. Thomæ.* p.258.n.9.
*Octo partes integrales prudentiæ enumerantur ac describuntur.* ibid.n.10.
*An sint omnes propriè partes illius & inter se condistinctæ.* ibid.n.11.
*Alius modus assignandi partes integrales prudentiæ.* ibid. n.12.
*Quid significetur per partes subjectivas, quid per potentiales.* ibid. n.13.
*Quæ partes subjectivæ prudentiæ.* p.259.n.13.
*Qualiter omnes comprehendantur sub prudentia personali.* ibid.n.14.
*Inter partes potentiales sola est Eubulia, non Synesis & Gnome.* p.259. n.15.
*Quid singulæ.* ibid.
*Quo sensu omne peccatum sit contra prudentiam, quo non.* ibid.n.16.
*Imprudentia opposita prudentiæ in quo consistat.* ibid. n.17.
*Expenduntur vulgata vitia prudentiæ opposita per defectum, Præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, Negligentia.* ibid. n.18.
*Unde oriantur.* p.260. n.19.
*Qualia sint peccata.* ibid.
*Vitia prudentiæ opposita per excessum assignantur.* ibid. n.20.
*Quid prudentia carnis & quale peccatum.* ibid.
*Quid astutia prudentiæ oppositæ.* ibid.n.21.
*Item quid dolus & fraus.* ibid.
*Sollicitudo temporalium & futurorum expenditur.* ibid. n.22.
*Prudentia auriga Virtutum.* p.2. n.3.
*Completa ratio virtutis exigit seu connotat prudentiam.* p.3.n.8.
*Sine qua posse habitum virtuosum inclinare in malum ostenditur.* ibid. n.9.
*Differentia nunc spectans inter virtutem intellectualem & moralem.* p.4. n.10.

Pubertas.

*Pubertas quando incipiat in masculis, quando in fœminis.* p.392. n.58.
*Quando dicantur proximi pubertati.* ibid.
*Qui puberes, ac pubertati proximi.* p.393. n.58.
*Pubertati proximus, alium sibi obligare potest, non vicissim absque tutore tutorem.* ibid. n.64.
*An obligetur naturaliter, duplex opinio.* ibid. n.65.
*Corollaria.* p.394. n.66.
*Pubexes minores, an vel quando pendeant a cura tore.* ibid.n.67.
*Consuetudines quæ.* ibid. n.68.
*An testari possint.* ibid.n.69.
*Notandum pro Belgio.* ibid.
*Vide* Minor.
*Pubertum vota quomodo irritabilia.* p.525.n.40.

Publicum.

*Quid publicum jure vel facto,* p.350.n.57.
*Publicum per sententiam ubivis publicare licet.* ibid. n. 58.
*Quid si publicum sit per confessionem vel probationes levissimas.* p.351.n.59.
*Quid si anticipetur paululum divulgatio facti instans,* ibid.n.60.
*Sententia limitate publica non tribuit facultatem ulterius divulgandi.* ibid. n.61.
*Publicitas absoluta facti qui excuset.* ibid.n.62.
*Publicitas secundum quid v.g. in Collegio non excusat.* ibid. n.63.
*An factum in se publicatum ulterius citra injuriam spargatur.* p.352.n.65.

Pudicitia.

*Pudicitia quid sit & an distinguatur a castitate.* p.262. n.7.

Pupillus.

*Pupilli quinam.* p.392.n.58.
*Horum alii infantes, alij infantiæ, alij pubertati proximi.* ibid.
*Pupillus ad actus lucrosos non requirit auctoritatem tutoris, etsi infantiæ proximus.* p. 393. n. 63.
*Excipitur aditio hereditatis.* ibid.
*Pupilli restitutio in integrum ex contractu naturaliter aut civiliter valido, quanto tempore competat.* p.394. n. 71.
*A quo petenda.* ibid.
*Qua de causa danda.* p.395.n.72.
*An etiam minori contra alium minorem competat privilegium restitutionis.* ibid.n.73.
*Vide* Minor.

Purgatorium.

*In animabus purgatorij manet fides, spes & charitas.* p.22. n.80.
*Item virtutes acquisitæ.* p.23.n.84.
*Vitia non manent in animabus purgatorij.* p.25. n. 93.
*In purgatorio orant justi pro se & pro nobis.* p. 501. n. 24.

Pusillanimitas.

*Quid pusillanimitas & cui virtuti opposita.* p. 282.n. 11.

R.

Rapina.

*Quid rapina.* p.355.n.2.
*Qui differat a furto.* ibid.

Raptus.

*Raptus quid sit.* p.264. n.20.
*Est contra justitiam.* ibid.

Ratificatio.

*Ratificatio professionis invalidæ qualiter fiat.* p. 533. n.32.
*Vide* Professio.

Receptator.

*Receptatores furum quinam obligati sint ad restitutionem.* p. 364. n. 53.
*Quinam excusentur.* p. 365. n. 54.
*An qui furem ad necem quæsitum occultet.* ibidem.

Religionis virtus.

*Religio est virtus inclinans ad debitum cultum Deo reddendum tamquam primo omnium principio.* p. 497. n. 1.
*Obiectum quod Religionis est cultus; cui, Deus; formale, debitum.* p. 498. n. 2.
*Differt à virtute Theologica, quod hæc, non illa, immediatè in Deum tendat.* ibid. n. 3.
*Esto, oratio subinde immediatè Deum attingat.* ibidem.
*Possunt actus religionis imperare Theologicos; & contra.* ibid.
*Quomodo Religio distinguatur à pio credulitatis affectu.* ibid. n. 4.
*An & quomodo à pœnitentia.* ibid.
*Item à pietate & observantia erga Deum.* ibidem.
*A gratitudine denique erga Deum & humilitate.* ibid.
*An & quam Religio habeat præ alijs virtutibus præstantiam.* ibid. n. 5.
*Est una virtus.* ibid. n. 6.
*Non obstante beneficiorum multiplicitate, vel suorum actuum diversitate.* ibid.
*An & quis Sanctorum cultus ad Religionem pertineat.* ibid. n. 6.
*Religioni per defectum opponitur irreligiositas.* p. 557. n. 1.

Religionis Status. Religiosus.

*Quid status religiosus.* p. 529. n. 2.
*Ad eum requiruntur tria vota essentialia in Scriptura commendata.* ibid. n. 3.
*Unde Sacerdotes non sunt eo ipso Religiosi.* ibid. n. 4.
*Insuper requiritur approbatio Ecclesiæ.* ibidem n. 5.
*Quæ sensu consistat in tribus votis essentialibus.* ibidem.
*Cur subjectio per tria vota alteri facta non sufficiat ad essentiam Religionis.* ibid. n. 6.
*Approbatio hæc an immediatè à Pontifice faciendа.* p. 530. n. 7.
*Item an necessaria sit votorum solemnitas.* ibid. n. 8.
*Religionum diversitas ex fine earumdem desumitur.* ibid. n. 9.
*Et ex ritibus cuique propriis.* ibid. n. 10.
*Perfectio autem vel à fine, & qui Ordines eatenus sint perfectiores.* ibid. n. 11.
*Vel ex mediis, & qui eatenus perfectiores.* ibid. n. 12.
*Religionem ingredi possunt, qui sunt sui iuris; & non alij.* ibid.
*Quid de Episcopo.* ibid.
*Quid de Coniugibus.* ibid.
*Nequit ingredi servus.* p. 531. n. 14.
*Nec filius in gravi necessitate patris.* ibidem n. 15.
*Quo casu etiam professus tenetur exire.* ibid. n. 16.
*Quid si necessitas post professionem obveniat.* ibidem.
*Item quid in gravi fratrum aut sororum necessitate.* ibid. n. 17.
*Impuberes & alij Religionem ingredi non valentes recensentur.* ibid. n. 18.
*Quæ sint requisita ad valorem professionis Religiosæ.* ibid. n. 19.

*Vide* Professio.

*Qualiter obligetur Religio novitio egredienti restituere, quæ intulerat.* p. 534. n. 42.
*Qui* Trid. *consulat libertati religionis contra volentes ingressum impedire.* ibid. n. 46.
*Præfata pœna non incurritur, nisi effectu secuto.* ibid. n. 47.
*Effectus religiosæ professionis recensentur.* p. 535. n. 53.
*Ad quid obligetur Religiosus vi voti obedientiæ.* ibidem.

*Vide* Obediëntia Religiosa.

*Ad quid vi voti Castitatis.* p. 537. n. 67.

*Vide* Castitas Religiosa.

*Ad quid vi voti paupertatis.* p. 538. n. 72.

*Vide* Paupertas Religiosa.

*Licitus est Religiosis jure communi transitus ad arctiorem Religionem.* p. 542. n. 98.
*Spectat à hujus arctitudine potius quam absolutæ perfectione.* ibid.
*Ad laxiorem Religionem quando liceat transitus.* ibid. n. 99.
*Qualiter jus commune per privilegia sit alteratum.* ibid. n. 100.
*Inhabilitas à* Trid. *inflicta mendicantibus ad non mendicantes transeuntibus.* p. 543. n. 101.
*Tenetur Superior Religiosum redeuntem eorum recipere.* ibid. n. 102.
*Ad quod Monasterium spectent bona Religiosi transeuntis ad aliam Religionem.* ibidem n. 103.
*Nequit Religiosus ejici sine iusta causa, potest cum ea.* ibid. n. 104.
*Talis est incorrigibilitas.* ibid. n. 105.
*Etiam respectu Monialis quam tamen præsumitur includi.* ibid. n. 106.
*Item occultatio defectus essentialis.* p. 543. n. 107.
*Ejectus non tenetur petere iteratam receptionem.* ibid. n. 108.
*Ad quam tamen potest compelli.* ibid.
*Tenetur ad vota essentialia quantum status permittit.* ibid. n. 109.
*Secus est de observantijs monasticis.* ibid.
*Quis dicatur fugitivus & apostata.* ibidem n. 110.
*Quas pœnas incurrat.* ibid. n. 111.

*Pro ingressu Religionis an liceat aliquid recipere.* p. 563. n. 18.
*Religiosis ad Episcopatum assumptis, quale dominium competat.* p. [illegible] n. 108.
*Communitati Religiosorum competit dominium.* p. 304. n. 114.
*Vide* Dominium.
*Religiosi ad chorum professi obligantur ad horas canonicas.* p. 503. n. 3.
*Quo jure.* ibid.
*Religiosi exempti tenentur observare festum Episcopale.* p. 510. n. 5.

Renuntiatio.

*Qui per renuntiationem beneficium vacet.* p. 491. n. 62.
*Vide* Beneficium.
*Nulla renuntiatio Novitij tenet nisi secuta professione.* p. 533. n. 34.

Represaliæ.

*Represaliæ quid.* p. 252. n. 90.
*An sint licitæ.* ibid.
*Quæ conditiones requirantur.* p. 253. n. 91.
*Jura in contrarium allegari solita explicantur.* ibidem.
*Vide* Occisio Innocentis.

Restitutio.

*Quid restitutio.* p. 319. n. 10.
*Spectat ad solam justitiam commutativam.* ibidem.
*Sufficit alias hanc fore ledendam.* ibid.
*In quo differat à satisfactione.* ibid. n. 11.
*In quo à solutione.* ibid. n. 12.
*Restitutio generatim etiam solutionem complectitur.* ibid.
*Est ad salutem necessaria ex præcepto.* ibidem n. 13.
*Contenta in hoc:* Non furtum facies. ibid.
*An præceptum restituendi sit affirmativum.* ibidem.
*Impossibilitas qui excusat.* ibid.
*Oritur ex re accepta.* ibid. n. 14.
*Vel ex injusta acceptione.* ibid.
*Vel ex utroque.* ibid.
*Ad restitutionem lucri tenetur in ludo fraudes non permissas adhibens.* p. 463. n. 56.
*Item qui imperitiam dissimulando alterum ad ludendum inducens.* p. 464. n. 59.
*An pretium temporale pro re spirituali acceptum sit restituendum.* *Vide* Simonia.

Restitutio ratione rei acceptæ.

*Res aliena ubivis etiam bona fide extet, domino restituenda est.* p. 368. n. 71.
*Quo illam vendicare potest non refuso pretio.* ibidem.
*Limitatio.* ibid.
*Mora cui sabbatis faceret detentionem dum incepti-nius tam.* ibidem.
*Consumens bona fide non tenetur, nisi in quantum factus est ditior.* ibid. n. 72.
*Quid si rem sibi donatam bona fide alteri donaverit.* ibid. n. 73.
*Si sic emptam alteri vendiderit, secundus emptor habet actionem ad pretium rescindendo contractum.* ibid. n. 74.
*Ad quid dominus teneatur primus emptor, si secundus non compareat.* p. 369. n. 75.
*Quid agendum si donatarius bona fide rem furtivam vendiderit.* ibid. n. 76.
*Res furtiva bona fide empta, si alia tantum absit, domino restituenda.* ibid. n. 77.
*Potest tamen probabiliter restitui furi rescisso contractu, ut recuperetur pretium.* ibidem n. 78.
*Objectionibus occurritur.* ibid. n. 79. & seqq.
*An Emptor mala fides possit rem reddere suam, ut pretium recuperet.* p. 370. n. 83.
*Qui fructus sint restituendi ratione rei bona fide acceptæ.* ibid. n. 84.

Restitutio ratione damni.

*Damnum casu ortum an quis præstare debeat.* p. 320. n. 16.
*Damnum ne ex culpa gravi iuridica oriatur, cavere & natum præstare tenemur.* ibidem n. 21.
*Non tamen in foro conscientiæ, si nulla subsit culpa theologica seu philosophica.* p. 321. n. 22.
*Probationes cujusdam Neoterici examinantur.* ibid. n. 23.
*Quid si absque incommodo posset damnum reparari.* ibid. n. 24.
*Variis ex jure objectis respondetur.* ibid. n. 25. & seq.
*Mores hodierni,* p. 322. n. [illegible].
*Damnificatio deliberata obligat pro sui qualitate ad reparationem.* ibid. n. 28.
*Quid dicendum, si intercesserit deliberatio imperfecta seu venialis.* ibid.
*Ex contractu qui nasci possit debitum præstandi culpam, etiam levissimam.* ibid. n. 29.
*Quid juris natura sufficiat.* ibid.
*Quæ culpa secundum leges præstanda, dum res aliena est penes nos ex certis generibus contractum v. g. ex commodato vel precario, ex deposito, pignore, conductione &c.* p. 333. n. 30.
*Quam culpam, præstent nautæ cauponæ &c.* ibid. n. 31.
*Quæ culpa præstanda ex contractu societatis.* ibidem.
*Consuetudines Mechlinienses circa depositum.* ibidem.
*Leges hæ, an obligent ante sententiam.* ibid. n. 32.
*Opinio asserens.* ibid.
*Opinio negans cum suo fundamento.* ibid. n. 33.

*Ex vi officij quæ culpa præstanda.* ibid. n. 34.
*Præsumptio aliquem usu rationis ad quid teneatur.* p. 334. n. 1.
*Ad quid teneatur inducens alterum ad malum per vim vel fraudem.* ibid. n. 2.
*Quid si vis & fraus absuerit.* ibid.
*Quid si absque vi vel fraude avertatur à Religione Novitius.* ibid. n. 3.
*Aut etiam professus.* ibid.
*Quid si circa candidatum sit adhibita vis vel fraus.* ibid. n. 4.
*Quid denique si fiat circa professum.* p. 325. n. 5.
*Quæ restitutio sit necessaria ratione stupri.* p. 338. n. 80. & seqq.
*Vide* Stuprum.
*Quæ ratione adulterij.* p. 339. n. 88. & seqq.
*Vide* Adulterium.
*Quî obliget restitutio famæ.* p. 352. n. 67.
*Vide* Famæ restitutio.
*Honoris reparatio quî necessaria.* p. 354. n. 80.
*Vide* Honor.
*Quî debeat fieri restitutio ratione furti.* p. 359. n. 23.
*Vide* Furtum.
*Quæ restitutio facienda ratione homicidij.* p. 335. n. 62. & seqq.
*Vide* Homicidium.

## Restitutionis Ordo.

*Ordo inter creditores servandus, dum debitor non est solvendo.* p. 370. n. 85.
*Res in specie existans ante omnia reddenda.* ibidem.
*Quid si dominus sit incertus.* ibid.
*Varia corollaria.* p. 371. n. 86.
*Dominium rei venditæ & traditæ non transit semper in emptorem.* ibid.
*Quando transeat.* ibid.
*Quando præsumatur fides habita emptori.* ibidem.
*An quando trãsit res in dominium emptoris non persoluto pretio, vendita habeat in ea præferentiam.* ibid. n. 87.
*Opinio affirmans.* ibid.
*Opinio negans præfertur.* ibid. n. 88.
*Occurritur objectioni.* ibid. n. 89.
*Solutio certorum debitorum præferenda solutioni incertorum.* ibid. n. 90.
*Inter creditores præferendi hypothecarij.* ibidem n. 91.
*Inter eos præferendi tempore priores.* ibidem n. 92.
*Etsi posterioris hypotheca sit expressa.* p. 472. n. 92.
*Vel specialis.* ibid.
*Nisi Hypotheca posterior sit privilegiata.* ibid. n. 93.
*Hypothecarios sequuntur creditores chirographarij.* ibid. n. 94.
*Impensa funeris quomodo privilegiata.* ibidem n. 95.
*Dum tamen moderata sint.* ibid.
*Ad quos idem extendatur.* ibid.
*Creditores ex contractu onerosi præferendi iis, qui gratuito.* ibid. n. 96.
*Creditoribus succedunt Legatarij.* ibid. n. 97.
*Quid eadem competat hæredi.* ibid.
*Prædicta jure constituta sunt in conscientia observanda.* ibid. n. 98.
*Mores belgij circa præferentiam dotis.* ibid.
*Mercedes famulorum &c. sunt ibidem privilegiatæ.* p. 373. n. 99.
*Quid de redditibus.* ibid.
*Pauperes Creditores an ditioribus præferendi.* ib. n. 100.
*An debita ex delicto sint præferenda debitis ex contractu vel contra.* ibid. n. 101.
*Inter creditores personales an prior tempore sit præferendus.* ibid. n. 102.
*Opinio affirmans satis est consona æquitati.* ibidem.
*Negativa in rigore juris verior.* ibid. n. 103.
*Prius petens quî præferendi.* p. 374. n. 104.
*Item præoccupans sententiam cum executione.* ibidem.
*Nequit creditor gratificari solvendo sponte uni præ alijs non petentibus.* ibid. n. 105.
*An hi solutum retinere queant.* ibid.
*Debitor qui non est solvendo, nequit repudiare oblatam hereditatem.* ibid. n. 106.

## Restitutionis modus. Tempus.

*Res ex delicto debita est sumptibus debitoris restituenda.* p. 374. n. 107.
*Quid si sumptus sint notabiles.* ibid. n. 108.
*Quid si commissa restitutio fideli nuntio, aut confessario negligatur.* p. 375. n. 109.
*Ubi & cujus onere facienda restitutio debita ex re accepta.* ibid. n. 110.
*Si res eadem numero sit reddi debita ex contractu, ubi restituenda sit.* ibid. n. 111.
*Cujus expensis.* ibid.
*Cujus periculo.* ibid.
*Quid si res alia sit vi contractus restituenda.* p. 375. n. 112.
*Donata vel legata ubi solvenda.* ibid. n. 113.
*Quomodo debita sint restituenda.* ibid. n. 114.
*Quando sit facienda debitorum solutio seu restitutio.* ibid. n. 115.
*Damna ex dilata solutione debitorum ratione contractus, quis prati cogatur.* p. 376. n. 116.
*Quid si terminus non sit præfixus, & creditor non urgeat.* ibid. n. 116.
*Ante diem an rectè fiat solutio.* ibid.

## Causæ excusantes à restitutione.

*Compensatio liquidi debiti excusat à restitutione.* p. 376. n. 117. ibid.
*In quibus debitis locum habeat.* ibid.
*Ab hac distinguitur illa, quæ est debiti recuperatio.* ibid. p. 110.
ibid.
*Quando hæc liceat.* *Notanda.*

*Notanda quoad hoc circa famulos.* ibid.
*Qualiter excusèt debiti remissio.* ibid. n. 119.
*Quidam specialiter interdicti remittere.* ibidem.
*Compositio cum Prælato qui excuset.* ibidem n. 120.
*Excusat etiam debitoris impotentia, dum durat.* p. 377. n. 121.
*Uti & extrema necessitas.* ibid. n. 122.
*An substractione rei possit dominus conjici in similem necessitatem.* ibid.
*Quid si aliundè in illam simul cum debitore inciderit.* ibid. n. 123.
*Quid si dominus postea in necessitatem similem inciderit.* ibid. n. 124.
*An transactâ extrema necessitate sit facienda restitutio in ea consumptorum.* ibid. n. 125.
*Qualiter excusèt gravis necessitas, aut eversio status.* ibid. n. 126.
*Obstat par domini seu creditoris necessitas.* ibidem.
*Status injustè acquisitus potius everendus est.* p. 378. n. 127.
*Quid si per luxum quis se in angustias conjecerit.* ibidem.
*Spes lucri non sustendit obligationem restituendi.* ibid. n. 128.
*Limitatio.* ibid.
*Periculum admarqualiter debitorem excusèt.* ib. n. 129.
*Aut incommodum longè gravius alias subeundum.* ibid.
*Restitutio differenda si dominus sit re abusurus in damnum tertij.* p. 378. n. 130.
*Etiam ex lege justitiæ.* ibid.
*Præsertim si sit abusurus non liberè, v. g. quia amens.* ibid.
*Nisi grave damnum proprium excusèt.* ibid.
*Si sit abusurus in alia peccata obligat ad id charitas.* ibid. n. 131.
*Quid si alter agrè ferat.* ibid.
*Aut si judicè rem suam repetat.* ibid. n. 132.
*Notandum pro praxi.* 379. n. 133.
*Ingressu religionis qualiter non excusèt.* ibidem n. 134.
*Qualiter excusèt ex receptiori sententia.* ibid. n. 135.
*Qualiter arceantur ab ordinati per statuta Pontificum.* ibid. n. 136.
*Judicium Auctoris.* ibid. n. 137.
*Non excusèt natura notabilis bonorum Superioris ordinis.* p. 380. n. 138.
*Non excusat excommunicatio creditoris.* ibid. n. 139.
*Non obstat quod contra excommunicatum possit excipi in judicio.* ibid. n. 140.
*Quid hac de re moveri habeant.* ibid.
*Quod privilegium cessionis bonorum.* p. 380. n. 141.
*Tenentur falliti restituere si possint accessu melioris fortunæ.* ibid.
*Etsi ignominiam alicubi usitatam subire coacti.* ibidem.
*Qui in Belgio ad cessionem requiratur diploma Principis in judicio exhibendum.* ibid. n. 142.
*Jure communi qui fiat cessio extrajudicialiter.* ibidem.
Novella 135. *non est usu recepta.* ibid.
*Bona quamdiu maneant cedentis.* ibid. n. 143.
*An omnibus cedere necesse sit.* ibid.
*Quid retineri posse pro victu sanciverit Carolus V.* p. 381. n. 143.
*An necessaria victui secundum statum sustentationi retineri possint.* ibid. n. 144.
*Qui cessione non indigeant.* ibid. n. 145.
*Qui ab illa excludantur.* ibid. n. 146.
*Cedens bonis moribus Mechlinienses est infamis.* ibidem.
*Inducia quinquennij qualiter concedantur.* ibid. n. 147.
*Incertitudo domini an vel quando excusèt.* ibid. n. 148.
*Qui incerta restituenda.* ibid.
*Signanter debita ex delicto.* ibid.
*Quid si solum sit incertitudo domini secundum quid.* p. 381. n. 149.
*An vel quomodo excusèt solutio facta creditori creditoris.* ibid. n. 150.
*An excusetur, qui tantumdem creditori donat vel legat.* p. 382. n. 151.
*Nonnullorum opinio.* ibid.
*Vera opinio declaratur & stabilitur.* ibid.
*Qua adhuc operentur effectum solutionis seu ab ea excusent.* ibid. n. 153.

## Restrictio mentalis.

*Pura restrictione mentali non licet uti.* p. 573. n. 41.
*Est verum mendacium.* ibid.
*Et dolus ab* Augustino *redargutus.* ibid.
*Objectiones solvuntur.* ib. n. 43. & seqq.
*Restrictione uti in juramentis est illicitum.* p. 574. n. 46.
*An Deus possit uti restrictione mentali.* p. 7. n. 21.

*Vide* Deus.

## Retrovenditio. Retractus.

*Retrovenditio qualiter & quomodo fiat.* p. 442. n. 60.
*Retrovenditionis variæ species.* ibid. n. 63.
*Retractus gentilitius quid, quibus & quo ordine competat.* ibid.
*In quibus contractibus vel bonis.* p. 443. n. 64.

## Revelatio.

*Revelationem certum est quodammodo se tenere ex parte objecti formalis fidei.* p. 30. n. 20.
*Cujus an proprie sit pars.* ibid.
*Revelatio activa quid.* ibid. n. 21.
*Contingit variis modis.* ibid.
*Alia est publica, alia privata.* ibid.
*Alia explicita, alia implicita.* ibid.
*Revelatio passiva quid.* ibid.

*Revelatio*

*Revelatio est conditio applicativa motivi fidei.* ibid. n. 22.
*Satisfit objectionibus.* p. 51. n. 23.
*Revelatio privata non requiritur ad credendum.* ibid. n. 24.
*Absurda quæ sequuntur ex opposito Novatorum errore.* ibid. n. 25.
*Revelata privatim credi possunt sub eadem, quâ revelata publicè.* p. 32. n. 27.
*Quæ quidem respectu horum Catholica vocatur.* ibid. n. 28.
*Revelatis privatim pertinaciter discredens, an amittat fidem.* ibid.
*Forte veniet, excusatur discredens ab infidelitate.* ibidem.
*Circa privatas revelationes quæ discretio necessaria.* ibid. n. 29.
*Revelatio implicita an vel quâ sufficiat ad credendum.* ibid. n. 30.
*Quæ revelationis evidentia seu in attestante.* p. 42. n. 42.
*An Angelis concessa.* ibid.
*Illatio quorumdam non planè evidens.* ibid.
*Alij modi explicandi hanc evidentiam in Angelis.* ibid. n. 43.
*An sit concessa Adamo, Prophetis, Apostolis, Deiparæ.* p. 43. n. 44.
*Saltem constat, non fuisse ijs necessariam.* ibidem.
*An evidentia revelationis generet evidentiam rei revelatæ in eo, cui evidens est prima veritas.* ibid. n. 45.
*Potest cum eâ fides consistere, si non habeatur evidentia primæ veritatis.* ibid. n. 46.
*Immo valde probabiliter, etsi hæc evidentia habeatur.* p. 44. n. 47.
*Solvuntur objectiones.* ibid. n. 48. & seqq.
*Revelatio putata subesse movere potest ad assensum fidei.* p. 143. n. 22.
*Revelari absolutè alicui potest futura damnatio.* p. 199. n. 56.
*Si quæ talis rei revelatio fieret, accipienda ordinariè foret eamquam comminatoria.* ibidem.
*Supposita absolutâ revelatione liceret judicium conforme, tristitiaque de non secutura beatitudine.* ibid. n. 57.
*Non tamen abominatio illius aut vilipensio.* ibidem.
*Uti nec patratio peccati, etiam illius, ob quod talis foret damnandus.* ibid.

*Vide* Desperatio.

Reus.

*Quid requiratur, ut reus legitimè interrogetur, & veritatem fateri teneatur.* p. 474. n. 48.
*Quando ei possit deferri juramentum calumniæ.* ibid. n. 49.
*An quoties legitimè interrogatur, veritatem fateri debeat, sententia communis affirmat.* ibid. n. 50.
*Exceptio quorumdam.* ibid. n. 51.
*An reus possit excipere contra testes, eorum occulta crimina detegendo.* p. 475. n. 52.
*An dum crimen probari nequit, repelli possit accusator tamquam calumniator.* ibidem n. 53.
*Justè damnatus nequit se per vim defendere.* ib. n. 54.
*Secus si sententia sit palam iniqua.* ibid.
*Quid si revera iniqua sit, sed secundum ordinem juris lata: sententia prima.* ibid. n. 55.
*Sententia secunda.* ibid. n. 56.
*Ejus fundamentum.* ibid.
*An reo mortis, licita sit fuga è carcere.* ibid. n. 57.
*An carcerem effringere.* ibid. n. 58.
*Jura in contrarium explicantur.* p. 476. n. 58.
*An id agens teneatur ad reparationem damni.* ibid. n. 59.
*An liceat hujusmodi reo fugam consulere, vel instrumenta suppeditare.* ibid. n. 60.
*An liceat juvare in effractione carceris.* ibidem.
*An præmissa locum habeant in solis reis mortis aut mutilationis.* ibid. n. 61.
*Reus violenter aut per blanditias à sacro loco abductus & per judicem sacularem apprehensus, aut è manibus satellitum violenter abreptus ad Ecclesiam confugiens, cum sit eidem restituendus.* p. 516. n. 45. & 46.
*Reus in loco sacro existens nequit damnari ad pœnam corporalem.* ibid.
*Modus extrahendi reum è loco sacro in crimine excepto.* p. 517. n. 54.

S.

Sacerdos.

*An licitum sit aliquem pœnitere assumpti Sacerdotij.* p. 240. n. 130.
*Sacerdotes non sunt eo ipso religiosi.* p. 529. n. 4.

Sacrilegium.

*Quid Sacrilegium.* p. 558. n. 8.
*Aliud committitur ratione personæ.* ibid. n. 9.
*Aliud ratione loci.* ibid.
*Aliud ratione rei sacræ, quod iterum multiplex.* ibidem.
*Majus per se est sacrilegium quo major violatur sanctitas.* ibid. n. 10.
*Est mortale, & quando.* ibid.
*Quando violatio voti sit sacrilegium.* ibidem n. 11.
*Non omne peccatum à persona sacra vel in eam commissum est sacrilegium.* ibid. n. 12.
*Regula generalis ad dignoscendam sacrilegij malitiam.* ibid.

Saga.

*Sagæ supernatatio in aquis, an sufficiens ad torturam indicium.* p.471. n.2.
*Vide* Magia.

Salus.

*Salus proximi præponenda bonis corporalibus, etiam vitæ propriæ.* p.218. n.93.
*Saltem in extrema necessitate.* ibid. n.93.
*Vide* Charitatis ordo.

Sanguis.

*Sanguis è cadavere occisi emissus, an sufficiens ad torturam indicium.* p.470. n.29.

Sartor.

*Sartores an excusentur ab observatione festorum.* p.513. n.28.

Satisfactio.

*Satisfactio quæ differat à restitutione.* p. 319. n. 11.
*Fieri potest Deo, non tamen restitutio.* ibid.

Schisma.

*Quid schisma.* p.243. n.30.
*Schisma potest esse sine hæresi; non contra.* ibid. n.31.
*Schisma inveteratum degenerare solet in hæresim.* ibid. n.32.
*Donatistæ prius Schismatici quam hæretici.* ibid.
*Quidquid huic oppositum insinuet* Arriaga. ibid.
*Schismatici Græci sunt veri hæretici.* ibid.
*Schisma interdum condistinguitur contra hæresim.* ibid. n.33.
*Varii schismatis modi declarantur.* ibid. n.34.
*Varii à schismate excusantur.* ibid. n.35.
*An Papa possit fieri schismaticus.* p.244. n.36.
*Quale peccatum sit schisma.* ibid. n.37.
*Variæ schismaticorum pœnæ recensentur.* ibid. n. 38. & seqq.

Scientia.

*Non æqualis scientia requiritur explicita fidei in omnibus.* p.154. n.71.
*Quæ scientia requiratur in Parochis, Concionatoribus &c.* ibid.
*Quanta debeat esse scientia in Episcopis.* ibidem n. 72.
*An scientia per damnum semel acquisita, liceat uti.* p.554. n.23.

Scriptura Sacra.

*Quid sacra Scriptura.* p.47. n.1.
*Variæ ejus appellationes.* ibid.
*Cur dicatur testamentum, cur instrumentum.* p. 48. n.1.
*Quid sit eam esse canonicam vel authenticam.* ibid. n.2.
*Quæ Scripturæ dicantur apocryphæ.* ibid.
*Quando, à quo confectus Canon Hebræorum, & quos libros contineat.* ibid. n.3.
*Qui libri eo non contenti rejiciantur ab Hæreticis, & quam infundatè.* ibid. n.4.
*Notanda circa canonem Judæorum & nonnullos libros eo non contentos.* ibid. n.5.
*Canon Christianorum quos libros contineat.* p. 49. n.6.
*Libros sacros nonnulli partiuntur in Protocanonicos, & Deuterocanonicos, sed paris hodie auctoritatis.* ibid.
*Regula ab* Augustino *tradita circa præsentem materiam declaratur.* ibid. n.8.
*Non curandum quid ante apertam Ecclesiæ declarationem nonnulli senserint.* ibid.
*Sixtus Senensis post Tridentinum adhuc rejiciens posteriora capita libri Esther rejudicatur.* ibid. n. 9.
*Non dubitandum de quibusdam partibus Danielis.* ibid. n.10.
*Difficultas solvitur de tempore quo contigit historia Susannæ.* p.50. n.11.
*Item alia solvitur ex duplici Danielis in lacum missione.* ibid.
*Explicatur objectio desumpta ex paranomasia Schini & Primi.* ibid. n.12.
*Difficultas objici solita contra librum Judith.* ibid. n.13.
*Quid censendum de præfatiuncula Threnorum.* ibid. n.14.
*Quæ partes novi Testamenti olim à quibusdam in dubium vocatæ.* p.51. n.15.
*Aprocryphi de quorum divina auctoritate dubium extitit.* ibid. n.16.
*Qualem auctoritatem habeant liber tertius & quartus sive Esdræ, sive Machabæorum.* ib. n.17.
*Notanda circa Canones Apostolorum.* ibid.
*De oratione Manasse.* ibid. n.18.
*De quadam appendice libri Job & Psalterii.* ibid. n. 19.
*An aliquod aprocryphum possit adhuc fieri Canonicum.* ibid.
*Nonnullæ Scripturæ sacræ perierunt.* ibid. n.20.
*Quod ex variis in ipsa veteri lege memoratis declaratur.* p.52. n.20.
*Quorum pleraque fuisse ab iis quæ extant distincta, & habuisse divinam auctoritatem, videtur indubitatum.* ibid.
*Etsi de nonnullis dubitari posset.* ibid.
*An intercideri Epistola Pauli ad Laodicenses.* ibid. n.21.
*Quid censendum de Prophetia Enoch.* ibid.
*Qui contigerit tot sacros libros periisse.* ibid. n.22.
*Cur Deus id permiserit* ibid. n.23.
*Quid Esdras egerit solutâ captivitate quoad restitutionem sacrorum librorum.* p.53. n.24.
*Scripturæ obscuritas & intelligendi difficultas declaratur.* p.94. n.99.
*Eminentia Scripturæ præ Conciliis.* p.64. n.144.

Scripturæ infallibilitas.

*Scriptura quoad omnes particulas infallibilis est.* p.56. n.36.
*Nulla pars illius humano Spiritu scripta.* ib. n.37.
*Evangelistæ lapsum memoriæ non tribuit* Augustinus *quidquid calumnietur* Erasmus. ibid. n. 38.
*An vel quare* Matth. 27. *loco Zachariæ citetur Hieremias.* ibid.

Scripturæ multiplex editio.

*Textus Hebraicus, si purus esset, summa foret auctoritas.* p.57. n.39.
*Errores in eum quomodo irrepserint.* ibid.n.40.
*Sua nihilominus ei manet auctoritas.* ibid.n.41.
*Idem est de textu Græco.* ibid.
*Simpliciter loquendo potius adhærendum est Editioni vulgatæ.* ibid. n.42.
*Hujus qualiter partim auctor, partim corrector, sit Hieronymus.* p.58. n.43.
*Quæ ante Hieronymum fuerit editio vulgata.* ib.
*De auctoritate vulgatæ editionis.* ibid. n.44.
*Eam probavit Ecclesia.* ibid.
*Inconsequentia & genius Hæreticorum hac in parte.* ibid. n.45.
*Objectionibus Hæreticorum breviter satisfit.* ibid. n. 46.
*Quid sit editionem aliquam esse authenticam.* ibidem n.47.
*Quod speciatim de vulgata declaratur.* p.59.n.47.
*De translatione Septuaginta & circa eam notandis.* ibid.n.48.
*De translatione Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, deq; earum comparatione & auctoritate.* ibid. n.49.
*De quinta & sexta editione, item Tetraplis, Hexaplis, & Octaplis Origenis.* p.60. n.50.
*De versione Santis Pagnini & Francisci Vatabli.* ibid. n.51.
*De Chaldaica Paraphrasi.* ibid.
*Item de versione Syriaca.* ibid. n.52.
*Non prohibuit Ecclesia translationes in linguam vulgarem, earumve usum; sed hunc modificavit.* ibid. n.53.
*Allegantur causæ.* ibid.
*Quis fuerit mos Hebræorum in hac materia.* ibidem n.54.
*Dictum* Hieronymi *perstringens Novatores.* ibid.
*Qui habeant aut concedant licentiam legendi Biblia linguâ vulgari.* p.61. n.55.
*Notanda pro Germania & Belgio.* ibid.

Scripturæ Sensus.

*Sensus Scripturæ alius est literalis, alius proprius, alius mysticus.* p.61. n.56.
*Alterutrum habet omnis Scriptura.* ibid.
*Ejus efficax ad probandum.* ibid.
*Proprius regulariter tenendus.* ibid.
*Quid sensus mysticus, & an efficax ad probandum.* ibid. n.57.
*Alius est Allegoricus, alius Anagogicus, alius Tropologicus.* ibid.n.58
*Aliter interdum hæ voces reperiuntur usurpatæ apud Veteres.* ibid.
*De sensu accommodatitio.* ibid. n.59.
*An & quomodo sensus mysticus valeat ad probandum.* p.62. n.60.
*An idem Scripturæ locus interdum habeat plures sensus literales.* ibid. n.61.
*Unde sensus literalis sit colligendus.* p.63. n.63.

Scriptores Sacri.

*Quinam libri sacri, sive in principio, sive in progressu auctores suos indicent.* p.53. n.25.
*Quorum auctores dignoscantur ex traditione.* ibidem n.26.
*An totus Psalterii Davidis sit auctor, incertum.* ibid. n.27.
*Alii probabiliter affirmant, alii negant.* ibid.
*Auctor Pentateuchi Moyses.* p.54. n.29.
*De Auctoribus libri Josuæ, Judicum, Regum &c.* ibid. n.30.
*Quis auctor libri Sapientiæ.* ibid. n.31
*Qui se habuerit Spiritus sanctus cum Scriptoribus sacris.* ibid.n.32.
*Quis stylus eorumdem in scribendo.* p.55. n.33.
*Quo idiomate sit primitus conscriptum vetus Testamentum.* ibid. n.34.
*Quo novum.* ibid.n.35.
*An Scriptores sacri quemlibet sensum Scripturæ à se descriptæ cognoverint.* p.62.n.62.

Secta. Sectarij.

*Dissensiones & dissectiones singularum sectarum & sectariorum.* p.82. n.53.
*Quæ differentia inter sectas ex Ecclesia, & ex aliis sectis prodeuntes.* ibid.n.55.
*Nomina sectariorum signa novitatis & falsitatis juxta Patres.* p.87. n.74.
*Ex quo insuper capite desint novatoribus legitimi Episcopi & successio.* p.89. n.83.
*Eisdem deesse vocationem ordinariam ostenditur.* p.90. n.84.
*Effugia eorum occluduntur.* ibid. n.85.
*Deesse quoque extraordinariam vocationem declaratur.* ibid. n.86.
*Concluditur eos esse sacrilegos invasores Ecclesiastici ministerii.* p.91. n.88.
*Ex quibus aliud efficax argumentum elicitur.* ibidem n.89.
*Novitas hodiernarum sectarum.* p.92.n.93.
*Indeq; sequens falsitas.* ibid. n.94.
*Cum sectariis communicare in falso cultu semper est illicitum.* p.164. n.42.

Sepultura.

*Sepultura Ecclesiastica privatur usurarius manifestus.* p.424.n.
*Sepelientes qui excommunicentur.* ib

Sequestrum.

*Sequestrum quid & quotuplex.* p.460.n.39.

Servile opus.

*Opera servilia quæ dicantur.* p.511.n.11.&seqq.
*Qualiter in die festo prohibeantur.* ibid.

Servitus, Servus.

*Quid servitutum nomine generatim intelligatur.* p.200. n.36.
*Aliæ meræ personales.* ibid.
*Aliæ mixtæ, quæ etiam simpliciter personales vocantur.* ibid.
*Aliæ reales prædiorum, quæ simpliciter servitutes vocantur.* ibid. n.37.
*Quæ prædia Urbana, quæ rustica, quales singulorum servitutes.* ibid.
*Quibus modis servitutes extinguantur.* ibid.


Quid

*Quid intelligatur nomine servorum.* p.302.n.98.
*Servitus opposita libertati non est à natura inducta.* ibid.n.99.
*Nec fuisset citra peccatum.* ibid.
*Nota est in Scripturis.* ibid.
*Quot modis inducatur.* ibid.
*Qui ingenui, vernaculi, libertini.* ibid.
*Quid manumissio.* ibid.
*Servitus inter Christianos utrinque exolevit.* p.302. n.100.
*Adscriptitiorum gleba nonnulla variis in locis mansere vestigia.* ibid.
*Servi in Gallia & Belgio an fiant liberi beneficio regionis.* ibid.
*Sunt ibi soli conductitii.* ibid.
*Jurisprudentia de servis ad quid ibidem utilis.* ib.
*An servi de rigore juris civilis habeant aliquarum rerum fortunæ dominium.* ibid.n.102.
*An ex consuetudine & voluntate domini.* ibid. n. 103.
*Servorum vota quis irritet.* p.525.n.42.
*Servus nequit ingredi religionem.* p.531.n.14.

Signa Magica.

*An liceat signa magica tollere ut dæmon nocere desinat.* p.555. n.35.
*Quomodo sit signa magica, an immisceat se pacto maleficii cum dæmone.* p.556. n.37.
*An aliquis teneatur signa magica tollere.* ibid. n. 39.
*An liceat contraria signa ponere.* ibid.n.40.

Simonia.

*Etymologia nominis, Simonia, & qui ejus primi auctores.* p.560.n.1.
*Quid simonia.* ibid. n.2.
*Quid res spiritualis in simoniæ definitione.* ib.n.3.
*Et quid de usu scientiarum notanter Theologia.* ib.
*Aliæ res spirituales enumerantur.* ibid.
*Quæ reputentur spiritualibus hic annecti.* ibid. n. 4.
*Res spiritualis an possit vendi ratione materiæ pretio æstimabilis.* ibid. n.5.
*Quid hic pretium temporale.* ibid.n.6.
*Aliud est à manu, aliud à lingua & aliud ab obsequio.* p.561.n.6.
*Simonia est peccatum Religioni oppositum.* ib.n.7.
*Quo sensu in jure vocetur hæresis.* ibid.
*Est ex genere suo peccatum mortale.* ibid. n.8.
*Non admittit levitatem materiæ.* ibid.
*Dividitur in Simoniam juris divini & juris humani.* ibid. n.9.
*Quæ ratione Ecclesia suo præcepto faciat res aliquas necessariam materiam Religionis.* ibid.
*Secundò dividitur in mentalem, conventionalem, & realem.* ibid. n.10.

Simonia juris divini.

*Exigere aliquid pro actione spirituali ut tali, simonia juris divini est.* p.561.n.11.
*Secùs si quid accipiatur pro laboribus extrinsecis.* p.562. n.12.
*Vel per modum stipendii sustentationis.* ibid.n.13.
*De quo etiam licet pacisci quantum est ex natura rei.* ibid. n.14.
*Pro labore rei spirituali intrinseco non licet pretium exigere.* ibid.n.15.
*Hinc pro labore collationis Sacramentorum intrinseco exigi non potest pretium.* p.562.n.16.
*Posset tamen ad recommendandam vexam dari pecunia alias baptizare nolenti prolem.* ibid.
*Pro actu dispensationis non potest recipi per modum pretii.* ibid.
*Immo nec per modum sustentationis à Prælatis Papa inferioribus.* ibid.
*Potest tamen mulcta imponi dispensato.* ibid.n.17.
*Qualiter Ministri Episcoporum sine simonia, non tamen sine omni peccato, possint aliquid exigere pro litteris dimissoriis &c.* ibid.
*Simonia est, recipere aliquid pro ingressu Religionis.* p.563. n.18.
*Quid de pactione dotis.* ibid.
*Maximè si monasterium sit dives.* ibid.

Simonia juris Humani.

*Simonia juris humani principaliter locum habet in beneficiis.* p.563. n.19.
*An jus ad fructus sine simonia juris divini possit vendi.* ibid. n.20.
*Committitur Simonia juris humani in receptione pretii pro præsentatione, electione &c. ad beneficium.* ibid. n.21.
*Qualiter licitum sit volentibus eligere inidoneum præsentare pecunias pro electione idonei.* ibid. n. 22.
*An committatur in permutatione beneficiorum facta sine auctoritate Superioris.* ibid. n.23.
*Tertio committitur in resignatione beneficiorum ad confidentiam.* p.564. n.24.
*Qualiter committatur in resignatione quæ fit in favorem tertii.* ibid. n.25.
*Item in resignationibus reciprocis.* ibid. n.26.
*Committitur quoque in resignatione beneficiorum retenta pensione sine legitima auctoritate.* ibid. n. 27.
*Denique committitur in venditione quorumdam officiorum rebus sacris conjunctorum.* ib.n.28.

Simoniæ Pœnæ.

*Simonia merè interna nullas inducit pœnas.* p. 564. n.29.
*Quæ simoniæ inducant pœnas ipso facto.* ibid.
*Quas pœnas juris inducat simonia realis commissa circa ingressum Religionis.* ibid. n.30.
*Quas inducat commissa in collatione Ordinum.* ibid. n.31
*Et quas commissa in eorumdem susceptione.* ibid. n. 32.
*Denique quas pœnas inducat commissa in collatione beneficiorum.* ibid. n.33.
*Quis inhabilitatem ex hac simoniæ ortam possit tollere.* p.565. n.34.
*An propriâ auctoritate permutantes beneficia incurrant prædictas pœnas.* ibid. n.35.
*Quas pœnas inducat simonia confidentiæ.* ibid. n. 36.
*An etiam pœnas inducat simonia conventionalis.* ibid. n.37.

Beneficium Ecclesiasticum simoniacè acceptum cum fructibus est dimittendum. p.565.n.38.
Secùs est de aliis rebus spiritualibus simoniacè acceptis. ibid.n.39.
Quod ostenditur in Sacramentis & Religione. ibid.
Jura objici solita explicantur. ibid.n.40.
Pretium pro re spirituali ex justitia debita receptum, est jure divino restituendum. p.566. n.42.
Secùs est, si recipiatur pro incommodo temporali annexo. ibid. n.43.
Quid si recipiatur pro incommoditate spirituali. ibid. n.43.
Quid dicendum de pretio dato pro commodis temporalibus beneficio annexis. ibid. n.44.
Aut pro ingressu Religionis. ibid. n.45.
Pretium datum pro re spirituali, seclusò omni cõmodo & incommodo temporali, est jure divino restituendum. ibid.n.46.
Pretium simoniacè receptum est restituendum danti, si res spiritualis nondum sit tradita. ibid. n.47.
Hâc verò traditâ, dandum est Ecclesiæ vel in alios pios usus erogandum. ibid.n.48.
Solvitur objecta. ibid. n.49.

Sobrietas.

Quid Sobrietas. p.268. n.42.
Quibus maximè commendanda. ibid.
Quæ vitia opposita. ibid. n.43.
Quæ commoda sobrietatis. p.269. n.45.
Quibus modis contra abstinentiam peccetur. ibid. n.46.

Societas.

Quid Societas, & quotuplex. p.447.n.87.
Lucrativa qualiter iniri soleat. ibid.
Quid ad justitiam illius requiratur. ibid. n.88.
Lucri divisio qui facienda. ibid. n.89.
Præsertim dum unus pecuniam, alter operas contulit. ibid.
Duo modi recensentur. p.448.n.90.& seq.
Contractus societatis triplex qualiter ineatur. ibid. n.92.
Potest indubiè iniri singulatim cum diversis. ibid.
Immo & cum eodem etiã socio, successivè. ibid. n. 93.
Qualiter non solum explicitè, sed & implicitè cum eodem simul ineatur. p.449.n.94.
Eum variè non improbabiliter damnant tamquam ex se usurarium. ibid. n.95.
Nihilominus alii passim approbant. ibid.
Qui differat à mutuo. ibid. n.96.
Extravagans Sixti V. diversimodè explicatur. ibid.n.97. & seq.
Corollarium. ibid.
An hâc viâ possint omnes usuræ palliari. p.450. n.100.

Societas Jesu.

Societas Jesu quoad nostros professos renuntiavit cum quadam exceptione privilegio Tridentini circa possessionem immobilium. p. 304. n. 115.
Clerici Societatis Jesu possunt habere dominium in particulari. p.305. n.116.
Non obligantur ad horas canonicas. p.504.n.6.

Sodomia.

Sodomia an gravior bestialitate vel mollitie. p. 265. n.26.
Pœna Sodomiæ de qua intelligenda. ibid.

Solemnitas.

Solemnitas juris quomodo in contractu servanda. p.387. n. 29.
*Vide* Contractus.

Solutio.

Solutione dilata carius vendere an licitum. p. 434. n.23.
Solutio anticipata an pretium minuat. ibid.n.24.
Solutio pensionis pro locatione quando sit facienda. p.451. n.10.
Solutio certorum debitorum præferenda solutioni incertorum. n.371. n.90.

Sors. Sortilegium.

Quid Sortilegium. p.[illegible] n.12.
Sortes aliæ sunt divisoriæ, eæq. per se extra casum electionis Ecclesiasticæ licent. ibid.
Aliæ consultoriæ quæ per se sunt illicitæ. p.553. n. 13.
Et aliæ divinatoriæ, quæ constituunt sortilegium superstitiosum. ibid. n.14.

Spes.

Quid virtus Spei in communi. p.189. n.1.
Actus illius desiderium efficax boni honesti, absentis & obtentu possibilis. ibid.
An debeat esse arduum. ibid. n.2.
An incertò futurum. ibid. n.3.
An denique suprium. ibid. n.4.
Quid Spes Theologica. ibid. n.5.
Cujus objecto conveniunt omnes conditiones ad spem requisitæ. p.190. n.5.
Ipsam esse virtutem ostenditur. ibid. n.6.
Sperans non utitur fruendis. ibid. n.7.
Intuitu meritedis eterne operari honestum est. ibid.
Spem esse virtutem Theologicam ostenditur. ibid. n.8.
An spes naturalis dici posset Theologica. ibid.
Objectum primarium & immediatum Spei est in Deum, tum ejus possessio, seu beatitudo sui malis. ibid. n.9.
Quænam spectent ad objectum secundarium Spei. p.191. n.10.
Promissio divina est conditio ad sperandum requisita. ibid.
Objectum formale non est auxilium aut omnipotentia Dei, sed bonitas ejus, quâ nobis bonus est. ibid. n.11.
Occurritur objectioni ex Scriptura desumptæ. ibid. n.12.
Cur potius veracitas divina sit motivum fidei, quam omnipotentia Spei. ibid. n.13.

*Adhuc locus erit distinctioni Spei Christianæ à Pelagiana.* ibid. n.14.
*Spem à Fide & Charitate distinctam esse, probatur auctoritate & ratione.* p.15. n.15.&16.
*Quamvis absolutè potuisset idem habitus elicere actus Spei & Charitatis, congruè tamen Deus distinctos infudit.* ibid. n.16.
*Objectio solvitur.* ibid. n.17.
*Spes Theologica est certa.* ibid. n.18.
*In quibus fundetur seu consistat Spei nostræ certitudo.* ibid. n.19.
*Quæ non invertitur per incertitudinem de adhibitione perseveranti mediorum ex parte nostra.* ibid. n. 20.
*Potest reperiri in eo, qui probabilius judicat se damnandum.* p.193.n.21.
*Spes subjectatur in voluntate.* ibid. n.22.
Arriaga *contendit illam subjectari partialiter in intellectu.* ibid. n.23.
*Refutatur.* ibid. n.24.
*Spectat principaliter ad appetitum concupiscibilem.* ibid. n.25.
*In quibus viatoribus sit Spes.* ibid. n.26.
*In quibus sit post hanc vitam.* p.194.n.27.

Spei Præceptum.

*Præceptum Spei aliud negativum pro semper obligans, affirmativum aliud.* p.194. n.28.
*Quando obliget indirectè.* ibid.
*Quando directè.* ibid. n.29.
*Variæ adferuntur & discutiuntur opiniones.* ibidem.
*Quid tandem dicendum.* ibid. n.30.
*Ad Spem quî actus prosecutionis spectent.* ibid. n. 31.
*Qualiter & qui actus fuga.* p.195. n.32.

Spiritus.

*Dona Spiritus sancti quæ.* p.13. n.45.
*An sint habitus à ceteris virtutibus distincti.* ibidem.
*Fructus Spiritus S. quinam & unde sic dicti.* p. 14. n.49.
*Ad quas virtutes pertineant,* ibid.

Sponsalia.

*Sponsalia an redoneniantur per subsequens votum solemnitatis.* p.538. n.71.

Sponsio.

*Quæ Sponsio.* p.462. n.49.
*Quæ licita & quæ illicita.* ibid.
*An liceat sponsum spondere super morte alterius.* ibid. n. 50.
*An liceat inire sponsionem de non secuturâ collatione beneficii.* ibid. n.51.
*Quî Sponsio utrimque exigat incertitudinem.* ibid. n.52.
*An etiam dum certus de eventu indicat alteri certitudinem.* ibid.
*An cum quatuor idem prætendentibus liceat sorte spondere de non eventu.* p.463. p.53.
*An qui facta Sponsione de victoria v.g. in cursu, detrectet currere, perdat.* ibid. n.54.

Spurius.

*An Spurius teneatur cædere matri ejus defectum affirmanti.* p.341. n.95.
*Spurius quis dicatur.* p.411. n.73.
*An spurius censeatur is qui est procreatus ex soluta & conjugato, vel ordinato.* ibid.
*Vide* Illegitimus.

Status.

*Status dupliciter accipitur.* p.529. n.1.
*Quid status Religiosus.* ibid. n.2.
*Quæ ad eum requirantur.* ibid. n.3.
*Vide* Religio.
*Potest consistere status religiosus cum dominio in particulari.* p.305. n.116.
*Status eversio qualiter excuset à restitutione.* p. 377. n.126.
*An status injustè acquisitus sit potius evertendus.* p.378. n.127.
*Status virginalis præferendus conjugali.* p. 263. n. 15.

Sterilitas.

*Sterilitas quando dicenda sit magna.* p.252.n.15.
*Sterilitatis ergo quî facienda possionis remissio.* ibid. n.14.

Stipulatio.

*Quid stipulatio.* p.399. n.1.
*Regulariter nemo potest pro alio absente stipulari.* p.402. n.17.
*Exceptiones variæ.* ibid.n.18.
*Quid requiratur, ut unus pro altero stipuletur.* ibid. n.19.
*An Notarii de jure stipulentur generatim pro absentibus in privatis negotiis.* ibid. n.20.
*An de consuetudine.* ibid. n.21.

Studiositas.

*Quid studiositas.* p.279. n.109.
*Quæ vitia opposita.* ibid. n.110.

Stuprum.

*Quid Stuprum & quotuplex.* p.264. n.19. & p. 338. n.80.
*Oppressio corruptæ non est strictè Stuprum.* p.264. n. 20.
*Quæ ejus pœnæ.* ibid.
*Quid censendum de copula cum virgine consentiente.* ibid.
*Stuprator citrà vim aut fraudem ad quid teneatur.* p.338. n.81.
*Si vis vel fraus intercedat, tenetur defloratam ducere & dotare post sententiam.* ibid. n.82.
*Ad quid teneatur in foro conscientiæ.* ibid.
*Non sufficienter fit semper compensatio per matrimonium.* ibid. n.83.
*Quod defloratæ non tenetur admittere.* ibid.
*Si damnum non sequatur, cessat obligatio compensandi; nisi periculum fuerit in pactum deductum.* ibid. n.84.
*Deflorator sub promissione matrimonii, ad hoc tenetur.* p.339. n.85.
*Variæ exceptiones discutiuntur.* ibid. n.86.

Qui si desponsatam promissionem interim finxerit ibid. n. 87.
Quid si fuerit obstrictus voto Religionis. ib. n. 88.
Adhuc teneri ad matrimonium plerique docent. ibidem.
Opinio Auctoris. ibid. n. 89.
n. 10.
Suadens quomodo teneatur ad restitutionem. p. 362. n. 42. & seq.
Vide Furtum.

Substitutio.

Substituere qui possint. p. 410. n. 65.
Quid substitutio vulgaris. ibid.
Pupillaris. ibid.
Fidei commissaria. ibid.
Reciproca. ibid.
Compendiosa. ibid.
Circa substitutionem quid mores habeant. ibid. n. 66.

Successio.

Successio est apertissima nota vera Ecclesiæ. p. 88. n. 77.
Qualis debeat esse successio, ut Ecclesia sit Apostolica. ibid. n. 78.
Successionem Ecclesiæ Romanæ principibus urserunt Patres. ibid. n. 79.
Ex hac quilibet Episcopus & Sacerdos ordinationem suam deduxit ad Christum, unde & potestatem jurisdictionis, & vocationem &c. p. 89. n. 80.
Successio Episcoporum deest Novatoribus. ibid. n. 81.
Successioni personarum accedit successio doctrinæ ad Ecclesiam Apostolicam pertinens. p. 91. n. 90.
Quam in Romana reperiri ostenditur. p. 92. n. 91.
Novatorum cavillatio manifestè convellitur. ibidem n. 92.
Successio quid superaddat doctrinæ identitati. p. 93. n. 95.

Superbia.

Quid Superbia. p. 279. n. 106.
Quæ filiæ illius. ibid.
Est mortale peccatum. ibid. n. 107.
Præsertim si sit completa. ibid.
Quando præterea. ibid.
Quando sit veniale peccatum. ibid.

Superflua.

Superfluorum quoad sustentationem Clericis sunt domini. p. 305. n. 121.
Superflua in pias causas non expendens, an restituere teneatur. p. 306. n. 129.
Qualiter peccet. ibid. n. 130.
Superflua bona quæ. Vide Bona.

Superior.

Vide Prælatus.

Superstitio.

Quid Superstitio. p. 551. n. 1.
Dividitur in superstitionem cultus indebiti & rei cultæ. ibid. n. 2.
Et illa iterum in superstitionem cultus falsi & superfluus. ibid.
Superstitionem ratione rei cultæ quatuor species. ibid. n. 3.
Quæ divinationes sint superstitiosæ. p. 552. n. 11.

Symbolum.

Quid Symbolum significet. p. 110. n. 168.
Quæ ratio conficiendi symbola. ibid.
Triplex est Symbolum: primum Apostolorum. ibid. n. 169.
Secundum est Constantinopolitanum. ibid. n. 172.
Tertium Symbolum Athanasii. p. 111. n. 173.
Symbolum Apostolorum ab eis confectum esse, singulis singulos articulos conferentibus est communis sententia. p. 110. n. 169.
Hæc tamen doctrina non est certa. ibid.
In quot articulos dividatur. ibid. n. 170.
An sit Scriptura sacra. ibid. n. 171.
An dicendum sit Credo Ecclesiam sine propositione in. ibid.
Qualiter Symbolum Constantinopolitanum sit diversum ab eo, quod in Nicena Synodo confectum fuit. ibid. n. 172.
Quando sit additum Filioque. ibid.
Cur Romæ sub Missa Symbolum cani insolitum. p. 111. n. 172.
Quando cani cœperit. ibid.
Symbolum Athanasii an & quando ab eo confectum. ibid. n. 173.
An de Latinis adulteratum quoad processionem Spiritus sancti à Filio. ibid.
Athanasius illud non edidit instar Symboli Ecclesiæ. ibid. n. 174.
Sed illud pro tali recepit ipsa seu Pontifex, cujus est Symbola condere. ibid.
Notabile de Symbolo per S. Bernardum confecto. ibid.
Vide Fides necessitas.

Synesis.

Synesis quid sit. p. 279. n. 15.

## T

Tactus.

Tactus triplici de causa fieri possint. p. 266. n. 31.
Quid censendum de tactibus honestarum personarum factis ex joco. ibid. n. 34.
Quid censendum de tactibus inhonestis. p. 268. n. 39.
An confessarius hunc teneatur virgines causa meretrici admittere. ibid. n. 40.

Temeritas.

Quid temeritas. p. 282. n. 7. ibid.
Qualiter peccaminosa.

Temperantia.

*Quid temperantia generatim, quid specialim dicta.* p. 261. n. 1.
*Hujus materia examinatur.* ibid.
*Eadem determinatur.* ibid. n. 2.
*Ratio statuendæ specialis virtutis temperantiæ assignatur.* ibid.
*Quædam ratio reijcitur.* ibid. n. 3.
*Quæ sint vitia opposita temperantiæ.* ibidem n. 4.
*Intemperantia cur vitium maximè probrosum.* p. 262. n. 4.
*Quæ sint partes temperantiæ.* ibid.

Tentatio Dei.

*Tentatio dupliciter accipitur.* p. 357. n. 2.
*Quid tentatio Dei.* ibid. n. 3.
*Unde mala, & in quo ejus malitia sita.* ibidem.
*Quidam eam opponunt spei.* ibid. n. 4.
*Tentatio Dei alia expressa.* ibid. n. 5.
*Estque ex se mortalis.* ibid.
*Alia interpretativa.* ibid. n. 6.
*Quæ, quando sit peccatum mortale.* ibid. n. 7.
*An excipiatur ex levitate materiæ.* ibid.

Tertiarius.

*Tertiarius sancti Francisci aut sancti Dominici, aliquod præceptum divinum transgrediens, an peccet duplici peccato.* p. 5[illegible]. n. 17.

Testamentum.

*Quid Testamentum.* p. 406. n. 44.
*Testamentum qui differat à Codicillo.* ibidem n. 45.
*Quid legatum.* p. 46.
*Qui differat à fideicommisso.* ibid.
*Clausula codicillaris quid operetur.* ibid.
*Conditio impossibilis apposita testamento, pro non adscripta habetur.* p. 385. n. 15.
*Solemnitates jure communi requisitæ ad testamentum scriptum.* p. 407. n. 47.
*Quibus excipitur testamentum inter liberos & fratres.* ibidem 48.
*Aut factum apud acta, & quodnam tale.* ibidem.
*Testamentum rusticorum an excipiatur.* ibidem.
*An factum tempore contagionis.* ibid. n. 49.
*Quod testamentum nuncupativum & quæ exigat.* ibid. n. 50.
*An hodie potissimùm in usu.* ibid.
*Testamentum clausum qui exigat easdem solemnitates, quas apertum.* ibid.
*Quæ solemnitas ad testamenta requiratur in Belgio ex edicto perpetui.* 407. n. 51.
*Scitis consuetudinibus emologatis non derogatur.* ibidem.
*Notarij nihil sibi suisque adscribere possunt.* ibidem.
*Variæ Edicti declarationes.* ibid. n. 52.
*Testamentum inter liberos non comprehenditur edicto.* ibid.
*An Codicilli,* ibid.
*An Notorie parentes scribere desuper interrogandi sint.* p. 408. n. 52.
*Testamentum apud acta conditum valere declaratum est.* ibid. n. 53.
*An edictum servandum tempore pestis.* ibid.
*An tunc femina possit esse testis.* ibid.
*In quibus hodie per mores recessum sit à jure Cæsareo.* ibid. n. 54.
*Quæ sint requisita jure Canonico.* p. 408. n. 55.
*In statu Ecclesiastico obtinet hæc ordinatio in quibusvis testamentis.* ibid.
*Alibi in ordine ad pias causas.* ibid.
*Ad quas valet etiam pro foro externo.* ibid.
*Idque etiam, quo ad pia legata contenta testamento profano.* ibid.
*An obtineat quoad legata profana, quæ continentur testamento ad pias causas.* ibidem n. 56.
*An duo saltem testes requirantur.* ibid. n. 57.
*An testamentum profanum non solemne validum in foro conscientiæ, vide sententiæ.* p. 409. n. 58.
*Quid speciale sit in fideicommisso.* ibid. n. 59.
*Testamentum non solemne in omni foro esse invalidum adstruitur.* ibid. n. 60.
*An fas sit uni & eidem in hac materia sequi oppositas opiniones in quantum sunt favorabiles.* ibid. n. 61.
*Quibus testari interdictum.* p. 409. n. 62.
*An Novitijs ante ultimum bimestre.* ibid.
*An damnatis ad mortem.* ibid.
*An illegitimis.* ibid. n. 63.
*Quis eis succedat ab intestato.* p. 410. n. 63.
*Conjuges liberè testantur, etiam junctim.* ibidem.
*Variis in locis non est jus testari de omnibus bonis.* ibid.
*Alibi interdictum testari peregrinis.* ibid.
*Substituere qui possint.* ibid. n. 65.
*Vide* Substitutio.
*De Legitima, Falcidia & Trebellianica detractione* ibid. n. 67.
*De duplici detractione Legitimæ & Trebellianicæ.* ibid. n. 68.
*Qui passivè intestabiles.* p. 411. n. 69.
*An fratres Minores.* ibid.
*Notandum pro Belgio.* ibid.
*Illegitimis ex damnato coitu nati præter alimenta nil relinqui potest à Patre.* ibid. n. 70.
*An saltem à Matre.* ibid.
*Naturales quomodo à Patre possint jure scribi heredes.* p. 411. n. 71.
*Quid ad illos devolvatur ab intestato.* ibid.
*Matri qui succedant naturales & quæsiti.* ibid. n. 72.
*Quinam censeantur naturales, qui spurij, jure Civili, sive Canonico.* ibid. n. 73.
*Quid mores de illegitimis statuant.* p. 412. n. 74.

*Testamentum usque ad mortem revocabile.* ibid.
*Quid si testator juret se non revocaturum.* ibid. n. 76.
*Quibus modis revocetur testamentum.* ibid. n. 77.
*Observanda circa testamentum conjugum pariter factum.* ibid. n. 78.
*Legata profana qui sint adducta.* ibid. n. 79.
*Vide* Legatum.
*Testamenta usurariorum sunt invalida.* p. 424. n. 54.
*An possit testari novitius.* p. 583. n. 35.

Testis.

*Quando testis teneatur testari.* p. 473. n. 41.
*Quando non.* ibid. n. 42.
*Quot testes requirantur & sufficiant, in criminalibus.* ibid. n. 43.
*An duo requirantur jure naturæ.* ibid.
*In nonnullis casibus requirit jus plures.* ibid.
*Quæ requirantur ad sufficienter probandum.* ibidem n. 44.
*Qui sint testes non omni exceptione majores.* p. 474. n. 45.
*Novem hominum genera jure à testimonio ferendo repellantur.* ibid.
*Duo observanda circa hujusmodi testes.* ibidem n. 46.
*An testis ad restitutionem teneatur, si nolit testari.* ibid. n. 47.
*Vel falsum testetur.* ibid.

Thesaurus.

*Quid sit Thesaurus & cui cedat inventus.* p. 309. n. 148.
*An sequatur emptorem prædii conscium thesauri.* ibid. n. 149.
*An pretium commune sufficiat.* ibid.
*Quid censendum si locus thesauri sit Emphyteuticus aut Feudalis.* p. 310. n. 150.

Timor.

*Quid timor.* p. 195. n. 33.
*Suppositi ordinariè amorem boni oppositi.* ibid.
*Timor dicitur alicujus, tum mali, tum personæ non malæ, etiam Dei.* ibid. n. 34.
*Timoris divisio.* ibid. n. 35.
*Considerata circa timorem mundanum.* ibid.
*Quid timor servilis.* ibid. n. 36.
*Et interdum jungitur voluntas peccandi.* ib. n. 37.
*Quo timorem non inficit, nec necessariò adest.* ibid.
*Immo per timorem efficacem excluditur.* p. 196. n. 37.
*Gehennæ metum esse bonum & Salutarem ostenditur ex Tridentino, Scriptura, Patribus, ac ratione.* ibid. n. 38. & 39.
*Timor filialis quid.* ibid. n. 40.
*Timor divinæ ultionis & pœnæ damni, quo membro contineatur.* ibid. n. 41.
*Timor initialis quid.* ibid. n. 40.
*Timor servilis qui minuatur crescente charitate.* ibid. n. 43.
*An vel quo à crescente crescat timor filialis.* p. 197. n. 44.
*Timor quo sensu non sit in charitate.* ibid. n. 45.
*Timor servilis non manet in Beatis.* ibid. n. 46.
*Immo nec filialis proprie quoad actum.* ibid.
*Quo habitu maneat præsertim filialis.* ibid.
*Timor reverentialis qui maneat in Beatis.* ibid. n. 47.
*Quo sensu initium Sapientiæ sit timor Domini.* ibid. n. 48.

Tortura.

*Tortura prærequirit semiplenam probationem, aut indicia æquivalentia.* p. 470. n. 28.
*Varia indiciorum genera.* ibid.
*Ex quibus quid statuendum Judex arbitrabitur.* ibid.
*Nonnulla indicia ad torturam insufficientia rejiciuntur.* ibid. n. 29.
*Tortura an & quoties iterari queat.* p. 471. n. 30.
*Torturæ in gravioribus delictis qualiter possit à Regularibus adhiberi.* ibid. n. 34.

Traditio.

*Variæ acceptiones vocis traditio.* p. 63. n. 64.
*Quid significet in materia fidei.* ibid.
*Ejus divisiones.* ibid. n. 65.
*Traditiones sunt necessariò admittendæ juxta Tridentinum & alia Concilia.* ibid. n. 66.
*Idem probatur ex Scripturis, Patribus & ratione Theologica.* p. 64. n. 67. & seqq.
*Adversus hæreticos instantia ad hominem contra hæreticos.* p. 65. n. 70.
*Respondetur ad objectiones ex Scripturis, Patribus & ratione.* p. 66. n. 72. & seqq.
*Traditionibus cum non possint abuti hæretici, qui scripturis abutantur.* p. 67. n. 78.
*Errorem millenariorum sumpsit Papias non ex verbo tradito, sed scripto.* p. 68. n. 78.
*Variæ assignantur regulæ, unde dignoscantur legitimæ traditiones.* ibid. n. 79.
*An Ecclesia possit mutare traditiones.* ibid. n. 80.
*Tradita & scripta qualiter cum accommoda proportione sint paris auctoritatis.* p. 69. n. 81.

Transcribere.

*Transcribere an sit opus servile in die festo recitum.* p. 511. n. 1.

Tributum.

*Quia nomine tributi intelligatur.* p. 493. n. 70.
*Variæ tributi species.* ibid.
*Vide* Vectigal.

Turcismus.

*Ad quam speciem infidelitatis pertineat Turcismus.* p. 167. n. 3.

Turpiloquium.

*An vel quale peccatum sit turpiloquium.* p. 267. n. 38.

Tyrannus.

*Tyrannus an, vel qui possit occidi.* p. 331. n. 3. & seq.
*Vide* Occisio Tyranni.

*Tyranni ratione iniqui regiminis acta ficta sunt & valida.* p.466. n.5.
*Tyranni defectu potestatis, sententiæ sunt nullæ.* ibidem.
*Tyrannus in pace imperans peccat usurpatione judicij, acta tamen valent.* ibid.
*Tyranno justa præsipienti tenentur subditi obedire.* ibid. n.6.

V.

Vana gloria.

*Vana gloria quid sit.* p.279.n.108.
*Quando grave peccatum.* ibid.

Vectigal.

*Quid vectigalis nomine intelligatur.* p. 493. n. 70.
*Quid strictè sumptum.* ibid.
*Ejus variæ species.* ibid.
*Quid Gabella.* ibid.
*Ad justum tributum requiritur auctoritas imponentis.* ibid. n. 71.
*Penes quos ipsa sit.* ibid.
*Civitates, etiam subjectæ, possunt suis civibus ob bonum publicum imponere quædam onera.* p. 494. n.71.
*Ex parte suis quid requiratur.* ibid. n.72.
*Quæ justa vectigalium causa.* ibid.
*Qualiter justitiæ causa debeat principi patere.* ibid. n.73.
*Quæ proportio requiratur ex parte formæ.* ibid. n. 74.
*Quæ ex parte materiæ cui vectigal imponitur.* ibid. n. 75.
*An injusta sint hodierna tributa esculentis & poculentis imposita.* p.495. n.76.
*Quomodo pruxis excusabilis.* ibid.
*Taxatio non toleranda.* ibid.n.77.
*Excusatio prætexta refellitur.* ibid.
*An leges tributariæ obligent in conscientia.* ibid. n. 78.
*Quando non obligent ob iniquitatem.* ibid. n.79.
*Quid censendum in dubio de justitia gabellæ.* ib. n. 80.
*An vectigal sit sponte solvendum.* p.496. n.81.
*An Creditor Principis possit fraudatione vectigalis sibi compensare.* ibid. n.81.
*Notanda pro praxi quoad restitutionem gabellarum defraudatarum.* ibid. n.83.
*De exemptione Clericorum.* ibid.

Venatio.

*Venatio alicubi reservata sub pœnis.* p.308. n.139.
*Quæ nequeunt esse corporales.* ibid.
*An per hoc quod animalia capta luant, satisfiat.* ibid.
*Damnis prædiorum cavendum.* ibid.
*Notandum quoad hæc.* ibid.
*Venatio qui Clericis interdicta.* ibid n.140.
*Venatio an licita in die festo.* p.512.n.17.

Venditio.

*Quid venditio.* p.430.n.1.
*Quid merx & pretium.* ibid.
*In principio fuit permutatio consueta.* ibid.
*Cur & quomodo introducta.* ibid.
*Pecunia veterum quæ.* ibid.
*Hodie utimur numerata.* ibid.
*Traditio vel saltem hæredatio quæ requisita.* ibid.
*Quid agendum, si res eadem duobus in solidum vendita sit.* ibid. n. 3.
*Consensus contractum perficiens, qualis sit.* ibid. n. 4.
*Quid operetur conditio apposita.* ibid.
*Alia est casualis, alia potestativa.* ibid.
*Ad contractum hunc quomodo quis compelli queat.* ibid. n.5.
*Qualiter requiratur determinatio pretij ut venditio subsistat.* p.431. n. 6.
*Quænam vendi possint.* ibid. n.7.
*An etiam res furtivæ.* ibid.
*Quæ vendi nequeant.* ibid. n.8.
*Qui vendere possint.* ibid. n.9.
*De alienatione Provinciarum vel dominiorum Principis.* ibid.
*Qui differat hic contractus à reliquis.* ibid. n. 10.
*Quotuplex venditio.* ibid.
*An licita.* ibid.
*Quo pretio res vendi possint.* p. 432. n.14. *Vide* Pretium.
*Quibus de causis possit res vendi pluris, quam valeat.* p.434. n.22.
*An minori pretio ob anticipatam solutionem.* ib. n. 24.
*An obligationes possint minoris emi, quam sit capitale.* ibid. n.25.
*Quid censendum de librancijs mihi uribus.* p.435. n. 26.
*Vendens rem nomine alterius designato pretio, quando possit superfluum retinere, quando non.* p.435.n.27.
*Consideratio Lessij quo ad hæc, expenditur.* ibid. n. 28.
*Conformiter procedendum in commissa alteri inceptione.* ibid. n.29.
*Casus concernens sartoris expenditur.* ibid.
*Res valde rara quo pretio vendi queant.* p.436. n. 31.
*Venditor mercis vitiosæ, etsi diminuto pretio venetur revarare damna secuta.* ibid. n.33.
*Quid censendum de vitijs naturalibus.* p.437.n.34.
*An possint merces vendi pretio currenti, si secus sciatur brevi minuendum.* ibid. n. 35.
*Objectio principalis proponitur & solvitur.* ib. n. 36.
*An idem dicendum in materia elocationis.* ib. n. 37.
*An etiam in casu, quo diminutio nascetur ex decreto nondum publicato.* p.438.n.38.
*Idque circa ipsos Senatores.* ibid.
*An venditor rogatus teneatur futuram mutationem indicare.* ibid.n.39.
*Qualiter emptor teneatur indicare venditori mercis.* ibid.n.40.
*Quod diversimodè elucidatur.* ibid. n.41.

*Notanda specialiter circa errorem in venditione facta ad mensuram vel corpus.* ibid. n.42.
*An eadem locum habeant in donationibus & legatis.* ibid.
*Venditio officiorum secularium quam pernitiosa.* p.480. n.8.
*Qua conditiones requirantur ut licita sit.* ibid. n.9.
*Vendi nequit jus Patronatus nisi venditione universitatis.* p.462. n.20.
*An Fratres Minores possint vendere.* p.540. n.83.
*An possit vendere spiritualia ratione materiæ pretiosæ, sacralis.* p.560. n.5.
*Vide* Simonia.

Rei venditæ periculum & commodum.

*Venditione completa per traditionem & translationem dominii, periculum & commodum spectat ad emptorem.* p.440. n.49.
*Immo jure communi ante traditionem.* ibid.
*Quamvis id Cujacio minus æquum appareat.* ibid. n.50.
*Excipiuntur nonnulli casus.* ibid. n.51.
*Quid si res vendita non sit determinata.* ibid. n.52.
*Ad quem pertineant fructus, præsertim ante persolutum pretium.* ibid. n.53.

Venditioni adjecta pacta.

*De venditione conditionata quid censendum.* p. 441. n.54.
*In pactis venditioni adjectis quid generatim observandum.* ibid. n.55.
*Quid pactum additionis in diem.* ibid. n.56.
*Penes quem sit periculum & commodum rei sic venditæ.* ibid.
*Quid pactum commissorium & quis ejus effectus.* p.441. n.57.
*Qualiter pretium rei sic venditæ temperandum.* ibid. n.58.
*Pactum hoc debet ex incontinenti apponi.* p.442. n.58.
*De pacto ut si displicuerit emptori res sit inempta.* ibid. n.59.
*De pacto retrovendendi seu retractu conventionali.* ibid. n.60.
*Cui cedant fructus percepti.* ibid. n.61.
*Quid censendum de fructibus pendentibus tempore retractus.* ibid.
*De pacto redimendi.* ibid. n.62.
*De pacto utrimque redimendi seu revendendi.* ibidem.
*Varia species retractus.* ibid. n.63.
*Quid retractus gentilitius & quibus competat.* ibid.
*Quo ordine.* ibid.
*In quibus contractibus vel bonis.* p.443. n.64.
*Pretium qualiter & intra quod tempus offerendum.* ibid. n.65.
*A quo die incipiat tempus currere ex edicto Principum Belgii.* ibid.
*Aut jure communi.* ibid.
*Quid censendum de fructibus perceptis ante pendentibus tempore retractus.* ibid. n.66.
*An laudimia sint iterato solvenda.* ibid.

Verecundia.

*Quid Verecundia.* p.262. n.5.

Veracitas.

*Quid virtus veracitatis.* p.572. n.33.
*Unde ejus obligatio nascatur.* ibid.

Veritas.

*Veritas si desit in juramento Tortorio semper est mortale perjurium.* p.545. n.12.

Vestes.

*Assumere vestes disparis sexus an per se mortale.* p.280. n.115.
*Triplex vestium genus infidelitatem denotantium.* p.163. n.35.
*Vide* Fidei simulatio.

Vidua.

*Vidua stare tenetur locationi facta per maritum.* p.451. n.6.
*Vidua post annum à conductione villa expellitur.* ibid. n.9.

Vindicatio.

*Quid vindicatio.* p.571. n.9.
*Non licet privatis hominibus.* ibid.
*Qui [illegible] ejus virtutis honestate non necessario destituuntur.* ibid. n.30.
*An sit specialis virtus.* ibid. n.31.
*Vitia illi opposita.* ibid. n.32.

Virginitas. Virgo.

*Quid virginitatis virtus.* p.263. n.10.
*Non includit votum.* ibid.
*Solum potest amitti voluntarie, etsi physica integritas etiam violenter.* ibid. n.11.
*Violenter corrupta an possit recipere ab Episcopo velum consecrationis.* ibid. n.12.
*Quomodo amittatur virginitas & an recuperabilis.* ibid. n.13.
*Carnis integritas per virginitatem connotata quibus modis amittatur.* ibid. n.14.
*Qui vulgo virgines dicantur & velari ab Episcopo possint.* ibid.
*Status virginalis præferendus conjugali.* ibidem n.15.
*Explodunturhæretici æstimantes virginitatem non posse servari.* p.263. n.16.
*An contactum in partibus inhonestis cauki mendici teneantur virgines admittere.* p.568. n.40.

Virtus.

*Virtutis varia acceptiones.* p.1. n.1.
*Virtus moralis propriè virtus.* p.2. n.2.
*Ejus descriptio apud Scholasticos vulgata examinatur.* ibid. n.2.
*Ejusdem vulgata ex Philosopho definitio.* ibid. n.3.

*Virtus consistit in medio præsciente per prudentiam.* ibid.

*Vide* Medium.

*Completa ratio virtutis exigit seu connotat prudentiam.* p. 3. n. 8.

*Sine qua posse habitum virtuosum declinare in malum cum Scoto variè ostenditur.* ibidem n. 9.

*Differentia huc spectans inter virtutem intellectualem & moralem.* p. 4. n. 10.

*An possit quis malè uti habitu virtutis Theologicæ.* ibid. n. 11.

*In doctrina Scoti non tollitur discrimen inter habitus virtutum, vitiorum & indifferentes.* ib. n. 12.

Virtutis varia Divisio.

*Virtus analogicè dividitur in intellectualem & moralem.* p. 4. n. 13.

*Intellectualis quintuplex juxta philosophum.* ibidem.

*Addenda fides divina & Theologia.* ibid.

*An etiam opinio & fides humana.* ibid. n. 14.

*Quid de Synderesi.* p. 5. n. 14.

*Virtus moralis, alia strictè moralis, alia theologica.* ibid. n. 15.

*Strictè moralis subdiditur in quatuor virtutes Cardinales.* ibid.

*Sufficientia subdivisionis discutitur, & declaratur.* ibidem.

*Quid virtus Theologica & quotuplex.* ibidem n. 16.

*Virtus alia per se infusa, alia per se acquisita.* ibid. n. 17.

*Differentia inter utramque an desumenda ex parte objecti.* p. 6. n. 18.

*Sententia negativa præfertur & variè probatur.* ibidem.

*Occurritur objectionibus.* ibid. n. 19.

*An virtus naturalis differat à supernaturali, quod hæc objectum respiciat sub ratione supernaturalis, ista sub ratione naturali.* ibid. n. 20.

*Vera inter utramque differentia assignatur.* ib. n. 21.

*Actus naturalis à supernaturali differt ex parte principiorum.* p. 7. n. 21.

*Dat virtus infusa simpliciter posse.* ibid. n. 22.

*Facilitas sæpè adjuncta nascitur ex virtutibus naturalibus, quæ exercito actuum supernaturalium comparatur.* ibid. n. 23.

*Tres virtutes Evangelicæ explicantur.* p. 12. n. 41.

*Nec non Octo Beatitudines.* ibid. n. 42.

*An consistant in actibus, an in habitibus.* ibid

*Non distinguuntur ab ordinariis virtutibus earumve actibus.* ibid. n. 43.

*Cur appellentur Beatitudines.* ibid.

*An plures quam octo dari possint.* ibid. n. 44.

*Cur Lucas expresserit solum quatuor.* ibid.

*Explicantur quædam dicta Ambrosii de Beatitudinibus.* ibid.

*Dona Spiritus sancti quæ.* p. 13. n. 45.

*An sint habitus à cæteris virtutibus distincti.* ibid. n. 46.

*Verior sententia negativa probatur.* ibid.

*Objectioni satisfit.* ibid. n. 47.

*Opera heroica Abrahæ, Sampsonis, Salomonis &c. sive dona habitualibus à virtutibus distinctis esse facta ostenditur.* ibid. n. 48.

*Fructus Spiritus S. quinam, & unde sic dicti.* p. 14. n. 49.

*Pertinere ipsos ad ordinarias virtutes declaratur.* ibidem.

*Novem gratiæ gratis datæ ab Apostolo recensentur.* ibid. n. 50.

*Qui distinguantur contra quosdam graves faciles.* ibid.

*Non sunt habitus ab ordinariis virtutibus distincti.* ibid.

Virtus infusa.

*Virtus infusa physicè efficit actus supernaturales, concurrente activè ipsâ potentiâ.* p. 7. n. 24.

*Quo uti & habitu est causa principalis.* ib. n. 25.

*An etiam principalior.* ibid.

*Concurrit potentia per virtutem suam naturalem sed incompletam.* ibid.

*Dari Virtutes per se infusas certum est.* p. 8. n. 27.

*Quod tamquam probabilius determinat Concilium Viennense quoad paucos, in re ardua controversia supponens de adultis, agitque de virtutibus infusis per se.* ibid.

*Quæ apertè comprobantur ex Tridentino.* ibid. n. 28.

*Ex ratione sola congruentia allegari potest.* p. 9. n. 29.

*Tres Theologicæ sunt indubiè per se infusæ.* n. 30.

*De quibus quoad adultos non reperitur apud veteres Theologos controversia.* ibid.

*Pauciores infundi possunt sufficientes eliciendis omnibus actibus supernaturalibus.* ibid. n. 31.

*Dari virtutes Morales per se infusas non constat.* ibid. n. 32.

*Explicantur generaliter Scripturæ ab aliis assignari solitæ.* ibid. n. 33.

*Tanguntur singulæ particulari.* p. 10. n. 34.

*Non favere* Clementinam Un. de Summ. Trin. *apertè ostenditur.* ibid. n. 35.

*Instantia ex* cap. Majores *desumpta occurritur.* ibid. n. 36.

*Non favet quoque* Tridentinum. ibid. n. 37.

*Quatuor virtutes Theologicæ hominem perficiant satis, tum quoad finem supernaturalem, tum quoad media.* p. 11. n. 38.

*Frustra ad oppositum conclusionis probandum allegatur adversa ratio honestatis objectivæ etsi subesset; quæ tamen verè non subest.* ib. n. 39.

*An virtutes Morales per se infusæ sint possibiles.* ibid. n. 40.

*Ex earum possibilitate non sequeretur de facto dari.* p. 12. n. 40.

Virtutis subjectum.

*Quodnam subjectum virtutum Theologicarum.* p. 14. n. 51.

*Moralium subjectum voluntas.* ibid.

*An etiam earum quæ non sunt adulterum temperantiæ & fortitudinis v.g.* p.15.n.51.
*Affirmativa sententia exigitur, & variè probatur.* ibid.n.52.
*Habitus proportionati generantur in appetitu sensitivo.* ibid. n. 53.
*An eidem sint Virtutes appellantur, quæstio & de nomine.* ibid. n.54.
*An vel cur potius in appetitu quam in potentia loco motiva hi vel odi habitus generentur.* ibid. n. 55.

Virtutum connexio.

*Virtutes sunt necessariò connexa cum proportionata prudentia.* p.16.n.56.
*Ipsa vero non necessariò dependet à virtute morali.* ibid.n.57.
*Quo sensu errare dicantur, qui peccant.* ibid.
*Qualiter malitia excæcet intellectum.* ibid.n.58.
*Virtutes morales non sunt necessariò inter se connexæ.* ibid.n.59.
*Explicantur dicta quædam S.Gregorij.* ibid.
*An vel qualiter interdum ad unam virtutem requiratur per accidens consortium alterius.* p. 17.n.60.
*Possunt virtutes morales esse sine Theologicis, etiam absque fide.* ibid.n.63.
*Immo absque omni notitia Dei.* ibid.
*Explicatur dictum Apostoli:* Omne quod non est ex fide, peccatum est. *Item illud:* Sine fide impossibile est placere Deo. ibid. n. 62.
Augustinus *non sensit omnia opera infidelium esse peccata seu non virtuosa.* ibid. n. 63.
*Virtutes ad se ipsas relatas quo sensu vocet superbas.* p.18. n.64.
*Alibi in infidelibus bona opera, sed rarò, dari fatetur.* ibid.
*Refertur doctrina requirens ad opus bonum coexistentiam charitatis.* ibid. n.65.
*Quæ velut inimica fidei rejiciuntur.* ibid.
*Fundamenta eiusdem dissolvuntur.* ibid. n.66.
*Possunt Virtutes Theologicæ esse sine moralibus acquisitis.* ibid. n. 67.
*Charitas pro statu præsentem vitæ stantum esse nequit sine fide & spe.* ibid. n.68.
*Spem tamen sine charitate, & fidem sine utraque potest existere.* p.19. n. 68.
*Et manere veram virtutem, etsi informis seu non viva.* ibid.n.69.
*An fides & spes infundantur ante charitatem.* ibid. n.70.
*Sententia affirmans cum suis probationibus allegatur.* ibid.
*Sententia Auctoris.* ibid.n.71.
*Fundamenta alterius sententia dissolvuntur.* ib. n. 72.
*Virtutes non omnes æquales.* p.20. n.73.
*Perfectissima est charitas.* ibid.
*Quis Ordo cæterarum.* ibid.

Virtutis destructio.

*Virtutes Theologicæ destruuntur demeritorie.* p. 20. n. 74.
*Spes & charitas non repugnat Physicè cuilibet peccato mortali.* p.21.n.74.
*Quæ tamen omnis pellitur, uti spes peccato mortali desperationis.* ibid.n.75.
*In etiam peccato infidelitatis.* ibid.
*Quo solo destruitur fides.* ibid.
*Virtus acquisita destruitur contrarijs vitiorum actionibus, etiam venialiter tantum malis, etiamsi sit virtus obligans sub mortali.* ibid.n. 76.
*Fundamentum* Arriagæ *evertitur.* ibid.n.77.
*In damnatis nulla manet virtus Theologica.* ib. n.78.
*Quæ fides dæmonum memoratur* Jac.2. *& quæ inter hanc, & fidem peccatoris differentia.* p.22. n. 79.
*In animabus purgatorij manet fides, spes & charitas.* ibid.n.80.
*In beatis manet charitas sine fide.* ibid.n.81.
*Habitus spei in ijs qualiter maneat iuxta nonnullos.* ibid.n.82.
*A quo principio eliciatur beata tentio.* ibid.n. 83.
*Virtutes acquisita manent in beatis, & animabus purgatorij.* p.23.n.84.
*An vel quomodo etiam in damnatis.* ibid.
*An fides tempore passionis Christi manserit in Apostolis etiam Petro.* p.7. n.25.

Visitatio.

*In visitatione Prælatorum ad inquirendum defectus nulla prærequiritur infamia.* p. 469. n. 20.
*Quæ in ea sint deponenda.* ibid.

Vita.

*Vita non cadit sub dominium humanum.* p.298. n. 73.
*Vitam propriam pro aliena exponere an liceat.* p.217. n. 6. & seqq.
*Vide* Charitatis Ordo.

Vitium.

*Quid sit vitium.* p.23.n.85.
*Opponitur virtuti gratia inferiorum.* ibid.
*Inter vitium & virtutem infusam non datur ulla oppositio.* ibid. n. 86.
*Qualiter invicem opponantur eorumdem actuum.* ibid.n.87.
*Qua causa efficiens vitiorum.* ibid.n.88.
*An infundi possint à solo Deo.* ibid.
*Sententia affirmans suadetur & rationibus contrarijs confutatur.* p.24.n.88.
*Ad specialem objectionem responsio.* ibid. n. 89.
*Qui divisio possit vitium.* ibid.n.90.
*Quod illius subjectum.* ibid.

*An vitia sint connexa.* ibid. n. 91.
*De inaequalitate eorum.* ibid.
*Vitia manent in damnatis.* p.424. n.92.
*An habitus appetitus sensitivi vitiorum Subsidiarij reproducentur in damnatorum resurrectione.* ibid.
*Vitia non manent in animabus purgatorij.* p.425. n. 93.
*Vitium substantiale mercis est manifestandum.* p.436. n.32.
*Vitium in quantitate & qualitate qui faciat contractum injustum.* ibid.
*Quid si ignotum fuerit ipsi venditori.* ibid.
*Vide* Venditio.

Votum.

*Votum est promissio Deo facta.* p.519. n.1.
*Tale non est propositum quantumvis firmum.* ibidem.
*Ad votum requiritur deliberatio ad mortale sufficiens.* ibid. n. 2.
*Unde ex voto sine tali deliberatione facto nulla oritur obligatio.* ibid.
*Ne quidem sub veniali.* ibid.
*Cur potius ad peccatum veniale sufficiat semiplena deliberatio, quam ad votum.* 519. n.3.
*An votum quod peccatum committat sine sufficienti deliberatione vovens.* ibid.
*Secundò requiritur ad votum, ut sit voluntarium.* ibid. n.4.
*Unde, gravi metu ad id injustè incusso extortum est irritum.* ibid.
*Solemne quidem professionis jure Ecclesiastico.* ibidem.
*Cætera autem iure naturali.* ibid.
*Secus est de voto ex levi vel justo metu emisso.* ibidem.
*Inter votum simplex & solemne ex errore emissum nonnulli distinguunt.* p.519. n.5.
*Alij eam distinctionem rejicientibus.* ibid.
*Vera doctrina statuit, omne votum ex errore circa aliam substantiam redundare esse irritum.* ibid. n.
*Quod variè declaratur.* ibid.
*Tertio requiritur ad votum int[illegible]e obligandi.* p.520. n.7.
*Secus est de impleme[illegible]* ibid.
*De aliis requisitis.* ibid.
*Votum aliud est personale, aliud reale & aliud mixtum.* ibid. n.8.
*Aliud temporale, aliud perpetuum.* ibi[illegible]
*Aliud expressum, aliud tacitum.* ibid.
*Aliud simplex, aliud solemne.* ibid.
*Quæ ac differant specie.* p.520. n.9.
*Aliud est votum solemne paupertatis Religiosæ.*
*Vide* Paupertas Religiosa.
*Aliud solemne obedientiæ Religiosæ.*
*Vide* Obedientia Religiosa.
*Aliud solemne castitatis vel[illegible]e quod irritat matrimonium contrahendum & [illegible]mit contractum nundum consummatum.* p. 537. n. 66.

*Et in Religiosis inducit obligationem abstinendi ab omni actu interno & externo contra castitatem.* ibid. n. 87.
*Vide* Castitas Religiosa.
*Aliud est votum simplex castitatis quod ad quid obliget extra religionem.* ibid. n.69.
*Non licet eo emisso contrahere matrimonium antequam ingrediendi religionem.* ibid.
*Nec debitum petere.* p. 538. n. 70.
*An possit reddendo consulere.* ibid. n. 70.
*Comparti adulteræ nequit votum reddere.* ibidem.
*Votum hoc sponsalia subsequentia irritat, non precedentia.* ibid. n.71.
*Aliud denique est absolutum, aliud conditionale.* p. 520. n. 10.

Voti Materia.

*Materia voti proxima, est actio humana.* p.520. n. 11.
*Remota ejusdem objectum.* ibid.
*Debet esse in nostra potestate.* ibid. n. 12.
*Hinc irritum est votum de non peccando generaliter.* ibid.
*Cur potius lex naturæ quam votum ad moralitè impossibile obliget.* ibid.
*Votum omnia mortalia vitandi tenet.* p. 521. n. 13.
*Quid de voto vitandi quantum in nobis est venialia.* ibid.
*Vel simpliciter omnia peccata.* ibid.
*Debet etiam materia voti esse grata Deo.* ibid. n. 14.
*Unde vovere peccatum, etiam leve, est grave malum, & irritum votum.* ibid.
*Similiter irritum est votum de re indifferenti bono fine voventis non cohonestatâ.* ibid.
*Debet quoque esse melior suo oppositio.* ibid. n.15.
*Notabile pro scrupulosis.* ibid.
*Item de voto non procurandi vel acceptandi Episcopatum.* ibid.
*Item de voto nubendi.* ibid.
*Sub votum cadunt etiam opera præcepta.* ibid. n. 16.
*Votum tamen Tertiariorum sancti Francisci non inducit nisi obligationem.* ibid. n.17.
*Nisi ad pœnam.* ibid.
*Bonum & laudabile est Deo vovere.* p. 521. n. 18.
*Etiam in materia præcepta.* ibid.

Voti obligatio.

*Votum parit obligationem.* p. [illegible]. ibid. n. 1.
*Videlicet fidelitatis ad Deum, eamque ex genere suo gravem.* ibid.
*Nisi indeliberatio, vel parvitas materiæ etiam totalis, excuset.* ibid.
*Potest vovens in materia gravi se obligare leviter: non tamen in levi gravit[illegible]* ibid. n.20.
*Obligatio voti in quavis materia est ejusdem speciei.* ibid. n. 21.

*Differentia quoad hoc inter vota & leges.* ibidem.
*An materia transgressionis in confessione exprimenda.* ibid.
*Promissio in baptismo facta non est votum.* p.522. n. 22.
*Sed tantùm declaratio propositi suscipiendi Baptismum, obligationique subsequentes.* ibid.
*Quivis an voverit, non tenetur voto.* idem n. 23.
*Locus est, si certus sit, dubitet de deliberationis susceptæ.* ibid.
*Vel de intentione se obligandi.* ibid.
*Modus interpretandi vota.* ibid. n. 24.
*Corollaria.* ibid. n. 25.
*Si nihil certi de obligatione voti haberi possit, in meliorem partem est amplectenda.* p. 523. n. 26.
*Ad quid obligetur qui se obligavit ad statim exequendum.* ibid. n. 27.
*Ad quid ille, qui voto certum tempus non præfixit.* ibid.
*Votum personale regulariter non est per alium implendum.* ibid. n. 28.
*Nisi vovens id expresse intenderit, vel stylus curiæ votum ita interpretetur.* ibid.
*Secus est de voto reali.* ibid. n. 29.
*Et mixto, quatenus est reale.* ibid.
*Corollarium de voto peregrinationis, si vovens jam sit defunctus.* ibid.
*Qualiter Parentes queant filios Religioni devovere.* ibid. n. 30.


## Voti cessatio.


*Obligatio voti cessat vel non eveniente conditione oppositâ: vel elapso tempore præfixo.* p. 523. n. 31.
*Vel cessante materia.* ibid.
*Vel denique irritatione, commutatione aut dispensatione.* ibid.


## Voti irritatio.


*Quid irritatio voti.* p. 523. n. 32.
*Competit omnibus habenti potestatem in voluntatem proventis, ut materiam voti.* ibid.
*Non requirit causam.* p. 524. n. 32.
*Absoluta irritatio numquam revivisc.* ibid. n. 33.
*Secus est de suspensione executionis.* ibid.
*Qualis non irritatio, in vota Novitiorum competit Prælatis.* ibid.
*Aliud est de commutatione & dispensatione.* ibidem.
*Omnia Religiosorum vota à Prælato sunt irritabilia.* ibid. n. 34.
*Excepto voto arctioris religionis.* ibid.
*Similiter id potest Pontifex.* ibid. n. 35.
*Aliud est de votis reliquorum Christianorum.* ibidem.
*Possunt item illud Præfectæ monialium ex votis suarum subditarum.* ibid. n. 36.
*Nulli Prælati proprii votis.* ibid.
*Potestas irritativa extenditur se ad vota Papæ reservata.* ibid.
*Vel semel approbata.* ibid. n. 37.
*Sed non sine gravi peccato, si desit causa.* ibid.
*Aliud de successore.* ibid.
*Immo quidam eorumdem superiorem aliqui probabiliter contradicunt.* ibid.
*Vota Impuberum sunt irritabilia ab habente patriam potestatem.* ibid. n. 38.
*Etiamsi referantur exequenda tempore pubertatis.* ibid.
*Vel qui in impubertate vovit, jam ad pubertatem pervenerit.* p. 525. n. 39.
*Nisi factum ratificet.* ibid.
*Quod in dubio non præsumitur.* ibid.
*Puberum vota tantum sunt indirectè à parentibus irritabilia.* ibid. n. 40.
*Oti & vota realia minorennium.* ibid. n. 41.
*Nisi sint de bonis liberæ dispositionis.* ibid.
*Vel relata in tempus, quo erunt sui juris.* ibidem.
*Idem quoque est de votis famulorum & servorum respectu Dominorum.* ibid. n. 42.
*Et votis uxoris respectu mariti.* ibid. n. 43.
*Multi tamen Marito directam in omnia uxoris vota potestatem tribuunt, excepto saltem voto continentiæ de utriusque consensu emisso.* ibid. n. 44.
*Vota mariti ab uxore indirectè tantum sunt irritabilia.* ibid.


## Voti commutatio.


*Quid commutatio voti.* p. 525. n. 45.
*Eâ factâ est voventi liberum ad priorem obligationem redire.* ibid.
*Vel si sæpius facta sit, quodvis eorum, in quæ facta est, eligere.* ibid. n. 46.
*Non tamen est necesse ad primam materiam redire secundâ factâ impossibili.* ibid. n. 47.
*Commutatio fit in melius, in æquale vel in minus.* p. 526. n. 48.
*Prima potest fieri propria auctoritate.* ibidem n. 49.
*Et quidem etiam in votum religionis.* ibidem.
*Huius autem in Episcopatum minimè.* ibidem n.
*Procedunt dicta etiam de voto in favorem tertij facto, secundum acceptato.* ibid. n. 51.
*Commutatio in minus facienda est à potente compensare: ut æquale à potente compensare, servatâ morali æqualitate.* ibid. n. 52.
*His casibus nonnulli contradicunt.* ibid.
*Ad commutationem in melius causa non requiritur, pro aliis causæ assignantur.* ibid. n. 53.
*Commutatio voti in Sacro concessa potest extra Sacrificium, si cætera requisita durante impleta sint.* ibid. n. 54.
*Potest quoque fieri extra confessionem.* ibid.

## Voti dispensatio.

*Quid dispensatio voti.* p.526.n.55.
*Non est mera interpretatio.* ibid.
*Requirit justam causam: & qu[a]n.* p.527. n. 56.
*Regulariter admiscenda commutatio.* ibid.
*Potestas dispensandi competit Ecclesiæ.* ibidem n. 57.
*Et quidem summo Pontifici ex jure divino.* ibid. n. 58.
*Jure ordinario Episcopis respectu suorum subditorum.* ibid. n.59.
*Exceptis quinque votis Papæ reservatis* ibidem.
*De tribus peregrinationis votis quid habeat consuetudo.* ibid.
*Allegantur varia vota ab Episcopis dispensabilia.* ibid. n.60.
*Dispensat Episcopus in voto castitatis integræ & perpetuæ aliquibus casibus.* ibid. n.61.
*Primo si sit emissum ex metu, etsi non adeo gravi.* ibid.
*Secundo in dubio de valore vel reservatione voti.* ibid.
*Tertio in voto conditionato nondum impleta conditione.* ibid. n.62.
*Secus ac impleta.* ibid.
*Etsi nonnulli contradicant.* ibid.
*Quarto in voto disjunctivo de una parte non reservata.* ibid. n.63.
*Quinto in voto accessorio ad principale non reservatum.* p.528. n.63.
*Sexto cum conjuge durante matrimonio.* ibid. n. 64.
*An aliquando ante matrimonium.* ibid.
*Prælati regulares in votis de jure dispensant cum suis subditis, ubi Episcopi cum suis.* ibid. n. 65
*Uti & ex privilegio confessarii mendicantes, aliique cum ipsis in privilegiis communicantes.* ibid. n. 66.
*Limitatur communiter hæc potestas ad vota ab Episcopis de jure dispensabilia.* p.528.n.67.
*Unde dispensant in votis castitatis durante matrimonio emissis.* ibid. n.68.
*Dummodo non sint emissa mutuo consensu* ibidem.
*Secus est ac emissa ante matrimonium* ibid.
*Licet hæc sacerdotiali deputent.* ibid.
*Limitatio aliquibus non placet.* ibid. 59.
*potestas dispensandi & commutandi vota ex[tra] se ad juramenta.* p. 70.

## Usucapio.

*Quid usucapio.* p. 162.
*Est hodie velut synonimum cum* [illegible]*tione,* ibid.
*Vide* Præscriptio.

## Usura.

*Quid Usura.* p.414. n.6.
*An extet mutuum reperiatur.* ibid.
*Alia expressa, alia tacita seu paliata.* ibid.
*Quid mentalis.* ibid.
*Usuram esse illicitam fidei docet.* ibid. n.7.
*Ostenditur vetitam esse etiam jure naturæ.* ibid. n. 8.
*Imme & naturali* p. 417. n.9.
*Explicatur locus Deut[eronomii]* ibid. n.
*Jus civile quatenus approbat, sive correctum per canones.* ibid. n.11.
*Quid usura centesima, vessalis, trie[n]s, &c.* ibid. n. 12.
*Sola lucratoria, non compensatoria, aut punitoria, propriè est usura.* ibid.
*An liceat petere mutuum sub usuris.* ibidem n. 13.
*Antechrisis est usuraria.* p.416. n.14.
*An etiam in casu quo feudum est à vasallo oppignoratum proprietario.* ibid. n.15.
*An etiam in casu possessionis à socero datæ in pignus pro dote.* ibid. n.16
*An ex mutuo liceat sperare reciprocum officium gratitudinis.* ibid. n. 1.

*Vide* Mutuum.

*An usurarius acquirat dominium usurarum, opinio affirmans.* p.417. n.23.
Scotus *explicatur.* ibid.
*Malè tractatus defenditur.* ibid.
*Amissa opinio suadetur.* p.418.n.23.
*Opinio negans.* ibid.n.24.
*Ejusdem limitatio, & declaratio.* ibid.
*An juxta ipsam usurarius sit dominus fructuum vel pretii rei venditæ.* ibid.
*An Montes pietatis sint usurarii.* p.422. n.42. & seqq.

*Vide* Mons pietatis.

*Lombardorum mens an usuraria.* p.42[illegible].n.52.
*Usurarii manifesti sinam sint.* p.42[illegible]. 53.
*Usuræ non palliantur per contractum triplicem societatis.* p.450. n. 00.
*Quæ obligationes cooperantium usurariis, ex lucrum vel mutuatorum parte se tenentium* p. 425. 58.

## Usurpatio Judicii.

*Usurpatione judicii quinam peccent.* p. 165. n. 3.

## Ususfructus.

*Quid ususfructus.* p.289. n.29.
*Quid nomine fructuum censeatur.* ibid.
*Arbores fructiferæ non computantur in fructibus.* ibid. n.29.
*Quid censendum de infructiferis grandioribus.* ibid.
*Quid liceat beneficiario quoad hoc.* ibid.
*Fructuarius est Dominus fructuum in hoc ipso, quo colligit.*

colligit, non adhuc end-nsio. ibid. n. 30.
Usufructus proprie in his usu non consumptibilibus consistit. ibid. n. 31.
Qui requiratur cautio. ibid.
Ad qua insuper fructuarius tenetur. ibidem n. 32.
Quibus modis acquiratur Usufructus. ibid.
Quibus modis amittatur ibid.
Nudo existente per [illegible] P. ibid. n. 33.

Usus.

Quid usus differat ab usufructu. P. 291. n. 37.
Amittitur eisdem modis quibus usufructus. ibid.
Est assidua habitatio. ibid. n. 39.
Praeter usum juris datur usus facti. p. 291. n. 43.
Qui in rebus uno actu consumptibilibus est ipsa eorum consumptio. ibid.
Quae dicitur abusus. ibid.
Recte tamen etiam usus. ibid.
An usus possit separari a dominio in rebus etiam uno actu consumptibilibus. p. 291. n. 44. & seqq.
Vide Dominium.

Uxor.

Uxor de quibus bonis possit liberè disponere vel contrahere. p. 391. n. 54.
Quid attentis moribus Belgij. p. 392. n. 55.
An uxor in extrema necessitate sit postponenda prolibus. p. 220. n. 104.
Vide Charitatis Ordo.
Uxoris vota, an & quomodo possit irritare maritus. p. 525. n. 43. & 44.

## ERRATA POTIORA.

Pag. 297, col. 1. lin. 44. *Ecclesiastica. lege. Mos Ecclesiasticus.*
Pag. 351. col. 2. lin. 13. à fine *posse*, lege. *posset.*
Pag. 391. col. 1. lin. 48. Varij timoris lege. Vani Timoris.
Pag. 409. col. 1. lin. 6. *cesserunt.* lege. *senserunt.*
Pag. 540. col. 2. lin. 4. à fine, *si veram peterem*, lege *si veniam peterem.*
Pag. 542. col. 1. lin. 36. *factâ consummatione.* lege. *factâ consumptione.*

Reliqua Lector vel emendata videbit, vel ex contextu facilè discerne.


*Ad Majorem Dei, Deiparæque Virginis & S. P. N.*
FRANCISCI Gloriam.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
441a


HERINX
In
2de 2de
DIV
5